HENRICI ALTING
S. Theol. Doct. & Profess.

SCRIPTORUM THEOLOGICORUM *HEIDELBERGENSIUM*

Tomus Primus,

continens

LOCOS COMMUNES
cùm Didacticos, tùm Elenchticos.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM.
CIↃ DC XLVI. J. C. Caußenius D.


Evang. theolog. Landesseminar
Herborn (Nassau)
Ich bin das Licht der Welt

SERENISSIMO PRINCIPI
ac Celsissimo Domino,

CAROLO LUDOVICO,

Comiti Palatino ad Rhenum, S.

Rom. Imperii Electori, Duci Bavariæ, &c.
Domino nostro Clementissimo.

SERENISSIME PRINCEPS,



TSi vulgo, qui commentationes hoc genus Scholasticas Vobis Principibus inscribunt, parum attendere videntur, quid aularum ingeniis & illustri illi fastigio conveniat: hæc tamen Parentis nostri Heidelbergensia Scripta, vel ipso tituli elogio Tibi debita, nisi ad Celsitudinis Tuæ patrocinium confugere non possunt. Nam cum auspiciis olim Serenissimi Patris Tui solenniter consecrata, & in avita Academia Vestra publice sint proposita; cum simplicis illius ac solidæ Theologiæ, quę in ditionibus Palatinatus Tui sonuit, quandam velut effigiem repręsentent; cum denique ad institutionem juventutis Palatinæ peculiariter conformata sint, & in spem Ecclesiarum Tuarum adhuc desti-

nentur, cui potius competerent, quàm Tibi, cui ſors naſcendi & immotæ ſucceſſionis jura, rerum divinarum & humanarum arbitrium ac tutelam delatam voluere. Quod ſi inter eximia Domus Veſtræ decora, ſpectatum ſemper fuit excellens quoddam purioris Reformationis ac doctrinæ ſtudium; quam, fremente licet toto Imperio, Majores Tui Illuſtriſſimi Fridericus II. & Otto Henricus Electores, in Palatinatum introduxere, & pro qua aſſerenda ille heroïcæ pietatis & conſtantiæ Princeps Fridericus Tertius, abavus Tuus, vitam fortunaſque ſuas ſummo diſcrimini objicere non dubitavit: ne nobis quidem dubium eſſe debet, quin Parentis noſtri qualiſcunq; opera, in eadem doctrina illuſtranda, & ab adverſariorum cavillis vindicanda, Tuæ Celſ[ni]. grata ſit futura. Quippe ſic à teneris, unà cum Illuſtriſſimis Fratribus es informatus, ut non infima educationis Veſtræ palma & cura in vera religione inſtillanda videatur fuiſſe poſita: iis porrò ingenii & optimarum artium ſubſidiis es inſtructus, ut de ſingulis Fidei controverſiis non modò luculenter diſſerere, ſed etiam ſolidè judicare poſſis: denique, quam ſemel agnoviſti

verita-

veritatem, vita pariter ac confeſsione ſic retines, ut inter plurimos qui reſtitutioni Veſtræ ponuntur obices, vel ejus rei potiſsimam invidiam etiam nunc ſuſtinere credaris. His igitur de cauſis cum pręſidium nominis Tui merito implorare debuerint Theologici iſti tractatus; mirandum non eſt, ſi nonnihil etiam audacius hanc vitam affectent, ſubnixi fiducia quadam & prope conſuetudine ejus gratiæ, quam autori eorum, dum viveret, apud Celſ[nem]. Tuam eſſe voluiſti. Publice enim conſtat, nec ſine veneratione hoc agnoſcimus & profitemur, immenſis quibuſdam ac pene infinitis beneficiis toti Sereniſſ[mæ] Domui Electorali Parentem noſtrum fuiſſe obſtrictum: quod ab ipſa propemodum adoleſcentia in aulam Palatinam ſit adſcitus, ibidemque benigne ſemper & clementer habitus: quod inſtitutioni Sereniſsimi Regis, Patris Tui, adhibitus, ejus Majeſtati fidem ac diligentiam ſuam ita probarit, ut Ephoriam Tuæ Celſit[nis] cæteræque Regię Sobolis ipſi ſpecialiter demandatam voluerit: quod denique non vulgaris favoris indicia à Tua quoque Celſ[ne] ſit expertus, & benevolę admiſsionis gratiam apud u-

 trunq;

trunq;retinuerit. Cujus ſanè inuſitatæ Clementię Veſtræ, & grati viciſsim animi paterni, cum jamdudum deberet aliquod exſtare monumentum, à nemine profectò id juſtius excitari poterat, quam à nobis, genuinis ejus filiis: ad quos non ſolum iſtorum beneficiorum omnium rediit fructus, ſed quos ipſoſmet jam inde à pueritia non levibus benevolentiæ Tuæ ſtricturis impartiri dignatus fuiſti. Quod ſi hanc qualemcunq; humillimi officii noſtri teſtificationem, benignè ſuſcipere volueris, non modo cæteræ paternæ gratię id imputabimus, ſed novam exinde fiduciam capiemus, conſtantem Electoralis Tuę Celſit[nis] favorem & clementiam, in nos quoque velut hęreditaria ſucceſsione continuatum iri. Datum Amſtelodami, Nonis Quintil. Anno Chriſti CIↃ. IↃC. XLVI.

Sereniſsimæ Celſitudinis Tuæ

Humillimi Clientes

MENSO & IACOBVS ALTINGII.

Præ-

PRÆFATIO

AD LECTOREM.



Olent ferè, qui aliquid operis in lucem emittunt, in præfatione causas exponere, qua re potissimum adducti hoc faciant. Nobis è diverso reddenda ratio potius videtur, quare non dudum à Parente nostro p. m. edita sint, quæ nunc publici juris facere instituimus. Nam cum ab annis viginti, & quod excedit, frequenti amicorum hortatu, & tacitis multorum desideriis, ad publicanda scripta sua urgeretur; adduci tamen hactenus non potuit, ut voluntati eorum obsequendum putaret. Videbat enim passim laborari mole & copiâ variorum in hoc genere commentariorum: novis editionibus non modò ancipitem reddi eorum delectum, sed meliores etiam, id est, veteres illos ac probatos autores, è manibus studiosorum paulatim excuti. Et cum plurumque vanâ curiositate, recentia magis quàm optima quærantur; inde fieri, ut mox, ubi novitatis gratia perierit, hæc ipsa rursum repudientur. Neque existimabat continuò à docentibus requiri, ut, si quid forte aut methodo concinnum, aut inventione non absurdum, intra parietes Academicos placuisset, id illico prælis divulgandum committerent: cum præter officium non præstiterit, qui in statione Professoria laborem suum quam maximè ad utilitatem discentium comparârit. Adhæc nonnihil eum avertebant fastidiosa hujus seculi ingenia, quæ cum ad simplicitatem veteris Theologiæ nauseare cœperint, quicquid spinosis Scholasticorum argutiis non fuerit intertextum, aut exoticarum disciplinarum emblematis mirificè incrustatum, id facilè adspernantur. Magis etiam deterre-

terrebant iniqua quorundam judicia, quibus aliorum optimè dicta & cogitata sequius accipiuntur, & si quid forte à captu ipsorum ac sententiâ discrepat, in argumentum dissensionis arripitur: unde non rarò etiam doctissimis Viris contigisse videbat, ut tempus & ocium, Dei munere ad majora exsequenda concessum, in minutis quibusdam controversiis infeliciter consumerent. Hæ sanè causæ, cum Parentem nostrum, dum viveret, à scribendo quodammodo alienârint, valerent etiamnum ad sufflaminandum hujus editionis impetum, nisi honesta quædam vis, ac prope necessitas, nobis aliud suasissent. Præterquam enim, quod eadem amicorum postulata etiam acrius instarent; communi quodam præjudicio hominum tenebamur constricti, fore, ut post obitum autoris, quando primum viva ejus vox conticuißet, scripta deinceps illius vice fungerentur: nec ulterius intra privata scrinia asservatum iri, quod publicis usibus inservire poßet. Audiebantur aliorum non obscuræ voces, significantium, alicubi terrarum vel inconsultis nobis & invitis excudi hæc scripta posse, si ultra tergiversari vellemus. Nec id impedire in nostra potestate erat, postquam sedulitate describentium in centena aliquot exemplaria divulgata, & in varias Orbis reformati regiones, unà cum studiosis dispersa fuerant. Quid quod ne à plagiarii quidem manu licebat esse securis? verisimile quippe erat, ausurum aliquem, talium rerum satagentem, jam facilius post mortem Patris, cum eo vivo ac superstite nonnemo compendium Historiæ ejus Profanæ, in usus duntaxat privatos Iuniorum Principum concinnatum, sub proprio etiam nomine, in lucem exponere non sit veritus. Huic igitur malo ut obviam iremus; maximè vero ut justis plurimorum desideriis mos aliquando gereretur, quantum in nobis fuit, etiam maturandum duximus. Et in antecessum quidem, visum est typis dare tres vulgatiores Theologiæ, Heidelbergæ traditæ, partes, totidem Tomis distinctas: tum quia complurium manibus & usu jam terebantur, tum quia hactenus

ab autore perfecta erant, ut lucem adspicere auderent. De instituto, ordine, ac tractatione singularum partium, nihil hic peculiariter dicemus; cum Parentis nostri consilium ex Oratione ejus Inaugurali, (quam eâ gratiâ subjungendam censuimus) satis elucescat; partim etiam in proœmiis sequentium tomorum indicetur. Nec in commendationem operis aliud afferemus, quàm quod attentus & benevolus Lector per se deprehendet; nimirum, concinna dispositione Locorum; cujusque Loci ac thematis artificiali & methodica tractatione; soliditate doctrinæ; perpetua illius confirmatione è dictis Scripturæ petita, eorundemque dictorum, ubi opus foret, explicatione accurata; brevitate denique perspicua & nervosa, id assecutum autorem videri, ut post aliorum in hoc genere labores, non prorsus supervacaneam, nec inutilem discentibus operam præstitisse agnoscatur. Si quis tamen forsan in hoc commentario requirat, quòd materias quasdam, in Topicis vulgo proponi solitas, inprimis controversias nostris temporibus propiores, vel præterierit vel parcius attigerit: quòd item tractatio singulorum Locorum ac quæstionum non perinde diffusa, & in fine cujusque partis nonnihil succinctior appareat; hunc de utroque præmonitum volumus. Quantum ad posterius quidem, id fermè accidisse, quòd Parens, auditorum suorum, & maximè exterorum, studiis consulens; ut illi integrum potius tractatum, quàm particulam aliquam Theologiæ perciperent, absolvendo cuique penso certum, idque non magnum, temporis spacium statuerit: cujus terminum nè temerè excederet, maluerit extrema potius coarctare. Sic tamen, ut & thematum sedes, & palmaria argumenta, & solutionum fontes, ubique indicaret. Prius verò quod attinet, sciendum est, controversias illas, quæ nostro tempore Ecclesias infestârunt, aliquantò post demum in Palatinatu publicè innotuisse, quam Systema hoc Locorum Communium Heidelbergæ traderetur. Alia capita certo consilio fuisse omissa, quòd eorum uberior tractatio huc non magnoperè pertineret, ac aliunde peti à provectioribus posset. Atque alteri quidem defectui supplendo

jam succenturiantur ex parte, quæ in Catecheticis contra Novatores ex professo sunt disputata: utrinque autem plenè medebitur repetita ab autore, vel potius de integro suscepta Theologiæ tractatio in Academiâ Groninganâ. Cujus lineamenta qualiacunque libellus, sub titulo Methodi Theologiæ Didacticæ nuper editus, Lectori cupido exhibet: ipsum verò opus, volente Deo, cum tempore sequetur, ubi hos primum Parentis nostri labores, publico utiles ac gratos fuisse intelligemus.



HENRI-

HENRICI ALTING
ORATIO INAUGURALIS
DE
Natura, Ortu, Vsu, Ordine, sive Methodo Locorum Communium Theologicorum,

Habita Heidelbergæ in auditorio Philosophorum

Anno Christi M.DC. XIII. die XVI. Augusti, Natalibus Sereniss. Electoris Friderici V. sacro.

Serenißimi Potentißimiq; Principes, Domini Clementißimi; Nobilißimi atque Amplißimi Curiæ Augustæ Proceres; Magnifice Domine Rector; Illustres ac Generosi Domini Comites; Reverendi, Clarißimi, Doctißimique Domini Professores; Hospites omnium Ordinum Lectißimi, Studiosi Ornatißimi:



St hoc in Inclytæ hujus Academiæ more positum, ut qui Theologiæ in ea professionem aggressuri sunt publicam, hoc ex loco de argumento professioni suæ conveniente verba faciant. Me verò jussu Superiorum id agere conantem, nescio magisne inscitiæ ad docendum, an imperitiæ ad dicendum perturbet conscientia. Nam quæ res post pietatem in Professore Theologo requiruntur maximè, scientia in divinis exacta, judicium ac-

curatum, dexteritas in docendo, ſoliditas in diſputando, in agendo gravitas, iis me diſtitutum ſentio propè univerſis. Sive enim ætatem ſpectem; nihil equidem ab hac annorum immaturitate proficiſci exſpectarive eximium poteſt: ſive vitæ anteactæ rationes expendam, parum illæ acquirendis dotibus adeò illuſtribus fuêre accommodatæ. Octavus mihi heſterno die lapſus eſt annus, ex quo relictis Academiis, quæ eas ad artes formare juniorum ingenia ſolent, in aulam aſſcitus ſum. Ubi inter continuatas operas, quid ad ſtudiorum graviorum, aut meditationem temporis, aut exercitationem occaſionis eſſe potuerit, etiam me tacente intelligitis. Quid ergo? Niſi me Vocationis divinæ neceſſitas, & eorum, quibus in me jus eſt, auctoritas commoverent, non poſſem non ſubterfugere arduam hanc, meiſque viribus multis paraſangis ſuperiorem provinciam. Iis verò revocatus, atque inſuper promiſſionis divinæ, tam ſanctæ vocationi annexæ, certitudine animatus; periculum faciam tenuitatis meæ; & in quam me cathedram venerabilis Ordinis Theologici nominatio, ampliſſimi Senatus Academici approbatio, Sereniſſimi ac Clementiſſimi Principis & Patroni noſtri electio confirmatioque provexit, eam ego, ſi minus ornare poſſim, dedecorare tamen modis omnibus cavebo. Morem etiam præfandi in Academiâ receptum quomodocunque ſequar. Et quia Theologia Topica ordinariis prælectionibus explicanda erit, neque præfationi convenientius, neque juventuti Theologicæ utilius ſuccurrit argumentum, quàm quod eſt de *Naturâ, Ortu, Uſu, Ordine ſive Methodo, Locorum Communium Theologicorum.* De quibus omnibus dum ego, non pro ipſorum amplitudine aut dignitate, ſed pro modulo meo diſſero, ut me gratiosè, benevolè, attentéque audiatis, etiam atque etiam oro.

Frequens eſt & protrita quotidianis literatorum ſermonibus *Locorum Communium* appellatio. Quæ vox à Phyſicis

accepta,

accepta, non hîc ſpacia corporum, ſed varios variarum rerum titulos, claſſes, capita deſignat. Communes porrò loci dicuntur, tanquam communes thematum ſedes, ad quas, quæ ſingulis congenera ſunt, apto diſpoſitionis ordine revocantur. Sunt illi non uni alicui diſciplinæ artive proprii, ſed ita omnibus communes, ut quot diſciplinarum, titidem Locorum communium genera numerentur. Ita ſuos Grammatica, ſuos Rhetorica, ſuos Logica, ſuos Phyſica & Ethica, ſuos ſuperiores, quas vocant, facultates Juriſprudentia & Medicina, Locos ſibi vendicant. Non mirum ergo, ſi ars artium, ſi diſciplinarum omnium regina Theologia, ſuis etiam peculiaribus Locis gaudeat. Quantò enim latius patent ejus, quàm artium cæterarum fines, tanto plures uberioreſque locos poſſidere eam neceſſum eſt. Quo res Theologicæ auguſtiores, hoc ipſorum ſedes locorum dignior habetur. Hujus generis loci ſunt, de Deo Uno ac Trino, de Chriſto Jeſu Θεανθρώπῳ, de Prædeſtinatione, Providentiâ, Lege, Euangelio, Eccleſiâ, aliiſque religionis Chriſtianæ capitibus. De his quicquid dictorum ſonat Scriptura, quicquid Exemplorum, Similium prodit, diſtinctarum lege ὁμογενείας claſſium ambitu, Loci complectuntur. Nec confuſè illud, ſed eo ordine faciunt, ut à nominis explicatione ad Genus, Formam, Efficientem, Finem, Effecta, Subjecta, Adjuncta, Diviſionem, Cognata, Pugnantia deſcendant, ac ſingula ſingulorum thematum membra certis notionum Logicarum arculis includant. Hanc methodicam, & continuâ partiũ conjunctarum ſerie conſtantem capitum Religionis explicationẽ, Locos Communes Theologicos dicimus. Hæc eſt illa ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, τύπος illa διδαχῆς, illa παρακαταθήκη, quarum in ſuis ad Timotheum & Romanos epiſtolis Apoſtolus meminit. Hic eſt theſaurus ille, ex quo, Chriſto teſte, Scribæ in regno cœlorum edocti, nova & vetera proferre nôrunt.

Hic eſt hortus ſpiritualis, in quo artificioſiſſimis areolis diſſitas diſtinctaſque cernere licet floridiſſimas doctrinæ cæleſtis herbas. Hoc apiarium Theologicum, in quo certis favis & velut cubilibus reconditum mel cæleſte reperitur. Tenetis, ut puto, Auditores, Locorum Communium Theologicorum *Naturam*. Jam *Ortum* illorum indagemus, atque ediſſeramus. Eſt ille non alius, quàm ipſius Theologiæ. Cujus materiæ, cum per ſe ac natura diſtinctæ ſint, ſedes quoque Locorum diſtinctas poſtulant: ut cum ipſis Eccleſiæ incunabilis in eam ſubiiſſe, nulli poſſit eſſe dubium. Ante diluvium de Semine contrituro caput ſerpentis, de Sacrificio Chriſti, typico illo Abelis adumbrato, de univerſali judicio ab Enocho prædicato, celebratiſſima oracula ſunt. Joſephus *lib.* 1. *antiquitatum cap.* 3. duarum columnarum ab Adamo excitatarum meminit, quibus ſumma artium omnium lineamenta inſculpta fuerint. Quod ſi ita eſt, nil ſanè impedit, quominus locorum etiam ſacrorum rudimenta iiſdem inſcripta fuiſſe dicamus. Sed exploratior omnino eſt illorum poſt diluvium in Eccleſia uſus. Ut enim mittam Patriarchas Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, quibuſcum Gratiæ fœdus Deus icit, ictum renovavit; vix aliud documenti genus poteſt eſſe illuſtrius, quàm quod ipſe Deus, varias ac late patentes noſtri erga ſe proximumque officii partes, breviſſimè contraxit, ac decem duarum tabularum præceptis illigavit. Ex quo tempore, cum Levitis non modò cura ſacrorum, ſed etiam inſtituendi per XLVIII. urbes populi munus incumberet, eandem ipſos inſtitutionis rationem obſervâſſe, adeóque doctrinæ Legis, altera & Euangelii, piè prudenterque annexuiſſe certo certius eſt. Sanè filii Prophetarum, qui à Prophetis Eccleſiaſtici in ſpem miniſterii educabantur, non aliis, quàm his ipſis Religionis Judaicæ principiis imbui aut potuerunt, aut debuerunt. De periodo Eccleſiæ, quæ populi è captivitate Babylonicâ reditum exce-

excepit, non minus res liquet. Tum siquidem sive Ezras, sive alius quispiam, Pentateuchum Mosis, Legis titulo inclytum, in sectiones LIII. distribuit: quarum singulæ singulis Sabbathis cum Scripturarum propheticarum additamento in Synagogis legerentur. Hasidæi postea Leges omnes Morales, Ceremoniales, Judiciales in capita IↃCXIII. digessere; quæ postera ætas luculentâ Traditionum adjectione haud parum auxit. In Novo Testamento prodromus Christi Servatoris, Johannes Baptista, Resipiscentiâ ac Remissione peccatorum rem totam complexus est. Ipse Christus eadem capita tum pari brevitate repetiit, Resipiscendum dictitans ac credendum; tum fusius paulò declaravit, Legem totam duobus præceptis comprehendens, ac summam Euangelii in aureolo illo: *Sic Deus dilexit mundum*, scitè proponens. Apostoli, quæ doctrinæ rudimenta Catechumenis suis instillârint, *ad Heb.6.* docetur; nimirum, de Resipiscentiâ, Fide, Sacramentis, manuum Impositione, Resurrectione mortuorum, & judicio æterno. Ab horum excessu, cum invalescentibus hæresibus laborare vehementer doctrinæ puritas inciperet, Symbola illustriora quatuor, Apostolicum, Nicenum, Ephesinum, Chalcedonense, ceu fidei Catholicæ brevicula, condita sunt. Patres quoque Græci & Latini, asserendæ zelo veritatis excitati, alii certos quosdam locos diligenter & ex usu Ecclesiæ pertractârunt: alii universos continuâ serie explicarunt. Ex his Clemens Alexandrinus, Scholæ illius Theologicæ princeps, libros στρωμάτων octo scripsit. Origenes circa annum Christi CCXXX. libros quatuor περὶ ἀρχῶν edidit. Non multo post Lactantius Institutionum divinarum libros septem concinnavit. Gregorius quoque Nazianzenus cum libros quinque de Theologiâ, tum alios locos communes magnâ industriâ elaboratos evulgavit. Hunc sequitur Patrum ille Coryphæus Augustinus, qui in hoc genere scriptorũ suos de doctrina Christiana libros, nec

non aureum illud Enchiridion, Laurentio inſcriptum, nobis reliquit. Ruffinus expoſitionem Symboli, Theodoretus θείων δογμάτων ἐπιτομὴν dedit. His jure adjungitur ſententiarum Proſperi libellus, ſexageſimo poſt Auguſtinum anno ex variis ejus monumentis conſarcinatus. Circa quod tempus etiam Johannes Damaſcenus libros quatuor περὶ τῆς ὀρθοδόξης πίστεως in Eccleſiæ lucem emiſit. Subiit deinde novum genus Theologorum, qui communes Theologiæ Locos philoſophicè magis quàm Theologicè tradendo, phraſeologiam Theologicam variis novorum terminorum portentis obſcurârunt, doctrinam verò ipſam ſpinoſarum & inutilium Quæſtionum quiſquiliis depravarunt, eóque Theologiam illam, quam vulgò *Scholaſticam* vocant, procuderunt. Hos inter Petrus Lombardus Pariſienſis familiam ducit, qui famoſos illos quatuor Sententiarum libros Veterum Theologorum ſententiis compilavit. In quo novis ſubinde commentariis illuſtrando mirè ſudatum eſt. Albertus Magnus, Thomas, Scotus, Bonaventura, Richardus de Media villa, Durandus, Gregorius de Arimino, Thomas de Argentina, Johannes Sapræolus, Dionyſius Carthuſianus, Gabriel Biel, Thomas Cajetanus, ab hâc potiſſimum commentationis arbore laureas ſuas ac adoreas decerpere voluerunt. Alii ejuſdem farinæ, Alexander de Hales, Henricus de Gandavo, Antonius Epiſcopus Florentinus, peculiares fidei Theologiæque ſummas condiderunt. Denique ultimâ hâc Eccleſiæ à tenebris Papatus aſſertæ periodo, ſummi in re Theologica viri, Melanchthon, Zuinglius, Calvinus, Bullingerus, Muſculus, Aretius, Martyr, Hemmingus, Urſinus, Zanchius, purioris Theologiæ Locos magna ſoliditatis, perſpicuitatis ac methodi laude elaborârunt. Nec deſunt, qui etiamnum in hoc genus ſtudii omnes ingenii ſui vires nervoſque intendunt. Ex illis autem, ut ἐν παρόδῳ hoc moneam, Melanchthoni, Calvino, ac Martyri primas judicioſiſſimus Theologus Zacharias Urſinus deferebat, hujuſ-

que

que Triados auſpiciis Theologiæ Topicæ curriculum abſolvi poſſe ſtatuebat; aliis de methodo ſtudiorum Theologicorum ſollicitè percunctantibus ita de ſe reſpondens: *Philippus ocreas mihi induit, Calvinus me equo impoſuit, Martyr calcaria addidit.* Eſt ergo Locorum Communium in Scholis Theologicis enarratio, non recentis, ſed, veteris; non abrupti ſed ſemper in iis continuati inſtituti. Quod ipſum inſignem illorum *Vſum*, de quo tertio loco mihi dicendum eſt, arguit manifeſtiſſimè. Nec enim putandum eſt, hanc inſtitutionis rationem vel Deum Opt. Max. ſuo exemplo ſanciturum fuiſſe, vel Prophetas, Chriſtum ipſum, Apoſtolos, alioſque eximios Eccleſiæ Doctores continuâ ſuccedentium ſeculorum obſervatione comprobaturos, niſi multiplicem ejus utilitatem perſpexiſſent. Illa ipſa verò haud aliunde clariùs, quàm ex judicii circa res Theologicas informatione, memoriæque in iis confirmatione eluceſcit. *Iudicium* Loci Theologici omnem in partem plenè informant; ad intelligentiam Scripturarum, ad dijudicationem controverſiarum, ad applicationem doctrinarum. Scripturas, qui Locorum Communium cognitione deſtituitur, haud facilè intelligit. Clauſa ſunt abſque hac clave earum penetralia; uſque adeò, ut quo de capite doctrinæ agatur, attentus lector etiam ſagaci indagine ſæpenumero non aſſequatur. Planè ſicut Eunuchus ille, de quo eſt *Act.* 8. etſi non Prophetiam, ſed, ut eam vocavit Hieronymus, paſſionis Dominicæ hiſtoriam *Eſa.* 53. deſcriptam perlegeret, tamen de ſeipſóne, an de alio loqueretur Propheta, dubius hærebat. Eam ob cauſam Apoſtoli, ceu prudentes myſteriorum divinorum œconomi, in colligendis conſtituendiſque per Orbem univerſum Eccleſiis, non à Prophetarum difficiliorum enarratione, ſed à Locorum Communium Catecheticâ, & ad captum rudiorum populariter accommodatâ explicatione cœperunt. Quid? quod abſque horum locorum adminiculo apparen-

tes Scripturæ ἀντιλογίας καὶ ἑτεροφωνίας conciliare non modò difficile, ſed & ἀδύνατον videtur. Etenim conciliatio omnis à diſtinctione manat: Diſtinctionem diſſentaneorum conſideratio ſuppeditat. Ut igitur, quid in ſingulis Theologiæ partibus conſentaneum diſſentaneumve ſit, Locorum beneficio cognoſcitur, ita iiſdem diſtinctionis pariter ac conciliationis gratia debetur. Verùm exemplo quod dixi illuſtratum clarius evadet. Phariſæi *Matth.* 22. de Meſſiæ perſona à Servatore interrogati ipſum Filium ſimul & Dominum Davidis fore ex Scripturis agnoverunt: Conciliationem verò utriuſque nec mente concipere, neque explicare ſermone valuerunt, quod duorum in una Meſſiæ perſonâ naturarum myſterium non didiciſſent, nec ſecundùm eas pugnantia in ſpeciem oracula interpretari poſſent. Sic Rabbini quia mundani ſplendoris magnificentiæque faſcino occœcati, in Veteris Teſtamenti lectione glorioſam quidem, at non etiam humilem Meſſiæ conditionem obſervat, bone Deus, quam miſerè ſe in Scripturis torquent? quàm impiè dicta etiam apertiſſima detorquent! Sunt qui illa à Chriſto ad Eccleſiam Judaicam, ab illius exinanitione ad afflictum hujus ſub Chaldæis ſtatum transferunt. Alii eò delabuntur inſaniæ, ut duplicem ſibi Meſſiam comminiſcantur, unum primarium, ſecundarium alterum; illum Davidis, iſtum Joſephi filium, illum magnificum & glorioſum, hunc contemtum & ulceroſum. Cæteri etiam magis inſulſis deliriis tum hic, tum alibi ſe produnt, exemploque docent, quàm infelici manu ſacra verſent volumina, qui ad ea Locorum Communium principia non afferunt. Jam in Controverſiarum dijudicatione, quantum illorum cognitio momenti habet? Fons omnium in Eccleſiâ controverſiarum unus, verus, perpetuus, doctrinarum eſt confuſiò. Quæ fit, quum rerum divinarum, prout canone ſacro perſcriptæ exſtant, natura non rectè attenditur; quum falſa veris attexuntur; heterogenea

cum

cum homogeneis confunduntur Contra hæc quod majus præsentiusve remedium, quàm quod à Locis Communibus proficiscitur? Illi dogmatis cujusque naturam non mancam mutilamve, sed omnibus nnmeris absolutam exhibent. Illi à causis, Effectis, Subjectis, Adjunctis exactè eam describunt. Illi falsitatem à veritate, ἑτερογένειαν ab ὁμογενείᾳ seclusam exterminant. Proinde cujus animus horum rivis non dicam largiter irrigatus, sed vel mediocriter tinctus est, is quæstionibus controversis propositis quid verum, falsum, ambiguum, etiam primo mentis obtutu cernit, affirmando, negando, distinguendo de iis pronunciat; adeóque secundum Apostolorum αἰσθητήρια habet γεγυμνασμένα ad discretionem boni & mali. Quod ne quis ita à me dici putet, eat per omnes ætates ordinesque Theologorum; re ipsa comperiet, quo quis Locorum Communium scientior, hoc eum in dijudicandis controversiis dexteriorem accuratioremque fuisse, quò verò fuit eorum ignorantior, hoc quoque tum in judicando hebetiorem, tum ad aberrandum proniorem exstitisse. E multis prodeat hîc Phœnix ille Germaniæ reformatæ, Philippus Melanchthon. Hoc vivo neminem novimus illius temporis in disputationibus cnm Pontificiis feliciùs versatum; non alium etiam inventum qui errorum fontes solertiùs aperire, firmamenta solidiùs convellere, atque ita veritatem cœlestem fortiùs asserere potuerit. Id certè non aliunde consecutus est, quàm quod dextrum benéque formatum à Locis Theologicis judicium ad controversiarum Theologicarum cognitionem afferret. Andreas contra Osiander, quem affectatus novæ sectæ principatus nobilitavit, quia αὐτοδίδακτος nulliusque Scholæ discipulus, communes Theologiæ Locos non aliter tenebat, quàm sibi eos præfidentis ingenii vanitate ipsemet finxerat, quantum hic altero inferior fuit? quàm crasse in ipsa ὀρθοδοξίας fundamenta impegit? quibus turbarum motibus jam ante plus

 satis

ſatis diſtractas Germaniæ Eccleſias implicuit? Idem in Anabaptiſtis, Libertinis, Fanaticis, ac pleriſque etiam Neophytis videre eſt; qui quandoquidem tam neceſſariâ cognitione deſtituuntur, in controverſiarum Theologicarum diſceptatione quaſi ſcotomate percuſſi caligant, eoque augendis exaſperandiſque, quàm minuendis aut mitigandis litibus aptiores ſunt. Ex his de ipſa Locorum πράξει & applicatione judicium fieri poteſt. Nunquam ſummam integræ doctrinæ ordine ac perſpicuè aliis proponet, qui ipſe eã non didicit. Nunquam de ſingulis Religionis capitibus diſſeret abſque erroris periculo, qui capita ipſa ſigillatim non rectè comprehendit. Nunquam etiam dextrè ad Eccleſiæ in fide ad vita ædificationem applicabit, qui ipſos applicationũ fontes non habet quam exploratiſſimos. Nam, ut rectè Servator, cœcus cœco dux viæ eſſe nequit: *Quodque parum novit nemo docere poteſt*. Sic ergo hujus tam neceſſarii ſtudii neglectu fructus omnis miniſterii Eccleſiaſtici perit, exſtinguitur in animis hominum vera veri Dei notitia; affectus pietatis elangueſcit; ſuccreſcit barbaries, ex eaque lata omnium vitiorum ſeges pullulat. Quod quidem Majores noſtri in denſâ Papiſmi nocte magno ſuo malo experti ſunt; Nos, ne unquam deinceps experiamur, aſſiduâ ſtudii hujus culturâ cavere debemus. Sed de *Memoriâ* jam mecum cognoſcite, quam horum Locorum præſidio juvari unicè dixi & firmari. Scripturæ ſunt rerum præſtantiſſimarum immenſum quaſi pelagus & profundiſſima abyſſus. Sunt materiarum, ad ſpiritualem architectionem variè inter ſe mixtarum, ingens acervus. Non hîc propriæ quædã doctrinarum arculæ, non redargationum theculæ, nõ correctionũ cellulæ, non promptuaria inſtitutionũ, non myrothecia cõſolationũ. Omnia hæc ſparſim per ſingulos Scripturarũ Codices, per ſingula earũ capita, quinimo per ſingulas ſæpe verſuũ ſectiones inveniuntur. Memoriæ verò humanæ quanta ad hæc anguſtia? quæ imbecillitas? quomodo intra fines ejus

modicos

modicos ſanè, ipſa redigitur immenſitas? aut ſemel redacta ita continetur, ut ad quoſvis uſus, ſive tota, ſive ſecundùm partes, in parato, in numerato ſit? Hoc verò eſt quod divino Locorum Communium beneficio acceptum ferimus. Illi immenſam materiarum Theologicarum vim in certa capita digerunt, capita iterum ſingula in ſua quaſi membra dividunt; membris ipſis teſtimonia, exempla, ſimilia, ex omnibus Scripturæ angulis conquiſita, ſubjiciunt, aut quomodo ſubjici poſſint oſtendunt; denique ipſa capita, ipſa membra, ipſas etiam membrorum particulas & articulos aptâ antecedentium, conſequentium, tranſitionum connexione conjungunt. Hic quæ memoriæ in ſuſcipiendâ, retinendâ, multiplici etiam rerum varietate, ſupereſſe poteſt difficultas? imo quæ non adeſt in reddenda facultas & promptitudo? maximè ſi vel in Eccleſia ad populum, vel in Schola ad juventutem de themate aliquo Theologico diſſerendum ſit. Novi ego non poſtremæ notæ Theologos, qui hoc nixi ſubſidio etiam ex tempore ſummo cum omnium applauſu dixerunt: nimirum quia præpetis ingenii ala Locorum ſuorum domicilia percurrentes, eam rerum vim congeſtam ante atque repoſitam invenêre, ut docentes verba citiùs quàm res deſtituerent. Præter hos ſunt & alii Locorum Communium non contemnendi uſus; quos ne patientiam veſtram ſingulorum enumeratione potius quàm enarratione fatigem, tacitus prætereo. Supereſt quartum caput de *Ordine* ſive *Methodo*, in Locorum Theologicorum explicatione obſervanda. De qua rogatus Methodorum concinnator non ignobilis, quot capita tot methodos eſſe ſcitè reſpondit. Atque ita verè eſt. Etſi enim penè innumerabiles ſunt, qui in hac ſtudii Theologici parte perpolienda temporis multum & laboris poſuerunt; vix tamen duos reperias, qui vel in Locis univerſis diſponendis, ac inter ſe coordinandis, vel in ſingulis deducendis ac declarandis per omnia conſentiant. Non

quod parum ſibi conſtent Methodi leges, quæ fixæ, firmæ, immobiles ſunt; ſed quod in Syſtematis Theologici adornatione quiſque ad ſui magis judicii trutinam, quàm ad veræ Methodi normam Locos exigat. Ego nullius ſanctos labores improbo; de nullo mihi judicium ſumo; ab omnibus adjutum me & juvari indies ingenuè profiteor. Id tantum dico, quod ante me Magnus ille Urſinus dixit, vix ullam methodum convenientiorem Hiſtoricâ videri, hoc eſt tali, quæ hiſtoriæ ſeriem ſequuta, à Deo ad opera ejus, ab æternis ad ea quæ in tempore fiunt & facta ſunt, à prioribus ad poſteriora progreditur; adeòque ab ipſa æternitate orſa, per mediana temporalium in ipſam quaſi circulatim redit. Hujus ego veſtigia quomodocunque legens, poſita Theologiæ definitione, principiiſque expoſitis, primò de Deo; inde de decretis ejus; poſt de Creatione, Providentia, peccato ejuſque pœna, Lege, Euangelio, Perſona & Officio Chriſti, Eccleſia, ſpiritualibus ejus bonis, horumque applicatione agam; atque ab iis per mortuorum reſurrectionem ad vitam æternam aſſurgens, eo in loco σὺν Θεῷ finiam. Quæ quidem generalis omnium locorum ſtructura Methodum vobis συνθετικὴν exhibitura eſt: ἀναλυτικὴν porrò ſpecialis locorum ſingulorum habebit explicatio. In quibus id mihi curæ erit, ut propoſita plenâ & (quoad ejus fieri poteſt) ſuccinctâ cujuſque definitione, eam ſubjectâ ſecundum locos dialecticos exegeſi declarem; declarationem non ex turbidis humanarum argutiarum lacunis, ſed ex limpidiſſimis Divinarum Scripturarum fontibus petam. Hic verò de duobus monendi ſunt Theologiæ ſtudioſi. *Primum* eſt, non fore intermixtam huic Locorum didaſcaliæ controverſiarum Theologicarum explicationem, ſed eam in poſtremum locum, ſub peculiari Theologiæ Elenchticæ titulo tractandam reſervari. *Alterum* eſt, ipſam διδασκαλίαν non in nuda θεωρίᾳ ſubſtituram, ſed ad πρᾶξιν quoque atque applicationem, ab Eccleſiaſticâ tamen

men tractationis fotma distinctam, progressuram esse; scilicet ut ex singulis locis plenè ante declaratis, applicationes, ceu porismata quædam eliciantur, ad διδασκαλίαν, παιδείαν, ἐπανόρθωσιν, & παράκλησιν; hæc iterum illustribus, Scripturæ dictis confirmentur, declarentur. Utriusque gravem mihi causam esse existimo. Primum siquidem huc facit, ut præposterum seculi nostri studium corrigatur, quod prius est contra falsitatem quàm pro veritate; prius circa ἀνασκευὴν falsi, quàm κατασκευὴν veri occupatur. Nimirum nos juvenes ea ingeniorum laboramus malaciâ, eo receptæ in Ecclesiis Scholisque doctrinæ fastidio, ut nihil nisi καινόδοξον, ac vanæ cujusdam subtilitatis larvâ commendatum nobis placeat; utque subinde blandis impostorum captionibus demulceri, quàm à sinceris Theologis doceri malimus. Ex quo fit, ut alii justo Dei judicio deserti hæreticorum laqueis intricentur; alii orthodoxam veritatem, quam ut simplicem nimis fastidierunt, nunquam rectè intelligere discant, dumque cum Thalete Milesio sublimia sectantur, in scrobem pedibus expositum incidant, id est, in principia Religionis, ipsis etiam alphabetariis nota, turpiter impingant; alii denique etsi ab utroque sibi cavent, litigandi tamen insanabile cacoëthes ex scriptis eristicis, imbibant, eoque totam Theologiam in ἔριδος quoddam pomum convertant: quod iis, qui Lutheri se nomine jactitant, evenisse res docet; eventurum esse ipsi Luthero suo hîc genio plus nimio indulgenti, Zuinglius prædixit. Quanto prudentius Persarum fuit institutum, qui per distinctas ætatum classes juventutem suam manu ducentes, non ante eam militiæ tyrocinia facere, aut in hostem ire permiserunt, quàm moribus patriis imbuta, & ad virtutem, patientiam, labores instituta esset. Ad eundem modum nec juventutem Theologicam illi controversiarum id est, bellorum Theologicorum studio immergendam censuerim, nisi ante, non dico præcipuorum sanæ do-

ctrinæ capitum rudimentis, ſed ſolidis omnium ac ſingulorum fundamentis firmamentiſque præmunita fuerit. Hoc igitur conſilio Theologiam Elenchticam à Didacticâ ſejungo, eique ordine tractationis ſubjungo. In eam verò non omnes horum etiam temporum, ſed illæ duntaxat conjicientur controverſiæ, quæ tum noſtras, tum eorum, qui diſcendæ cauſa Theologiæ ad nos veniunt, Eccleſias infeſtant. Hæ cum vel à Pontificiis, vel à Lutheranis, vel à Samoſatenianis, vel ab Anabaptiſtis moveri ſoleant, quatuor diſtinctæ Controverſiarum claſſes naſcuntur. Quæ proinde ſeorſim explicandæ erunt, non alia methodo, quàm quâ Loci Communes ante traditi fuêre, ne varietas aut judicium turbet auditorum, aut gravet memoriam. Sed tamen priores, quæ cum Pontificiis atque Lutheranis nobis intercedunt, tanquam domeſticas fuſiùs perſequemur; cæterarum ſi ſumma faſtigia percurramus, ſi evidentes piiſq; omnibus abominabiles blaſphemias oſtendamus, ſi præcipua aliquot ſophiſmata diſſolvamus, id tam ad muneris noſtri conſcientiam, quàm ad aliorum inſtitutionem ſat erit. Hæc de primo monuiſſe oportuit. *Alterum* de πϱάξει doctrinarum cum ipſa Theoria conjungendâ hoc fine ſuſcipitur, ut quia major pars eorum qui Theologiæ operam navant, Eccleſiarum ſuo tempore deſervitura eſt miniſterio, ad uſum transferre didaſcalias aſſueſcat; de ſingulis Theologiæ locis peculiarem quaſi inſigniorum dictorum exemplorumque ſylvulam colligat, ſicque ad omnes futuri muneris partes inſtructa vocantem Dominum exſpectet. Quumque ex Apoſtoli Petri monito, Paſtorem gregis ſui exemplar eſſe oporteat, quoties theſin ad hypotheſin applicari audiemus, toties velut tacito vellicatu perſtricti, de nobis ipſis in hujuſmodi exemplaria magis magiſque efformandis ſeriò cogitabimus. Atque hoc quale quale Theologiæ Didacticæ pariter ac Elenchticæ curriculum, intra ſeſquianni, aut ad ſummum bienni ſpacium decurre-

curremus, modò Deus Opt. Max. in cujus id nomine ingredimur, vitam viresque largiri, cœptisque adeò nostris propitii favoris aurâ constanter adspirare dignetur. Hæc sunt, Auditores, quæ tum de Communibus S. Theologiæ Locis, tum de meo in illorum enarratione instituto disserere ad vos volui. In quo equidem, quam ego fidem Deo, Ecclesiæ, Academiæ vobis debeo, eam præstare pro virili annitar. Vestrum, Studiosi Theologiæ Ornatissimi, erit vestris me precibus juvare, diligentiâ excitare, benevolentiâ sublevare. Vobis seritur, vobis metitur, vobis pariet iste lætitiam labor. Omnes quidem, quotquot Christo nomen dedêre, in Sacri hujusce studii societatem, mandata Dei, exempla Sanctorum, hujus & futuræ vitæ promissiones vocant: At vestra propria quædam ac peculiaris ratio est. Vos non parentes, non amici, non patroni, sed, qui omnibus superior est, Deus huc destinavit, ut præsitis aliquando Ecclesiæ filii sui, ut pastores agatis gregis Dominici, eumque verbi salutaris pabulo pascatis. Agite ergo ad tam arduum sanctumque munus vos dignis modis præparate. Discite sacras literas, quæ vos auditoresque vestros ad salutem sapientes reddant: discite fidelem illum sermonem qui ad doctrinam facit, ut & exhortari doctrinâ sanâ & contradicentes refellere possitis. Non semper erit discendi occasio. Et quis novit quamdiu futura sit? Est hæc communis omnium temporum querimonia, ab ipso etiam Christo usurpata, *messem multam esse, operarios paucos.* Videtis verò penè quotidie pauciores reddi. Quot fideles operarios intra annos non ita multos mors abstulit? quot proximis hisce mensibus in Palatinatu, cæterisque Germaniæ provinciis pestifera lues absumsit? deinceps majori etiam strage grassatura, posteaquam ex insidiis se in apertum latrocinium conjecit. Viduatæ doctoribus suis Ecclesiæ, errabundi sine pastoribus ovium greges vestram optant, sperant, exspectant opem. Extra hoc,

 totius

totius militantis in terrâ Ecclesiæ (in cujus solatium partim adolevistis jam, partim feliciter adolescitis.) quàm misera miserandaque passim facies est? Quid non in ejus exitium clam palam, arte marte machinatur Satanas? quæ non hæresium zizania, dissidiorum semina, offendiculorum saxa serit? Ipsa interea non dolore modò præsentium, sed & metu futurorum miserum in modum torquetur, ac internis angorum acta concussibus in alta suspiria, profundos gemitus erumpit. Non ea mihi vocis queribundæ vis, ut exprimere dignè valeam vel dolentis affectum, vel singultientis impetum. Ipsammet perditas propemodum res deplorantem paulisper quæso audite: Ah me miseram! ah calamitosam senectam meam, in quam tantus malorum cumulus undique aggestus insurgit! Pectus mihi lancinat, quod florentibus non multo antè membris succum salvificæ doctrinæ subtrahi video vitalem; quod ἑτεροδοξίας veneno infecta alia flaccescunt, alia putrescunt, alia decidunt; quod turbatâ harmoniâ in se mutuo, quasi facta conspiratione, ruunt; quod etiam in hoc ipso sinu incompositi, inordinati, auctores scandalorum securè conquiescunt. Vah quàm parum sani per omnes hujusce corporis artus conspicitur? Quocunque verto oculos, tristis rerum aspectus caligantibus etiã luminibus sese offert. Germania concutitur Gallia fatiscit, nutat Belgium. Ab Oriente novus Arius, ab Occidente novus aliquis Antichristus exsurgit: quid dico exsurgit? imo in media jam viscera truculentus incumbit. Fuga adornanda est, deserta repetenda, sylvæ, cryptæ, speluncæ subeundæ. Adeóne nemo pro mea salute excubat? Vos filii, quos hoc utero gestavi, conceptos ex semine non corruptibili sed incorruptibili, succure , ferte opem, objectu laterum vestrorum vim omnem hostilem propulsate, scandala, dissidia, hæreses avertite. Tu HEIDELBERGA, præsidium & dulce decus meum, quæ tot jam annos domicilium veritatis, receptaculum professorum ejus, Christianæ

ſtianæ unionis vinculum exſtitiſti, priſcam ſtrenuè tuere laudem, retine avitam fidem, avitam concordiam, avitam morum intemeratorum gravitatem; ſerva te caſtam virginem, uni marito Chriſto brevi aptandam; hos denique filios meos, alumnos tuos, fidei tuæ concreditos ita inſtrue, ut fructu illorum percepto ſemper gaudeam, intercepto defraudata nunquam doleam. Ita de ſe & pro ſe mater Eccleſia, cujus vox nullius tam ferreum pectus, quod non penetret, nullius tam alieni affectus, quos non in commiſerationem, complorationem, juvandique ſtudium rapiat. Vos ſaltem, Optimi Domini, hac ejus προσφωνήσει ita ſcio animatos, excitatos, inflammatos, ut ſicut trophæa Miltiadis Themiſtocli; ita vobis pia pro Eccleſiæ malo averruncando, bono ejus procurando ſolicitudo, ſomni etiam quietem deinceps ſit ademtura. Vos eſtis filii Prophetarum, regale ſacerdotium, gens ſancta, peculium Dei noſtri, clerus Domini, lux mundi, ſal terræ, urbs in monte. Digna veſtrâ perſonâ, digna vocatione, munere, capeſſite; non terreſtria ſed cœleſtia curate, adeóque heroicis motibus ſupra communem plebejorum animorum impulſum aſſurgentes, vos non terræ ſed cœli filios, non ex carne & ſanguine genitos, ſed ex aqua & Spiritu regenitos luculenter demonſtrate. En me vobis hâc in palæſtrâ non ducem, ſed comitem & commilitonem adjungo; hoſque lacertos, quos firmos, valentes, virentes ad Academiam affero, ſtudiorum veſtrorum uſibus in ſolidum conſecro: Illud inſuper de me profeſſus, nihil tam volupe fore in vitâ, quàm ſi eos, in hoc plus quàm præcipiti ætatis humanæ decurſu, veſtro commodo langueſcere, conſeneſcere, contabeſcere, emori conſpexero. Hujus animi mei teſtes vos appello Auditores.

Lætor etiam Sereniſſimos ac Clementiſſimos Principes noſtros publicam hanc debiti officii teſtificationem

 beni-

benignissimis auribus accipere voluisse. Pro qua insolita sanè & nunquam satis prædicandâ clementiâ quod humillimi obsequii genus reponam non habeo. Nisi forte Celsissimo Principi ac Domino, Domino FRIDERICO, Electori Septemviro, Domino meo gratiosissimo, demissam animi devotissimi, hoc Celsitudinis Suæ natali octavum decimum nunc lætâ recordatione repetito, congratulationem, pro summo suo in me favore, suscipere lubeat. Equidem non possum non ceu boni ominis augurium ducere, quod qui dies Celsitudini Tuæ vitæ, idem mihi sacræ professionis est initium. Inde namque in spem erigor certissimam, fore ut eam, méque indignum ejus administrum, constanti favoris Electoralis patrocinio ad extremum usque vitæ halitum tueatur; quo ita, cujus propitiâ aurâ vivere cœpit, eadem porrò afflante vivere pergat. Quod sicut de C. T. mihi spondeo, ita humili affectu voveo, liceat nobis recurrentes annuatim C. T. natales, cum solenni Academiæ gratulatione, cum fausta totius Palatinatus acclamatione, per quinquennalia, decennalia, vicennalia, tricennalia, eaque quoties vitæ etiam longissimæ & beatissimæ fert conditio, iterata concelebrare. De Octavio Augusto Imp. legimus, cum annum quartum supra quinquagesimum inchoaret, ipsummet sibi exoptâsse fortitudinem Scipionis, benevolentiam Pompeii, & fortunam Cæsaris; quam quidem rerum maximarum dicebat esse victricem. Ego verò, si quid C. T. his anni duodevigesimi feliciter exorientis initiis precandum sit, (uti quidem vetus ac pia jubet consuetudo,) potiores excellentiorum Heroum virtutes precabor, fortitudinem Davidis, benevolentiam Salomonis, Josiæ pietatem, quam longè rectiùs rerum maximarum victricem appellavero; siquidem fides, caput ejus, mundi victoria est: vel si ne hæ quidem satis sint, quod ille fortitudinem adulterio, iste benevolentiam apostasia, hic pietatem temeritate contaminavit; fortitudinem, benevolentiam,

lentiam, pietatem unius Christi Servatoris, qui speculum exemplumque harum ac cæterarum omnium virtutum, cum aliis, tum Regibus Principibusque se proponit absolutissimum, easque etiam in suis gratiosâ Spiritus sui communicatione inchoat atque consummat. Annue, annue, O Christe, Rex regum, Domine dominorum, ac in vota nostra veni. Quod quidem hoc tam frequenti consessu solennibus ab ipso precibus flagitare non pigebit. Vos me voce præeuntem, ac cum salute Principum Ecclesiæ Academiæque salutem conjungentem tacitis cordium vestrorum suspiriis subsequimini.

Iesu Christe, Fili Dei, qui idem verus es ac æternus cum Patre & Spiritu S. Deus, gratias tibi agimus, quod pro inenarrabili misericordiâ tuâ, ex Generis Humani corruptione Ecclesiam tibi colligis per Verbum & Spiritum, te rectè agnoscentem & sincerè colentem; quod etiam nos ad beatam illius communionem vocâsti, sedem ejus in hâc urbe, regione fixisti, seminarium in hâc Academiâ aperuisti. Non assequitur mens nostra horum beneficiorum tuorum amplitudinem; non capit ea cor nostrum; linguæ eloquium infra eorum magnitudinem subsidit. Benignissime Servator, quia tantâ gratiâ nos semel complexus es, dignaberis eam porrò nobis non continuare modò sed & amplificare. Illumina magis magisque pectora nostra in salutarem tui cognitionem; flecte voluntates in tui obsequium; affectus etiam nostros intra mandatorum tuorum orbitas contine. Conserva Ecclesias & Scholas nostras ab omni spirituali ac corporali contagione immunes, benedic earum nutritiis, Serenissimis ac Clementissimis Principibus nostris, horum conjugibus

 illu-

illustrißimis Familiis inclytis, Consiliariis spectatis. Et quia Celsißimum Electorem, FRIDERICUM V. novâ recurrentis auctique natalis lætitiâ exhilarare voluisti, dignaberis quoque C. S. dona tua augere, ut non minus de pietate in pietatem; quàm de ætate in ætatem procedens, quotidiano augescat incremento, corpori mystico conveniente, ad sui ipsius exstructionem per charitatem. Denique pro illustri hâc Academiâ, ut pro pupillâ oculi tui excuba, efficeque ut docentium & discentium labores tibi gloriosi, ipsis salutares, aliis, adeóque etiam posteris, utiles esse posint. Hoc abs te contendimus, dulcisime Iesu, per te ipsum & propter plenissimum meritum tuum. Tibi, Patri tuo, & Spiritui Sancto, Deo uni ac trino, sit laus, honos & gloria in secula seculorum. Amen.



Henrici Alting

LOCORUM THEOLOGICORUM

Pars Prior,

THEOLOGIAM DIDACTICAM

κατασκευαστικῶς

exhibens.

INDEX

Locorum Theologiæ Didacticæ.

THEO-

THEOLOGIÆ DIDACTICÆ LOCUS PRIMUS

De THEOLOGIÆ NATURA.

THEOLOGIA *est doctrina rerum divinarum, à Deo ad suam gloriam, & Hominum salutem revelata.*

Exegesis.



Heologia vox Græca est, composita ex Θεὸς & λόγος: quæ duo ejus principia, alterum essentiæ, alterum cognitionis vulgò dicuntur. Ea in Codicis sacri contextu nuspiam legitur usurpata. Theologi, à quâ derivatur appellatio, in Inscriptione Apocalypsis reperitur. Prima ejus origo ab Ethnicis est: qui, teste Lactantio, ut Theologos dixerunt, qui de Diis agebant, ita illorum scientiam Theologiam appellarunt; eamque ex vario usu in μυθικὴν, φυσικὴν, καὶ πολιτικὴν distinxerunt. Ab his Sancti Patres postmodum eam mutuati, scientiæ verè divinæ, non minus quàm alteram Θεοσοφίας, designandæ adhibuerunt. Etsi verò suâ naturâ tàm *sermonem Dei*, quàm *de Deo* notat: atque ex Scholarum usurpatione varias significationes suscipit: ut quæ Theologiam in ἀρχέτυπον & ἔκτυπον dividunt; hancque iterum in *Vnionis, Visionis & Revelationis, naturalis & supernaturalis* subdividunt: hîc tamen non nisi posteriore sensu, in utroque ordine accipitur, videlicet pro sermone de Deo, quatenus is hominibus in hâc vitâ revelatus innotescit. Scholæ *Theologiam Viæ* sive *viatorum*, itemq; *Inspiratam*

Theologiæ Etymologia.

Homonymia.

Synonymia.

& *Revelationis* vocant. Scripturæ convenientioribus Synonymiis declarant. Dicitur ſiquidem ὑποτύπωσις *ſanorum ſermonum* 2. *Tim.* 1. v. 13. τύπος διδαχῆς *Rom.* 6. v. 17. λόγια τοῦ Θεοῦ. *Rom.* 3. v. 2. *Hebr.* 5. v. 12. 1. *Petr.* 4. v. 11. παρακαταθήκη ſive *depoſitum* 1. *Tit.* 6. *v.* 20. *Solidus cibus adultorum*, qui à *lacte infantum* diſtinguitur *Heb.* 5. v. 12. 13. 14.

Genus.

Genus Theologiæ alii ex habitibus Theoricis, alii ex practicis arceſſunt: prout eam Theoricam vel Practicam diſciplinam faciunt. Mihi altioris ordinis eſſe videtur. Cum enim infinita ſit & ſupernaturalis diſciplina, negari non poteſt, infinitatis ſuæ ratione, eminenter, unitè tamen, continere quicquid in Theoricis & practicis, ſeorſim & inferiore modo habetur. Ita certè docet Verbum Dei, dum utrumque, *agnitionem veri* & *actionem boni* nobis præſcribit, & à nobis ad ſalutem exigit. *Ioh.* 17. v. 3. *Eſa.* 53. v. 11. *Matth.* 7. v. 21. *Rom.* 1. v. 21. 1. *Tim.* 1. v. 5. *Iac.* 1. v. 22. *Apocal.* 22. v. 14. Adhæc quia Theologia intellectum hominis cœcitate, voluntatem atque affectus ejus pravitate liberat *Act.* 26. v. 18. 1. *Cor.* 1. v. 30. & ſapientiæ, & prudentiæ, id eſt, habitus ſimul theorici & practici effectus oſtendit. Sicut etiam utroque nomine diſtinctè notatur *Deut.* 4. v. 6. Proinde Genus ei altius communiuſque aſſigno, *Doctrinam* videlicet, idque ex Teſtamenti utriuſque conſenſu. Etenim in Teſtamento Veteri vox תּוֹרָה *thorah*, quæ univerſam ſalutis doctrinam, tàm *Euangelium Pſal.* 19. v. 8. *Eſa.* 2. v. 3. *Ierem.* 31. v. 33. quàm *Legem* complectitur, hoc ipſum deſignat. Et in Novo Teſtamento frequentiſſima eſt, διδαχῆς & διδασκαλίας, *Doctrinæ*, eo ſignificatu appellatio. *Ioh.* 7. v. 16. 17. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me.* 1. *Tim.* 4. v. 6. *Innutritus in ſermonibus præclaræ doctrinæ. Rom.* 6. v. 17. dicitur τύπος διδαχῆς ſive *expreſſa forma doctrinæ.* 1. *Tim.* 6. v. 3. *doctrina ſecundum pietatem*, &c. Naturam quoque Theologiæ hoc ejus Genus commodè declarat. Si enim cæteræ artes ſive ſcientiæ omnes, quia docent, hoc nomine communiter cenſentur, huic certè tantò majori cum ὑπεροχῇ id conveniet, quantò ea nobilius objectum docendum, & quidem ſola, ſortitur. Interim non nego, Scripturam aliis etiam nominibus συνεκδοχικῶς idem exprimere, *Scientiam*, eſſe dicit *Eſa.* 11. v. 9. *Malach.* 2. v. 7. 2. *Pet.* 1. v. 5. *Sapientiam.* 1. *Cor.* 2. v. 6 7. *Eph.* 3. v. 10. *Prudentiam.*

Nec habitus Theoricus, nec practicus.

Sed Communius Doctrina.

*Deut.*4. v. 6. *Eph.* 1. v. 8. quæ tria, aliaque, ut ſynonyma, *Prov.*1. *à* v. 2. *ad* 7. *cap.* 2. v. 5. *ſeqq. c.* 3. v. 13. conjungit.

Formam Theologiæ ab *Objecto*, eoque adæquato, deſcribo. Illud ſunt *Res Divinæ*, hoc eſt, tum ipſe Deus, tum quæ ſunt à Deo, & ad ipſum ordinantur: ſed analogicè. Deus primario, à quo etiam ſolo denominationem ſuſcipit. Cætera, id eſt, opera Dei ſecundario, propter quandam cum ipſo ſimilitudinem. Eaque quo propius ad Deum accedunt, hoc altiorem in rerum divinarum ordine locum obtinent. Sunt igitur rerum objecti hujus complexu contentarum, ad meliorem ejus cognitionem, certi quidam conſtituendi gradus. Hujuſmodi ego tres facio. In *primo* ſummoque *Deum* Optimum Maximum loco; qui non modo princeps eſt rerum Divinarum, ſed etiam ipſa *divinitas Rom.* 1. v. 20. ipſa deitas *Coloſſ.* 2. v. 9. *qui lucem habitat inacceſſam.* 1. *Tim.*6. v. 16. *quem nemo vidit unquam. Ioh.* 1. v. 18. *nec videre poteſt* 1. *Tim.* 6. v. 16. Is hic conſideratur tam καθ' ὑπόστασιν, quam κατ' οὐσίαν; ſed prout utræque, pro capacitatis noſtræ modulo, in Scripturâ proponuntur: non modo ut recte nobis agnoſcendus, ſed etiam ut ſincere à nobis colendus. *Alterum* ab eo gradum *Opera Redemtionis* ſibi vendicant: partim quod in his clariſſimè lucent Dei *Sapientia* & *Potentia* 1. *Cor.* 1. v. 24. *Iuſtitia Rom.* 3. v. 25. *Charitas Ioh.* 3. v. 16. *Rom.* 5. v. 8. & φιλανθρωπία *Tit.* 3. v. 4. partim quod illorum ſapientia in myſterio eſt abſcondita 1. *Cor.* 2. v. 7. quam Angeli etiam cognoſcere deſiderant 1. *Pet.* 1. v. 12. & non niſi per Eccleſiam cognoſcunt. *Eph.* 3. v. 10. *Tertio*, eoque ultimo loco, *Opera Creationis & Conſervationis* conſiſtunt. In quibus etſi inviſibilia Dei, ęterna ejus tum potentia tum divinitas, conſpicienda ſunt, *Rom.* 1. v. 20. etſi Deus vicinum ſe, imo palpandum cuique præbet, *Act.* 17. v. 27. 28. Cœli quoque gloriam ejus enarrant *Pſal.* 19. v. 2. fit tamen illud longé, quam in priore operum genere obſcurius. 1. *Cor.* 1. v. 21. & 24. Inſuper horum cognitio, ex inferiore etiam Naturę *Ioh.* 1. v. 9. non ex ſolo ſuperiore Gratiæ lumine affulget *Heb.* 11. v. 3. Atque hic operum divinorum, ſub objecti notionem cadentium ordo, dignitatis eſt, non temporis. Dignitate, inquam, Redemtio creationem, naturam gratia anteit; Tempore poſterior eſt. Quod autem *peccatum* attinet, de eo variè quidem, at non aliter agit Theologia, quàm de venenis Medicina. Et licet non ſit opus vel Creationis, vel Conſervationis, vel Re-

Objectum res divinæ.

Quarum gradus tres.

Deus.

II. Redemtionis opera.

III. Opera Creationis & Conſervationis.

peccatum qui conſideretur.

demtionis, ad ſingula tamen horum eſt revocandum. Ad opus creationis, quatenus eſt imaginis Dei, ſeu juſtitię in eâ acceptæ privatio *Gen.* 5.v.3. ad conſervationis, quia permiſſionis Divinæ eſt conſequens *Act.*14.v.16. Ad redemtionis etiam, quia Juſtificatio per ſanguinem Chriſti, circa reatum ejus tollendum, Sanctificatio per Chriſti Spiritum, circa pravitatem abolendam occupatur. 1. *Cor.* 6. v. 11. Eo ipſo vero quod adæquatum hoc Objectum etiam οἰκεῖον ſive *proprium* diximus: ut nulla alia diſciplina, aliquam ejus partem gradumve, jure ſibi poſſit arrogare. In Metaphyſicâ quidem vulgò de Deo agi ſolet; ſed magis Veterum Philoſophorum imitatione, quam ex artis hujuſce natura: quæ cum univerſaliſſima ſit, ac generaliſſima, objectum ſpecialiſſimum & maxime ſingulare, neſcio an admittat. Opera Redemtionis, ut non alio trahuntur, ita nec trahi poſſunt. Caro & Sanguis artes docent, Chriſtum non docent. *Matth.* 16.v.17. Sunt ſtultitia Philoſophis 1. *Cor.* 1. v. 22. 23. eorumque præcones non niſi σπερμολόγοι *Actor.* 17. v. 18. Creationis autem opera, etſi re conſiderata, ut loquuntur, aliis etiam conveniunt diſciplinis, modo tamen conſiderandi, qui formam largitur, non conveniunt. Eſt ille alibi abſolutus in cauſis internis, materia & forma, tum etiam externis ſed proximis conſiſtens: hic relatus ad Deum ut efficientem primum, & finem ultimum, *Prov.* 16.v.4. *Rom.* 11.v.36. alibi in ſtatu eſſentiali & naturali, hic in ſtatu accidentali ac præter naturali ſpectatur, niſi forte à comparatis ducatur argumentum. Tum ſiquidem cauſſarum etiam proximarum, ſive internarum, ſive externarum reſpectum admittit. Exempla vide de genitura hominis, *Ezech.* 16. v. 4. *& ſeqq* de ſemine *Marc.* 4. v. 27. 28. 29. de grano ſinapis *Matth.* 13.v.31. 32. de corporibus cœleſtibus 1. *Cor.* 15. v. 40. 41.

Res Divinæ objectum proprium, ratione gradus

Primi.

Secundi.

Tertii.

Efficiens Theologiæ eſt *Deus*, res divinas revelans, ſive ejus revelatio. Cum enim lucem habitet inacceſſam 1. *Tim.* 6. v. 16. ad quam nemo poteſt aſcendere *Ioh.* 3. v. 13. *Deut.* 30. v. 12. nunquam ſane cognitus fuiſſet, niſi ex eâ prodiens gratioſè ſe pateſeciſſet. Idem de Redemtionis, Creationiſque operibus judicium eſt. Nec enim vel illa, abſque luce ſupernaturali 1. *Cor.* 2. v. 8. 9. quæ in Electis eſt fides, Dei donum *Eph.*2.v.8. vel iſta, abſque luce naturali rationis, quâ *Lux illa vera illuminat omnem hominem venientem in mundum Ioh.* 1. v. 9. innoteſcunt. Fit autem revela-

Efficiens.

Ordo Revelationis.

revelatio illa certo ordine: *Pater* à se revelat *Matth.* 11. v. 25. 26. *cap.* 16. v. 17. *Roman.* 16. v. 25. 26. *Filius* à Patrè, *Iohan.* 1. v. 18. *cap.* 7. v. 16. *Matth.* 11. v. 26. *Spiritus Sanctus* tùm à Patre 1. *Corinth.* 2. v. 10. tum à Filio *Iohan.* 16. v. 14. 15. per se ipsum 1. *Corinth.* 2. v. 10. ut qui ducit nos in omnem veritatem *Ioh.* 16. v. 13. De mediis gradibusque hujus revelationis, alibi dicetur.

Restat *Finis* Theologiæ, isque duplex. *Primarius*, est Dei Gloria. Ideò enim se nobis revelavit, ut à nobis agnitus celebretur, *Prov.* 16. v. 4. *Rom.* 11. v. 36. *cap.* 1. v. 21. ut tribuamus essentiæ ejus adorandam Majestatem *Esa.* 6. v. 1. 2. *seqq.* actionibus ejus impervestigabilem sapientiæ Justitiæque profunditatem *Rom.* 11. v. 33. *seqq.* Dicamus de opere creationis & conservationis; *Iehova Domine noster, quàm magnificum est nomen tuum in universâ terrâ Psal.* 8. v. 2. *Cœli enarrant gloriam tuam Psal.* 19. v. 2. de opere Redemtionis: *Dignus es qui accipias potestatem, & divitias, & sapientiam, & vires, & honorem, & gloriam, & benedictionem, Apoc.* 5. v. 12. *quoniam redemisti nos Deo, per sanguinem tuum ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione.* v. 9. *Et qui insidet throno, & agno, benedictio & honor, & gloria, & robur in secula seculorum.* v. 13. De universis denique ejus operibus concinamus, *Benè omnia fecit. Marc.* 7. v. 37. Finis *Secundarius*, est Hominum Salus, sive æterna eorum beatitudo, in Unione cum Deo, & in gaudii gloriæque communione posita: *Ioh.* 17. v. 3. *cap.* 14. v. 23. 1. *Ioh.* 1. v. 3. *Colloss.* 3. v. 4. Quam in rerum divinarum revelatione Deum insuper spectasse evidentissima Scripturæ testimonia arguunt *Deut.* 4. v. 1. *Ioh.* 20. v. 31. *Rom.* 1. v. 16. 2. *Tim.* 3. v. 15. Quinimo priori fini hic posterior subordinatur, & medium est ad illum. Ex eo quippe est, quod electi, prædestinati, adoptati dicimur ad laudem gloriosæ gratiæ Dei *Eph.* 1. v. 4. 5. 6. Itemque vasa ad gloriam præparata, hoc est, in quibus ipse gloriȩ suȩ divitias ostendat *Rom.* 9. v. 23. Porrò de Hominum salute tantum, non etiam de Angelorum, aut creaturarum rationalium universè loquor. Quia ut solis hominibus, non Angelis lapsis spes salutis in Christo proposita est, *Heb.* 2. v. 16. 1. *Tim.* 2. v. 5. ita illis, non his doctrina salutis traditur. Interim nè isti quidem omnes eam assequuntur, sed Electi *Rom.* 11. v. 7. Ceteri velut mortis odore delibuti 2. *Cor.* 2. v. 15. 16. indurantur *Rom.* 11. v. 7. inexcusabiles redduntur *Rom.* 1.

Finis Primarius, Gloria Dei.

Secundarius, Salus Hominum.

Non Angelorum.

v. 20. *Joh.* 9:v.41. tandemque gravius damnantur. *Luc.* 12.v.47. Hæc Primi Loci Theoria est.

Praxin *sive* Usum *deinceps videamus.*

I. *Facit* ad Διδασκαλίαν. *Theologia est disciplinarum omnium* nobilissima, *ex Objecto, Efficiente, Fine. Hinc dicitur* Lex Regia Jac. 2.v.8. *Scripta habere* magnalia legis Hos. 8. v.12. *Comparatur pretiosissimæ margaritæ* Matth. 13.v. 46. *Est deinde etiam* certissima, *ab autore mentiri nescio* Tit. 1.v.2. 2.Sam. 15. v.29. *Denique longè* utilissima *ex Fine, qui est salus animarum* 2.Tim.3. v. 15.16. Joh. 20. v. 31.

II. Ad Παιδείαν: *ut magnifaciamus, & gratâ mente agnoscamus Dei in Theologiæ revelatione beneficium.* Deut. 4. v. 6. Psal. 147. v. 19. 20. Rom. 3.v.2.& cap. 9. v.4. *Exemplo Christi,* Matth. 11. v. 25 *& Pauli,* Phil.3.v.8.9. 10. *In ejus cognitionem totâ mente incumbamus* Psal.1.v.2.& 119. passim. *Exemplo Davidis,* Psal. 119. *Mariæ,* Luc.10.v. 39.40.42. *Timothei,* 2.Tim.3. v.15. *Sed mente humili & religiosâ,* Psal. 25. v.14. *Exemplo Samuelis,* 1.Sam.3.v. 10. *& Eliæ,* 1.Reg. 19. v. 13. *De eâ lætemur & gloriemur* Jerem. 9. v. 24. 1.Cor. 1. v. 31. *Exemplo Davidis,* Psal. 119. v. 99. *&* 111. *& Pauli,* Phil.3. v. 8.9.10.

III. Ad ἐπανόρθωσιν: *nè de rebus divinis aliunde, quàm ex Theologiâ sapiamus, loquamur.* 1.Corint. 4.v.6. Rom. 12. vers. 3. 1.Pet. 4. v.11. *nè humana divinis, vana solidis, falsa veris misceamus* Coloss. 2. v.8. 1.Cor.3.v. 12. & seqq. *nec illis præ his nos jactitemus* Jerem. 9. v. 23. 1.Cor 3.v.21. Phil.2.v.3. *Exemplo Philosophorum,* 1.Cor. 1. vers. 20. *Corinthiorum,* 1.Cor. 1. & 3. capp. & 2.Cor.11. cap. *Pseudapostolorum,* 1. Cor.10.&.11. capp. Tit.1. v. 10.

LOCUS

LOCUS SECUNDUS

De

THEOLOGIÆ PRINCIPIO,

VERBO DEI.

Revelatio illa facta est Verbo Dei.

Est autem VERBUM DEI, *quo Deus tùm per se, tùm per alios res Divinas enunciavit.*

Hoc substantiâ unicum, modo revelationis duplex est, ἄγραφον *&* ἔγγραφον.

Ἄγραφον *est, quod vivâ ipsius Dei & aliorum voce prolatum, vel etiam visionibus, somniis, Vrim & Thummim declaratum fuit.*

Ἔγγραφον *est, quod Deus per Mosen, Prophetas & Apostolos in Veteri & Novo Testamento, libris consignari voluit, ut ex suâ mente intellectum perpetua esset Ecclesiæ fidei vitæque regula.*

EXEGESIS.



QUæcunque est in creaturis rationalibus rerum Divinarum cognitio, ea ex solâ Dei revelatione pendet, Revelavit autem se Deus non necessitate naturæ sed libertate voluntatis *Matth.* 11.v.27. non uno modo, sed vario *Heb.* 1. v. 1. non unâ, sed multis vicibus, *ibidem*: prout ad suam gloriam, suorumque salutem judicavit expedire. *Prima* revelatio facta est in creatione *Prov.* 8. v. 22. cum hominem ad imaginem suam, id est, sapientem *Col.* 3. v. 10. condidit, eoque κοινὰς ἐννοίας, seu προλήψεις, id est, communes notiones Theoricas & practicas *Rom.* 1. v. 32. & 2.v.15. de naturâ suâ, voluntate, ac cultu ipsi indidit. *Altera* in ipsis creationis operibus proposita fuit, quibus Deus notas Divinitatis suæ *Rom.* 1. v. 20. sapientiæ 1.*Cor.* 1. v. 21. potentiæ

Revelationis media & gradus.

Primus in Creatione.

Alter per Creationis Opera.

tentiæ *Rom.*1.v.20.bonitatis *Gen.* 1. v. 31. & gloriæ *Psal.*19. v. 2. alibi illustriores, alibi minus illustres, ubique tamen evidentes, impressit: ut homo circa illorum contemplationem occupatus, præter Naturalem creatoris sui cognitionem, alteram quoque, quam Experimentalem vocant, ex iis sibi acquireret *Rom.*1.v. 19. 20. utraque autem sufficienter instructus creatorem suum ad salutem coleret.

Uterque propter lapsum insufficiens.

Verùm quia non diu post editam utramque revelationem à Creatore descivit sicut cæteras dotes ad præsentis & futuræ vitæ felicitatem pertinentes, ita utriusque hujus revelationis integram, claram ac salutarem lucem perdidit.

Prior.

Prior quippe ita obscurata est, ut paucæ admodum de Deo, ejusque cultu; nec multæ de honesti turpisque discrimine notitiæ, manserint reliquæ. *Actor.* 17. v. 30. *Ephes.*5.v.8. Et illæ tamen non modo in se corruptæ sint *Eph.*4.v.17.18. sed etiam tùm inscitiâ, tum malitiâ hominum magis corrumpantur, & tantum non penitus exstinguantur *Rom.* 1.v.18.21.22.25.28. Sicque non in veram religionem sed in vanam superstitionem *Rom.* 1. v. 21. 22. 23. *Act.* 17.v. 22. *& seqq.* nec in ipsorum salutem, sed in justissimum, sine excusatione *Rom.*1.v.20. exitium v.32. abeant.

Alter.

Alteri quoque Revelationi per Dei maledictionem *Gen.* 3.v.17. 18. non parum decessit. Nam vanitati & corruptioni mundus hic conditus subjectus *Rom.* 8.v.20. 21. etsi in visibilibus etiamnum conditorem suum invisibilem ostendit, *Psal.*8.v.2.4.& 19.v.2. *Act.*14.v. 17. *Rom.*1.v.19.20. non tamen eum in speculo æque lucido spectandum nobis proponit, nec in veram ac salutarem ejus cognitionem nos deducere potis est 1.*Cor.*1.v.21. *Act.* 14.v.16. 17.

Tertius per Verbum.

Opus igitur fuit *alia revelatione:* quâ non modo utraque restitueretur, sed nova insuper propter peccatum antegressum adjiceretur. Talem Verbo suo gratiosè Deus exhibuit, *Gen.*3.v.15.*Ioh.* 4.v.12. *Ps.*19. v.8.9.& 65.v.6.& 98.v.2. & alibi passim. *Matth.*11. v. 27. *Rom.* 16. v. 25.26. *Ephes.* 3.v. 9.10. non tamen æque quàm priores, universalem, multo minus omnibus naturalem, *Deut.*4.v.6.8.*Psal.* 147. v. 19.20. *Matth.*13. vers.11. *Ioh.* 17. v. 6. De quâ, quia eximia est & latè patens, plenè distinctèque in sequentibus agetur.

Verbi Dei varii significatus.

VERBUM DEI, ex usu Scripturæ varias significationes habet. *Metonymicè* accipitur pro *vivificâ vi*, quâ res creatæ conservantur *Deut.*8.v.3.*Matth.*4.v.4. tùm etiam pro *eventu* Verbo denun-

denunciato 2.*Reg*.9.v.36.*Metaphoricè* vel pro *Filio Dei Ioh*.1.v.1. qui verbum ἔμφυτον sive ἐνδιάθετον dicitur; vel pro *interno Spiritus Sancti afflatu*, nos testificando quasi alloquentis, *Iesa*.59.v.21. *Rom*.8.v.15.16. quod etiam ἐνδιάθετον vocant. *Synecdochicè* denique pro *jussu* sive *mandato* Dei *Num*.9.v.18. item pro ejus *promissione* vel *communicatione Psal*. 119. v.25. 1.*Reg*.2.v.27.sicut etiam pro *Doctrinâ Euangelii*. *Rom*. 10. v 8. Nulla harum significationum hic quadrat. Intelligitur enim *sensu* non tropico, sed *proprio*, de Doctrinâ Legis & Euangelii, quam Deus post lapsum hominis verbo externo προφορικῷ, sive per se, sive per alios promulgavit, *Psal*.119. *v*.43.& 105. *Luc*.11. *v*.28. *Efficiens* igitur ejus Deus est *Ministri*, creaturæ, quarum operâ meditatè loquens est usus. *Objectum* sunt res divinæ in Lege & Euangelio revelatæ. *Forma* in externo revelationis modo consistit. Quod *Objectum* attinet, id *substantiâ unum semper idemque* fuit *Matt*. 22. *v*. 37. & *seqq*. *Hebr*. 13.*v*. 8. Est siquidem Deus naturâ immutabilis, *Iac*. 1. *v*.17. voluntate constans, *Mal*. 3.v.6. sermone verax & ipsa veritas *Ioh*.17.*v*.17. Et admirabilis ille Testamenti utriusque consensus, nullam prorsus rerum in ipsâ substantiâ dissensionem admittit. In *circumstantiis* vero *modoque Revelationis discrepantia* est evidens. Nam ut de posteriore tantum dicam, *initio* Deus in revelando Verbo, vivâ voce, suâ & aliorum usus est: *Inde* scriptionem cum vivâ voce conjunxit: *postremò*, vivâ voce conticescere jussâ, solam scripturam adhibuit. Quod quidem sapientissimo, & ad captus nostri infirmitatem accommodatissimo factum est consilio. Ut enim in œconomiâ naturali, parentes educationis institutionisque rationem, cum crescente liberorum ætate prudenter variant: ad eundum modum in œconomiâ spirituali, Pater ille cœlestis facit: qui proinde erudiisse populum suum dicitur, *ut quis erudit filium suum Deut*. 8. v. 5. *Primâ* igitur Ecclesiæ Ætate, id est, in ejus Infantiâ, quam Apostolus *Gal*.4.v. 1. 23. ad Christi usque adventum certò respectu extendit, Prophetæ Abrahami Mosisve temporibus terminant, *Ezech*. 16 *v*.7.8. *Ierem*. 2.*v*.2.3. Deus cum eâ quasi balbutiens, ut minimam revelationis mensuram, sic unum, eumque simplicissimum revelationis modum, vivam vocem usurpavit. *Altera* ætate, quam Adolescentiam appellamus, argumento dictorum locorum *Ierem*. 2. v. 2.3.*Ezech*. 16. v.7.*seqq*. à Mose ad Christum ejusque Apostolos, tum majorem revelationis men-

Proprius h.l.

Objectum Verbi substantiâ idem.

Modo Revelationis diversum, juxta ætates Ecclesiæ.

Primam.

Secundam.

suram concessit, tùm pro simplici duplicem revelationis modum tradidit, vivam vocem & scriptionem: illam quidem propter reliquam ex infantiâ imbecillitatem, istam propter majorem ætatis provectioris capacitatem. *Tertiâ* ætate à Christi Apostolorumque excessu ad finem usque seculi, (quam, non futuri in cœlis, *Eph.* 4. v. 13. sed præteriti in terris temporis ratione, adultam & virilem dicimus, *Gal.* 4. v. 2. 3. 4. *inter se collatis*, *Ioh.* 4. v. 35. 38.) sicut plenissimam revelationis mensuram gratiosè indulsit, ita perfectissimum pro illa ætate, revelationis per solam Scripturam modum observavit, & etiamnum observat. Atque ex hac revelationis diversitate est, quod Verbum Dei in ἄγραφον καὶ ἔγγραφον, in *vivâ voce*, & *scriptione* revelatum distinguimus. Quam tamen distinctionem totidem penè verbis ponit Apostolus, 2. *Thess.* 2. v. 15. *Retinete traditam doctrinam, quam edocti estis, & per sermonem, & per epistolam nostram.*

Tertiam.

Verbum Dei ἄγγραφον vel ἔγγραφον.

Dicitur itaque Verbum Dei ἄγραφον στερητικῶς, quasi *non scriptum*: non quod nè deinceps quidem scriptum, sed quod scriptione non fuit primitus revelatum. Hebræi *Cabalan* vocant. Græci παράδοσιν *Matth.* 15. v. 2. 3. 6. 1. *Cor.* 11. v. 23. ut *Traditionem* Latini: quæ tamen voces etiam pro Verbo scripto sumuntur, 2. *Thess.* 2. v. 15. *Act.* 6. v. 14. *Efficiens* Verbi ἀγράφου est Deus, cujus Verbum passim dicitur; & ad quem revocatur, quoties decantata illa principia, *Dominus dixit*, *Os Domini locutum est*, inculcantur. Tribuitur autem Deo, non modo communiter secundum essentiam, sed etiam secundum personas singulariter. Etenim Deus *Pater*, in Veteri Testamento πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *Hebr.* 1. v. 1. cum Patriarchis & Prophetis, tum populo Israëlitico in monte Sina, *Exod.* 20. ejusque Duci Mosi, *Exod.* 33. v. 11. *Num.* 12. v. 8. *Deut.* 34. v. 10. & in Novo Testamento cœlitus clarâ voce est locutus, *Matth.* 3. v. 17. & 17. v. 5. *Ioh.* 12. v. 28. Sic & *Filius* vivâ voce usus est: in Veteri quidem Testamento jam hominis, *Gen.* 18. v. 1. 17. 25. *cap.* 32. v. 24. *Iosu.* 6. v. 1. 2. modo Angeli, *Gen.* 48. v. 16. *Iud.* 6. v. 11. *seqq.* formâ tectus; in Novo autem, naturâ humanâ, in personæ suæ unitatem assumtâ, vestitus: in quâ ultra triennium in terrâ, semel è cœlo, *Act.* 9. v. 4. 5. 6. prædicavit. Denique *Spiritus Sanctus*, mediatè in utroque Testamento idem peregit: intus aliis inspirans, quæ ipsi enunciarent foras, 2. *Sam* 23. v. 2. 2. *Pet.* 1. v. 21. Porro illi quorum usus fuit ministerio,

Verbum ἄγραφον.

Efficiens illius.

Principalis, tota Trinitas.

Instrumentalis.

ſterio, aut Angeli, aut Homines; hique iterum vel Viri, vel Fœminæ fuerunt. In Veteri Teſtamento per *Angelos* legitur locutus, *Gen.* 19. *Iud.* 13. & alibi. Per *Viros*, ut Patriarchas, Enochum, *Iud.*v. 14. 15. Noachum, *Gen.* 6. & 9. Abrahamum, &c: & Prophetas, eoſque tùm veros, ut Moſen, Davidem, Eſaiam; tùm falſos, ut Bileamum, *Num.*23. & 24. *capp.* Per *Fœminas* etiam, ut Deboram, *Iud.*4. & 5. & Huldam, 2.*Reg.*22. In Novo Teſtamento juſſus impulſuque ejus locuti ſunt *Angeli, Luc.*1. & 2.*Matth.* 28. *Act.*1. *Viri*, Joannes Baptiſta, *Luc.*3.v.2. Apoſtoli, *Actor.* 2. Prophetæ, ut Agabus, *Act.*11.v.28. & 21.v.10. 11. Euangeliſtæ, ut Philippus, *Act.*8. v.26. & 21.v.8. *Fœmina* denique, ut quatuor Philippi filiæ, *Act.* 21.v.9. E quibus omnibus, Euangeliſtæ Joannis vox poſtrema ſonuit in Eccleſiâ, & huic revelationis modo, à creatione ad illa uſque tempora fere continuato, finem attulit. Ferè dico; nam continuationem ſilentium Prophetarum non ſemel interrupit. Cujus exempla notantur tempore Tharæ, *Ioſ.* 24. v. 2. Servitutis Ægyptiacæ, *Ezech.* 20. v.7.8. Captivitatis Babylonicæ, *Pſal.* 74. v. 9. & poſt Malachiæ Prophetæ exceſſum, *Malach.* 3. v. 22. 23. 24. vel ut alii diſtinguunt *cap.* 4. v. 4. 5. 6. *Materia* ſive *Objectum* Verbi ἀγράφου ſunt res Divinæ: uti antè monuimus. *Forma* eſt ſingularis ille revelationis modus per vivam vocem: non talem, qualem quotidie à miniſterio ordinario audit, & ad finem uſque mundi auditura eſt Eccleſia. *Epheſ.* 4.v. 11. 12. 13. id eſt, erroris diſcrimini obnoxiam; ſed θεόπνευστον à miniſterio extra ordinario, ex peculiari Spiritus Sancti dictamine, profectam, eoque extra omnem erroris aleam poſitam. Nam *Acti à Spiritu Sancto locuti ſunt Sancti Dei homines*, 2.*Petr.*1.v.21. Et qui in Novo Teſtamento in omnem veritatem duxit Apoſtolos, *Ioh.* 16. v. 13. idem Prophetis, aliiſque immediatè vocatis eandem veritatem inſpiravit, 1. *Petr.* 1.v. 11. Nec tamen ex eo pejus habet horum temporum Eccleſia. Quia quæ vox olim ex ore, nunc ex ſcriptis Prophetarum Apoſtolorumque percipitur, *Luc.* 16. v. 29. 31. Priore verò modo percipi non eſt opus: cum, poſtquam Deus locutus eſt nobis in Filio, *Hebr.* 1.v.1. nihil reſtet clarius in hâc vitâ revelandum: ad quod vox illa θεόπνευστος requirebatur. *Finis* Verbi ἀγράφου fuit Eccleſiæ infantis & adoleſcentis in rebus Divinis, clarius ſubinde revelandis, inſtitutio: *primò* communiter & indiſcriminatim ante Legem conſideratæ: *deinde*

In V. Teſt. | In N. Teſt. | Forma. | Finis.

particulariter Judaicæ, ex unâ gente collectæ, *Deut.* 7. v. 6. 7. *Psal.* 147. v. 19. 20. Nisi quod extrà ordinem alienigenis etiam, ut Gibeonitis, *Ios.* 9. Ninevitis, *Ion.* 3. Babyloniis, *Dan.* 2. 3. 4. *& seqq:* convertendis, vel emendandis revelatum fuit. *Postremò* hic usus ex mandato Christi *Matth.* 28. v. 19. illudque subsecuto Apostolorum præconio, ad omnes se gentes diffudit.

Revelationis modi alii. Ad Verbum hoc ἄγραφον illos quoque revelationum modos referimus, qui per visiones, somnia, Urim & Thummim olim fiebant: partim, quod verbo ἐγγράφῳ non minus, quàm viva vox opponuntur; partim quia vivæ voci fuerunt subordinati: ita docente ipso Deo *Num.* 12. v. 6. *Si est Propheta ex vobis, per visionem meipsum Iehovam notum facio ei, aut per somnium alloquor eum.* 1. *Sam.* 28. v. 6. Tertius etiam modus adjungitur: *Non respondebat Iehova Sauli, nec per somnia, nec per Vrimos, nec per Prophetas.* De singulis seorsim dicemus. Visiones quæ. *Visiones* de somniis quoque usurpantur *Iob.* 7. v. 13. 14. *cap.* 33. v. 15. generaliori significatione. Specialiter & opposite ad ea, ut *Num.* 12. v. 6. Sunt *Imagines vigilantibus oblatæ, quibus voluntatem suam Deus in Veteri Novoque Testamento* Ejus species. *declaravit.* Objiciebantur illæ aliquando *foris* externo adspectui, sicque oculis corporeis percipiebantur *Gen.* 32. v. 1. 2. *Exod.* 3. v. 2. *& seqq.* 2. *Reg.* 6. v. 17. *Matth.* 17. v. 2. *& seqq.* aliquando *intus* menti, sed in ἔκστασιν raptæ, ejusque lumine perspiciebantur *Zach.* 1. v. 8. *cap.* 3. v. 1. *Actor.* 10. v. 10. 11. *Apocal.* 1. v. 10. & alibi: rursum, vel rerum futurarum veritatem simpliciter, *Ezech.* 40. 41. 42. *capp.* vel sub animalium aliarumque rerum figurâ, *Ezech.* 1. *&* 10. *Dan.* 7. 8. & passim in *Apocalypsi*, proponebant. *Prior* ὀπτασία. species visionis externæ propriè ὀπτασία dicitur; *posterior* visionis ὅραμα. internæ ὅραμα: quamvis illud nomen pro hoc usurpatum inveniamus. *Matth.* 17. v. 9. *Act.* 10. v. 3. Ab utraque specie Prophe- Moses quimodo Deum viderit. tæ *Videntes* antiquitus appellati sunt. 1. *Sam.* 9. v. 9. Mosis etiamsi aliquantum diversa fuisse videtur ratio, argumento loci *Num.* 12. v. 6. 7. 8. ubi non per visionem & somnia, aut ænigmata institutus, sed ipsam Jehovæ speciem similitudinemque intuitus fuisse scribitur: Id tamen non de novâ aliquâ visionis specie, sed de excellentiore utriusque speciei, ὀπτασίας καὶ ὁράματος gradu, Somnia divina. ex variorum in Exodo locorum collatione intelligimus. *Somnia*, quæ cum adjectione θεόπνευστα, & θεόπεμπτα vocant, exhibebantur dormientibus piis *Genes.* 15. *&* 28. 1. *Reg.* 3. & impius *Gen.* 20. *&* 41.

& 41. *Dan.* 2. sæpe non absque magno somniantium horrore, *Job.* 33. v. 15. 16. *Dan.* 2. v. 1. semper autem cum magna, ab iis non intellectis, evigilantium sollicitudine *Gen.* 40. v. 6. 7. *cap.* 41. v. 8. *Dan.* 2. v. 3. & *seqq.* Suntque duorum generum. *Primum* est, quo Deus monit de rebus nonnullis faciendis vel omittendis, absque figuris; ut Abimelechum, nè tangeret Saram, *Gen.* 20. Josephum, ut fugeret in Ægyptum. *Matth.* 2. Idque Oraculum vocant. *Alterum* est, cum futura, adhibitis figurarum involucris, repræsentavit, ut annos fœcunditatis & sterilitatis per vaccas, Pharaoni, *Gen.* 41. imperia successive surrectura, Nebucadnezari per statuam. *Dan.* 2. Hoc dicitur somnium κατ' ἐξοχὴν, & nonnisi Spiritu Sancto interprete intelligitur. *Gen.* 41. v. 16. *Dan.* 2. v. 22. 28.

Duplicia.

Vrim & Thummim variè meminit Veteris Testamenti Scriptura. *Exod.* 28. v. 30. *Lev.* 8. v. 8. *Num.* 27. v. 21. 1. *Sam.* 28. v. 6. *Esr.* 2. v. 63. *Nehem.* 7. v. 65. Septuaginta δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, Vulgatus *Doctrinam & veritatem*, alii *lucem & integritatem* reddunt. *Materia* videntur fuisse duodecim illæ, pro tribuum numero gemmæ, *Exod.* 28. v. 17. *seqq.* quæ *cap.* 25. v. 7. dicuntur *lapides plenitudinum*; forte quod iis impleretur pectorale. *Forma* dictæ materiæ respondens describitur *Exod.* 28. v. 17. & *seqq.* Sunt qui isti gemmarum ordini, subjunctam volunt Scripturam nominis tetragrammi. *Efficientem* alii Deum, alii Mosen, alii artifices faciunt. Mosen inseruisse pectorali liquet ex *Lev.* 8. v. 8. *Finis* fuit, ut oracula inde peterentur in rebus obscuris & incognitis. Quod quidem ipso effectu præstitum 1. *Sam.* 30. v. 7. *seqq.* & *cap.* 28. v. 6. insolitonè gemmarum splendore; an alio modo, incertum est. Præter hunc usum, typicum etiam adferunt; significatum videlicet fuisse, & lucem fidei, & integritatem vitæ, à summo sacerdote Christo, qui factus est nobis à Patre sapientia. 1. *Cor.* 1. v. 30. Ecclesiamque intrà suum quasi pectus gestat, exspectandam. *Subjectum* erat ipsum pectorale, intrà cujus duplicitatem resedisse volunt; ex eoque pectorale duplicatum, ut intus repositi lapides ab utraque parte laterent. De durationis *adjuncto* variant. Probabile est, non minus quam cætera ornamenta, in primi templi direptione incendioque periisse. Nehemias *cap.* 7. v. 65. eorum quidem meminit, sed ita, ut sacerdotem nondum cum iis exstitisse affirmet. Josephus cessasse ait 200. annis antequàm con-

De Vrim & Thummim.

conscriberet suam ἀρχαιολογίαν, id est, centum & paulò amplius annis ante natum Christum.

Verbi ἐγγράφου Synonymia. Hactenus de Verbo ἀγράφῳ. Ἔγγραφον suprà definitum, aliis atque aliis nominibus notatur. Dicitur siquidem *Scriptura*, *Ioh.* 10. v. 35. 2. *Tim.* 3. v. 16. & numero plurali *Scripturæ*, *Ioh.* 5. v. 39. item cum epitheto, *Scripturæ Sanctæ*, *Rom.* 1. v. 2. item *Sacræ Literæ*, 2. *Tim.* 3. v. 15. Notæ etiam sunt *Bibliorum*, κατ' ἐξοχὴν sumtâ voce, & *Librorum Veteris ac novi Fœderis*, sive *Testamenti* appellationes.

Efficiens ejus Deus. *Efficiens* Verbi ἐγγράφου est *Deus*. Totum namque θεόπνευστον est, *à Deo inspiratum*, 2. *Tim.* 3. v. 16. totum *Dei verbum*, *Dei Testimonium* audit. *Psal.* 119. *passim*. *Esa.* 8. v. 20. 1. *Ioh.* 5. v. 9. Movit

Impulsiva interna amor Ecclesiæ. ipsum ad Verbum suum hoc revelationis modo prodendum, amor Ecclesiæ, *Deut.* 7. v. 8. *&* *Psal.* 147. v. 19. 20. *inter se collatis*, sive gratuita in eam benevolentia, *Eph.* 1. v. 9. Movit quoque i-

Externa Ecclesiæ conditio. psius Ecclesiæ conditio. Cum enim, quæ est ejus hic militantis infirmitas, Verbum Dei solâ traditione incorruptum conservare & propagare non posset: uti variarum corruptelarum ante *Gen.* 4. 5. 6. *capp.* & post diluvium. *Ios.* 24. v. 2. *Ezech.* 20. v. 7. 8. testantur exempla; & absque hoc, illud pro majore ejus amplitudine, ætateque maturiore plenius planiusque revelandum esset: visum Deo Ecclesiæ suæ necessitati, utrobique scriptionis subsidio succurrere. Eâ occasione Scriptura nata est. Cujus quidem

Deus tripliciter auctor Scripturæ. non unâ, sed triplici ratione autor est Deus; exemplo scriptionis, mandato scriptionis, & rerum scribendarum inspiratione. *Ex-*

Exemplo. *emplo*, immediatè. Siquidem ut authoritatem conciliaret novæ revelationi, primus Legem suis digitis duabus tabulis lapideis inscripsit, *Exod.* 24. v. 12. *cap.* 31. v. 18. quæ proinde *Dei opus*, &

Mandato. *Dei scriptura* appellatur, *cap.* 32. v. 16. *Mandato* verò atque *inspiratione* mediatè, id est, per Sanctos illos Homines, 2. *Pet.* 1. v. 21. quibus ceu amanuensibus suis in Veteri Novoque Testamento est usus. Etenim his disertè *præcepit* ut scriberent: in V. T. *Exod.* 34. v. 27. *Esa.* 8. v. 1. *Ierem.* 30. v. 2. *cap.* 36. v. 2. *&* 28. *Hab.* 2. v. 2. *&c.* in N. Test. *Apoc.* 1. v. 11. *cap.* 14. v. 13. *Actor.* 15. v. 28. *Matth.* 28. v. 19. ex quo id sibi necessum fuisse ipsimet profiten-

Inspiratione. tur. *Iud.* v. 3. Deinde etiam scribenda *inspiravit*: quia acti à Spiritu Sancto non minus scripserunt, 2. *Tim.* 3. v. 16. quàm locuti sunt. 2. *Petr.* 1. v. 21. sancti Dei Homines. Ante tamen locuti,

quàm

quam scripserunt; atque etiam plura & pluribus locuti sunt. *Ioh.* 20. v. 30. *&* 21. v. 25. Cum constet, Prophetas inprimis, conciones suas scribendo contrahere, publiceque affixas populi lectioni subjicere solitos. *Hab.* 2. v. 2. *& alibi.* At non alia locuti sunt, quàm scripserunt, quoad ipsam doctrinæ substantiam: Quia Euangelium non est aliud, *Gal.* 1. v. 7. nec alia lex moralis, *Deut.* 6. v. 5. *Levit.* 19. v. 18. *Matth.* 22. v. 37. *& seqq.* Scripserunt in Veteri Testamento Moses & Prophetæ, *Luc.* 16. v. 29. 2. *Petr.* 1. v. 19. in Novo Testamento Euangelistæ, & Apostoli 2. *Pet.* 3. v. 15. 16. *Iud.* v. 3. ultimusque omnium Joannes: in quo ut viva vox, ita scriptio quoque θεόπνευστος desiit. Christum ipsum Novi Testamenti Scripturam exemplo consecrare non fuit opus: partim quod abunde jam confirmatus esset in Ecclesia hic revelationis modus; partim quod doctrinam suam non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in lapideis, sed in carneis tabuls cordis scriberet, 2. *Corinth.* 3. v. 3. Sic ergò Scriptura vere *Divina* est: & ab authore vere *Divina* ejus *Autoritas*. Hæc autoritas nihil est aliud quam αὐθεντία ejus, sive ἀξιοπιστία, *infallibilis veritas* in verbis & sensibus, ob quam omnes fidem ei & obedientiam debent: nec tantum infallibilis, sed & *prima veritas*, *Ioh.* 17. v. 17. ut quæ sacræ omnis veritatis sola ac unica norma: Ex quo autoritas Scripturæ non modo divina, sed etiam *Canonica*, *Gal.* 6. v. 16. *Phil.* 3. v. 16. dicitur. Utraque agnoscitur à nobis, & nobis persuadetur testimonio triplici: Spiritus Sancti, videlicet, ipsius Scripturæ, & Hominum. *Testimonium* Spiritus non illud dicimus, quod suus cuique animus aut phantasia suggerit, sed *Spiritus Sancti* in omnem veritatem ducentis, *Ioh.* 16. v. 13. de veritate Scripturæ, ex eâ & secundum eam, testificationem in cordibus hominum. Etenim *Spiritus est*, *qui testificatur spiritum*, id est, Doctrinam Euangelii, *esse veritatem* 1. *Ioh.* 5. v. 6. Spiritus Sanctus *est unctio illa docens nos omnia*, *cap.* 2. v. 27. & ipso in nobis agente, *excipimus acceptum de Deo sermonem, non ut sermonem hominum, sed (sicut verè est) ut Dei sermonem* 1. *Thess.* 2. v. 13. Peragit hanc apud nos testificationem, illuminatione mentium in agnitionem veritatis, *Rom.* 12. v. 2. ut simus θεοδίδακτοι, *Ioh.* 6. v. 45. inscriptione legis in cordibus, *Heb.* 8. v. 10. ut fiamus novæ creaturæ, *Galat.* 6. v. 15. & promissionum obsignatione, ut ipso velut arrhabone obsignemur in diem redemtionis, 2. *Cor.* 1. v. 22. *Eph.* 3. v. 13.

Instrumentalis.

Cur Christus in N. T. nihil scripserit.

Autoritas Scripturæ divina.

Canonica.

Confirmatur testimonio.

I. Spiritus S.

Qui testificatur?

II Scripturæ ipsius, cujus Criteria.

v. 13. 14. *Testimonium ipsius scripturæ* de se, consistit in criteriis illis sive notis, quas ei notificandæ impressit Deus. Cujusmodi sunt, *Doctrinæ genus Divinum*, in puritate & integritate Legis *Matth.* 22. v. 37. *&* *capp* 5. 6. 7. *per totum*; ac Mysteriorum Euangelicorum aliorumque sublimitate *Ephes.* 3. v. 8. 9. 18. 19. 1. *Cor.* 2. v. 7. 9. *& seqq. Rom.* 11. v. 33. *& seqq. Styli Divina Majestas*, non minus ex simplicitate, quàm gravitate dictionis elucens; atque etiam eo se ostendens, quod omnibus promiscuè, summis juxtà & imis, imperat, *Deut.* 17. v. 15. 16. *Psal.* 2. *& alibi Doctrinæ divinus consensus*, non modo in utroque Testamento, prædictionum typorumque eventu, sed etiam singulis Testamenti utriusque libris; tanto magis suspiciendus, quanto illorum scriptores fuerunt tum plures numero, tùm temporum locorumque spatiis, per quæ fieri scribendorum collatio nequivit, distractiores. Et denique *Divina* ejusdem *Doctrinæ efficacia*, per demonstrationem spiritus & potentiæ, 1. *Cor.* 2. v. 4. *Rom.* 1. v. 16. quæ tanta est, ut penetrantior quovis gladio ancipiti, ad ipsam animam pertingat; *Heb.* 4. v. 12. Fidem auditoribus suis, *Rom.* 10. v. 14. *& seqq.* invictam constantiam confessoribus *Actor.* 6. v. 10. *& cap.* 7. ingeneret; semperque victrix, regnum Satanæ falsasque ejus religiones destruat, *Zachar.* 13. v. 2. *Actor.* 16. v. 16. *& alibi*: cum tamen à paucis Mundo contemtis administrata, ab hostibus verò potentissimis astutissimisque pertinaciter oppugnata fuerit.

Doctrinæ genus divinum. *Styli divina Majestas.* *Doctrinæ divinus consensus.* *Divina doctrinæ efficacia.*

III. Hominum.

Tertium *Testimonium Hominum* esse dicimus; sive singulorum, ut Samaritanæ *Ioh.* 4. eorumque vel professorum, vel hostium; sive totius Ecclesiæ, collectivæ & repræsentativæ, Catholicæ & particularis. Hæc siquidem ut custos Scripturæ, divinum hunc Thesaurum summà fide, tabellionis instar, asservat, *Rom.* 3. v. 2. 1. *Tim.* 3. v. 15. ut vindex, duce Spiritu Sancto, à scriptis adulterinis eam secernit, *Hebr.* 5. v. 14. ut prætor, proponit & promulgat, *Matth.* 28. v. 19. ut interpres, verum ejus sensum reddit, *Rom.* 12. v. 6. *Ephes.* 4. v. 11. atque ita suo ministerio, plerosque omnes adultos ad fidem Scripturæ adducit, *Iohan.* 4. v. 39. *&* 42.

Ecclesiæ testimonium de Scriptura quale;

Concursus horum Testimoniorum.

Etsi verò triplex hoc testimonium, ad effectus ejusdem productionem concurrit: non tamen semper concurrit, nec eodem ordine, effectuvè concurrit. *Non semper:* quia certitudo illa sæpe est, à testificatione externà vel Scripturę, vel Ecclesię vel utriusque, absque internà aliquà Spiritus Sancti illuminatione: vel

Non perpetuus.

si hęc

si hæc quoque accedat, jam ab eà quæ communis est reprobis, *Heb.* 6.v.4. modo ab alterâ quæ Electis propria dicitur *Ephes.*1. v. 17. 18. procedit. *Non eodem ordine:* nam ordine dignitatis prior est testificatio Spiritus Sancti; ordine operationis prima communiter testificatio Ecclesiæ. Illa quippe præconii sui autoritate vel occasione ad assensum permovet. *Ioh.* 4. v. 39. 42. Scriptura deinde lecta, expensa amplius persuadet, *Actor.* 17. v. 11. tandemque Spiritus Sanctus plenissimè confirmat, & quasi sigillo cordi impresso obsignat. *Ephes.*1.v. 13. 14. *Nec eodem effectu*: quia aliquando neque Ecclesiæ, neque Scripturæ testimonium quicquam prodest: *Ioh.* 12. v. 37. aliquando sive solum, sive cum internâ Spiritus Sancti illuminatione conjunctum, ad mentis tantum ἀσφάλειαν prodest; voluntate ei aut malitiosè repugnante *Matth.* 12. v. 31. aut non repugnante; aliquando denique ad mentis ἀσφάλειαν cordisque πληροφορίαν sive πεποίθησιν simul in Electis adultis; quæ demum vera est ac salvifica certitudo Fidei Electorum *Tit.* 1. v. 1. Insuper testimonium Ecclesiæ & Scripturæ, quia externum tùm nobis, tùm aliis: testimonium verò Spiritus Sancti quia internum, tantùm nobis confirmandis facit.

Nec eodem ordine. Neque eodem effectu.

Materia sive *Objectum* Verbi ἐγγράφου sunt *res Divinæ*, *Veteris Novique Testamenti libris comprehensæ. Libri Vet. Test.* numerantur XXXIX, quos Judæi pluribus in unum compactis *Actor.*7. v. 42. ad XXIV. nonnunquam etiam pro numero literarum Alphabeti sui ad XXII revocant. Is numerus, licet numero numerante in Verbo ipso non exprimatur, attamen in re numeratâ, quæ numerantis est fundamentum, expressus reperitur. Scripti sunt omnes initio, atque etiamnùm exstant linguâ *Hebraicâ*; paucis capitibus exceptis, nempe in Jeremiâ *cap.* 10. v. 11. in Daniele *capp.* 2, 3, 4, 5, 6, 7. in Esdrâ *capp.* 4, 5, 6. quæ *Chaldaicâ. Collectio* concionum diversis temporibus habitarum (quæ res connexionem earum abrumpit quandoque, vel obscurat) in libros, ipsis Prophetis: librorum verò in unum codicem, Esdræ vulgò tribuitur. Asservabantur in lateribus arcæ, tanquam in archivis sacris *Deut.*31. v. 26. *Esa.* 30. v. 8. Christus universos distribuit in *Mosen, Prophetas & Psalmos Luc.* 24.v. 44. vel etiam, idque communius, in Mosen & Prophetas *Matth.*7. v. 12. *cap.* 11. v.13. *cap.*22.v. 40. *Luc.*16.v. 29. 31. quod omnes post Mosen scri-

Materia. Librorum V.T. Numerus. Lingua. Collectio. Distributio.

C

ſcriptores θεόπνευστοι ejus egerunt interpretes. Cum quâ diſtributione planè concordat vetus illa Hebræorum, in תּוֹרָה Thorah, נְבִיאִים Nebhiim, & כְּתוּבִים Cethubhiim. תּוֹרָה Lex habet Πεντάτευχον Moſis; נְבִיאִים Prophetæ, ſunt vel *priores*, ut liber Joſuæ, Judicum, duo libri Samuelis, & totidem Regum: vel *poſteriores*, iique Majores tres, Minores duodecim: כְּתוּבִים, ἁγιόγραφα Græcis, continent libros duos Chronicorum, Pſalmos, Proverbia, Job, Ruth, Eccleſiaſten, Threnos, Canticum, Danielem, Eſtheram, Eſdram & Nehemiam.

Libri N.T.

Libri N. Teſt. recenſentur XXVII, ſcripti omnes linguâ Græcâ, maximè tùm communi: ut deinceps non ſoli Judaicæ, ſed toti Catholicę Eccleſię ſervirent. *Matth.* 28.v. 19. Authoritate pares ſunt V. T. libris *Epheſ.* 2. v.20. 2.*Tim.*3.v.16. 2.*Petr.*3.v.16. claritatis verò luce ſuperiores. *Matth.* 11. v. 11.

Forundem diſtributio.

Diſtingui poſſunt in *Hiſtorias*, quales ſunt quatuor Euangelia & Acta Apoſtolorum; in *Apoſtolorum Epiſtolas*, ut Pauli, Jacobi, Petri, Joannes, Judæ; & in *Prophetiam*, cujus generis eſt Apocalypſis Joannis.

Forma.

Forma ejus, verbo ἀγράφῳ oppoſita eſt *ſcriptio*, ſive quæ per ſcriptionem facta eſt revelatio. In ſe verò ſpectata, eſt *Verbi ſcripti* ſignificatio, ſeu verus ac genuinus ejus *ſenſus* ex mente Dei autoris: abſque quo Verbum Dei, non eſt Verbum Dei, ſed verborum tantum ſtrepitus, aëriſque ſonus.

Senſus S. Scripturę unicus.

Senſus ille non multiplex, ſed unicus eſt, ut forma ſcripturæ unica; eſtque is quem *Literalem, Grammaticum, Hiſtoricum* vulgò vocant. Eruitur è verbis & phraſibus tùm propriis, tum figuratis. Sed ex illis immediatè & per ſe, ut quæ objectum ſuum primò deſignant: ex iſtis autem mediatè, quatenus ad propria reducuntur. Præter hunc qui ſenſus Scripturæ dicuntur καταχρηστικῶς, allegoricus, anagogicus, tropologicus; diverſę tantum ſunt unius ſenſus literalis applicationes. Si enim transferatur ad ſignificandas res cœleſtes, ἀναγωγὴ dicitur; ut cum Jeroſolyma ſignificat cœlum *Apoc.* 21. v.2.

ἀναγωγὴ

ἀλληγορία.

Si verò transferatur ad deſignandam fidem, vel rem aliquam ſpiritualem Novi Teſtamenti, eſt *allegoria*: cujus exempla ſunt 1.*Petr.* 3. v. 21. *Gal.* 4. v. 24. *Epheſ.* 5. v. 32. Quod ſi etiam ad vitam moreſque formandos applicetur, ut 1. *Cor.* 9. v.9.

& cap.

*& cap.*10.v.1.*seqq.* προπολογία erit, usus Scripturæ practicos, παιδείαν καὶ ἐπανόρθωσιν sub se comprehendens. Ideoque ut certior, sic frequentior & utilior esse potest. Ceteræ duæ rariores sunt, & tùm demum de mente Scripturæ, ubi ipsa Scriptura eas indicat. Hujus loci est *Interpretatio scripturæ*, cum libri ejus, aut partes librorum declarantur ad Institutionem Ecclesiæ. Quæ cum vel circà Verba, vel circà Res occupari soleat, una *Verborum*, altera *Rerum* appellatur. In *illâ* excellunt *Versiones Scripturæ*, hoc est, ejus ex editionibus authenticis Hebræâ & Græcâ, in alias linguas translationes; ut à singulis linguâ vernaculâ legi & intelligi possint: Tales fuerunt, in V. T. *Versio Græca* LXX *interpretum*, & *Targum Babylonicum sive Paraphrasis Chaldaica Ionathæ Vtzielis.* In N. T. *Targum Onkelos* proselyti, & *Targum Hierosolymitanum*, & *Versiones Græcæ Theodotionis*, *Aquilæ*, *Symmachi*, in Veteris, *Versio Syriaca* in Novi, & aliquot *versiones Latinæ* in utriusque Testamenti libros: è quibus illa, quæ *Vetus translatio*, & *vulgata editio* dicitur, superest. Nostrâ etiam ætate novæ aliquot versiones adornatę fuerunt. Illæ tamen omnes, quales quales sint, non nisi sensus autoritatem habent, si is fideliter expressus fuerit; verborum non habent: ut proinde à versionibus etiam optimis ad editiones authenticas provocare jus fasque sit. Altera *Interpretatio Rerum*, *Prophetia Rom.* 12.v.6.itemque ἐπίλυσις 2.*Pet.* 1.v.20. vocatur. Ea non ex privato cujusque judicio petenda 2. *Petr.*1.v.20. sed ex ipsâ Scrpturâ instituenda, est, *Neh.* 8. v. 9. Ad quod post ardentes ad Deum preces, *Psal.* 119. medio triplici est opus. *Primum* est *Analysis*; *Grammatica*, quæ proprias; *Rhetorica*, quæ tropicas dictiones excutit; & *Logica*, quę scopum, quę antecedentium & consequentium seriem, probationumque vim indicat. *Secundum* est aliorum *Scripturæ locorum Collatio Actor.* 9. v. 22. obscuriorum cum apertioribus, *Gen.* 11. v. 35. *cum Gal.*3.v.16. similium cum similibus, 1. *Cor.* 11. v. 24. *&* *Exod.* 12. dissimilium cum dissimilibus *Ioh.*6. v. 53. *& Deut.* 5. v.23. *Tertium* est *analogia fidei* *Rom.* 12. v. 6. cui omnes expositiones conformes esse debent: nè quid Articulis fidei, Decalogive præceptis dissonum statuatur. Quâ de causâ ὑποτύπωσιν illam sanorum sermonum in fide & charitate, tanquam normam interpretationis, omnibus Scripturę interpretibus Apostolus commendat 2. *Tim.*1.v.13.

προπολογία

Interpretatio Scripturæ.

Verborum in Versionibus.

Horum autoritas.

Rerum in Commentariis.

Fit triplici medio; quæ sunt.

1. Analysis.

2. Collatio locorum.

3. Analogia fidei.

Finis. *Finis* Verbi ἐγγράφου est, ut sit *Fidei vitæque regula*, hoc est, præscribat, quid credendum vel non credendum, quid faciendum vel omittendum sit. Unde non modo nomen *Canonis Gal.6.v. 16.Ph.* 3.v. 16. sed etiam usus effectusque ei tribuitur. *Deut.*5.v. 32. *Esa.* 8.v. 20. *Ezech.*20. v.18.19. *Luc.* 16.v.29.*Ioh.*20.v.31. *Gal.*1.v.9. & 2. *Tim.*3.v.16. ubi Apostolus quatuor usus Scripturæ hùc facientes conjungit. Ex quo porrò sequitur, Verbum ἔγγραφον *supremum* quoque esse *controversiarum religionis Iudicem*; sive, ut propriè loquamur, supremam Legem supremi Judicis Spiritus Sancti, ex quâ ille de omnibus religionis controversiis definitivè pronunciat. Est enim propria ac essentialis normæ regulæve ratio, non minus obliquum curvumque, quàm rectum indicare. Et vera Ecclesia ad illud dogmata omnia exigens, conformia ei approbat, difformia reprobat 2.*Thess.* 5. v. 21.

Scriptura est Judex supremus controversiarum religionis.

Effecta. Communia. *Effecta* hujus Verbi *Electis & Reprobis communia* sunt Effectio eorum, quæ vult Deus, *Esa.*55. v. 11. patefactio beneficiorum & judiciorum ejus, nec non cogitationum cordis *Heb.*4.v.12. Propria. *Propria Electis*, ut illuminatio, vivificatio, conversio, consolatio, glorificatio &c. describuntur *Psal.* 119. & *alibi passim*. *Propria Reprobis* censentur: ipsorum induratio 2. *Cor.* 3. v. 15. & damnatio ultimo illo die *Ioh.* 12. v. 48.

Subjectum ᾧ. De *subjecto δεκτικῷ*, utriusque Testamenti libris, actum est in Materiâ. At *subjectum ᾧ*, id est, cui Verbum Dei revelatum, sunt primò *Iudæi*, quibus credita sunt eloquia Dei. *Rom.* 3. v. 2. *Deut.* 4. v. 6. 7. 8. Deinde tota *Ecclesia Christiana*: quæ inde columna & stabilimentum veritatis dici meretur. 1. *Tim.*3.v. 15.

1. Judæi. 2. Ecclesia Christiana.

Adjuncta. 1. Æternitas. *Adjuncta* ei tria damus, Æternitatem, Sufficientiam & Perspicuitatem. *Æternitas* asseritur *Psal.*119.v. 89. *Esa.* 40.v.8.*Matt.* 5.v. 18. 1.*Petr.* 1.v.25. Non simpliciter, quoad scriptionem: nam & αὐτόγραφα Legis, Prophetarum, & Apostolorum jam perierunt & cum coràm cernemus, non opus erit Scripturæ speculo, 1. *Cor.*13.v.12. sed ratione objecti sui & effectus. Quia & Deus æternus est, *Gen.* 21. v. 33. & æterna est ac immutabilis rerum divinarum, promissionum & comminationum, veritas *Matth.* 5.v. 18. & denique vitam æternam, incorruptibile illud, & internum manens Verbum in nobis producit 1. *Pet.* 1. v. 23.

2. Sufficientia. *Sufficientia* ejus, sive *perfectio* docetur *Deut.* 4. v. 2. *Psal.* 19. v. 8. & 119.*passim*. *Gal.*1. v. 8. 2.*Tim.*3.v.15.16. 17. Est illa non omnium

mnium, quæ unquam in Ecclesiâ dicta factave fuerunt, *Ioh.* 20. v. 30. *&* 31. v. *ult.* sed illorum plena perfectaque comprehensio, quæ nobis ad fidem & vitam rectè instituendam, 2. *Tim.* 3. v. 16. atque ita ad salutem æternam obtinendam *Ioh.* 20. v. 31. sunt necessaria: ut Traditionibus, aut Verbo ἀγράφῳ jam non sit opus *Gal.* 1. v. 8. Hanc demonstrant partes ejus tum essentiales in materiâ & formâ; tum integrales in Doctrinâ Legis & Euangelii: quæ non modo in universis Testamenti utriusque libris, sed etiam in solo Πεντατεύχῳ Mosis; item in libris Prophetarum, absque N. Test. auctario, deprehenduntur; utpote quo Verbum ἔγγραφον clarius, non perfectius est redditum. At deprehenduntur diversimodè: alia κατὰ τὸ ῥητὸν, sive: αὐτολεξεὶ: alia κατ' ἰσοδυναμίαν; alia κατὰ συνακολούθησιν sed apertam & evidentem, expressa. *Perspicuitatem* denique verbo huic sequentia loca vendicant: *Deut.* 30. v. 11. *Psal.* 19. v. 9. *&* 119. v. 105. 2. *Cor.* 4. v. 3. 4. 2. *Petr.* 1. v. 19. 3. Perspicuitas.
Definitur dogmatum necessariorum, si non ubique saltem alicubi, tam clara ac distincta explicatio, ut à quovis illa, rationis per naturam vel ætatem compote cognosci, atque ita ipsum verbum fructuosè legi possit. Alioquin non diffitemur, multa etiam obscura intellectuque difficilia in eo occurrere 2. *Petr.* 3. v. 16. tàm verbi ipsius, quàm nostri respectu. *Verbi respectu*, quia res nonnullæ, quas tradit, vel naturâ suâ captum humanum excedunt, ut, mysterium Trinitatis, Unionis personalis &c. Vel cum adhuc eventuræ sint, non nisi imperfectè & obscurè intelligi possunt. Insuper ipsa dictio, priscis magis, quam nostri temporibus accomodato, aliquid obscuritatis parit. Utramque obscuritatem in verbo suo reliquit Deus, nè nimiâ facilitate nobis vilescat, sed ut ejus intelligentiam assiduis precibus ab ipso petere, atque etiam assiduâ lectione, auditione, meditatione, ipsimet quærere discamus. *Nostri* verò *respectu*: quia ob naturæ nostræ pravitatem, rerum divinarum vel prorsus capaces non sumus, quamdiu nimirum ψυχικοὶ sumus 1. *Corint.* 2. v. 14. vel ex parte tantùm, cum per Dei Spiritum mente renovamur, *Rom.* 12. v. 2. ubi in tantum eas capimus, in quantum renovati sumus 1. *Cor.* 13. v. 9. *&* *seqq.* Obscura tamen multa occurrunt respectu. 1. Verbi. 2. Nostri.

Verbum hoc ἔγγραφον, prout hactenus à nobis explicatum fuit, *solum* est *ac unicum Theologiæ principium*. Quæcunque enim habentur dogmata, sive conclusiones Theologicæ, primò ex Scriptura Theologiæ principium.

ſolo illo exſtruuntur, & ultimò in illud reſolvuntur. Nihil prius eo, nihil notius, nihil certius eſſe poteſt. Ex quo duo colligimus. I. *Rationem humanam non rectè nec propriè dici principium Theologiæ.* II. *Diſcrimen eſſe inter Theologiam & Verbum Dei.* Et *poſterius* quidem evidentiſſimum eſt. Nam Theologia naſcitur ex Verbo Dei; illiusque concluſiones ſive determinationes, veluti rivi quidam ex hujus fontibus manant. In verbo Dei verba, res, & methodus, omnis errroris ſunt expertia: in Theologiâ, quę hominis elaboratur induſtriâ, ſemper & verba convenientiora, & methodus aptior adhiberi, & circà res error duplex incidere poteſt; ut vel non verè ſatis, vel non plenè ſatis proponantur. In Verbo Dei, quæ ad unum aliquod doctrinæ caput pertinent, ſparſim traduntur: in Theologiâ in unum locum contrahuntur.

Theologia & Verbum Dei differunt.

Prius verò etſi à quibuſdam negatur, qui alterum Theologiæ principium Rationem faciunt, eſt tamen ipſum quoque certæ veritatis. Etenim ſi Ratio Theologiæ principium eſſet; rebus Theologicis prior, notior, certior foret: conciliaret iis autoritatem: atque nos iis propter ipſam crederemus. Id verò affirmare, quid eſſet aliud, quàm omnem Theologiæ certitudinem labefactare, eamque in hoſtium ludibrium adducere? Longè aliter Apoſtolus; qui ea etiam, quę ex Rationis principio deduci volunt, Fidei apertè tribuit. *Heb.* 11. v. 3. Allegat quidem κοινὰς ἐννοίας *Rom.* 2. v. 14. 15. Corinthioſque ad ipſam naturam revocat, 1.*Cor.* 11. v. 14. 15. at neutrum Theologię principium ſtatuit. Verum ſicut Theologia princeps eſt ac domina diſciplinarum inferiorum, ita iis earumque principiis ſuo jure utitur. Alioquin Philoſophi & Poëtę, qui non minus citantur *Actor.* 17. v. 28. 1.*Cor.* 15. v. 33. *Tit.* 1. v. 12. eâdem conditione cenſeri poſſent.

Ratio humana non eſt principium Theologiæ.

Interim de Ratione, non quatenus pro mentis illâ, quæ poſt lapſum eſt, vanitate ac ſtultitiâ, 2.*Cor.* 10. v. 4. 5. *Col.* 2. v. 8. ſed pro vi ac luce cognoſcendi & dijudicandi, divinitus menti inditâ *Ioh.* 1. v. 9. accipitur, hæc breviter tenemus. I. Non eſſe eam Theologię contrariam: Quia bonum bono non eſt contrarium: nec natura gratię. Multa quidem ſuprà eam ſunt: at non contrà eam. II. Eſſe neceſſarium ad Theologiam cognoſcendam & dijudicandam inſtrumentum. Illa enim in naturam rationalem, non brutam cadunt. III. Ejus de rebus Theologicis judicium non ex principiis naturalibus, ſed ex Verbo

Rationes in Theologia uſus.

bo Dei & secundum hujus normam, prævia Spiritus Sancti luce, adhibitisque bonæ & necessariæ consequentiæ regulis, instituendum esse. Quod suprà abundè confirmatum fuit.

Ita etiam de Principio Theologiæ, Verbo Dei: ex quo Usus *nobis fluit multiplex.*

I. Ad Διδασκαλίαν *Verbum Dei est verißimum ac certißimum* Psal. 119. v. 86.89.90. 138. 142. *amplißimum & præstantißimum*, Psal. 19. v. 8. seqq. ad v. 13. *pluris faciendum quàm revelationes Anglorum* Gal. 1. v. 8. *aut mortuorum* Luc. 16. v. 31. *Immutabile, cum nec voluntate mutetur Deus, nec mutet cultus sui normam.* Mal. 3. v. 6. Gal. 1. v. 6. *Deut.* 6. v. 5. Matth. 22. v. 37. *Veræ sapientiæ*, Psal. 119. v. 98. 99. 100. *omnisque consolationis*, ibidem v. 25. 28. 37. 40. 50. & sequent. Rom. 15. v. 4. *fons ac scaturigo. Denique nulli non ætati ordinique utile* Psal. 1. v. 2. Rom. 1. v. 16. *pueris & senibus*, Deut. 6. v. 7. 2. Tim. 3. v. 15. Psal. 119. v. 9. 100. *sapientibus & insipientibus*, Rom. 1. v. 14. *Pastoribus & auditoribus*, 2. Tim. 3. v. 17. 1. Tim. 4. v. 16. *Regibus & subditis*, Deut. 17. 18. 19. 1. Sam. 12. v. 15. & seqq..

II. Ad Παιδείαν: *Agnoscamus bonitatem Dei in Verbo suo variis modis revelando; sapientiam ejus in revelationibus nostro captui accommodandis; misericordiam quoque in nobis gentibus ad earum lucem vocandis: hasque Dei nostri virtutes grati celebremus & prædicemus*, Psal. 147. v. 19. 20. Rom. 3. v. 2. cap. 9. v. 4. Matt. 4. v. 15. 16. Actor. 26. v. 17. 18. *Exemplo Christi*, Matth. 11. v. 25. *Pauli* Phil. 3. v. 8. 9. 10. *& Iudæorum* Actor. 11. v. 18. *In Verbi auditionem, meditationem & lectionem summo studio incumbamus, eoque unice delectemur:* Ps. 119. per totum, Psal. 1. v. 2. Deut. 6. v. 7. 8. 9. Coloss. 3. v. 16. *exemplo Davidis*, Psal. 119. *Prophetarum*, 1. Petr. 1. v. 10. 11. *Mariæ*, Luc. 10. v. 39. & seqq. *Timothei*, 2. Tim. 3. v. 15. *Mentium illuminationem ad salutarem ejus cognitionem supplices petamus* Ps. 119. passim: *Exemplo Pauli*, Eph. 3. v. 14. & seqq. ad finem *Adeò reverenter ac attente illud excipiamus, ac si ipse Deus reserato ore suo cœlitus nos alloqueretur: exemplo Israëlitarum* Exod. 19. & 20. v. 18. & seqq. *Samuelis*, 1. Sam. 3. v. 10. *Eliæ*, 1. Reg. 19. v. 13. *Apostolorum*, Matt. 17. v. 5. 6. *Fidem ei in omnibus, atque ita laudem veritatis Deo tribuamus.* Joh. 3. v. 33. *exemplo Abrahæ*, Rom. 4. v. 18. & seqq. Heb. 11. v. 11. 12. &

12. & ſeqq. *Iſraëlitarum*, Exod. 24. v. ult. *Davidis*, Pſal. 119. v. 66. *Pedo ejus, id eſt gubernationi nos ſubjiciamus* Pſal. 23. v. 4. & 110. v. 2. *Fidem & vitam noſtram ſecundum illud componamus*, Pſal. 119. v. 1. 5. 9. 105. Eſa. 8. v. 20. Ezech. 20. v. 18. 19. Gal. 1. v. 9. *atque aliorum etiam, in reformationibus, exigamus: exemplo Ioſiæ*, 2. Reg. 23. *Nehemiæ*, cap. 10. *Chriſti*, Luc. 19. v. 46. *In controverſiis religionis ejus judicio ſtemus* 1. Theſſ. 5. v. 21. *Interpretationes non aliunde, quàm ex ipſo Verbo petamus* 1. Pet. 1. v. 20. *exemplo Iudæorum reducum*, Neh. 8. v. 9. *Chriſti*, Luc. 24. v. 44. & *Pauli*, Actor. 9. v. 22. cap. 26. v. 22. *Poſtremò in iis conſtantes perſeveremus, quæ ex Verbo Dei didicimus ſcientes à quo didicerimus*. 2. Tim. 3. v. 14. *exemplo Apoſtolorum* Joh. 6. v. 68.

III Ad ἐπανόρθωσιν: *Nè Verbum Dei contemnamus* Pſal. 119. v. 21. 118. 119. 155. *exemplo Iudæorum* Actor. 7. v. 39. 51. *nè illud vel ipſi corrumpamus, vel noſtrâ negligentiâ corrumpi ſinamus: exemplo Diaboli* Matt. 4. v. 6. *Tharæ* Joſ. 24. v. 2. *Iſraëlitarum in Ægypto* Ezech. 20. v. 7. 8. *hæreticorum*, 2. Tim. 2. v. 18. 2 Pet. 3. v. 16. *ne ullis libris literiſve tantum temporis & ſtudii, atque huic impendamus*, Pſal. 1. v. 2. Deut. 6. v. 7. 8. 9. *neque etiam Eccleſiæ aut hominum autoritatem pari loco habeamus, vel pluris faciamus*. Ezech. 20. v. 18. 19. *exemplo Phariſæorum* Matt. 5. & 15. capp. *Nè extra Verbum ullas revelationes ſperemus aut exſpectemus*, Luc. 16. v. 31. Gal. 1. v. 8. 9. *nè ſuprà illud ſapiamus* 1. Cor. 4. v. 6. Rom. 12. v. 3. *aut contra illud ratiocinia, vanamve Philoſophiam audiamus* 2. Cor. 10. v. 5. Coloſſ. 2. v. 8. *exemplo Philoſophorum* 1. Cor. 1. *Athenienſium* Actor. 17. v. 32. & *Corinthiorum nonnullorum*. 1. Cor. 15.

IV. Ad Παράκλησιν: *ubi certi ſumus de ſententiâ ex Verbo Dei hauſtâ, ne moremur aliorum de nobis judicia, cenſuras, damnationes: exemplo Michæ*, 1. Reg. 22. v. 18. 24. & ſeqq. *Chriſti*, Joh. 7. v. 45. & ſeqq. cap. 9. v. 28. & ſeqq. *Apoſtolorum*, Actor. 5. v. 28. 29. *Solemur etiam nos contrà paucitatem amplectentium & ſequentium revelatam in Verbo veritatem: exemplo Eliæ*, 1. Reg. 18. v. 22. & *Chriſti*, Matt. 11. v. 25. collato cum cap. 20. v. 16. *Vbique verò erigamus nos voce Patris in Verbo nobis tanquam filiis loquentis* Heb. 12. v. 5. & *per Spiritum Sanctum ex Verbo teſtimonium perhibentis Spiritui noſtro, nos eſſe Filios Dei*. Rom. 8. v. 16.

LOCUS

LOCUS TERTIUS

De

DEO.

PARTES *Theologiæ duæ sunt*: Una *de Deo*, altera *de ejus operibus*.

Deus est Spiritus increatus, *trium Personarum*.

Consideraturque tùm absolutè, *tùm* relatè.

Absolutè *in* Unitate essentiæ, *quæ est ipsa Deitas*, *sive natura Dei*, *simplex*, *immutabilis*, *æternâ*, *immensa*, *sapiens*, *verax*, *bona*, *omnipotens*, *tribus in eâ personis communis*.

Relatè *autem spectatur in* Trinitate Personarum, *quæ sunt* τρόποι ὑπάρξεως, *modi essentiæ divinæ*, *quibus ipsæ ad se invicem relatæ proprietate incommunicabili distinguuntur*.

Personæ illæ sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Pater *est*, *qui genuit Filium*.

Filius *genitus est à Patre*.

Spiritus Sanctus *à Patre & Filio procedit*.

EXEGESIS.

THeologia variè omninò dividitur: in doctrinam *de Fide*, *& fidei Actionibus*, quę sunt bona opera: in *Legem & Euangelium*: in *Fœdus Naturæ & Gratiæ*: in *Fidem*, *Spem*, *& Charitatem*: in *Veram & Falsam Religionem*: in Παθολογικὴν καὶ Θεραπευτικὴν: in *promissa & præcepta*. E quibus divisionibus præcipua facilè est prima; quandoquidem non modo partes omnes pietatis aptè & adæquatè complectitur, sed etiam in ipsâ Scripturâ apertè traditur. *Actor*. 24. v. 14. 15. 16. *Tit*. 3. v. 8. *Gal*. 5. v. 6. 2. *Tim*. 1. v. 13. Huic tamen eam quæ *de Deo* est, *ejusque Operibus*, tanquam instituto nostro magis accommodam, præferimus

Theologiæ divisiones variæ

Ea quæ de *Deo* est ejusque *Operibus* probatur.

rimus. Eſtque illa non minus fundata in Scripturâ. *Exod.* 34. v. 6. 7. *Ioh.* 17. v. 3. *Hebr.* 11. v. 6. Siquidem omnia Scripturæ axiomata ad duo hæc capita redeunt, vel ſaltem redigi poſſunt. Inſuper cum regulis legitimæ diviſionis probè convenit. Nam & adæquata ſuo diviſo diviſio eſt, & partium cum toto ſumma conſenſio, inter ſe autem ſumma diſſenſio eſt. Etenim quicquid Theologia docet, eſt de Deo, vel Dei operibus: & quicquid de Deo vel Dei operibus docetur, ſcilicet ad ſalutem, eſt præceptum Theologicum. Sic nullum præceptum de Deo, abſolutè nimirum, & in ſe conſiderato, eſt præceptum de Dei operibus, & viciſſim.

Opera Dei ſunt non quæ ad intra.

Intelligimus autem per *Opera Dei*, non quæ *ad intrà* dicuntur, ut generare & generari, ſpirare & ſpirari: (talia enim cum ſint proprietates perſonales, ſive actus interni, non niſi καταχρηστικῶς hoc nomine cenſentur, atque ſub primo, non verò ſub ſecundo diviſionis hujuſce membro continentur:) ſed ea quæ

Sed quæ ad extrà dicentur.

ad extrà ergà creaturas, hoc eſt, in eis, ad eas, & per eas exercentur. Atque hæc præſupponunt Dei decernentis & exſequentis actionem; juncta verò ſibi habent varia accidentia, quantitatem, locum, tempus, qualitates bonas, motum, relationes, ex ipſorum operum naturâ vel peculiari Dei ordinatione reſultantes: denique peccatum quoque certis reſpectibus ad ea referendum eſſe, ſuprâ monuimus.

Doctrina de Deo prima Theologiæ pars.

PRIMA & nobiliſſima Theologiæ pars eſt *doctrina de Deo.* Deus namque eſt cauſa Efficiens omnium operum ſuorum: eſt infinitus, æternus; opera finita, temporaria: ipſe per ſe abſque operibus, opera autem non abſque ipſo eſſe aut conſiſtere poſſunt. Exiſtentiam ejus operosè hic ut demonſtremus, non eſt opus. Neque enim cum gentilibus, ſed cum Chriſtianis nobis res eſt. Naturam verò ex Scripturâ religiosè declarabimus, à nomine orſi.

Homonymia Vocis Deus.

Vox *Deus*, quæ eſt à Greco Θεὸς, ὁμωνύμως uſurpatur. *Propriè* de eo, qui eſſentia Deus eſt, *Eſa.* 42. v. 8. 1. *Cor.* 8. v. 6. & quidem vel οὐσιωδῶς, *communiter*, ſine certæ perſonæ determinatione *Ioh.* 4. v. 24. vel ὑποστατικῶς, *ſingulariter*, de unâ aliquâ Perſonâ, per Synecdochen: quod aliquando ex unius Perſonæ relatione ad alteram, *Ioh.* 3. v. 16. aliquando ex proprio unius effectu colligitur *Actor.* 20. v. 28. 1. *Tim.* 3. v. 16. *Impropriè* de iis, qui natura non ſunt Dii, 1. *Cor.* 8. v. 5. *Gal.* 4. v. 8. hiſque id nomen tribuitur

tur, *vel* ex Dei ordinatione, propter officii dignitatem atque excellentiam, ut Angelis, *Psal.* 8.v.6. Magistratibus, *Psal.* 82. v.6. Mosi, *Exod.* 4. v. 16. *vel* ex propria, sed injustâ usurpatione, ut Diabolo, qui dicitur *Deus hujus seculi*, 2.*Cor.*4.v. 4. & *Princeps Mundi*, *Ioh.*12.v.31. *vel* ex erronea hominum persuasione, ut idolis 1.*Cor.*8.v.4.5. Cæterum in primo proprioque significatu, vox Deus tàm variis nominibus in Authenticâ Testamenti utriusque editione exprimitur, ut certæ nominum classes constitui soleant. Quæ res Dei simplicitati nihil derogat: conceptus verò nostri infirmitatem multum juvat, qui infinitam Dei perfectionem sub diversis formis rectius pleniusque capimus. Ideòque nec nomina illa multa pro Synonymis habemus. Nam Synonyma non modo idem significant, sed & secundum eandem rationem: Hic verò ratio significationis pro mentis nostræ conceptu variat. Quod etiam à vilibus creaturis quandoque petuntur, id Deo probrosum non est. Nam omnes creaturæ sunt Dei similes, quatenus aliquâ virtute eum referunt: Dissimiles autem, quia imperfectè. Quod imperfectionis est, removetur à Deo. Quod perfectionis, ei tribuitur, etsi creaturis commune, non univocè, nec æquivocè, sed analogicè, certâ proportione: ipsi formaliter, divino modo; creaturis per similitudinem: ipsi prius, his posterius. Unde est, quod boni, misericordes, sancti, esse jubemur, quia Deus talis sit *Levit.* 11.v.44. *Matth.* 5. v.48. *In V.T.* usitatiora sunt tria hæc nomina, יְהוָה, אֱלֹהִים, & אֲדֹנָי. יְהוָה *Iehova* est ab הָוָה vel הָיָה & significat (ut Græci Patres non incommodè dixerunt) οὐσίαν ὑπερούσιον, καὶ τοῖς πᾶσι τὸ εἶναι παρέχον hoc est, cum *qui fuit, est, & erit*, ex interpretatione Joannis, *Apocal.* 1. v. 4. & *cap.* 16.v. 5. & à quo sunt omnia *Actor.* 17. v. 28. *Rom.* 11.v. 36. qui denique immutabilis est & verax complemento promissionum: argumento loci *Exod.* 6. v. 2. Quæ cum soli Deo conveniant *Esa.* 42. v. 36. 37. 38. non quoque horum sibi uni vendicat. *Ibid.* v.8. *Amos* 5.v.8. Ara verò *Exod.* 17. v.15. & Jerosolyma *Ezech.*48.v. 35. non dicuntur Jehova, casu recto, sed Jehovæ, obliquo, Genitivo vel Dativo; item non simpliciter, sed cum adjectione. Cognata est appellationi Jehovæ altera יָהּ *Iah*, ejusdem Radicis, in compositionibus, *Hallelujah*, *Psal.* 148. 149.

Alia Nomina Dei propria.

non synonyma sunt.

Denominatio unde petita.

יְהוָה quid.

Soli Deo proprium.

Cognata huic יָהּ

150. *solium Iah*, *Exod.* 17. v. 17. item *flamma Iah*, *Cant.* 7. v. 16. & aliis frequens. Simplex autem legitur *Psal.* 68. v. 5. *Exod.* 15. v. 2. & *alibi*. Sic & tertia אֶהְיֶה *Exod.* 3. v. 13. 13. ab eadem Radice descendit, & Essentiæ promissionumque divinarum immutabilitatem notat. Hinc redditur: *Ero qui eram*, id est, ero factis, qui eram promissis. אֱלֹהִים *Elohim*, est nomen potentiæ & fortitudinis. Singulare אֱלוֹהַ *Eloah* rarius invenitur, *Hab.* 3. v. 3. *Ioh.* 12. v. 4. Plurale autem frequentissimè legitur usurpatum; non tantum ut potentiæ illius, quam in creatione inprimis Deus exseruit magnitudo, sed etiam ut Personarum divinarum pluralitas indicetur. Quod tamen perpetuum non est: siquidem Synecdochicè etiam de una personâ, ut *Gen.* 1. v. 26. *Hos.* 12. v. 4. accipitur. אֵל *El*, idem significat quod אֱלֹהִים. Unde Aquila ἰσχυρὸν, Nostri *Deum fortem* reddiderunt. אֲדֹנָי *Adonai*, est *Dominus* vel *Dominator*: quod etiam numero plurali de Deo enunciatur. *Mal.* 1. v. 6. *In N. Test.* duo potissimum obtinent, nominibus Hebræis respondentia, Θεὸς καὶ κύριος. Θεὸς est *vel* à θέω quod Deus per omnia discurrit, *vel* à θεάομαι, quod omnia contemplatur: *vel* ab antiquo θέω *pono*, facio, ut Deus sit ὁ θεὶς, qui omnia fecit. Κύριος autem dicitur à dominio & autoritate κατ' ἐξοχὴν, quasi αὐτοκύριος. Sicque perpetuo accipitur cum articulo præpositivo.

Et אֶהְיֶה

אֱלֹהִים quid.

Synonimum huic אֵל

אֲדֹנָי quid

Θεὸς unde, & quid significet.

Κύριος quid.

Dei nec verum genus datur, nec vera differentia

Satis de nominine. *Descriptio* Dei (nam definitionem non admittit infinitus) quasi genere, & quasi differentiâ constat. Verum genus non habet: quia nihil ipso superius est: nec veram differentiam, quia simplicissimus. Proinde quod κατ' ἀναλογίαν quandam ipsi cum creaturis nobilioribus commune est, generis; quod autem omninò proprium, differentiæ loco constituimus. *Prius* illud est, quod dicitur *Spiritus*. Est enim Deus naturæ Spiritualis: ita docente Christo *Ioh.* 4. v. 24. *Deus est Spiritus*. Ex quo sequitur, esse substantiam incorpoream, intelligentem, volentem, & agendi potentiâ præditam. Nam *Spiritus carnem & ossa non habet Luc.* 24. v. 39. Spiritus vivit modo perfectissimo, id est, vitâ intelligente. *Posterius* hoc est, quod dicitur *increatus*, & *trium Personarum*. Eo namque à cæteris Spiritibus distin-

Genus analogice.

Differentia analogice.

diſtinguitur: ab Angelis, qui creati ſunt, *Pſal.* 104. v. 4. *Hebr.* 1. v. 7. ab animabus hominum, quæ itidem creatæ, *Geneſ.* 2. v. 7. *Eccleſ.* 12. v. 9. Deinde nulla eſſentia ſpiritualis creata, ſiquidem ſingularis ſit, una numero ac individuo, poteſt eſſe tribus perſonis communis: uti eſt eſſentia Spiritualis increata 1. *Ioh.* 5. v. 7. Quæ omnia ut plenè diſtinctèque intelligantur, duplicem de Deo theoriam inſtituemus, abſolutam & relatam. *Abſoluta* eſſentiam ſpectabit abſque relationibus, hoc eſt, id omne, quod tribus perſonis commune eſt. *Relata* autem eam conſiderabit, certis relationibus modificatam, ſeu quid incommunicabile, perſonæ cuique proprium ſit, declarabit.

Eſſentia Dei eſt.

Eſſentia, תּוּשִׁיָּה, *Thuſchija* Hebræis, Græcis ὀυσία dicitur. Sed illa vox ἀυτολεξεὶ reperitur in Teſtamento Veteri, *Iob.* 12. v. 16. *Prov.* 8. v. 14. *Eſa.* 28. v. 29. iſta in Novo per derivationem & συνωνυμίαν tantùm. Nam ὁ ὤν, à quo eſt ὀυσία, *Apoc.* 1. v. 4. & φύσις καὶ μορφὴ Synonyma, *Gal.* 4. v. 8. *Phil.* 2. v. 6. habentur. Patres ὀυσίαν ὑπερούσιον, Apoſtolus *Coloſſ.* 2. v. 9. θεότητα convenientiſſimè nuncupat.

Ipſa Deitas.

Eſt enim eſſentia Dei ipſa *Deitas*, per quam Deus eſt Deus, & ab omnibus aliis rebus diſtinguitur. Hæc eſſentia non eſt ab aliâ, ſed à ſe ipsâ, id eſt, à ſeipsâ exſiſtit. Ut enim Deus ἀυτόθεος eſt, ſic οὐσία ejus ἀυτουσία. Alioquin ab aliâ productam eſſe oporteret: contrà illud, *Ego ſum* A *&* Ω, *primus & ultimus. Apoc*, 1. v. 8.

Abſoluta.

Eſt deinde *abſoluta*, tribus in eâ perſonis æqualiter communis. Quia quicquid ejus eſt, de tribus perſonis communiter & æqualiter prædicatur: ut infrà oſtendemus. Denique *una numero & individuo*, hoc eſt modo unitatis perfectiſſimo.

Una.

Quod ipſum Verbum Dei apertiſſimè adſtruit. I. Cum Jehovam Deum unum eſſe docet. *Deut* 6. v. 4. *Marc.* 12. v. 29. *Rom.* 3. v. 30. *Galat.* 3. v. 20. *Epheſ.* 4. v. 6. 1. *Tim.* 2. v. 5. II. Deum præter hunc Unum Deum plures eſſe, aut reperiri poſſe negat. *Exod.* 20. v. 3. *Deut.* 4. v. 25. 39. *cap.* 32. v. 12. 39. *Pſal* 86. v. 10. *Eſa.* 37. v. 16. 1. *Cor.* 8. v. 6. III. Dum numero ſingulari paſſim de Deo loquitur, eumque dicit eſſe Jehovam: quæ vox numeri tantùm ſingularis eſt, & eſſentiam notat.

Cognoſcitur à nobis per Proprietates, quæ

Etſi verò Una eſt & ſingularis eſſentia, à nobis tamen, quorum intellectus eſt compoſitus, non intelligitur niſi per diſtinctas *proprietates*. Has Latini *attributa*, *nomina Dei*, Græci ἰδιότητας, ἰδιώματα ὀυσιώδη,

κατηγορούμενα vocant. *Strictè* ea significant; quæ soli Deo, omnibus in essentiâ divinâ personis, & semper conveniunt. *Latiore* verò significatione, tùm propria Dei effecta, tùm quæ naturam ejus consequuntur, ut est cultus religiosus *Esa.* 42. v. 8. & adoratio, *Matt.* 4. v. 10. complectuntur. De illis, quæ strictè ita dicuntur, sequentes regulas tradimus. Prima: *Proprietates neque ab essentiâ, neque inter se, sed nostro tantùm conceptu distinguuntur. Non ab essentiâ*: quia sunt ipsa essentia, ipsa Deitas. *Non inter se*: quia essentia summè una ac simplex est: item quia una proprietas essentialiter prædicatur de alterâ: simplicitas, immutabilitas, æternitas, immensitas, de sapientiâ, veracitate, bonitate, potentiâ Dei. *Nostro verò conceptu*, quia is finitus cum sit objecto infinito haud proportionatus, instituta ad ea, quæ in rebus creatis & finitis differunt comparatione, differentes etiam de Dei essentiâ ac proprietatibus conceptiones & definitiones format: inprimis cum distincti harum proprietatum effectus, in ipsis creaturis appareant. Unde eas distinctione rationis non purâ, sed eminenti seu virtuali differre asserimus. Secunda: *Omnes Dei proprietates sunt infinitæ, æternæ, &c.* Ratio: quia talis est essentia, à quâ non differunt. Hinc Dei potentia dicitur Omnipotentia, *Gen.* 17. v. 1. Dei benignitas, æterna benignitas *Ps.* 103. v. 17. Sic cæteræ. Nam una proprietas ad alteram revocanda, & per eam explicanda est. Tertia: *Nullæ Dei proprietates sunt creaturis communicabiles, Esa.* 42. v. 6. *Matth.* 18. v. 17. 1. *Tim.* 1. v. 17. Nam nec omnes communicari possunt; quia multiplicaretur essentia, quæ summè una est: item essent plura infinita, omnipotentia: nec aliquæ, quia divideretur, aut seipsâ distraheretur. Quod autem vulgò in *Communicabiles* & *Incommunicabiles* distinguuntur, non ipsarum proprietatum in se, sed effectuum duntaxat respectu sit. Quomodo intelligendum est, quod Dei progenies, *Actor.* 17. v. 28. & divinæ consortes naturæ dicimur 2. *Petr.* 1. v. 4. Sensus quippe est, aliis Dei proprietatibus simile quid in creaturis reperiri: idque manifestè, per Dei nimirum Creatoris, vel Redemtoris effectionem; ut intellectui, voluntati, potentiæ, sapientiæ, bonitati: aliis non, ut simplicitati, immutabilitati, immensitati.

I. Neque ab essentiâ, neque inter se distinguuntur.

II. Omnes sunt infinitæ, æternæ, &c.

III. Nullæ sunt communicabiles creaturis.

Proprietates Dei quomodo dicantur *communicabiles* vel *incommunicabiles*.

Proprietates Dei sunt.

Porrò variæ illæ, prout nobis proponuntur in Verbo *Exod.* 34. v. 6. 7. *Psal.* 103. v. 8. *& seqq. &* 145. v. 7. 8. 9. *Ierem.* 32. v. 17. 18. 19. 1. *Tim.* 1. v. 17. *cap.* 6. v. 15. 16. proprietates, ita concipi & enunciari

ciari de Deo possunt, quod aliæ negent omnem imperfectionem aliæ autem summam perfectionem de ipso affirment. Cujus distinctionis fundamentum est, quod Scriptura aliquando ἀποφατικῶς De Deo loquitur; ut cum eum dicit ἀθάνατον 1. *Tim.* 1. v.17. ἀόρατον, *ibidem.* ἄφθαρτον, *Rom.* 1. v. 23. ἄτρεπτον, *Iac.* 1. v. 17. ἀψευδῆ, *Tit.* 1.v.2. ἀπροσωπόληπτον, *Actor.* 10. v. 34. aliquando verò καταφατικῶς; ut cum dicit sapientem, 1. *Tim.*1.v.17. bonum, *Matth.* 19. v. 17. omnipotentem, *Gen.*17. v. 1.

Primi ordinis proprietates sunt: *Simplicitas, Immutabilitas, Æternitas* & *Immensitas.* *Simplicitas* negat omnem de Deo compositionem: tùm Physicam ex partibus integrantibus, ex materiâ & formâ, & ex genere & differentiâ: tùm Metaphysicam, ex esse & essentiâ: tùm mixtam utriusque generis, ex substantiâ & accidente, & ex essentiâ & subsistentia. Est enim Deus *Spiritus Ioh.*4.v.24. Est *Iehova, Exod.* 33.v.19. *Eheje Exod.*3.v.14.15. ὁ ὤν, *Apoc.*1.v.4. *summè perfectus, Genes.* 17.v. 1. *summèque unus, Deut.*6.v.4. quæ appellationes omnem prorsus compositionem respuunt. *Immutabilitas* negat omnem mutationem, atque etiam potentiam passivam illius radicem. Quippe Deus nec respectu substantiæ oritur aut interit: neque ratione quantitatis augetur vel minuitur: neque in qualitatibus alteratur ullo modo. In quam sententiam accipienda sunt hæc loca: *Psal.* 102.v.27. 28. *Rom.*1.v. 23. 1. *Tim.* 1.v. 17. *Iac.* 1. v. 17. Ratio est, quia Deus non dependet ab alio, ut efficiente & fine suo: item, quia purissimus est & simplicissimus actus. *Æternitas*, quæ hîc absoluta, negat omnem circumscriptionem temporis, id est, initium, successionem & finem. Est enim Deus ὁ ὤν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Apocal.* 1. v. 4. *Heri, & hodie idem, & in secula Hebr.* 13. v. 8. Eoque sensu *æternus* passim dicitur, *Gen.*21.v.33. *Esa.*41.v.4. *Rom.*16.v. 26. *antiquus dierum, Dan.* 7. v. 13. *Rex seculorum,* 1.*Tim.* 1. v. 17. *conditor omnium temporum Hebr.* 1.v.2. Hanc ęternitatem è principiis naturę etiam corruptę cognitam fuisse, testatur Apostolus *Rom.*1.v.20. *Immensitas* negat omnē dimensionem loci tùm Physici, quo corpora circumscribuntur; tùm Metaphysici, quo spiritus creati definiuntur. Ea Deo asseritur ex eo. I. Quod ubique in mundo esse, & omnibus singulisque creaturis præsentissimus adesse docetur, *Psal.*139.v.7.8.9.10. *Esa.*66.v. 1. *Ierem.* 23.v.23.24. *Actor.* 17.v. 27. 28. II. Quod dicitur Muudum hunc, omnesque locos creatos quàm logissimè exce-

I. *Negativæ quatuor.*

1. *Simplicitas.*

2. *Immutabilitas.*

3. *Æternitas.*

4. *Immensitas.*

excedere. *Iob.*11.v.8.9. 1.*Reg.*8.v. 27. *Actor.*7.v.48.*Esa.*40.v.12.

Quomodo Deus immensus.

III. Quod immensa infinitaque virtutes ei tribuitur, *Matt.* 19. v. 26. cujus capax non est subjectum finitum. Est verò immensus nõ per essentię multiplicationem, extensionem aut divisionem, sed per infinitatem ejus simplicissimam; secundum quam tota & una est in seipsâ, tota & una in omnibus & singulis rebus: tota intrà omnia, tota item extrà omnia, non alternis temporibus, sed utrumque simul & semper: nusquam inclusa, nusquam exclusa; omnia continens, à nullo contenta. Deinde immensus est proprietate sive necessitate naturæ suæ, non libertate voluntatis, quasi etiam esse possit non immensus. Proinde, quæ de variis præsentiæ divinæ circà creaturas gradibus docentur, non de hâc immensitate naturali, sed de variâ liberâque ejus in rebus creatis manifestatione, intelligere necessum est.

II. *Affirmativa.* itidem 4.

1. *Vita Dei.*

Secundi Ordinis proprietates sunt: *Vita Dei*; *Intellectus* sive *Sapientia* ejus; *Voluntas*, quę pro objectorum varietate jam *Veracitas*, modo *Bonitas*, alias etiam *Iustitia* dicitur; & *Potentia agendi*, sive *Omnipotentia*. *Vita Dei* est, quâ Deus vivit à se & in se, perpetuâ sui contemplatione & fruitione, omnibusque extrà se esse & vitam largitur. De hac Scriptura *Ioh.*1.v.4. *Deut.* 32. v. 40. *Ezech.* 33. v. 11. *Actor.*17.v.28. Denominaturq; ab eâ Vivens passim. *Deut.*5.v.32. 1.*Sam.* 17.v.36. *Ier.*10.v.10. *Matt.*16.v.16. *Actor.* 14. v. 15. Et quia nullo fine terminabilis est, *ἀθανασίαν*, *immortalitatem* inde solus habet 1.*Tim.*6.v.16. Vita illa tribus facultatibus actuosa est, intellectu, voluntate & potentiâ.

2. *Intellectus*

Intellectus Dei est, quo tùm se ipsum intelligit; tùm ea quæ sunt extrà se, esse possunt, vel non possunt. Aliàs *mens Domini*, *Rom.* 11. v. 34. *intelligentia ejus*, *Psal.* 147.v.5. *notitia.* 1.*Sam.*2.v.3. *cognitio*, *Rom.*11.v.33. *scientia*, *Iob.*21. v.22. *sapientia*, *Iob.*11.v. 7. 8. 9. appellatur. Posterior tamen appellatio speciatim sapientem, prorsusque admirabilem operum divinorum dispositionem notat. *Psal.*104. v. 24. *Ierem.* 10. v.12. 1.*Cor.*1.v.21.24. *Eph.* 3.v. 10.

Objectum intellectus Deus, & omnia extra eum.

Objectum Intellectus Dei est omne intelligibile, id est, quicquid sciri aut intelligi potest: ex illo Joannis, 1.*Epist.*3.v. 20. *Deus novit omnia. Primò* namque se novit, ut primum & infinitum objectum *Matth.* 11 v. 27. 1.*Cor.* 2. v. 10. *Deinde* ea quæ sunt extrà se, *Heb.*4.v.13. *Ioh.*21.v.17. substantias & accidentia, *Gen.*1.v.31. universalia & singularia, *Psal.*33. v.13 14. *Iob.*1. & 2. *capp.* magna & parva, *Matth.*6.v.25. & *seqq.* *cap.* 10. v.29.

v.29.*& seqq.*bona & mala,*Ps.*33.v.15.*Gen.*6.v.5.interna & externa, *Mat.*6.v.4.tam præterita,*Esa.*38.v.3.&futura *cap.*41.v.23.quã pręsentia:possibilia deniq;,1.*Sam.*23.v.11.& impossibilia *Tit.* 1.v. 2.*Modus* verò *intelligendi* est non per species intelligibiles, sed per ipsam essentiam,argumento loci *Act.*15.v.18.non successiva ratiocinatione,*Iac.*1.v.17.sed uno simplicique actu:cum omnia intimè pateant oculis ipsius, *Heb.*4.v.13.*Voluntas* Dei est appetitus intelligens,quo Deus se vult necessariò,alia extra se liberè. Hanc Deo vendicat spiritualis natura *Ioh.*4.v.24.& tribuit scriptura: *Ps.* 115. v.3.*Rom.*9.v.18.Et quia appetitus intelligens est, ἄλογος esse aut dici nullo modo potest. *Objectum* ejus est Deus,summum bonum, *Mat.*19.v.17.summusque finis omnium *Prov.*16.v.4. *Rom.*11. v. 36.Tum ea quoque, quæ Deus vult & facit extrà se, *Ps.* 115.v. 3. Quin & mala, tàm culpæ, *Act.* 2.v. 23. *cap.*4.v. 28. quàm pœnæ, *Amos.*3.v.6. certo respectu sub eam cadunt.

Modus intelligendi per ipsam essentiam.

3. *Voluntas.*

Objectum voluntatis Deus & ea quæ vult facere vel permittere.

Modus volendi pro varietate objectorum varius à nobis concipitur.*Primò*:Deus se vult necessariò,necessitate naturæ,etsi absque coactione: quia non potest nolle gloriam suam,*Esa.*42.v.8.aut seipsum abnegare; 2.*Tim.*2.v.13.alia autem extrà se liberè,ut etiam possit ea nolle,aut velle opposita: cum sit αὐτεξούσιος liberrimæque potestatis *Rom.*9.v.15.*& seq.Mat.*20.v.15.*Secundò:* Bona vult, id est,amat, probat, atque etiam facit per se: Mala verò non ita vult, *Ps.*5.v.5.*Ezech.*33.v.11.sed per accidens tantum & secundum quid: pœnæ quidem,non quatenus creaturam destruunt, sed quatenus justitiam creatoris declarant: culpæ autem, quatenus volens ea permittit,permissaque ad bonum dirigit. *Tertiò* : alia absolutè vult,citrà ullam conditionem in nobis,*Rom.*9.v.18.19.alia conditionaliter,ut est *Ioh.*6.v.39.40.*Denique*,ex duobus quæ vult,unum plus,alterum minus vult: Iuxta illud,*Misericordiam volo,& non sacrificium.Hos.*6.v.6.Hęc voluntas cum aliis,tum veracitatis,bonitatis & justitię attributis plenius nobis declaratur. *Veracitas* est,quâ Deus naturâ verus,sermonē verax, à mēdacio,fraude, simulatione est alienissimus.Ex quo *Deus verus*,*Ier.* 10. v.10. *Ioh.* 17.v.3.*verax* , *Ioh.*3.v.33.*Rom.*3.v.4. ἀψευδὴς *Tit.*1.v.2. *Heb.*6. v.18. nominatur. *Bonitas* est,qua Deus naturâ bonus,creaturis suis benefacit *Mat.* 19. v.17.*Ps.*73.v.1.Ea relata ad creaturas.*Benignitas* dicitur, *Ps.*103. v. 11.17. & quatenus miseriis illarũ succurrit,*Misericordia*,*Rom.*9.v. 18.2.*Cor.*1.v.3.quatenus verò ex gratuito Dei amore,citrà ullũ e-

Modus volendi varius. Vult quippe 1. Se necessario,alia liberè.

2. Bona per se mala per accidens.

3. Alia absolute,alia conditionaliter.

4. Ex duobus vult unum plus altero.

Attributa voluntatis.

a. *Veracitas.*

b. *Bonitas.*

arum meritum proficiscitur, *Gratia Rom.* 11.v.6. appellatur. Sicque ut arbitraria, *Matt.* 20.v.15. ita inæqualis est. Unde in *generalem*, quam omnibus promiscuè præstat Deus, *Psal.* 145.v.9. *Matt.* 5.v.45. & *specialem*, quæ solis Electis & credentibus contingit, *Ps.* 73.1. *Joh.* 1.16. distingui solet. *Iustitia* est, per quam Deus in se, & ergà alios justus, rectus, & ęquus esse intelligitur. *Ps.* 36.v.6.7. *Deu.* 32.v.4. *Psal.* 119.v.137. *Ezech.* 18.v.25. Atque illa quidem justitia *universalis* est: non ex legibus humanis, imò nec ex Dei actionibus simpliciter, sed ex natura ejus ac voluntate adęquatè ęstimanda. *Particularis* verò dicitur, qua non modo pœnas impiis, *Rom.* 1. v. 32. sed præmia quoque piis decernit 2. *Tim.* 4.v.8. Vulgò *Iustitiam Distributivam* vocant, *Commutativæ* contradistinctam: quam, quia imperfectionem habet, non minus quam alias justitiæ humanæ species, à Deo removemus. *Quis enim prior dedit ei, ut reddatur ei?* *Rom.* 11.v.35. *Odium*, *Ps.* 5.v.6. & *Ira Dei*, *Joh.* 3.v.18.36. *Rom.* 1. v. 18. ad alteram partem Iustitię distributivæ, quę est vindicatrix, referenda, & absq; omni passione aut affectu humano intelligenda sunt. Superest ex hujus ordinis proprietatibus *Potentia* Dei, qua ex se & in se, naturâ; extrà se autem liberâ voluntate agit, omniaque possibilia, id est, naturæ suæ convenientia, agere potest. *Luc.* 1. v. 37. *Matt.* 19.v.26. Ab hâc ipse *omnipotens Gen.* 17.v.1. & potentia ejus *omnipotentia* dicitur. Ut verò *Objectum* potentiæ duplex, est Deus & quod est extra Deum, actu vel δυνάμει: ita ipsa quoque duplex constituitur, Interna & Externa. *Interna* est, qua Deus in seipso semper agit intellectu & voluntate, ut purus actus. *Externa* autem, qua alia extra se producit, vel saltem producere potest. Nec enim quicquid potest, facit. *Mat.* 3. v.9. *Luc.* 19. v. 40. *Mat.* 26. v. 53. *Rom.* 9.v.18. Hinc Externa potentia in *absolutam* & *actualem* subdistinguitur: quarum *illa* est possibilium simpliciter, per naturam Dei: *ista* verò futurorum ex decreto *Psal.* 115.v.3.

generalis, specialis, c. *Iustitia.* universalis. particularis. Odium & Ira quomodo Deo competant. 4. *Potentia.* Ex objecto est. Interna vel Externa.

Hæc de theoriâ absolutâ Essentiæ divinæ. *Relata Personarum* altioris est ordinis: quam neque capit ratio, neque demonstrat exemplum, sed sola revelationis divinæ autoritas fide suscipiendam, pietate suspiciendam proponit. *Personam* Græci ὑπόστασιν, quę vox *Heb.* 1.v.3. reperitur, ὑφιστάμενον, τρόπον ὑπάρξεως, atque etiam imitatione Latinorum πρόσωπον dixerunt. Nam πρόσωπον non quamvis ὑπόστασιν, sed intelligentem tantum notat. Et licet removeatur à Deo, quatenus imperfectionem habet, *Act.* 10.v.34. *Rom.* 2.v.11. nihil

Persona synonyma.

nihil tamen impedit, quominus perfectionis ſuæ reſpectu, in ſacris etiam uſurpatum 2. *Cor.* 1. v. 11. ipſi tribuatur. Eam definimus *ſubſiſtentiam in eſſentiâ Dei, quâ ad alias relata proprietate incommunicabili diſtinguitur.* *Subſiſtentia* propria eſt ſubſtantiis primis & individuis. Eſſentia verò Dei etſi & ipſa talis eſt, (nam ſingularem eſſe docuimus, unam numero, itemque perfectiſſimam) eo tamen, quod ſuis perſonis communis eſt, communium non ſingularium ſubſtantiarum notione analogicè deſignatur. Patres pro ſubſiſtentia, τρόπον ὑπάρξεως, *modum ſubſiſtendi* dixerunt. Eſſentia namque Divina, una quidem totaque in omnibus & ſingulis perſonis, at non uno modo ſubſiſtit, verum diverſimodè: in aliâ à nullo, ἀγεννήτως: in aliâ γεννήτως ab uno: in aliâ ἐκπορευτῶς à duobus. Eſt enim perſona ipſiſſima eſſentia, non ſimpliciter, ſed modificata, id eſt, cum modo ſubſiſtendi conſiderata: qui modus diſtinctionem adfert eſſentiæ in ſuâ illâ communitate, compoſitionem non adfert: ſiquidem relationes, quales ſunt illi modi, diſtinguere, non componere, extra controverſiam eſt. Ex his *conſectaria* naſcuntur de Perſonis Divinis I. Eſſe eas ſubſtantias ſingulares, non qualitates, ſpecies, aut certi officii reſpectus. II. Eſſe ipſam eſſentiam divinam, non aliquid ab ea ſeparatum aut diviſum. III. Et quidem totam Eſſentiam ſingulas, non partem quandam ejus. IV. Diſtingui verò ab eâ, ut modi à re cui inſunt. Ideoque ut modus rei eſt, & in re; ſic perſonæ in eſſentiâ eſſe, item unius eſſentiæ eſſe, quàm propriiſſimè & convenientiſſimè dicuntur. Hic verò modus eſt *proprietas* illa *incommunicabilis*: ſicut à Patribus apellatur ἰδιότης χαρακτηρίζουσα, γνωριστικὴ, διακριτική, ὑποστατικὴ; ἰδίωμα ἀφοριστικὸν ὑποστατικόν. Non enim communis ut eſſentia, ſed ſuus cuique perſonæ proprius eſt. Sic ἀγεννησία & πατρότης proprio eſt uni perſonę: γέννησις ſive υἱότης uni: & uni ἐκπόρευσις: nec per naturam Dei unquam proprietates iſtæ perſonales, communicari aut inter ſe commutari poſſunt. Eſt etiam *relatio*; quæ in ſingulis perſonis ſingularis eſt, ſecundum ſubſiſtentię modum. Quippe per modum ſubſiſtentię mutuus eſt inter perſonas reſpectus, eęque ad ſe invicem perpetuo referuntur: gignens ad genitam, ſpirantes ad ſpiratam: & vice verſa. Sed relatio illa ſubſtantialis eſt, non accidentalis: quia eſt Deo naturalis, de neceſſitate naturæ ejus. Nam æquè neceſſarium eſt, in Deo eſſe tres perſonas, quàm eſt, unam eſſe eſſentiam: atque ita æquè ſubſtantiale eſt unum atque alterum. Hoc τρόπῳ ὑπάρξεως, hac proprietate in-

Definiito.

Perſonæ divinæ ſunt 1 Subſtantiæ ſingulares. 2. ipſa eſſentia divina. 3 tota eſſentia ſingulæ. 4. diſtinguuntur ab eſſentia ut modus à re cui ineſt. Proprietas incommunicabilis quid.

Relatio Perſonarum quid & qualis.

Perſonarum divinaum ab

com-

essentia, & à se invicem distinctio.

communicabili, hâc relatione ut personæ ab essentiâ, tanquam proprium à communi, relatum ab absoluto, sic à se invicem quoq; distinguuntur. Etenim unicuique personæ peculiaris est subsistentia, peculiaris proprietas, peculiaris relatio. Distinctio verò omnis secundum propria sive peculiaria, non secundum communia fit. Hinc regula Theologorum; *Distinctio in Deo nascitur ex relationibus.* Quæ omnia de Personis Divinis in genere dicta, ad singulas in specie applicabimus, & ex Scriptura demonstrabimus. Igitur *Personæ* in Essentia divinâ tres sunt: *Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Primo,* enim tot Personæ, *renumerata* distinctæ, in unitate Essentiæ Dei nobis proponuntur: *Deinde* totidem *numero numerante* exprimuntur, 1. *Ioh.* 5. v. 7. *Tres sunt qui testificantur in cœlo.* A quo concreto est abstractum *Trinitas,* Græcè Τριας. Sed primum, esse nimirum in una essentia Dei tres personas, vere distinctas, quantum ad τὸ ὄν, demonstrandum est è Scriptura. Τὸ διότι ut ἄῤῥητον, ita ipsis quoque angelis est ἀκατάληπτον.

Personarum Divinarum Trinitas, probatur re numerata, numero numerante.

In *Scriptura V. T.* duæ occurrunt probationum classes: quarum *prior* plures una in Deitate personas, *posterior* tres subsistere docet. Ad *primam* pertinent: I. Ea loca, ubi Deus de se in prima persona loquitur, numero plurali: ut cum se dicit אדני אלהים *Exod.* 20. v. 2. *Ego sum* יהוה אלהים *tuus, & alibi.* II. Illa, quibus attributa numero plurali de Deo propriè enunciantur, *Ios.* 24. v. 29. *Nō potestis colere Iehovam, quia* אלהים *sancti est. Iob.* 35. v. 10. *ubi est Deus factores mei, Ier.* 10. v. 10. *Iehova dii veritatis, Dii viventis.* III. Ista, quibus actiones suas numero plurali sibi tribuit, *Gen.* 1. v. 26. *Dixit* אלהים *faciamus hominem ad imaginem nostram, cap.* 3. v. 22. *Dixit* יהוה אלהים: *Ecce homo est sicut unus ex nobis, cap.* 1. v. 7. *dixit* יהוה *age dū descendamus & confundamus sermonem.*

Ex V. T. I. quod plures sint.

II. quod tres

Secundæ classis hæc sunt, *Gen.* 1. v. 2. *Spiritus* אלהים id est, Patris & Filii, *incubabat superficiei aquarum, Ps.* 33. v. 6. *Verbo Iehovæ facti sunt cœli, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorū,* 2. *Sam.* 23. v. 2. *Spiritus Iehovæ locutus est in me, & sermo ejus per linguā meā, Es.* 48. v. 16. *Dominus* יהוה *mittit me, & Spiritus ejus. Hag.* 2. v. 4. 5. *Confirmare &c. dictum Iehovæ: cū Verbo, quo pepigerā vobiscū, exeuntibus vobis ex Ægypto, & spiritu meo stante in vobis, ne timeatis.*

Ex N. T.

In *scriptura N. T.* clarius hæc

hæc doctrina proponitur, personæque tùm disertius exprimuntur, tùm frequentius conjunguntur. Loca præcipua sunt: *Matt.* 3. v. 16. 17. de Baptismo Christi: sic *Ioh.* 1. v. 32. 33. 34. *Matt.* 28. v. 19. *Baptizate in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* 1. *Ioh.* 5. v. 7. *Tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus. Ioh.* 15. v. 26. *Cum venerit consolator ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à Patre emanat, ille testabitur de me.* 2. *Cor.* 13. v. 13. *Gratia Domini Iesu Christi, & Charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis.* Inspiciantur & alia: *Ioh.* 14. v. 16. 26. 1. *Cor.* 12. v. 3. item. v. 4. 5. 6. *Gal.* 4. v. 6. *Eph.* 2. v. 18. *Tit.* 3. v. 4. 5. 6. *Apoc.* 1. v. 4. 5. His Veteris Novæque Scripturæ Testimoniis, nititur Doctrinæ de Trinitate personarum Divinarum veritas. Quæ quidem similitudinibus quibusdam à rebus creatis, puta à mente humanâ, à radiis & lumine solis, à fonte, rivo & fluvio, aliisque adumbrari, non autem dignè potest declarari: adeoque valent omnia similia, ad qualemcunque tantum illustrationem apud domesticos fidei, non verò ad ullam demonstrationem aut probationem apud extraneos. *Ordo* inter tres personas Deitatis deprehenditur duplex: naturalis & arbitrarius. *Naturalis* est à modo subsistendi, *Matth.* 28. v. 19. 1. *Ioh.* 5. v. 7. expressus. Eoque *Pater* est *prima* persona, quia habet modum illum à se; *Filius secunda*, quia habet eum à Patre; *Spiritus Sanctus tertia*, quia habet eum à Patre & Filio. *Arbitrarius* est, quo scriptores θεόπνευστοι Personas pro instituto suo enumerant. Sic Patri jam Filius præponitur. 2. *Cor.* 13. v. 13. *Gal.* 1. v. 1. jam Spiritus Sanctus *Ephes.* 2. v. 18. Item, Spiritus Sanctus aliquando præponitur Filio, *Apoc.* 1. v. 4. 5. aliquando Patri & Filio 1. *Cor.* 12. v. 4. 5. 6. Qui ordo, ut naturalem in subsistendo non abolet, ita naturalis æqualitatem & coæternitatem personarum non labefactat. Nos in explicatione ordinem naturalem sequamur.

Ordo Personarum. Naturalis. arbitrarius.

Pater est prima Deitatis persona, qui à nullo existens genuit Filium. Pater hoc loco dicitur, *non respectu creationis*, ex qua omnes sumus ejus progenies, *Actor.* 17. v. 28. aut *adoptionis* in Christo, *Ephes.* 1. v. 5. secundum quam credentes ejus filii sunt: *Iohan.* 1. v. 12. *sed respectu singularis illius rationis*, quam habet ad Filium ἴδιον, *Rom.* 8. v. 32. καὶ μονογενῆ *Iohan.* 1. v. 14. *Communiter* de ipso prædicatur, quod sit *persona Deitatis*. Est enim ὑπόστασις, *Heb.* 1. v. 3. est ὑπόστασις intelligens, quam vocant ὑφιστάμενον νοερὸν, *Rom.* 11. v. 23. est

Pater. Quotuplici respectu dicatur Pater. Persona Deitatis.

Deus, *Ioh.* 17. v. 3. denique proprietate incommunicabili distinguitur *Psal.* 2. v. 7. *Singulariter* verò, quod sit *prima* persona à nullo exsistens, & gignens Filium. Et ideò quidem prima, quia ἄναρχος, ἀγέννητος; quia à nullo subsistentiæ suæ principium habet, sed à se subsistit. Quod constat I. ex subsistendi ordine, in quo Pater primus est, *Matth.* 28. v. 19. 1. *Ioh.* 5. v. 7. quia à nullo est *Iohan.* 5. v. 26. II. Quia omnia ab ipso, tanquam primo principio personali, esse dicuntur per Filium 1. *Cor.* 8. v. 6. III. Quia omnia ad ipsum, ut primum principium personale referuntur, etiam à Filio *Ioh.* 5. v. 19. IV. Quia nomen Deitatis ipsi tribuitur κατ' ἐξοχὴν, *Ioh.* 1. v. 1. 2. *Matth.* 16. v. 16. & passim in utroque Testamento: unde Patres Orthodoxi ipsum vocant *originem ac fontem totius Deitatis, principiumque Filii & Spiritus Sancti.* Hâc igitur differentiâ ab utroque, Filio & Spiritu Sancto, distinguitur, quorum neuter est à se ipso. A Filio verò alterâ particulariter, quâ ipsum genuisse dicitur. Hujusque respectu, Pater ὑποστατικῶς appellatur. *Genuisse* autem *Filium* apertè de se testatur *Psal.* 2. v. 7. *Filius meus es, ego hodie genui te.* Quin etiam hominibus illud testatum fecit; dum hunc Filium suum in orbem introduxit, *Heb.* 1. v. 5. 6. dum eum Filii elogio cœlitus editâ voce ornavit, *Matth.* 3. v. *ult. cap.* 17. v. 5. 2. *Petr.* 1. v. 17. dum opera miraculosa ipsi patranda dedit, *Ioh.* 5. v. 36. dum denique eum à mortuis resuscitavit *Actor.* 13. v. 32. 33. *Rom.* 1. v. 4. Idem docent voces Patris & Filii: quarum illam de se ut gignente, istam de Filio ut genito ipse usurpat 2. *Sam.* 7. v. 14. *Hebr.* 1. v. 5. *Ego ero ei Pater, & ipse erit mihi Filius.* *Psal.* 2. v. 7. *Filius meus es.* *Matth.* 3. v. 17. *cap.* 17. v. 5. *Hic est Filius ille meus.* *Modus* verò *generationis*, quo Filium genuit, non physicus est, non metaphysicus, sed *hyperphysicus*, prorsusque Divinus; eoque nobis incomprehensibilis. Eum Christus aliquatenus declarat *Iohan.* 5. v. 26. ubi dicit, *sicut Pater habet Vitam in seipso, sic dedit & Filio habere Vitam in seipso.* Ut gignere nihil sit aliud, quàm dare Vitam subsistentem: quæ vita, ut in Patre à nullo est, sic in Filio à Patre est. In Scholis ajunt, Patrem *communicasse* Filio *essentiam suam*: quia dedit eam communicatione, non alienatione: Fit enim propriè generatio, per communicationem naturæ ejus, qui gignit. Pater gignit non quâ Deus absolutè, sed qua Pater relatè: nam actiones sunt suppositorum. Ergò essentiam suam communicat. Pater

[Margin notes: Prima. — Rationes. 1. 2. 3. 4. — Gignens Filium. — Modus generationis. — Hyperphysicus. — Facta est enim — Per communicationem essentiæ.]

ter igitur est principium quod gignit. Natura principium quo generatio peragitur. Unde persona gignere & gigni dicitur: natura neque gignere, neque gigni, sed communicari. Facit quoque ad declarandum generationis modum, quòd solus *Pater*, ejus principium est. Dicit enim numero singulari, אֲנִי יְלִדְתִּיךָ *Ego genui te Psal.* 2. v. 7. Idque enunciat Conjugatione non tertiâ, quâ Pater apud Hebræos dicitur liberos gignere; sed Primâ, quâ vulgò matres partus suos edere significantur: ut Filium à Patre, hoc est, ex ipso & in ipso genitum intelligamus. Insuper genuit Filium non libertate voluntatis, quasi eum potuerit non gignere; sed *proprietate ac perfectione naturæ suæ.* Nam ut mens rationem, sol radios de se gignit naturaliter: sic pater Filium. *Ioh.* 1. v. 1. *Hebr.* 1. v. 3. Denique genuit ipsum *ab æterno*, sive æternâ generatione. Non minus enim ab æterno Pater est, quàm Deus est: nec minus æterna hæc Personalis ejus proprietas, quàm ipsa essentia. Alioquin mutationem aliquam passus fuisset in suâ naturâ. De quo infrà pluribus. Etsi verò, quia æterna generatio est, omnis principii, successionis & finis expers est, (unde per omnes temporum differentias rebus Divinis convenienter exprimi solet) Scriptura tamen de eâ ut præteritâ loquitur *Psal.* 2. v. 7. *Proverb.* 8. v. 24. *Iohan.* 1. v. 14. 18. *& alibi*: nimirum ut perfectionem ejus, tanquam jam factæ, pro nostro captu nobis declaret.

A solo Patre.

Proprietate ac perfectione naturæ suæ.

Ab æterno.

Scriptura cur de generatione ut præteritâ loquatur.

Filius est secunda Deitatis Persona, à Patre genita. Filius dicitur, *non creatione, Luc.* 3. v. 38. quia omnia per ipsum creata sunt, *Ioh.* 1. v. 3. non *adoptione*, 1. *Ioh.* 3. v. 2. quia per ipsum facta adoptio, *Ephes.* 1. v. 5. non aliqua *dignitatis* supra creaturas inferiores *eminentiâ*, quomodo Angeli Filii Dei dicuntur, *Iob.* 1. v. 6. nam id disertè negat Apostolus, *Hebr.* 1. v. 4. 5. non etiam *unione personali*: ut patefactus in Carne dicitur Filius Hominis, *Ioh.* 3. v. 13. *sed æternâ generatione* à Patre; secundum quam υἱὸς ἴδιος, *Rom.* 8. v. 32. ὁ μονογενὴς *Ioh.* 1. v. 14. appellatur. *Communiter* de ipso prædicatur, quod sit *Persona Deitatis*. Est enim ὑπόστασις, *Ioh.* 1. v. 12. *& seqq.* est ὑπόστασις intelligens, *Ioh.* 1. v. 18. est Deus, 1. *Iohan.* 5. v. 20. & proprietate incommunicabili distinguitur; quia μονογενὴς *Ioh.* 1. v. 14. *Singulariter* verò, quod sit *secunda* Persona à Patre genita. Quâ differentiâ non minus à Spiritu Sancto, quàm à

Filius.

Filius Dei quotupliciter dicatur.

Persona Deitatis.

Secunda.

Patre

Patre diſtinguitur. Etenim Spiritus Sanctus eſt à duobus, Patre & Filio: Filius ab uno Patre; ille per ſpirationem, hic per generationem ſubſiſtit. Cæterum eſſe Filium *à Patre* probatur: I. Quia habet vitam ſubſiſtentem à Patre, *Ioh.* 5. v. 26. II. Quia mittitur à Patre, & miſſus prodit *Ioh.* 5. v. 36. 37. 43. *&* *cap* 6. v. 28. III. Quia operatur à Patre *Ioh.* 5. v. 19. 20. *&* 30. IV. Quia ad Patrem omnia refert, *ibidem*. Eſſe verò à Patre *per generationem*, hoc eſt, ab ipſo genitum, itidem probatur: I. Cum dicitur unigenitus à Patre, *Ioh.* 1. v. 14. Sapientia à Jehovâ genita *Proverb.* 8. v. 22. 23. 24. 25. II. Cum dicitur *Filius*; in Vet. Teſt. ſimpliciter, *Pſal.* 2. v. 7. *Proverb.* 30. v. 4. in Novo cum adjectione, *Vnigenitus*, *Ioh.* 3. v. 16. *Proprius Rom.* 8. v. 32. Atque hæc generatio aliquot *ſimilitudinibus*. utrobique adumbrata proponitur. In V. Teſt. ſimilitudine ſapientiæ: *Proverb.* 8. v. 12. *&* *ſeqq.* Nam ut à mente ſapientia: ſic Filius à patre gignitur. In Nov. Teſt. ſimilitudine Imaginis, *Coloſſ.* 1. v. 15. effulgentiæ & characteris, *Hebr.* 1. v. 3. ſermoniſque interni in mente humanâ Ioh. 1. v. 1. Ut enim imago non qualiſcunque ſimilitudo, ſed expreſſa ejus effigies eſt, cujus eſt imago: ſic Filius eſſentiâ, eſſentialibuſque proprietatibus tàm expreſſa Patris effigies eſt, ut qui ipſum videt, videat Patrem *Ioh.* 14. v. 9. Ut à ſole eſt ſplendor radiorum: ita à Patre Filius, tanquam lumen de lumine, tanquam glorioſæ ipſius naturæ æquè glorioſa Imago. Ut Character exactè refert matricem, ex quâ expreſſus eſt: ſic Filius patrem exactè refert, à quo genitus eſt. Ut λόγος concipitur à mente humanâ & in eâ manet: ita Filius genitus eſt à Patre, & in ipſo manet. Poſtremò, ut Sapientia, Imago, Effulgentia, Character Λόγος, ab alio ſunt, & alius ſunt, (nam ſapientiam & λόγον præcedit mens, à quâ & in quâ ſunt; imaginem præcedit perſona repræſentata imagine; effulgentiam corpus fulgidum; characterem matrix) ſic Filius à Patre eſt, & Patris eſt: non ut eſſentia ab eſſentia, ſed ut ὑπόστασις ab ὑποστάσει, ut perſona à perſonâ: quia χαρακτὴρ eſt τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς *Hebr.* 1. verſ. 3. Sed illa omnia in rebus creatis accidentalia ſunt in Filio, autem, qui in ſe & per ſe, etſi à Patre ſubſiſtit, eſſentialia. Ex his è Scripturâ ita declaratis clarum eſt, verè diſtingui in Divinis perſonam gignentem & genitam & generantem & generatam. At ipſam generationem in activam & paſſivam diſtinguendam eſſe nuſpiam docetur. Neque id ſtante ejus æternitate

A Patre.

Per generationem.

Similitudines generationem adumbrantes.

Generatio non eſt activa & paſſiva.

tate doceri potest: siquidem nihil simpliciter æternum, dici potest fuisse in potentiâ. Porrò sicut Filius *à solo Patre* genitus est, non etiam à matre, tanquam altero generationis principio: ita patrem quidem habere, at ἀμήτωρ esse, dicitur *Hebr.7.v.3.* Ut *solus* à solo Patre genitus est: ita etiam μονογενὴς, *Ioh.1.v.14.18.* & *proprius Dei Filius*, *Rom.8.v.32.* appellatur. Postremò quemadmodum Pater ab æterno genuit Filium, sic Filius *ab æterno* genitus est à Patre. Nam *exortus ejus est à principio, à diebus seculi, Mich.5.v.2. ante colles genitus fuit, Proverb.8.v.22. & seqq. Erat* jam *in principio, Ioh.1.v.1.* quia A & Ω, *Apoc.1.v.8.* æternaque fruebatur gloriâ apud Patrem, *Ioh.17.v.5.* utpote *primogenitus omnis creaturæ, Coloss.1.v.15.* phrasi Hebræâ, hoc est, ante omnes creaturas genitus.

Filius genitus est à solo Patre,

Solus,

Ab æterno.

Spiritus Sanctus est tertia Deitatis persona, à Patre & Filio procedens. Spiritus dicitur, *non* ut creaturæ, sive inanimatæ, *ut venti Iohan.3.v.8.* sive animatæ & intelligentes, *ut Angeli, Hebr.1.v.14.* & *animæ humanæ, cap.12.v.9.* non ut accidentia creaturarum, id est, *qualitates* & motus à Spiritu sancto effecti, *Ioh.3.v.6.cap.7.v.39. 1 Thessal.5.v.19.* nec ut *doctrina Euangelii, 1 Iohan.4.v.2.& cap.5.v.6.* neque etiam ut *Deus Ioh.4.v.24.* Spiritus appellatur οὐσιωδῶς; *sed* modo singulari, huic personæ proprio, qui est *ab ejus perspirationem subsistentiâ. Sancti* verò epitheton adjungitur, *Esa.63.v.10. 1 Cor.12.v.3.* metonymicè, ab immediato ejus effectu, qui est Sanctificatio Electorum *1 Cor.6.v.11. Communiter* de ipso prædicatur quod sit *persona Deitatis.* Nam ὑπόστασις est, *Matth.3.v.16.* est ὑπόστασις intelligens, *1 Corinth.2.v.10.11.* est Deus *Act.5.v.3.4.* & proprietate incommunicabili distinguitur. *Ioh.25.v.26. Singulariter* autem, quod sit *tertia* persona à Patre & Filio procedens. Quâ differentiâ tùm origo subsistentiæ ejus, tùm etiam modus exprimitur. *Origo*, cum à Patre & Filio esse dicitur. Et *à Patre* quidem esse, inde constat, quod ab ipso procedere sive emanare disertè docet Scriptura, *Ioh.15.v.26.* eumque *Spiritum Patris, Matth.10.v.20. Spiritum Dei Patris,* argumento loci, *Rom.8.v.11.14. Spiritum Dei, 1 Cor.12. v.3 Spiritum Iehovæ, Esa.61.v.1.& 63.v.14.* nuncupat. *A Filio* verò esse probatur. I. Quia est ejus Spiritus *Rom.8.v.9. Gal.4.v.6.* II. Quia ab ipso mittitur & datur *Ioh.15.v.26. cap.16.v.7. cap.20.v.22.* III. Quia quicquid revelat Ecclesiæ, à Filio accipit *Iohan.16.v.13.14.*

Spiritus Sanctus.

Spiritus quotupliciter dicatur.

Persona Deitatis.

Tertia.

A Patre.

Et Filio.

IV. Quia Filium glorificat, *Iohan.*16. *v.*14. non minus quàm Filius Patrem *Iohann.* 17. *v.* 4. V. Quia quæcunque Pater habet, eadem etiam Filius habet, *Iohann.* 16. *v.* 15. *cap.*17.*v.*10. exceptis tantùm iis, in quibus ei opponitur. Cum igitur non opponatur Patri quoad Spiritum Sanctum; consequens est, Spiritum Sanctum non minus à Filio, quàm à Patre vitam subsistentem habere. *Modus* quoque exprimitur voce ἐκπορεύσεως, processionis sive emanationis. Nam Spiritum Sanctum ἐκπορεύεσθαι, id est, *procedere* sive *emanare* à Patre testatur Christus, *Iohan.*15.*v.*16. non exclusivè, à solo Patre; quia non minus Filii, quàm Patris Spiritus est, *Rom.*8.*v.*9. sed quoad relationum personalium originem, quæ in personarum comparatione rectissimè Patri tribuitur. Quid verò sit hæc *Processio*, quidque à generatione Filii differat, parum in Verbo Dei explicatum est. *Generatim* constat, non esse eam mutationem à non esse ad esse; non progressum ab imperfecto ad perfectum: non migrationem de loco in locum: illa enim imperfectionis sunt omnia; sed esse essentiæ Divinæ communicationem à Patre & Filio factam. Ut enim Pater Filio, *Ioh.*5.*v.*26. sic Pater & Filius Spiritui Sancto dederunt vitam subsistentem: non alienatione, quasi eâ semet privârint, sed communicatione, ut tribus Deitatis Personis communis sit. Unde quicquid est essentiæ & denominationis ab eâ, non minus de Spiritu Sancto, quàm de Patre & Filio enuntiatur. *Deinde* constat, Processionem, prout hîc accipitur, non esse generationem. Nam Pater non habet ad Spiritum Sanctum relationem generantis, sed spirantis: non Patris, sed principii sive originis, sicuti Græci ipsum ἀρχὴν καὶ αἴτιον Spiritus Sancti dixerunt. Insuper Filius appellatur μονογενὴς, *Ioh.*1.*v.*14. fratrem sive consortem generationis non admittens. Alioquin non negamus τὸ ἐξελθεῖν, quod sæpe usurpatur de Filio, idem sonare, quod τὸ ἐκπορεύεσθαι. Veteres adumbrârunt processionem Spiritus Sancti variis *similitudinibus*, charitatis, virtutis, bonitatis; voluntatis quoque & caloris ex *Iohan.*1.*v.*1. & *Hebr.*1.*v.*3. Nam ut à mente est sermo, à mente & sermone voluntas; ita à Patre est Filius, à Patre & Filio Spiritus Sanctus. Ut à luce est lumen, à luce & lumine calor; ita à Patre est Filius, à Patre & Filio Spiritus Sanctus: non ut accidens sive qualitas, sed ut hypostasis & Persona. Quod autem de Filii generatione diximus esse

Procedens.

Processio Spiritus S. quid sit.

Similia processionem adumbrantia.

eam *naturalem* & *æternam*, id de Spiritus Sancti processione etiam intelligendum est. Ea quippe non minus est de proprietate & perfectione naturæ Dei, quàm generatio: non minus actus personalis internus, quàm ipsa. Cumque Spiritus Sanctus non voluntate alterius, sed naturâ Deus sit, argumento loci *Gal.* 4. v. 8. naturâ, non voluntate procedere oportet: Ex quo processionis hujus æternitas infertur necessariò. Quicquid enim Deo naturale est, æternum est.

Processio Spiritus S. naturalis est.

Et æterna.

Tribus his Deitatis Personis, *Patri*, *Filio* & *Spiritui Sancto*, tota ac integra Deitas sive *Essentia Dei æqualiter est communis*. Cujus rei fides, ut nobis constet indubitata, veritatem ejus quatuor probationum classibus, videlicet à Nominibus, Proprietatibus, Propriis Effectis, proprioque cultu Dei, de singulis Personis seorsim edisseremus. Igitur *Patrem Deum esse*, sive Essentiam Dei cum Filio & Spiritu Sancto communem habere, demonstratur. I. *A Nominibus Dei*, quia dicitur Jehova, *Exod.* 20. v. 2. Elohim, *Gen.* 1. v. 26. Verus ille Deus *Iohan.* 17. v. 3. II. *A Proprietatibus Dei*: quæ sunt, Simplicitas, *Deut.* 6. v. 4. Immutabilitas, *Psal.* 102. v. 27. 28. *Iac.* 1. v. 17. Æternitas, *Gen.* 21. v. 33. *Apoc.* 1. v. 4. Immensitas, 1. *Reg.* 8. v. 27. *Psal.* 139. v. 8. 9. Vita, *Ioh.* 6. v. 57. Intellectus sive sapientia, *Rom.* 16. v. 27. 1. *Tim.* 1. v. 17. Voluntas, *Ioh.* 6. v. 39. Veracitas, *Ioh.* 3. v. 33. *Tit.* 1. v. 2. Bonitas, *Matth.* 19. v. 17. *Psalm.* 103. v. 11. 17. Justitia, *Psalm.* 36. v. 6. 7. & 119. v. 137. Omnipotentia, *Gen.* 17. v. 1. *Matth.* 6. v. 13. III. *A propriis Dei Effectis*; quæ sunt opera ipsius: ut opus creationis, *Esa.* 44. v. 19. *Actor.* 4. v. 24. 25. 26. 27. Conservationis, *Ioh.* 5. v. 17. *Actor.* 17. v. 26. 28. Redemtionis per Filium, *Esa.* 45. v. 15. 17. 21. *Rom.* 3. v. 24. 25. Remissionis peccatorum, *Esa.* 44. v. 17. *Marc.* 2. v. 7. Sanctificationis *Ioh.* 17. v. 17. IV. *A proprio Dei Cultu*, qui est religiosa adoratio, *Matth.* 4. v. 10. Fides, *Iohan.* 3. v. 33. Baptismus, *Matt.* 28. v. 19. &c. *Filium Deum esse*, sive Essentiam Dei cum Patre & Spiritu Sancto communem habere, probatur. I. A nominibus Dei, quia *Deus* appellatur, non modo attributivè, *Ioh.* 1. v. 1. *Rom.* 9. v. 5. sed etiam subjectivè, 1. *Tim.* 3. v. 16. cum articulo præpositivo, *Ioh.* 20. v. 28. *Hebr.* 1. v. 9. adeóque nomen *Iehovæ*, uni Deo proprium, *Esa.* 42. v. 8. absolutè & definitivè Filio tribuitur: ut tùm ex locis simplicibus, *Hos.* 1. v. 7. *Esa.* 25. v. 9. *Ierem.* 23. v. 6. tùm ex parallelis hisce liquet: *Num.* 21. v. 6. & 1. *Cor.* 10.

Essentia Dei æqualiter communis est.

Patri:

1. A Nominibus Dei

2. A Proprietatibus Dei.

3. A propriis Dei Effectis.

4. A proprio Dei Cultu.

Filio:

1. A Nomibus Dei.

v.9.Esa.6.v.5.& Ioh.12.v.21.Ierem.17.v.10.& Apoc.2.v.23.Esa. *45.v.23.& Rom.14.v.11.Esa.8.v.13.14. & Luc.2.v.34. Rom.9.* *v.32.Ioël 2.v.27.28.& Actor.2.v.17.& 23.* II. *A proprietatibus Dei*, quæ sunt, Simplicitas, *Hebr.9.v.14. Rom.1.v.14.* Immutabilitas, *Hebr.1.v.11.12. Matth.24.v.35.* 2 *Cor.1 v.20.* Æternitas, *Esa.9.v.6.Hebr.9.v.14.Iohan.1.v.1.2.Apoc.1 v.11.* Immensitas, *Matth.18.v.20. cap.28.v.20. Ioh.3.v.13.* Vita, *Ioh.5.v.26.cap.6.* *v 57.* Intellectus sive omniscientia, *Ioh.16.v.30.cap.21.v.17.* *cap.2.v.24.Matth.11.v.27.* Voluntas, *Matth.11.v.27.* Veracitas *Ioh.8.v.14.cap.14.v.6. Matth.24.v.35.* 2 *Cor.1.v.20.* Bonitas, *Tit.1.v.4. Ephes.5.v.2.* Justitia, 2 *Tim.4.v.8. Actor.17.v.31.* Omnipotentia *Iohan.5.v.19.Apoc.1.v.8. Hebr.1.v.3* III. *A propriis Dei effectis*: quæ generatim Filio tribuuntur, *Iohan.1.v.19.* speciatim verò creatio, *Iohan.1.v.3. Coloss.1.v.16.* Conservatio, *Hebr.1.v.3. Ioh.5.v.17. Coloss.1.v.27.* patratio miraculorum, tùm per se, *Ioh 5.v.36. cap.10.v.37.38. Matt.11.v 5. & passim in Euangelio*; tùm per alios, *Marc.16.v.20. Actor.3.v.6. & alibi.* Redemtio, *Hos.1.v.7. Actor.20.v.28.* Remissio peccatorum, *Esa.53 v 11. Matth.9.v.6. Actor.7 v 60.* Sanctificatio, *Eph.5.* *v.26. Tit.2.v.14.Ioh.1.v.33.* Institutio ministerii, *Matth.28.* *v.18.& seqq. Iohan.20.v.21.* Missio ministrorum donis necessariis instructorum, *Ephes.4.v.10.11. & seqq.* Collectio & defensio Ecclesiæ *Iohan.10.v.11.14.16.26.27 28.29. Matth.16.v.18.* *Psal.110.v.1. & seqq.* IV. *A proprio Dei cultu, Iohan.5.v.23 Psal.* *2.v.11.12.* qui est religiosa adoratio, *Phil.2.v.10. Hebr.1.v.6.* *Actor.7.v.60.* Fides, *Iohan.3.v.16.18.cap.4.v.1. Psal.2.v.12.* Baptismus, *Matth.28.v.19. Actor.2.v.38. &c. Spiritum Sanctum Deum esse*, sive essentiam Dei cum Patre & Filio communem habere, probatur. I. *A Nominibus Dei*; ut sunt Jehova, *Esa.6.v.9.* *& Actor.28.v.25. Num.12.v.6.Ierem.1.v.4. &* 1 *Petr.1.v.11.* 2 *Petr.1.v.21. Ierem.31.v.31. & Heb.10.v.15 Psal.95.v.6.& seqq.* *& Hebr.3.v.7.* Deus, *Actor 5.v 3.4.* 1 *Cor.3.v.26.* II. *A proprietatibus*, quæ sunt Simplicitas, *Iohan.4.v.24.* Immutabilitas, *Actor.1.v.16.* Æternitas, *Genes.1.v.2.* Immensitas,, *Psal.139.* *v.7.* 1 *Cor.6.v.19. Rom.8.v 9.* Vita, *Genes.1.v.2. Rom.8.v.11.* Intellectus, 1 *Cor.2.v.10.11. Esa 11.v.2. cap.40.v.13.14.* Voluntas, 1 *Cor.12.v.11.* Veracitas, *Iohan.16.v.13.* 1 *Iohan.5.v.6.* Bonitas, *Psal.143.v.10. Rom.5.v.5. cap.8.v.26.* Justitia, *Esa.63.* v.10.

[Margin notes: 2. A Proprietatibus Dei. — 3. A propriis Dei Effectis. — 4. A proprio Dei Cultu. — Spiritui Sanct: — 1. A Nominibus Dei. — 2. A proprietatibus Dei.]

v.10.*Joh.16.v.8.* Omnipotentia, *Esa.11. v.2. Mich.3.v.8. Luc. 1.v.35.* III. *A propriis Dei effectis*: quæ ſunt creatio; *Iob. 26. v.13.cap.33.v.4. Pſal.33. v.6.* Conſervatio, *Geneſ. 1. v. 2.* Miraculorum patratio, *Matth.12.v.28. 1 Corinth.12.v.4.* Vocatio Doctorum Eccleſiæ, eorumque inſtitutio, *Eſa.48.v.16. Act.13. v.2.cap.20.v.28.Luc.12.v.12. 1 Cor.12.v.7. 2 Pet.1.v.21.* Collectio Eccleſiæ, *Epheſ.2.v.22. 1 Cor.12. v.13.* Sanctificatio ejus & regeneratio *Iohan.3 v.6.1 Corinth.6.v.11. Tit.3.v.5.* IV. *A proprio Dei cultu* ceu eſt adoratio religioſa, *Pſal.95.v.6. & ſeqq. collato cum Hebr.3.v.7. Eſa.6.v.3. collato cum Actor.28. v.26. 2 Cor.13.v.13.* Fides, *Iohan.14. v.16.17.* Baptiſmus *Matth.28. v.19.Actor.19.v.2. & ſeqq.* Ita demonſtratum eſt, Deitatem ſive eſſentiam Dei tribus in eâ perſonis, Patri, Filio & Spiritui Sancto communem eſſe. Eſt verò *communis,non* ut genus ſpeciebus, aut ſpecies individuis; quia univerſalium communitas ut potentiam ſic imperfectionem includit: deinde genus & ſpecies non agunt, aut ſubſiſtunt per ſe; Deus autem ſubſiſtit, agit per ſe. *Nec* etiam communis eſt ut accidens ſuis ſubjectis: quia Deus omnis compoſitionis expers eſt. *Nec* ut cauſa communis effectibus, quia illa differunt eſſentialiter. *Nec* ut totum partibus, aut continens contentis, quia Deus ἀμέρισος eſt & infinitus: perſonæque non compoſitione, sed συνυπάρξει in eſſentiâ ſubſiſtunt. Dicitur *autem* communis, ut res ſuis modis ſive ſubſiſtentiis: quia tres perſonæ ſubſiſtunt in Unitate eſſentiæ: & tota eſſentia eſt in qualibet Deitatis perſonâ ſecundum perfectionem ſuam. Ideoque nomen eſſentiæ de ſingulis perſonis prædicatur; non autem nomen perſonæ abſolutè de eſſentiâ; nam illud latius, hoc anguſtius eſt. His ita poſitis ultrò ſequitur trium Deitatis perſonarum ὁμουσία ϗ ἰσότης. Quibus enim eadem numero eſſentia eſt ac nomina eſſentialia, quibus eædem numero proprietates eſſentiales, iidem numero effectus proprii, denique eadem numero propria conſequentia: ii ſunt conſubſtantiales ſive coëſſentiales, & æquales. Patri, Filio & Spiritu Sancto eſt eadem numero eſſentia,&c. Ergò. De hâc ὁμουσίᾳ intelligenda ſunt dicta, 1 *Ioh. 5.v.7.Tres ſunt, qui teſtificantur in cælo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus,& hi tres unum ſunt. Iohan.10.v 30. Ego & Pater unum ſumus. cap.17.v.22. ut ſint unum, ſic & nos unum ſumus:* Quæ ὁμοβουλία, perpetua & naturalis, non poteſt eſſe niſi ab ὁμουσίᾳ. De ἰσότητι

3. A propriis Dei Effectis.

4. A proprio Dei cultu.

Quomodo Eſſentia communis ſit perſonis.

Perſonarum Divinarum.

ὁμουσία.

ἰσότης.

autem hæc loquuntur: *Ioh.* 5. v. 19. *Quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit*, &c. *v.* 23. *ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem. Matth.* 28. v. 19. *Baptizate eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti* &c. Præterea sequitur, Trium Personarum, prout appellârunt Veteres, περιχώρησις ἐν ἀλλήλαις, sive Ἐμπεριχώρησις ἐνάλληλος, quæ unio est Personarum, qua singulæ in singulis sunt & manent, seseque mutuò possident, amant, glorificant *Iohan.* 14. v. 10. 11. *cap.* 1. v. 1. *cap.* 5. v. 19. *cap.* 17. v. 1. 5. 21. *Proverb.* 8. v. 22. Cum enim in unâ numero essentiâ subsistant omnes Personæ, eamque totam possideant singulæ; necessum est, unam perpetuò & inseparabiliter esse in alterâ, eamque complecti & permeare. Etsi igitur distincta sint in essentiâ; sunt tamen per hanc περιχώρησιν prorsus inseparabiles: ut rectè Christus *Ioh.* 14. v. 23. *Ego & Pater veniemus, & apud eum habitabimus*: unà cum Spiritu Sancto cohabitante 1. *Cor.* 3. v. 16. Denique ex jam dictis, colligitur *discrimen inter Personas divinas increatas, & creatas*, quales sunt angelicæ & humanæ. Personæ *creatæ* non solùm distinctæ sunt, ut una non sit altera, sed etiam separatæ, ut una sit extrà aliam. *Divinæ* distinctæ quidem sunt, ut dicetur, at non separatæ: quia una est in aliâ *Ioh.* 14. v. 10. Personæ *creatæ* tantùm ὁμοιούσιοι sunt, non ὁμοούσιοι: at *divinæ* ὁμοούσιοι 1. *Ioh.* 5. v. 7. Utriusque differentiæ ratio est, quod essentia creata finita est, & circumscripta; divina verò infinita & incircumscripta. Quamobrem illa personis separatim & per partes, ista singulis tota & indivisa inest.

Ἐμπεριχώρησις.

Discrimen à Personis creatis.

Personæ distinguuntur.

Jam *distinctionem* quoque *Personarum* videamus. Ea duplex est: alia ab essentiâ, alia inter se. *Ab essentiâ* non realiter, sed ratione distinguuntur Personæ: quia respectu essentiæ unum dicuntur. 1. *Ioh.* 5. v. 7. *Ioh.* 10. v. 30. non aliud atque aliud. *Inter se* autem realiter, quia non sunt unus, sed alius atque alius: alius Pater, *Joh.* 5. v. 32. alius Filius, *Joh.* 1. v. 14. 18. alius Spiritus Sanct. *Joh.* 14. v. 16. Est igitur *inter essentiam & Personas distinctio rationis*: non pura, ex mentis tantùm operatione dependens; sed *eminens*, quæ etiam citrà illam est in Deo, idque ab æterno. Nam ab æterno essentia Dei absoluta fuit; Persona relata: essentia communis, Persona propria: essentia expers originis, Persona Filii & Spiritus Sancti cum origine: essentia neque gignens neque genita, neque spirans, neque spirata; at Persona Patris gignens, per-

Ab Essentiâ ratione.

Persona Filii genita: Personæ Patris & Filii spirantes, Persona Spiritus Sancti spirata. *Inter personas* verò *realis distinctio* est, eóque priore major. Quod vel hinc patet: quia una Persona non prædicatur de altera; sicut una illa essentia prædicatur de omnibus personis, & omnes singulæque personæ unam illam essentiam totam & integram possident. *Realiter* autem differre, non est hîc differre essentialiter & separabiliter; quippe essentiâ non differunt personæ, nec separari vel ab essentiâ, vel à se invicem possunt: Sed differre τῷ εἶναι personali, differre τρόπῳ ὑπάρξεως, differre relationibus sive proprietatibus personalibus. Atque hæc differentia distinctioque secundum differentiam *primò* intus in ipsis personis, *deinde* foris in earum operibus deprehenditur. *In ipsis personis*, quia Pater ἀγεννησίᾳ à Filio; Filius γεννήσει à Patre; Spiritus Sanctus ἐκπορεύσει ab utroque differt. *In Operibus Personarum:* quia licet opera indivisa sint, & communia respectu principii & ἀποτελέσματος communis: (Unde axioma Theologicum; *Opera ad extrà sunt indivisa*) ordine tamen operationum terminisque distinguuntur. Etenim *ordo operandi* sequitur ordinem existendi. Ut ergò in existendo Pater à nullo est; sic operatur à nullo, sed à se: Filius à Patre est, ita operatur à Patre, & Pater per ipsum: Spiritus Sanctus à Patre & Filio est, ita operatur ab utroque, & uterque per ipsum. Quod ipsum docent hæ phrases Scripturæ: 1 *Cor.*8.*v.*6. *A Deo Patre sunt omnia*: *Ioh.*5.*v.*19. *Non potest Filius à semet ipso operari, id est, nisi viderit Patrem operantem*: *Hebr.*1.*v.*2. *Per Filium Deus mundum condidit*: & *Ioh.*1.*v.*3. *Coloss.*1.*v.*16. *Omnia per ipsum facta sunt*: *Ioh.*15.*v.*26. *Filius mittit Spiritum Sanctum à Patre*: & *Spiritus Sanctus à Patre emanat*. *Terminis* insuper distinguuntur, quoties operatio Divina in, vel ad Personam aliquam Deitatis terminatur. Sic vox illa Patris de Filio, *Matth.* 3.*v.* 17. *cap.*17. *v.* 5. terminabatur ad Personam Patris: Incarnatio Filii, 1 *Tim.*3. *v.*16. acquisitioque Ecclesiæ per proprium sanguinem, *Actor.*20.v.28. ad Personam Filii: apparitio Spiritus Sancti sub specie columbæ, *Matth.* 3.*v.*16. ad Spiritus Sancti personam.

Inter se realiter,

Et quomodo.

Distinctio deprehenditur.

1. In ipsis Personis.

2. In earum Operibus quoad

Ordinem operandi.

Terminos operationis.

Ita

Ita utramque de Deo theoriam, absolutam *essentiæ unius*, relatam *trium in eâ Personarum expedivimus. Superest* Usus *ex utrâque quadruplex.*

I. Ad Διδασκαλίαν. *Deus alius est à creaturis.* Psal. 102. v. 27. 28. Job. 38. 39. 40. capp. Esa. 55. v. 8. 9. *Deus noster est verus Deus: quia vivus*, Johan. 3. v. 10. Psal. 115. v. 5. 6. & seqq. Jerem. 10. v. 9. 10. 1 Thessal. 1. v. 9. *quia solus sapiens*, Rom. 16. v. 27. 1 Timoth. 1. v. 17. *solus bonus*, Matth. 19. v. 17. *misericors, gratiosus*, Exod. 34. v. 6. 7. *ipsa charitas*, 1 Johan. 4. v. 8. *quia omnipotens*, Psal. 91. v. 1. 2. Dan. 4. v. 34. & seqq. *quia denique Iehova Elohim*, Exod. 20. v. 2. *Deus est perfectissimus, beatissimus, sibi ad omnia sufficientissimus* Genes. 17. v. 1. Job. 37. v. 15. Matth. 5. v. ult. *Deus est fons omnis boni, omnis virtutis, omnisque vitæ, naturalis & supernaturalis, in creaturis*, Jacob. 1. v. 17. Psal. 136. per totum. Deut. 30, v. 20. Actor. 17. v. 28. Psal. 36. v. 10. 1 Petr. 1. v. 23. *est summum hominis bonum*: Genes. 15. v. 1. Psal. 16. v. 5. & 33. v. 12. & 73. v. 25. *Sic tamen, ut nemini obligatus se suaque quàm liberrimè communicet.* Rom. 11. v. 35. Jerem. 18. v. 6. Matth. 20. v. 15. Rom. 9. v. 18. *Postremò nostra religio, quæ hunc Deum rectè agnoscendum & sincerè colendum proponit, est vera religio.* Johan. 17. v. 3. 1 Thess. 1. v. 9. Psal. 4. v. 11. 12.

II. Ad Παιδείαν. *Deum Spiritu & veritate colamus* Johan. 4. v. 23. 24. *Circà ipsum unum colendum summâ curâ occupemur*: Matth. 4. v. 10. & cap. 22. v. 37. 38. *exemplo Davidis*, Psal. 27. v. 4. *& Mariæ* Luc. 10. v. 41. 42. *In ipso tanquam perfectissimo acquiescamus*: Psal. 16. v. 5. *Veræ simplicitati & sinceritati studeamus* Matth. 10. v. 16. Ephes. 6. v. 5. *Exemplo Iobi* cap. 1. v. 1. *& Pauli* 2 Corinth. 1. v. 12. *Deum suprà omnia timeamus, quia omnibus superior est*, 1 Reg. 8. v. 23. *ei suprà omnes obediamus, exemplo Apostolorum*, Actor. 5. v. 29. *ipsum immutabili constantiâ in bono imitemur*, 2 Timoth. 3. v. 12. *exemplo Baptistæ* Matth. 11. v. 7. *Deo æterno, eoque nunquam desituro fidamus*, Psal. 102. v. 25. & seqq. 1 Timoth. 6. v. 16. *ab eo vitæ nostræ prorogationem petamus*, Psal. 102. v. 25. *exemplo Ezechiæ*, Jesa. 38. v. 3. *& Christi pro Lazaro*: Joh. 11. v. 41. & seqq. *Vbivis locorum piè & religiosè vivamus, quia ubiq; nobis præsens est* Gen. 17. v. 1. *Vbivis ipsum invocemus*. Ioh. 4. v. 21. 1 Tim. 2. v. 8. *ac in nomine ipsius congregati de gratiosâ præsentiâ certissi-*

certissimus Mat.18.v.20.cap. 28.v.20. *Metuamus à conspectu Dei viventis, exemplo Darii,* Dan 6.v.26. *Deoque vivo adoratione,* Heb.9.v. 14.15. Apoc.4.v.9. *spe,* 1.Tim.6.v.17. *jurejurando in ipsius nomine concepto,* Jerem.4.v.2. *serviamus. In oculis ipsius inculpatè degamus, quia videt & observat omnia, dicta, facta, & cogitata nostra* 2.Chron.16.v.9. Ps.139.v.1. & seqq. Luc.16.v.15. Heb.4.v.13. 1.Thess.2.v.4.5.6. *Ab ipso in rebus dubiis & desperatis consilium petamus,* Psal.143.v.10. Jes.9.v.6. *sapientiam quoque dari nobis rogemus,* Jac.1.v.5. *exemplo Salomonis* 1.Reg.3.v.9. *Gratias Deo agamus, quod liberâ voluntate innumera in nos contulit beneficia, quæ aliis denegavit* Rom.9.v.18. 1.Cor. 12.v.11. Eph.1.v.4. Jac.1.v.17.18. *Acquiescamus in hâc voluntate: quæ etsi sæpe imperscrutabilis, nunquam tamen ἄλογος est,* Rom.11.v. 33. Matt.11.v.26. *eique nos tàm in patiendo quàm in agendo conformemus,* Matt. 6.v.10. *exemplo Eli,* 1.Sam.3.v.18. *Davidis,* 2.Sam.15. v.25.26. *Christi,* Matt.26.v.39.42. *Pauli* Act.21.v.14. *Deum bonum, gratiosum, misericordem amemus,* Matt.22.v.37. 1.Joh.4.v.19. *invocemus exemplo Davidis,* Ps.86.v.14.15.16. *cum fiduciâ exauditionis,* Ps.25.v.6.7. *ab ipso omnia bona petamus, atque etiam ipsi accepta feramus* Ps.36.v.11.& 51.v.3.& 119.v.68. *Humiliemus nos, quos omni gratiâ indignos ex merâ misericordiâ servat, & non in nobis sed in ipso gloriemur* Jer.9.v.23.24. Eph.2.v.1.& seqq. Tit.3.v.3 *Patientiam in adversis præstemus: cum bonus & misericors graviora viribus non imponat,* Thren.3.v.22.& seqq. Mich.7.v.9.18.19. 1.Cor.10.v.13. Jac.5.v. 11. *atque hac de causâ in ipsius quàm hominum manus incidere malimus, exemplo Davidis* 2.Sam.23.v.14. *Hac benignitate moti convertamus nos à peccatis,* Joel.2.v.13. Rom.2.v.4. *eam ergà proximos imitemur,* Luc.6.v.36. 1.Joh.4.v.11. Eph.4.v.32. Coloss.3.v.12.13. *etiam inimicos,* Matt.5.v.44. *exemplo Patris cœlestis,* v.45.& seqq. *Christi,* Luc. 23.v.34. *& Stephani* Act.7.v.60. *Fidem Deo in omnibus tribuamus, qui verax est,* Joh.3.v.33. *& verus ille Deus;* cap.17.v.3. *proindeque firma promissionum fiduciâ compellemus,* Ps.40.v.12. *ac professionem spei minimè vacillantem retineamus* Heb.10.v.23. *Vitam nostram sincere & seriò emendemus: quia Deus pro justitiâ suâ non parcit peccatoribus, etsi subinde pœnam differat.* Exod.23.v.7. Ps.5.v.5.& 11.v.5. Rom.2.v.2.& seqq. 1.Pet.1.v.17. *Ab eadem justitia punitionem hostium, nostrique liberationem patienter exspectemus,* Psal.9.v.13. & 10 v.14. 1.Pet.2.v.19.20. Heb.6.v.10.c.10.v.36. *idque tantò magis, quia omnipotens est,* Ps.89. v.10.11.12.13. *& hac omnipotentiâ liberationem præstitit à Pharaone,*

Senacheribo, aliisque hostibus. Credamus etiam promissionibus ipsius, etiamsi impossibiles, Matt. 19.v.26 *ac contrariæ rationi videantur: Exemplo Abrahæ,* Rom.4.v.20.21. *Mariæ;* Luc.1.v.38. *Tantoque alacrius ipsi obediamus, exemplo Abrahæ* Heb 11.v.19. *Contra ipsum peccatis nostris irritare caveamus, quia potest certissimè perdere, omniaque in nostrum exitium armare,* Deut.32.v.39. & seqq. Jerem.5.v.22. Jac.4.v.12. *exemplo Pharaonis,* Exod.7. & seqq & *aliorum. Denique; prædicemus has aliasque Dei nostri virtutes* 1.Pet.2.v.9. *Eas in unitate essentiæ Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto tribuamus,* argumento locorum suprà de singulis allegatorum. *Quod fide tenere debemus, etsi ratione capere non possimus: ut per hanc fidem salvi fiamus* Joh.17.v.3.1.Joh.2.v.3.Rom.8.v.9.

III. *Ad* Ἐπανόρθωσιν: *Quum sit Deus, nè putemus nobis potestatem datam pro libitu vivendi* Ezech.20.v.18.19.20. *Cum unus sit, nulli alii vel particulam honoris ejus deferamus* Esa.42.v.8. Exod.20.v.3. *Cum spiritus: Nè terrenum quid aut carnale de ipso cogitemus.* Joh.4.v.24. Esa.55.v.89. *Nè nomina profana aut idolorum ipsi tribuamus,* Hos.2.v.16.17. *aut ipsius nomina idolis adscribamus* Esa.42.v.8. *Nè simus duplices corde, fallaces, dissimulatores: tales namque Deo simplicissimo exosi sunt,* Psal.5.v.7. Ierem.9.v.3.4.5.8. Jac.1.v.8. *exemplo Iobi,* 2.Sam.20.v.9.10. & *Iudæ* Matt.26.v.48.& seqq. *Nè brevem vitæ hujus caducæ felicitatem Deo æterno æternisque bonis anteponamus aut æquemus,* Psal.102.v.25.& seqq.& 103.v.15.& seqq. Matt.16.v.26. *exemplo Divitis* Luc.12.v.19.20. *Nè loci ullius, etiam abditissimi, occasione peccato frena laxemus: quia Deus ubique præsens est* Psal.139.v.7.& seqq Jerem.23.v.23.v.24. *Neque etiam vel mala cogitemus,* Jerem.17.v.9.10. Rom.2.v.16. *exemplo scribarum,* Matt.9.v.3.4. *& Pharisæorum* Matt.22.v.18. *Caveamus mutabilitatem in bono: quàm immutabilis ille Deus punit gravissimè: exemplo Protoplastorum,* Genes.3.v.16. & seqq. ad finem, *Israelitarum,* sub judicibus: *Ierosolymitanorum,* Esa.1.v.21.22. *Galatarum* Gal.3.v.1.2.3. *Insuper caveamus per peccata in Dei viventis manus incidere* Heb.10.31. Apoc.15.v.7. *Ne persuadeamus nobis, Deum peccata clandestina non videre,* Job.9.v.3.4.cap.11.v.11. *exemplo impiorum* Psal.11.v.11. *Nè dubitemus de eventu promissionum ejus, cum constans sit ejus voluntas, nec à quoquam mutari possit* Esa 14.v.27. Rom.8.v.31. Joh.10.v.29. *Nè desperemus, cum in nos sit tàm benevolus,* Nehem.9.cap. *nec in calamitatibus adversus ipsum murmuremus, exemplo Iobi,* cap.3. per totum.

Nè

Ne ingrati simus pro tanta ejus ergà nos bonitate & misericordia, Deut. 32.6.& seqq.*exemplo Iudæorum,* Esa.1.v.2.Mal.1.v.6. *nec eâ abutamur ad lasciviam peccandi* Matt.22. v.1. & seqq. Rom.2.v.4.5.cap. 6.v.1. & seqq. Judæ v.4. & seqq. *Non etiam bonis aliorum invideamus* Matt.20.v.15. *Ne putemus Deum approbare scelera impiorum, eò quod aliquandiu florent,* Zeph.3. v.5. Psal.50.v.16. *nec propterea cum ipso litigemus* Jerem.12. v.1. *Ne dubitemus de veritate promissionum Dei,* Psalm.89.v. 34.35. *exemplo irrisorum* 2.Pet.3.v.3.& seqq. *Nec alii aliis mentiamur,* Exod.20.v.16.cap.23.v.1. *exemplo Ananiæ* Act. 5.v.3.4. *Ne Deum omnipotentem peccatis nostris provocemus,*Matt.10. v.28.*nec desperemus de ullius salute.*Rom.11.v.23.& cap.14.v.4.*multò minus de salute totius Ecclesiæ, cum hostes in eam undique insurgunt.* Matt.16.v.18.Psal.2.v.1.& seqq.Act.4.25. & seqq.

IV. ad Παράκλησιν *Cum unus tantum sit Deus, bono animo simus; nam ubi hunc unum propitium habuerimus, non est quod alios extimescamus: quod fieret, si aut essent plures, aut esse falsò crederentur* Matt. 10. v.28. *Vt Deus simplex est, sic nos in altera vita verè simplices, id est, ab omnibus fraudibus fallaciisque alienos reddet,*argumento loci 2 Cor.3. v.18.*Cum immutabilis,certò nobis promissam salutem conferet* Num.23. v.23.2.Tim.4.v.8. *Vt æternus, sic æternam nostri curam geret* Heb.1. v.12.14.Joh.13.v.1. *Vt immensus, ita ubique nobis præsentissimus aderit in solitudinibus, periculis, carceribus, mortibus* Jos.2.v.9. Esa.43.v. 1.2.al.42.v.26.27.Psal.23.v.4. & 118.v.6 7.*Vt vivus, ita nos vivificabit etiam mortuos* Job.19. v.25.26.27. Joh.14. v.19.*Cum omniscius, novit innocentiam nostram, eamque à sinistris hominum judiciis asseret,* Psal.7. v.4.5.6.& 17.v.3.& 37. v.6. 1.Cor.4.v.5. *novit etiam calamitates nostras, & ex iis nos eripiet* Exod.3. v.7. Esa.40. v.10.& seqq.Nah.1.v.7.Matt.6.v.31.32. *Cum bonus,nunquàm nos derelicturus est,* Heb.13. v.5. *sed stabiliturus* 1.Pet.5. v.10. *Misericordia ipsius major est omnibus nostris peccatis,* Deut.4.v.31.Psal.78.v.38.Rom.5. v.20.*Iustitia vindicabit nos,* Psal.31.v.2.& 71.v.2 Dan.9.v.16. *Veritas confirmabit nos,* 1.Cor.1. v. 8.9. *Potentia autem ipsius nostrosque hostes contundet* Psal.2. v.9. & 110.v.1.5.6. 1.Cor.15. v.24.25.

LOCUS QUARTUS

De

DECRETIS DEI, eoque inprimis, quod PRÆDESTINATIONIS vulgò dicitur.

FVIT Prima *pars Theologiæ in doctrinâ de Deo.* Altera *de ejus Operibus succedit.*

Sunt autem Opera Dei, *quæ Deus facit extrà se, ad suam gloriam.*

Ea spectantur primò *in antecedente Decreto*: deinde *in subsequente Exsecutione.*

DECRETVM Dei est consilium ejus, de rebus extrà ipsum futuris.

Estque vel Providentiæ, *vel* Prædestinationis.

Decretum Providentiæ *est, de rerum omnium Creatione, conservatione & gubernatione.*

Decretum Prædestinationis *est, de creaturarum rationalium statu æterno.*

Distinguiturque in Prædestinationem Angelorum, & Hominum.

Prædestinatio Angelorum *est, quâ Deus alios præservare à lapsu, & in bono ad salutem confirmare; alios contrà non præservare, sed lapsui permissos, in eoque relictos, citrà spem veniæ damnare decrevit.*

Prædestinatio Hominum *est, quâ Deus apud se decrevit, quid de Hominibus lapsis, quoad æternam ipsorum salutem, vel exitium, fieri vellet.*

Hujus species sunt Electio & Reprobatio.

Electio *est, quâ decrevit quorundam misereri ex gratiâ, eosque à peccatis per Filium liberatos salvos facere.*

Repro-

Reprobatio *est, quâ decrevit quorundam non misereri, sed in peccatis relictos, propter ea æternum damnare.*

EXEGESIS.

A Deo ad *Opera* ejus, ex methodi nostrę instituto, rectissimè progredimur. Dicuntur autem hîc *Opera Dei* non actus Personales interni, quos *Opera ad intrà* vocant Scholæ: nec quæ ipsi probata, *Ioh.*6.v.28.29. aut ab ipso imperata, *Ioh.*4.v. 34. 1.*Cor.*15 v.58. hoc nomine censentur: sed ut habet definitio, *quæ ipse facit extrà se ad suam gloriam.* *Genus* operum nullũ traditur, quia sunt genus generalissimum. Describuntur autem Efficiente, Objecto, & Fine. *Efficiens* operum, est *Deus* ἐνεργῶν *operans*: diciturque principium *Quod.* Principium *quo* operatur, est δύναμις, *potentia* ejus sive Omnipotentia. Ab eâ est ἐνέργεια, *operatio*: ad quam sequitur ἐνέργημα, sive ἀποτέλεσμα: quod est τὸ ἔργον, *ipsum opus*, Dei operantis operatione productum: prout hæc ad captum nostrum distinguuntur *Eph.*1.v.19. Operatur autem *à se*, non ab alio, *Rom.* 11.v.36. *Esa.*66.v.2. *citrà ullam sui mutationem*: quæ in opere est, cum à non esse ad esse producitur, vel aliàs mutatur, non in operante, qui immutabilis est, *Iac.*1.v.17. citraque ullam sui *defatigationem*. *Esa.*40.v.28. & quidem jam *immediatè*, ut in creatione: jam *mediatè*, ut in conservatione, gubernatione, liberatione: ubi variorum usus est, & etiamnum utitur ministerio: non ex defectu aliquo potentiæ, sed propter abundantiam bonitatis. *Objectum* est, τὸ *extrà ipsum*, hoc est, res aliqua externa, quæ ipsius operatione aut producitur, aut producta jam aliter afficitur. *Finis* verò *ipsius gloria*, quam operum productione intendit, & per eam assequitur *Prov.* 16. v.4. *Rom.*11.v.36. *Apoc.*4.v.11. Ideoque distinguenda est ab illâ gloriâ, quã Deus ab æterno habuit in unitate essentiæ, *Esa.*42. v.8. *Exod.*33.v.18. & trinitate Personarum *Ioh.*17.v.5 Hæc siquidem ad naturæ ejus perfectionem pertinet: Ista verò tantum extrinsecus, propter excellentiam naturæ, ad ipsum refertur à creaturis intelligentibus: easque, non ipsum, hoc est glorificantes, non glorificatum perficit. *Affectiones* operum duplices constituimus. Nam quatenus *à Deo* producta sunt, *sapientissima, justissima, optima* sunt: quatenus *extra ipsum* existunt, *liberè producta, mutabilia & finita*

Doctrina de Operibus Dei altera Theologiæ Pars.

Opera Dei quæ.

eorum.

Efficiens.

Deus quomodo operetur.

Objectum.

Finis.

Affectiones.

dicuntur. Ratio *prioris* est, quia quicquid Deus agit, agit θεοπρεπῶς naturæ suæ convenienter; contrà quam non magis agere, quàm se ipsum potest abnegare 2.*Tim*.2.v.13. Ut hinc omnia ejus opera, naturæ ipsius sint indices, *Rom*.1.v.19.20.eóque sapientissima, justissima, optima *Gen*.1.v.31. *Marc*.7.v.37. Ratio autem *posterioris*, quia quæ extrà se agit, non ex necessitate naturæ, sed ex libertate voluntatis, *Psal*.115.v.3. *Rom*.9.v.18.1.*Cor*.12.v.11. *Iacob*.1.v.18. sive, ut loquitur Apostolus *Eph*. 1. v. 11. *ex consilio voluntatis suæ agit*: ut opera agentis respectu possint esse, vel non esse; esse talia, vel alia. Cumque ab eo, ut efficiente primo & fine ultimo, dependeant universa, in essendo, existendo, operando, *Act*.17.v.28. loco item temporeque finiantur, *Genes*.1.*per totum*: non possunt non esse mutabilia & finita.

Opera Dei consideranda 1. in Decreto. 2. in exsecutione.

Opera Dei ita accepta, *primò* consideranda dicimus in antecedente *Decreto*: *pòst* in subsequente *Exsecutione*: ut decretum nec opus Dei sit; prout illud suprà disinivimus, nec operis exsecutio. Decretum quippe in Deo est; Opus extrà Deum: Decretum æternum est; at nec opus aliquod Dei æternum est, nec operis ullius exsecutio. *Esse* autem *Decreta Dei*, ex *Scripturâ* ejus & *Naturâ* ostenditur. *Illa* siquidem docet, *Christum præcognitum à Deo ante jacta mundi fundamenta* 1.*Pet*.1. v.20. *Nos in ipso Electos esse ante jactum mundi fundamentum Eph*.1.v.4. *Gratiam ex Dei proposito nobis in Christo datam ante tempora seculorum* 2.*Tim*.1.v.9. Videantur & alia loca 1.*Cor*.2. v.7. *Eph*.3. v. 11. *Tit*.1. v.2. *Apoc*.13. v.8. Ad hæc cum pronunciet, *nota fuisse Deo ab omni ævo omnia opera sua*, *Act*.15.v.18. consequens est, ab omni ævo etiam decreta ab ipso fuisse. *Natura* verò *Dei* perfectissima cùm sit, nulli mutationi obnoxia, *Iac*.1.v. 17. statuendum est, non ut in tempore agit, sic etiam in tempore demum agere decrevisse, sed omnia jam ab æterno apud se præfinita habuisse *Esa*.46.v.9 10. Ita iisdem prorsus argumentis, decretorum existentia & æternitas adstruitur.

Dari Decreta liquet. 1. ex S. Scripturâ.

II. ex Dei Natura.

Decreti synonyma.

Definimus *Decretum*, *consilium Dei*, *de rebus extrà ipsum futuris*. *Decretum*, Græcè ψήφισμα, de Deo acceptum, aliis atq; aliis appellationibus designat Scriptura. Jam βουλὴν τοῦ Θεοῦ *consilium Dei*, *Act*. 4 v.28. jam ὡρισμένην βουλὴν, *definitum consilium*, c.2.v.23. modo εὐδοκίαν, *Matth*.11.v.26. εὐδοκίαν τοῦ Θεοῦ, *Eph*.1.v.9. εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, v.5. aliquando πρόθεσιν, *propositum Rom*. 9. v.11. 2.*Tim*.1.v.9. πρόγνωσιν, *præcognitionem Rom*.8.v.29. & 11.v.2.

&

& προορισμὸν *prædestinationem*, *Actor*. 4. v. 27. 28. *Rom*. 8. v.29. 1.*Cor*.2. v.7. nonnunquam etiam ejus *voluntatem Psal*. 115. v.3. *Rom*. 9. v.18. vocat. Recepta in Scholas vox videri posset ex Versione Latinâ, quæ eam usurpat 3.*Reg*.8. v.61. *Ephes*.2. v.15. *Coloss*.2. v. 14. retentaque, quod utrumque, judicium mentis, & propositum voluntatis complectitur. Quæ etiam Deo pro conceptus nostri ratione tribuimus. Ratiocinationem verò, deliberationem, & collectionem, quæ humana decreta antecedere solent, quàm longissimè ab ipso removemus. *Genus* decreti esse dicimus *consilium*, sed, prout suprà declaratum est, *æternum*. Quale Deo in Scripturâ frequentissimè tribuitur *Iob*.12. vers.13.*Psal*. 33. vers.11. *Esa*.46. v.10.11. *Actor*.2. v.23.*cap*.4. v.28. *Ephes*.1. vers.11.*Hebr*.6.v.17. Nam quatenus idem nomen consilii æterni declarationem, ut *Esa*.5. vers. 19. *cap*. 19. v.17. aut aliquod Dei verbum præceptumve, ut *Psal*. 106. v.13. & 107. v. 11. *Proverb*. 1. v. 25. 30. significat, aliò pertinet. *Forma* desumitur à proprio *Objecto*: quod sunt *Res futuræ*, μέλλοντα, videlicet ex Dei vel operatione, si bonæ, vel permissione, si malæ: Ut decretum sit non τῶν δυνατῶν ἁπλῶς, *possibilium simpliciter*, sed τῶν μελλόντων, *futurorum*. Quorum respectu duplicis etiam caussæ notionem induit, Efficientis, & Exemplaris. *Efficientis*: quia quæcunque facta aut futura, ideò facta futurave sunt, quod Deus decrevit. Nec dari potest alia prior aut superior causa operum ejus. Ideóque ad hanc, tanquam primam & summam causam, illa passim revocantur. *Genes*.45. vers. 8. *cap*. 50. v. 20. *Psal*.115. v.3. *Esa*.14. vers. 24. *Matth*.11. vers. 25. 26. *Actor*.2. v.23. cap.4. v.28. *Rom*. 9. v. 18. *Exemplaris* autem, quia decretum Dei est omnium extra ipsum operum quasi idea, ad quam ceu ἀρχέτυπον, ipsa veluti ἔκτυπα exprimuntur. Ex quo est, quod index decreti dicitur Exsecutio, & Deus eo modo & ordine decrevisse ab æterno, quo exsequitur in tempore. Decretum, ita consideratum pro modo nostri conceptus, sequitur *Præscientia*, ut effectum suam causam: *non* indefinita illa, sive *simplicis intelligentiæ*, quæ essentialis Dei scientia est, & ad omnia scibilia, possibilia & impossibilia se extendit; *sed* definita & *intuitiva*, quæ est rerum futurarum certa & infallibilis notitia *Actor*.15. vers.18.*Iob*.28.v. 24. *Hebr*.4. v.13. *Psal*. 139. v. 2. & 12. 2. *Tim*.2. v.19. Cum enim in Deum nullius rei cadat oblivio, quæ decreto præfinivit, certâ quoque præ-

Genus.

Forma.

Decretum habet rationem 1. Efficientis.

2. Exemplaris.

Effectum decreti Præscientia definita & intuitiva.

præſcientiâ tenet. Hæc igitur non eſt in Deo à rebus futuris, ſed à determinante futura decreto. Eorunque efficiens dici poteſt; non ſola & per ſe, ſed cum propoſito voluntatis conjuncta: quam *Præſcientiam* πρακτικὴν Scholæ indigitant. Cum verò univerſa Dei *decreta immutabilia* ſint, teſte Scripturâ *Num.* 23. v. 23. 1. *Sam.* 15. v. 29. *Pſal.* 33. v. 11. *Eſa.* 14. v. 24. 27. *Malach.* 3. v. 6. *Hebr.* 6. v. 17. utpote ab eo facta, qui ſapientiſſimus eſt ac potentiſſimus: *Præſcientia* autem immutabili decreto innixa, *infallibilis*: duplex inde rerum futurarum emergit *neceſſitas*, ſed hypothetica utraque, altera *immutabilitatis*, quoad decretum, altera *infallibilitatis*, quoad Præſcientiam. Quam quidem etiam tradit Scriptura *Luc.* 24. v. 26. 27. 44. 46. 1. *Cor.* 11. v. 19. *& alibi.* Sed utramque non niſi primi agentis reſpectu ſortiuntur. In ſe autem, & agentium ſecundorum ratione, nihilominus contingentes & liberæ manent. Cæterum difficilioris explicationis eſt, *quomodo hæc decreta Deo inſint.* Etſi verò τὸ ὅτι ex Scripturâ tenere, *Eph.* 1. v. 9. piis mentibus ſufficiat; id tamen intelligimus, accidentia Dei dicenda non eſſe. *Sunt* enim ipſa *Dei eſſentia*: non ſimpliciter, ſed cum σχέσει ad extrà ſpectata, id eſt, eſſentia volens, decernens, ſciens res extrà ſe futuras, producendas per potentiam ſuam. *Sunt* ipſa *Dei voluntas*, quæ una ac eadem eſt, ſive feratur in ipſum Deum naturaliter, ſive in alia extrà ipſum liberè. Duplex verò unius ejuſdemque voluntatis modus, naturalis & arbitrarius, qui in inferioribus diſtinctus eſt realiter; in Deo unitur formaliter & eminenter, multò magis quàm vis calefaciendi & vis exſiccandi in ſole, tametſi ea ſint diſtincta in igne. Proinde nec compoſitionem inferre poteſt: cui tùm demum locus eſſet, ſi τὸ naturale, & τὸ liberum diſtinctæ eſſent in Deo potentiæ. Illud inſuper liquet, decreta rectè dici *Deo coæterna.* Sunt enim facta ante omne tempus; cujus initium ac ſucceſſionem ignorat æternitas, originem & cauſationem rerum non negat. Ipſi etiam Deo cum inſint immutabiliter, fieri aliter non poteſt, quin eidem coæterna ſint.

Præſcientia unde ſit in Deo.

Rerum futurarum duplex neceſſitas.

Decreta quomodo ſint in Deo.

Decreti diſtinctiones variæ.

Diſtinguitur Decretum in *Providentiæ*, & *Prædeſtinationis.* Quæ voces omni decreto ſignificando idoneæ ſunt: *poſterior* quoad præfinitionem finis, *prior* quoad præſcientiam ex præfinitione. Hic verò ſpecialiter intelliguntur per Synecdochen, & ſpecies faciunt oppoſitas ſub uno genere. Alii alias decreti diviſiones tradunt:

dunt: in *præfinitionem Finis*, & *præordinationem mediorum*: in *affirmans* & *negans*: in *commune* & *proprium*: in *universale* & *particulare*: in *absolutum* & *conditionatum*. De quibus omnibus nihil dicam, si id tantum monuero, nullum decretum ita esse conditionatum, ut pendeat ab aliquâ conditione rerum futurarum extrâ Deum, eòque in ipso Deo indeterminatum sit: sic enim Deus non esset suprema causa omnium operum suorum: sic vel nova quotidie decreta conderet, vel conditio temporaria æterni in ipso decreti causa esset. Interim potest aliquod decretum conditionatum dici opposite ad id, quod absolutum est ab omnibus mediis, quod nulla sibi media habet subordinata. Verùm cum non minus ab æterno media præordinata, quàm finis præfinitus sit divinitus, hoc respectu quidem à posteriori, propter subordinationem mediorum conditionatum dici potest, à priori tamen, hoc est, ab ęternâ Dei præordinatione, unamque in partem determinatione, absolutum manet. Distinctio Voluntatis Dei *in signi* & *beneplaciti*, altero tantum membro ad decretum Dei, primo ad eorundem exsecutionem pertinet. Est enim *voluntas signi* nihil aliud, quàm Dei præceptum vel interdictum; quo tanquam signo declarat, quid facere nos, quid item non facere; sed omittere velit. *Voluntas* autem *beneplaciti*, est ipsius ex εὐδοκίᾳ decretum, quo statuit quid ipse aut facere velit, aut permittere: quò ita tandem eveniat, quod ipsi placitum est. Hoc verò consilium suum de rerum eventibus, quia sibi ferè ut arcanum retinuit, nobis autem non revelavit, hinc voluntas beneplaciti etiam *arcana* voluntas dici solet. Utraque expressè docetur in Scripturâ *Deut*. 29. v. 29. *Iob*. 28. v. 23. & *seqq. ad finem*. Proinde nulla inter eas fingenda est contrarietas, aut pugnantia 2. *Cor*. 2. v. 20. Nec etiam potest, cum non sint sibi verè oppositæ. Nam voluntate signi ostendit quid nos velit facere: voluntate beneplaciti statuit, quid ipse velit facere. Illâ partem consilii sui revelat; hâc partem occultat. Ex quo sequitur; utut multa fiant contrà voluntatem signi, nihil tamen fieri, aut posse fieri contrà voluntatem beneplaciti, quia Deus à nullo potest impediri. *Esa*. 14. v. 24. 26. 27. Quæ hactenus recensuimus decreta, etsi varia sunt, ac diversa in mente nostrâ, qui uno conceptu comprehendere nequimus universa: non tamen ita se habent in Deo, id est, non sunt multi actus voluntatis Divinæ, quorum uno decrevit creare, altero conserva-

Decretum quatenus dici possit conditionatum.

Voluntas signi.

Voluntas beneplaciti.

Sibi non contrariantur.

Decreta in Deo non multi, sed unus voluntatis actus.

re & gubernare, tertio redimere; sed sunt unus, simplex, ac indivisus actus, quem pro objectorum multitudine multiplicat intellectus noster finitus & compositus: prout quæ unita aut unum sunt in superioribus, dividuntur & multiplicantur in inferioribus.

Decretum *Providentiæ.*

Decretum Providentiæ est, rerum omnium creatione, conservatione & gubernatione. *Providentia* Græcis dicitur πρόνοια sive πρόγνωσις. *Actor.* 2. v. 23. mentisque futura providentis actum propriè notat. Per Synecdochen membri, etiam curam prospiciendi, atque ita voluntatis quendam actum significat, *Act.* 24. v. 3. sicque huic decreto peculiariter aptatur. Philosophi, horumque imitatione nonnulli Christiani, *Fatum* appellarunt:

Fatum quid

quæ vox etsi toleretur, rejectis Stoicorum, Chaldæorum, aliorumque erroribus, non tamen æquipollet alteri, sed eâ angustior est: ut quæ caussarum tantum secundarum seriem, non etiam Dei immediatè ex decreto agentis actionem complectitur.

Objectum.

Describitur decretum Providentiæ à proprio *objecto*, hoc est, à rerum futurarum creatione, conservatione & gubernatione: ut sit rerum creandarum, conservandarum, & gubernandarum in Deo præfinitio: *argumento locorum Esa.* 42. v. 5. 6. *cap.* 45. v. 12. *Ioh.* 1. v. 2. 3. 4. *Apoc.* 4. v. 11. Ideòque non tantum respicit bona, cujusmodi est quicquid creavit Deus, *Genes.* 1. v. 31. sed etiam mala, sive peccata, quæ creaturarum intelligentium culpâ exstiterunt. *Vide Actor.* 2. v. 23. *cap.* 4. v. 28. *Luc.* 22. v. 22. 1. *Pet.* 3. v. 17. *cap.* 4. v. 19. & *alia loca.* Non tamen ad utraque eodem modo se habet. Nam ratione *bonorum* est decretum efficiens, operans: quia Deus ut efficit, sic decrevit efficere operari, agere omne bonum, sine quo est nullum bonum *Iacob.* 1. v. 17. Ratione *malorum* verò est decretum non efficiens, sed permittens: Quia Deus, ut non efficit mala, *Psal.* 5. v. 5. sed permittit, *Actor.*

Peccata quomodo decreto subsint.

14. v. 16. sic etiam non efficere, sed permittere decrevit. Quia tamen temporaria peccati permissio, non est otiosa, & à peccati gubernatione, hoc est, determinatione & directione vacua; uti suo loco ostendetur: Nec decretum permittens otiosum fingendum est, sed cum altero decreto, quod est de gubernando peccato permisso, conjungendum *Actor.* 2. v. 23. *cap.* 4. v. 28. *Luc.* 22. v. 22. Atque hoc sensu decretum Dei, etiam respectu peccati nonnunquam dicitur ἐνεργητικόν, *efficax*, *potens*; decre-

tum

tum etiam permittens, *operans*, non ἁπλῶς *simpliciter*, ratione regiminis & effectionis, sed κατά τι, *aliquatenus*, ratione regiminis solum.

Decretum Prædestinationis est de creaturarum rationalium statu æterno. *Prædestinatio*, Græcè προορισμὸς, est à *prædestinare* προορίζειν; quod est, de rebus antequam fiant, aliquid præfinire, easque ad certum finem dirigere. Hanc vocem *Patres* jam pro Providentia, jam pro parte illâ Providentiæ, quæ creaturas intelligentes concernit, accipiunt. Ex usu *Scripturæ* communissimè sumitur pro Electione, quam *Prædestinationem Sanctorum* vocant *Rom*.8.v. 29.30. *Ephes*. 1. v. 5. & 11. *Scholarum* vero usu receptum est, ut præter Electionem etiam Reprobationem complectatur, atque ita utrumque Dei consilium exprimat: prout à nobis quoque generatim definitur. Illud autem Scripturæ non repugnat, quæ ipsa hanc vocem de malis quoque expressè usurpat *Actor*. 4. v. 28. Multo minus huic acceptioni adversatur, quod prædestinatio est destinatio ad finem; qualem esse negant quidam exitium reproborum, utpote malum. Etsi enim malum quid est respectu reproborum, qui damnantur: non tamen malum est, respectu Dei reprobantis, qui illorum exitium, ceu finem optimum, justitię nimirum suæ potentiæque declarationem intendit, *Proverb*.16. v. 4. *Rom*. 9. v. 17. 21. 22. *Definitio* Prædestinationis in genere partim ex *objecto* ejus, partim ex *fine* petitur: quâ duplici differentia à providentia distinguitur. *Objectum* ejus non sunt *creaturæ* universæ, sed *intelligentes* tantum, quæ ut virtutis & vitii, sic salutis & exitii, capaces sunt. Unde has, non etiam inanimatas aut brutas, prędestinatas dicimus. *Per accidens* tamen istę quoque ordinem prędestinationis quandoque ingrediuntur: quatenus vel Electis recreandis juvandisque deserviunt, vel reprobis puniendis adhibentur. Sicut enim omnia illis ad salutem, *Rom*. 6. v. 28. ita his ad exitium cooperari necessum est *Tit*. 1. v. 15. *Finis* est, status illarum non naturalis, sed *supernaturalis*, non temporalis, sed *æternus*: ad quem prædestinatio creaturas intelligentes per varia media dirigit ac deducit. Is vero non omnibus communis, sed *cuique prædestinatorum ordini singularis* est; beatus vel miser, salutis vel exitii, gloriæ vel ignominiæ. *Esa*.65.v.13. 14. & *seqq*. *Matth*. 25.v.34. 41. *Rom*.9.vers. 21.22.23. 2.*Tim*.2.v.20. Hinc est, quod Prædestinatio singu-

Decretum Prædestinationis.

Definitum.

Etiam Reprobationem complectitur

Definitio.

Objectum, creaturæ intelligentes tantum.

Per accidens etiam aliæ.

Finis, status earum æternus.

 lariter

lariter & variè illustrare dicitur gloriam prædestinantis. *Singulariter* quidem, quatenus distinctius eam perfectiusque quàm Providentia declarat. *Variè* autem, quatenus ab hâc potissimum ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ resplendet *Eph.* 3.v.10.

Prædestinationis divisio.

Porrò cum creaturæ rationales sive intelligentes, aut *Angeli* sint, aut *Homines*, inde *aliam* Prædestinationem Angelorum, *aliam* Hominum facimus. De priore perpauca tradit Scriptura. Illa tamen hâc definitione breviter enuntiamus: *Prædestinatio Angelorum est, quâ Deus alios præservare à lapsu & in bono ad salutem confirmare; alios contrà non præservare, sed lapsui permissos in eoque relictos citra spem veniæ damnare decrevit. Angelorum Prædestinationem* docet Scriptura, dum alios electos esse testatur, 1. *Tim.* 5.v.21. & ad vitam æternam, non minus quàm electos homines, à jacto mundi fundamento destinatos, argumento loci *Matth.* 25. v.34. *collati cum* v.41. *&* *cap.* 22. v. 30. Inde verò ex naturâ relationis cæterorum sequitur reprobatio: quam itidem tradit Scriptura *Matth.* 25. v. 41. *collato cum* v. 34. *Iud.* v. 6. 2.*Petr.* 2. v. 4. *Ioh.* 8.v.44.

Prædestinatio Angelorum.

Electio eorundem.

Electio ipsorum duobus constat actibus, *præservatione à lapsu*, & *confirmatione in bono* ad salutem: quorum uterque ex eventu, decreti indice, certissimus est. Cum enim alii non peccarint, 2.*Petr.* 2.vers.4. sed originem suam, id est, originariam ex creatione conditionem servarint, *Iud.* v. 6. inque illâ jam confirmati sint: *argumento locorum Mattth.* 18. v. 10. *cap.* 6. v. 10. *&* *Psal.* 103.v.20.21. *Iob.* 1.v.6. *collato cum Rom.*8.v.17. *&* 11.v.29. id ex Electionis decreto esse, eòque prædefinitum fuisse oportet. Ut enim Electio hominum fons est omnium Spiritualium beneficiorum, quæ in ipsos jam actu exsistentes, conferuntur: *Rom.* 8. v.28.29. 30. *Ephes.* 1. v. 3. *&* *seqq.* eundem etiam in modum, quo ad angelos Electos 1.*Tim.* 5. v. 21. se res habet. Naturæ certè tribui hi effectus nequeunt, quæ omnibus ex creatione fuit communis: Nec viribus naturalibus finem supernaturalem assequi datur. An verò etiam *in Christo Electi* dicendi sint, ambigitur. Certum est, in Christo, ut redemtore, mediatore, electos non esse. Sunt enim *Sancti Angeli*, peccati omnis expertes, *Matth.* 25. v. 31. etsi Sanctitate Deo æquales non sint *Iob.* 4. v. 10. Proinde nec Redemtoris indigni. Et Christus non Angelus Angelorum, sed Homo Hominum Mediator appellatur 1.*Tim.* 2.v.5. Nihil tamen vetat, quò minus alio modo ele-

An in Christo facta.

cti in Christo dicantur, quatenus ipse perennis omnis gratiæ fons est, *Iohann.* 1. vers. 14. 16. absque quo nihil possumus. *Iohann.* 15. vers. 5. quatenus medium est quo creatura infinitum distans à creatore, cum ipso conjungitur: *Ephes.* 1. vers. 10. quatenus item caput est totius Ecclesiæ, *Ephes.* 1. vers. 22. *Coloss.* 1. v. 18. ex Angelico non minus *Hebr.* 12. v. 22. 23. quàm humano genere coadunatæ. Quem in sensum etiam capiuntur à multis loca *Ephes.* 1. v. 10. & *Coloss.* 1. v. 20. quibus affirmatur, Deum summatim recollegisse in Christo, sibique per ipsum reconciliasse omnia, tùm quæ in cœlis, tùm quæ in terrâ: ut ita, sicut Angeli per Christum conditi sunt, *Coloß.* 1. v. 16. sic etiam per ipsum servatos confirmatosque esse rectè statuamus. Jam cæterorum quoque angelorum reprobatio actibus duobus continetur; *negatione confirmationis*, eòque lapsus permissione; & deinde *lapsorum damnatione*. Quod ipsum similiter ex eventu, de quo loca sunt *Iud.* v. 6. 2. *Petr.* 2. v. 4. *Ioh.* 8. v. 44. nec non ex verbis Christi, de igne æterno, diabolo ejúsque angelis parato, *Matth.* 25. v. 41. idque à jacto mundi fundamento *ex* v. 34. *antithesi*, colligitur. Huic exitio destinatos dicimus, citrà spem gratiæ. Illa siquidem in solo Christo proposita est, *Actor.* 4. v. 12. qui non angelos sed semen Abrahæ assumsit, *Hebr.* 2. v. 16. inque ejus nomine solis hominibus offertur *Luc.* 2. vers. 10. 11. 14. 2. *Cor.* 5. v. 18. 20. Unde factum, ut relictâ per spontaneam defectionem origine, etiam domicilium relinquere coacti sint *Iud.* v. 6. 2. *Petr.* 2. v. 4. De caussâ tùm Electionis, tùm Reprobationis Angelorum, nihil speciatim scriptum reperitur. Ex his tamen Scripturæ enuntiatis *Eph.* 1. v. 11. *Omnia agit ex consilio voluntatis suæ? Dan.* 4. v. 35. *facit pro voluntate suâ in exercitu cœli, & habitatoribus terræ*; *alüsque*, indubiè pronunciamus, supremam decreti utriusque caussam esse εὐδοκίαν, *beneplacitum* Dei: etsi negari non possit, respectu secundi actus in decreto reprobationis, peccati quoque rationem intervenire: dicente Petro, *Deum angelis non pepercisse sed in damnationem tradidisse, qui peccarunt*, hoc est, quia peccarunt 2. *Epist.* 2. v. 4.

Reprobatio Angelorum.

Caußa Dei εὐδοκία.

Prædestinatio Hominum est, quâ Deus apud se decrevit, quid de Hominibus lapsis, quoad æternam ipsorum salutem; vel exitium, fieri vellet. De hâc Prędestinationis specie, ut plenius & ex professo infinitis locis agit Testamenti utriusq; Scriptura, ita ea fusius nobis edisserenda

Prædestinatio Hominum.

Definitum. renda venit. *Definitum*, hoc est, vocem *Prædestinationis*, definitioni ex receptâ Scholarum consuetudine adæquatum esse ante monuimus. Scriptura verò tàm generali sensu quoque usurpat vocabula

Synonyma. προθέσεως, προγνώσεως, καὶ εὐδοκίας. Etsi enim priora duo *Rom.* 8. vers. 28.29. posterius autem *Ephes.* 1.vers.5. per Synecdochen generis de solâ Electione; alibi tamen de genere tùm hujus, tùm etiam Reprobationis intelliguntur: πρόθεσις *Rom.* 9. v.11. ut omnes loci illius circumstantiæ evincunt: εὐδοκία *Matt.* 11.v.26. & πρόγνωσις *Actor.* 2. v. 23. Solet quidem inter hæc aliquid fingi discriminis: at illud magis ex conceptu nostro, quàm ex naturâ rei aut Scripturâ oritur. *Genus proximum* est Prædestinatio: *remotius* decretum Dei. *Efficiens Deus*, qui prædestinavit,

Genus.

Efficiens. Deus. *Rom.* 8. v.29. qui decretum fecit *cap.*9.v.11. Ejus quippe est de omnibus creaturis suis, maximè rationalibus, constituere, singulasque ad fines suos dirigere ac deducere. *Rom.*9.v.22.23.*Act.* 1.v.25. *Proverb.*16.v.4. *Caussa movens*, προηγουμένη, est εὐδοκία sive *beneplacitum* Prædestinantis, *Matth.*11.v.25. 26. *Ephes.*1.v.9. εὐδοκία voluntatis ejus, *Ephes.* 1. v. 5. liberrima ejus voluntas, *Rom.* 9.v.18. *Matth.* 20. v.15. consilium voluntatis ejus, *Eph.* 1.v.11. à nullâ caussâ superiore aut externâ dependens. *Rom.* 9. v.11.16. *Matth.* 20.vers.15. *Iac.* 1.v.17.18. Quibus phrasium

προηγουμένη εὐδοκία ejus. Synonymiis decreti hujus natura, quoad efficientem, graphicè nobis depingitur. Si enim Dei voluntas est, *liberrimum* esse necessum est: *Rom.* 9. v. 18. & *seqq.* *Matth.* 20.v.15. si consilium voluntatis *sapientissimum* quoque, ac minimè ἄλογον; etsi ratio ejus nobis non constet, aut constare possit: *Rom.* 11.v.33.34. si denique beneplacitum ejus, beneplacitum voluntatis ejus, *justissimum* insuper atque *optimum*, ex quo summam ipse voluptatem capiat: *argumenti locorum Esa.* 42. v. 1. *Matth.* 12.v. 18. utpote qui nullâ prorsus injustitiâ, *Psal.* 5.v.5.6.7. omni autem justitiâ *Psal.*45.v.8. ac bonitate, *Psal.* 51. vers. 20. delectatur. Ideòque ex hâc Dei εὐδοκίᾳ non minus justitia ejus in reprobando, quàm benevolentia, misericordia in eligendo colligitur *Matth.* 11.v.25. 26. Apostolus certè, quò operosius eam Deo vindicat, hoc laboriosius omnem ab ipso injustitiam removet *Rom.* 9. v. 14. & *seqq.* Suprà hanc aliam Prædestinationis caussam aut dari posse, aut quærere fas esse, negamus. Ratione *Finis* quidem caussa Prædestinationis in genere rectè dicitur, patefactio misericordiæ & justi-

justitiæ Dei ad illustrationem gloriæ ipsius: qui finis, quatenus Efficientem movet, ordinem quoque ejus ingreditur. At quia externa hæc patefactio est, non excluditur ab εὐδοκίᾳ, sed ei includitur: docente Apostolo, nos electos, prædestinatos, adoptatos pro beneplacito voluntatis ad laudem gloriosæ gratiæ ipsius *Eph.* 1. v.4.5.6. *Materia* sive *objectum* Prædestinationis sunt *Homines*, *considerati* in mente Prædestinantis, cui omnia præsentia, non modo ut conditi, sed etiam *ut lapsi*, & per lapsum *in peccatis mortui.* Etenim elegit nos Deus è *Mundo*, hoc est, ex communi corruptione, *Joh.* 15.v. 19. idque *pro misericordiâ suâ*, *Rom.*9.v.15. 16.18.23. quæ corruptorum miseriam præsupponit: prædestinavit homines *ad declarationem misericordiæ juxtà & justitiæ*, *Rom.*9. v.22.23. *Ephes.* 1. v. 6. 12. qualis esse nequit absque peccato: *Electos* verò peculiariter prædestinavit, *ut sint sancti & inculpati in* conspectu suo *Ephes.* 1.v.4. In *exsecutione* quoque Prædestinationis lapsorum alios recipi, alios relinqui videmus. *Media* denique Electionis, vocatio efficax, Justificatio & Sanctificatio: contrariaque Reprobationis, ceu gratiæ efficacis privatio, reatus continuatio, justaque excœcatio & induratio, lapsus & peccati conditionem præexigunt. *Forma* est *destinatio Hominum ad statum æternum.* Non enim ad mortalem aliquam, ut cætera animantia, sed ad immortalem conditionem ordinati sunt: nec ad hanc modo, sed etiam ad media illa, per quæ ad eam pervenitur. Ut Prædestinatio destinatio sit non modo ad *finem*, verum etiam ad *media.* De *fine* loquitur Apostolus 1.*Thess.*5. v.9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam.* De *mediis* ipse Servator, *Matth.* 11. v.25.26. *Occultas mysteria sapientibus, detegis infantibus. cap.*13. v.11. *Vobis datum est, nosse mysteria, illis non est datum.* Est verò destinatio hæc tùm universorum *communiter*, tùm singulorum *particulariter*: adeòque non modo speciem, homines; sed etiam individua complectitur. Quod ipsum singularia Prædestinatorum exempla sufficienter demonstrant: Christi, *Esa.* 42.vers.1. 1.*Petr.*1. v.20. Jacobi & Esavi, *Genes.*25. v. 23. *Mal.* 1. v.2.3. *Rom.*9.v.10.11. 12. Mosis, *Exod.* 32. v.32. 33. Judæ, *Act.* 1.v.25. Pauli, *Actor.*9. v. 15. *Gal.* 1. v. 15. & aliorum. Proinde hæc Prædestinationis particularitas sive singularitas, non ab ipsorum individuorum determinatione, (*Quis enim te ab aliis discrevit*, inquit Apostolus 1. *Corinth.* 4. v. 7.) sed à solâ Dei destinatione

Materia, Homines considerati ut lapsi

Forma destinatio ad statum æternum

Singulorum hominum.

Finis supremus. natione proficiſcitur. *Finis* Prædeſtinationis in genere eſt declaratio gloriæ Dei, per patefactionem miſericordiæ & juſtitiæ. *Rom.* 9. v. 22. 23. *cap.* 11. v. 36. *Epheſ.* 1. v. 6. 12. *Proverb.* 16. v. 4. Qui quidem *ſupremus* ejus finis eſt. *Subordinatus* autem ſtatus ho-
Subordinatus. minum æternus, ſive beatus, ſive damnatus, *Matt.* 25. v. 34. 41. utpote ex quo miſericordiæ juſtitiæque Divinæ gloria pateſcit. *Rom.* 9. v. 22. 23. *Prov.* 16. v. 4.

Prædeſtinationis Hominum diviſio. Hæc Hominum Prædeſtinatio in *Electionem* & *Reprobationem* diſtinguitur: quas alii ſpecies ejus, alii partes vocant. Eſt autem diviſio illa diviſo ſuo adæquata. Nam quotquot o-
Omnes vel Electi vel Reprobi. mnino Prædeſtinati, aut Electi aut Reprobati ſunt: nec præter duos hoſce ordines tertius aliquis neutrorum, ſive mediorum da-
1. tur. Patet id I. quia docetur, eſſe vaſa miſericordiæ & iræ, ad decus & ad dedecus *Rom.* 9. v. 22. 23. 2. *Tim.* 2. verſ. 19. 20. Sic eſſe pios & impios, credentes & incredulos, benedictos & maledictos *Pſal.* 1. *Marc.* 16. v. 16. *Matth.* 25. v. 34. 41. Medios in-
2. ter hos eſſe non docetur. II. Quia docetur, alios in amore, alios in odio Dei eſſe, *Rom.* 9. v. 13. *Ioh.* 3. v. 16. ipſum quorundam miſereri, quorundam non miſereri, *Rom.* 9. v. 18. illis benedice-
3. re, iſtis maledicere *Matth.* 25. v. 34. 41. III. Quia duplex tantùm via eſt, Electorum anguſta, Reproborum lata *Matth.* 7. v.
4. 13. 14. IV. Quia etiam duplex tantùm poſt hanc vitam ſtatus, ad quem ducit Prædeſtinatio, deſcribitur; ſalutis nimirum & exitii *Matth.* 29. v. 34. 41. 46.

Electio. *Electio eſt, quâ decrevit Deus, quorundam miſereri ex gratiâ, eoſque à peccatis per Filium liberatos ſalvos facere.* *Electio*, ἐκλογὴ, non hîc
ejus. Hononymia. objectum Electionis, id eſt, ipſos Electos, *Rom.* 11. v. 7. ſed *Dei eligentis actionem* notat. Quæ actio pro finium diverſitate diverſa eſt. Ideoque Electio jam *vocationem ad miniſterium* aliquod, ſive *Eccleſiaſticum Luc.* 6. v. 13. *Ioh.* 6. v. 70. ſive Politicum, 1. *Sam.* 1. verſ. 24. jam Vocationem generalem ad participationem fœderis, *Deuteronom.* 4. verſ. 37. *cap.* 7. verſ. 6. 7. 8. jam denique *ſegregationem ac deſtinationem ad ſalutem Eph.* 1. v. 4. 2. *Theſſ.* 2. v. 13. ſignificat. Quæ poſtrema ſignificatio iterum variat. Etſi enim vox Electionis propriè refertur *ad homines jam conditos,*
Synonyma. *peccatoque corruptos*: uti videre eſt *Ioh.* 15. v. 19. 1. *Petr.* 1. v. 1. 2. Metonymicè tamen *æternum eligendi decretum* deſignat *Eph.* 1. v. 4. Atque ita hujus loci eſt: Diciturque πρόθεσις, *Rom.* 8. verſ. 28. πρό-

γνωσις

γνωσις v. 29. 1.*Petr.* 1.v.2. εὐδοκία, *Ephes.* 1.v.5. πρόθεσις κατ' ἐκλογὴν *Rom.*9.v.11. Aliquando etiam *liber vitæ*: de quo loca ſunt: *Exod.* 32.v.32. *Dan.* 12.v.1. *Luc.* 10.v. 20. *Phil.* 4.v.3. *Apoc.*3.v.5.*cap.* 20.v.12. & 21.v.27. *Efficiens* Electionis *Deus* Efficiens, eſt. Is enim elegit nos in Chriſto, *Epheſ.* 1.v.4. elegit ad ſalutem, Deus. 2.*Theſſal.* 2.v.13. ut Electi non immeritò *Electi Dei* appellentur *Rom.* 8.v.33. Nec modo Deus *Pater*, *Eph.* 1.v.4. ſed etiam Deus *Filius Ioh.* 13.v.18.*cap.* 15.v.16.19. itemque Deus *Spiritus Sanctus, argumento locorum Ioh.*3.v.5. 1.*Corinth.* 12.v.3. *Epheſ.* 4.v.4. Duplici actu. Eligendo autem *primò* propoſuit miſereri quorundam ad ſalutem *Rom.* 9.v.16.18. hoc eſt, ex miſericordiâ ſuâ eos ſervare è corruptione peccati, *Tit.* 3.v.5. & 3. *Deinde* autem propoſuit hanc ad ſalutem per certa media eos deducere *Epheſ.* 1.v.4. 2.*Theſſal.* 2.v.13. *Rom.*6.v.28.29.30. Qui actus ita diſtinguuntur ad conceptus humani modum. In Deo alioquin non niſi unicus ac ſimplex actus eſt. *Cauſſa* προηγουμένη quæ efficientem Deum ad προηγουμένη quoſdam eligendos movit, non eſt conditio aut qualitas externa beneplacitum Dei. in eligendis prævifa. *Rom.*9.v.11.16. ſed merum ejus *beneplacitum*: ita teſtante de eâ Scripturâ *Epheſ.* 1.v.4.5.11. *Rom.*9.v.16. 18 *Luc.* 12.v.32. Unde ipſa Electio *gratuita* appellatur *Rom.* 11. v.5.6. idque ſecundum utrumque ſuum actum. Quoad *primum* quia electio eſt miſerentis Dei, *Rom.* 9.v.16. miſeretur autem cujus vult, v.18. Quoad *ſecundum*: quia gratiâ ſervati ſumus per Fidem, Dei donum: & ipſa bona opera præparavit Deus, ut in eis ambulemus, *Epheſ.* 2.v.8.9.10. item quia media ſalutis pro εὐδοκίᾳ ſuâ largitur *Matth.* 11.v.25.26.*cap.* 13.v.11. Proinde in Electionis negotio, reſpectu utriuſque actus αὐτοκράτωρ. *abſolutæ, liberrimæque poteſtatis Dominus*, meritiſſimè vocatur. *Quis enim prior dedit ei, ut reddatur ei? Rom.*11.v.35. aut, *annon licet ei, quod vult, facere in rebus ſuis? Matth.* 20.v.15. Interim quia in actu *ſecundo*, hoc eſt, in mediis ſalutis, Dei promiſſio, & fidei operumque bonorum ex eâ gratioſa compenſatio, etiam cenſendæ veniunt: inde fit, quod Deus hujus actus ratione non tantum pro αὐτοκρατορικῇ poteſtate, ſed etiam pro juſtitiâ ſuâ agere, adeòque juſti judicis perſonam ſuſtinere docetur 2.*Timoth.* 4.v.8. 2.*Theſſ.*1.v.5.6.7. *Hebr.* 6.v.10. *materia circa quam*, ſive *Objectum* Electionis, non ſunt univerſi & ſinguli homines: (Nam eligere non eſt omnes capere, ſed aliquot ex omnibus legere: Materia non omnes ſed aliqui.

Deut. 7. v. 6. *Ioh.* 15. v. 19. unum accipere, alterum relinquere *Matt.* 24. v. 40. 41. sed ii tantum quorum voluit Deus misereri *Rom.* 9. v. 18. quos præscivit, prædestinavit: *cap.* 8. v. 29. Horum autem *definitus* est apud ipsum *numerus*. *Novit* quippe *eos, qui sunt sui*, 2. *Tim.* 2. v. 19. *novit oves suas*, *Ioh.* 10. v. 27. *scit quos elegerit* *Iohan.* 13. v. 18. Iique in se spectati *multi* sunt, *Matth.* 8. v. 11. *Rom.* 5. v. 19. *Apoc.* 7. v. 9. cum reprobis autem comparati non nisi *pauci*. Unde Christus paucos Electos dicit, *Matth.* 20. v. 16. paucos vivam angustam salutis ingredi docet, *Matth.* 7. v. 14. gregem quoque Electorum parvum gregem vocat. *Luc.* 12. v. 32. *Forma* Electionis est illa certorum *segregatio* è numero reliquorum, *Ioh.* 15. v. 19. *cap.* 17. v. 2. & *tùm* ad salutem, *tùm* ad media salutis *destinatio* in mente Dei: ut ab eâ prædestinatio sit non minus *ad gratiam*, quam *ad gloriam*. De destinatione *ad salutem* clara sunt hæc verba Apostoli 1. *Theß.* 5. v. 9. *Constituit nos Deus ad salutem obtinendam*. De destinatione *ad media* illa *Rom.* 8. v. 29. 30. *Quos prædestinavit, hos vocavit, justificavit, glorificavit*. De *utrâque* ista 2. *Theß.* 2. v. 13. 14. *Elegit vos Deus ab initio ad salutem, per Sanctificationem Spiritus & fidem habitam veritati: Quò vocavit vos per Euangelium nostrum, ad acquirendam gloriam Domini nostri Iesu Christi*. Destinatio tamen ad salutem, ea, quæ est ad media, ordine prior est, uti ex loco jam allegato 2. *Theß.* 2. v. 13. & altero *Actor.* 13. v. 48. nec non ex ipsâ ratione liquet quia media ut media non appetuntur, nisi propter finem. *Primò* igitur in eligendo finem illum apud se præstituit Deus; *post* media subordinavit ac præparavit: Atque hæc est gratia data nobis ante tempora secularia, id est, præparata 2. *Tim.* 1. v. 9. Nam ab æterno gratiam salutis & mediorum ad salutem præparavit, quam in tempore applicat: Ut ita totum Electionis negotium tribus hisce absolvatur; *constitutione Finis, præparatione mediorum, eorundemque applicatione*. *Primum* verò summumque mediorum omnium ad salutem præparatorum est *Christus*; non ut Deus absolutè: sic enim ipse quoque elegit, *Ioh.* 15. v. 16. 19. nec ut purus homo; nam talis tanti muneris tantæque dignitatis capax non est: sed ut *Mediator* Θεάνθρωπος; *in quo elegit nos Deus ante jactum mundi fundamentum*, *Ephes.* 1. v. 4. *in quo data nobis gratia est tempora secularia* 2. *Tim.* 1. v. 9. Id autem nihil aliud est, quàm quod Deus nos dedit Christo, ut per ipsum redemti ad salutem adduceremur: ex ipsiusmet Christi interpre-

[Margin notes: Definito numero. — Forma segregatio, & destinatio ad salutem. — Christus quomodo ingrediatur decretum Electionis.]

terpretatione *Ioh.* 10. v. 28. & 27. *cap.* 17. v. 2. 24. Sumus igitur Electi in Christo, ut Mediatore Dei & Hominum, 1. *Tim.* 2. v. 5. ut servatore à peccatis, *Matt.* 1. v. 21. ut capite, *Ephes.* 1. v. 22. cujus satisfactione interveniente fieret reconciliatio inter Deum & Homines, eorumque inter se unio *Ephes.* 1. v. 10. *Coloss.* 1. v. 20. *Ioh.* 17. v. 21. Sed & ipse quoque, ut Mediator, electus fuit. Dicitur siquidem *servus ille quem Deus elegit*, *Esa.* 42. v. 1. *Matth.* 12. *v.* 18. *præcognitus à Deo, ante jacta mundi fundamenta* 1. *Petr.* 1. v. 20. Præter primum hoc medium *alia media* electione præordinata sunt; vocatio efficax, justificatio, & glorificatio inchoata, *Rom.* 8. v. 29. 30. sive Sanctificatio Spiritus, Fides habita veritati, & vocatio per Euangelium, prout 2. *Thess.* 2. v. 13. 14. recensentur. Quæ totidem Christi Mediatoris sunt beneficia: ut ex ipsius plenitudine verè accipiant Electi gratiam pro gratiâ *Iohann.* 1. v. 16. *Finis* Electiones duplex est: Summus & Subalternus. *Summus* est Dei eligentis gloria, *Rom.* 11. v. 35. 36. 1. *Petr.* 2. *vers.* 9. & quidem gloria misericordiæ ejus in salute Electorum, *Rom.* 9. v. 23. *Ephes.* 1. v. 5. 6. gloria Justitiæ in morte Filii demonstratæ, *Rom.* 3. v. 25. gloria item liberrimæ potestatis *Rom.* 6. v. 15. 18. *Matt.* 20. v. 15. *Subalternus* est partim ipsorum Electorum Sanctificatio, *Ephes.* 1. v. 4. *cap.* 2. v. 10. *Ioh.* 15. v. 16. partim æterna eorundem glorificatio 1. *Thessal.* 5. v. 9. 2. *Thessal.* 2. v. 13. 14. *Matth.* 25. v. 34. *Effecta* Electionis sunt: Christus incarnatus, crucifixus, mortuus, resuscitatus, & ad dexteram Patris exaltatus *Gal.* 4. v. 4. 1. *Pet.* 1. v. 20. *Luc.* 24. v. 26. *Philip.* 2. v. 6. & *seqq.* Vocatio secundum propositum, *Rom.* 8. v. 28. *cap.* 9. v. 23. 24. quæ vulgo efficax, in Scripturâ υἱοθεσία *Ephes.* 1. v. 5. & regeneratio 1. *Petr.* 1. v. 23. appellatur. Justificatio, *Rom.* 8. v. 30. sive Remissio peccatorum *cap.* 4. v. 7. Sanctificatio, quæ Justificationem sequitur, *Rom.* 6. & 7. *capp.* diciturque Glorificatio inchoata *Rom.* 8. v. 30. 2. *Cor.* 3. v. 18. Quæ omnia ut Effecta Electionis, sic *caussæ* sunt ipsius salutis: & antecedens quodque caussa sui consequentis. Ipsa verò salus Electorum, quæ est glorificatio consummata, *Rom.* 8. v. 30. effectum commune *tùm* Electionis, ut caussæ Primæ, *tùm* intermediorum, ut caussarum secundarum habetur. Ex intermediis illis pendet *certitudo Electorum de sui Electione*. Cum enim à *priori* haberi nequeat, quod nemo cognovit mentem Domini, *Rom.* 11. v. 34. nec Vitæ librum sigillo clausum inspexit; 2. *Tim.* 2.

Media Electionis.

Finis Summus.

Subalternus

Effecta.

Certitudo Electorum de sui electione habetur per

v. 19. à *posteriori*, hoc est ab effectis, omnino eruenda est. Fit illud vivâ triplici, per *Euangelium, Spiritus Sancti testimonium, seriumque operum bonorum studium.* *Euangelii* quippe vox est, omnes credentes esse electos: cum non omnium quidem hominum, 2. *Thess.* 3. v. 2. attamen omnium Electorum sit fides, *Tit.* 1. v. 1. *Actor.* 13. v. 48. de quâ ipsis certò constat. 2. *Cor.* 13. v. 5. 2. *Timoth.* 1. v. 12. *Spiritus Sanctus*, qui scrutatur profunditates Dei, revelat nobis, quæ Deus nobis gratificatus sit 1. *Cor.* 2. v. 10. 11. 12. testatur Spiritui nostro, nos esse Filios Dei *Rom.* 8. v. 16. *Studium* denique *operum bonorum* illud est, quo vocationem & electionem nostram firmum efficimus 2. *Petr.* 1. v. 10. De *subjecto* Electionis suprà diximus. *Adjuncta* ejus sunt: *æternitas, immutabilitas, summaque libertas.* *Æternam* esse, hoc est, ab æterno factam, constat, quia electi sumus in Christo ante jactum mundi fundamentum, *Ephes.* 1. v. 4. gratia data nobis in eodem ante tempora secularia 2. *Tim.* 1. v. 9. *Immutabilem* etiam, quia solidum stat ejus fundamentem, 2. *Tim.* 2. v. 19. quia dona Dei ἀμεταμέλητα *Rom.* 11. v. 26. Unde Electos seduci in exitium, *Matth.* 24. v. 24. aut è Christo Patrisve manibus rapi, ἀδύνατον pronuntiatur *Iohan.* 10. v. 21. 29. *Liberrimam* denique, quia Deus nemini quicquam debet, *Rom.* 11. v. 35. de suo quod lubet facit, *Matth.* 20. v. 15. indeque miseretur cujus vult, facit vas ad decus quem vult *Rom.* 9. v. 16. 18. 23.

Euangelium. | Spiritus S. testimonium. | Bonorum operum studium. | Adjuncta, Æternitas. | Immutabilitas. | Libertas.

Reprobatio est, quâ decrevit Deus quorundam non miseri, sed in peccatis relictos propter ea æternum damnare. Reprobatio, rejectio, repudiatio, præteritio, decretum seu prædestinatio ad mortem pro Synonymis usurpantur. In Scripturâ Metonymicè *odium* appellatur, *Rom.* 9. vers. 13. itemque πρόθεσις τοῦ Θεοῦ subintellige κατ' ἀπόδειξιν, v. 11. nec non πρόγνωσις. *Actor.* 2. v. 23. & εὐδοκία ipsius *Matt.* 11. v. 25. 26. Reprobi autem *vasa coagmentata ad interitum, Rom.* 9. v. 22. *Homines jam olim ad judicium descripti Iud.* v. 4. *ad contumaciam constituti,* 1. *Pet.* 2. v. 8. *ad iram positi,* 1. *Thess.* 5. v. 9. *ad diem malum facti, Proverb.* 16. v. 4. dicuntur. Quæ omnia *Efficientem* Reprobationis *Deum* arguunt. Hunc namque testatur Scriptura, impium ad diem mali fecisse, *Proverb.* 16. v. 4. vasa quædam ad dedecus, ad interitum coagmentasse, *Rom.* 9. v. 21. 22. nonnullos ad iram constituisse, 1. *Thess.* 5. v. 9. hœdisque non minus, quàm Diabolo & angelis ejus ignem æternum parasse *Matth.* 25. v. 41. Adhæc cum ex relationis naturâ, electio unius sit alterius reprobatio;

Reprobatio. | Synonyma. | Efficiens, Deus.

batio; dum unum elegit Deus, id est, ad salutem assumere decrevit, alium contrà reprobavit, id est, decrevit præterire, relinquere *Matth.* 24. v. 40. 41. Atque ita tàm reprobationis, quam electionis caussa est. Reprobando autem *primò* decrevit Deus non misereri ad salutem, sed destinare ad exitium: *Deinde* media fini huic subordinavit. Cujus ordinis ratio exposita est in antecedentibus: atque inde etiam confirmatur, quod τῷ misereri, ad salutem scil. *Rom.* 9. v. 18. non modo contradictoriè opponitur non misereri, sed etiam contrariè, destinare ad exitium, *ex collatione* v. 21. 22. atque ita destinare ad medium exitii, indurationem: cujus in antithesi v. 18. meminit. Quod nisi ita esset, Deum nihil certò de maximâ hominum parte definiisse, verùm incerto eventui eam reliquisse dicendum esset. *Communiter*, non observatâ per omnia finis mediorumque distinctione, actus Dei reprobantis distinguuntur, in *negativum sive privativum*, de non dandâ salute, de non conferendis salutis mediis: & *affirmativum sive positivum*, de inferendâ damnatione, excœcatione, induratione. Utroque quippe modo doctrinam Reprobationis Scriptura proponit. Negativè: *Matth.* 7. v. 23. *cap.* 25. v 12. *Non novi vos. Ioh.* 10. v. 26. *Vos non estis ex ovibus meis. cap.* 17. v. 9. *Non pro mundo rogo. Mat.* 13. v. 11. *Illis non est datum, nosse mysteria Regni cælorum.* Affirmativè: *Rom.* 9. v. 13. *Esavum odio habui.* v. 21. 22. *vasa iræ coagmentata ad interitum, ad dedecus* v. 18. *quem vult indurat. Ioh.* 12. v. 39. 40. *Non poterant credere; quia excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum. Caussa* porrò προηγουμένη Reprobationis, quæ Deum ad reprobandum movit, est *partim* εὐδοκία ejus, *partim* peccatum reproborum: utrumque enim tanquam caussam allegat Scriptura. Εὐδοκίαν, voluntatem, propositum Dei, his locis: *Matt.* 11. v. 25. 26. *Occultasti mysteria sapientibus, Pater, quia ita placuit tibi. Mat.* 20. v. 15. *Annon licet mihi quod volo, facere de rebus meis. Rom.* 9. v. 11. *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei firmum maneret &c.* v. 18. *quem vult indurat.* v. 21. *annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eâdem massâ faciat aliud vas ad decus, aliud ad dedecus.* Peccata autem reproborum istis: *Matt.* 25. v. 41. 42. *Abite à me maledicti in ignē æternum, qui paratus est, (à jacto* scil. *mundi fundamento, ex* v. 34.) *Diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi cibum &c. Rom.* 9. v. 22. *Volens ostendere iram, & notam facere potentiam, pertulit multâ lenitate,* de quâ est *cap.* 2. v. 4. *vasa*

Dei reprobantis actus.

προηγουμένη, εὐδοκία Dei. & Peccata reproborum.

iræ. Rom 6. v. 23. *Stipendium peccati mors est Ezech.* 18. v. 4. *Anima quæ peccaverit, ea morietur. Ephes.* 5. v. 6. *Propter hæc venit ira Dei super filios contumaciæ. Ratio* etiam utriusque evidens est. Cum enim quæritur, quamobrem Deus, postquam prævidit omnes ex æquo peccatores iræ filios futuros, hos tamen, præ aliis, Electis scilicet, reprobarit, sive hos magis quàm cęteros misericordiâ suâ præterire voluerit; nulla alia caussa dari potest, quàm beneplacitum ipsius. Sin autem quæratur, cur iisdem non conferat salutem, sed inferat damnationem; hîc caussa redditur, ipsorum peccatum: dicente Christo *Matt.* 25. v. 41. 42. *Abite à me maledicti in ignem æternum &c. Esuri enim, nec dedistis mihi cibum*: pronuuciante Apostolo, *stipendium peccati mors est Rom.* 6. v. 23. Habet igitur se Deus in negotio reprobationis, *partim* ut αὐτοκράτωρ, *partim* ut justus judex. *Vt* αὐτοκράτωρ, quatenus pro puro puto arbitrio suo, etiam de iis disponit, qui ab hâc ejus dispositione reprobi dicuntur. *Vt* justus judex, quatenus damnationem nulli reproborum irrogat, præterquam ob peccatum. *Primo* modo agit pro absolutâ potestate ac libertate suâ, *Matt.* 20. v. 15. secundum quam nemini quicquam debet *Rom.* 11. v. 35. *Altero* verò modo agit pro justitiâ suâ: quæ non absoluta, sed respectiva Dei virtus est, peccatum ejus, quem punit, præsupponens: ut est *Rom.* 1. v. 32. 2. *Thessal.* 1. v. 6. *Materia circà quam*, sive *Objectum* Reprobationis, sunt illi Homines, quos odit Deus; quorum noluit misereri, sed quos voluit indurare *Rom.* 9. v. 13. 18. Horum autem non minus ipsi definitus est numerus, quàm Electorum. Etsi enim non novit eos quoad affectum amoris *Matth.* 7. v. 23. tanquam suos, 2. *Tim.* 2. v. 19. novit tamen eos ut creator creaturas, ut dominus subditos, ut judex captivos & reos: numerumque ipsorum, & singula in eo individua exactè tenet *Heb.* 4. v. 13. *Rom.* 9. v. 11. 12. 13. *Ioh.* 10. v. 26. *Matt.* 25. v. 32. *& seqq.* Numerum quoque illum eatenus nobis revelavit, quatenus ex Verbo scimus, plures reprobos quàm electos esse *Matt.* 20. v. 16. *cap.* 7. v. 13. 14. *Forma* Reprobationis est reproborum rectio in aliorum electione, *Rom.* 11. v. 1. 2. hoc est, *tùm* præterito in gloriæ gratiæque præparatione, *tùm* destinatio ad exitum, per subordinata media in tempore inferendum. Quæ omnia sigillatim ex Scripturâ confirmanda sunt *Primò*: *præteriisse* Deum certos homines *in præparatione gloriæ*, testatur Christus *Matt.* 25. v. 34. regnum cœ-

Deus reprobat ut

1. αὐτοκράτωρ.

2. Iustus judex.

Materia seu Objectum.

Forma reprobationis.

1. Præteritio in præparatione tum gloriæ.

cœlorum benedictis Patris tantùm, à jacto mundi fundamento paratum docens. Præteriisse etiam *in præparatione gratiæ* alibi testatur, cum dicit non omnes sibi datos à Patre, *Ioh.* 17. v. 9. non dari omnibus ut credant, *Matt.* 13. v. 11. idque ex Patris sui εὐδοκίᾳ *cap.* 11. v. 26. *Deinde*: eosdem *ad exitium destinasse*, constat; quia ab ipso ad interitum coagmentati, *Rom.* 9. v. 22. ad judicium sive damnationem præscripti, *Iud.* v. 4. ad diem malum facti, *Proverb.* 16. v. 4. dicuntur. *Tertiò: media* quoque *fini huic subordinasse*, id argumento est, quod sicut Electos in tempore vocat efficaciter, ita reprobos in peccatis relinquit, *Tit.* 1. v. 16. sicut illos justificat; ita hos in conscientiâ condemnat, *Iohan.* 3. v. 18. sive reatum eis continuat ac retinet, *Iohan.* 9. v. 41. *cap.* 20. v. 23. sicut illos sanctificat; ita hos excœcat, indurat. *Rom.* 9. v. 18. *Ioh.* 12. v. 39. 40. Proinde quemadmodum Electos ad Vocationem, Justificationem, & Sanctificationem, tanquam media salutis; ita reprobos ad *relictionem* sive *desertionem in peccatis*, *retentionem reatus, excœcationem & indurationem*, ceu media exitii destinasse asserimus: *non* tanquam ad peccata: neminem enim ad peccatum quâ tale prædestinavit Deus: *Sed* quatenus ut gratiæ indebitæ privationes, justæque peccatorum antecedentium pœnæ considerantur. De quali mediorum ad finem destinatione, hæc dicta apertè loquuntur: *Mat.* 11. v. 25. 26. *Occultas mysteria sapientibus, Pater, quia ita placuit tibi Psal.* 81. v. 13. *Permisit eos ambulare ex sententiâ animi sui, in consiliis pravis. Luc.* 2. v. 34. *Christus positus est à Deo in casum & resurrectionem multorum in Israël, & signum cui contradicitur.* 1. *Petr.* 2. v. 7. 8. *Christus est petra offendiculi, iis qui impingunt ad sermonem, non assentientes, ad quod etiam constituti sunt*, scil: à Deo. *Ioh.* 12. v. 40. *Excœcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum nè videant oculis, & sint intelligentes corde, & sese convertant, & sanem eos.* 2. *Thess.* 2. v. 11. 12. *Ideò mittit Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio: ut damnentur omnes, qui non crediderint veritati, sed acquieverint in injustitiâ. Finis* Reprobationis non minus quàm Electionis, est summus vel subalternus. *Summus* est Dei reprobantis gloria *Proverb.* 16. v. 4. *Rom.* 11. v. 35. 36. Gloria, inquam, *tùm* iræ sive justitiæ in damnatione reproborum propter peccata, *Rom.* 9. v. 22. *tùm* potentiæ in eorundem destructione, *Rom.* 9. v. 17. 22. *tùm* etiam liberrimæ potestatis in eorum præteritione sive relictione *Rom.* 9. v. 18. 20. 21. *Subalternus* consideratur distinctè respectu

Tum gratiæ.

II. Destinatio ad exitium.

III. Mediorum subordinatio.

Media reprobationis.

Finis reprobationis. Summus.

Subalternus respectu.

Electorum. respectu Electorum & Reproborum. Respectu *Electorum*; ut ex severitate in alios, benignitatem Dei ergà se tantò rectius agnoscant, *Ròm.* 9. v. 22. 23. *& cap.* 11. v.22. *& seqq.* illam revereantur, istam prædicent, 1.*Petr.* 2. v. 9. adeòque cum timore & tremore salutem suam operentur *Phil.*2. v.22.*Rom.*11. v. 20. *& seqq.*

Reproborum Respectu *Reproborum* finis Reprobationis est, justa ipsorum damnatio propter peccata. Quem multis locis indicat Scriptura: ut cum Impios factos dicit ad diem malum, *Proverb.* 16. v. 4. vasa iræ ad dedecus, ad interitum coagmentata, *Rom.* 9. v. 21. 22. homines ad iram constitutos, 1. *Thessal.* 5. v. 9. ad damnationem præscriptos, *Iud.* v. 4. ignemque æternum eis ab æterno paratum *Matth.* 25. v. 41. Inde siquidem Justitiæ Divinæ, spectata in Reprobatione gloria, refulget *Rom.* 9. v. 23. Ideòque etsi non delectetur Deus morte peccatoris, quatenus creaturæ suæ destructio est, *Ezech.* 18. v. 33. quatenus tamen justitiæ suæ, quæ omnibus creaturis potior meritò habetur, est declaratio; usque adeo eâ delectatur, ut etiam summam se ex eâ voluptatem capere profiteatur *Esa.* 1.v.24.*Proverb.*1.v. 26.

Effecta reprobationis. *Effecta* Reprobationis alii *consequentia* ejus dicere malunt. Sunt autem illa ipsa quæ appellatione mediorum supra indigitavimus: relictio sive desertio in peccatis: retentio reatus: excœcatio sive induratio.

Desertio. *Prius* consequens reprobationis dici commodè videtur: quia *desertio* illa à reprobatione est, ut caussâ deficiente, non efficiente. Sic enim Christus *Matt.* 13. v. 11. *Illis non est datum.cap.*11.v. 25. *Occultas, Pater, mysteria sapientibus.* Inspiciantur & alia loca: *Rom.*16.v.25.26.*Psal.*147.v.19.20.*Actor.*14. v. 16. *Posteriora duo* verò effecta sunt propriè dicta.

Retentio reatus. *Retentio* quidem *reatus*, quia à justitiâ judicis proficiscitur, peccatorem citrà satisfactionem non absolventis *Exod.*23. v. 7. Nam *maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ, scripta sunt in libro legis Deut.* 27. v. 26.

Excœcatio & induratio. *Excœcatio* autem & *induratio* ab eâdem justitiâ procedunt, peccata antecedentia subsequenti cœcitatis & duritiei pœnâ vindicante, tàm in *Non vocatis* externâ vocatione, ad communionem gratię, *Rom.*1. v.24.26. quàm in *Vocatis Iohan.*12. v.39.40.2.*Thessal.*2.v.11.12. Aliquando tamen ad Dei εὐδοκίαν & voluntatem referuntur: ut *Rom.*9. v. 18. *indurat quem vult.* Neutrum verò obstat, quò minus Diaboli, reprobos 2.*Cor.*4.v.4. & reproborum, se ipsos excœcantium & indurantium, *Hebr.*3.v.7.8. *Exod.*8. v. 19.respectu

peccata

peccata sint, eòque consequentia potius, quàm effecta reprobationis appellentur. Eundem in modum de *incredulitate contumaci* judicamus: quæ effectum reprobationis, quâ pœna, *Ioh.* 12. v.39. 40. 2.*Thessal.* 2. v.11.12. consequens autem ejus, quâ culpa. Denique damnatio reproborum propter peccata, commune sive consequens, sive effectum est, tum reprobationis, tùm mediorum ejus: Ex illo Christi: *Matth.*25.v.41.42. *Abite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, nec dedistis mihi cibum.* Ex hisce Reprobationis mediis *de æternâ vel sui, vel aliorum reprobatione nihil certis statuendum* est ante vitæ finem: sed de aliis benè sperandum ex charitate, 1.*Cor.*13.v.7. de nobis autem laborandum, ut operum bonorum studio vocationem nostram, atque ita electionem firmam efficiamus 2.*Petr.* 1. v. 10. Cujus rei *ratio* est; quod desertio in peccatis, retentio reatus, excœcatio etiam non omnis, sed finalis demum, reprobationis sunt κριτήρια. Nam Deus, ut non eâdem omnes horâ vocat, *Matt.* 20. sed alios *primâ*, ut Jeremiam & Johannem Baptistam; alios *tertiâ*, ut Samuelem, Josiam; alios *sextâ*, ut Paulum; alios *nonâ*, ut Menassem; alios *undecimâ*, & suæ vitæ finem, ut latronem in cruce: ita nec eâdem horâ omnes eripit è peccatis, deque illorum remissione certos reddit: ut ita ante vitæ exitum nec de sui, neque de aliorum reprobatione certi quid statui aut possit, aut debeat. *Excipimus* tamen peccantes in Spiritum Sanct. quorum peccatum, quia in Electos non cadit, quisquis ejus sibi conscius est, infallibile reprobationis sui testimonium in pectore gerit.

De reprobatione nihil certi statui potest ante mortem.

De *Subjecto* Reprobationis actum est in materiâ. *Adjuncta* ejus eadem sunt, quæ Electionis: Æternitas, Immutabilitas, summaque Libertas. *Æternam* esse, hoc est, ab æterno factam, patet, quia Ignis æternus, ante jacta mundi fundamenta paratus Diabolo, Angelis ejus, & hœdis, *Matth.*25.v.34. & 41. *inter se collatis*: quia reprobi constituti ad iram, 1.*Thess.*5. v. 9. ad damnationem præscripti sunt, *Iud.* v. 4. scil. ab æterno: in quam cum abeunt, abeunt in locum suum, *Actor.*1.v.25. hoc est, sibi ab æterno divinitus destinatum. Nam quicquid in tempore agit Deus, id ab æterno apud se decrevit *Actor.*15.v.18. Deinde *immutabilem* esse constat, quia propositum Dei, etiam κατ' ἀπόδειξιν, firmum manet, *Rom.* 9.v.11. nec ullum ejus consilium mutatur *Esa.* 14. v. 27. *cap.*46.v. 10. *Psal.*33. v.11. Ex quâ Immutabilitate duplex re-

Adjuncta reprobationis

Æternitas.

Immutabilitas.

probos insequitur *necessitas*, una *manendi in* peccatis, altera *pereundi.* Quandoquidem enim relinquuntur in peccatis, in quæ semetipsos præcipitarunt, nunquam convertuntur ad Deum: imò nè converti quidem seriò constanterque expetunt: contra verò cupiditatibus suis frœna laxant, eoque majorem menti cœcitatem, duritiem cordi attrahunt *Rom.* 11. v. 7. 10. *Iohann.* 3. v. 6. *Matth.* 7. vers. 17. 18. Ad quæ tandem, pro Dei justitiâ, damnationis judicium consequitur *Roman.* 1. vers. 32. *cap.* 6. vers. 23. Denique *liberrimam* esse docet verba Apostoli *Roman.* 9. vers. 18. *indurat quem vult.* v. 21. *Annon habet potestatem figulus in lutum* &c.? docent verba Christi *Matth.* 20. vers. 15. *Annon licet mihi quod volo facere de rebus meis?* item illa *cap.* 11. vers. 25. 26. quibus occultationem mysteriorum Patris sui beneplacito tribuit.

Libertas.

Atque hæc de Decretis *Dei in genere, illoque quod* Prædestinationis *vocant, in specie prolixius.* Usum *paucis nunc subjiciamus.* *Est ille*

I. Ad Διδασκαλίαν: *Deus est primum liberrimum ac nobilissimum agens* Roman. 11. vers. 36. Esa. 40. vers. 28. Psalm. 115. v. 3. & alibi. *In omnibus gloriam suam ut ultimum finem intendit*, Proverb. 16. v. 4. Habac. 1. v. 12. Roman. 9. vers. 22. 23. cap. 11. v. 36. *nec tamen sui glorificatione ipse glorificatus, sed creatura glorificans beatior redditur* Roman. 11. vers. 35. 1. Samuel. 2. vers. 30. *Decretum ejus prima caussa est omnium extrà ipsum operum* Ephes. 1. v. 11. Psalm. 115. v. 3. *In consiliis alia sunt viæ Dei, quàm viæ nostræ; aliæ cogitationes Dei, quàm cogitationes nostræ* Esai. 55. vers. 8. 9. Genes. 50. v. 20. Actor. 3. v. 13. & seqq. *Iudicia ejus sæpe occulta, nunquam injusta sunt* Deuteron. 29. vers. 29. Psalm. 36. vers. 7. Rom. 11. v. 33. 34. *Doctrina Prædestinationis speculum est lucidissimum, æternitatis, immutabilitatis, sapientiæ, misericordiæ, justitiæ, liberrimæque potestatis Dei* Roman. 8. 9. 10. 11. capp. Ephes. 1. 2. Timoth. 2. vers. 19. 20. Matth. 11. v. 25. 26. & alibi. *Ea ex solâ Scripturâ discenda & edisserenda est: exemplo Apostoli*, Roman. 9. 10. 11. capp. *nec in Scholis tantum, verum etiam in Ecclesia proponenda, mandato Christi*, Matth. 28. vers. 19. Marci 16. vers. 15. & *exemplo Esaiæ*, cap. 6. *Christi*, Matth. 11. 13. 20. 22. 24. 25. capp.

Pauli, Rom. 9. Ephes. 1. *Petri*, 1. Epistol. 1. v. 19. 20. *&* 2. Epist. 1. v. 10. *& Iudæ*, v. 4. *adhibito tamen prudentiæ modo: exemplo Apostoli*, in Epistolâ ad Romanos.

II. Ad Παιδείαν: *Proficiamus quotidie in cognitione Dei, tanquam sapientissimi, benignissimi, justissimi, liberrimi*, Exod. 34. v. 6. 7. collato cum Johann. 17. v. 3. *exemplo Davidis*, Psalm. 119. *& Timothei*, 2. Timoth. 3. v. 15. & 1. Epist. 4. v. 13. *Ad ejus gloriam omnia referamus*, 1. Corinth. 10. v. 31. *inprimis autem salutem nostram gloriosæ ipsius gratiæ acceptam feramus* Ephes. 1. v. 6. cap. 2. v. 8. 9. *In prædestinatione admiremur incomprehensibilem Dei sapientiam, justitiamque judiciorum ejus imperscrutabilem: exemplo Apostoli*, Roman. 11. vers. 33. 34. *ac in prædestinantis εὐδοκίᾳ cum Christo acquiescamus* Matth. 11. v. 25. 26. *Exerceamus verò nos ad veram humilitatem, qui gratiam Electionis & vocationis non ex merito aut dignitate aliquâ nostrâ, sed ex solâ Dei misericordia consecuti sumus*, Roman. 11. v. 32. Ephes. 2. v. 8. 9. Philipp. 1. vers. 6. cap. 2. v. 12. 13. 1. Corinth. 4. v. 7. *exemplo Davidis*, Psalm. 51. vers. 6. *Danielis*, cap. 9. vers. 8. 9. *ad filialem Dei timorem, qui in alios præcisam severitatem, in nos paternam benignitatem jam ab æterno ostendit*; Roman. 11. v. 20. & seqq. Philipp. 2. vers. 12. *ad veram gratitudinem per bona opera, cum non modò ad finem, salutem ipsam, sed etiam ad media salutis, bona opera, prædestinati simus*; Ephes. 1. vers. 4. cap. 2. vers. 10. *inprimis ad misericordiam ergà proximum, ut ita Dei ergà nos misericordiam imitemur*; Luc. 6. v. 36. *ad patientiam denique in cruce, cum ad hujus etiam ignominiam cum Christo perferendam electi simus*, Roman. 8. vers. 17. 18. 28. 29. 2. Timoth. 2. vers. 11. 12. cap. 3. vers. 12. *sicque agendo dignè militemus illi Imperatori, qui vitæ libro nomina nostra inscripsit*, 1. Timoth. 1. vers. 18. 19. Luc. 10. v. 20. *simul autem vocationem & electionem nostram firmam efficiamus* 2. Pet. 1. v. 10.

III. Ad ἐπανόρθωσιν: *Nè curiosè inquiramus in occulta Dei judicia*, Deuteron. 29. vers. 29. Roman. 12. vers. 33. 34. *ne disputemus cum Deo, aut contrà ipsum murmuremus, quod maximam hominum partem gratiâ Electionis præteriit*, Roman. 9. *neque hoc ejus judicium stultitiæ injustitiæve nomine criminemur*. ibidem & 1. Cor. 1. *Nè offendamur hoc capite doctrinæ Euangelicæ, aut offensi ab Euangelio deficiamus: Exemplo Capernaitarum*, Johan. 6. v. 66. *Iudæorum ac Philosophorum*, 1. Corinth. 1. vers. 18. 23. *neque etiam eò ad despera-*

tionem abutamur 2. Petr. 3. v. 16. Rom. 15. v. 4. 2. Timoth. 3. v. 16. *Gratiam verò Electionis nostri caveamus transferre ad carnis lasciviam*, Jud. v. 4. *aut ad securitatem* Rom. 11. v. 20. & seqq. Phil. 2. v. 12. *Caveamus item ullam partem salutis nostræ nobis arrogare*, Rom. 9. v. 16. 1. Corinth. 4. v. 7. Ephes. 2. v. 8. 9. *aut nobis gloriari* 1. Cor. 1. v. 29. Ephes. 1. v. 9.

VI. Ad παράκλησιν: *Muniamus nos hac doctrinâ adversus tentationes iræ Dei, peccatorum, & indignitatis nostræ. Quia agit nobiscum Deus non secundum peccata nostra; sed secundum suam misericordiam*, Roman. 9. v. 16. 18. Psalm. 103. v. 8. 9. 10. *quæ ut æterna est*, v. 17. *sic in æternum nos ea prosequitur* Psal. 23. v. 6. *Firmemus nos eadem adversus lapsus periculum: cum impossibile sit seduci electos in errores exitiales*, Matth. 24. v. 24. *aut è Christi manibus rapi* Johann. 10. v. 28. *Has namque labentibus supponit*, Psalm. 37. v. 24. *sicque eos virtutis suæ præsidio ad salutem custodit* 1. Petr. 1. v. 5. *Sustineamus etiam nos adversus scandalum crucis; quia omnia eveniunt prout Pater ille cœlestis definivit*, Luc. 22. v. 22. *utpote absque cujus voluntate ne pilus quidem de nostro capite cadit* Matth. 10. v. 30. *Omnia verò nobis cooperantur in bonum* Roman. 8. v. 28. *Postremò salutis æternæ certitudinem hinc concipiamus, conceptam retineamus: exemplo Davidis*. Psal. 23. vers. 4. 6. & *Pauli* Roman. 8. vers. 38. 39. 2. Timoth. 1. vers. 12.

LOCUS

LOCUS QUINTUS

De

CREATIONE.

Spectavimus Opera Dei *in Antecedente* Decreto. *Videamus etiam ut se habeant in subsequente* Exsecutione.

Secundum eam in Opera Naturæ *&* Gratiæ *vulgò distinguuntur.*

Opera Naturæ *vocant, quæ Deus communi quâdam operatione edit in Naturâ.*

Suntque vel Creationis, *vel* Conservationis *&* Gubernationis.

Opera Creationis *sunt, quæ Deus primâ creatione produxit: quam* Creationem *definimus, primam rerum omnium ex nihilo productionem, intra sex primos dies factam.*

EXEGESIS.

DEcreto æterno respondet temporaria *Exsecutio.* Quum enim nec mutet Deus consilium, nec impediri à quoquam possit: quicquid ab æterno apud se decrevit, in tempore extrà se exsequitur. Ab hujus exsecutionis varietate operum Dei discrimen nascitur. Etenim quia *alia* exsequitur operatione generali & communi in Naturâ, *alia* actione particulari & propriâ in Ecclesiâ; hinc opera in *Natura* & *Gratiæ* distingui solent. Non verò dicuntur *Naturæ opera*, quasi illa Deus naturâ operetur: siquidem extrà se non Naturæ necessitate, sed voluntatis suæ libertate agit *Psal.* 115. v. 3. *Ephes.* 1. v. 11. Sunt autem opera Naturæ, opera Creationis, Conservationis & Gubernationis. Ea quippe ab actione Dei communi proce- Exsecutio Decretorum Dei, & ex eâ operum Dei distinctio. Opera Naturæ.

 dunt-

dunt, *Gen.* 1. *per totum Matt.* 5. v. 45. *Act.* 17. v. 24. *& seq.* occupantur in natura communi: communiaque rerum naturalium principia constituunt. Quæ causa est, quod ordine explicationis operibus gratiæ præmittuntur.

Creatio. *Primum* opus Naturæ est CREATIO: tàm cognitione, quàm appellatione Ecclesiæ propria. *Cognitione* quidem, quia eam Fidei Apostolus tribuit, *Heb.* 11. vers. 3. *appellatione* verò, quia scholarum Theologicarum usus, vocem creationis contraxit ad significandam primam rerum omnium ex nihilo productionem: quo ita plenè exprimat vim verbi Hebræi ברא. A qua, *primâ* & propriissima significatione aliæ, itidem in scriptura usurpatæ, dependent: ut cum accipitur de productione ea, quæ fit per *generationem*, *Psal.* 104. v. 30. *Esa.* 42. v. 26. 32. *de regeneratione*, quæ secunda quasi creatio est, *Ps.* 51. v. 12. *Ephes.* 2. v. 10. itemque de *eventuum* certorum *ordinatione* & effectione *Ier.* 31. v. 22. *Esa.* 45. v. 7. *cap.* 46. v. 11.

Vocis homonymia.

Efficiens Deus. *Efficiens* Creationis est *Deus*: Nam *Deus creavit cœlum & terram Gen.* 1. v. 1. *Verbo Iehovæ creati sunt cœli; & spiritu oris ejus totus exercitus eorum Ps.* 33. v. 6. Hinc Jeremias *cap.* 32. v. 17. *Domine Iehova; tu fecisti cœlos & terram virtute tuâ maximâ.* Et Ecclesia Apostolica *Act.* 4. v. 24. *Domine, tu es ille, qui fecisti cœlum, & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Atq; ab hac creatione *terra Iehovæ* esse dicitur, *Ps.* 24. v. 1. ipseque *cœli & terræ Dominus* celebratur. *Matt.* 11. v. 25. *Act.* 17. v. 24. Est autem Deus creator, *solus*, nullos hoc in opere socios agnoscens *Esa.* 44. v. 19. *Iob.* 9. v. 8. Cujus rei ratio est, quod creatio est infinitæ virtutis Divinæ opus, *Ier.* 32. v. 17. quam ut solus possidet sic solus quoque creare potest: ut rectè pronunciet Jeremias c. 10. v. 10. 11. 12. *Dii isti, qui non fecerunt cœlos & terram, perituri sunt è terra. At Iehova Deus verus est, Deus vivens, & Rex sempiternus, qui fecit terram virtute sua &c.* Eo tamē non personæ ullæ Deitatis, sed tantum creaturæ fictitiave numina à creatione excluduntur. Personæ namque singulæ sunt solus ille, verus, vivens, ac sempiternus Deus, & illarum respectu non minus hoc, quàm cætera opera externa, indivisum sive commune censetur. Quod ipsum historia creationis apertè testatur, dum plures personas cōsultantes & creantes introducit *Gen.* 1. v. 26. & 2. Testatur alibi scriptura, ubi de uno Deo creatore nomine opificum, *Esa.* 54. v. 5. factorum, *Iob.* 35. v. 10. numero plurali loquitur. Insuper opus creationis non minus *Filio*, *Ioh.* 1. v. 3. *Coloss.* 1. v. 16. *Heb.* 1. v. 2. & *Spiritui Sancto. Gen.* 1. v. 2. *Iob.*

Solus.

Secundum tres personas Deitatis.

2.*Iob*.26.v.13.*cap*.33.v.4.*Ps*.104. v. 30. quam *Patri* διὰ ῥητὴν vendicat. Quod verò Pater κατ' ἐξοχὴν aliquando creator,ac cœli terræque Dominus appellatur,*Act*.4.v.24. *Matt*. 11.v.25. id omne est ab ordine modoque operationis in creatione. Creavit enim non ab alio, sed à se:utpote fons deitatis & operationum divinarum. Filius autem, & Spiritus S. non à se, sed à Patre crearunt, & Pater per ipsos 1.*Cor*.8.v.6.*Rom*.11.v.36. *Causa movens* Deum ad creandum non fuit necessitas aliqua aut indigentia: nec enim ullius est indigus,*Act*.17.v.25. sed liberrima ejus voluntas,*Ps*.115.v.3. qua voluit se communicare & patefacere creaturis, *Gen*. 1.v.27.*&* 31. eoque ab ipsis glorificari *Ps*.8.v.1.*&* 19.v.1. De *modo* creationis, quatenus is quidem ad efficientem pertinet, tenendum est, Deum non semper creasse: alioquin creatura coæterna esset creatori: sed *in principio temporis* creare cœpisse:uti loquitur Moses, *Gen*. 1.v.1. *&* ex Mose Joannes *c*.1.v.1. à quo principio creatio *principium viæ Iehovæ* nominatur *Pr*.8.v.22.Et dum cœpit, non ab otio ad negotium, à potentia ad actum transiit: sed creatura; quæ erat in potentiâ, eaque negativa tantum, in actum deducta fuit actuque exstitit. Hoc vero Deus non difficili molimine, adhibitisve more opificum instrumentis au machinamentis, sed *solo verbo*, hoc est, jussu ac virtute omnipotente effectum dedit. Tale quippe est illud, DIXIT, ad singula creationis opera repetitum: Cujus vim non effectus modo consequentia *Gen*.1.*per totum*,sed & verba Davidis, *Psal*.33.v.9.declarant: *Ipse dixit*,*& facta sunt:ipse mandavit*,*& exstit*.Ex quo sequitur I.Rerum singularum creationem Dei creatoris respectu instanti, ut loquuntur, sive temporis momento factam:quia in creando verbum omnipotens adhibuit.II. Perfectam absq; omni difficultate,molestia,ac defatigatione creatoris. *Dixit enim & facta sunt*,*Ps*.33.v.9.*nec defatigatur Creator extremitatum terræ Esa*.40.v.28. Consultatio illa, quam hominis creationi præmisit, *Gen*.1.v.26. non difficultatem aliquam hujus operis, sed dignitatem ejus, quam cæterorum majorem,arguit.

Cur Patri singulariter tribuatur creatio,

Impulsiva.

Modus creationis.

in principio

solo verbo.

Materia Creationis *nulla* fuit. In principio siquidem creavit Deus cœlum & terram,*Gen*.1.v.1.mare & omnia quæ in eis sunt, *Act*.4.v.24.cum ante nihil horum exsisteret. Et vox בָּרָא *creavit* primâ ac propriâ significatione *productionem rei ex nihilo* designat. Ubi *nihilum* non aliâ,quàm termini à quo,sive meræ negationis notio-

Materia nulla

Productio ex nihilo quid.

tionem habet; recteque exponitur, per *post nihilum*, cum nihil ante fuisset. Nam τὸ *ex*, neque materiæ, neque efficientis, sed termini tantum ordinisve est nota; qui est inter nihil & rem, secundum modum intelligendi nostrum. An vero omnia aut pleraque ex nihilo immediate producta, non immerito dubitatur. Certè corpus Adæ ex pulvere terræ, Evæ ex costâ viri formatum legimus *Gen.* 2.v.7. *&* 21. Animantia quoque terrestria ac volatilia è terra producta, v. 19. *ejusdem capitis* docetur: ut nihil nunc dicam de aliis.

Creationis distincta.

Proinde rectè faciunt, qui ratione materiæ creationem in *primam* & *secundam* sive in *Immediatam* & *Mediatam* distinguunt: quarum *illa* est ex nihilo; *ista* ex materia, sed indisposita. Quod si τὸ *nihil* latè sumatur, non modo *negative* quoad materiam, sed etiam *privativè* quoad formam; etiam posterior creationis species ex nihilo esse non incommodè dicetur.

Forma, rerum prima productio per.

Forma Creationis est *prima rerum omnium productio*, non per successivam, sed per momentaneam emanationem à caussâ primâ. Cujus quidem modus triplex in πρωτοκτισίᾳ deprehenditur κτίσις, ποίησις, καὶ πλάσις *Gen.* 2. v. 4. *&* 7. Κτίσις, *creatio*, est productio re ex nihilo simpliciter: qualis fuit materię primæ, cœli supremi, Angelorum, & animarum humanarum. Ποίησις est *effectio* rei ex materiâ præexistente jam, sed inhabili, ut piscium, avium, animantium. Πλάσις *fictio* sive *figuratio*, est & illa quidem productio ex materiâ sed artificiosa: qualis figuli esse solet: fuitque tum Adæ ex pulvere terrę, tum Evæ ex costa ejus.

Κτίσιν. Ποίησιν. Πλάσιν.

Finis Summus Dei gloria Subalternus communicatio bonitatis.

Finis creationis duplex est, summus & subalternus. *Summus* est Dei creatoris *gloria*: *Prov.* 16.v.4. *Ps.* 8.v.1.& 19.v.1.&. 145.v.10. *Rom.* 11. v. 36. *Subalternus*, communicatio & patefactio ejusdem. Etenim in operibus creationis Deus *&* *bonitatem suam communicavit*: quia omnia fecit valdè bona, *Gen.* 1.v.31. Hominem verò peculiariter condidit ad imaginem suam, v. 26.27. *&* *Sapientiam, Potentiam, ac Æternitatem suam patefecit. Sapientiam* in varietate, ordine ac usu omnium rerum. *Potentiam* in productione rerum, non minus magnarũ, quam parvarum, ex nihilo per solum verbum *Ier.* 32.v.17. *Rom.* 1.v.20. *Æternitatem* in conditu seculorum, *Heb.* 1.v. 2. quæ cuncta antegreditur *Ps.* 102.v.25.26. *Effecta* creationis sunt ipsa *creationis opera*: substantiæ per se, accidentia in & cũ substantiis. Distingui possunt in *visibilia* *&* *Invisibilia*, ex Apostolo *Col.* 1.v.16. in *corporalia spiritualia, & mixta*: in *constitutionem partiũ principaliũ*,

Patefactio sapientiæ, potentiæ, Æternitatis.

Effecta Creationis opera.

ceu

ceu ſunt cœlum,terra,& aqua,*& earundem Exornationem*: denique ſecundum *ſex dierum interſtitia* ex Moſe*Gen*.1.quam operum diſtinctionem,tanquam inſtituto noſtro maximè accommodam, hîc ſequemur. Igitur *primi diei* opera ſunt, cœlum ſupremum cum Angelis:chaos ex terrâ & aquâ:& Lux.Hæc enim tria diei primo Moſes tribuit.*Primum* opus eſt *cœlum ſupremum cum incolis ejus Angelis Gen*. 1.v.1. ubi cœli nomine id intelligi,quod aliàs *cœlum cœlorum*, 1.*Reg*.8.v.27.*& tertium cœlum*,2.*Cor*.12.v.2.metaphoricè verò *Paradiſus Luc*. 23.v. 43. vocatur, apparet partim ex collatione v.6.7.8. partim ex *Iob*.38.v.4.5. 6. 7.ubi angeli ipſo die primo, in creatione terræ Deo ceciniſſe dicuntur. Quod equidem facere nequiverunt, niſi jam creati. Si autem creati fuerunt, domicilium quoq; ipſorum cœlum,*Mat*.6.v.10.*& cap*.18.v.10.creatum fuiſſe oportuit. *Cœlum* ergò inter opera Creationis primo loco meritiſſimè recenſetur:cujus artificem & conditorem Deum celebrat Apoſtolus Heb.11.v.10.*Materia* ex qua productum ſit,nulla fuit.Illa verò ex qua jam conſtat,(nec enim dicendum immateriale)ſubſtantia eſt corporea.Erit namq;, & ex parte jam eſt, locus ordinarius corporum glorificatorum *Ioh*.14.v.2.3.*cap*.17.v.24.Apertum fuit viſibiliter,*Mat*.3.v.16.*Act*.7. v. 56. & à Chriſto adſcendente pertranſitum,*Epheſ*.4.v.10.ſuam etiam quantitatem habet *Ioh*.14. v.2.3.Interim ſubſtantiam hanc ſubtiliſſimam,lucidiſſimam,nulliq; corruptioni obnoxiam eſſe,ſuſtinemus argumento locorum 1. *Tim*.6.v.16.*Apoc*.21.*&* 22. *Situs* cœli hujus ſupernus eſt, & extimus,ſuprà omnes cœlos adſpectabiles: *Deut*. 4.v.39. *Luc*.2.v.14. *Eph*.4.v.10. *ambitus* verò capaciſſimus *Ioh*. 14.v.2.3.*Angelos*,qui à miniſterio id nominis ſortiuntur,*Heb*.1.v.*ult*. unà cum cœlo ſupremo creatos eſſe paulò antè oſtendimus.Nonnulli hinc *Angelos cœlorum* dici autumant *Mat*.24.v.36. De creatione ipſorum loca exſtant illuſtria *Pſ*.104.v.4.*Heb*.1.v.7.*Col*.1.v.16.Moſes,qui rerũ viſibilium creationem ad captum rudis populi perſtringit,illorum expreſſè non meminit.Implicita mentio *Gen*. 1.v.1.*cap*.2.v.1. *collato cum Luc*.2.v.13.reperitur.Sunt omnes ex creatione naturę ſpiritualis,*Heb*.1.v.*ult*.*Mat*.10.v.1.eoque intelligentes & volentes: liberi à corporibus,quia tantum ſpiritus,quales carnem & oſſa non habent,*Luc*.24.v.39.(nam in quibus apparuerunt olim *Gen*. 18.v. 2.ea extra ordinem adſumſerunt:)inſigniti imagine Dei, cujus Filii dicuntur,*Iob*.1.v.6.idque perfectiore,quàm homines modo *Pſ*. 8. v.

quæ ſunt

Primi diei

I.Cœlum ſupremum cum Angelis.

Cœlum.

Angeli.

quales.

8.v.6.*Dotes* ipsorum variis nominibus declarantur, figurisque adumbrantur. Dignitas voce *Deorum*: Potentia nomine *Principatuum, Dominatuum, Potestatum*: *Eph*.1.v.21.*Coloss*.1.v.16. Splendor stellarum lucidarum appellatione *Iob*.38.v.7.Sic celeritas ipsorum & alacritas in exsequendis Dei mandatis formâ Cherubim, *Exod*. 25.v.18.*seqq*.& Seraphim *Esa*.6.alatorum:aliæ Virtutes aliis item rerum imaginibus repræsentatæ fuerunt. *Numerus* maximus est, *Dan*.7.v.10.*Matt*.26.v.53.*Luc*.8.v.30.*Apoc*.5.v.11.veruntamen in Scripturâ non definitus. *Habitatio* autem cœlum supremum:uti

II Chaos ex terra & aquâ. suprâ ostensum. *Alterum* primi diei opus est, rudis illa & indigesta moles ex terrâ & aquâ, quam *Chaos* vocant. Moses *Gen*.1.v.1.nomine terræ eam indigitat, sed materialiter. Nam formam, quam nunc obtinet,tertio demum die,in sui ab aqua segregatione, accepit. Quæ caussa est, quod descriptionem ejus,prout tunc exstitit,v. 2.subnectit. *Terra*, inquit,*erat res informis & inanis:tenebræque erant in superficie abyssi*.Ubi *informem* dicit terram,non quod omnis formę expers esset:siquidem quicquid actu exsistit,per suam formam exsistit:sed quod forma eleganti & exacta, qualem postea adepta est, adhuc careret. *Inanem* etiam,quod nec plantas, nec fructus ullos produceret, *Tenebricosam* denique, ob lucis privationem: quæ tamen eodem statim die accessit.

quale. Erat igitur Chaos *substantiâ* partim terreum, partim aqueum: utpote ex terra & aqua, inter se commixtis,constans: *quantitate* ingens,& ceu sine fundo moles,quia abyssus: *qualitate* de forme, & tenebricosum: *effectu* inane,inefficax. Atque hæc est *materia prima* omnium corporum opacorum:*principium constitutionis* rerum naturalium, cum formâ illâ, quam secundum partes diversas diversam suscepit: *principium transmutationis*,cum privatione, quæ ei concreata fuit. Sic enim creata est, ut etsi informis in se,formarum tamen omnium capax esset:*Gen*.1.*per totum*. Unde *subjectum* πανδεχὲς merito appellatur. Nec periit post creationem,sed etiamnum superest.Nam quicquid objectum sensibus videmus, id ipsum est materia illa prima sub multifariis formis adspectabilis.

III. Lux, qualis. *Tertium* diei primi opus est *Lux*, *Gen*.1.v.3.hoc est,corpus quoddam lucidum,in quo lux ut qualitas hærebat.Hoc corpus non fuit nubes: nam illæ die sequenti demum creatæ sunt: sed pars aquę subtilior,in qua ceu medio diaphano,luxsplendebat, *Materia* lucis nulla fuit:nec splenduit ex tenebris,tanquam ex materia,2.*Cor*.4.v.6.sed post tenebras in mundum jussa subiit. *Forma*

vero

verò corporis lucidi an globosa fuerit, non satis liquet. Probabiliter tamen aliquid hujus colligitur ex fine ejus & usu, qui fuit, diei noctisque vices tam diu describere, donec Sol & Luna cum cæteris stellis crearentur. Motum igitur fuit in orbem motu circulari; ut cum esset in superiori parte hæmisphærii, diis esset, cum in inferiore, nox: Ad quem motum figura globosa maximè est idonea. Opera *secundi diei* fuerunt expansum, & Aquarum divisio. *Expansum* nihil est aliud, quàm ipsum *cœlum*, ex declaratione v.8. cœlum, inquam, tùm *aëreum* v.30. tribus regionibus distinctum, in quibus meteora, aërea, aqua, & ignea generantur: tùm *æthereum* v.14. quod inde à Luna ad cœlum usque supremum patet, orbesque septem Planetarum, & sphęram octavam ac nonam complectitur. *Materia* ejus sunt aquæ: quia per aquarum expansionem, id est, attenuationem atque extensionem cœlum est effectum: Quem modum Scriptura non uno loco nobis proponit *Iob*.9.v.8. *Psal*.104.v.2.3. *Esa*. 40.v.22. *cap*.42.v.5. *Aquarum* verò *divisio*, secundum secundi diei opus, est distinctio superiorum aquarum ab inferioribus. Aquæ *superiores* sunt, quæ suprà expansum, id est, infimam ejus partem, in mediam aëris regionem elevatæ, nubes efficiunt. Hæ quippe sunt & dicuntur aquæ *Ps*.104.v.3.& 148.v.4. *Inferiores* sunt, quæ infra expansum, terræ circumfusæ atque etiam in tertium diem ei permixtę manserunt. Opera *tertii diei* fuerunt. I. *Collectio aquarum inferiorum in peculiares alveos* sive conceptacula: quæ Oceanum, maria, & flumina dicimus. II. *Terræ* circà mundi centrum consolidatæ *arefactio*: à qua *Arida* appellatur. III. *Ejusdem germinatio*. Produxit enim jussa à creatore, plantas, id est, herbas, frutices, & arbores; non steriles, fructibusve vacuas, sed vegetas, seminificas & fructificantes v.11.& 12. Opus *quarti diei* fuit creatio *luminarium* in expanso v.14. id est, in ea expansi parte, quam æthera, sive cœlum ęthereum nuncupant. Idque non ex nihilo, sed *ex primæva luce*. Hęc enim cum redacta in nihilum non sit: nam certo ac constanti fine cuncta condidit creator: verisimile est in luminaria distributam fuisse. *Usus* luminarium v.14. & *seqq*. indicatur triplex: *primus* est in distinctione lucis à tenebris, sive diei artificialis à nocte. *Alter* in notandis ac disterminandis vicibus ac tempestatibus anni. *Tertius* in communicatione virium suarum, quibus hæc inferiora ab ipsis imbuta variè afficiuntur. Ab his tamen excipimus mentes ac voluntates humanas; utpote quę in suis operationibus luminarium

Secundi diei. 1. Expansum.

2. Aquarum divisio.

Tertii diei. 1. Collectio aquarum. 2. Terræ siccatio. 3. Terræ germinatio.

Quarti diei. Luminaria.

eorum Usus.

Motus. um influxui minimè subsunt. *Motus* eorum non est ab animâ ipsis ὑποστατικῶς unitâ nec ab intelligentiâ motrice, sed ab inditâ divinitus virtute, quâ statis vicibus circumaguntur. *Distributio* est in luminaria magna & parva. Luminaria *Magna* vocantur Sol & Luna, v.16. quorum ille diei, ista nocti præsidet. *Parva* autem sunt stellæ: non quantitate substantiæ: nam Mathematici demonstrant alia luminaria, quæ sunt in Sphæra octava, istis majora esse; sed opinione communi & effectu.

Distributio

Quinti diei Pisces & Aves. Opus *quinti diei* est creatio tùm *piscium* ex aquis, v.20. tùm *avium* ex terra: ut expressè docetur *cap.* 2. v. 19. Utrisque potentiam naturalem ad fæcunditatem, benedictione suâ Deus indidit v.22.

Sexti diei. Animantia terrestria. Opus *sexti diei* est creatio cùm animantium terrestrium, tùm Hominis. *Animantia* è terra producta dicuntur v. 24. eorumque tria recensentur genera: *pecuinum* sive mansuetum, ut sunt boves & oves; *reptile*, ut sepentes; *ferum* sive sylvestre: ut leones, ursi.

Homo. *Homo* verò ut ultimum sic præstantissimum creatoris in naturâ inferiore est opus; ac quoddam universitatis quasi compendium, μικροκόσμου inde, καὶ πάσης τῆς κτίσεως, *Marc*.16.v.15. titulo decoratus.

ejus Sexus. Is *sexu* duplex creatus est *Mas* & *Fœmina*.

corpus. *Maris corpus* è pulvere terræ fícturâ quasi singulari formatum est, *Gen*.2. v. 7. ut ortus sui ad humilitatem memor esset: *argumento locorum. Rom*.9.v. 21. *Esa*.45.v.9. *Gen*.18.v.27. *Fœminæ* autem *corpus* è costa viri dormientis structũ, *Gen*.2.v.21.22. quo & ipsa nosset subesse viro tanqui capiti, 1.*Cor*.11.v.3. & ille eam ceu carnem de carne suâ, ac os de ossibus suis complexam foveret *Gen*.2.v.23. *Nullus enim unquam suam ipsius carnem odit Eph*.5.v.29.

anima. *Anima* per quam uterq; Homo fuit, non è potentiâ corporis educta, sed ex nihilo à Deo creata, corpori indita, & cũ eo personaliter unita fuit. Inspiravit quippe Deus corpori spiritum vitæ, id est, animam, *Gen*.2.v.7. sicque homo anima vivens factus est: *ibidem*, & 1.*Cor*.15.v.45.

qualis. Proinde anima hominis spiritualis est naturæ, sicut passim *Spiritus* appellatur, *Ps*. 31. v.6. *Ecc*.12.v.7. *Zach*.12.v.1. *Luc*.23.v.46. *Act*.7.v.59. est immortalis, quæ occidi non potest. *Matt*. 10.v.28. sed post fata superstes manet, *Matt*.22.v.32. *Phil*.1.v.23. *Luc*.16.v.22.23. *& seqq*. intelligendi quoq; ac volendi facultate prædita. Peculiare est, quod Homo conditus fuisse dicitur ad *Imaginẽ ac similitudinem Dei Gen*.1.v.26. 27. quæ duo etsi ita distinguunt nonnulli, ut prius ad substantiam, posterius ad qualitates referant, certum tamen est in Scripturâ usurpari pro synonymis, *ex collatione* v.26.&27. *item cap*.5.v.1. *& cap*. 9. v.

9.v.6.Eſt autem *Imago Dei* in homine ſimilitudo illa, quâ in ſtatu creationis, creatoris ſui naturam partim animâ, partim corpore, partim utroque,propter utriuſque unionem, referebat. *Animâ*, ratione *ſubſtantiæ*,ſpiritualitate,ſimplicitate,immortalitate; ratione *potentiarum*, intelligendi facultate, ac volendi nolendive libertate;ratione *qualitatum*,perfectâ ſapientiâ,juſtitiâ,ac ſanctitate,*Col.* 3.v.10.*Epheſ.* 4.v.24.*Corpore:*beatâ immortalitate,*Gen.*2.v.17. ac diſpoſitione perfectioneque membrorum, quibus Dei perfectiones repræſentabat. *Vtroque:*dominio in cæteras animantes,*Gen.* 1. v.26.28.*cap.*2.v.19.cui externa ejus majeſtas ſerviebat.His omnibus adumbrabat humo perfectionem creatoris ſui:ſed pro naturæ ſuæ modulo,id eſt, conditionem Dei ſubſtantiâ,potentiâ,actu infinitam,conditione ſubſtantiâ,potentiâ,actu finitâ.*Subſtantiâ*,quia loco temporeque finitur.*Potentiâ*,quia ea mutabilis eſt,utpote aliunde dependens.*Actu*, quia ſucceſſivè actiones,paſſiones,cæteraſque affectiones obit. *Iuſtitia* quæ vulgò *Originalis* dicitur, pars eſt hujus Imaginis,conſtitque in illa naturę humanæ rectitudine,qua affectus voluntati, voluntas rationi,ratio Deo parebat.Ea, quandoquidem in ipſa creatione primo homini fuit indita,*Gen.*1.v.26. 27.31.*cap.*2.v.25.*Epheſ.*4.v.24. rectè *naturalis* appellatur.Per hanc habuit homo *liberum Arbitrium* ad bonum:ſed mutabiliter. Nam Deo ipſum non ſervante,potuit objecta fallaci ſpecie deficere ad malum: ut paulò poſt eventus docuit. Ad ſtatum externum primi hominis præter ea,de quibus dictum eſt,ſub Imagine Dei,conjugium quoque & habitatio pertinent.*Conjugium* ſanxit Deus inter marem & fœminam, ut hæc illi eſſet auxilio in officiis pietatis, in procreatione & educatione ſobolis,& individua vitæ ſocietate *Gen.*2.v. 18.*& ſeqq.* *Habitationem* verò utrique aſſignavit in Paradiſo,amœniſſimo terrę amœniſſimæ horto,*Gen.*2.v.8.ut eum colerent & cuſtodirent, v. 15. conceſſo in cibum omnium arborum fructu;etiam illius,quæ à ſacramentali ſignificatione,*Gen.*3.v.22. vel à ſingulari vegetandi virtute,*Prov.*15.v.4.*Apoc.*22. v. 2. *arbor vitæ* dicebatur: Unicâ tantum, quę in horti medio erat *Gen.* 3. v.3. *& arbor ſcientiæ* ſive experientiæ *boni & mali* vocatur, *cap.* 2.v. 17. exceptâ.Ita abſolutis ſex dierum operibus, finem creationi Deus impoſuit, novas creaturarum ſpecies non producens, ſed in productis acquieſcens. In cujus rei memoriam *diem ſeptimum* peculiari ſanctificatione diem *Sabbati*, quietus eſſe juſſit *Gen.* 2.v.2.3.

Imago Dei qua Homo Deum referebat animâ.

corpore.

utroque.

finite tamen.

Iuſtitia Originalis.

Liberum arbitrium.

Conjugium.

Habitatio.

Sabbatum.

Subjectum circa quod & in quo

Subjectum circa quod creationis fuerunt creaturæ, producendæ per Dei potentiam, *Subjectum* verò *in quo*, initio nullum fuit, quia non exsistente ulla creatura, non exstabat quoque aliquis locus. Post autem cum creaturâ locus cœpit: communis quidem omnium creaturarum, Mundus, proprius autem certarum. Cœlum, aqua, terra *Gen.* 1. v. 11. 14. 20. 24.

1 Bonitas Adjuncta Creaturarum.

Adjuncta creationis in efficiente quadantenus attigimus. *Creaturarum Adjuncta* sunt, Bonitas, Finitudo, & Mutabilitas. De *bonitate* testatur Moses *Gen.* 1. v. 31. *Omnia erant valdè bona*: videlicet tùm *absolutè* in essentia & qualitatibus suis: tùm *relatè* ad alios; ad *Deum*, cujus gloriam testantur, *Ps.* 19. v. 1. ad *Hominem*, quem ministerii & honoris officio prosequuntur, *Gen.* 1. v. 28. 29. *Ps.* 8. v. 7. *&* ad *alias res creatas*, quas singulæ suo ordine & modulo respiciunt.

2. Finitudo in loco.

Finitudo est in loco & tempore. In *loco*: quia creaturæ omnes, utpote finitæ essentiâ, spatium aliquod, sive corporeum, sive spirituale, pro naturæ suæ conditione, occupant *Gen.* 1. *per totum. In*

tempore.

tempore: quia & cœperunt in tempore, *Gen.* 1. v. 1. & quoad exsistunt, eidem subjectæ sunt.

3. Mutabilitas

Mutabilitas denique creaturarum est, quod universæ, propter dependentiam à creatore, mutabiles sunt, ipso solo simpliciter immutabili, *Psal.* 102. v. 27. 28. quæ tamen mutabilitas non semper deducitur in actum: uti videre est in Angelis beatis, cœlo beatorum, & aliis.

Iam Usum *quoque hujus Loci subjiciamus.*

I Ad Διδασκαλίαν. *Opera Dei in Ecclesia demum rectè agnoscuntur* Heb. 11. v. 3. Ps. 147. v. 19. 20. *Varietas illorum à Dei operantis est libertate* Ps. 115. v. 3. Eph. 1. v. 11. *Creatio operum omnium principium est*, Prov. 8. v. 22. *ac vera veri Dei nota* Ier. 10. v. 10. 11. 12. *Declarat invisibilia ejus* Rom. 1. v. 20. *hoc est, sapientiam*, Sap. 11. v. 21. *Potentiam*, Ps. 33. v. 9. *Bonitatem* Gen. 1. v. 31. *Videantur de his* Ps. 104. per totum, *&* *Iobi* capp. 38. 39. 40. 41. *Declarat agendi modum*, *qui est progreßus ab imperfectis ad perfecta* Gen. 1. per totum. *Docet rerum omnium origines, sive ex nihilo, sive ex materia*, ibidem: *docet earundem ex creatione distinctionem. Ab hac Dominus audit universitatis*, Mat. 11. v. 25. Ps. 24. v. 1. *& universa voluntati ipsius humiliter deserviunt: Angeli*; Gen. 19. 82. capp. & 2. Reg. 9. *Homines*: *Abraham*, Gen. 12. & 22. *David, aliique sancti*; *Animantia*, Lev. 26. v. 22. Exod. 8. Ios. 24. v. 12. 2. Reg. 17. v. 25. *Res inanimæ* Psal. 148. v. 8.

II. Ad

I I Ad παιδείαν. *Agnoscamus ac celebremus Dei creatoris virtutes, exemplo Davidis* Psal.8.19.104. & alibi. *Revereamur potentiam ipsius* Ierem.5.v.22. φιλανθρωπίαν *admiremur*, Ps. 8.*quâ adductus multis modis Hominem creaturis cæteris anteposuit, imò has usibus ipsius destinavit* Gen. 1.*Complectamur nos mutuo amore, tanquam unam carnem*, Esa.58.v.7.*unumque sanguinem* Act.17.26. *Maneamus in modestiâ, ortus nostri ex terrâ memores:*Syrac.10.v.8.Rom.9.v.20.Esa.45.v.9. *exemplo Abrahæ* Gen. 18.v.27. *Laboremus quoque strenue in suâ singuli vocatione; cum non ad ignavum otium, sed ad honestum laborem nos conditos sciamus* Gen.2.v.15. 2.Thess.3.v.10.11.

III. Ad ἐπανόρθωσιν: *Ne agnitionem Dei creatoris exstinguamus: exemplo gentium* Rom.1. *Ne creationis gloriâ ipsum spoliemus, statuentes Mundum aut à seipso exstitisse, aut ab æterno fuisse. Ne in terrenorum opificum ordinem Deum redigamus, qui ex nihilo nihil producunt. Nullum operum ipsius, quantumvis exiguum, vilipendamus; nec ullius mali ipsum autorem faciamus* Gen.1.v.31.*Caussis secundis nè nimium tribuamus*, Gen. 1.v.11.& cap.2.v.5.6. *nec eis confidamus: exemplo Asæ* 2. Chron.16. v. 12.

IV. Ad παράκλησιν: *Confidamus verò ope Dei in quocunque casu: quia & potest nos juvare, ut qui verbo anima condidit*, Gen.1.*& vult juvare quia paternè erga hominem affectus est: utpote cui de omnibus, non ad necessitatem modo, sed & ad delectationem, etiam antequàm esset prospexit. Retineamus hanc de ipso fiduciam, quantumvis media juvandi non adsint* Gen.2.v.5.6.*Denique confirmemus nos in spe beatæ resurrectionis, intuitu tùm Solis & Lunæ*, Dan.12.1.Cor.15.Phil.3.*tùm etiam corporum nostrorum: quæ æque facile resuscitare ex pulvere, quam ex eodem illa potuit creare.*

LO-

LOCUS SEXTUS
De.
PROVIDENTIA.

Opera Conſervationis & Gubernationis *ſunt, quæ conſervando & gubernando Deus edit.*

Communiter opera Providentiæ *dicuntur*; *quam* Providentiam *definimus, Omnium univerſim rerum, ſive à Deo, ſive à ſolâ creaturâ ſint, conſervationem, gubernationem, & ad fines divitus præſtitutos ordinationem.*

EXEGESIS.

Providentia

VOcem *Providentia*, quæ Græcis Πρόνοια dicitur, non accipimus hic, ut ſupra, pro decreto; ſed pro decreti exſecutione: quæ *Providentia Actualis* appellatur. In quâ ſignificatione per Synecdochen modò pro hâc, modò pro illa patre, à bonis autoribus uſurpatur.

Efficiens, Deus.

Cauſſa *Efficiens* Providentiæ eadem eſt, quæ Creationis: nimirum *Deus Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* Non enim ut architectus abſoluto ædificio, ſic ipſe perfecto Creationis opere curam ejus depoſuit, aliorum illud arbitrio deinceps permittens: ſed ab illo tempore uſque adhuc, continuo actu, idem opus potentiâ ſuâ ſuſtinet, & conſilio gubernat. *Pater meus,* inquit Chriſtus, *operatur uſque adhuc Ioh.*5.v.17. *Filius ſuſtinet omnia Verbo illo ſuo potente. Heb.* 1.v.3. *Sanctusque Spiritus virtute ſuâ cunctâ* tuetur ac *fovet Gen.*1.v.2. *Pſ.*134.v.30. *Eſa.*40.v.12.13. Preter que multa alia ſcripturæ teſtimonia, rerum omnium adminiſtrationem Deo vendicant, *Pſ.*33.v.13.14.15.&36.v.7.& 104.v.27.& ſeqq.& 113.v.5. *& ſeqq. Mat.* 6.v.26.*cap.*10.v.29.30. *Act.*14.v.15.*ſeq.* Suppetunt quoque eam in partem rationes evidentiſſimæ ac firmiſſime: à naturâ Dei; ab ordine in naturâ creatâ divinitus ſancito; à Lege Nature; ab Executione hujus Legis in premiis virtutum, & pœnis vitiorum; à conſtitu-

Pater, Filius, & Spiritus S. juxta Scripturam.

Rationes.

ſtitutione ac mutatione Imperiorum: & quę ſunt hujus generis alia: ut monſtra hominum, non homines habendi ſint, qui in tantâ naturę Scripturæque luce, Deo Providentiam ſuam detrahere non erubeſcunt.

Materia Providentię in objecto ejus cernitur. Sunt illud *primum* omnes omnino res & eventa rerum generatim conſiderata: *deinde* ſingula in ſpecie & individuo. Unde in Scholis diſtinctio Providentię in generalem & ſpecialem nata eſt. *Generalis* eſt, quâ omnia in hoc mundo, uno quaſi & communi actu ſuſtentat & gubernat. De hâc dicta ſunt: *Actor.* 17. v. 25. 28. *Ipſe dat omnibus vitam, & halitum, & omnia: nam in ipſo vivimus, movemur, & ſumus Heb.* 1. v. 3. *Suſtinet omnia verbo illo ſuo potente. Nehem.* 9. v. 6. *Tu ille Iehova ſolus es: tu feciſti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum eorum, terram,* & *quicquid eſt in eis: & tu conſervas hac omnia. Epheſ.* 1. v. 11. *Omnia agit ex conſilio voluntatis ſuæ. Specialis* eſt, qua ſingulas rerum ſpecies & individua ſigillatim ſua curâ complectitur, horumque eventa ſigillatim moderatur. Hanc alii in *particularem & ſingularem* ſubdividunt: Alii Providentiam *Peculiarem*, quæ circa Eccleſiam ejusque membra peculiariter occupatur, ab eâ diſtinguunt. Nos una hâc ſpecie cæteras inferiores omnes complectimur. Quæ proinde tantò latius patet, quantò major eſt tùm ſpecierum varietas; tùm individuorum numerus. Id verò ut clarius appareat, aliquot rerum claſſes ſpeciei huic declarandę & confirmandę ex ſcripturis ſubjiciamus. *Prima* claſſis continet diſtinctionem rerum *ſecundum ſubſtantiam*, in Intelligentes, & Non-intelligentes. *Intelligentes* ſunt Angeli & Homines. Et *Angeli* partim Boni: partim Mali. Utroſq; Providentię ſpeciali ſubeſſe teſtatur Scriptura: bonos, *Heb.* 1. v. 14. *Pſ.* 91. v. 11. & 104. v. 4. *Dan.* 4. v. 10. *al.* 13. malos *Iob.* 1. v. 12. *c.* 2. v. 6. 7. 1. *Reg.* 22. v. 21. 22. *Matt.* 8. v. 31. 32. Jam *Homines* ejuſdē œconomiæ ſubjacere demonſtratur, primò in genere, *Pſal.* 36. v. 7. 1. *Tim.* 4. v. 10. *Act.* 17. v. 26. deinde in ſpecie ex formatione eorum in utero, *Iob.* 10. v. 9. *ſeq.* vivificatione *Zach.* 12. v. 1. *Pſal.* 94. v. 9. nativitate, *Iob.* 10. v. 18. *Pſal.* 22. v. 10. & 71. v. 6. infantiâ & pueritia, *Pſal.* 8. v. 3. & 71. v. 5. 6. 17. *Matt.* 18. v. 10. ex toto vitę ſtatu & decurſu, 1. *Sam.* 2. v. 6. *Pſalm* 75. v. 7. 8. & 113. v. 5. 6. & 139. v. 2. 3. *Prov.* 22. v. 2. *Dan.* 2. v. 21. *Matt.* 6. v. 25. 1. *Tim.* 6. v. 17. ex ſenecta, *Pſ.* 71. v. 9. 18. *Eſa.* 46. v. 4. & morte *Iob.* 14. v. 6. *Mat.* 10. v. 30. *Heb.* 9. v. 27. Circà quæ tam in impiis quā in piis occupatur Dei Providentia: *Act.* 17. v. 25. & *ſeq. cap.* 14. v. 17.

Materia res omnes & ſingulæ.

Providentia Generalis.

Specialis.

hujus Objectum ſpectatur in diverſis claſſibus, quæ diſtinguuntur 1. ſecundum ſubſtantiam,

*Matt.*5.v.45.ita tamen,ut ſemper peculiaris pro his ejus cura, nobis inſinuetur 1.*Tim.*4.v.10.*Pſal.*33.v.18.2.*Chron.*16.v.9.*Deut.*32.v.8.9.*Pſ.*91.v.11. Quod creaturas *Non intelligentes* attinet,ſunt illarum in ordine,*tùm* animatę,*ſive* anima ſenſitivâ,ut animantia terræ,piſces & aves;*ſive* vegetativâ tantum,ut herbæ, frutices & arbores: *tùm* inanimes,ut res cœleſtes,quales ſunt luminaria, & meteora; item terreſtres & aquæ. Harum nulla Dei Providentiam effugit, ſed ſingulæ ſpecies ſingulaque ſpecierum individua eidem ſubjecta ſint. Animantia terræ,*Gen.*1.v.30 *Iob.*39.v.4. *Pſ.* 104. *paſſim &* 147.v.9. Piſces,*Pſ.*104.v.25.*& ſeq.Iob* 41.*Luc.*5.6.*Ioh.* 21. v. 6. *Matt.*17.v.27.Aves,*Iob.*39.v.3.*Pſ.*104. *paſſim*,& 148.v.10.*Mat.*6.v.26.*c.*10.v.29.Herbæ,frutices,arbores, *Pſ.*104.v.16.17.*Matt.*6.v.28.1.*Cor.*15.v.38. Luminaria,*Pſ.*104.v.19.*& ſeqq. Ier.*31.v. 35. *Ioſ.*10.v.13. Meteora, ut Nubes, *Iob.*26.v.8.9.*Pſ.*104.v.13. *& ſeq. &* 148.v.4.5. Pluviæ, *Iob.*5.v.10. *Pſ.*134.v. 13. *& ſeqq. Matt.* 5. v. 45.*Act.*14.v.17. Fulgur, *Pſal.*18.v.13.*& ſeqq.&* 50.v.3. Tonitru, *Pſal.* 29.v.3.*& ſeq.* 1. *Sam.* 7.v.9. Venti, *Pſal.*135.v.7. *Ier.*51.v.16. *Matt.*8.v.27.&c. Terreſtres: ut metalla, *Ezech.* 16.v.17.*Ioel.*3.v.5. *Hag.*2.v.8. Foſſilia,*Pſal.*11.v.6.*Ezech.*38.v.22.*Gen.*14.v.3. Aqueæ, ut Fluctus, *Iob.*38.v.10.*&c.Pſ.*104.v.9.*Mat.*8.v.27.*&c.*

2. Secundum quantitatem.

Altera claſſis diſtinguit res *ſecundum quantitatem*, in parvas & magnas. Etſi enim illæ Dei Providentiâ indignæ videri queant;non minus tamen eidem,quàm cæteræ ſubjiciuntur: ita docente Scripturâ, *Mat.*6.v.26.28.*& ſeqq.& cap.* 10.v.29.30. & dictante ratione, probroſum Deo haud eſſe id curare,quodglorioſum fuit creare.

3. Secundum qualitates & actiones.

Tertia claſſis eas diſtinguit *ſecundum qualitates & actiones*: à quibus bonæ vel malæ dicuntur. Et de *bonis* quidem, quin non modo regantur, ſed & efficiantur à Deo, nulli poteſt eſſe dubium *Iacob* 1. v.17. *Phil.*2.v.13.2.*Cor.*3.v.5. De *malis* vero,non pœnæ,quæ paſſiones ſunt juſtiſſimæ *Prov.*16.v.4. *Eſa.*45.v.6.7.*Amos.*3.v.6.ſed *culpæ*, quę legis tranſgreſſiones ſunt iniquiſſimæ, quod ab hâc Providentiâ nullatenus eximantur,clariſſimis ſcripturæ teſtimoniis pariter & exemplis oſtenditur. *Teſtimonia* ſunt: *Pſ.*105.v.25.*Eſa.*19.v.14.*cap.*63.v.17.*Ez.*14.v.9.*c.*24.v.21.2.*Theſſ.*2.v.11. 1.*Pet.*3.v.17.*cap.*4.v.19.*Exempla* verò proponuntur,in Venditione Joſephi,*Gen.*45.v.8.& 50.v.20.in induratione Pharaonis, *Exod.* 4.v.21. & 9.v.12. & Ægyptiorum,*cap.*14.v.17.In afflictione Jacobi,*cap.*1.&.2. in deſertione Saulis, 1.*Sam.*16.v.15. in caſtigatione Davidis, 2.*Sam.*

Mala culpæ ſubſunt Providentię Dei.

12.v.11.12.*cap*.16.v. 10. in deceptione Achabi, 1.*Reg*.22.v. 23. in excœcatione Judęorum, *Esa*.6.v.10. in crucifixione Christi, *Act*. 2. v.23.24.*cap*. 4.v.27.28.nec non in sapientum Ethnicorum, veritatem in injustitiâ detinentium, punitione *Rom*.1. v. 24. 26. *Quarta* classis easdem distinguit *secundum eventus*: qui vel necessarii vel contingentes, vel fortuiti dicuntur. Universos quippe eadem hæc dirigit Providentia. De *necessariis* sive ab immutabili Dei consilio, sive ab ordine naturæ divinitus instituto pendeant, loca sunt: *Luc*.24. v. 46. *Matt*.18.v.7.*cap*.24.v.24.1.*Cor*.11.v.19. *Hos*.2.v.21.22.*Iob*.38. v.27.*Ps*.104.v.13.14. De *contingentibus* ista: *Prov*.16.v.19. *cap*. 21. v.1. *Ps*.33.v.10.*Ier*.10.v.23. Denique de *fortuitis* hæc: *Exod*.21. v. 12.13.*Deut*.19 v.4.*Ps*.107.v.23.24.28.29.30.*Prov*.16.v.33. *Matt*. 10.v.29. Hæc sunt, quæ Objecti sui ambitu Providentia complectitur: ex æquo quidem omnia, sed non gradu modove æquali. Quò enim propius quid est primo principio, hoc potiorem in Providentiæ ordine locum obtinet. Deinde alia horum proveniunt ex Providentia tanquam caussa, alia non ex eâ, sed secundum eam fiunt. Quæ cum ad formam Providentiæ propriè pertineant, ad eam nunc commodè progredimur.

4. Secundum eventus.
necessarios,
contingentes,
fortuitos.

Formam Providentiæ actibus duobus, *Conservatione* & *Gubernatione* expressimus: posteriorem verò *Ordinatione ad fines* divinitus præstitutos declaravimus; sive illi medii sint, sive ultimus. Ad eos siquidem gubernatio omnis dirigitur: utpote à caussâ intelligente, eâque sapientissimâ, instituta. *Conservatio est*, *quâ creaturas omnes in statu suo ordinarie conservat*. De hâc dicta sunt: *Nehem*.9.vers. 6. *Tu Deus conservas omnia*. *Hebr*. 1.v.3. *Filius sustinet omnia Verbo illo suo potente*. *Psal*.36. vers.7. *Homines & jumenta conservas, Iehova*. Fit verò illud, conservatione *essentiæ* in speciebus, *exsistentiæ* in individuis, & *virtutis* ad operationes. Quæ tria scitè conjungit Apostolus *Actor*.17. v. 28. In Deo *vivere* nos, *moveri*, & *esse* pronuncians. Et priora quidem duo animatis & inanimatis pariter communia sunt: posterius autem animatorum est proprium, ad actiones vitales, animales, & rationales edendas ipsis necessarium. Sic conservatio *essentiæ* in speciebus continua est, vi benedictionis, primis speciei individuis additæ in creatione, ad sui propagationem *Genes*. 1. Conservatio verò *exsistentiæ* individuis non est continua, sed finitur voluntate Dei, qui ut singulis hominibus, *Iob*. 14. v. 6. ita singulis quoque animantibus

Forma constat.
Conservatione.

tibus

tibus, & aliarum specierum individuis certam exsistentiæ durationem præscripsit. Hinc jam patescit, quæ sit caussarum secundarum dependentia à prima: quomodo item caussa prima cum secundis concurrat: de quo postea distinctius. Loquimur vero hîc de eo, quod ordinarié Deus facit: dum in statu naturali creaturas conservat. Nam quod alias quandoque in conditionem meliorem evexit, ut cum aquas in vinum, *Iohan.* 2. baculum in serpentem *Exod.* 7. convertit, quæ βελτίωσις est: alias contra in statum deteriorem, ut Nebucadnetzarem in sortem brutorum *Dan.* 4. ficum viridem in aridam *Matth.* 21. redegit,

Gubernatione. quæ ἐλάττωσις dicitur, id omne extraordinariæ ac miraculosæ Dei operationi meritissimè adscribitur. *Gubernatio est, quâ Deus universa & singula gubernat, & ad fines à se præstitutos dirigit ac deducit.* De hâc dicta sunt: *Ephes.* 1. v. 11. *Omnia agit ex consilio voluntatis suæ. Daniel.* 4. v. 35. *Pro voluntate suâ facit in exercitu cœli & habi-*

Quæ est. *tatoribus terræ: neque est qui prohibeat manum ejus, aut dicat ei, quid facis? Rom.* 11. vers. 36. *Ex eo, per eum, & in ipsum sunt omnia.* Modus ejus duplex est: unus κατ' εὐδοκίαν, alter κατὰ συγχώρησιν: nam quod tertium, κατ' οἰκονομίαν, addunt alii, sive is ad naturæ peccantis sustentationem, sive ad miraculorum patrationem referatur, utroque significatu modi primi species manet. *Gubernatio*

κατ' εὐδοκίαν. κατ' εὐδοκίαν rerum est per se bonarum, quas Deus vult, efficit, & ad bonos fines efficaciter perducit. Sunt quippe tales conformes naturæ ipsius, *Iacob.* 1. v. 17. proinde sicut iis delectatur, *Psal.* 45. v.

Atque vel 8. ita etiam in iisdem efficiendis occupatur. Vulgò in *Mediatam & Immediatam*, sive in *Ordinariam & Extraordinariam* subdistingui-

Mediata. tur: quarum *illa* bonitatem Dei, *ista* potentiam; *utraque* multifariam ejus sapientiam singulariter testatur. *Mediata* est, cum Deus caussarum secundarum ministerio in gubernatione utitur. Atque ita agere dicitur κατὰ φύσιν, secundum ordinem à se in naturâ constitutum; sive secundum naturam caussarum secundarum *Hos.* 2.

Concursus causæ primæ cum secundis cur fiat. v. 21. 22. *Genes.* 8. vers. 22. Quod quidem facit, non ex aliquo virtutis defectu, aut quod quieti suæ hoc pacto consultum eat; sed *partim* ut suam in creaturas potestatem, ac regiam dignitatem, omnium creaturarum satellitio quasi stipatam, nobis ostendat: *partim* ut nos commonefaciat, ne divinâ freti Providentiâ ordinata Divinitus media negligamus. *Matth.* 4. vers. 6. 7. *Actor.* 27. v. 24. & 31. In hâc autem Gubernatione, caussæ secundæ non tantum

tum passivè, sed etiam activè se habent: nec agit in iis Deus subjectivè (sic enim omnis vis creaturis divinitus indita elideretur, illæque frustrà conditæ essent, ipso omnia in omnibus immediatè operante) sed effectivè, tanquam caussa prima: à quâ omnem caussandi vim acceperunt secundæ, cujusque concursu ad caussandum tùm excitantur, tùm applicantur. Prætereà *concursum* illum, sive influxum, ipsarum naturæ ita attemperat, ut qualis ea est, talis quoque sequatur effectus: qui proinde necessarius vel contingens habetur, prout caussa Proxima necessario vel contingenter egit. Porrò caussæ illæ secundæ, quas Deus ut media Providentiæ suæ adhibet, vel Inanimatæ sunt, vel Animatæ; hæque iterum vel Intelligentes, vel Non-intelligentes. *Inanimatæ* sunt, quæ moventur ad finem suum naturali quàdam inclinatione, citrà ullam ejus apprehensionem: quemadmodum lapis deorsum fertur interno naturæ suæ principio. *Non-intelligentes* sunt, quæ movetur instinctu naturali, ad particularem suum finem, prævià cognitione sensus singulari: ut bruta. *Intelligentes* sunt, quæ moventur ad suum finem, non particularem modo, sed etiam universalem, principio voluntatis intelligentis, sive voluntate intellectivâ: qualis est in angelis & hominibus. Harum singulæ ut principiis internis diversæ sunt, sic diversimodè in eis & per eas agit Deus. In *Inanimatis* citrà ullam cognitionem, ipsorumque in operando determinationem. In *Brutis* cum aliquâ quidem cognitione, sed valdè imperfectâ, utpote merè sensuali: itemque cum aliquâ ipsorummet determinatione, sed quæ à sensus tantùm judicio nascitur. In *Intelligentibus* denique Angelis & Hominibus agit præcedente cognitione mentis, & subsequente determinatione voluntatis ipsorum. Quorum omnium exempla sparsim per universam Scripturam reperiuntur. Sed difficilioris explicationis est, concursus Providentiæ cum creaturis Intelligentibus. Ad cujus rationem assequendam id tenendum est quod suprà monuimus. Deum cum caussis secundis concurrere, naturæ ipsarum convenienter. *Concurrit* igitur *cum creaturis Intelligentibus secundum ipsarum* quoque *naturam*, id est, ita, nè tollat libertatem ipsarum in agendo; Quod fit, dum sic eas determinat, ut tamen sese determinent ipsæmet per suam voluntatem. *Deus* eas *determinat*, tum *objectivè* proponendo eis aliquod objectum: tùm *Æthicè*, movendo earum voluntatem, ut quod à mente cognitum

Quomodo caussæ secundæ hic se habeant.

Qualis sit concursus.

Causæ secundæ sunt.

Inanimatæ.

Non-intelligentes.

Intelligentes.

Concursus Dei cum

Inanimatis

Brutis.

Intelligentibus.

Quomodo determinentur à Deo

 atque

A semetipsis atque monstratum est, amplectantur. *Ipsemet* verò *se* quoque *determinant*, dum quod mente cognoverunt ut bonum, accipiunt voluntate, suo ac proprio motu, absque coactione. Hinc præceptis & interdictis, promissis & minis, suasionibus & dissuasionibus, non externis modo, Verbi, sed & internis, Spiritus, cum hominibus agitur: uti videre est 2.*Corinth*.5.vers. 18. 19.20. *& in Actis passim*. Talis verò actio caussæ primæ determinantis secundas intelligentes, nullatenus pugnat cum libertate ipsarum. Siquidem *libertas* illa non est absoluta, ut per eam nulli subjiciantur, à nullo in agendo dependeant: sic enim æquarentur Deo, qui ut solus independens, ita solus verè est αὐτεξούσιος: sed necessariam ac inseparabilem creaturæ à creatore dependentiam inclusam habet, eoque tantùm facit, ut tùm à necessitate absolutâ & coactionis eximatur, tùm ab agente naturali distinguatur. Ideòque tali agenti rectè illa opponitur; Deo autem rectè & verè subordinatur; cui subesse, servire, vera demum libertas est. *Immediata* gubernatio est, cum Deus vel caussis secundis non utitur, vel suprà, præter, aut etiam contrà ipsarum naturam agit. Idque facit, partim ut se caussis secundis minimè alligatum esse ostendat, *Genes*. 2. vers. 5. 6. partim, nè illis deficientibus de Providentiâ ipsius & potentiâ dubitemus, aut desperemus *Iohann*: 6. v. 5. *& seqq*. Ad hanc itaque Gubernationis speciem referenda sunt: I. quæ operatur Deus *absque omnibus mediis*, ut cum terram fœcundavit absque pluviâ & culturâ *Genes*. 2. vers.5.6. Ita non solo pane, sed Verbo Dei vivere dicitur homo, *Matth*. 4.v.4. ut vixerunt Moses, *Exod*. 34. vers. 28. & Elias 1.*Reg*. 19. v. 8. II. quæ operatur *præter aut supra mediorum naturam*, quod est τὸ παρὰ καὶ ὑπὲρ φύσιν: ut cum aquam convertit in vinum, *Ioh*. 2. paucis panibus aliquot millia cibavit *cap*. 6. III. quæ operatur *contrà mediorum naturam*, τὸ ἀντὶ φύσεως: ut cum aquas maris rubri, *Exod*. 14. v. 16. & Jordanis, *Ios*.3.v.16. itemque solem stare fecit, *cap*. 10. v. 13. dum eundem decem gradibus, quos jam paragrarat, revocavit, 2. *Reg*. 20. v. 11. dum socios Danielis in fornace ignea illæsos, *Dan*.3.v. 29. ipsum in foveâ leonem incolumem servavit *cap*. 6. v. 23. 24. Quæ omnia fecit contrà particularem mediorum illorum naturam. Contrà naturam universalem verò, hoc est, totius universitatis ordinem, nihil unquam fecit aut facit. Ex quibus omnibus clarum

Dei terminatio non tollit libertatem creaturarum intelligentium.

Immediata.

cur fiat.

Agit eâ Deus

1. Absque mediis.

2 Præter eorum naturam

3. Contra mediorum naturam.

Huc Pertinent.

rum est, præcipuè hùc pertinere operationes *miraculosas:* quæ quia vim totius naturæ creatæ excedunt, à virtute autem omnipotente procedunt, immediatæ Dei Gubernationi rectissimè subjiciuntur. Et huic non repugnat, quod Deus in Veteri Novoque Testamento circà patrationem Miraculorum, aliorum legitur adhuibuisse ministeria. Nam nulli eorum communicavit virtutem infinitam sive Omnipotentiam suam, sed quædam duntaxat externa loqui & agere voluit: circà quæ ipse omnipotenter fuit efficax. Sequitur alter *Gubernationis modus* κατὰ συγχώρησιν, quæ rerum est malarum, hoc est, peccatorum, cujusmodi Deus neque vult, neque approbat, sed permittit, permissaque ordinat. *Non* enim *est Deus, qui delectetur improbitate, nec commoraturum est apud ipsum malum: odit omnes qui operam dant iniquitati; abominatur, perdit eos Psal.* 5. v. 5. 6. 7. Permittit tamen iniquitatem, *Actor.* 14. v. 16. & ita ordinat, ut tandem, contrà intentionem peccantis, in bonum exeat *Genes.* 50. v. 20. Quo respectu ipsa *permissio* ἐνεργητικὴ, *efficiens, operans* nonnunquam dicitur. Cæterum quia in explicandâ peccati Gubernatione variè, & olim, & nunc erratum fuit, in excessu & in defectu: modum ejus planè & distinctè ex Scripturis definiemus. Id autem ante omnia tenendum est, non agi hîc de *peccato concretivè*, ratione materialis, quod est inclinatio & actio, aut ratione adjuncti consequentis, quod est reatus: sic enim Deo passim adscribitur: *Gen.* 50. vers. 20. 2. *Sam.* 24. v. 1. *&* *cap.* 12. v. 11. 12. sed agi de eo *abstractivè*, ratione formæ, quæ est ἀνομία, 1. *Ioh.* 3. v. 4. quo sensu quàm longissimè ab ipso removetur *Psal.* 5. vers. 5. 6. 7. *&* 45. vers. 8. 1. *Chron.* 21. vers. 1. Sicque acceptum sub Gubernationem Dei cadit tripliciter; quoad Initium, Progressum, & Finem. *Quoad Initium* I. *permittit peccatum*: non illud indifferens reliquendo, ut repudium permisit Moses, *Matth.* 19. vers. 8. sed non impediendo: *argumento loci Gen.* 20. vers. 6. De quâ permissione dicta sunt: *Psal.* 81. v. 13. *Permisi eos ambulare ex sententiâ animi sui. Actor.* 14. v. 16. *Deus in præteritis ætatibus sivit omnes gentes suis ipsarum viis ingredi.* Permittit autem non inscius, nec invitus, aut negligens, sed *consultò & volens*: partim quia permissio voluntatis est actio: partim quia Deus sapientissimus ac potentissimus nihil imprudenter, nihil incuriâ, aut invitus agit. Nec tamen peccat permittendo, id est, non impediendo: quia nullâ lege ad id obligatur, utpote legibus

Miracula.

Instrumenta qui se habebant in patratione miraculorum

II. κατὰ συγχώρησιν

Peccatum cadit sub Providentiam Dei permittentem abstractivè, quâ ἀνομία & quidem quoad,

1. Initium permittendo peccatum.

legibus omnibus superior, & insuper majus bonum ex peccato producit. II. *Subtrahit gratiam peccato adversantem*: tùm *Internam*, quâ mens luce & judicio recto destituitur, & cupiditatibus fræna laxantur: *Exod.*4.v. 21. & *cap.* 9. v. 12. *Esa.* 9. v. 9. 10. *Rom.* 1. v. 24. 26. tùm *Externam*, quâ mortales Satanę mundique injuriis variè exponuntur *Iohann.* 1. v. 12. 1. *Reg.* 22. v. 22. *Matth.* 8. v. 31. III. *bonas offert occasiones*, quibus ad peccandum impii perperam abutuntur. Quales sunt, intus bonæ cogitationes: foris, dicta, facta, aliave in sensus incurrentia: ut Pharaonis, *Exod.*5. v. 2. Judæorum, *Iohan.* 19. v. 5. 6. & aliorum exempla docent. Atque in hac subtractione gratiæ, occasionumque bonarum oblatione jam manifesta, jam contra occulta est *Dei justitia*. *Manifesta* est in plurimis peccatis ortis; ut induratione Pharaonis: utpote, quam ille sua ergà Israelitas tyrannide meruerat: item in sceleribus sapientum Ethnicorum, in quæ prolapsi, Deo in sensum reprobum ipsos tradente *Rom.* 1. v. 24. 26. *Occulta* vero est in peccato primo, & in quibusdam ortis. In *primo*, quia Adamus nondum meruerat sui in tentatione desertionem. In quibusdam *Ortis*: ut in adulterio Davidis, qui vir erat secundum cor Dei: ac proinde pignus videbatur, qui non ita ab ipso desereretur. *Quoad progressum* determinat, Deus peccatum, hoc est, certis limitibus circumscribit, ne vel longius latiusque serpat, vel diutius duret; ac proinde magis noceat, aut peccatori, si resipiscat, aut aliis, quam ipsi visum. Estque illa determinatio interna & externa. *Interna*, dum vel mentem illuminat ut turpitudinem mali, pœnarumque illud subsequentium magnitudinem perspiciat; vel cupiditates nocendique studium frænat ac cohibet. *Externa* est, dum Satanæ mundique furores reprimit; ampliores nocendi occasiones præscindit, mandatis etiam minisque à malefaciendo abducit. Quorum omnium exempla luculentissima in Labane, Esavo, Bileamo, Achabo, Senacheribo; item in Jobi Christique historia occurrunt. *Quoad finem* Deus peccatum, pręter ejus naturam, pro sua sapientia ad bonum dirigit ac deducit. *Genes.*50. v. 20. *Vos cogitaveratis contra me malum. Deus autem cogitavit illud in bonum convertere*. Alia exempla, sunt *Iob.* 1. v. 11. 12. 22. *cap.* 2. v. 9. 10. *Esa.* 10. v. 5. 6. 7. *Act.* 3. v. 14. 15. 18. & *alibi*.

Finis Providentiæ est, tum gloria sapientiæ, bonitatis, justitiæ,

Subtrahendo gratiam.
Offerendo bonas occasiones
In quibus justitia Dei est.
Manifesta.
Occulta.
2. Progressum determinatione.
Interna
Externa
3. Finem.
Finis.

ſtitiæ, ac potentiæ Dei: *Rom.9.* v.17. *Prov.16.*v.4. tùm Electorum ſalus *Rom.*8. v.28.

Effecta ſunt res conſervatæ in ſpeciebus ſuis, in individuis, & in operationibus, deinde etiam quocunque modo gubernatæ. Quæ quidem *reſpectu* cauſſarum ſecundarum neceſſariæ, contingentes, vel fortuitæ dicuntur. Dei verò *reſpectu* neceſſariæ ſunt univerſæ; *neceſſitate ex hypotheſi*, ſive conſequentiæ: quam, ab immutabili decreto, *immutabilitatis*, & à præſcientiâ infallibili, *infallibilitatis*, Scholæ vocant. Nam nec decretum Dei immutari poteſt, nec falli præſcientia. Exempla videantur *Deuter.* 19. verſ.4. *Pſal.*107. v.23.24. *& ſeqq. Proverb.*16. v.33. *Matth.*10. v. 29. 30. *cap.*18. *v.*7. *Luc.* 22. *v.* 22. Inter effecta Providentiæ extraordinaria excellunt *Miracula*, quæ opera ſunt totius naturæ creatæ vim excedentia. Proinde ſolus Deus ea edere poteſt, *Exod.*8. *v.*19. *Pſal.*72. *v.*18. *Iohan.* 3. *v.*2. Diabolo verò ſimpliciter ſunt impoſſibilia, *Iohan.* 10. *verſ.* 21. qui præſtigiis, ſenſus faſcinando, aut cauſſas naturales, quarum virtutem homines ignorant, adhibendo, mira facit, non miracula: ſicut ſigna ac prodigia mendacia appellantur 2. *Theſſ.* 2. v.9. *Subjectum* miraculorum varium omnino eſt; prout variè edita in cœlo, terrâ, mari; animatis & inanimatis. At nullum unquam ſubjectum ita redactum fuit in nihilum, ut penitus eſſe deſierit. Nec unquam obſervatum, quod actu aliquid fuerit, idemque ſimul, & eodem tempore non fuerit. Aqua cum in vinum verteretur, deſiit formaliter, manſit materialiter: nec ſimul actu fuit aqua & vinum. A modo diſtinguuntur miracula in *pura*, quæ ſine omnibus cauſſis ſecundis fiunt; & *mixta*, cum illas Deus aſſumit: itemque in poſitiva & privativa. *Poſitiva* ſunt, cum novum quiddam efficitur, in rerum converſionibus, *Exod.* 4. *v.* 3. *cap.* 7. *v.* 23. *Iohan.*2. *v.* 8. 9. 10. 11. procreationibus, *Matth.*1. *v.*18. *Exod.* 16. *v.* 16. & multiplicationibus *Geneſ.* 7. v.18. 19. 20. *Privativa* ſunt, quibus curſus naturæ inhibetur, ac velut interrumpitur: ut cum ſtetit Sol, *Ioſ.*10. verſ.13. natavit ferrum, 2.*Reg.* 6. verſ. 6. ignis non uſſit *Dan.* 3. verſ. 24. 25. 26. Quæ aliaque, quia externa fuêre omnia, ſenſibus externis expoſita, ſicut finis ipſorum, confirmatio veritatis, hanc conditionem exigit; exterior evidentia, communis miraculorum affectio non immeritò cenſetur.

Effecta.
Neceſſitas immutabilitatis & infallibilitatis.
Miracula.
Diabolo impoſſibilia.
Poſitiva.
Privativa.

Adjuncta.

De *Subjecto* Providentiæ dictum est in materiâ. *Adjuncta* sunt, quæ in operibus Providentiæ depræhenduntur ἐνεργητικῶς, Dei virtutes; *Sapientia*, *Bonitas*, *Iustitia* & *Potentia*; alibi magis, alibi minus conspicuæ. Ubi tenenda regula Theologorum : *Providentia Dei aliquando occulta, nunquam injusta est.*

Restat hujus quoque Loci Usus.

I. Ad Διδασκαλίαν: *Dei bonitas cuncta conservat, sapientia gubernat, operatur potentia*: Vide suprà, *Subsunt ei omnia, etiam Satan cum omnibus furiis suis* Job. 1. & 2. cap. 1. Reg. 22. v. 21. 22. Matth. 8. v. 31. 32. *Non est alligatus uni modo, sed agit prout vult*; Psal. 115. v. 3. Dan. 4. v. 35. Ephes. 1. v. 11. *utpote immensæ sapientiæ, liberrimæ voluntatis, absolutissimæque potestatis Dominus* Job. 13. v. 7. Rom. 9. v. 10. & seqq. *Peccata etiam sanctè regit*, Gen. 50. v. 20. Joh. 1. v. 21. Actor. 2. v. 23. cap. 4. v. 27. 28. *hominumque maleficia justa sæpe sunt ipsius judicia* 2. Sam. 12. v. 11. 12. cap. 16. v. 10. cap. 24. v. 1. 1. Reg. 12. v. 24.

II. Ad Παιδείαν: *Dei imperium in omnia, justissimum ac optimum, debitâ subjectione agnoscamus, exempli Iobi* cap. 1. v. 41. *Timeamus ipsum, in cujus manu sunt omnes creaturæ, quique eas adversus nos armare potest*: Exod. 7. & seqq. capp. *ipsum amemus, ut qui peculiarem pro nobis curam gerit*, Psal. 55. v. 23. 1. Petr. 5. v. 7. *necessaria omnia ab ipso petamus, & gratias pro iis agamus*; Psal. 107. v. 8. & 145. v. 15. 1. Timoth. 6. v. 17. *exemplo servi Abrahæ*, Gen. 24. v. 12. & 27. *Davidis*, in omnibus Psalmis Eucharisticis. *In adversis non ad caussas secundas, sed ad primam, Deum, oculos nostros attollamus, exemplo Iobi*, cap. 1. v. 21. & 2. v. 10. *Davidis*, 2. Sam. 16. v. 10. *Peccata nostra agnoscamus & emendemus: exemplo Fratrum Iosephi* Genes. 45. v. 5. & cap. 50. v. 17. *Denique exemplo Dei à mundi administratione nunquam recedentis*, Johann. 5. *v.* 17. *muneri nostro diligenter incumbamus.*

III. Ad Ἐπανόρθωσιν; *Ne unquam in dubium vocemus, aut tanquam injustam criminemur Dei gubernationem, etiam cum adfligit pios: exemplo Eliphasi*, Job. 4. 5. 15. *Bildadi*, cap. 8. & 18. *Tzopharis*; cap. 11. & 20. *aut impiis momentaneam felicitatem indulget* Job. 21. v. 2. & seqq. Psal. 73. v. 1. Jerem. 12. v. 1. *Ne in ullo periculo casuve desperemus, etiamsi caussæ omnes secundæ deficiant* Esa.

43. v. 1. & seqq. al. 42. v. 26. & seqq. *Nè caussis secundis nimium tribuamus: exemplo Asæ* 2. Chron. 16. v. 12. *Nec tamen illas negligamus* Actor. 27. v. 31.

IV. Ad Παράκλησιν, *Patientes simus in adversis, quia ea justè paternoque animo immittit Deus, idemque non in malum, sed in bonum nostrum:* Hebr. 12. v. 5. & seqq. Rom. 8. v. 28. v. 28. Psal. 119. v. 71. *exemplo Iosephi,* Genes. 50. v. 19. 20. 21. *Iobi,* cap. 1. v. 21. *Davidis,* 2. Sam. 16. v. 10. 11. *Christi* Matth. 26. v. 39. *Benè de hoc Deo nostro in futurum speremus, quia semper facturus est Patris officium in bonis conferendis, malis autem avertendis: exemplo Davidis,* 1. Sam. 17. v. 37. Psal. 23. v. 1. 4. 6. *& Pauli,* 2 Timoth. 4. v. 17. 18. *inque hâc spe & fiduciâ nos confirmemus promissione ejus,* Hebr. 13. v. 5. *vitæ anteactæ experientiâ,* Psalm. 22. v. 11. *& rerum viliorum curâ,* Matth. 6. v. 25. & seqq. capp. 10. v. 29. 30. 31. *atque ita in Dei Providentia securè acquiescentes, usurpemus illud* Genes. 22. vers. 8. Dominus providebit.

LOCUS SEPTIMUS

De

LEGE DEI.

Fit verò Gubernatio Hominum *peculiariter per* Legem Dei; *Quæ faciendorum & omittendorum eſt regula.*

Hujus tres vulgò recenſentur ſpecies, Moralis, Ceremonialis, *ac* Judicialis.

Lex Moralis, *eſt de Officiis perpetuis ergà Deum & Proximum.*

Lex Ceremonialis, *eſt de ritibus circà cultum Dei externum obſervandis.*

Lex Judicialis, *eſt de gubernatione civili populi Dei, in Teſtamento Veteri.*

EXEGESIS.

Vocabuli *Legis* Homonymia.

LEx, Hebræis תורה, Græcis Νόμ☉, dicitur à legendo: & in genere *quamvis doctrinam*, ipſius etiam Evangelii, *Pſal.* 19. v.8. *Eſa.* 2. v.3. *Ierem.* 31. v. 33. in ſpecie autem, jam *totum Vetus Teſtamentum*, *Ioh.* 15. v. 25. *Rom.* 3. v. 19. jam aliquam ejus partem, ut *Pentateuchum* Moſis, *Luc.* 24. v. 44. *Rom.* 3. v. 21. jam *faciendorum & omittendorum regulam* propriiſſimè deſignat *Rom.* 3. v. 28. Synecdochicè quoque accipitur *pro unâ alterâve Legis ſpecie*, *Iohan.* 1. v. 17. & metonymicè *pro dominio & impulſu*, *Rom.* 7. verſ. 23. *cap.* 8. v. 2. denique *καταχρηστικῶς de ordine naturæ* divinitus ſancito intelligitur. Spectatur hîc, non ut hominum mentibus impreſſa eſt, quæ *Lex naturæ & naturalis* vulgò: *Rom.* 2. *v.* 14. opus legis ſcriptum in cordibus appellatur, ſed ut ſermone Dei προφορικῷ enuntiata, poſteàque ſcripto fuit comprehenſa. *Efficiens* igitur Legis eſt Deus, qui eam in monte Sinai, voce ſigniſque terribilibus promulgavit *Exod.* 19. 20. & *ſeqq.*

Efficiens.

ſeqq. capp. Hujus quippe eſt, ut non intelligentibus ordinem, ſic intelligentibus vitæ & actionum regulam præſcribere *Ezech.* 20. v. 19. 20. Unde *Legiſlator* vocatur: & quidem unus ſive ſolus *Iac.* 4. v. 12. Promulgavit verò eam Pater per Filium, *Actor.* 7. v. 38. cujus vox tunc concuſſit terram, *Hebr.* 12. v. 26. adminiſtris primùm Angelis, *Actor.* 7. verſ. 53. *Galat.* 3. v. 19. deinde Moſe, *Exod.* 19. v. 3. 20. quo internuncio populo Iſraëlitico eſt tradita *Exod.* 32. v. 15. *&* 34. v. 29. *Iohan.* 1. v. 17. *Materia* ejus ſunt res & actiones, quibus certa juris ratio præſcribitur. *Forma* eſt bonorum præceptio, malorum interdictio, & permiſſio indifferentium, ſecundum ſanctitatis ac liberrimæ voluntatis Divinæ modum. *Finis* reſpectu *Dei*, eſt patefactio voluntatis ipſius, *Pſal.* 147. v. 19. reſpectu *Hominum* verò, partim ipſorum gubernatio, *Deut.* 4. v. 2. *& ſeqq. cap.* 29. v. 29. partim aliorum ab aliis ſegregatio *Pſal.* 147. v. 19. 20. *Deut.* 7. v. 6. 7. *Effecta* varia ſunt: De quibus infrà diſtinctè agetur. *Subjectum*, ſive *Objectum*, in V. T. erat populus Judaicus; cui jura ſua, ſive eloquia peculiari beneficio Deus concredidit, *Pſal.* 147. v. 19. *Rom.* 3. v. 2. *cap.* 9. v. 4. non aliquâ ipſius dignitate, ſed gratioſâ ſuâ voluntate inductus *Deut.* 7. v. 6. 7. In N. Teſt. autem, quatenus ſuum vigorem retinet, eatenus non unum aliquem populum, ſed omnes, quibus prædicatur, Gentes concernit. *Adjuncta* ſunt: Sanctitas & Sanctio. Eſt namque Lex *Sancta*; & mandatum ſanctum, juſtum, ac bonum *Rom.* 7. v. 12. inſuper promiſſionibus comminationibuſque dignè *ſancita* eſt. Illarum ſumma proponitur *Levit.* 18. v. 5. *Gal.* 3. verſ. 12. *Qui fecerit ea, vivet per ea.* Harum ſumma reperitur *Deuteron.* 27. verſ. 26. *Galat.* 3. verſ. 10. *Maledictus omnis, qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.*

Materia. Forma. Finis. Effecta. Subjectum. Adjuncta.

Hæc Dei Lex, quæ una in genere ac ſimplex eſt, juxtà Objecti, hoc eſt, Operum faciendorum vel omittendorum varietatem in ſpecies tres diſtinguitur: quarum una Ἐθικὴ, ſive *Moralis*; altera Ἱερατικὴ, ſive *Ceremonialis*; tertia Πολιτικὴ, *forenſis* ſive *Iudicialis* dicitur.

Diſtinctio Legis.

Lex Moralis eſt de officiis perpetuis ergà Deum & proximum. Cui proinde *primus* defertur in explicatione locus: quia finis eſt Legum cæterarum; itemque non externa tantum, ut iſtæ; ſed vel maximè interna pietatis probitatiſque officia, eaque non tempo-

Lex moralis. Prima.

 raria,

Ejus declaratio per universam Scripturam.

raria, sed perpetua flagitat. Ea non uno aliquo Scripturæ loco, sed sparsim per omnes Testamenti utriusque libros explicata est, citrà omnem mutilationem aut defectum. Ex quo apparet, à Lege Naturæ, qualis quidem est post lapsum, diversam esse: utpote quæ in naturâ; non in Scripturâ; non integra, sed manca ac mutila reperitur. κατ' ἐπιτομὴν tamen Lex Moralis proponitur *in Decalogo*: cujus præcepta Deus ipse eloquutus est, digitóque suo tabulis lapideis insculpsit, *Exod.* 20. v. 1. *& seqq. cap.* 31. v. 18. & 34. v. 1. 28. ut pauca variarum conclusionum exstarent principia, ad captus humani infirmitatem. Quod ipsum indicatur Synecdochicâ *decem verborum* appellatione *Exod.* 34. v. 28. *Deut.* 4. v. 13. *& cap.* 10. v. 4. *Communiter esse* dicitur *Decalogus, Immota Iustitiæ Divinæ regula.* Nimirum, quia nulli hominum fas est regulam hanc mutare, aut ab eâ exorbitare. Alioquin *Dei respectu* non ita simpliciter, sed in iis demum immota est præceptis, quæ absolutè pendent à Dei naturâ, ut contraria eis velle aut præcipere ἀδύνατον sit: cujus generis sunt præcepta, I. II. III. VII. IX. In cæteris verò, quæ non à naturâ, sed à liberâ Dei voluntate fluunt, uti sunt præcepta, IV. V. VI. VIII, & ex parte X. regula est mutabilis pro eadem voluntate: sicut exempla docent: *Matth.* 12. v. 3. 4. 10. *Actor.* 4. v. 19. *cap.* 5. v. 29. *Genes.* 22. v. 2. *Exod.* 11. v. 2. 3. Ideòque hìc locum habet regula Theologorum, *Lex generalis cedit speciali: antecedens consequenti.* Et quod Decalogum officia perpetua imperare diximus, quoad secundi ordinis præcepta, de officiis ordinariis in Utroque Testamento intelligendum est.

In Decalogo.

Decalogus distinguitur in duas tabulas.

Distinctio Decalogi duplex traditur in Scripturâ: *una* in duas tabulas, *altera* in decem præcepta. *Prior* est ex Fine, ratione diversorum præceptorum. Nam *finis mandati est charitas, ex mundo corde, & conscientiâ bonâ, & fide minimè simulatâ* 1 *Timoth.* 1. v. 5. Confirmaturque non eo modo, quod Deus in duabus tabulis omnia præcepta proposuit, *Exod.* 31. v. 18. *cap.* 34. v. 4. 28. sed eo quoque, quod Christus *Matth.* 22. v. 37. *& seqq.* duarum illarum tabularum sententiam præceptis duobus expressit: quorum *alterum* ab ordine *primum*, à dignitate objecti, cultusque excellentiâ *maximum*; *alterum* ab ordine *secundum*, à genere cultus moralis *primo simile* vocat. Atque hùc *regulæ* faciunt: I. Tabula secunda cedit primæ: *Actor.* 4. v. 19. *cap.* 5. *v.* 29. *Ephes.* 6. *v.* 1.

Vbi notandæ Regulæ.

II. Præ-

II. Præceptum tabulæ primæ ceremoniale, cedit præcepto morali tabulæ secundæ *Hos.* 6. *v.* 6. *Matth.* 12. *v.* 3. 4. 10. *cap.* 15. *v.* 3. 4. 5. 6. *Posterior* est ex mediis ad Finem, Dei scilicet proximique dilectionem. Nam sicut qui sex posteriora præcepta observat, secundam Decalogi tabulam, *Rom.* 13. *vers.* 8. 9. 10. ita qui quatuor prima observat, primam implet. *Fundamentum* distinctionis est non tantùm decem Verborum mentio, *Exod.* 34. *v.* 28. decemque præceptorum recitatio, *Exod.* 20. *Deuteron.* 5. sed etiam sententiarum tot præceptis enuntiatarum diversitas. Aliæ siquidem de *Officiis ergà Deum*, aliæ de *Officiis ergà proximum* agunt. *Officia ergà Deum* aut communia sunt, aut certi temporis propria. *Communia* sunt interna vel externa. *Interna* mandantur sententiâ præcepti Primi. *Externa* aut spectant gestus, aut verba, *Illa* Secundum, *ista* Tertium præceptum declarat. *Propria* verò *certi temporis* officia præcepti Quarti sententia exhibet. Jam *officia ergà Proximum* sententiis aliquot specialibus, unâque generali comprehenduntur. *Speciales* sunt circà Personas & res. Et circà *Personas* quidem *respectu ordinum vitæ humanæ*, præcepto V; aut *extrà eos ordines*, quoad *vitam*, præcepto VI. quoad *castitatem*, præcepto VII; Circà *Res*, ut *bona externa* vitæ nutriendæ destinata, præcepti VIII, & *Famam*, præcepto IX. Sententia denique *generalis*, specialium interpres, est Decimum. *Regulæ* ad hujus distinctionis, & ipsorum sigillatim præceptorum intelligentiam facientes, tres sunt: I. Quæ generaliter in præceptis Decalogi docentur, per partes explicanda sunt. II. Omnia Decalogi præcepta enunciantur per Synecdochen speciei & membri; idque Metonymicè: nempe ut cum caussâ intelligatur effectus, cum antecedente consequens, cum affirmato negatum, cum relato correlatum. III. Præceptum Nonum peculiariter exponendum per synecdochen generis, de falso testimonio contrà famam proximi. Cæterùm omnibus Decalogi præceptis *Præfatio* præmittitur: *Ego sum Iehova, Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, domo servitutis.* Quâ præfatione hoc agit Deus, ut illorum obedientiam populo suo suadeat; & argumenta suasionis adfert: *quod* ipse legislator sit Jehova, à se ab æterno exsistens, omnibusque extrà se esse dans & conservans: *Quod* ex fœdere gratiæ. *Ierem.* 31. v. 33. populi sui Deus: *Quod* etiam eundem miraculosè liberârit à servitute corporali Ægypti, & suo tempore liberaturus sit à servitute

In decem præcepta.

Distributio eorundem.

Regulæ hîc observandæ.

Decalogi Præfatio.

tute spirituali peccati & mortis: sicut fecit deinceps per Filium. Tum ipsorum *præceptorum recitatio* subjicitur. Verba *Primi Præcepti* negativa sunt: *Non habebis Deos alios. Dii alii*, qui & *extranei* dicuntur *Psal.* 81. v. 10. sunt, qui cùm *naturâ non Dii, Gal.* 4. v. 8. sed creaturæ sint, *Rom.* 1. vers. 25. ab hominibus tamen Dii esse finguntur 1. *Corinth.* 8. vers. 4. 5. 6. 2. *Cor.* 4. v. 4. *Philipp.* 3. v. 19. Eos *habere* est eos tanquàm Deos colere in animo suo, *argumento loci Iohann.* 4. v. 24. ac fiduciam in eis collocare. Quod dùm interdicitur simul præcipitur, ut solus Jehova, qui se in Verbo suo patefecit, agnoscatur & colatur pro Deo. *Sanctio* est, ab adjuncto periculo. Cum enim etiam is, qui alios in corde suo habet Deos, ante faciem Dei καρδιογνώςȣ versetur; futurum innuit, ut non magis ei parcat, quàm maritus parcere solet uxori, in præsentiâ suâ amori alterius operam danti. Verba *Præcepti secundi* etiam negativa sunt: *Non facies tibi sculptile &c.* Quibus duo vetat: I. Nè faciat populus ullam imaginem ad repræsentandum Deum, *Deut.* 4. v. 12. *& seqq.* aut alioquin ad usus religiosos: sive Imagines sint rerum cœlestium, puta Solis, Lunæ, Stellarum, avium; sive terrestrium, ut hominum, animantium; sive aquatilium, ut piscium *Deut.* 4. vers. 16. 17. 18. II. Nè imagines, aut Deum per eas, *Exod.* 32. vers. 5. *& seqq.* incurvatione, sacrificiis, fartis, tripudiis, aut aliâ aliquâ ratione colat. Contrà verò præcipit, ut in externo Dei cultu contentus sit ritibus sive ceremoniis à se præscriptis: cujusmodi tunc erant Sacrificia, Lotiones, &c. *Sanctio* proponitur *tùm* in comminatione pœnæ adversus inobedientes, in tertiam & quartam usque generationem, sed nocuam, exercendæ: *tùm* in promissione misericordiæ, obedientibus, horumque posteritati in millesimam usque generationem continuandæ. Utramque autem præstare se ipso opere posse ostendit, quia sit *Iehova, Deus fortis, Zelotes.* Verba *præcepti tertii* iterum sunt negativa: *Non sumes nomen Iehovæ &c. Nomen Iehovæ* est, à quocunque Jehova denominatur; ut à naturâ Deus; à proprietatibus sapiens, bonus; ab operibus creator, redemtor; *Psal.* 8. v. 1. *&* 115. v. 1. atque ita denominatus cognoscitur *Actor.* 9. v. 15. *Sumere nomen*, est illud sumere in os, sive sermone usurpare *Psal.* 50. vers. 16. *Ioh.* 4. v. 2. Vetat igitur, nè quis nomen suum sumat *in vanum*, hoc est, de Deo, rebusque Divinis leviter, falsò, aut blasphemè loquatur; præcipit verò, ut sanctum consideratum,

Præcepta Primum. Secundum. Tertium.

deratum, ac majestati Dei, filiisque convenientem sermonem cuncti instituant. *Sanctio* est à pœnâ, quam ipse legis hujus transgressori certò sit irrogaturus. Verba *præcepti Quarti* affirmativa sunt: *Memento ut diem Sabbati sanctifices &c*: *Dies Sabbati* est dies quietis. *Sanctificare* diem Sabbati, est eum Sanctum habere, Deique cultui singulariter impendere. Præcipit igitur ut populus suus diem Sabbati, qui tùm septimus erat hebdomadis, sanctis operibus, moralibus ac ceremonialibus traducat. Vetat contrà fieri opera servilia & mechanica, publicum Dei cultum impedientia: quæ alioquin cæteris sex diebus permissa erant. Atque hoc interdicitur omnibus personis œconomicis, tùm *superioribus*, ut Patri & Matri familiâs: tùm *inferioribus*, Filiis & Filiabus, Servis & Ancillis: Insuper etiam *Peregrinis* & extraneis, in populo habitantibus, aut cum eo versantibus *Neh.* 13. v. 19. *& seqq.* Denique etiam *Iumentis*, quæ sine ductu operariorum opus facere nequeunt, nec absque respiratione laboribus secuturis sufficere. *Ratio* huic Præcepto additur ab exemplo Dei, qui post primam rerum omnium creationem quievit; novas Creaturarum species producere desinens *Genes.* 2. v. 2, 3. Verba *Præcepti Quinti* similiter sunt affirmativa: *Honora Patrem & Matrem &c.* quibus præcipit liberis, & sub horum nomine inferioribus omnibus in quocunque vitæ statu, ut parentibus, adeóque superioribus universè, omne genus honoris non tantùm gestu sermone, opere externo deferant; sed etiam interno mentis judicio, cordisque affectu habeant. Quæ verò his ullatenus contraria sunt interdicit. *Sanctio* est à promissione speciali longævitatis & felicitatis *Ephes.* 6. v. 2. 3. Verba *Sexti præcepti* sunt negativa: *Non occides.* Quibus vetatur homicidium, ac omnino omnis læsio vitæ proximi, sive animalis, sive spiritualis: contrà defensio ac conservatio utriusque imperatur. Verba *Septimi præcepti* etiam sunt negativa: *Non committes adulterium*: quibus non modo adulterium, sed quævis omninò libidinosa corporis pollutio interdicitur: contráque castitas & temperantia præcipitur. Verba *Octavi præcepti* negativa, furtum omneque damnum bonis proximi injustè allatum vetant: defensionem verò, conservationem, & auctionem bonorum ejus imperant. Sic *præcepto Nono* negativo, vetatur falsum testimonium contrà proximum; fama autem ejus existimatioque vindicanda commendatur. De-

Quartum. Quintum. Sextum. Septimum. Octavum. Novum.

Decimum.

nique *Decimo præcepto* negativo, interdicitur omnis generis prava concupiscentia adversus proximum: & contr sinceritas sanctitasque omnium facultatem atque affectuum ergà eundem præcipitur. Quâ de caussâ cœterorum secundæ tabulæ præceptorum interpretationem hinc petendam esse monuimus: sicut partim ex subjectis huic præcepto exemplis, partim ex ipsius Christi declaratione, *Matt.* 5. v. 22. 28. colligitur.

Lex Ceremonialis quæ versatur circa. I. Res sacras. Donaria.

Lex *Ceremonialis est de ritibus circà cultum Dei externum observandis.* Generatim occupatur circà Res & Personas sacras. *Rex sacra* dicuntur, quæ Verbo Dei ad usus sacros sanctificantur: Suntque vel Donaria, vel Sacrificia. *Donaria* sunt oblationes rerum vitæ expertium: & quidem tùm frugum, tùm pecuniæ. *Frugum*, ut Primitiarum, Decimarum, Libaminum: offerebanturque jam crudæ, jam paratæ: sive in furno coctæ essent, sive in sartagine frixæ, sive igne tostæ. *Pecuniæ*: quæ solvebatur in redemturam vitæ à maribus annum vicesimum superantibus. Ea tamen capitatio non perpetua sed temporaria fuit, ad exstructionem tabernaculi singulariter imperata. *Sacrificia* sunt victimæ rerum animatarum: quæ vel de *armentis*, ut bos, vitulus; vel de *grege* ut aries, caper, hircus; vel de *avibus*, ut turtures, pulli columbarum, passeres, jugulabantur. Distinguuntur in Hilastica & Eucharistica. *Hilastica*, propitiatoria erant, quibus expiabatur vel peccatum, vel delictum. *Peccatum*, quod ab imprudentibus admissum erat: puta à Sacerdote, aut Principe, aut populo, sive toto, sive uno è vulgo. *Delictum*, quod admissum erat à prudentibus, contra scientiam aut conscientiam. *Eucharistica* sive pacifica, pro beneficiis acceptis, vel etiam promissis, speratisque offerebantur: ac in *Gratulatoria, Votiva*, ac *Voluntaria* distinguebantur. Porrò accidunt rebus sacris locus & tempus. *Locus* ex Dei ordinatione tabernaculum fuit; in quo ut coli se Deus præcepit; ita præsentiam suam signis adspectabilibus exhibuit. In eodem quoque Arca federis, Altare holocausti & suffitus, Mensa cum panibus propositionis, aliaque cultus ceremonialis instrumenta adservabantur. Illud tamen cum primùm ambulatorium in deserto ac Cananæa; deinde autem in Siloh, Gibeah, monteque Sione statarium fuisset, in Templum mutatum fuit. Ad *tempus* præter juge sacrificium, quotidie manè & vesperi offerri solitum, *Festa* pertinent, triplicis generis: hebdomadaria, menstrua, & annua. *Hebdomadarium* erat, diei septimi festivitas, sabbatum dictum. Festa *Menstrua*, Neo-

[Margin notes: Sacrificia. — ἱλαστικά. — ἐυχαριστικά. — Huc pertinent Locus — Tempus, quo refer festa — Hebdomadarium, menstrua,]

Neomeniæ vocabantur, ſingulorumque menſium Calendis celebrabantur, ſine ullâ tamen operum externorum intermiſſione. *Annua* erant, tum anniverſaria, tùm poſt annorum certorum intervallum recurrentia. *Anniverſaria* erant feſta *Paſchatis*, in liberationis à ſervitute Ægyptiacâ, *Pentecoſtes*, in acceptæ Legis, & *Tabernaculorum*, in tuguriorum deſerti, memoriam inſtituta. Poſtremum menſe ſeptimo, qui Octobri noſtro reſpondet, peragebatur, in eumque Feſta etiam alia, *Tubarum*, *Expiationis*, *Collectæ* incidebant. Ex his *primum* de anni civilis initio; ſive partis ab hoſte victoriis, *alterum* de condonatione idololatriæ, circa aurei vituli cultum, *tertium* de vectigalibus ſacris perſolvendis, commonebat. *Poſt certorum annorum intervallum recurrentia* feſta fuerunt *Annus Sabbatarius* & *Iubilæus*: quorum *ille* ſeptimo, *hic* quinquageſimo quoque anno intermiſſionem culturæ; *poſterior* inſuper manumiſſionem ſervorum, remiſſionem debitorum, bonorum venditorum ad dominos reditionem imperabat. Sic de Rebus ſacris. P*erſonæ ſacræ* erant, quæ ex vocatione & conſecratione peculiori, miniſterio ſacro vacabant. Harum duo genera fuerunt, Extraordinariæ & ordinariæ. *Extraordinariæ* erant *Prophetæ* quos immediatè excitabat Deus, ut vel cõſtituerent Eccleſiam, vel collapſam reſtituerent; futura quoque certiſſimè prædicerent. Proinde per viſiones, ſomnia, aut internum Sancti Spiritus afflatum ad prophetandum inſtruebantur. *Ordinariæ* erant, quæ mediatè vocatæ ordinem in Eccleſiâ ſemel conſtitutum curabant ac tuebantur. Tales erant Sacerdotes & Levitæ. *E ſacerdotibus* unus ſummus, qui & *Pontifex Maximus*, alii Inferiores dicebantur. *Summi Sacerdotis* ſingularis conſecratio, ſingularis habitus, ſingulare munus fuit: quò pertinet, quod ſemel quotannis, feſto Expiationum, ſanctum ſanctorum ingrediebatur, pro ſe populoque ſacrificans, & orans. *Inferiores* etiam ſacra faciebant, odores adolebant, manus populo cũ benedictione imponebant. Atque hi unà cum ſummo ſacerdote, perpetuâ ſucceſſionis ſerie, ex Familiâ Aaronis per Filios ipſius Eleazarum & Ithamarum deſcendebant, in claſſes quatuor & viginti poſtea diſtincti: quarum ſingulæ per vices hebdomadũ ſacris operabantur. *Levitæ* dicti ſunt ſpeciatim; qui loco primogenitorum ſacris adhibiti, in vaſorum ſacrorum emundatione, mactatione & ablutione pecudum, appoſitione panum, aliiſque, ſacerdotibus ſerviebant. Qui quidem aucti numero, diverſa ſortiti ſunt munia: ab iiſque *Doctores ſive Interpretes Legis*, *Muſici*, *Ianitores*

[Margin notes: annua. / II. Perſonas ſacras. / Extraordinarias. / Ordinarias. / Sacerdotes, ſummum, / inferiores. / Levitas.]

Thesaurarii, Iudices Ecclesiastici, Politicique appellati sunt. Præter administros sacrorum, personis sacris annumerantur *Nazaræi*; quorum alii *votivi*, alii *nati sive divinitus* erant *imperati*. Hi ab omni potu inebriante abstinebant, capillum non tondebant, peculiaremque sanctimoniam, sive ad certum, sive ad totum vitæ tempus præstabant.

Nazaræi.

Lex judicialis. ejus objectum I. Personæ Magistratus. ejus qualitates. species.

Lex judicialis, est de gubernatione civili populi Dei in Testamento Veteri. Commune hujus *Objectum* sunt Personæ & Res. *Personarum* duo constitui possunt genera, Magistratus & Subditorum. *Primi generis* sive *Magistratus* spectantur, I. Qualitates, II. Species. *Qualitates* vel *animi* sunt, quę *Exod.*18.v.21. *& alibi* recensentur; vel *corporis*, ut thoro legitimo sit natus: non spurius, eunuchus, Moabita vel Ammonita. *Species* sunt, quod alii temporarii, alii perpetui fuerunt. *Temporarii* circumactâ certi temporis periodo in totum defecerunt: *Iudices* in Samuele, *Reges* stirpis Davidicæ in Zedechiâ. Horum inauguratio solenni unctione paragebatur. Jus describitur Deut. 17. *Perpetui* non defecerunt, quamdiu Politia Mosaica stetit. Horumq; alii superiores, alii inferiores fuere. *Superiores* erant LXX Seniores, qui ex omnibus tribubus in supremum populi senatum allegebantur. *Inferiores* fuerunt Principes, I. Tribuum, II. Familiarum, III. Civitatum; in Chiliarchos, Centuriones, Pentecontarchos, & Decuriones subdistincti. *Ministri* erant Scribæ, qui Notariorum instar acta Magistratuum in scripta referebant; ab iis, qui Legis in Templo ac synagogis agebant interpretes, nec non qui Regibus à Secretis erant, diversi. *Secundi generis* personæ sunt *Subditi*, tàm *Ecclesiastici*; quàm *Politici* ordinis. Nam non minus illos quàm istos Mosi ac Magistratui civili subjecit Deus. Vtrorumque verò negotia, in *judiciis* tractabantur, quæ in portis civitatem communiter instituebantur. Hîc suæ partes *actori*, suæ *reo*, suæ *Iudici* præscribuntur: eique singulariter interdicitur, nè personam accipiat, aut munus, néve innocentem pro nocente plectendum substituat: præcipitur verò singulariter, ut causas viduarum, orphanorum, peregrinorum sibi commendatas habeat. *Pœnæ* quæ decernebantur in Iudiciis, erant vel *Capitales*, ut *Lapidatio* Incestuosorum, Sodomitarum: *combustio* filiæ sacerdotis scortantis: *Decollatio* homicidarum: *strangulatio* sive *crucifixio* blasphemorum, Idololatrarum, Adulterorum: vel non *Capitales*; ut *membri alicujus amputatio, quadrupla vel quintupla restitutio, venditio, & exilium* in casu homicidii involun-

Subditi.

Iudicia qualia.

& quæ Pœnæ.

luntarii. *Mulctam* & *fustuarium* Iudex pro re natâ definiebat: sic tamen, ut in hoc numerum plagarum quadraginta non posset excedere. *Exsecutio* non per unum aliquem carnificem, sed per totum populum fiebat: ut odium scelerum, studiumque justitiæ universi ostenderent. Testes autem in plectendis damnatis manu primi applicabant. Distinguitur *Iudicium* in *supremum* & *subalternum*. *Illud* erat Seniorum septuaginta tribunal, *Consistorium* גָּזִית, *Synedrium magnum*, itemque *Sanhedrim* appellatum. *Sedes* ejus Regni Metropolis fuit, primo quidem Siloh, tribus Ephraim; inde Hierosolyma, tribus Judæ. Cogebat illud aut Rex, aut Dux populi, aut Pontifex: prout res regionis aut religionis agebatur. Judicium *Subalternum* fuit, tùm *Triumvirorum*, qui pecuniarum & injuriarum caussas; tùm *Viginti trium*, qui res capitales cognoscebant. Hucusque de Personis. *Res* succedunt triplicis generis, *Ecclesiastica*, *Oeconomica*, & *Politica*. Leges de rebus *Ecclesiasticis* aut *ipsam religionem*, aut *bona Ecclesiastica* spectant. *Primi* ordinis sunt, quæ omnia cultus Divini impedimenta amoveri, omniaque idololatriæ instrumenta, ceu Imagines, altaria, excelsa, aboleri volunt. *Secundi* ordinis sunt, quæ Sacerdotibus Levitisque sartam tectam bonorum suorum possessionem ac fruitionem sanciunt; quæ *vel* in urbibus, *vel* in certis reditibus consistebant. *Vrbes* quadraginta octo cum earum suburbiis, agrisque, ad bis mille cubitos, divinitus ipsis fuerunt assignatæ. *Reditus* erant primitiæ, decimæ, pectus armusque dexter ex sacrificiis, panes propositionis, pecuniæ pro redimendis hominum primogenitis, ipsaque primogenita jumentorum. Leges de rebus *Oeconomicis* occupantur potissimum circà conjugia, hęreditates, & usuras. In *conjugiis* requirunt I. Personarum contrahentium pubertatem. II. Reverentiam sanguinis in gradibus prohibitis, consanguinitatis vel affinitatis, excepto tamen leviratus officio. III. Veræ religionis unitatem. Permittunt autem libellum repudii: suspectæque pudicitiæ mulieri potum Zelotypiæ imperant. Quoad *Hæreditates*, vetant eas transire de tribu in tribum. Inter filios autem ita dividi volunt, ut primogenito duæ, cæteris una portio cedat. In horum deficientium locum filias, & post eas proximos consanguineos surrogant. *Vsuras* deniq; accipere ab extraneis permittunt, à Fratribus egenis exigere prohibent. Leges de rebus *Politicis* tùm *Pacis* sunt, tùm *Belli*. De *illis* dictum jam bonâ ex parte *Istæ*

Synedrium magnum.

I. Res Ecclesiasticæ.

II. Oeconomicæ ubi de Conjugiis.

Hereditatibus.

Vsuris.

III. Politicæ

rationes belli gerendi.

te. *Istæ* belli ſuſcipiendi,gerendi,& finiendi rationem præſcribunt. In bello *ſuſcipiendo* milites legi volunt,non timidos,neogamos,aut ædium novarum habitatores ; ſed robuſtos, animoſos,juſtæque ætatis : præmitti exploratores, tranſitum peti per fines fratrum;hoſtibuſque extraneis,non Cananæis,pacem ante offerri,quàm inferri bellum. Deinde in bello *gerendo* jubent , ut Sacerdotes fiduciâ Jehovæ exercitum animent , & pro victoriâ vota faciant ; Duces primos ſe in acie offerant , exemploque præeant ; milites arbores frugiferas non exſcindant : Univerſi autem ab omni injuſtitia caveant,nec ſordibus caſtra polluant. Denique præcipiunt , ut *finito* bello in partes æquales duas dividatur præda ; quarum una militibus, altera domi relictis cedat.

Vſus Legis I.Moralis in ſtatu integritatis , corruptionis,

Jam *Vſum* ſingularum ſpecierum Legis videamus. *Vſus legis Moralis* in ſtatu *Integritatis* erat,ut homo juſtificaretur,& juſtificatus viveret per eam. Nam qui Legem præſtat, juſtificatur, *Rom.*2. v.13. & qui facit eam,vivit in eâ *Levit*. 18.v.5.In ſtatu *corruptionis*, ſive peccati, uſus ejus eſt. I. Ut contineat hominem comminatione pœnarum , & promiſſione præmiorum in diſciplinâ externâ *Rom.*1. v.14. 1 *Tim.*1.v.9. 10. II. Ut accuſet, convincat eum peccati , & propter illud damnet *Rom.* 3. v.19. 20. III. Per accidens etiam incendit peccandi deſiderium , peccatumque auget: *Rom.*7.v.5.8. non ſuo aliquo , ſed naturæ corruptæ vitio v.12.13.

regenerationis.

In ſtatu denique *Regenerationis* ſive Gratiæ.Vſus ejus eſt. I. Ut ipſum agnitione peccati & iræ Dei , ad Chriſtum deſiderandum ac quærendum compellat *Gal.* 3. v.21. 24. *Act.*2. v. 37. II. Ut eidem cultus Divini , vitæque ſecundum Deum inſtituendæ regula

II.Ceremonialis.

ſit *Pſal.*119.v.105. *Ier.*31.v.33. *Rom.*8.v.3.4. *Vſus legis Ceremonialis* fuit. I. Ut populum veterem , tanquam pædagogus, ad Chriſtum deducet, *Gal.* 3. v. 24. inque bonorum promiſſorum exſpectatione contineret *Heb.*10. v. 1. II. Ut eundem ab aliis populis diſtingueret *Eph.* 2. v. 14. 15. III. Ut etiam tam operoſo cultu ab idololatriâ omni, & ſuperſtitione, in quam naturâ & exemplis vicinorum propenſiſſimus erat, *Deut.*12.& 31.*c.& alibi*,ipſum avo-

III. Iudicialis.

caret. *Vſus legis judicialis* fuit : I. Ut populus Judaicus certâ juris publici normâ regeretur,eſſetq;ut civitas,nervis legum aptè coagmentata & cohærens *Pſalm.* 122. v. 3. II. Ut idem populus hâc etiam ratione ab aliis populis diſcriminaretur *Pſalm.*147.v.19.20. *Deut.*4.v.6.7.8. III. Ut eidem regnum Chriſti, ac ſpiritualis ejus admi-

administratio hac formâ regiminis adumbraretur, *Psalm.* 2. v. 6. *Ezech.* 34. v. 33. 34. Ex his de singularum specierum Legis *abrogatione* vel *duratione* judicari potest. Lex *Moralis abrogata* est quoad *Iustificationem*, *respectu omnium*. Nam *ex operibus Legis non justificatur nulla caro Rom.* 3. v. 20. Estque illud post lapsum Legi impossibile; quod viribus per carnem est destituta *cap.* 8. v. 3. Quoad *maledictionem & coactionem* verò, *respectu solorum credentium*. *Christus enim liberavit nos à maledictione Legis dum factus est pro nobis maledictio. Gal.* 3. v. 13. ut *nulla amplius* sit *condemnatio*, *iis*, *qui sunt in Christo Iesu Rom.* 8. v. 1. *Deinde* non cogit amplius credentes quasi peccati dominio adhuc subjectos: idque comminatione pœnarum æternarum, *Deut.* 27. v. 26. ita enim justo positam esse legem, negat Apostolus 1. *Timoth.* 1. v. 9. sed agit ac ducit eos per Spiritum adoptionis. *Rom.* 8. v. 14. 15. ut qui sub gratiâ sunt, & non sub Lege, *Rom.* 6. v. 14. eóque voluntarius populus *Psal.* 110. v. 3. *Non* autem *abrogata* est Lex Moralis, vel *incredulis*, quoad maledictionem, coactionem, & irritationem; vel *credentibus*, quoad agnitionem peccati, & cultus vitæque regulam. *Venit* enim *Christus*, *non ut dissolvat*, *sed ut impleat Legem*: *Matth.* 5. v. 17. etiam in credentibus, *Rom.* 6. v. 6. utpote qui non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum *cap.* 8. v. 4. Lex *Ceremonialis in totum est* per Christum *abrogata*. *Ipse* enim *deletum*, *quod adversum nos erat*, *rituum chirographum*, *cruci affixum è medio sustulit Coloss.* 2. *v.* 14. *& seqq. Ipse parietis intergerini septum solvit*, *& ex duobus fecit unum*; *Inimicitiis*, *id est*, *Lege præceptorum*, *quæ in ritibus posita est*, *per carnem suam abolitis Ephes.* 2. v. 14. 15. Cumque non nisi umbræ fuerint bonorum futurorum, *Coloss.* 2. v. 17. *Hebr.* 10. v. 1. ipsâ veritate, *Iohan.* 1. v. 17. atque expressâ rerum formâ, *Hebr.* 10. v. 1. in Christo exhibita, non minus cessare debuerunt, quàm cessat usus candelæ post exortum Solis. Interim illarum abrogatio non uno, sed duplici gradu perfecta est. *Primò* enim ceremoniæ Veteres abrogatæ *de jure*, per passionem ac mortem Christi, *Iohan.* 19. v. 30. *Coloss.* 2. v. 14. eóque ex vivis mortuæ, ex necessariis factæ sunt indifferentes. Hinc Apostoli data occasione adscenderunt in templum, *Actor.* 3. v. 1. Paulus Timotheum circumcidit, *Actor.* 16. v. 3. Titum non circumcidit, *Gal.* 2. v. 3 & Synodus Apostolica, propter Fratrum nonnullorum infirmitatem sanxit, ut Ecclesiâ ad tempus à rebus suffocatis & sangui-

Lex Moralis quatenus abrogata.

Quatenus non.

Lex Ceremonialis in totum abrogata

De jure.

ne

Ipſo facto. ne abſtineret *Actor.* 15. v. 20. *Deinde* autem *facto ipſo* ſunt abolitæ; & quidem *partim* per promulgationem Euangelii de typorum omnium complemento in Chriſto; *partim* per deſtructionem urbis templique Hieroſolymitani, ubi ſacrorum omnium ſedes erat. A quo tempore ex mortuis mortiferæ; ex indifferentibus ſimpliciter illicitæ evaſerunt; nullo unquàm tempore in uſum Eccleſiæ revocandæ. Lex *Iudicialis ſimpliciter abrogata* eſt, quoad diſtinctionem Judæorum à Gentibus, *Epheſ.* 2. v. 14. 15. & typicam regni Chriſti ſignificationem *Coloſſ.* 2. v. 17. *Hebr.* 10. v. 1. *Secundum quid* verò, quantum attinet formam gubernationis civilis. Nam quod juris in eâ fuit *particularis*, Judæos peculiariter concernens, qualis fuit lex de officio Leviratus; item alia de hæreditatibus de tribu in tribum non transferendis, id omne ceſſavit. Quod autem Juris fuit *communis*, ſecundam Legem Naturæ omnibus communem ſancitum, cujuſmodi ſunt Leges de pœnis ſcelerum, aliæque; id totum manet. *Ratio* eſt, quia ingreditur ordinem Legis Moralis ac perpetuæ: præſcriptumque eſt Judæis, non quâ Judæi, ſive populus peculiariter in fœdus adſcitus, ſed quâ homines, naturæ legi, ut aliæ Gentes, ſubjecti. *Cognoſcitur* autem Juris communis ratio, ſi idem ab aliis quoque legislatoribus, ex luce naturæ concluſum ac ſancitum fuiſſe; vel ad tuendam Præceptorum Decalogi obedientiam facere comperiatur.

Lex Iudicialis abrogata.

Præter id quod eſt Iuris communis.

Reliquum eſt ut Praxin *hujus loci oſtendamus. Eſt illa*

I. Ad Διδασκαλίαν: *Deus ſupremus eſt Legiſlator*, Jac. 4. v. 12. Exod. 20. v. 1. & ſeqq. Ezech. 20. v. 19. 20. *& Vniverſalis, ut nullus à Legibus ipſius exemptus ſit* Pſal. 103. v. 19. Matth. 11. v. 25. *Præſcribit omnes officii partes*, Exod. 20. & ſeqq. Matth. 22. v. 37. *& interna æquè ac externa moderatur* Exod. 20. Matth. 5. v. 22. 28. Rom. 7. v. 14. *Obligat immediatè & per ſe in conſcientiâ*, Jacob. 4. v. 12. *& obedientes præmiis, inobedientes pœnis afficit*, Exod. 20. *& alibi.*

II. Ad Παιδείαν: *Agnoſcamus ſapientiam Dei circà œconomiam Legis: prædicemus bonitatem ipſius in revelatione voluntatis*, Pſal. 147. v. 19. 20. *gratias agamus pro illius jugi ablatione, quod neque patres noſtri, neque nos portare valuimus* Actor. 15. v. 20. *Contemplemur*

nos

nos in speculo Legis ad agintionem peccatorum, Rom. 3. v.20. cap. 7. v. 7. *exemplo Davidis* Psal. 119. *Recognoscamus inde primævam naturæ nostræ integritatem; eamque in Christo desideremus* Ephes. 4. v. 24. *Vitam quoque, & actiones omnes nostras ad Legis præscriptum magis magisque componamus*, Deut. 4. v. 2. *ac summam eâ in re voluptatem ponamus*. Psal. 19. v. 11.

III. Επανόρθωσιν: *Nè ullam Legi injustitiam affingamus* Rom. 7. v.12. *Nè exleges nos putemus, exemplo Pharaonis*, Exod. 5. v. 2. *aut ullum vel minimum Dei præceptum solvamus* Matth. 5. vers. 19. *Nè etiam aliam vitæ normam exspectemus*, Luc. 16. v.29. 31. *néve ignorantiæ prætextu ab eâ deviemus* Deuteron. 30. v. 14. *Nè opinemur nos hîc Legem Dei perfectè implere posse*, 1 Johan. 1. v. 8. 9. *aut externâ tantùm obedientiâ implere, exemplo Pharisæorum* Matt. 5. 6. 7. 23. cap. *Nè impunitatem nobis polliceamur in Legis hujus transgressionibus*, Exod. 20. v. 7. *nec Dei minas rideamus* 2 Petr. 3. v. 3. & seqq. *Denique nè quid etiam debitæ mercedis ex Legis observatione qualicunque nobis arrogemus*. Luc. 17. v. 10.

IV. Ad Παρακλησιν: *Bono animo simus in quocunque negotio: quia Lucerna pedi nostro Lex Iehovæ, & lux itineri nostro* Psal. 119. v. 105. *Nè amplius formidemus fulmina maledictionum, Christus enim, factus pro nobis maledictio, ab omni Legis maledictone nos liberavit* Gal. 3. v. 13. *Nec etiam desperemus de ejus possibilitate per Christi gratiam: quia digito Spiritus sui, carneis cordium nostrorum tabulis eam deinceps inscribit* Jerem. 31. v. 33. *Speremus verò præmia novæ hujus obedientiæ longè amplissima: nam in Legis observatione magnum est emolumentum* Psal. 19. v. 12.

LOCUS OCTAVUS

De

PECCATO in genere & ſpecie,

Deque

LIBERO ARBITRIO.

Contra hanc Dei Legem admittitur Peccatum*: unde definitur, quod ſit diſcrepantia à Lege Dei.*

Peccatum aliud eſt Diaboli, *aliud* Hominum.

Peccatum Diaboli, *eſt ejus à Deo, primâque origine defectio: ex quâ mali immutabilis habitum, malitiæque inſatiabilis ſtudium contraxit.*

Peccatum Hominum *aut* Primum *eſt, aut à Primo* Ortum.

Primum *eſt Inobedientia primorum Parentum, Adami & Evæ in Paradiſo, quâ Legem Dei, de fructu arboris ſcientiæ boni & mali non comedendo, tranſgreſſi ſunt.*

Ortum *Peccatum eſt aut* Originale, *aut* Actuale.

Originale *eſt illa Primorum Parentum inobedientia, omnibus naturalibus ipſorum poſteris imputata, & inde ſecuta naturæ corruptio, ſingulis ab origine conceptionis inhærens. Ex quâ porrò eſt* Servitus Peccati, Liberique Arbitrii ad bonum Spirituale privatio.

Actuale *eſt actionum omnium, tùm internarum in mente & voluntate, tum externarum in geſtibus, verbis, ac factis irrectitudo.*

EXEGESIS.

PECCATUM Latinis dicitur à *peccare*, quod Cicerone interprete, est *transilire lineas*, vel extrà ordinem *pecudum instar errare*. Græci ἁμαρτίαν & ἁμάρτημα; Hebræi חַטָּאָה, quasi *aberrationem à scopo* vocant. Sumitur quidem etiam impropriè in Scriptura, ut per Metonymiam Efficientis pro *pœnâ*, *Genes.* 19. *vers.* 15. item per Metonymiam Subjecti pro *sacrificio* peccati *expiatorio*, *Exod.* 29. v. 14. 36. 2 *Cor.* 5. v. 21. interim usitatissimè *discrepantiam à Lege* significat. In quâ significatione voces Synonymæ sunt apud Latinos, *Culpa*, *malum culpæ*, *malum morale*, *vitium*. Apud Græcos, κακία, πονηρία, ἀνομία. Est autem *Peccatum* nomen concretivum; cujus abstractivo Latini carent. Ideóque etiam à multis *sensu concretivo definitur*; quod sit *inclinatio vel actio*, *pugnans cum Lege*. Id tamen non impedit, quò minus *abstractivè* concipiatur & enuncietur; secundum illud 1 *Ioh.* 3. v. 4. Ἁμαρτία ἐστιν ἡ ἀνομία. Imò hæc definitio potior videtur priore: *partim* quod accidens rectius definitur per suum genus, quàm per suum subjectum: *partim* etiam quia inclinatio & actio res sunt positivæ, à Deo creatæ, eóque bonæ, non malæ, ut peccatum.

Peccati Etymologia.

Homonymia.

Synonyma.

Peccatum abstractivè sumendum.

Caussam *Efficientem* Peccati alii *deficientem* dicere malunt. Nec malè: siquidem Efficiens ad effectus bonos restringatur. Cæterùm cum Efficiens in genere definiatur, caussa à quâ res est; sive à quâ dependet effectus; potest sanè latiore hâc acceptione etiam tribui peccato. Est igitur Efficiens Peccati *communiter creatura rationalis*, mutabili suâ voluntate abutens ad malum. *Particulariter* verò Efficientium aliæ *internæ* sunt, aliæ *externæ*: inter quas hoc interest; quod *istæ* occasiones sunt & incitamenta peccati; *illæ* sufficientes ac propriæ ejus caussæ. *Internæ* sunt I. Mentis cæcitas; 1 *Cor.* 2. *v.* 14. 1 *Tim.* 1. *v.* 13. II. Voluntatis pravitas, *Genes.* 6. *v.* 5. *cap.* 8. *v.* 21. III. Affectuum, sive facultatum inferiorum rebellio. *Galat.* 5. v. 17. *Externæ* sunt I. Satanæ ad peccandum sollicitatio, *Genes.* 3. v. 1. & *seqq.* II. Hominum seductio, sive consilio ea, sive exemplo fiat, *Genes.* 3. v. 6. 1 *Cor.* 15. v. 33. III. Objecta, quæ rationem, vel appetitum movent.

Efficiens peccati, an rectè dicatur.

Communiter creatura rationalis.

Particulariter.

Internæ.

Externæ.

Peccatum quomodo peccati alterius causa.

Rom. 7. v. 7, 8. *Genes.* 3. v. 6. Unum etiam *peccatum caussa* esse potest *peccati alterius*; idque vel ratione *cohærentiæ*, cum scil: ita inter se connexa sunt peccata, ut unum patrari nequeat absque altero, 1 *Timoth.* 6. v. 10. *Iacob.* 2. v. 10. vel ratione *consequentiæ*, quatenus ex uno alterum sequitur; ut ex ebrietate libido, *Gen.* 19. v. 33. vel ratione *finis*, cum propter unum peccatum etiam admittitur alterum, *Ioh.* 12. v. 6. vel denique ratione *impulsionis*; ut cum hominum malitiâ movetur Deus, ut eos in sensum reprobum tradat *Rom.* 1. v. 26. 2 *Thess.* 2. v. 11.

Materia seu Objectum, Lex Dei.

Materia circà quam sive *Objectum* peccati est *Lex Dei.* Quod Joannes docet, dùm Peccatum ἀνομίαν vocat 1 *Iohan.* 3. v. 4. *Ratio* quoque idem clarissimè evincit. Etenim id rei alicujus objectum est, circà quod ea versatur. Atqui peccatum versatur circà Legem. Nam sicut lex est faciendorum præceptio, omittendorum interdictio, permissio indifferentium; ita peccatum est faciendorum omissio, omittendorum commissio, & indifferentium abusus. Objectum hoc *latius* est, vel *angustius*, pro temporum ac personarum diversitate. Sic *latius* fuit in V. Test. respectu Legis Ceremonialis, & Judicialis, quarum utraque plenè tunc vigebat. *Angustius* autem est in N. Test. postquàm altera earum in totum, altera ex parte est abrogata. Ita respectu *personarum latius* vel *angustius* censetur, prout aliæ *generalibus*, quâ homines; aliæ *specialibus*, quâ Christiani; aliæ insuper *specialissimis*, quatenus in hoc vel illo munere constituti sunt, legibus tenentur.

Objectum hoc latius vel angustius.

Forma, ἀνομία.

Forma Peccati consistit in ἀνομίᾳ, 1 *Ioh.* 3. v. 4. hoc est, in discrepantiâ à Lege; sive illa naturæ sit, sive actionis. Privat enim utramque conformitate cum Lege, atque ita ab eâ discrepare facit. Unde Formalis sui ratione, *Privatio* vulgò appellatur. Est tamen *non pura* puta privatio, sicut mors est privatio vitæ, verùm etiam *prava qualitas* in naturâ: justitiæque non *privativè* modo, sed & *contrariè* opponitur. Nam quatenus est carentia justitiæ inesse debitæ, dicitur *Privatio*: quatenus autem ægritudo est, sive putredo, permeans ac corrumpens facultates omnes creaturarum rationalium, superiores ac inferiores, *prava qualitas* vocatur. Atque hoc respectu sunt qui peccato *esse aliquod positivum* tribuunt; non *absolutè*, quasi sit subsistens aliquid, à Deo conditum: sed *oppositè* ad τὸ simpliciter privativum, itemque ad nihil meræ privationis.

Privatio est & prava qualitas.

Finis peccati propriè & *per se nullus* datur. Quia omnis *finis per se* bonus est, *peccatum* malum; *Finis per se* positivus simpliciter, *peccatum* non item: *Finis per se* caussa ordinis, *peccatum* justi ordinis perturbatio. *Per accidens* verò datur *finis* peccati, tùm primæ, tùm secundarum caussarum respectu. *Primæ caussæ respectu*, finis peccati est Dei gloria, *Prov.* 16. v. 4. quæ præter ipsius peccati naturam, peccantisque intentionem, per peccatum illustratur. *Genes.* 50. v. 20. Deo ex malis bona, ex tenebris lucem, ex confusis ordinem per sapientiam suam, bonitatem, ac potentiam, mirabiliter eliciente. *Caussarum* verò *secundarum respectu*, peccati finis est apparens aliquod bonum, hoc est, tale, quod cùm malum sit in se, cœcæ tamen ac depravatæ rationi bonum videtur *Ioh.* 16. v. 2. 1 *Tim.* 1. v. 13.

Finis per se nullus.

Per accidens respectu caussarum,

Primæ, Dei gloria.

Secundarum, apparens bonum

Effecta Peccati sunt *Pœnæ*; tùm *simplices*, quæ tantùm pœnæ sunt; ut diluvium, conflagratio Sodomæ: tùm *mixtæ*, quæ ita sunt pœnæ, ut simul etiam sint culpa. Hujusmodi censentur induratio, excæcatio, traditio in sensum reprobum *Iohan.* 12. *v.* 39, 40. *Rom.* 1. *v.* 24. 26. 2 *Thessal.* 2. *v.* 11. 12. Utræque *mortis* appellatione designantur, *Genes.* 2. *v.* 17. *Rom.* 6. *v.* 23. & infrà distinctè explicabuntur.

Effecta Pœnæ.

Subjectum Peccati δεκτικὸν & adæquatum, est *creatura intelligens*, mente ac voluntate prædita. Hæc quippe sola, Lege potest obligari, sola etiam eandem voluntariè transgredi. Est autem Subjectum ejus, *ratione facultatum* non modo superiorum, sed etiam inferiorum; siquidem earum sit capax. Facultates *Superiores* sunt Intellectus & Voluntas. In *Intellectu* incipit Peccatum, dum de rebus apprehensis non rectè judicat. Et peccat *tùm* respectu sui objecti, cum nimirum verum negat, falsum affirmat; bonum improbat: malum probat: *tùm* respectu Voluntatis, cui falsum pro vero, malum pro bono amandum proponit; & verum pro falso, bonum pro malo odio habendum; *tùm* denique respectu sensuum, quorum appetitus rationis imperio non moderatur. *Voluntas* duplici modo peccati subjectum statuitur. Nam *non solùm* falsum amat, & verum odit; in malo acquiescit, & de bono dolet; *sed etiam* appetitui sensuum frena laxat, patiturque ut malum appetitum potentia loco motrix exsequatur. Facultates *Inferiores* sunt *Affectus*, sive *Sensus*; homini quidem cum brutis communes, sex ex conjunctione cum animâ rationali ὑπεροχὴν quan-

Subjectum Creatura intelligens ratione facultatum.

Superiorum intellectus.

Voluntatis.

Inferiorum Affectuum seu Sensuum.

quandam obtinentes, eóque peccati capaces. In hos cadit peccatum, quatenus aliunde moti, intellectum & voluntatem, excusso eorum imperio, abripiunt,& potentiâ locomotrice ad mala quævis patranda abutuntur. Horum respectu *Corpus Hominis* (Theologicè, non Philosophicè loquendo) rectè dicitur proprium & *immediatum* peccati subjectum: Non simpliciter, quâ corpus, sed quâ corpus Hominis corrupti, facultate vegetante & sentiente, quarum utraque suo ordine modoque subest animæ rationali, præditum. Quia enim corporea est sensualitas, è potentiâ corporis, tanquàm materiæ educta; cujus illa, ejusdem hoc est subjectum. Jam constat ex Apostolo *Rom.* 7. concupiscentiam, quam *peccati* nomine toties indigitat, etiam propriè & immediatè residere in sensualitate. Legem enim effecisse in se conqueritur omnem cupiditatem, v. 8. Sequitur ergò, quod eadem propriè & immediatè resideat in hominis corpore; atque ita, quod peccatum eidem propriè & immediatè insit. *Mediatum* verò peccati subjectum est Corpus, quod Intellectum & Voluntatem attinet. His siquidem in malis exsequendis tanquàm instrumentum subservit. A quo membra ipsius serva impuritati & iniquitati ad patrandam iniquitatem dicuntur *Romanor.* 6. *vers.* 19.

Corpus Hominis subjectum Peccati immediatum.

Mediatum.

Adjunctum reatus.

Adjunctum Peccati est *Reatus*, sive peccantis ad pœnam obligatio, ex ordine justitiæ Divinæ. Est namque jus Dei, ut qui faciunt contrà Legem, digni sint morte *Rom.* 1. v. 32. Hunc Reatum *alii* effectum peccati, *alii* ejus formale vocant. Sed rectius adjunctum necessariò adhærens peccato, sive illud necessariò consequens appellatur. Ideóque reatus naturâ & per se inseparabilis est à peccato. Fit autem separabilis per gratiam Dei in Christo, peccata Electis ad damnationem non imputantis *Rom.* 8. v. 1, 2, 3, 4.

Peccati distinctio.

Distinguitur Peccatum è Subjectis, in *Angelorum*, qui per illud evaserunt Diaboli, & *Hominum*. Sunt enim creaturæ rationales vel Angeli, vel Homines Et *Angelorum* quidem *Peccatum* præponitur, quia Diabolus peccat à principio, 1 *Ioh.* 3. v. 8. & ab initio homicida est *Ioh.* 8. v. 44. Quale verò fuerit primum illorum peccatum, disertè non indicat Scriptura. In *Genere* Christus docet, non stetisse eos in veritate, *Iohan.* 8. v. 44. & Judas v. 6. non servâsse originem suam, sed reliquisse domicilium. Ex

Peccatum Angelorum.

Quale illud fuerit.

quibus nihil de certâ aliquâ peccati ſpecie, ſed id duntaxat colligitur, quod ab originariâ ſuâ integritate, quæ in ſapientiâ, juſtitiâ, ac ſanctitate conſiſtebat, deſciverint, ac propterea è cœlo tertio, domicilio ſuo, in tartarum detruſi ſint. Nam in cœlo peccâſſe certum eſt ex 2 *Petr.* 2. v. 4. *Iud.* v. 6. Qui *primus autor* fuit defectionis κατ' ἐξοχὴν dicitur *Diabolus*, *Matt.* 25. v. 41. *Satan*, *Iob.* 1. v. 6. *Beelzebub*, *Matth.* 12. v. 24. *Deus hujus ſeculi* 2 *Cor.* 4. v. 4. Cæteri ejuſdem defectionis *imitatores*, *angeli* ipſius nominantur, *Matth.* 25. v. 41. 2 *Corinth.* 12. v. 7. horumque utut magnus, *Luc.* 8. v. 30. nuſpiam tamen definitus reperitur numerus. Porrò ex primâ illâ defectione peccati *habitum* contraxerunt. Juſto namque Dei judicio factum eſt, ut una actio totam infecerit naturam, eamque tùm Juſtitiæ habitu privârit, tùm habitu contrario injuſtitiæ depravârit. Quem habitum *immutabilem* dicimus; quia Angeli lapſi fieri nequeunt novæ in Chriſto creaturæ: utpote qui non Angelos, ſed ſemen Abrahæ adſumpſit, *Heb.* 2. v. 16. nec Angelorum, ſed hominum eſt Mediator 1 *Tim.* 2. v. 5. Hinc jam fluit *inſatiabile* illud *peccandi ſtudium*, ut Diabolus inde ab initio in continuo peccandi actu verſetur. 1 *Ioh.* 3. v. 8. circumeat ut leo rugiens, quærens quem devoret, 1 Petr. 5. verſ. 8. accuſetque fratres noſtros in conſpectu Dei, interdiu ac noctu *Apocal.* 12. v. 10. Quæ omnia ſummâ cum voluptate peragit 1 *Ioh.* 3. v. 8. *Joh.* 8. v. 44.

Contraxerunt eo Habitum peccati immutabilem.

Studium peccandi inſatiabile.

Peccatum Hominum ſubdiſtinguitur in *Primum*, & à Primo *Ortum*. *Primum* fons eſt & ſcaturigo omnis peccati in naturâ humanâ: utpote per quod peccatum in mundum introiit, & reatus venit in omnes homines ad condemnationem *Rom.* 5. v. 12. 18. Nimis anguſtè vocem accipiunt, qui eam de primo impulſu quo hominem in peccatum Diabolus abripuit, interpretantur. Complectitur ſiquidem non unum aliquem, ſed omnes illos actus, tùm internos, tum externos, quibus Homo Dei mandatum eſt tranſgreſſus. Eoque ſenſu ab Apoſtolo παράβασις, παράπτωμα, παρακοὴ nominatur *Rom.* 5. *cap.*

Peccatum Hominum. Primum.

Cauſſa *Efficiens* Peccati Primi, dicitur propriè vel impropriè. *Propriè* dicta alia *Externa* eſt, alia *Interna*: quarum *illa* irritans tantùm fuit, *iſta* movens: *illa* adjuvans, *hæc* principalis. *Externa* cauſſa fuit *Diabolus*, qui Deo gloriam, hominibuſque felicitatem invidens, protoplaſtos ad apoſtaſiam inſtigavit *Gen.* 3. v. 1. & *ſeqq.*

Efficiens proprie.

Externa Diabolus.

2 *Cor.*

2 *Cor.* 11. v. 3. *Iohan.* 8. v. 44. Quo in opere administro usus est *serpente*; quod sciret hoc animal & cautius esse reliquis, & corporis tenuitate ac simplicitate peculiarem quandam præ se ferre innocentiam: ab eoque denominationem *Serpentis antiqui* postmodum accepit *Apoc.* 12. v. 9. Ita verò rem instituit, ut ipse in serpente latens, & instrumenta illa, quæ ad vitæ usum concessa sunt serpenti, adhibens, sermonem cum homine conferret, argumentis variis fructus vetiti esum ipsi suaderet, tandemque persuaderet. Unde quæcunque in historiâ lapsus Serpenti tribuuntur actiones, conjunctim de utroque, Diabolo & Serpente, intelligendæ sunt: sed de illo principaliter, de hoc instrumentaliter. Caussa *Interna* peccati Primi fuit Hominum *protoplastorum mens & voluntas*, quibus mendaciis calumniisque Diaboli crediderunt, & sponte absque omni coactione se à Deo averterunt. Et primò quidem femina tanquàm imbecillior, 1 *Pet.* 3. v. 7. Diaboli callidate seducta peccavit, *Genes.* 3. v. 6. 12. 2 *Cor.* 11. v. 3. quæ deinde maritum Adamum, expositâ ei antè Diaboli promissione, in idem peccatum induxit *Genes.* 3. v. 12. 17. 22. Cujus ordinis respectu non Adam, sed Eva caussa fuisse dicitur transgressionis 1 *Tim.* 2. *vers.* 14. Quod autem peccatum per *unum* hominem in mundum intrâsse docet Apostolus, *Rom.* 5. *vers.* 12. de uno εἰδικῶς specie sive naturà intelligendum est: Ex ipsius Dei Phraseologiâ *Genes.* 1. v. 26. Cæterum unus ille Homo spectandus nobis est, non tantum ut persona aliqua *singularis*, ratione sui, verùm etiam ut persona *communis*, respectu posterorum. Fuit enim principium totius generis humani, *Actor.* 17. v. 26. de cujus naturâ est, virtute in se continere omnia principiata. Fuit princeps ac caput omnium hominum. Proinde sicut, quod Princeps civitatis, quâ talis, facit, tota facere putatur civitas, & quæ caput agit, agere censentur omnia membra: ita quæ primus Homo peccando patravit, ab omnibus hominibus patrata existimantur. Atque hoc est, quod dicit Apostolus, *Romanor.* 5. v. 12. *in uno omnes peccâsse*: item v. 19. *per unius inobedientiam peccatores constitutos esse multos.* Caussa *impropriè* dicta, vel potius adjunctum antecedens peccatum Primum, est Hominis à Deo desertio, peccatique permissio. *Desertio* est, quod Deus non contulit homini, præter primam creationis gratiam, gratiam secundam confirmationis: ut quemadmodum illâ poterat, ita hâc vellet perseverare in bono.

Administro Serpente.

Interna hominum mens & voluntas.

Homo hic spectandus ceu stirps Generis humani.

Efficiens impropriè.

Desertio hominis.

Per-

Permiſſio Peccati.

Permiſſio eſt, quod neque Diabolum neque hominem impedivit, quo minus vel ille ad defectionem hunc ſollicitaret, vel hic illius ſollicitationi obſequeretur, inque peccatum rueret. *Vtraque* à liberrimâ Dei voluntate profecta eſt: qui nemini quicquam debet: nemini obligatus eſt, ſive ad boni confirmationem, ſive ad mali impeditionem: *Neutra* vero ipſum ullo modo Peccati hujus autorem facere poteſt. Non *prima*, quia nec Iuſtitiæ, ſubtractio, nec Injuſtitię fuit infuſio, ſed tantum novę gratiæ dilatio; ut homo ageret ſecundum naturā ſuam, liberè utens donis in creatione ſibi conceſſis: planè ſecundum illud *Eccleſ. cap.* 15. v. 14. *Deus creavit hominem, & permiſit ipſum conſilio ipſius dicens: ſi voles, cuſtodies mandata.* In quo non peccatum, ſed explorationem hominis intendit: ut patefactâ ipſius infirmitate veritas dicto fieret: *Abſque me nihil poteſtis facere Ioh.* 15. v. 5. Non etiam *ſecunda:* Nam qui permittit, non agit ipſe, ſed alium agere ſinit, non impediendo actionem ejus. Dum igitur permiſit Deus primi Hominis peccatū, non ipſe peccavit, ſed hominē peccare ſinit, nō impediendo peccatū ipſius. Quod tum demum in vitio eſt, ſi quis ad illud lege ſuperioris obligetur.

A liberrima Dei voluntate.

Deus non eſt autor peccati prima.

Materia circa quam, ſive *objectum* Peccati Primi, eſt Lex illa ſpecialis, de non attingendo & comedendo fructu certæ arboris, *Gen.* 2. v. 16. 17. cap. 3. v. 3. quę indefinitè *arbor in medio horti cap.* 3. v. 3. definitè *arbor ſcientiæ boni & mali c.* 2. v. 17. appellatur. Fructus qualis fuerit, pomumnè, an pyrum, an alius quis ignoratur. Eum Deus exceperat ab uſu hominis; non quod divinę alicujus eſſet præſtantiæ: uti ſomniant, qui formaliter vel effectivè ſciētificū fuiſſe ajunt: ſed ut obedientiā hominis in re obſervatu haud difficili probaret.

Materia ſeu Objectum Lex de fructu vetito.

Formam Peccati hujus declarat Apoſtolus nomenclaturâ generali Παραπτώματος, Παραβάσεως, Παρακοῆς *Rom.* 5. verſ. 14. 15. 19. Etenim propriè conſiſtit in eo, *quod* Homo lapſus eſt ſive defecit à Deo ſuo; *quod* creatura inobediens fuit creatori; *quod* ſubditus legem ſupremi Regis ſui trangreſſus eſt: legem, inquam, non tantum *ſpecialem* directè, ſed etiam *generalem*, mēti ipſius in creatione inditam, indirectè. Nam incredulitate, ſuperbiâ, contemtu Dei, nominiſque divini profanatione *primam* tabulam, *ſecundam* ἀστοργίᾳ, homicidio, illicito amore, furto, pravaque concupiſcentia violavit. Vt tam multiplicis in utramq; legem ἀνομίας reſpectu. peccatum ſit longè graviſſimum; Reſpectu vero Legis *ſpecialis* recte nominetur lapſus ſive defectio: nō particularis aliquis, ſicut in multis labimur

Forma, inobedientia.

Contra Legem ſpecialem & generalem.

omnes, *Iacob.* 3. v. 2. ſed generalis. Quiſquis enim ſigno generali vocationis ſuæ renunciat, idem vocationi renunciat rebellione generali. Primus homo renunciavit ſigno generali vocationis ſuæ: quia reliquit arborem vitæ, ſignum generalis vocationis ad vitam; contraque ad arborem ſcientiæ boni & mali, quæ ſignum generalis renunciationis erat, ſe contulit. Ergo. Inter varios autem *actus peccati primi, quis primus* fuerit, non convenit inter omnes. Certum eſt, *non* quærendum peccati primi initium *in actu aliquo externo*, ceu ſunt contrectatio, comeſtio fructus vetiti. *Ratio* eſt, quia Actus externi dependent ab internis; & facultates externæ internarum ſubſunt imperio. *Neque* etiam quærendum eſt initium *in actibus internis appetitus*, ſive ſenſitivi, ſive rationalis. *Ratio* eſt, quia uterque una cum actibus ſuis in ſtatu integro, menti tanquam τῷ ἡγεμονικῷ parebat. Reſtat igitur, ut *in actibus mentis* inveſtigetur; utpote ex quorum erroribus vitia facultatum inferiorum naſcuntur. Etſi vero actus primus Mentis peccantis vulgò ſtatuitur *Incredulitas*, quod non credidit Homo Verbo Dei, *Morte moriemini*, ſed credidit verbo Diaboli, *non moriemini*: Videtur tamen dari prior alius, *ſuſpicio* ſcil. *invidiæ*. Hanc enim homini injecit Diabolus, ne pergeret, uti faciebat initio, *Geneſ.* 3. v. 2. 3. fidem Deo adhibere, ejuſque verba tueri v. 4. 5. Nec Homo fidem derogavit Deo, niſi tàm ſiniſtrâ ſuſpicione jam ante imbutus: ut inde prior incredulitate videri poſſit; ſicut cauſſa prior eſt effectu, vel ſaltem antecedens ſuo conſequente. Incredulitatem deinde ſuperbia, ſuperbiam actus alii, tum interni, tum externi, ſecuti ſunt. Sed *quæri* hic ſolet, *quomodo tot pravi actus cadere potuerint in naturam integram*, nec dum ullâ vel mentis cœcitate, vel voluntatis pravitate, vel affectuum perverſitate laborantem? Ad quod *reſpondere* non eſt difficile, ſi naturæ integræ attendatur mutabilitas. Erat ſanè *natura hominis integra*, vitii omnis expers; *ſed* ſimul erat *mutabilis*, pro conditione creaturæ, ac voluntate Dei. Licet igitur, quâ *integra*, mens approbaret bonum, improbaret malum; voluntas eligeret bonum, repudiaret malum, affectus etiam menti & voluntati obtemperarent: quatenus tamen *mutabilis* erat, poterat mens approbare malum, improbare bonum; & voluntas, mentis judicium ſequens, eligere malum, repudiare bonum: affectus denique rationis & voluntatis jugum excutere. Quæ mutabilitatis potentia

Primus actus peccati primi quis.

Suſpicio invidiæ.

Peccatum cadere potuit in naturam integram, propter ejus mutabilitatem.

potentia dum transiit ad actum, natura mutabiliter integra vitium suscepit, imò tota corrupta fuit.

Finis Peccati Primi quoad *Deum* fuit patefactio infirmitatis, etiam in creaturâ principe, & misericordiæ ergà electos, justitiæ verò ergà reprobos exercendę occasio *Rom.* 11.v.32.*cap.*9.v.22.23. Quoad *Diabolum*, finis fuit hominis peccantis temporale & æternum exitium *Iohann.* 8.v. 44. Quoad *Hominem* denique finis fuit, scientiæ boni & mali, & per eam æqualitatis cum Deo acquisitio *Genes.* 3.v. 6. 22.

Finis quoad Deum. Diabolum. Hominem.

Effecta Peccati Primi suntomnia peccata Orta; *Reatus*; & *Pœna* temporales ac æternæ: de quibus est *Romanor.* 5. vers. 12. *& seqq.*

Effecta.

Subjectum fuit *actio* Primi Hominis, *tum* interna facultatum superiorum & inferiorum, *tum* externa. Nam peccatum ipsius fuit transgressio Actualis, non labes Originalis: quę tamen, excussâ originali Iustitiâ, totam ipsius naturam corrupit. Atque hoc vult Apostolus *Rom.* 5. v. 14. ubi infantes peccasse negat ad similitudinem transgressionis Adæ: quia non peccarunt propriâ actuali transgressione, sicut Adam peccavit. *Subjectum loci* fuit Paradisus, in quo ante lapsum constitutus erat, *Genes.* 2. v. 15. & ex quo post lapsum ejectus est *cap.* 3.v. 23.24.

Subjectum actio hominis. Subjectum loci.

Adjunctum Peccati Primi dicimus *Vniversalitatem*, hoc est, quod non primi hominis proprium, sed omnibus naturalibus ipsius hæredibus cum ipso fuit commune: uti docetur *Rom.* 5. v. 12. *& seqq.* 1.*Cor.*15.v.22. Huc etiam pertinet *circumstantia temporis*, quo peccatum primum à primo homine fuit patratum. De quo etsi nihil expressè definit Scriptura; probabiliter tamen, *partim* ex dicto Christi, *Iohann.* 8.v. 44. *partim* ex historiâ lapsus, *Genes.* 3. *partim* ex insatiabili Diaboli malitiâ, 1. *Petr.* 5.v.8. colligimus, haud longo intervallo hoc peccatum creationem hominis secutum fuisse, adeoque ipsum hominem vix unum alterumve diem in statu creationis perstitisse.

Adjunctum universalitas. Quando admissum.

Peccata *Orta* sunt *Originale* & *Actuale*: quorum *illud* immediatè, *hoc* mediatè ex primo oritur: *illud* actus primi, *hoc* secundi rationem habet: dicente Christo: *Ex corde cogitationes improbas, cædes, adulteria. &c. Matth.* 15. vers. 19. *Peccatum Originale* illo quidem termino technologico non legitur expressum in Scripturâ. Sunt enim aliæ Scripturæ appellationes. Christus *Ioh.* 3.v.6. *Carnem*

Orta Peccata. 1. Originale.

Synonymia. vocat. Paulus *Rom. 6. v. 6.* nominat *veterem hominem, & corpus peccati: cap.7. v.8. peccatum* absolutè: v. 20. *peccatum inhabitans:* v. 21. *malum adjacens:* v. 23. *legem membrorum:* v. 24. *corpus mortis: Hebr. 12. v. 1. peccatum undiqae circumstans.* Iacobus denique *concupiscentiæ* vocabulo Synecdochicè indigitat *cap. 1. v. 14. 15.* Sed Augustinus *Originale* appellandum censuit contrà Pelagianos, qui illud per naturam propagari, & à primâ origine, homini inhærere negarunt. Quæ appellatio Scripturæ prorsus est consentanea: utpote quæ expressè docet, hominem concipi in peccato, & formari in iniquitate, *Psal. 51. v. 7.* esseque transgressorem inde ab utero *Esa. 48. v. 8.* Quia etiam filii iræ sumus natura, *Ephes. 2. v. 3.* peccatum hoc tàm rectè dicitur Originale, quàm verè est naturale.

Efficiens. Caussa *Efficiens* Peccati Originalis alia propinqua est, alia remota. *Propinqua* est primum illud Primi hominis peccatum. Etenim *per unum hominem peccatum in mundum introiit, Rom. 5. v. 12. per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi;* v. 19. *In uno Adamo omnes mortui sunt 1. Corinth. 15. v. 22. Remota* est Lex Iustitiæ & Veritatis Divinæ: quarum illa dignos morte pronunciat, qui talia faciunt, *Rom. 1. v. 32.* ista comminationi mortis, *Genes. 2. v. 17.* & quidem triplicis, spiritualis, *Eph. 2. v. 1.* temporalis, & æternæ, *Rom. 6. v. 23.* satisfieri vult. *Modus efficiendi* in *genere* dici potest transmissio sive *derivatio peccati* ab uno in omnes, ab Adamo in naturales ipsius posteros. In *specie* vero respectu caussæ remotæ dicitur *Imputatio*: respectu caussæ propinquæ, hoc est, primi hominis, qui Peccatum Primum, caussam peccati Originalis patravit, *Generatio*: A quo duplici efficiendi modo, Peccatum Originale nonnunquam in *imputatum* & *inhærens* distinguitur. *Imputatio* est, quod Deus omnibus naturalibus Adami hæredibus, imputat primam illam actualem ipsius transgressionem *Rom. 5. 19.* Quæ ideo imputari dicitur, quia actu transiit, nec nobis ut Adamo inhæsit. Et meritissimè imputatur, quia omnes in ipso tanquam in stirpe & radice peccarunt. *Rom. 5. v. 12. Heb. 7. v. 10. Generatio* est, quod Adamus corruptionem naturæ ex peccato primo contractam, in posteros suos generando propagat. Qualem *generationem* docet Scriptura, *Genes. 5. v. 3. Iob. 14. v. 4. Psalm 51. v. 7. Ioh. 3. v. 6.* & evincit ἀντίθεσις regenerationis Spiritualis ex semine incorrupto Verbi Dei *1. Petr. 1. v. 23. Iacob. 1. v. 18.*

Propinqua. Peccatum primum.

Remota Lex Dei.

Modus efficiendi.

Imputatio.

Generatio.

v. 18. *Fundamentum* ejus est Lex generationis divinitus sancita. Sicut enim in naturâ integrâ Iustitiam Originalem propagari volebat Deus, in præmium obedientiæ: ita in naturâ corruptâ Peccatum Originale propagari vult, in inobedientiæ pœnam *Rom.* 5. v. 19. Hinc, quemadmodum *physicè* non modo homo generat hominem, sed etiam morbidus morbidum, leprosus leprosum: sic *Theologicè*, corruptus corruptum, peccator peccatorem gignit. *Modus propagationis* hujus intellectu explicatuq; perdifficilis est; inde maximè, quod animæ humanæ, principale Peccati Originalis Subjectum, non propagantur in & cum semine, à parentibus: sed secundum Scripturam, *Eccles.* 12. v. 9. *Zach.* 12. v. 1. *Hebr.* 12. v. 9. à Deo creantur. Interim certæ quædam hypotheses è Scripturâ exstructæ, eum nobis ex parte declarant. *Prima*: Peccatum Originale propriè nec in animam, nec in corpus, sensim sumpta, sed in hominem propagatur *Iob.* 14. v. 4. *Psal.* 51. v. 7. *Ratio* est, quia nec anima, nec corpus, seorsim sumpta, sed homo, sive homines in Adamo peccarunt, *Rom.* 5. v. 12. prout nimirum δυνάμει in ipso fuerunt, *corpore*, ratione substantiæ, *anima*, ratione primæ subsistentiæ. Ideoque non antè sunt actu peccatores, quàm actu sint homines. *Secunda*: Quia verò generatio homininis incipit à corpore, dicimus, in semine ex quo illud formatur & formatum constat, exsistere, etiam ante conjunctionem cum animâ, non quidem peccatum formaliter sic dictum; id enim hominis est; sed principium, dispositionem, ac fomitem quendam peccati, ex quo illud necessario sequatur. *Ratio* est, quia idem est ordo propagationis naturæ humanæ & peccati humani, subjecti & accidentis: cumque semen ab immundis decidatur, *Iob.* 14. v. 4. *Psal* 51. v. 7. *Iohan.* 3. v. 6. ipsum mundum esse non potest. *Tertia*: Simulac autem anima creatur à Deo in corpore, & ei unitur in ὑπόστασιν humanam, peccatum formaliter sic dictum primo exsistit in *corpore*, deinde *in animâ*. In *corpore* & *animâ* exsistit; quia utrumque jam pars est hominis essentialis, eoque peccati primi particeps *Rom.* 5. v. 12. In *illo* vero ante exsistit, quam in *istâ*, ordine naturæ: quia *corpus* ex semine immundo concipitur, *Iob.* 14. v. 4. *anima* pura à Deo creatur; & sic creata demum in primæ transgressionis pœnam, *tum* puritate suâ privatur, *tum* corporis contagione infecta corrumpitur. Quo duplici modo *Peccatum Originale in animam derivari* statuimus.

Modus propagationis.

Declarant hypotheses.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Peccatum Originale derivatur in animam.

Nam Deus postquam creavit animam in corpore, statim pro justo judicio suo deserit eam, privat puritate originariâ, corporique corrupto corrumpendam tradit. Hoc posteà ipsam deorsum trahit, ac vitiositate suâ afficit & inficit: quemadmodum purus liquor inficitur ab impuro vase. Etsi autem ea corporis in spiritum, ignobilioris in nobilius actio videri possit absurda, absurda tamen non est. Nam *Christus* testatur gravari corda nostra crapulâ & ebrietate: *Luc.* 21. v. 34. testatur *Sapiens*, infestum corruptioni corpus aggravare animam, & deprimere terrenam habitationem mentem, multis curis plenam *cap.* 9. vers. 15. Quin & *Philosophi* docent, animi affectiones naturaliter sequi temperaturam corporis; mutuamque inter animam & corpus συμπάθειαν agnoscunt. Quæ exempla si maximè non essent: esset tamen ratio omni exceptione major in justâ Dei ordinatione, quà constitutum est, ut si animam homo appetitui carnis semel subjiceret, in perpetuum deinceps ejusdem seductioni & corruptioni subjaceret *Genes.* 2. v. 17. *& argumento locorum, Roman.* 7. v. 17. *& seqq. Gal.* 5. v. 16. 17.

Materia spectanda in Objecto.

Materia Peccati Originalis partim in *Objecto* ejus, partim in *Subjecto* cernitur. *Objectum* ejus, quia ἀνομία est, hoc est naturæ sive qualitatum à Lege discrepantia, non potest aliud esse, quam *Lex Dei*. Illa namque facultatem etiam ac virium omnium rectitudinem, præcepto primo decimoque flagitat. *Subjectum* sunt *omnes homines, Rom.* 5. v. 12. 1. *Cor.* 15. v. 22. quotquot nimirum ab Adamo, non tantum ut Principio materiali; (sic enim Christus quoque ab ipso descendit, *Luc.* 3. qui tamen expers est omnis peccati, 1. *Petr.* 1. v. 19.) sed etiam ut principio activo, seu geniturâ communi per seminalem rationem ortum habent. Nam nè unus quidem est, qui mundo ex immundo edat, *Iob.* 14. v. 4. Nec modo omnes, sed & *toti homines*, quanti quanti sunt, peccati hujus subjectum sunt: & quoad *animam*, & quoad *corpus*. Etenim toti sunt veteres homines, *Rom.* 6. v. 6. toti regenerationis indigi, *Iohann.* 3. v. 5. 6. ut novæ fiant creaturæ, *Galat.* 6. v. 15. Cumque privatio & habitus eidem insint subjecto; sicut Imago Dei in toto fuit composito, *Genes.* 1. v. 26. 27. ita imaginem hominis corrupti, quæ est peccatum Originale, *Genes.* 5. v. 3. toti composito inesse oportet. Porro de *animâ* peccati hujus subjecto dicta sunt: *Genes.* 6. v. 5. *cap.* 8. v. 21. *Eph.* 2. v. 3. *De corpore* istai

Subjecto quod sunt homines omnes.

Toti.

ista: *Rom.* 6. v. 12. 13. *Matth.* 5. v. 28. 29. 30. nec non alia, quibus hoc malum *caro*, *lex membrorum*, *corpus peccati*, *&* *mortis* vocatur.

Forma peccati Originalis pro duabus ejus partibus, duplex est *trangressio Adæ* imputata posteris, & *naturæ corruptio* in ipsos propagata, eoque ipsis inhærens. De *illâ* dictum ante ex *Rom.* 5. v. 12. *& seqq.* 1. *Cor.* 15. v. 22. *Ista*, naturæ scil: corruptio, quæ ex alterâ sequitur, *partim* in Iustitiæ Originalis privatione, *partim* in Injustitiæ Originalis habitu consistit. *Privatio Iustitiæ Originalis* est defectus sapientiæ in mente; justitiæ & sanctitatis in voluntate, & rectitudinis in sensualitate; quam illa Scripturæ testimonia evincunt, quæ de peccato negativè, seu privativè, loquuntur: uti sunt *Roman.* 3. v. 23. *cap.* 7. v. 18. *cap.* 8. v. 7. 1. *Cor.* 2. v. 14. 2. *Cor.* 5. v. 3. *Ephes.* 4. v. 18. *Habitus Injustitiæ Originalis* est cœcitas & stultitia in mente, malitia in voluntate, perversitas sive rebellio in sensualitate. Hunc probant illa Scripturæ testimonia, quæ de peccato loquuntur affirmativè, & quasi positivè: ceu sunt *Genes.* 6. v. 5. *cap.* 8. v. 21. *Rom.* 7. v. 7. 25. *Ephes.* 2. v. 3. *Gal.* 5. v. 17. Ex utroque est, quod *animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere,* 1. *Corinth.* 2. v. 14. quod *sensus carnis inimicitia est adversus Deum: Legi enim Dei non subjicitur: nam nè potest quidem Rom.* 8. v. 7.

Forma trangressio Adæ.

Corruptio naturæ consistens in privatione justitiæ Originalis.

Habitu injustitiæ Originalis.

Finis Peccati Originalis, Hominis respectu, non datur. *Dei* vero *respectu*, finis est, demonstratio *tum* justitiæ ipsius, in peccati hujus propagatione, *Romanor.* 5. v. 12. *& seqq. cap.* 1. v. 32. *tum* gratiæ exuberantis, in ejusdem per Christum abolitione. *cap.* 5. v. 15. *& seqq.*

Finis.

Effecta sunt Peccata Actualia, in adultis, *Matth.* 15. v. 19. *Iacob.* 1. v. 14. 15. *Gal.* 5. v. 17. 19. *& seqq.* pœnæque temporales & æternæ, tum in illis, tum etiam in infantibus *Rom.* 5. v. 14. De subjecto egimus in Materia.

Effecta.

Adjunctum ejus est *æqualitas*, hoc est, quod in omnes naturales Adami hæredes propagatur, atque ita, quamdiu manent filii iræ, *Eph.* 2. v. 3. exsistit æqualiter; non in alio magis, in alio minus. *Ratio* est, quia omnes, ut fuerunt, ita peccarunt in Adamo æqualiter, *Rom.* 5. v. 12. ac proinde æqualem corruptionis pœnam secundum Dei justitiam ab ipso trahunt.

Adjunctum æqualitas.

Peccatum Originale privativè opponitur *Libro Arbitrio* quod

Liberum Arbitrium.

quod definimus, *Facultatem in naturâ intelligente, eligendi vel repudiandi objectum ab intellectu monstratum, suo proprio motu, absque coactione.* Apparet igitur intellectui & voluntati esse verè commune. Nam *Arbitrium* dicitur ratione intellectus, cujus est arbitrari, hoc est, judicare, judicataque voluntati monstrare. *Liberum* autem, ratione voluntatis, quæ suapte sponte, sive proprio ac spontaneo motu, objecta sibi monstrata eligit vel repudiat. Atque ita agunt homines ex Libero Arbitrio ἑκουσίως: sicut τὸ ἑκούσιον ipsis tribuit Scriptura, in bonis, 1. *Petr.* 5. v. 2. *Philipp.* v. 14. & malis *Hebr.* 10. v. 26. Eodem sensu rectè docetur, ad liberum arbitrium triplicem requiri *libertatum*: *unam in subjecto*, quæ in intellectu est, secundum radicem sive caussam, in voluntate secundum formam: *alteram objectum*, sive illud multiplex sit, ubi est libertas contrarietatis & specificationis; sive unicum, ubi libertas contradictionis atque exercitii locum habet: & *tertiam ab impedimento*, sive à coactione. *Non* verò requiritur *libertas juris*, sive dependentiæ, *neque* etiãm talis, quæ sit *ad omne objectum*, bonum & malum. Alioquin creaturæ intelligentes solvendæ essent legibus creatoris; nec amplius in essendo & operando ab eo penderent. Deo etiam Angelisque beatis detrahendum esset liberum arbitrium, quod nec ipse potest velle, nec isti volunt malum. Sicut autem non requirit omnimodam libertatem, ita nec excludit omnem *necessitatem*; verùm eam quæ *coactionis* dicitur, & in Scripturâ ei opponitur *Philem.* v. 14. 1. *Petr.* 5. v. 2.

Triplicem requirit libertatem.

Excludit necessitatem coactionis.

Efficiens Liberi Arbitrii est *Deus*, qui hanc facultatem indidit animæ rationali, atque etiam concursu suo in actum deducit. Tum ipsa hominis *anima*, actuum inde elicitorum respectu. *Materia* circà quam, sive Objectum, est quicquid sub volitionem cadit, sive sit finis, qui liberè intenditur, sive media, quæ liberè eliguntur; sive præsens sive futurum. Interim nihil eligit, nisi sub ratione boni, nihil rejicit, nisi sub ratione mali. *Forma* est facultatis, atque ex eâ actionis libertas. *Finis* est Dei gloria in justitiâ & misericordiâ, & hominis salus vel ἀναπολόγησις. Ita se habet Liberum Arbitrium *absolutè*.

Lib. Arbitrium absolute consideratum.

Relatè consideratur quadrupliciter, secundum quadruplicem hominis *statum*, qui est, *creationis sive integritatis, peccati, gratiæ sive regenerationis, & glorificationis.* In statu *primo* diximus habuisse Hominem liberum arbitrium actu ad bonum, sed mutabiliter, hoc

Lib Arbitrium ad quadruplicem statum hominis.

hoc eſt, ita ut poſſet velle malum, deficere ad malum. In *ſecundo* eſt liberum arbitrium actu ad malum tantùm; idque immutabiliter per naturam. In *tertio* partim ad bonum, partim ad malum, actu. In *quarto* denique, actu tantùm ad bonum; & quidem immutabiliter, per gratiam. Ut verò quod de *ſtatu ſecundo*; qui hujus Loci eſt, enunciavimus, rectè intelligatur, res circà quas verſatur Liberum Arbitrium, in naturales, civiles, & ſpirituales ſive ſupernaturales diſtinguimus. *Naturales* ſunt hominibus cum brutis communes, ut edere, bibere, dormire. *Civiles* ſunt, quæ ad vitæ civilis rationem pertinent, ut artes exercere, honeſtatem externam ſervare, officia civilia obire, &c: *Spirituales* ſunt, Fides in Chriſtum, charitas, ſpes, patientia, &c. In *primo* rerum genere integer eſt homini liberi arbitrii uſus. *In ſecundo* habet quoque liberum arbitrium, ſed non ita integrum; quia & in illis mens multis modis cæcutit, & voluntas ex lapſu corrupta in eligendo & repudiando variè peccat. *In tertio* genere non habet liberum arbitrium, vel actu, vel potentiâ, quæ proxima dicitur. Non *actu*, quia Fides non eſt omnium, 2 *Theſſal.* 3. v. 2. quia opera Carnis ſunt adulterium, idololatria, lites, invidiæ, cædes, &c. *Gal.* 5. v. 19. *& ſeqq.* Non *potentiâ*, quia non poteſt credere, *Ioh.* 12. v. 39. non poteſt cognoſcere ſpiritualia, 1 *Cor.* 2. v. 14. aut ſubjicere ſe Legi Dei *Rom.* 8. v. 7. Nam mente planè cæcus eſt, *Actor.* 26. v. 18. 1 *Cor.* 2. v. 14. & voluntate ita depravatus, ut omni tempore, inde à pueritiâ, tantum ad malum feratur *Geneſ.* 6. v. 8. *cap.* v. 21. Eſt igitur in Spiritualibus hominis arbitrium tantum ad malum, idque immutabiliter, quia non magis hanc naturam ſuam, quàm Æthiops pellem, aut pardus maculas mutare poteſt *Ierem.* 13. v. 23.

Lib. Arbitrium in ſtatu peccati circa res.

Naturales, Civiles,

Spirituales.

Supereſt Peccatum *Actuale*, quod diximus eſſe actum ſecundum reſpectu Peccati Originalis, & definivimus, actionum omnium, tùm internarum in mente & voluntate, tùm externarum in geſtibus, verbis, & factis irrectitudinem. Hujus *Efficiens principalis* eſt mens & voluntas corrupta, nec non appetitus ſenſuum. *Inſtrumentalis*, corpus, ſingulaque corporis membra. *Materia* circà quam, ſive objectum in genere Lex: in ſpecie ii, in quos peccatur. *Forma* eſt, *tùm* ἀνομία actualis, *tùm* etiam ejuſdem modus, qui in interdictorum commiſſione, præceptorumque omiſſione conſiſtit. *Finis* aliquando nullus eſt, ut in peccatis caſuali-

2. Actuale.

R bus,

bus, *Numer.* 35. v. 23. & iis, quæ nobismet ipsis occulta sunt, *Psal.* 19. v. 13. aliquando est apparens aliquod bonum *Ioh.* 16. v. 2. *Effecta* sunt, peccata consequentia, pœnæ temporales & æternæ, itemque damnum, quod in alios inde redundat. *Subjectum* sunt actiones animæ & corporis. *Adjuncta* enumerari possunt varia: nam est occultum, & cognitum: regnans, & non regnans, remissibile & irremissibile.

Divisiones peccati Actualis respectu. 1. Efficientis. Ex topicâ hâc Peccati Actualis descriptione, diversæ ejusdem divisiones, in Scripturis traditæ, emergunt. Etenim respectu
1. *Efficientis* distinguitur *primò* in illud, quod *sola animâ*, ut pravæ cogitationes, *Matth.* 15. v. 19. & concupiscentiæ, *cap.* 5. v. 28. & istud, quod *animâ & corpore simul* admittitur; qualia sunt, quæ inquinamenta carnis & Spiritus dicuntur, 2 *Corinth.* 7. v. 1. cædes,
2. adulteria, furta. *Deinde*, in peccatum *ignorantiæ*, quod ex ignorantiâ admittitur, sive *Iuris*, & voluntatis Divinæ, *Luc.* 12. v. 48. uti fuit peccatum Pauli nondum conversi, 1 *Tim.* 1. v. 13. sive *facti*; *Psalm* 19. vers. 13. & peccatum *scientiæ*, patratum vel contrà *scientiam* à scientibus, ut abnegatio Petri, *Matt.* 26. v. 70. *& seqq.* vel insuper contrà *conscientiam*, à scientibus & volentibus: ut
2. Materiæ. adulterium Davidis 2 *Sam.* 11. Respectu *Materiæ*, seu Objecti, aliud committitur in *Deum*, ut Idololatria Aaronis & populi, *Exod.* 32. blasphemia Filii Israëlitidis, *Levit.* 24. & quicquid omninò fit contrà primam Legis tabulam: aliud in *proximum*; ut Fratricidium Cajini, *Genes.* 4. rebellio Absolomi, 2 *Sam.* 15. maledicta Simei: *cap.* 15. aliud in *nos ipsos*, ut scortatio omnis, teste Apostolo, 1 *Cor.* 6. v. 18. αὐτοχειρία Saulis 1 *Sam. ult.* Re-
3. Formæ. spectu *Formæ* peccatum Actuale dicitur per se, vel per accidens.
1. *Per se*, quicquid Lege Dei prohibetur *Exod.* 20. *per totum.* *Per accidens*, quod Lege quidem præceptum, eóque bonum est; interim aliqua boni circumstantiâ deficit; vel in *Efficiente*, quoties non procedit ex fide, *Rom.* 14. v. 23. ut bonæ actiones Ethnicorum, *Rom.* 2. v. 14. 15. & eorum, qui Libertatem Christianam non intelligebant, *cap.* 14. vel in *modo*, cum fit absque internâ cordis obedientiâ, ut justitia illa Pharisaica, de quâ est *Matth.* 5. vel etiam in *fine*, cum non refertur ad Dei gloriam, 1 *Cor.* 10. v. 31. sicut Pharisæi Eleemosynam dabant in plateis, ut gloriam consequerentur ab hominibus *Matth.* 6. v. 2. *Secundò* peccatum Actuale
2. à Formâ est *Commissionis* vel *Omissionis*, cum committitur malum,

&

& omittitur bonum, *Rom.* 3. v. 10. *& seqq.* contrà dictum *Psal.* 34. v. 15. *Desiste à malo, & fac bonum. Illud* patratur adversus interdicta Legis, *hoc* adversus ejus præcepta. *Illud* actuale dicitur directè & per se, *istud* reductivè, & analogicè. Respectu *Finis* aliud est *casuale* ac fortuitum: de quo vide, *Num.* 35. v. 21. aliud *destinatum*, quoties ex proposito peccatur: ut peccavit Absolon, 2 *Sam.* 15. Achitophel, *cap.* 17. v. 23. Judas *Marc.* 14. v. 10. Respectu *Effecti*, peccatum *levius* vel *gravius* habetur, pro damni dati levitate aut gravitate. Hùc pertinet Seductio Bileami, *Num.* 25. Numeratio populi à Davide instituta, 2 *Sam.* 24. cultus vitulorum, à Jeroboamo introductus 1 *Reg.* 12. Respectu *Subjecti*, aliud Spirituale est, aliud carnale 2 *Cor.* 7. v. 1. *Spirituale*, hæresis, superbia: *carnale*, ebrietas, scortatio: quod carnale dicitur κατ' ἐξοχὴν, quia in eo bruta carnis voluptas spectatur. Sic aliud est in *mente*, *Matth.* 9. *v.* 4. aliud in *voluntate*, *cap.* 5. *v.* 28. aliud in *sensualitate*, *ibidem*; aliud in *gestibus*, v. 29. 30. aliud in *dictis* *v.* 22. aliud denique in *factis vers.* 32. Respectu *Adjuncti*, I. distinguitur in Occultum & Cognitum. *Occultum* est, quod latet tùm agentem, tùm alios, *Psal.* 12. *v.* 13. aut alios quidem, non tamen agentem, *Ios.* 7. *v.* 19. *Actor.* 5. *v.* 2. 1 *Tim.* 5. *v.* 24. *Cognitum* item, vel agenti tantùm, *Ios.* 7. v. 19. vel agenti simul & aliis *Matth.* 18. v. 8. notum est. II. Distinguitur in regnans, & non regnans, ex Apostolo *Rom.* 6. v. 12. *Regnans* est, quod dominatur in homine, & cui servit ipse absque resistentiâ *Luc.* 11. v. 31. Hoc qui facit, dicitur facere peccatum, id est datâ operâ, & cum voluptate peccare, 1 *Ioh.* 3. *v.* 8. eóque peccati servus esse *Ioh.* 8. v. 34. *Non regnans* est, cui resistitur per gratiam Spiritus Sancti vel saltem cui non servitur ab iis, qui in illud incidunt. Talia sunt peccata & lapsus renatorum, quamdiu in carne militant: quos proinde Joannes negat peccare, nempe peccato regnante 1 *Ioh.* 3. v. 9. III. distinguitur in Remissibile & Irremissibile. *Remissibile* est, cui contingit remissio propter satisfactionem Christi fide apprehensam *Act.* 26. v. 18. Hinc *nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Iesu Rom.* 8. v. 1. *Irremissibile* est, cui non contingit remissio. Et hoc rursus duplex est; *Commune*, in quo reprobi omnes promiscuè pereunt: & *singulare* illud, quod Christus *blasphemiam in Spiritum S. Matth.* 12. v. 32. *Marc.* 3. v. 29. Paulus *voluntariam apostasiam*, *Heb.* 6. v. 4. *& seqq. cap.* 10. v. 26. *& seqq.* Joannes

[Margin notes: 4. Finis. — 5. Effecti. — 6. Subjecti. — 7. Adjuncti. 1. — 2. — 3.]

nes *peccatum ad mortem*, 1.*Epist*.5.v.16.nuncupat.Ex quorum locorum collatione intelligitur, *peccatum in Sp. S.* esse veritatis Euangelicæ, de quâ quis in conscientiâ suâ convictus est, totalem abnegationem, detestationem, & oppugnationem; non ex communi infirmitate humanâ, sed ex singulari malitiâ, & odio ejusdem prorsus diabolico profectam. *Objectum* igitur Peccati hujus non est Lex, sed Euangelium *Hebr.* 10. *v.* 28.29. agnitum, & in conscientiâ per Spiritum Sanctum confirmatum, sive accesserit externa confessio oris, *Hebr.*6.& 10 sive non *Matth.* 12. Atque hæc caussa est, quod peculiariter in Sp. S. admitti dicitur: Nam fit contrà propriam ipsius operationem, quæ est illuminatio mentium in agnitionem Euangelii. *Irremissibile* autem vocatur, quia Christo teste, non remittitur in æternum, *Marc.*3.*v.*29. neque in hoc, neque in futuro seculo *Matth.*12.*v.*32 Est enim illud impossibile, *Heb.*6.*v.*4. tùm Dei, tùm Mediatoris Christi, tùm ipsorummet peccantium respectu. Nam *Deus*, quia is est, qui se non patitur irrideri, *Gal.* 6. *v.* 7. finali cæcitate & impœnitentiâ justo judicio eos punit. Et *Christus*, quem semel malitiosè conculcârunt, aliam pro peccatis hostiam non habet *Hebr.* 10. *v.* 26. *Ipsi* autem, quandoquidem oderunt & aversantur Euangelium, percipere nequeunt salutarem ejus virtutem. Rectè ergò monet Johannes, nè remissio hujus peccati à Deo petatur, 1.Epist.5. *v.*16. utpote quæ petitio contraria futura esset voluntati ipsius, v. 14. & peccatum ad mortem emphaticè vocat: quia in eam certissimè absque ullâ spe veniæ incidit, quisquis in illud incidit. Ad distinctionem peccati in remissibile & irremissibile, revocari sano sensu potest altera pervulgata, in *veniale* & *mortale*: nimirum, si *veniale* dicatur ab eventu id, cujus veniam peccator consequitur: *mortale* itidem ab eventu, cujus veniam peccator non consequitur. Secus si accipiatur de peccato, quod naturâ suâ dignum pœnâ vel indignum sit, contradicit Scripturæ, omnia universim peccata qualia qualia sint, mortalia pronuncianti, *Deut.* 27. *v.* 26. *Rom.* 6. *v.*23. *Matt.*5.*v.*19. eóque necessariò falsa est. Ex his tàm variis peccati Actualis divisionibus liquet, *non* esse illud *æquale*, sed gradibus distinctum, pro objecti, agentis, & actionis ipsius conditione. Quod & Christus expresè docet, *Iohan.*19.*v.*11. & pœnarum inæqualitas, *Luc.* 12. *v* 47.48. *Matth.*10.*v.*15.*cap.*11.*v.* 22.*cap.*23.*v.* 14. liquidò evincit.

Peccatum in Spiritum S.

Irremissibile est.

Distinctio Peccati in veniale & mortale qualis.

Peccata actualia inæqualia

Sequi-

Sequitur Loci hujus de Peccato Usus.

I. Ad Διδασκαλίαν : *Peccatum res est iniquissima; quia ipsa ἀνομία* 1. Johann. 3. v. 4. *& injustitia : fœdissima, utpote totum hominem, naturam & actiones ejus, polluens,* Romanor. 3. v. 10. & seqq. *Deumque ab ipso avertens,* Esa. 59. v. 2. *maximè etiam exitialis, quæ hominem reddit exsecrabilem,* Deut. 27. v. 26. *ac iræ filium* Eph. 2. v. 3 *Nullum leve putandum est, cum etiam in minimo totius Legis deprehendatur transgressio* Jacob. 2. v. 10. *Nullum veniale per se censendum, quia omne habet reatum mortis* Rom. IV. 32. cap. 6. v. 23. *Sunt ei subjecti omnes homines,* Roman. 3. v. 10. & seqq. *infantes & adulti,* Rom. 5. v. 14. *inde à pueritiâ,* Genes. 8. v. 21. *ab utero,* Esa. 48. v. 8. *imò in utero* Psal. 51. v. 7. *Ex quo est illa ad bonum cogitandum & patrandum ἀδυναμία,* 2. Cor. 3. v. 5. *ac mors in peccatis* Eph. 2. v. 1. Coloss. 2. v. 13.

II. Ad Παιδείαν : *Agnoscamus igitur externam fœditatem & miseriam nostram, nosque coram Deo humiliemus, exemplo Davidis,* 2. Sam. 12. v. 13. *Danielis,* cap. 9. v. 5. & seqq. *Publicani* Luc. 11. vers. 13. *Ipsius gratiam in Christo desideremus, exemplo eorundem.* Vide Psal. 51. v. 8. & seqq. *Inprimis verò petamus Spiritum Sanct. ut qui ex carne carnales, per Spiritum fiamus Spirituales* Johann. 3. v. 5. 6. *Mortificemus hujus virtute veterem illum hominem,* Rom. 6. v. 4. 5. 6. Coloss. 3. v. 5. 6. & seqq. *resistamus cupiditatibus ejus, nè in nobis regnent,* Rom. 6. v. 12. *exemplo Pauli* cap. 7. *Caveamus incredulitatem & superbiam, tanquàm omnis mali fontes,* Genes. 3. *denique quantò plus imperfectionis in nobis ex peccato sentimus reliquum, tantò diligentius ad amissæ, sed cum auctario recuperandæ, perfectionis metam contendamus, exemplo Apostoli* Romanor. 7. 1. Corinth. 9. Philip. 3. vers. 14.

III. Ad Ἐπανόρθωσιν : *Nè in Deum, aliosve, peccati culpam transferamus, cujus ipsimet rei sumus,* Jacob. 1. v. 13. *exemplo* Protoplastarum Genes. 3. v. 12. &c. *Nè judicia Dei criminemur, cum peccata peccatis punit,* 2. Sam. 12. v. 11. & seqq. Rom. 1. v. 24 26. 28. 2. Thess. 2. v. 11. 12. *quæ etiam tunc justissima sunt,* ibidem. *Nè nos aliis ducamus meliores, exemplo Pharisæi,* Luc. 18 v. 11. *cum æqualiter simus per peccatum corrupti,* Roman. 5. v. 12. *filii iræ, sicut cæteri.*

Ephes.2.v.3. *Nec integritati nostræ, sed Dei gratiæ adscribamus, quod non sumus rapaces, injusti, mœchi* Luc. 8. v. 11. *Peccatum Originale nè negemus contrà Scripturam*, Rom. 5. v. 12. & seqq. *etsi modum propagationis per omnia non capimus*, argumento locorum Rom. 11. v.37. 1 Cor. 15. *Nec extenuemus corruptionem ejus, quasi reliquæ sint per eam vires ad bonum, quæ nullæ sunt.* Genes. 6. vers. 5. cap. 8. v. 21. Roman. 3. vers. 23. cap. 8. vers. 7. 1 Corinth. 2. vers. 14. 2 Cor. 3. v. 5.

IV. Ad Παράκλησιν: *Sicut circà propagationem peccati & mortis, comminationum; ita circà communicationem justitiæ & vitæ, promissionum Divinarum certa est & immota veritas* Romanor. 5. v. 15. & seqq. *Peccatum etiam non amplius nobis mortale, sed veniale est; quia nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo* Rom. 8. v. 1. *Idque per gratiam Dei, quâ præteritis Angelis nos complexus est* Heb. 2. v. 16. Luc. 2. v. 14. *Quod si etiam peccamus, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum* 1 Joh. 2. v. 1.

LOCUS

LOCUS NONUS
De
POENA PECCATI.

Peccatum excipit Pœna, *quæ est passio ex ordine Iustitiæ Divinæ peccatori inflicta.*

Estque vel Diabolorum, *vel* Hominum.

Pœna Diabolorum *est, quod domicilio ac felicitate cœlesti exclusi, catenis caliginis in tartaro detinentur, ibique immensis cruciatibus torquentur.*

Pœna Hominum, *in* Temporalem & Æternam *subdistinguitur.*

Temporalis *est, quam in hâc vitâ homines perpetiuntur, circà animæ, corporis, & fortunæ bona.*

Æterna *est, quæ post hanc vitam in inferno ipsis parata est; ubi vermis eorum nunquam moritur, nec ignis exstinguitur.*

EXEGESIS.



POEna *Peccati* in Scripturâ *Mors, Genes.* 2. v. 17. *Rom.* 6. 23. & *malum,* absque additione; *Amos.* 3. v 6. *Esa.* 45. v. 7. in communi usu *Malum Pœnæ* vocatur. *Mors* quidem, quia peccantis est destructio. *Malum* autem, quia pæna mala, id est, molesta est patienti: cum in se, suoque genere bona sit, tanquam proprium effectum justitiæ Divinæ. Unde liquet, cum malum in Culpæ & Pœnæ distinguitur, esse tantùm distinctionem vocabuli æquivoci in sua æquivocata; non autem generis univoci in suas species. Malum enim non univocè, sed æquivocè de turpi & molesto dicitur.

Efficiens Pœnæ est *Deus*, justus ille judex, 2 *Tim.* 4. v. 8. qui peccatoribus pro peccatis retribuit *Rom.* 2. v. 8. & *seqq.* 2 *Thess.*

1. v. 6. & seqq. Cujus jus est, ut qui faciunt peccata digni sint morte, *Rom.* 1. v. 32. adeóque qui vindictam peccatorum sibi ut propriam vindicat *Rom.* 12. v. 19. *Impulsiva* est ipsum peccatum, primum; ortum; Originale, actuale *Genes.* 2. v. 17. *cap.* 3. v. 16. 17. Caussæ *instrumentales* sunt omnes creaturæ, quæ Deo in exsecutione Judiciorum, ut exercitus suo Imperatori parent *Exod.* 7. & *seqq. capp. Matth.* 8. v. 8. 9.

Materia.

Materia, sive Subjectum, sunt *primò* creaturæ rationales, peccati reæ: *Ezech.* 18. v. 4. *deinde* ea, quæ ad illarum usum ac famulitium spectant *Genes.* 3. 17. & *seqq.*

Forma.

Forma consistit in passione, quæ actioni, id est punitioni respondet secundum subjecti modum; sive illa sit subtractio boni, sive inflictio mali.

Finis.

Finis est declaratio Justitiæ Dei, 2 *Thess.* 1. v. 6. & *seqq.* Prov. 16. v. 4. quæ certè non appareret, si ipse peccatum impunitum relinqueret.

Pœnæ Diabolorum.

Pœnam Peccati è Subjectis distinguimus in *Diabolorum* & *Hominum*. De *Pœna Diabolorum* hæc ferè tradit Scriptura: I. Quod exclusi sint domicilio cœlesti, eòque felicitate, quâ isthic fruebantur, privati. Ita enim justo Dei judicio factum testatur Judas, v. 6. ut qui originem suam reliquerant, domicilium quoque relinquere cogerentur. II. Quod in tartarum, hoc est, in locum damnatorum detrusi sint, 2 *Petr.* v. 4. quem locum alibi Scriptura *gehennam*, *Matt.* 5. v. 29. *gehennam ignis*, v. 22. *tenebras exteriores*, *c.* 8. v. 12. *ignem æternum*, *cap.* 25. v. 41. *abyssum*, *Luc.* 8. 31. *infernum*, *Luc.* 16. v. 23. *locum tormenti*, v. 28. *stagnum ignis* & *sulphuris*, *Apoc.* 20. v. 10. nuncupat. De situ verò ejus definitè nihil, sed id tantùm docet, quod à cœlo beatorum remotissimus sit *Luc.* 16. v. 23. 26. III. Quod illo in loco horrendis sempiternisque cruciatibus torqueantur *Apoc.* 20. *v.* 10. 14. *Matth.* 25. v. 41. Interim à judicio magni illius diei cruciatus opperiuntur graviores. *Iud. v.* 6. 2 *Petr.* 2. *v.* 4. atque etiam nunc horrescunt: *argumento loci Matth.* 8. *v.* 21. Et gehenna, quæ nunc carcer est, *Apoc.* 20. *v.* 7. 1. *Petr.* 3. *v.* 19. ex quo dimittuntur per intervalla, *Apoc.* 20. *v.* 3. ut in aëre, *Eph.* 2. *v.* 2. *cap.* 6. *v.* 12. *Luc.* 10. v. 18. vel in terrâ, *Iob.* 1. *v.* 7. 1 *Petr.* 5. *v.* 8. *Marc.* 5. *v.* 10. *Luc.* 11. *v.* 24. vagentur ad nocendum hominibus, *Iob.* 1. sive ad eos seducendos: 1. *Petr.* 5. *v.* 8. tunc erit stagnum ignis & sulphuris, ex quò nunquàm emittantur, sed

ſed ubi torqueantur die ac nocte in ſecula ſeculorum *Apocal.* 20. verſ. 10.

Pœnam Hominum diſtinximus in *temporalem* & *æternam*. Quæ diſtinctio æquipollet alteri Mortis, in primam & ſecundam *Apoc.* 2. v. 11. *cap.* 20. v. 14. Ne duplex pœna eſt, ſed unica: quæ in hâc vitâ ſecundum initium, in alterâ ſecundum complementum irrogatur. Complectitur igitur *Pœna temporalis* omnem illam miſeriam, cui homines propter peccatum in hâc vitâ ſunt ſubjecti. Eſtque in *animâ*, mors ſpiritualis peccati, *Epheſ.* 2. v. 1. *Coloſſ.* 2. v. 13. & qui eam ſequuntur conſcientiæ angores, *Eſa.* 57. v. 24. 25. *Rom.* 2. v. 15. In *corpore*, defectus & vitia membrorum; morbi, ſitis, fames &c. In *externis*, infamia, paupertas. In *viris* peculiariter, moleſtia & labor cum ſudore, non tantùm in terrâ ſterili colendâ, ſed in quovis vitæ genere exercendo *Geneſ.* 3. v. 19. In *fœminis*, dolores partus v. 16. *Ioh.* 16. v. 21. Denique *mors prima*, quâ anima à corpore horrificâ divulſione ſeparatur, ipſumque compoſitum deſtruitur *Rom.* 6. v. 23.

Pœna Hominum.

I. Temporalis.

Pœna ſive *Mors æterna*, quam *mortem ſecundam* vocat Scriptura *Apoc.* 20. v. 14. incipit ſecundum *animam*, ſimulac ex hâc vitâ diſceſſum eſt, *Luc.* 16. v. 23. ſecundum *corpus*, *& totum hominem*, in reſurrectione mortuorum, *Iohann.* 5. v. 29. tribuſque partibus continetur. *Prima* eſt, perpetua ſeparatio à gratioſà Dei præſentiâ *Matth.* 25. v. 41. *cap.* 7. v. 23. *Diſcedite à me maledicti, qui operam d uis iniquitati. cap.* 8. *v.* 11. 12. *Ejicientur in tenebras exteriores, è regno cœlorum &c. Altera* eſt, detruſio in infernum, *Matth.* 25. v. 41. *Diſcedite in ignem æternum. cap.* 8. v. 12. *Ejicientur in tenebras exteriores. Apocal.* 20. v. 14. *Conjicientur in ſtagnum ignis & ſulphuris. Tertia* eſt, perpeſſio infinitorum cruciatuum, ex pleno ſenſu iræ Dei adverſus peccata. Atqui hi cruciatus adumbrantur typis, ignis æterni, *Matth.* 25. v. 41. inexſtinguibilis, *Marc.* 9. verſ. 44. vermis nunquàm morientis, *ibidem*; tenebrarum exteriorum, ubi eſt fletus & ſtridor dentium, *Matth.* 8. verſ. 12. flammæ & ſitis *Luc.* 16. v. 24. Etſi autem in animâ futuri ſunt principaliter; *corpus* tamen illorum expers non erit: *partim*, quia animæ in patrandâ iniquitate fuit inſtrumentum, *Romanor.* 6. v. 12. *partim* quia ſuppoſiti, quod peccavit, pars eſt eſſentialis. An verò igne aliquo materiali uſtulandum ſit, cùm Scriptura diſertè non affirmet, nos quoque id in medio relinquimus.

II. Æterna.

Afflictiones piorum.

Hæc de Pœnâ Peccati propriè dictâ hactenus. Ad eam verò referri solet *ἀναλόγως Crux piorum*, quæ *specialiter* quidem ex usu Scripturæ persecutionem ob confessionem Euangelii, at *generaliter* omnes ipsorum afflictiones notat. Hanc quò minus *Pœnis propriè dictis* annumeremus, faciunt propria ejus requisita: qualia sunt: *quod* proficiscitur à Judice irato. II. *quod* in satisfactionem pro peccato, & ipsius peccatoris exitium cedit. Neutrum siquidem de eâ verè potest enunciari. Non *primum*: quia Crux non à Judice, sed à Patre immittitur. *Quis enim est filius, quem non castiget pater? Heb.* 12. v. 7. eôque non irato, sed placato, utpote cui per mortem Filii unigeniti reconciliati sumus *Rom.* 5. v. 10. Non *secundum*: quia nulla condemnatio, atque ita satisfactio, incumbit iis, qui sunt Christo Jesu *Roman.* 8. vers. 1. Omnia verò ipsis cooperantur in bonum, v. 28. ut qui etiam castigantur à Domino, nè cum mundo pereant 1 *Cor.* 11. v. 32. Et si esset *satisfactio, aut* duplicem Deum exigeret; quod est contrà ipsius justitiam: *aut* satisfactio Christi imperfecta esset: quod est contrà veritatem in Scripturâ revelatam *Heb.* 10. v. 14. 1 *Ioh.* 1. v. 7. Atque hoc etiam de morte temporali Piorum intellectum volumus; quam cùm *beatam* Scriptura, *Apoc.* 14. v. 13. & *preciosam in oculis Iehovæ*, *Ps.* 116. v. 15. prædicet singulariter; nulla equidem ratio patitur, ut pœnalis habeatur. Distinguitur Crux Piorum in Τιμωρίαν quam alii Παιδείαν appellare malunt, Δοκιμασίαν, & Μαρτύριον. Τιμωρία est paterna vitiorum castigatio: de quà loquitur Apostolus, *Hebr.* 12. v. 6. *& seqq.* & ipse Deus, 2. *Samuel.* 7. v. 14. 15. his verbis: *si perversè egerit, corripiam eum virgâ hominum, & plagis humanis: at benignitas mea non amovebitur ab eo. Finis* est, ut pii agnoscant, deplorent peccata sua, & ab iis resipiscant: doment carnem effrenem: & in agnitione sancti illius ac benigni Patris amplius proficiant. *Exempla* sunt in Mose, *Num.* 20. v. 12. Aarone, *ibidem*; Davide, 2. *Sam.* 13. 15. 16. 24. *capp.* & aliis. Δοκιμασία est pietatis ipsorum exploratio: sicut dicitur *Psalm.* 11. *vers.* 5. *Iehova justum explorat*: & persecutiones inde tentationes, fideique explorationes vocantur *Iacob.* 1. v. 2, 3. 1 *Petr.* 1. v. 6, 7. *Finis* est, ut proficiant in pietate: confirmentur de perseverantiâ in fide, & salute: exempla præbeant aliis fidelibus imitationis, materiamque consolationis: reprobos denique de Exitii futuri gravitate convincant. *Exempla* sunt, in Abrahamo,

Non habent requisita pœnæ propriè dictæ.

Neque sunt satisfactoriæ.

Piorum Mors qualis.

Τιμωρία.

Δοκιμασία.

brahamo, *Genes.* 22. Jobo, *cap.* 1. 2 & aliis. Μαρτύριον est doctrinæ cœlestis per proprium sanguinem obsignatio. Hujus *finis* est, ut confirmetur veritas doctrinæ: demonstretur consolatio, quæ in mediâ morte inde hauritur: alii quoque vel convertantur, vel inexcusabiles reddantur. *Exempla* sunt, in Abele, *Genes.* 4. Stephano, *Actor.* 7. Paulo, 2. *Timoth.* 4. & animabus eorum, qui mactati dicuntur propter Dei Verbum *Apocalyps.* 6. vers. 9.

Usus *hujus Loci est*

I Ad Διδασκαλίαν: *Mors non fuit ab initio, sed per peccatum ingressa est in Mundum* Romanor. 5. vers. 12. & seqq. cap. 6. v. 23. *Deus verè irascitur peccatis, quia odit ea,* Psalm 45. vers. 8. *prohibet,* Exod. 20. *punit,* Deuteronom. 27. vers. 26. Psalm. 5. vers. 5. 6. *pœnis temporalibus & æternis* Deuter. 27. & 28. capp. Matt. 25. v. 41. *In pœnarum irrogatione non est* προσωπολήπτης, *utpote qui nè angelis quidem pepercit* 2. Petr. 2. vers. 4. *Declarat per eas justitiam suam,* Romanor. 1. vers. 32. 2. Thessal. 1. v. 6. 7. *ut totus mundus accinat judici suo;* Justus es, Domine, & justa judicia tua Psal. 119. v. 137.

II. Ad Παιδείαν: *Agnoscamus & deploremus miseriam nostram, in quam per peccatun incidimus: exemplo Apostoli,* Roman. 7. *humiliemus nos coràm Deo, exemplo Davidis,* Psalm. 51. *& Publicani* Luc. 18. vers. 13. *Vitemus consortium impiorum; nè post hanc vitam redigamur in consortium Diaboli, in igne illo infernali* Matth. 25. vers. 41. *Gratias Deo agamus, qui exitialem pœnam nobis, filiis suis, vertit in salutarem crucem* Romanor. 8. v. 1. Johann. 11. vers. 25. *Denique in cruce perpetuò cogitemus, vocari nos ad pœnitentiam,* Mich. 7. vers. 9. Psalm. 89. vers. 33. *excitari ad renunciandum Diabolo, mundo, & carni,* Ephes. 6. vers. 12. 1. Johann. 2. vers. 15. 1. Petr. 4. vers. 17. *in fide, spe, patientiâ, invocatione, exerceri* Psalm. 11. 9. v. 71. Esa. 26. vers. 16.

III. Ad Ἐπανόρθωσιν: *Nè spe veniæ peccemus, aut in peccato perseveremus* Judic. vers. 4. Galat. 6. vers. 7. *Nè Deum gravius quàm pro merito in peccatores animadvertere criminemur*: An judex totius terræ non exerceret jus? Genes. 18. vers. 25. *Nè contrà ipsum murmuremus, exemplo Cajini,* Genes. 4. *sed laudem justitiæ ipsi tribuamus:*

buamus: exemplo Danielis cap. 9. verſ. 7. *Ne etiam tempus gratiæ in hâc vitâ ſecurè aut faſtidioſè tranſmittamus, cum in alterâ futurum ſciamus tempus iræ æternæ* Luc. 16. v. 23. & ſeqq.

IV. Ad Παράκλησιν: *Erigamus nos in omnibus adflictionibus, quod paterna Dei manus nos ferit*, Heb. 12. verſ. 6. & ſequentib. 2 Samuel. 7. verſ. 14. 15. *quæ vulnerare novit, & ſanare*, Hoſ. 6. verſ. 1. *quod in iis præſentiſſimus nobis adeſt.* Eſai. 49. verſ. 15. Johann. 14. verſ. 16. *Vt lætemur etiam in adverſitatibus, & de iis gloriemus*, Romanor. 5. verſ. 3. *exemplo Apoſtolorum*, Actor. 5. verſ. 41. cap. 16. verſ. 25. *quod etiam eadem ſalutem noſtram promovent*; Romanor. 8. verſ. 28. 1 Corinth. 11. verſ. 32. *Certique ſimus, quò plura patimur propter juſtitiam, hoc nos magis conformes reddi Imagini Filii Dei*, Romanor. 8. verſ. 29. *& aſſimilari principi ſalutis noſtræ, qui per perpeſſiones conſummatus eſt* Hebr. 2. verſ. 10.

LOCUS

LOCUS DECIMUS

De

PERSONA & OFFICIO CHRISTI.

Fuerunt Opera Naturæ. Opera Gratiæ *sunt, quæ Deus operatione singulari edit in Ecclesiâ.*

Horum alia in Acquisitione, *alia in* Applicatione *consistunt.*

Acquisitio *facta est per Christum Iesum, in quo accepimus gratiam pro gratiâ.*

In eo distinctè considerantur Persona & Munus.

Persona *una est & singularis, duabus constans naturis,* Divinâ *Filii Dei,* & Humanâ *ex Mariâ Virgine assumptâ.*

Munus *Christi est Mediatio inter Deum & Homines: ad quam peragendam missus à Patre in Mundum, & per Spiritum Sanctum unctus fuit.*

Destinguitur in Propheticum, Sacerdotale, & Regium.

Munus Propheticum *est, quod mysterium redemptionis Ecclesiæ suæ plenè revelavit in Euangelio; Legem etiam à variis corruptelis repurgavit.*

Munus Sacerdotale *est, quod passione ac morte suâ satisfecit pro peccatis Electorum, atque etiamnum pro eis apud Patrem intercedit.*

Munus Regium *est, quod gubernat Ecclesiam suam Verbo & Spiritu, eamque contrà omnes hostes tuetur & conservat.*

EXEGESIS.

Opera Gratiæ



Pera Gratiæ Phrasi Scripturæ, χαρίσματα, *Rom* 11.v.29. *cap*.6.v.23. δωρεὰ ἐν χάριτι, *Rom*.5.v.15. δωρήματα, v.16. propriè: impropriè per Metonymiam Efficientis, χάρις, *gratia*, *Iohan*.1.v.16.17. *Actor*.13. v.43. *Hebr*.12.v.15. dicuntur. Eaque vox jam unum aliquod & *singulare gratiæ opus*, *Rom*.5.v.17.modo *totum illorum complexum*, *Ioh*.1.v.14.16.17. designat. Quo sensu non amplius sumus sub Lege, sed sub gratiâ *Rom*.6.v.14. *Afflictiones* etiam propter Christum toleratæ hoc nomine afficiuntur *Phil*.1.v.7.29.

Gratia homonymia.

Efficiens.

Caussa efficiens horum Operum est *Deus*; *Deus gratiosus*, *Exod*. 34.v.6. *Nehem*.9.v.17. *Deus omnis gratiæ*, 1.*Petr*.5.v.10. qui *dives* est *misericordiâ Ephes*.2.v.4. & *miserationum pater* 2.*Cor*.1. v.3. Προηγουμένη est χάρις, *gratia ipsius*, hoc est, gratuita illa benevolentia quâ indignos nos complectitur: *Rom*.3.v.24. *cap*.11. v.6. *Ephes*.2.v.8. *Tit*.2.vers.11. à quâ, tanquàm primâ suâ & principali caussâ, opera hæc denominantur, atque etiam ut effecta apertis verbis distinguuntur *Rom*.5.v.15.16. *cap*.16.v.6. *Psal*.51.v.3.4. Προκαταρκτικὴ est *Christus*, *quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius Rom*.3.v.24.25. Unde donatio per gratiam esse dicitur, unius hominis Jesu Christi, *Rom*.5.v.15. idemque adeò plenus esse gratiæ, ut ex plenitudine ipsius omnes accipiamus gratiam pro gratiâ *Ioh*.1.v.14.16. *Instrumentum* est doctrina *Euangelii*: *potentia Dei ad salutem omni credenti*, *Rom*.1.v. 16. semen illud incorruptibile, ex quo regignimur 1 *Petr*.1.vers. 23. *Administri* sunt, *Euangelii hujus præcones*, qui legatione fungentes pro Christro, habent sermonem gratiosæ reconciliationis, 2.*Cor*.5.v.19. dispensant varia Dei mysteria, 1.*Corinth*. 4.v.1. ejusque gratiam in alios per se agentem, 1.*Corinth*.15.v. 10. *cap*.3.v.5. experiuntur.

Impulsiva interna.

Externa.

Instrumentum.

Administri.

Materia seu Objectum.

Materia circa quam, sive *Objectum* Operum Gratiæ, est varia & Catholica Christi *Ecclesia*; vinculo Spiritus, fidei, & charitatis, capiti suo adunata. Christus enim corporis sui servator est, *Eph*.5. v.23. quod est Ecclesia, *cap*.1.vers.23. cui proinde adjungit quoscunque salvos facere vult *Actor*.2.v.47.

Forma

Forma generalis, sive *communis* horum operum, dari vera non potest. *Specifica* singulorum infrà explicabitur. Forma.

Finis eorum *supremus*, est laus gloriosæ gratiæ Dei. *Ephes.* 1.v.6. *Psal.* 111. v. 1.4. & 149. v. 3.4. sive præconium virtutum illius, qui nos vocavit è tenebris in admirabilem suam lucem 1 *Petr.* 2. v. 9. *Subalternus* est salus Electorum, qui hâc gratiâ servantur *Eph.* 2, v. 8. *Ioh.* 3. v. 16. Finis.

Effecta varia sunt, sed subordinata. Nam *quos præscivit Deus, hos prædestinavit: Quos prædestinavit: hos vocavit, quos vocavit, hos justificavit: quos justificavit, hos glorificavit Rom.* 8. v. 29, 30. Inspiciantur & alia loca, *Rom.* 9. v. 24. & *seqq. Galat.* 5. v. 22. 2 *Petr.* 1. v. 5. & *seqq.* Effecta.

De *Subjecto* distinctè agetur in singulis Operibus. *Adjuncta* Operum Gratiæ censemus: I. Quod *indebita* sunt universa. *Quis enim prior dedit Deo, ut ei reddatur? Rom.* 11. v. 35. Et, *si ex gratiâ, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia* v. 6. II. Quod *redundantissima*. Sunt enim non modo gratia, sed etiam *gratiæ redundantia, Rom.* 5. v. 17. *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato*, 1. *Ioh.* 1. v. 7. *est propitiatio pro totius mundi peccatis, cap.* 2. v. 2. ejusque *Spiritus dux viæ in omnem veritatem, Ioh.* 16. v. 13. *effunditur in omnem carnem, Actor.* 2. v. 17. ut *omnia* nunc *valeant fideles per eum, qui ipsos corroborat, Philip.* 4. v. 13. III. Quod deinde *immutabilia*. Nam *χαρίσματα Dei ἀμεταμέλητα sunt; Rom.* 11. v. 29. & ipse, ut naturâ sic etiam voluntate est immutabilis *Malach.* 3. v. 6. Adjuncta, quod sint. Indebita. Redundantissima. Immutabilia.

Hæc generalis est Operum Gratiæ theoria: quæ speciatim considerata, in *Acquisitione* & *Applicatione* consistunt: prout variis Scripturæ locis distinguuntur *Iohan.* 3. v. 16. *Rom.* 3. v. 24, 25, 26. 2 *Cor.* 5. v. 19.

Acquisitionem factam dicimus per Christum. Is enim *acquisivit Ecclesiam proprio sanguine Actor.* 20. v. 28. Is *redemit nos, non auro, nec argento, sed pretioso sanguine suo*, 1 *Petr.* 1. v. 18, 19. ut *non sit in alio quoquam salus; nec aliud nomen sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari Actor.* 4. v. 12. *Modus* autem Acquisitionis distinctè in *Persona* ipsius, & *Munere* cernitur. Acquisitio operum Gratiæ per *Christum*. Cujus consideranda.

Persona *Christi una* est & singularis. *Vnus* siquidem *est Mediator Dei & Hominum, Homo Iesus Christus;* 1 *Tim.* 2. v. 5. *unum*, non multiplex, *semen illud Abrahæ Gal*, 3. v. 16. Quam unitatem poscebat ratio muneris. Nam qui Deum & homines uniret in fœdere, esse I. Persona, una.

debuit

debuit Deus & Homo in unâ Personâ. Consistit verò una illa Persona *in duabus naturis*, Divinâ Filii Dei, & Humanâ ex Mariâ Virgine assumptâ. Est enim Christus *Immanuel*, Θεάνθρωπος: Deus-Homo, *Esa.* 7. v. 14. *Matth.* 1. v. 28. est *Deus manifestatus in carne*, 1. *Tim.* 3. v. 16. est *Filius Dei factus ex muliere*, *Gal.* 4. v. 4. est *Verbum illud, quod factum est caro Iohan.* 1. v. 14. Quâ de caussâ Filium Mariæ Angelus appellat Filium Dei *Luc.* 1. v. 35. Cumque etiam hæc Christi Persona secundum duas illas naturas, tanquàm duo diversa principia, distinguatur, *Rom.* 1. v. 3. 4. *cap.* 9. v. 5. 1 *Tim.* 3. v. 16. 1 *Petr.* 3. v. 18. tàm verè eas in se continet, quàm verè dici Divinum inesse requirit. Certum igitur & fixum manet, Unam Christi Personam duabus constare naturis: *non ut partibus propriè dictis*, quæ incompletæ sunt respectu totius, (id enim si maximè de Humanâ, de Divinâ tamen natura non rectè dicitur;) *sed ut principiis numero diversis*: sicut ὑπόστασιν Christi σύνθετον, numeri potius, quàm partium respectu, vocârunt Veteres: vel si partes appellare libeat, extraordinariæ dicendæ sunt: Quemadmodum Christus Persona est extraordinaria. Ex quibus jam porrò sequitur, Deum & Hominem non esse disparata in Persona Christi; qualia non sunt unus idemque, nec de se invicem possunt prædicari, sed habere se ut principia unam certam hypostasin constituentia, sive instar partium toti homogenearum. Cur verò Christum *Deum* esse oportuerit, & *Filium Dei*; item *Hominem*, ratio redditur in Scripturâ. Primò, *Deum esse oportuit, ut* satisfactio ipsius esset debito analoga, hoc est, sufficiens & dignum λύτρον pro nostris peccatis, *Actor.* 20. v. 28. *Hebr.* 9. v. 14. 1 *Ioh.* 1. v. 7. *ut* qui est in sinu Dei, gratiosam ejus ergà nos voluntatem plenè nobis revelaret, *Ioh.* 1. v. 18. *ut* etiam Spiritum Sanct. nobis mittere posset à Patre, *Iohan.* 15. v. 26. cujus virtute, meriti ipsius fieremus participes. Deinde *oportuit eundem esse Filium Dei*; *quia* placuit Patri per Filium efficere nos novas creaturas, 2 *Cor.* 5. v. 17. *Gal.* 6. v. 15. sicut initio per eundem nos fecit creaturas, *Ioh.* 1. v. 3. *Coloss.* 1. v. 16. *quia* voluit summam suam erga nos declarare dilectionem, eo, quod proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, *Rom.* 8. v. 32. & *quia* jus ac nomen Filiorum Dei, quod nobis conferre, *Ioh.* 1. v. 12. *Ioh.* 3. v. 1. ipsemet quoque debuit habere. Denique, *Hominem esse oportuit*; *partim* propter Justitiam Dei, quæ postulat,

In duabus naturis.

Duæ naturæ quomodo se habeant ad unam Personam.

Cur Christum oportuerit esse 1. Deum.

2. Filium Dei.

3. Hominem.

ſtulat, ut quæ peccavit natura, luat etiam pro peccatis; *Ezech.* 18. *v.* 20. *partim*, propter ejus veritatem, in comminatione mortis, *Geneſ.* 2. verſ. 17. quam à Mediatore Homine certò obeundam, variis Vet. Teſt. ſacrificiis prænunciârat: *partim* etiam, propter noſtram conſolationem, ut ſciamus talem nobis obtigiſſe Mediatorem, qui ſit frater noſter, *Hebr.* 2. *v.* 11. ejuſdem nobiſcum carnis ſanguiniſque particeps, *v.* 14. tentatus in omnibus ſimiliter, *cap.* 4. *v.* 15. idque hoc fine, ut infirmitatum noſtrarum ſenſu affici poſſit: *ibidem*.

Divina Natura.

Cæterum de *Divinâ* Chriſti *Naturâ* actum jam eſt ſuprà. Eſt illa ipſa Filii Θεότης, ſive πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος, *Coloſſ.* 2. *v.* 9. μορφὴ illa Θεοῦ, *Philip.* 2. *v.* 6. in quâ exſtitit inde ab æterno, *Ioh.* 17. *v.* 5. ſive, loquendo propriiſſimè, ipſa hypoſtaſis Filii Dei, ab hypoſtaſi Patris, & Spiritus Sancti diſtincta: quandoquidem nec Pater, nec Spiritus Sanctus, ſed ſolus Filius incarnatus dicitur *Ioh.* 1. *v.* 14. *Gal.* 4. *v.* 4. *Humana* verò *Natura* eſt μορφὴ illa ſervi, quam accepit, *Phil.* 2. *v.* 7. ſemen illud Abrahæ, quod adſumpſit, *Hebr.* 2. *v.* 16. Caro & ſanguis, cujus factus eſt particeps *v.* 14. *Veritatem* hujus Naturæ oſtendunt, I. *Partes* ejus *eſſentiales*, anima & corpus. Nam & verâ *anima* præditus eſt Chriſtus: utpote quâ triſtatus fuit uſque ad mortem, *Matth.* 26. *v.* 38. quámque moriens Patri commendavit, *Luc.* 23. *v.* 46. & vero *corpore*; quia carnem habuit & oſſa etiam poſt reſurrectionem, *Luc.* 24. *v.* 39. corporis quoque Phantaſmatici opinionem longiſſimè à ſe removit: *ibidem*, & *Matt.* 14. *v.* 26. 27. II. *Partis utriuſque proprietates*, tùm eſſentiales, tùm naturales; quæ Chriſto tribuuntur. *Eſſentiales*: quia *anima* ipſius Spiritualis eſt, & immortalis, *Luc.* 23. *v.* 46. intelligendi, *cap.* 2. *v.* 52. & volendi facultate *Matth.* 26. *v.* 39. pollens. *Corpus*, quantum, viſibile, palpabile, partes extrà partes conſtitutas habens, *Luc.* 24. *v.* 39. *Ioh.* 20. *v.* 27. 1. *Ioh.* 1. *v.* 1. *Naturales*, à ſubjecto ſeparabiles: Nam qui nunc non proficit amplius ſapientiâ, profecit olim, *Luc.* 2. *v.* 52. qui nunc agilitate & gloriâ corporis fruitur, ante iiſdem caruit: *argumento locorum Matth.* 14. *v.* 26. 27. *cap.* 17. *v.* 2. III. *Infirmitates & defectus*; non hujus vel illius individui; ut lepra, *Matth* 8. *v.* 2. cæcitas, *Ioh.* 9. *v.* 1. ſed *totius naturæ*, ex ejuſdem per peccatum corruptione ſuſcepti. Etenim in *animâ* Chriſti fuit triſtitia, *Matth.* 26. *v.* 38. dolor, *Ioh.* 11. 33. timor,

Humana Natura.

Ejus veritas.

In duabus naturis. debuit Deus & Homo in unâ Personâ. Consistit verò una illa Persona *in duabus naturis*, Divinâ Filii Dei, & Humanâ ex Mariâ Virgine assumptâ. Est enim Christus *Immanuel*, Θεάνθρωπος: Deus-Homo, *Esa.*7. v. 14. *Matth.* 1. v. 28. est *Deus manifestatus* in *carne*, 1. *Tim.* 3. v.16. est *Filius Dei factus ex muliere*, *Gal.*4. v.4. est *Verbum illud, quod factum est caro Iohan.* 1. v. 14. Quâ de caussâ Filium Mariæ Angelus appellat Filium Dei *Luc.* 1. v. 35. Cumque etiam hæc Christi Persona secundum duas illas naturas, tanquàm duo diversa principia, distinguatur, *Rom.* 1. v. 3. 4. *cap.* 9. v. 5. 1 *Tim.* 3. v. 16. 1 *Petr.* 3. v. 18. tàm verè eas in se continet, quàm verè dici Divinum inesse requirit. Certum igitur & fixum manet, Unam Christi Personam duabus constare naturis: *non ut partibus propriè dictis*, quæ incompletæ sunt respectu totius, (id enim si maximè de Humanâ, de Divinâ tamen natura non rectè dicitur;) *sed ut principiis numero diversis*: sicut ὑπόστασιν Christi σύνθετον, numeri potius, quàm partium respectu, vocârunt Veteres: vel si partes appellare libeat, extraordinariæ dicendæ sunt: Quemadmodum Christus Persona est extraordinaria. Ex quibus jam porrò sequitur, Deum & Hominem non esse disparata in Persona Christi; qualia non sunt unus idemque, nec de se invicem possunt prædicari, sed habere se ut principia unam certam hypostasin constituentia, sive instar partium toti homogenearum. Cur verò Christum *Deum* esse oportuerit, & *Filium Dei*; item *Hominem*, ratio redditur în Scripturâ. Primò, *Deum esse oportuit, ut* satisfactio ipsius esset debito analoga, hoc est, sufficiens & dignum λύτρον pro nostris peccatis, *Actor.* 20. v. 28. *Hebr.* 9. v.14. 1 *Ioh.* 1. v. 7. *ut* qui est in sinu Dei, gratiosam ejus ergà nos voluntatem plenè nobis revelaret, *Ioh.* 1. v. 18. *ut* etiam Spiritum Sanct. nobis mittere posset à Patre, *Iohan.* 15. v. 26. cujus virtute, meriti ipsius fieremus participes. Deinde *oportuit eundem esse Filium Dei*; *quia* placuit Patri per Filium efficere nos novas creaturas, 2 *Cor.* 5. v. 17. *Gal.* 6. v. 15. sicut initio per eundem nos fecit creaturas, *Ioh.* 1. v. 3. *Coloss.* 1. v. 16. *quia* voluit summam suam erga nos declarare dilectionem, eo, quod proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, *Rom.* 8. v. 32. & *quia* jus ac nomen Filiorum Dei, quod nobis conferre, *Ioh.* 1. v. 12. *Ioh.* 3. v. 1. ipsemet quoque debuit habere. Denique, *Hominem esse oportuit*; *partim* propter Justitiam Dei, quæ postulat,

Duæ naturæ quomodo se habeant ad unam Personam.

CurChristum oportuerit esse 1. Deum.

2. Filium Dei.

3. Hominem.

ſtulat, ut quæ peccavit natura, luat etiam pro peccatis; *Ezech.* 18. *v.* 20. *partim*, propter ejus veritatem, in comminatione mortis, *Geneſ.* 2. verſ. 17. quam à Mediatore Homine certò obeundam, variis Vet. Teſt. ſacrificiis prænunciârat: *partim* etiam, propter noſtram conſolationem, ut ſciamus talem nobis obtigiſſe Mediatorem, qui ſit frater noſter, *Hebr.* 2. *v.* 11. ejuſdem nobiſcum carnis ſanguiniſque particeps, *v.* 14. tentatus in omnibus ſimiliter, *cap.* 4. *v.* 15. idque hoc fine, ut infirmitatum noſtrarum ſenſu affici poſſit: *ibidem*.

Cæterum de *Divinâ* Chriſti *Naturâ* actum jam eſt ſuprà. Eſt illa ipſa Filii Θεότης, ſive πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος, *Coloſſ.* 2. *v.* 9. μορφὴ illa Θεοῦ, *Philip.* 2. *v.* 6. in quâ exſtitit inde ab æterno, *Ioh.* 17. *v.* 5. ſive, loquendo propriiſſimè, ipſa hypoſtaſis Filii Dei, ab hypoſtaſi Patris, & Spiritus Sancti diſtincta: quandoquidem nec Pater, nec Spiritus Sanctus, ſed ſolus Filius incarnatus dicitur *Ioh.* 1. *v.* 14. *Gal.* 4. *v.* 4. *Humana* verò *Natura* eſt μορφὴ illa ſervi, quam accepit, *Phil.* 2. *v.* 7. ſemen illud Abrahæ, quod adſumpſit, *Hebr.* 2. *v.* 16. Caro & ſanguis, cujus factus eſt particeps *v.* 14. *Veritatem* hujus Naturæ oſtendunt, I. *Partes* ejus *eſſentiales*, anima & corpus. Nam & verâ *anima* præditus eſt Chriſtus: utpote quâ triſtatus fuit uſque ad mortem, *Matth.* 26. *v.* 38. quámque moriens Patri commendavit, *Luc.* 23. *v.* 46. & vero *corpore*; quia carnem habuit & oſſa etiam poſt reſurrectionem, *Luc.* 24. *v.* 39. corporis quoque Phantaſmatici opinionem longiſſimè à ſe removit: *ibidem*, & *Matt.* 14. *v.* 26. 27. II. *Partis utriuſque proprietates*, tùm eſſentiales, tùm naturales; quæ Chriſto tribuuntur. *Eſſentiales*: quia *anima* ipſius Spiritualis eſt, & immortalis, *Luc.* 23. *v.* 46. intelligendi, *cap.* 2. *v.* 52. & volendi facultate *Matth.* 26. *v.* 39. pollens. *Corpus*, quantum, viſibile, palpabile, partes extrà partes conſtitutas habens, *Luc.* 24. *v.* 39. *Ioh.* 20. *v.* 27. 1. *Ioh.* 1. *v.* 1. *Naturales*, à ſubjecto ſeparabiles: Nam qui nunc non proficit amplius ſapientiâ, profecit olim, *Luc.* 2. *v.* 52. qui nunc agilitate & gloriâ corporis fruitur, ante iiſdem caruit: *argumento locorum Matth.* 14. *v.* 26. 27. *cap.* 17. *v.* 2. III. *Infirmitates & defectus*; non hujus vel illius individui; ut lepra, *Matth* 8. *v.* 2. cæcitas, *Ioh.* 9. *v.* 1. ſed *totius naturæ*, ex ejuſdem per peccatum corruptione ſuſcepti. Etenim in *animâ* Chriſti fuit triſtitia, *Matth.* 26. *v.* 38. dolor, *Ioh.* 11. 33. timor,

Divina Natura.

Humana Natura.

Ejus veritas.

Marc. 14. v. 33. ira, *Ioh.* 2. v. 14. & *seqq.* In *corpore*, lassitudo ex itinere, *Ioh.* 4. v. 6. sudor, *Luc.* 22. v. 44. lachrymæ *Ioh.* 11. v. 35. *Luc.* 19. v. 41. Ex quibus omnibus id conficitur; sicut Christus secundum Naturam Divinam ὁμοούσιος est Patri; ita secundum Naturam Humanam esse ὁμοούσιον nobis. *Factus est*, inquit Apostolus, *similis fratribus per omnia, Heb.* 2. v. 17. tùm substantia, ut qui particeps est carnis & sanguinis ipsorum, v. 14. tùm quantitate, ut qualitate, actionibus, quia habitu ut homo est inventus *Phil.* 2. v. 8. Eòque Homo, 1 *Tim.* 2. v. 5. *Rom.* 5. v. 15. Filius Hominis, *Ioh.* 3. v. 13. Filius Davidis, *Matth.* 22. vers. 42. passim appellatur.

Et cum nostrâ natura convenientiâ.

Ejusdem à nostrâ naturâ discrepantia, quoad

Eadem tamen Natura Humana *differentiâ* triplici ab aliis hominibus distinguitur; *Efficiente* nimirum, *Materia* & *Proprietatibus.* Quoad *Efficientem*, genita est, non ex voluntate carnis, aut viri, prout alii homines gignuntur naturaliter, *Iohann.* 1. v. 13. sed ex *Spiritu Sancto* sive virtute ipsius: secundum anunciationem Angeli: *Spiritus Sanct. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te, Luc.* 1. *v.* 35. & eventus ipsius veritatem: de quo ita Mattheus: *Maria comperta est gravida è Spiritu Sancto, cap.* 1. *v.* 18. & *v.* 20. *quod in ea genitum est, ex Spiritu Sancto est.* Cooperati quidem sunt in Naturæ hujus formatione Pater & Filius: sunt quippe omnia à Patre, 1 *Cor.* 8. v. 6. qui etiam Filium misit in carnem, *Gal.* 4. v. 4. & Filius is est, per quem omnia facta sunt, & absque quo factum est nihil quod factum est, *Iohan.* 1. v. 3. at Spiritus Sanct. *immediata operatione* eam produxit, & ad summam dignitatem provexit: ut Efficiens ipsius prædicetur quâdam cum ὑπεροχῇ.

I. *Efficientem.* Spiritum S.

Immediatâ Operatione.

Unde tamen Pater Christi dici nequit.

Nec tamen inde Pater Christi secundum Humanam Naturam dicitur: quia non genuit ipsum ex suâ substantiâ, aut sibi naturâ similem; sicut Adamus genuit Sethum ad imaginem & similitudinem suam *Genes.* 5. v. 3. Et Apostolus Christum ἀπάτορα vocat, *Hebr.* 7. v. 3. non modò, quod genitus non sit ex voluntate viri, *Ioh.* 1. v. 13. sed etiam quia non genitus à Spiritu Sancto, tanquàm Patre propriè dicto. Quoad *Materiam* formata est, non ex Viro & muliere simul, qui materiam conferunt in generatione communi, producendis corporibus, quibus infundatur anima: sed *tantùm ex Muliere.* Quo sensu Christum *ex muliere factum*, docet Apostolus, *Gal.* 4. *v.* 4. & eundem *semen Mulieris*, *Genes.* 3. *v.* 15. *fructum ventris ipsius*, *Luc.* 1. *v.* 42. Scriptura nuncupat. Et sanè eo modo ipsum concipi fuit necessum. Modus siquidem ordi-

II. *Materiam.*

tantum ex Muliere.

Et quare.

ordinarius non fit absque peccato, *Ioh.* 1. *v.* 13. servit propagationi ejus, *Iohan.* 3. *v.6.* Christus autem esse debuit expers omnis peccati *Hebr.7.v.26.* Illo quotquot generantur, ut matrem, sic Patrem ortus sui principium habent. At Christus ἀπάτωρ esse debuit secundum hanc Naturam, sicut ἀμήτωρ est secundum alteram Divinam, *Hebr.*7.v.3. quod inconveniens esset, unius numero Personæ plures uno esse & recenseri Patres. Denique, Personam planè extraordinariam, quæ Deus sit & Homo, non alii quàm extraordinariâ geniturâ edi oportuit.

Porrò *Mulier illa* esse debuit Gente & Tribu Judæa; Familiâ, Davide ortâ; Statu Virgo, sed desponsa. *Gente Iudæa*: Nam *ex Iudæis est Salus*, *Ioh.*4.v.22. *horum sunt promissiones & Patres; ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet*, *Rom.*9. *v.*4.5. *Tribu insuper*; ex vaticinio Jacobi, *Genes.* 49. v. 10. quo Messias futurus dicitur *Schiloh*, filius Judæ. *Familia*, *Davide orta*; quia Davidi facta promissio, proditurum è visceribus ipsius semen, cujus regnum stabiliturus sit Deus, usque in seculum 2 *Sam.* 7. v.12.*& seqq.* Eaque toties iterata est per Prophetas, ut Christus inde non modo *semen*, *germen Davidis*, sed etiam *David* apppelletur, *Ierem.* 30. v. 9. *Ezech.* 34. v. 24. *cap.* 37. vers. 24. *Statu* sive conditione *Virgo*; quandoquidem prædixit Esaias, Virginem concepturam, & parituram Filium, cujus nomen vocetur Immanuel *cap.*7.v. 14. Talis tamen, quæ *desponsa* jam esset Viro: nè aut Filius, tanquàm spurius, in muneris sui administratione impediretur, *Deut.*23. v.2. aut ipsi velut adulteræ, crimen capitale intentaretur *Levit.* 20.v.10. Quæ omnia in *Mariam*, Matrem Christi, exactè quadrant testimonio Euangelistarum, *Matthæi*, *cap.* 1. v. 16. 18. *& seqq. Lucæ*, *cap.*1. v. 27. *& seqq. cap.* 2. v. 4. 5. Hanc præ aliis ejusdem Gentis, Tribus, Familiæ, Status, mulieribus delegit Deus; quod gratiâ suâ eam complecteretur. Unde Angelus nunciat, esse ipsam in gratiâ apud Deum, v. 30. ab eâque τὴν κεχαριτωμένην denominat v.28. Illam ipsam Virginem Spiritus S. ex decreto Dei, post denunciationem Angeli fide acceptam, v.38. inumbravit Nazarethæ, v. 26. inumbrandoque ita fœcundavit, ut ex suo sanguine, sive semine, Christum conciperet. Quod quidem certo ordine effectum dedit. Nam *primò* præparavit semen ipsius, sanctificando illud, & in uterum, locum conceptionis, derivando. *Posteà* successivâ formatione ex semine illo carnem eduxit,

Mater Christi fuit. Gente } Iudæa. Tribu }

Familiâ Davide ortâ.

Statu Virgo,

Sed desponsa.

Conceptio Christi quo ordine facta.

eduxit, carni speciei humanæ lineamenta impressit, sicque dispositam animâ ex nihilo creata animavit, circa quadragesimum secundum, plus minus, à conceptione diem. Etsi verò sententia illa, de *successiva Naturæ Humanæ productione*, multis improbatur, qui omnia illa momento facta fuisse volunt: Scripturæ tamen maximè videtur consentanea. Etenim, si Christus, teste Apostolo, in Naturæ humanæ adsumptione factus est nobis similis, per omnia, excepto peccato; quidni in ordine assumptionis? Si tempus gestationis ordinarium fuit: quidni ordinarium quoque censeatur tempus formationis? Si etiam corpus, in & extrà Verginis uterum, certis incrementi gradibus provectum perfectumque fuit: quod & Scriptura docet, *Luc.* 2. *v.* 6.40. *&* 52. & omnes agnoscunt: quorsum fingamus diversum accidisse in formatione, aut gradus ejus aboleamus? Nec enim miraculosæ conceptionis ratio in momentaneâ naturæ humanæ secundum omnes partes productione, sed in eo consistit; quod Virgo concepit absque viro; peccatrix absque peccato; Homo Deum. Neque etiam inde personalitatem quis naturæ Humanæ jure vindicaverit. Quia ut ante conjunctionem cum animâ, corpus esse nequivit Persona, quæ est ὑφιστάμενον νοερόν: ita post eam tùm demum cum animâ Personam constituisset, si vel ad momentum seorsim substitisset, non autem statim à λόγῳ assumptum fuisset. Quoad P*roprietates*, id Humanæ Christi naturæ fuisse dicimus peculiare, quod Sancta fuit inde ab utero atque ἀνυπόστατος. De *Sanctitate* loquitur Angelus *Luc.* 1. *v.* 35. *Quod ex te nascetur, Sanctum erit,* quia *Spiritus Sanct. superveniet in te.* Et Petrus, 1. *Epistol.* 1. vers. 19. dùm Christum agnum inculpatum & incontaminatum nominat. *Talis* namque *decebat nos* P*ontifex*, *Sanctus*, *impollutus*, *segregatus à peccatoribus: cui non opus esset victimas offerre pro peccatis propriis*, *Hebr.* 7. vers. 26. 27. & in quo complacitum esset Patri, *Matth.* 3. vers. 17. ut valere posset ejus victima pro peccatis populi. *Semen* quidem illud, ex quo corpus Christi formatum est, ut à Peccatrice decisum, sic peccato, saltem quoad dispositionem, fuit infectum. At Spiritus Sanct. præparando illud repurgavit ab omni labe inhærente; atque etiam principia infirmitatum, toti speciei communium, quæ manserunt in semine, ab ἀνομίᾳ ἢ ἀταξίᾳ ita secrevit; ut quæ in aliis ortu, objecto, & modo, tandem fiunt διάβλητοι, in ipso ordinem

Successivè producta.

II. *Proprietates.*

Sanctitatem.

Semine à labe inhærente repurgato.

nem defectuum ἀδιαβλήτων nunquàm egrediantur. *Imputatio* verò Peccati Adæ, quæ prior & potior Peccati Originalis pars est, circà Christum meritò cessavit. Etsi enim fuit in Adamo non minus quàm cæteri: Nam & *qui sanctificat, & qui sanctificantur ex uno sunt, Hebr.* 2. *v.* 11. scil. Adamo, *Luc.* 3. ex cujus unius sanguine conditum est totum genus humanum, *Actor.* 17. *vers.* 26. non tamen peccavit in Adamo, sicut cæteri omnes, *Rom.* 5. *v.* 12. neque etiam ut filius naturalis per carnalem generationem ab eo descendit *Luc.* 1. *v.* 34. 35. Ut ita *Adamus*, qui aliorum respectu principium materiale est & activum, à quo, & per quem unà cum naturâ corruptio propagatur in posteros; respectu Christi, *principii tantùm Materialis*, naturam communicantis, rationem habeat. Quod ipsum non magis mirum nobis videri debet, quàm alterum quod asserit Apostolus *Hebr.* 7. *v.* 9. 10. Levi in lumbis Abrahæ decimatum, Christo non decimato: qui ipse tamen in iis latebat, ut semen ejus *Gal.* 3. *v.* 16. Jam quod eadem Natura humana ἀνυπόστατος sit, non per se, seorsim sive separatim à λόγῳ, sed in eo subsistens, & ab eo sustentata, ex ante dictis clarum est. Etenim cum unus tantùm sit Christus, *Gal.* 3. *v.* 16. unus Mediator, 1 *Tim.* 2. *v.* 5. unus Dominus *Ephes.*4.v.5. cùm in Christo per gratiam unionis Deus sit Homo, & Homo Deus: cùm etiam de Christo Homine prædicentur quæ sunt Dei, & vicissim: non potest certè Natura Humana esse ὑπόστασις, *Persona*; verùm necesse est, ut in se ἀνυπόστατος, ἐνυπόστατος autem sit in λόγῳ, qui accepit formam servi, *Phil.* 2. *vers.* 7. semenque Abrahæ in Personæ suæ unitatem adsumpsit *Hebr.* 2. *v.* 16. Eo tamen nihil decessit Naturæ Humanæ *perfectioni*: quia mansit substantia, mansit partibus suis & proprietatibus integra, mansit etiam individualis. Imò tantò plus accessit, quantò majus est subsistere in Personâ Creatoris, quàm subsistentia creaturæ.

Et Imputatione cessante.

Adamus principium Christi materiale tantum, non etiam activum.

ἀνυποστασία

Citra ullam imperfectionem.

Ita se habent duæ Christi naturæ seorsim consideratæ; quarum deinceps inter se *Unio* explicanda est. Solet verò illa aliis atque aliis exprimi nominibus. In Scripturâ ἐπίληψις *adsumptio*, *Hebr.* 2. *v.* 16. κοινωνία σαρκὸς καὶ αἵματος, *communio carnis & sanguinis, v.* 14. λαβὴ τῆς μορφῆς δούλου, *acceptio formæ servi*, *Phil.* 2. *vers.* 7. à Patribus, ἕνωσις, σάρκωσις, sive ἐνσάρκωσις, ἐνανθρώπησις, περιχώρησις appellatur. Definimus eam, quod sit *duarum naturarum, Divinæ & Humanæ, conjunctio in unâ Personâ.* Unde

Unio duarum naturarum. Ejus Synonyma.

Definitio.

& καθ' ὑπόστασιν facta, & ὑποστατικὴ sive *personalis* esse, proprio termino dicitur.

Efficiens, tota Trinitas;

Efficiens Unionis est *Deus Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. Est enim *Unitio*, ad quam secuta est Unio, opus ad extrà, tribus Personis commune, non minus quàm ipsa Naturæ Humanæ formatio. Nam *Pater* aptavit Filio corpus *Hebr.* 10. v. 5. *Spiritus S.* Naturam Humanam à se formatam & sanctificatam eidem univit; *argumento loci* Luc. 1. v. 35. ipse denique *Filius* univit eam sibimet, factus caro *Ioh.* 1. v. 14. Verùm sicut circà formationem Naturæ Humanæ peculiaris fuit Spiritus Sancti operatio, ob quam ea non Patri, non Filio, sed ipsi tribuitur: eundem in modum circà Unionem se res habet. Hæc siquidem *Filio* tribuitur *peculiariter*: quandoquidem nec Pater, neque Spiritus Sanctus, sed Filius Solus accepit formam servi, *Philip.* 2. v. 7. Semenque Abrahæ, adsumpsit, *Hebr.* 2. v. 16. in Personæ suæ Unitatem. Quod nihil est aliud, quàm quod is, qui ab æterno est hypostasis secunda essentiæ Divinæ, in tempore Naturæ Humanæ per se ἀνυποστάτῳ factus est ὑπόστασις, eam tanquàm animam & corpus suum sustentans, vivificans, ac in eâ, & cum eâ opera nostræ salutis perficiens. Ita igitur, quæ inchoatione communis fuit unitio, terminatione facta est Filio propria: utpote, in cujus Personâ terminum accepit. Insuper patet, Filium Dei, assumendo Naturam Humanam, non dedisse ei suam ὑπόστασιν sive personalitatem, abstractivè: sic enim ipsa quoque esset Persona; esset ab æterno genita: sed eatenus communem effecisse, quatenus, quæ persona ante subsistebat in unâ tantùm naturâ Divinâ, per hanc assumptionem subsistere cœpit in duabus, Divinâ & Humanâ: quarum *prior* adsumens, ὑπόστασις est per se, *posterior* assumpta, non ὑπόστασις, sed ἐνυπόστατ☉, seu ὄργανον ἐνυπόστατον: ut loquebantur Veteres. Ex quo id porrò intelligitur, ὑπόστασιν Filii completam fuisse in se, ante Naturæ Humanæ adsumptionem; nec adsumptam hanc naturam, ut eam compleret, sed tantùm, ut salutis negotium, ad quod requirebatur Persona Θεάνθρωπ☉, cum ipsâ perficeret.

Peculiariter Filius.

Humanæ naturæ communicata Divinæ subsistentia.

Divina Natura per assumtionem humanæ non completa fuit.

Materia, duæ naturæ Christi.

Materia circà quam, sive *Objectum* Unionis, sunt *duæ Christi Naturæ*, sive duæ Formæ, Dei & Servi *Phil.* 2. v. 6. 7. Unio enim plurium est, citrà controversiam. At non hypostaseων, sive Personarum in Christo: alioquin plures constituerentur Personæ. Ergò Naturarum.

Forma

Forma est *conjunctio earundem in unâ Persona.* In *Persona* dico, quia facta est, non in naturâ seu essentiâ Dei: Nam ita Natura Humana Deus foret οὐσιωδῶς; nec in naturâ aliquâ tertiâ, in quam coaluerint; prout in hominibus usu venit; sed in ὑποστάσει Filii Dei, tanquàm communi supposito, & subjecto conjunctionis. Licet verò duæ illæ naturæ inter se sint *inæquales*; una infinita, altera finita, quarum nulla est proportio; id tamen conjunctionem ipsarum minimè impedit, aut dirimit. *Ratio*; quia non consistit illa in earundem inter se exæquatione, ut sibi sint proportionatæ; sed in Naturæ finitæ in Infinitâ, Humanæ in Divinâ, exsistentiâ indivisâ: Salvis & distinctis manentibus ipsis Naturis, earum Proprietatibus & Operationibus. *Naturis*; ut quæ etiam post Unionem sive conjunctionem distinguuntur in Personâ: *Rom.* 1. v. 3. 4. *Filius Dei factus ex semine Davidis secundum carnem; & declaratus potenter secundum Spiritum Sanctificationis.* 1 *Pet.* 3. v. 18. *Morte quidem affectus carne, vivificatus autem Spiritu. Proprietatibus*; quæ cum enuncientur contrariè de uno eodemque supposito, κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, secundum aliam atque aliam ejus naturam intelligendæ sunt; qui Verbum Dei esse non potest Etiam & Non 2 *Cor.* 1. v. 19. Ut cum Filius Hominis in terrâ loquens cum Nicodemo, dicitur esse in cœlis *Ioh.* 3. v. 13. Non esse nobiscum, *Matth.* 26. v. 11. & esse nobiscum, *cap.* 28. v. 20. esse Filius, *Matth.* 1. *Luc.* 3. semen *Gal.* 3. v. 16. Abrahæ; & tamen ante ipsum fuisse *Ioh.* 8. v. 58. *Operationibus*; quia cibum appetere, *Matth.* 4. v. 2. edere, bibere *cap.* 11. v. 19. dormire, *cap.* 8. vers. 24. *Humanæ* est ἐνεργείας; videre cogitationes cordis, *cap.* 9. v. 4. absentem Verbo sanare, *cap.* 8. v. 13. *Divinæ.* Hoc ipsum Patres Concilii Chalcedonensis asseruerunt contrà Hæreticos, conjunctionis hujusce modum quatuor illis celebratis Adverbiis declarantes, ἀσυγχύτως, *inconfusè*, ἀτρέπτως, *inconvertibiliter*, ἀδιαιρέτως, *indivisè*, ἀχωρίστως, *inseparabiliter.* Facta namque est, *Inconfusè*, absque commixtione duarum Naturarum, ad constituendam unam tertiam: *Inconvertibiliter*, citrà conversionem vel naturæ Divinæ in Humanam, vel Humanæ in Divinam: *Indivisè*, absque divisione Naturarum, in duas separatim subsistentes Personas: & *Inseparabiliter*, ut quarum inseparabilis est conjunctio, nè ipsâ quidem morte soluta.

Forma, conjunctio earundem in una Persona.

Salvis & distinctis manentibus

Naturis.

Proprietatibus.

Operationibus.

Finis Unionis est unio nostri cum Deo, 1. *Tim.* 2. v. 5. *Ephes.* 2. v. 14.

Finis.

v. 14. *& seqq.* & quæ eam sequitur communio in gaudio & gloriâ 1. *Ioh.* 1. *v.* 3. *& seqq.*

Effecta unionis quoad

Effecta Unionis duplicia sunt : *alia* Humanam Christi naturam, *alia* Personam ejus in Utrâque Naturâ subsistentem concernentia. *Primi generis* censentur Gratia Eminentiæ, & Gratiæ Habituales. *Gratia Eminentiæ* est dignitas naturæ Humanæ suprà omnes creaturas, orta ex ejusdem cum naturâ Divinâ unione, per quam propria Filii Dei caro est: *argumento locorum*, *Rom.* 8. *v.* 32. *Actor.* 20. *v.* 28. Quod de nullâ alia creaturâ dici potest: cum alii nulli subsistentiam in suâ ὑποστάσει largiatur. *Gratiæ habituales* sunt excellentes illæ dotes, quas natura Divina contulit in humanam, & ei quasi implantavit; insignis scientia, sapientia, sanctitas, potentia, &c: & *Habituales* appellantur, quod per modum habitus exsistant in animâ ipsius. Hæ etsi summæ omninò sunt, nec Physicæ modo, sed & Hyperphysicæ: tamen donorum creatorum ordinem, atque ita creaturarum conditionem non excedunt. Distinguuntur autem à donis aliorum, sive Angelorum, sive Hominum, quantumvis præcellentibus, *tùm* subjecti dignitate, *tùm* partium graduumque perfectione. *Illâ* quidem, quia non minus dotes carnis, quàm ipsa caro sunt Filii Dei: dicente Johanne : *Patrem non admetiri Spiritum Filio*, *quem misit Iohan.* 3. *v.* 34. 35. *Istâ* verò; quia quæ in aliis sejunctæ, in Christo sunt conjunctæ : quæ in aliis imperfectæ, in ipso perfectæ reperiuntur. Nam accepit dona Spiritus Sancti absque mensurâ, *Ioh.* 3. *v.* 34. & suprà consortes *Hebr.* 1. *v.* 6. Ubi tamen id tenendum est, dotes illas non ab ipso statim unionis primordio partibus omnibus gradibusque perfectas fuisse: profecit enim Christus, ut sapientiâ; *Luc.* 2. *v.* 40. 52. sic aliis virtutibus : sed paulatim, & maximè post resurrectionem, summam perfectionem esse adeptas. Contrà quàm se res habet in gratiâ priore *Eminentiæ*, quæ perfecta statim fuit cum ipsâ Unione; atque etiam à Filio singulariter, non verò ut gratiæ Habituales, *Psal.* 45. *v.* 8. *Iohann.* 3. *vers.* 34. *Luc.* 4. *vers.* 18. à tribus Personis communiter, manat.

I. Naturam humanam. Gratia Eminentiæ.

Gratiæ habituales sunt.

Dona creata.

Distincta à donis aliorum. Subjecti dignitate;

Graduum partiumque perfectione.

Gradibus paulatim in Christo auctæ.

II. Personam.

Secundi generis Effecta sunt, *communicatio proprietatum* utriusque Naturæ cum Personâ; & *communio officii*, & qui ex eo est, *honoris* inter Naturas. *Communicatio Proprietatum cum Personâ* est, quod per Unionem, Naturæ utriusque proprietates, Personæ sunt factæ communes : Hanc & Scriptura confirmat, & Ratio. *Illa*, quoties

Communicatio Proprietatum cum Personâ.

ties de uno Christo prædicat, quæ sunt Dei & Hominis. *Ista*, quia ex naturâ toties & partium fluit, quam Persona Christi, & in eâ naturæ, suscipiunt Analogicè: ut tàm vera sit ac realis; quàm verè ac realiter in duabus Naturis Persona subsistit. *Communio officii & honoris* est, quod Christus secundùm utramque naturam Mediator est inter Deum & Homines, 1 *Tim*.2.v.5. is qui πᾶσαν obtinet ἐξουσίαν in cœlo & in terrà, *Matth*. 28.v. 18. adeóque judex est universorum, *Ioh*. 5.v.27. & quod *qui se exinanivit assumptâ forma servi, in summam elatus est dignitatem, & nomine donatus suprà omne nomen: ut ad nomen Iesu omne genu se flectat, cœlestium, terrestrium, subterraneorum: omnisque lingua confiteatur Iesum Christum esse Dominum Philipp*. 2. vers. 9. 10.11. Quam quidem communionem evincunt ἀποτελέσματα *Officii*, ab utrâque Naturâ, ac utriusque operationibus dependentia: ut cum sanguis Filii Dei nos dicitur purgare ab omni peccato, 1 *Ioh*. 1.v.7. & Deus acquisivisse Ecclesiam proprio sanguine *Actor*. 20.v.28. Nec non *unitas cultus* sive adorationis, quæ propter officium Mediatorium ad Christum Θεάνθρωπον dirigitur *Actor*. 7.v.59. 60. *& alibi*. Posterius hoc genus effectorum vehementer illustrat *Phrasiologia* de Christo, in Scripturâ usurpata: quæ *propria* est, vel *tropica*: Utraque Personam ipsius & Munus distinctè concernens. *Propria* est, quâ de Christo Deo Divina, de homine humana enunciantur: ut, *Filius Dei est verus ille Deus*, 1 *Ioh*.5.v. 20. *conditor seculorum*, *Hebr*.1.v.3. *Filius hominis adscendit in cœlum Ioh*. 3.v.13. *Item*, cum voce utramque Naturam complectente enunciantur quæ sunt muneris ipsius: ut, *Christus collatus est ad dextram Dei*, *Ephes*. 1.v.20. *est advocatus noster* 1 *Iohann*. 2.v.1. *Tropica de Persona* Christi est: *primò*, cum de voce utramque Christi naturam denotante dicuntur propria alterutrius, per Synecdochen totius: ut, *Christus est Filius Dei viventis*, *Matth*.16. vers.16. *mortuus*, *resuscitatus est*; *Rom*.8.v.33. *secundò*, cum Personæ ab unâ naturâ denominatæ, alterius naturæ propria tribuuntur, per Synecdochen partis: ut, *Filius Dei factus est ex muliere*, *Gal*.4.v.4. *Dominus gloriæ crucifixus est*, 1 *Cor*.2.v.8. *Filius Hominis descendit de cœlo: & in terra loquens est in cœlis Ioh*.3.v.13. Quam Synecdochen indicat Scriptura restrictione prædicati ad propriam subjecti partem: ut, *Rom*.1.v.3. *Filius Dei factus est ex semine Davidis secundum carnem*. In hoc prædicandi modo *subjectum* semper est vox

[Margin notes: Communio officii & honoris inter naturas. — Phrasiologia de Christo. — Propria. — Tropica de Personâ.]

V concreta

concreta significans personam: ut, *Deus*, *Filius Dei*, *Λόγος*, *Homo*, *Filius Hominis*: nunquam abstracta, quæ solam naturam designat: ut *Deitas*, *Divina Natura*; *Humanitas*, *Humana Natura*. Communiter in Scholis Theologorum *κοινωνία ἰδιωμάτων*, *communicatio idiomatum*, à Patribus *κοινωνία ὀνομάτων*, *communio nominum*, & *τρόπος ἀντιδόσεως*, *modus prædicationis mutuæ* appellatur. *Tropica de Munere* Christi est, cum personæ ab alterâ naturâ denominatæ tribuuntur nomina aut effecta officii secundum utramque naturam Christo competentis: ut, *Filius Dei est* Pontifex: *Heb.* 7. v. 28. *Homo Christus est Mediator*, 1 *Timot.* 2. v. 5. *Deus redemit Ecclesiam proprio sanguine*, *Actor.* 20. v. 28. *Per unum hominem justi constituuntur multi*, *Romanor.* 5. v. 19. Atque hæc de Effectis Unionis.

Quæ Communicatio idiomatum dicitur.

Tropica de Munere.

Subjectum.

Subjectum ejus est *ὑπόστασις* Filii Dei, in quâ duæ Naturæ conjunctæ sunt. *Subjectum loci* fuit uterus Virginis Mariæ.

Adjuncta.

Adjuncta in Formâ Unionis explicavimus. *Adjunctum temporis*, quoad *inchoationem*, fuit momentum illud quo perfecta fuit Natura Humana ex unione animæ & corporis, prout suprà ostensum: quoad *durationem* verò perpetua est & inseparabilis. Cæterùm unionis hujusce *manifestatio* facta est in Nativitate, cum Virgo Maria, expleto mensium ordinariorum spatio, Christum Filium suum Bethlehemi in lucem edidit. Nam peperit eum, quem Esaias *Immanuelem*, *Θεάνθρωπον*, *cap.* 7. v. 14. Angelus *Filium Altissimi*, *Luc.* 1. v. 35. Apostolus *Filium Dei*, *Gal.* 4. v. 4. nominat. Ipsa quoque *Θεοτόκος* inde in Ecclesiâ primitivâ nominata fuit. *Tempus* partus ordinarium fuisse testatur Lucas, *cap.* 2. v. 6. uti etiam pariendi modum: quia docet observatam circà infantem Legem de primogenitis, uterum matris primò aperientibus v. 22. 23. 24. Proinde probabile est nec peperisse absque dolore. Id tamen extraordinarium fuit, quod ut concepit, ita peperit Virgo *Esa.* 7. v. 14. *Locus* Nativitatis fuit urbs Bethlehem, ex prædictione Prophetæ Michæ, *cap.* 5. v. 2. 4. & narratione Euangelistarum *Matth.* 2. v. 5. 6. *Luc.* 2. v. 4. Satis de Personâ Christi.

Manifestatio unionis.

II. Munus *Christi*.

Munus ejus est, *Mediatio inter Deum & Homines*: ad quam peragendam missus à Patre in mundum, & per Spiritum Sanctum unctus fuit.

Efficiens communiter Trinitas.

Efficiens igitur hujus muneris licet *communiter* sit *tota Trinitas*, tan-

tanquàm operis externi; *singulariter* tamen sunt Singulæ Deitatis Personæ, *Pater missione, Spiritus Sanctus unctione, Filius susceptione & exsecutione.* Etenim Deus *Pater* Filium suum misit in mundum, *Ioh.* 3. v. 34. *cap.* 7. v. 28. *Gal.* 4. v. 4. missum editâ cœlitus voce consecravit, *Matth.* 3. v. 17. *cap.* 17. v. 5. atque etiam solenni juramento confirmavit, *Psal.* 110. v. 4. *Hebr.* 7. v. 17. ut non immerito Christus vocationem suam ubique ad Patrem referat *Ioh.* 5. v. 36. *cap.* 10. v. 25. *& alibi.* Deus *Spiritus Sanctus* qui verum est lætitiæ oleum, sicut absque mensurâ in Christum fuit effusus, *Ioh.* 3. v. 34. ita unxit ipsum suprà consortes, *Psal.* 45. v. 8. *Hebr.* 1. v. 9. factus in Humanâ ejus Naturâ Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus consilii & potentiæ, Spiritus scientiæ & reverentiæ Jehovæ, *Esa.* 11. v. 2. aliorumque effector donorum, ad muneris hujus administrationem necessariorum. Veruntamen & ipse ad hoc à Patre ordinatus fuit. Quæ caussa est quod *unctio* Patri quoque tribuitur, *Psal.* 45. v. 8. *Hebr.* 1. v. 9. nec donorum tantùm collationem, sed etiam Filii missionem sive ad munus designationem, quæ propriè est Patris, in Scripturâ significat *Esa.* 61. v. 1. *Luc.* 4. v. 18. At Deus *Filius* hoc munus exsequendum suscepit & exsecutus est in suâ Personâ, de quo ita Apostolus *Hebr.* 10. v. 5. 7. *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptâsti mihi. Ecce adsum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Et *Philip.* 2. v. 7. 8. *Ipse sese exinanivit, acceptâ forma servi; & se submisit, factus Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Eóque in ordine Efficientium *proxima* caussa habetur : nec proxima tantum, sed etiam *solitaria*: quia unus est Mediator, 1 *Timoth.* 2. v. 5. qui torcular calcavit solus, *Esa.* 63. vers. 3. & extrà quem non est salus *Actor.* 4. v. 12. Ut verò post Incarnationem duæ sunt in Filio naturæ, duo in uno supposito agendi principia; sic muneris hujus efficientia sive exsecutio *ad utramque ejus naturam* pertinet. Quod ipsum suprà confirmatum fuit à necessitate Mediatoris Θεανθρώπȣ : & amplius confirmari potest ab operationibus ipsi propriis. Si enim secundum alteram tantùm Naturam ejus esset exsecutor; in exsecutione unius tantùm naturæ deprehenderentur operationes. Jam verò naturæ utriusque operationes in eâ ostendit Scriptura, iisque producta ἀποτελέσματα ad utramque naturam refert. Nam annunciari voluntatem Dei, orare, pati, mori, *humana* est operationis & passionis : contrà,

Singulariter.

Pater missione.

Spiritus S. unctione.

Filius susceptione & exsecutione.

Qui caussa

Proxima,

Et solitaria,

Secundum utramque naturam

eandem voluntatem immediatè revelare, *Iohann.* 1. v. 18. vitæ mortisque arbitrium habere, *cap.* 10. v. 18. per Spiritum æternum se Deo offerre, *Hebr.* 9. v. 14. virtute suâ cœlos penetrare, *Hebr.* 4. v. 14. omnium istic preces, gemitus audire, *Apoc.* 8. v. 3. potentiâ suâ Ecclesiam tueri, *Ioh.* 10. v. 28. *Matth.* 16. v. 18. *Divinæ*: & acquisitio Ecclesiæ per λύτρον sanguinis, *Actor.* 20. v. 28. *Matth.* 20. v. 28. reconciliatio, *Rom.* 5. v. 10. 11. *Col.* 1. v. 21. 22. mundatio à peccatis, 1 *Ioh.* 1. v. 7. personæ secundum utramque naturam adscribuntur. Ergò.

Materia Deus & homines.

Materia circà quam, sive *Objectum* hujus muneris sunt *Deus & Homines*, disjuncti per peccatum, *Esa.* 59. v. 2. & per Christum iterum conjungendi: Unde ipse *Mediator inter Deum & Homines* appellatur 1 *Tim.* 2. v. 5. *Deus* est pars offensa: *Homines*, sunt pars offendens: *Christus* pars offensa quâ Deus absolutè; persona partes, offensam & offendentem, reconcilians, quâ Mediator œconomicè Qui *duplex respectus* absurdus videri in unâ personâ minimè debet. Talem enim se nobis Christus proponit in parabolâ illâ quæ est *Matt.* 21. v. 37. Talem etiam midiationis actum à suis observandum apertis verbis sancit, *cap.* 18. *v.* 15. Et *exempla* in Scripturis habentur manifestissima, ut de praxi vitæ communis nihil dicam, ubi reconciliationem offensus instituit apud offendentes: Deus apud primos parentes, *Genes.* 3. & per ministros suos apud omnes vocatos, 2. *Cor.* 5. *v.* 19. 20. Israëlitæ apud Benjaminitas, *Iud.* 20. David apud rebelles subditos 2 *Sam.* 19. *v.* 12. *& seqq.* Igitur Christus *quâ* Mediator reconcilians satisfacit pro peccatoribus; *qua* Deus offensus accipit satisfactionem: *qua* Mediator intercedit apud Patrem propriè, apud se analogicè; *qua* Deus ratam habet intercessionem, & effectam dat.

Christus & pars offensa, & Mediator.

Christus non est Mediator Angelorum.

Quod verò Angelos bonos in statu suo jam confirmatos attinet; quandoquidem extremis non continentur, nec parti offensæ, neque offendenti affines: objecto quoque muneris Mediatorii non comprehenduntur. Hinc Christus *Mediator Hominum* dicitur, 1 *Tim.* 2. v. 5. non Angelorum; & semen Abrahæ adsumpsisse, non Angelos *Heb.* 2. *v.* 16. Interim subsunt Christo ut Domino & capiti, *Matth.* 28. *vers.* 18. *Ephes.* 1. *vers.* 21. 22. *Philipp.* 2. *vers.* 9. 10. & per ipsum uniuntur tùm Deo, *Ephes.* 1. *v.* 10. tùm nobis in unum Ecclesiæ triumphantis corpus *Heb.* 12. *vers.* 22. 23.

Forma muneris est ipsa *mediatio*, sive partium reconciliatio: cujus quidem diversi sunt gradus, *Primus* est discretio & dijudicatio caussæ inter partes dissidentes: *secundus* pactorum & conditionum expositio: *tertius* intercessio pro offendentibus; *quartus* satisfactio pro iisdem: *quintus* satisfactionis applicatio: *sextus* reconciliatorum conservatio & gubernatio. Ex quibus *alia* apud Deum, *alia* apud Homines Christus peregit & peragit: ut verè sit Mediator inter Deum & Homines: 1 *Tim*.2.v.5. Mediator, inquam, non ut Moses, famulus in domo Dei, *Gal*. 3. v. 19. *Hebr*.3. v.5. secundum aliquot, sed, ut filius familiâs, *Hebr*. 3.v.6. secundum omnes mediationis gradus: cujusmodi *unus* tantùm est, sicut Deus unus 1 *Tim*. 2. v. 5. *Ephes*. 4. v. 5. 6. Eodem sensu Jesus, sive *Servator* appellatur, *Matth*. 1. vers. 21. merito & efficaciâ 2 *Cor*. 5. v. 19.20. *Merito*, quatenus acquisivit salutem *Actor*. 20. v. 28. *Efficacia*, quatenus confert eam & conservat *Iohan*. 10. v. 28. Forma, Mediatio.

Finis supremus muneris Mediatorii est gloria Dei, *Ioh*.17.v.1.4. in misericordiæ justitiæque declaratione, *Rom*.3. v.24.25. *Subalternus*, nostra salus *Matth*. 1.v.21. Finis.

Effecta ejus recenset Apostolus 1 *Cor*. 1. v. 30. *Christus Iesus factus est nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, & redemptio.* Alii ea ponunt in *expiatione peccatorum* per sanguinem Christi, *Matth*. 26.v.28. *Hebr*. 9. v. 22. 26. 28. 1 *Ioh*. 1. v.7. in *regeneratione* per Spiritum ejus, *Gal*. 3. v. 13. 14. *Hebr*.9.v.14. & in *vitæ æternæ donatione Ioh*. 6. v. 51. *cap*.12.v.32. *cap*.17.v.24. Alii *redemptionis* beneficio universa complectuntur: quæ duplex est ex declaratione Scripturæ: *una* à potestate Diaboli, *Coloss*. 1. v.14. 1 *Petr*. 1. v.18.19. *altera* ab injuriâ hominum, omnique miseria *Luc*.21.v. 28, *R*[illegible] 8. v. 23. 1 *Cor*.1.v.30. Est & *consequens* quoddam hujus muneris ipsum *Mediatorem spectans*, videlicet *summa illa gloria*, ad quam post exinanitionis ignominiam fuit evectus. De quâ ita Apostolus *Philipp*. 2. v.8. & *seqq*. *Factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus extulit ipsum in summam sublimitatem*, &c. Consulantur & alia loca ejusdem omninò sensus *Luc*. 24. v. 26. *Ioh*. 17. v. 4. 5. *Heb*. 1. v. 3. *cap*. 10. v. 12. *Apoc*. 5. v. 9. Effecta. Gloria Mediatoris consequens muneris.

De *Subjecto* egimus in Efficiente & Materiâ. *Adjuncta* muneris hujus sunt: quod *commune* est omni statui Christi Mediato- Adjuncta; quod

I. Commune omni, Statui Christi

ris, & deinde *administratione finitum. Status* Christi Mediatoris alius ante, alius post Incarnationem est. *Ante incarnationem* in formâ Dei. *Post eam* in formâ Dei & servi, id est, in Personâ Θεανθρώπῳ primùm exinanita, inde exaltata; *Philip.*2.*v.*6. *& seqq.* ex quo status posterior Mediatoris incarnati in *Exinanitionem* & *Exaltationem* subdistinguitur. *Triplici huic statui commune* est munus Christi Mediatorium.

Ante Incarnationem.

Primo: quia etiam in V. T. fuit Christus Jesus, qui *heri & hodie idem est, & in secula*; *Hebr.*13.*v.*8. quia in V. T. *Servator* fuit *merito futuro*, tanquam *agnus mactatus à jacto mundi fundamento*, *Apoc.*13.*v.*8. & efficaciâ semper-præsenti: utpote per quam Patres quoque servati dicuntur, *Actor.* 15.*v.* 11. etsi minus, quàm nunc, largâ, *Ioel.*2.*v.*28. aut evidenti; *Heb.*10.*v.* 1. & quia *nemo unquam venit ad Patrem, nisi per Ipsum, qui via est, veritas, & vita*, *Ioh.*14.*v.*6. & in cujus solius nomine salus exposita est *Actor.*4. *v.* 12.

Post eam in Exinanitione.

Secundo: quia *misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum Legi subjectum: ut eos qui Legi subjecti erant redimeret Gal.*4.*v.*45. Et Filius missus *venit*, *Hebr.* 10. *v.* 7. *posuit animam suam λύτρον pro multis*, *Matth.* 20. v. 28. *effudit sanguinem suum in remissionem peccatorum pro multis*, *cap.*26.28. *Ecclesiamque proprio illo sanguine suo acquisivit* *Actor.*20. *v.*28. Sic factus est *Servator merito præsenti.* Simul etiam servavit *efficaciâ*: nam Filius hominis auctoritatem habuit in terrâ remittendi peccata, *Matth.* 9. v. 6. remisit ea, v. 2. *Luc.* 7. v. 48. baptizavit Spiritu Sancto, *Matth.* 3. v. 11. & vitam æternam donavit; *Luc.* 23. v. 43. sed & illa efficacia parcior fuit & obscurior. Quo respectu Christo nondum glorificato fuisse negatur Spiritus Sanctus, *Ioh.* 7. v.39. cumque ad Patrem abiens discipulis, alioquin jam Spiritu donatis, *Luc.* 9. v. 55. promisit *Actor.* 1. vers.5. 8.

In Exaltatione.

Tertio quoque: nam *dextrâ Dei sursum sublatus, constitutus est princeps ac Servator, ut det resipiscentiam Israëli, & remissionem peccatorum*, *Actor.*5. v.31. & ex quo *adscendit suprà omnes cœlos, implet omnia* gratiâ & donis, *Eph.* 4.v.10. *& seqq.* sedens ibi ad dexteram Patris, *cap.* 1. v.20. donec veniat judicatum vivos & mortuos. Et sic *Servator* est *merito præterito*: nam Christus semel mortuus non amplius moritur, *Rom.* 6.v.9.10. *Efficaciâ* autem *plenissima & evidentissima*, quam testatus est effusione Spiritus Sancti in omnem carnem, *Actor.* 2.v. 16.17.33. missione omnis generis Doctorum, *Ephes.*4.v. 11.12. prædicatione Euangelii per totum orbem, ac multorum mil-

lium

lium conversione *Matth.* 28. v. 18. *Marc.*16.v.19.20. *Actor.* 2. v. 37. *cap.* 4. v. 4. *& alibi.*

Alterum muneris Mediatorii adjunctum est *finita tempore administratio.* Ut enim Christus inde à suâ resurrectione administrare illud cessavit secundum primum, secundum, & quartum mediationis actum : ita post ultimum judicium cessabit ab administratione ejus quoad actus reliquos. In quam sententiam accipienda sunt, quæ de traditione regni, quod *Gratiæ* & *œconomicum* vocant Scholæ, Spiritu planè Prophetico disserit Apostolus, 1 *Cor.* 15. v. 24. *& seqq.* & ante ipsum disseruit David *Psal.* 110. vers. 1. Etenim hostibus omnibus in pedum scabellum positis, *ibidem*, Ecclesiaque perfectè regeneratâ, *Ephes.* 5. vers. 27. ac in domum Patris introductâ, *Iohan.* 14. v. 2. non opus erit vel defensione illâ, vel intercessione, vel etiam per verbum gubernatione, sed Deus erit omnia in omnibus 1 *Cor.* 15. v. 28. Nec tamen Christi gloriæ quicquam decedet. Nam quâ *Deus*, cum Patre & Spiritu Sancto commune obtinebit regnum, quod *Naturale* vulgò vocant: quia *regni ipsius non erit finis*, *Luc.* 1. v. 33. quâ *Mediator*, manebit Dominus & caput Ecclesiæ, *Apocal.* 20. *&* 21. *capp.* æternóque peractæ in suâ personâ redemtionis potietur honore; non secus quàm belli Duci, positis armis, partæ victoriæ gloria permanet.

II. Administratione finitum.

Sine imminutione Gloriæ Christi.

Distinguitur munus Christi Mediatorium in partes tres: quarum prima dicitur *Prophetia* : altera *Sacerdotium* : tertia *Regnum*. Hæ siquidem actus Mediationis complectuntur adæquatè : hæ miseriæ hominis corrupti medentur perfectè : totidem quoque præfiguratæ fuerunt in Prophetis, Sacerdotibus, & Regibus V. T. qui ceu typi Christi, unctione sacri olei ad munus suum consecrabantur. Vide de Elisæo Prophetâ, 1 *Reg.* 19. v. 16. de Sacerdotibus, *Exod.* 29. v. 29. de Regibus 1 *Sam.* 9. v. 16. *cap.* 16. v. 13. 1 *Reg.* 1. v. 34. *& alibi.*

Muneris Christi distinctio, in

Prophetia sive *Propheticum Christi munus* est, quod mysterium redemtionis Ecclesiæ suæ plenè revelavit in Euangelio; Legem etiam à variis corruptelis repurgavit. Unde ipse *Propheta*, *Deut.* 18. v. 15. 18. *Matth.* 13. v. 57. *Ioh.* 6. 14. *Actor.* 3. v. 22. 23. *Doctor sive Magister*, *Matth.* 8. *vers.* 19. *cap.* 22. *vers.* 16. quem Hebraicè רַבִּי *Rabbi*, *Matth.* 29. v. 25. *Marc.* 9. v. 5. item רַבּוֹנִי *Rabboni*, *Ioh.* 20. v. 16. dixerunt, & *Apostolus professionis nostræ Heb.* 3. v. 1. appellatur.

Propheticum.

Efficiens.

Efficiens Christus mediate in V. T. immediate in N. T.

Efficiens hujus Prophetiæ est *Christus*: in Veteri quidem Testamento *mediatè* per ministros suos, sive ordinarios, sive extraordinarios; cujusmodi fuerunt Sacerdotes & Prophetæ: in N. T. autem *immediatè* per seipsum ex Dei Patris vocatione. Quam *Vocationem* Pater testatam fecit luculentissimè, intus & foris. *Intus* partim per corroborationem Spiritus, *Luc.* 2. v. 40. Christique inde à pueritiâ ad studium sacrum inclinationem, cujus specimen prælustre in templo edidit duodecennis, v. 46. 47. partim per pleniorem Spiritus Sancti effusionem in baptismo *Matth.* 3. v. 16. 17. *Foris* voce suâ cœlitus demissâ, Sanctique Spiritus præsentiâ in specie columbæ, quæ super illum requievit: *ibidem.* Antecessit quoque functionem muneris Prophetici, Christi Prophetæ *præparatio*, factâ meditatione quadraginta dierum continuorum in deserto, & subsecutâ tentatione à Diabolo, *Matt.* 4. *Luc.* 4. ut Propheta præstantissimus esse intelligeretur. Eamque præstantiam id etiam arguit; quod Deus excidium comminatus fuit audire ipsum recusantibus, *Deuter.* 18. v. 19. quod præcursorem misit Joannem Baptistam, qui viam ipsi pararet, *Matth.* 3. vers. 1. *& seqq. Iohann.* 1. v. 6. *& seqq.* Imò quod eundem missurum se longè ante prædixit *Esa.* 40. v. 3. *Malach.* 3. v. 1.

Vocatus internè.

Externè.

Materia, populus Israëliticus.

Materia circà quam, sive *Objectum* hujus muneris fuit populus Israëliticus. Ad hunc enim in suâ Personâ docendum se missum profitetur, *Matth.* 15. v. 24. utpote cui singulariter promissus erat *Rom.* 9. v. 4. 5. *Gal.* 3. v. 16. Unde & *Minister circumcisionis*, hoc est, circumcisorum vocatur *Romanor.* 15. vers. 8. Interim Samaritanos, *Iohann.* 4. v. 26. & Cananæos, *Matth.* 15. v. 22. non omnimodè neglexit: ut præludium exhiberet vocationis gentium, quarum lux salusque futurus erat *Esa.* 49. v. 6.

Forma in Prædicatione Euangelii.

Formam Prophetiæ ponimus in *prædicatione Euangelii*, *Matth.* 4. v. 17. *& expositione sive vindicatione Legis cap.* 5. vers. 17. *& seqq.* In *prædicando Euangelio* docuit, se Personâ non solùm Filium hominis, *Matth.* 8. v. 20. *cap.* 9. v. 6. sed etiam Filium Dei esse, *Ioh.* 3. v. 16. *cap.* 5. v. 19. *& alibi*: Munere autem esse Christum illum, *Matth.* 16. v. 16. *& seqq. cap.* 26. v. 63. 64. Prophetam, *Ioh.* 10. v. 11. 14. Sacerdotem, v. 15. *& cap.* 17. & Regem Ecclesiæ suæ *Ioh.* 18. v. 36. 37. In *Lege* verò *exponenda & vindicanda* rejecit traditiones Seniorum, ut inutiles & exosas Deo *Matth.* 15. v. 3. *& seqq. cap.* 23. Legem Ceremonialem morali, cultum illius cultui hujus,

Explicatione & vindicatione Legis.

hujus, tanquam potiori subjecit *Matth.* 12. v. 1. *& seqq. & alibi.* Sensum quoque Legis moralis spiritualem in internâ cordis obedientiâ, contrà corruptelas Pharisæorum asseruit *Matth.* 5. 6. 7. *capp.* Quæ omnia peregit singulari cum autoritate, *Matth.* 7. v. 28. 29. *Iohan.* 7. v. 46. atque etiam, ad illuminationem mentium & conversionem cordium, efficaciâ *Luc.* 24. v. 45. *Ioh.* 5. v. 25. *cap.* 6. v. 68. Miraculis denique propria virtute editis *Luc.* 6. v. 19. confirmavit; quo inde saltem fides doctrinæ esset *Iohan.* 5. v. 36. *cap.* 10. v. 38.

Finis summus est glorificatio Patris *Iohann.* 17. v. 4. *Subalternus*, Institutio Ecclesiæ, *Ioh.* 1. v. 18. antegressarumque de ipso prophetiarum complementum: ut ipse dicit *Luc.* 4. v. 21. Finis.

Effecta sunt admiratio & stupor auditorum, *Matt.* 7. v. 28. 29. *Iohan.* 7. v. 46. quorundam conversio, *Ioh.* 1. 2. 4. *& aliis capp.* sed qui numero pauci, *Luc.* 12. v. 32. conditione viles & contemti fuerunt, *Matth.* 9. v. 10. *cap.* 11. v. 25. 28. aliorum vero, sed contumacium, induratio & excœcatio *Iohann.* 9. v. 39. *cap.* 12. v. 39. 40. De *Objecto* diximus. Effecta.

Subjectum loci fuit Iudæa, Samaria, & Galilæa; *Matt.* 19. v. 1. *Luc.* 23. v. 5. *Ioh.* 4. v. 3. 4. 5. Terra & Mare, *Luc.* 5. v. 1. *& seqq.* Vrbes & vici, *Iohan.* 2. 4. 11. *capp. & alibi.* Templum & ædes privatæ *Luc.* 19. *Matth.* 9. Subjectum.

Adjunctum Temporis est triennium illud, quod in munere Prophetico exegit. Adjunctum.

Sacerdotium sive *Sacerdotale Christi munus* est, quod passione ac morte sua satisfecit pro peccatis Electorum, atque etiamnum pro eis apud Patrem intercedit. A quo ipse *Sacerdos*, *Psalm.* 110. v. 4. *Hebr.* 8. vers. 4. *Pontifex*, v. 1. *Advocatus*, 1. *Iohann.* 2. vers. 1. appellatur. Sacerdotale

Efficiens hujus muneris est *Christus*, ad functionem ejus *à Patre constitutus Hebr.* 3. vers. 2. *Non* enim *ipse sibi tribuit honorem, ut fieret Pontifex, sed is qui dixit ei, Filius meus es, ego hodie genui te: item, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedek cap.* 5. v. 5. 6. Ideoque mandatum de eo Patris allegat, *Ioh.* 10. v. 18. *cap.* 14. v. 31. non *commune* Mosaicum: nec enim aliis imperatur oblatio sui in victimam: sed *singulare* sibi proprium: cujus hanc summam ex *Psalm.* 40. v. 7. refert Apostolus *Hebr.* 10. v. 5. *& seqq. Quapropter ingrediens Christus mundum dicit, Sacrificium & oblationem noluisti,* Efficiens Christus. Constitutus a Patre

corpus autem adaptasti mihi: Ecce adsum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam &c. Constitutus autem est à Patre Sacerdos *secundum ordinem Melchisedek*, ut est, *Psal.* 110. v. 4 non secundum ordinem Levi. Etsi enim typicus fuit uterque, verum illum ac unicum N. T. Sacerdotem designans, *Heb.* 7. v. 3. *cap.* 10. v. 1. magna tamen est illius suprà hunc excellentia; sive persona utriusque, sive munus, sive etiam honos spectetur. Nam *personâ* proponitur *Melchisedek* ut æternus: nec initium dierum habens, quia ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, neq; finem, eo quod manet Sacerdos in perpetuum *Heb.* 7. v. 3. *Levi* contrà ut temporalis, mortalis. *Munere* proponitur *Melchisedek* ut Sacerdos & Rex, & quidem Rex Iustitiæ & Pacis v. 1. 2. *Levi* autem ut Sacerdos tantum. *Honore* etiam major fuit Levi: utpote cui proavus Levi Abraham, pater omnium credentium, decimas solvit v. 2. Proinde sicut Sacerdotium Melchisedecianum Sacerdotium Christi clarius perfectiusque adumbravit, altero Levitico: ita illius potius quàm hujus ritum moremve tenere dicitur.

Secundum ordinem Melchisedek.

Excellentia Sacerdotii Melchisedeciani supra Leviticum.

Materia omnes & soli Electi.

Materia circum quam sive *Objectum* muneris Sacerdotalis sunt, quotquot per Christi satisfactionem & intercessionem reconciliantur Deo, id est, *omnes & soli Electi.* Quod ipsum docent Apostoli: Paulus *Rom.* 8. v. 33. 34. *Quis intentabit crimina adversus Electos Dei? Deus est qui justificat: Christus est, qui mortuus est: qui interpellat pro nobis:* & Ioannes, 1. *Epist.* 2. v. 1. 2. *Advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum Iustum: qui est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solum, sed etiam pro totius mundi peccatis*, id est, uti declarat in Euangelio, *cap.* 12. v. 52. *pro peccatis Filiorum Dei, dispersorum per totum mundum.* Docet Christus dum *pro solis datis sibi à Patre se* tum *animam ponere*, *Ioh.* 10. v. 15. 26. 29. tum *orare*, *cap.* 17. vers. 9. testatur. Cumque Sacerdotium Christi principale sit consequendæ salutis medium; qui ad eam ordinati non sunt, ad eos quoque hoc munus non pertinet. Constat verò non omnes, sed eos tantum, qui Electi dicuntur, ad vitam æternam esse ordinatos *Matth.* 25. v. 34. *Ephes.* 1. v. 4. *& seqq.* Consequens igitur est, non ad omnes homines, sed ad omnes & solos Electos illud pertinere. Atque hoc de cæterarum etiam muneris Mediatorii partium salutari administratione intellectum volumus. Nam omnes ejusdem finis gratiâ institutæ sunt: omnes ad eundem finem perfectè dicunt. Ideòque non quotquot vel Christum

Christum vel Ministros ipsius audiverunt, proprium sunt muneris Prophetici Objectum: sed qui audiverunt ad apertionem mentium, *Luc.*24. v. 32. cordiumque *Actor.* 16. v. 14. Nec qui subsunt dominio ipsius, subsunt etiam Salvificæ gubernationi per Verbum & Spiritum: *dominatur* namque in *medio inimicorum*, *Psal.* 110. v. 2. sed qui subsunt, ut populus ipsius *Psal.* 110. v. 3. *Matth.* 1. v. 21.

Forma muneris Sacerdotalis duobus actibus continetur, *Satisfactione pro peccatis* & *Intercessione pro peccatoribus*: secundum Apostolum *Hebr.* 5. v. 1. *cap.* 7. v. 25. *Prior* actus transiens est: *posterior* permanens: *ille* meritorius, *hic* applicans: *ille* ad Exinanitionem, *hic* maximâ parte ad Exaltationem pertinens. *Satisfactio pro peccatis* est eorundem expiatio per λύτρον Sanguinis Christi, Filii Dei. Et in Scripturâ *redemptio. Rom.* 3. v. 24. *reconciliatio, cap.* 5. v. 11. *acquisitio, Actor.* 20. v. 28. *propitiatio.* 1. *Ioh.* 2. v. 2. dicitur. Ea ad procurandam salutem Electorum fuit necessaria; non absolutè: siquidem deesse nequivit Deo sapientissimo alius servandi modus: sed ex hypothesi beneplaciti Dei: de quo ita Apostolus: *Placuit Patri, ut pace per sanguinem crucis ejus factâ, per eum sibi reconciliaret omnia Coloss.* 1. v. 20. Idque *partim* propter justitiam ipsius, quâ peccatores digni sunt morte, *Rom.* 1. v. 32. *partim* propter veritatem comminationis, quâ mortem peccatoribus fuerat minatus *Genes.* 2. v. 17. Est verò hæc Christi Sacerdotis satisfactio tùm vera ac propria, tùm etiam perfecta, justitiæque Divinæ adæquata. *Veram & propriam* esse dicimus: Est enim *Satisfaciens* Christus, qui factus est exsecratio, *Gal.* 3. vers. 13. 14. propitiatio, 1. *Ioh.* 2. v. 2. placamentum, *Rom.* 3. v. 25. qui dedit animam suam λύτρον, *Matth.* 20. v. 28. ἀντίλυτρον 1. *Tim.* 2. vers. 6. Est *cui satisfecit*, Deus: nam per Spiritum æternum se ipsum obtulit Deo, *Hebr.* 9. v. 14. hujus fecit voluntatem, offerendo ipsi non hostias pecudum, quas nolebat, sed corpus suum. quod volebat, *cap.* 10. v. 5. & *seqq.* & per mortem suam nos ipsi reconciliavit, *Rom.* 5. v. 10. utpote cui soli peccaveramus *Psal.* 51. v. 6. Sunt *pro quibus satisfecit*; Homines impii, *Rom.* 5. v. 6. peccatores, v. 8. inimici, v. 10. injusti, 1. *Petr.* 3. v. 18. & ita quidem ut non fructum modo illius satisfactionis percipiant. *Rom.* 4. v. 25. sed ipsi quoque satisfecisse censeantur: *Gal.* 3. v. 13. *Christus nos redemit ab exsecratione Legis, dum factus est pro nobis exsecratio.* 2. *Cor.* 5. v. 15.

Forma constat.

I. Satisfactione pro peccatis

Ejus necessitas.

Est a.

Vera & propria.

Si unus pro omnibus mortuus est, nempe isti omnes fuerunt mortui. Est denique λύτρον sive *pretium satisfactionis*, mors, *Matth.* 20. vers. 28. *Rom.* 5. v. 10. sanguis, *Rom.* 3. v. 25. *Actor.* 20. v. 28. *Ephes.* 1. v. 7. *Colloss.* 1. v. 14. pretiosus sanguis Christi, 1. *Petr.* 1. v. 18. 19. Filii Dei, 1. *Iohann.* 1. v. 7. sive obedientia ipsius, *Rom.* 5. v. 19. qua factus est Patri obediens usque ad mortem : mortem autem crucis *Phil.* 2. v. 8. Esse etiam *perfectam* satisfactionem, *adæquatam justitiæ Dei* in Verbo revelatæ, ostendimus à *dignitate Personæ*, à *gravitate pœnæ*, & à *Dei Patris approbatione* : quæ tria ad λύτρου sufficientis constitutionem ut requisita fuerunt, ita concurrerunt. *Dignitas Personæ* est, *quod* is qui satisfecit est Deus, *Actor.* 20. vers. 28. *Deus acquisivit Ecclesiam proprio sanguine* : est Deus gloriosus, 1. *Cor.* 2. v. 8. *Dominum gloriæ crucifixerunt:* Est Filius Dei, 1. *Iohan.* 1. v. 7. *Sanguis Iesu Christi Filii Dei, mundat nos ab omni peccato* : Filius Vnigenitus, *Iohan.* 3. v. 16. *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret:* Filius Proprius, *Rom.* 8. vers. 32. *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* : *Quod* idem innocens est & impollutus, *Hebr.* 7. vers. 26. Iustus, *Esa.* 53. vers. 11. *Actor.* 7. v. 52. *cap.* 22. v. 14. 1. *Iohan.* 2. v. 1. Sanctus, *Actor.* 3. v. 14. *cap.* 4. v. 27. qui non fecit peccatum, & in cujus ore non fuit dolus, *Esa.* 53. v. 9. 1. *Petr.* 2. v. 22. ut ita offerre se potuerit inculpatum Deo, *Hebr.* 9. vers. 14. nosque pretioso sanguine suo, tanquam agni inculpati & incontaminati, redimere 1. *Petr.* 1. vers. 18. 19. *Quod* etiam satisfactionem illam præstitit voluntarius, sive voluntariâ obedientiâ: de qua ita ipse in Personâ Davidis ad Patrem; *Psalm.* 4. vers. 7. *& seqq. Hebr.* 10. vers. 5. *& seqq. Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptisti mihi: Tunc dixi: Ecce adsum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector.* Et in Personâ suâ ad eundem Patrem; *Matth.* 26. vers. 39. *Pater, si possibile est, abeat à me poculum istud: veruntamen non ut ego volo, sed ut tu:* & v. 42. *Pater mi, si non potest hoc poculum abire à me, quin bibam ipsum, fiat voluntas tua.* Item ad discipulos: *Matth.* 20. vers. 28. *Filius hominis non venit ut sibi ministrari sinat, sed ut ministret, detque animam suam redemptionis pretium pro multis* : Et rursus ad Iudæos, *Iohann.* 10. v. 17. 18. *Ego pono animam meam. Nemo tollit eam à me,* scil. invito; *sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo resumendi eam. Hoc præceptum accepi à Patre meo.* Atque *hac voluntate sanctificati sumus,* inquit Apostolus *Hebr.* 10.

perfecta & adæquata justitiæ Dei.

I. Dignitas Personæ.

v. 10. *per oblationem corporis Iesu Christi, semel factam.* Iam *Gravitas pœnæ* in passione ipsius, crucifixione, mortè, sepultura, & descensu ad Inferos spectanda est. *Passio* Christi, temporis respectu, in primam & secundam distinguitur. Sub *Primâ* comprehendimus quicquid perpessus est malorum inde à nativitate, usque ad duos postremos ante mortem dies. Hujus generis fuerunt; *intus*, tentationes Diaboli, *Matth*. 4. v. 1. *& seqq. Luc*. 4. v. 13. tristitia, dolor, perturbatio, *Ioh*. 11. v. 33. *& alibi*: *Foris*, paupertas, *Matt*. 8. v. 20. ignominia, *Esa*. 53. *Matt*. 12. *Philip*. 2. *& passim*: persecutio ab omnis generis hostibus, *Matth*. 2. *Iohan*. 8. 10. 11. *& alibi*: fatigatio, *Ioh*. 4. v. 6. fames, *Matth*. 4. v. 2. *cap*. 25. v. 18. sitis, *Ioh*. 4. v. 7. lacrymæ *Ioh*. 11. v. 35. *Luc*. 19. v. 41. Quæ omnia in pœnæ rationem venire ipse Christus testatur *Matth*. 20. v. 28. *Filius hominis venit, non ut sibi ministrari sinat, sed ut ministret:* & Apostolus *Philipp*. 2. v. 8. *Factus Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: rursus 2. *Corint*. 8. v. 9. *Nostis Christum Iesum propter nos pauperem factum esse, cum esset dives, ut nos ipsius paupertate ditesceremus*. *Secunda* continet quæ sub vitæ extremum ad crucifixionem usque Christo accidere: perturbationem animæ ipsius ob imminentem passionem: mœstitiam ex præsensione cruciatuum perferendorum: sudorem sanguineum: proditionem: captivitatem: accusationem & damnationem in concilio Sacerdotum: contumeliam verborum & verberum: abnegationem Petri: accusationem calumniosam apud Pilatum de affectato regno, suasâ rebellione, & dictâ blasphemiâ: Illusionem ab Herode & Herodianis factam: comparationem cum Barrabâ latrone; cui à populo suo fuit postpositus: flagellationem: probrosam coronationem: damnationem, & ad supplicium eductionem, ipsomet crucem portante. Quæ aliaque describuntur, *Matth*. 26. 27. *Marc*. 14. 15. *Luc*. 22. 23. *Ioh*. 13. 18. 19. *capp*. Ad pœnam vero referuntur à Davide, *Psal*. 22. *&* 69. ab Esaiâ, *cap*. 53. à Christo. *Luc*. 24. v. 26. & denique à Petro, dicente 1. *Epist*. 2. v. 21. *Christum passum esse pro nobis*: *cap*. 3. v. 18. *passum esse pro peccatis nostris, justum pro injustis*. *Crucifixio* Christi est, quod cruci affixus, & suspensus fuit, medius inter duos latrones, tanquàm omnium nequissimus; quodque in eâ non injurias tantum multiplices ab omnis generis hostibus pertulit, verum etiam gravissimam Dei iram sensit adversus peccata Electorum. De qua parte

II. Gravitas Pœnæ quam ostendit. Passio. Prima. Secunda. Crucifixio.

pœnæ ita Christus *Ioh.* 3. v. 14. 15. *Prout Moses extulit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut quisquis credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et Paulus *Gal.* 3. v. 13. *Christus nos liberavit ab exsecratione Legis, dum factus est pro nobis exsecratio: Scriptum est enim: Exsecrabilis est, quisquis pendet è ligno.* *Mors* est separatio animæ à corpore in cruce facta: cum inclinato capite redderet Spiritum. *Matth.* 27. v. 50. *Ioh.* 19. v. 30. 33. Quam ut pœnam peccati nobis proponit Scriptura; ubi Christum pro peccatis. *Gal.* 1. v. 4. pro peccatoribus mortuum esse, *Rom.* 5. v. 6. 8. mortemque pro eis gustasse docet *Hebr.* 2. v. 9. *Sepultura* est, qua corpus mortuum, demtum de cruce, in sepulchro novo fuit conditum *Matth.* 27. v. 60. & *alibi.* *Descensus* verò *ad Inferos*, est *vel* gravissimorum sensus cruciatuum, ex *Psal.* 116. v. 3. 1. *Sam.* 2. v. 6. *vel* status ignominiosus Christi in tertium usque diem sub mortis imperio in sepulchro detenti: ex *Psal.* 16. v. 9. 10. *Act.* 2. v. 24. & *seqq.* planè ac si jam actum de ipso esset *Luc.* 24. vers. 21. Qui duo postremi gradus quia cum evidenti Christi ignominia conjuncti fuerunt, passionibus ipsius ac pœnæ meritò accensentur *Ephes.* 4. vers. 9. *Philipp.* 2. v. 9. *Hebr.* 12. v. 2. Ex quibus omnibus clarum est, pœnam illam quam Christus pro nobis subivit & sustinuit, fuisse modis omnibus gravissimam: mortemque ipsius temporalem quidem respectu durationis, (nam in tertium tantùm diem ipsi continuata fuit: quod impossibile esset, ut ab ea detineretur. *Actor.* 2. v. 24.) at respectu infinitorum angorum & cruciatuum Infernalium verè *æternam* fuisse & dicendam esse. Cujus sententiæ veritas, quam nobis necessaria est, ad solidam in vita ac morte consolationem, tam luculentur in Scripturis Sacris confirmata reperitur. Sive enim Prophetica de passione ac morte Christi vaticinia, sive complementum eorundem historicum apud Euangelistas intueamur; annon majus quid est atque atrocius omni corporali communive cruciatu, quod Christum *propter transgressionem & iniquitates nostras plagâ affectum à Deo, percussum, afflictum, vulneratum* testatur Esaias, *cap.* 53. v. 4. 5. quod *iniquitatum nostrarum omnium pœnam*, atque ita ipsum Deum punientem, hostiliter *in ipsum* dicit *incurrisse*, ipsique ut sponsori luendam eam fuisse, v. 6. 7. quod *sublatum esse* docet *ex angustiâ sive anxitate animæ*, propter sensum iræ Dei, qua laborabat, v. 8. 11. itemque *ex judicio*, id est, æterna damnatione; quod deprecantur

Mors.

Sepultura.

Descensus ad inferos.

Mors Christi æterna.

cantur fides, *Psal.* 143. v. 2. & in quod nunquam venturi sunt, *Ioh.* 5. v. 24. quandoquidem Christus in illud venit *Esa.* 53. v. 8. An alia aliqua mors, quantumvis aspera aut violenta, esse ea potuit, in quâ adeundâ & perpetiendâ ipse Filius Dei in Personâ Davidis conquestus fuit, *desertum se esse à Deo: Deum longinquum à salute suâ recessisse, se verba rugitus sonare;* Ps. 12. v. 2. *non exaudiri*, v. 3. *extremè anxium, omnique succo, ipso etiam radicali, exhausto, languidum in pulvere lethali jacere*, v. 12. 15. 16. ad quam in suâ personâ hortum ingressus contristari cœpit & angi gravissimè, *Mat.* 26. v. 37. 38. sanguinem sudavit, *Luc.* 22. v. 44. quam tertiò deprecatus est, *Matt.* 26. v. 39. 42. 44. in quâ angelo eguit consolatore, *Luc.* 22. v. 43. validò & miserabiliter ejulavit, desertum se vociferans à Deo, *Matth.* 27. v. 46. *Marc.* 15. v. 34. ut liberari à metu necesse habuerit, *Hebr.* 5. v. 7. & quamvis esset Filius Dei, ex illis tamen omnibus experiundo discere, quam res sit difficilis ita Deo obedire v. 8. His accedit, quod *Christus*, teste Apostolo, *Gal.* 3. v. 13. *factus est pro nobis* κατάρα, *maledictio*, *exsecratio*, id est, maledictus, exsecrabilis: sicut confirmat illud à signo, videlicet suspensione ipsius in cruce: *Scriptum est enim; Exsecrabilis, quisquis pendet è ligno Deut.* 21. v. 23. At maledictio illa, quia facta est peccatoribus, *Deut.* 27. v. 26. *Gal.* 3. v. 10. mortem temporalem simul & æternam complectitur. Ideoque non hîc solum ei opponitur *benedictio Abrahæ*, id est, vitæ æterna Abrahæ, promissa sed etiam, *Matth.* 25. v. 41. ad eam mors æterna refertur. Insuper accedit, quod Christus patiendo moriendoque gustasse mortem dicitur pro omnibus *Heb.* 2. v. 9. *Gustare* autem *mortem*, est sentire iram Dei, indeque manantes cruciatus infernales: ex verbis Christi *Ioh.* 8. v. 52. *Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum*, id est, nunquam: Quod de aliâ quam de æterna morte intelligi non potest, *Ioh.* 5. v. 24. nam mortem corporis etiã fideles experiuntur. Denique idem evincitur ex fine passionis & mortis Filii Dei qui fuit ἔνδειξις, *demonstratio justitiæ*, sive justæ iræ Dei adversus peccata, *Rom.* 3. v. 25. 26. non communis aliqua, qualem quotidie revelat è cœlo Deus, adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, *cap.* 1. v. 18. sed *singularis* prorsusque extraordinaria: qua opus fuit *propter peccata quæ antecesserant, nec dignè vindicata erant, ut dissimulasse ea Deus posset videri.* Nulla verò insignis fuisset, aut singularis justitiæ Divinæ demonstratio,

ſtratio, ſi Filius Dei præter mortem corporis, aut communes animæ dolores, non ſenſiſſet iram Dei vindicatricem peccatorum, eoque cruciatus infernales. Omninòque qui illud aſſerunt, in duo hæc ἀτοπήματα, ſummèque pernicioſa dogmata incurrunt: *Nec* Deum ita graviter ſuccenſere peccatis noſtris, uti ſuccenſere ſe teſtatur in Verbo: *Neque* Chriſtum reipsâ tam dura paſſum eſſe ut Euangeliſtæ memorant: quod olim Docetarum delirium

Sed citra

fuit. Etſi vero cum cruciatibus infernalibus aliorum damnatorum conjuncta ſunt inſeparabiliter, tùm *fremitus* adverſus Deum, tùm *deſperatio*; in Chriſto tamen neutrum locum habere potuit.

Fremitum.

Non *fremitus*: oritur ſiquidem is ex odio Dei, & impatientiâ pœnæ, tanquam non juſtè inflictæ. Chriſtus autem non odit, ſed dilexit Deum in mediâ pœnâ: quinimo merâ Dei dilectione inductus lubens volenſque eam adiit & ſubiit: ſicut dicit *Ioh.* 14. v. 31. *ut nôrit mundus Patrem à me diligi, & prout præcepit mihi Pater ita facere: Surgite, abeamus.*

Deſperationem.

Non *deſperatio*: quia ſciebat Deum eſſe Patrem ſuum, eſſe Deum ſuum, etſi rigidè ſecum ageret, tanquam judex & vindex peccatorum cum ſponſore pro peccatoribus *Eſa.* 53. v. 3 & *ſeqq.* 2. *Cor.* 5. v. 21. *Gal.* 3. v. 13. *Hebr.* 7. v. 22. Hinc à quo Iudice deſeri ſe vociferatur *Sponſor*, cum in horto Patrem ſuum, *Matth.* 26. verſ. 39. in cruce Deum ſuum, *cap.* 27. v. 46. compellat *Filius*. Præterea ſciebat, impoſſibile eſſe, ut à morte retineretur, *Actor.* 2. v. 24. partim, quod peccatum merito mortis ſuæ plenè eſſet expiaturus; partim etiam quod virtute Deitatis ſuæ mortem eſſet ſuperaturus, & ab eâ reſurrecturus: ut paſſim ſe ſolatur *Ioh.* 2. v. 19. *Matth.* 20. v. 18. 19. Vbi autem certa eſt liberatio, ibi locum non invenit deſperatio.

III. Approbatio Dei Patris.

Supereſt in conſtituendâ perfecta Satisfactione *Approbatio Dei Patris*, quâ approbavit tum *Perſonam* Chriſti Sacerdotis, tum *ſacrificium ejus*: quæ niſi interveniſſet, nec Perſona eam præſtandam

Perſonæ,

ſuſcepiſſet, nec ipſa pœna ſufficiens fuiſſet. *Approbatio Perſonæ* facta eſt *partim* deſtinatione ejus in Sacerdotem, *Heb.* 3. v. 2. pro beneplacito Patris, 1. *Petr.* 1. v. 18. 19. 20. *Coloſſ.* 1. v. 19. 20. *partim* Inauguratione ejus ad munus, cum cœlitus clamaret Pater: *Hic eſt Filius ille meus dilectus ille, in quo acquieſco, Matth.* 3. verſ. 17. *partim* etiam miraculorum patratione: ex qua ipſum virum à Deo

Sacrificiis.

approbatum fuiſſe demonſtrat Petrus *Actor.* 2. verſ. 22. De *Sacrificii* autem *approbatione* inde conſtat, *quod* Pater illud imperavit pro

pro peccatis nostris, *Heb.* 10. v. 5. *& seqq. quod* sibi per Spiritum æternum oblatum à Filio acceptavit, ad æternam redemtionem & consummationem eorum qui sanctificantur, *Hebr.* 9. v. 12. 14. *cap.* 10. *v.* 14. *quod* denique eundem Filium suum à mortuis resuscitavit *Actor.* 2. v. 24. Hæc de actu primo. Actus secundus Sacerdotis est *Intercessio* sive *Interpellatio Christi* Sacerdotis apud Patrem pro nobis in cœlis. Intercessit quidem etiam pro nobis in terrâ, cum aliis, tùm iis precibus, quas sub oblationem sui, *Ioh.* 17. atque ipso oblationis tempore in cruce effudit *Hebr.* 5. v. 7. At hæc alius prorsus est generis. Nunc enim nec procumbit amplius in genua, nec supplicatione utitur deprecatoriâ apud Patrem iratum cum clamore valido & lacrymis; prout fecisse dicitur in diebus carnis suæ, *Hebr.* 5. *v.* 7. sed præsentat sive sistit se Patri in cœlo, quod est ἐμφανισθῆναι, *comparere* pro nobis, in Dei conspectu, *Hebr.* 9. v. 24. cum proprio sanguine, *v.* 12. 25. 26. & interpellat pro nobis, quod est ἐντυγχάνειν, *cap.* 7. *v.* 25. *Rom.* 8. *v.* 34. rogando scil. seu volendo, ut in gratiam recipiamur, receptique conservemur: quemadmodum advocatus interpellat pro reis, 1 *Ioh.* 2. *v.* 1. idque eodem cum sanguine, qui potiora loquitur quàm sanguis Abel, *Heb.* 12. *v.* 24. non vindictam poscens, sed veniam petens. Atque hæc Intercessio semper *rata* est: quia *Pater Filium semper exaudit Ioh.* 11. *v.* 42. Unde basis omnis consolationis contrà peccatum, 1 *Iohan.* 2. v. 1. contrà accusationes & damnationes hostium, *Romanor.* 8. *v.* 33. 34. omnisque nostræ πληροφορίας fundamentum *Romanor.* 5. *v.* 10. *Heb.* 7. *v.* 25. statuitur.

II. *Intercessione* pro peccatoribus.

Qualis sit hæc Intercessio.

Finis muneris Sacerdotalis *summus* est Gloria Dei, in misericordiæ justitiæque demonstratione; *Rom.* 11. *v.* 34. *cap.* 5. *v.* 8. *cap.* 3. *v.* 25. 26. *Subalternus* nostra salus, *Matt.* 1. *v.* 21. 1 *Cor.* 1. *v.* 30. atque etiam complementum Sacerdotii typici tùm Levitici, tùm Melchisedeciani: à quo in ipso veritas exstitisse, *Ioh.* 1. *v.* 17. imò ipsa veritas esse dicitur *cap.* 14. *v.* 6.

Finis.

Effecta à *Satisfactione* dependentia sunt: Reconciliatio nostri cum Deo 2 *Cor.* 5. *v.* 19. *Rom.* 5. *vers.* 10. Impetratio remissionis peccatorum, *Rom.* 3. *v.* 24. 25. Spiritus Sancti regenerantis, *Gal.* 3. v. 14. & vitæ æternæ *Ioh.* 6. *v.* 51. *Rom.* 5. *v.* 18. Ab *Intercessione* dependent Conservatio reconciliationis & remissionis peccatorum, *Rom.* 5. *v.* 9. & precum nostrarum, totiusque

Effecta Satisfactionis.

Intercessionis.

Vtriusque. adeò cultus nostri rationalis, oblatio *Apoc.* 8. *v.* 3. 4. Ab *utraque* verò dependet, abrogatio cultus ceremonialis Legis Mosaicæ, de Jure: *Gal.* 3. *v.* 24. 25. *Ephes.* 2. *v.* 14. 15. 16. *Coloss.* 2. *v.* 14. 16. 17. *Heb.* 10. *v.* 1. De *Objecto* dictum est in Materiâ.

Subjectum loci. *Subjectum loci*, est Terra & Cœlum, pro actuum Sacerdotalium diversitate. In *terra* siquidem passus est pro nobis, in *cælo* intercedit pro nobis *Hebr.* 9. *v.* 24. Quod adeò certum est, ut neget Apostolus fore ipsum nostrum Sacerdotem, si adhuc esset in terrâ *Hebr.* 8. *v.* 4.

Adjuncta Satisfactionis. *Adjuncta Satisfactionis* sunt, quod *perfecta* & *unica* dicitur in Scripturâ. *Vnica enim oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur Hebr.* 10. *v.* 14. Et ideò quidem Unica est, quia perfecta est. Nam sicut iteratio Sacrificiorum Leviticorum imperfectionem eorum; ita oblatio Sacrificii Christi nunquàm iterata, aut iterabilis, ejusdem perfectionem præsupponit *cap.* 10. Intercessionis *v.* 1. & *seqq. Rom.* 6. *v.* 9. 10. *Adjunctum Intercessionis* est continuatio ejus, uno quasi continuo actu. *Vnde & servare perfectè potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis*, inquit Apostolus *Heb.* 7. *v.* 25.

Regium. *Munus Christi regium* est, quod gubernat Ecclesiam suam Verbo & Spiritu, eamque contrà omnes hostes tuetur & conservat. Ab hoc ipse *Rex, Ierem.* 23. *v.* 5. *Matt.* 21. *v.* 5. *Princeps, Ezech.* 37. *v.* 25. *Pastor, Ioh.* 10. *v.* 11. *Princeps Regum terræ, Apocal.* 1. *v.* 5. *Rex Regum, & Dominus Dominantium, cap.* 19. *v.* 16. denominatur.

Efficiens Christus. *Efficiens* hujus muneris est *Christus*: secundum vaticinium Jeremiæ, *cap.* 23. *v.* 5. *Suscitabit Davidi germen justum, & regnabit Rex*: prædictionem Angeli *Luc.* 1. *v.* 33. *Regnabit super domum Iacobi in æternum, & Regni ejus non erit finis*: & eventus ipsius veritatem; cum resuscitatus à mortuis *factus est Dominus & Christus, Actor.* 2. *v.* 36. non affectatâ usurpatione, sed Dei Patris ac Spiritus Sancti unctione. Vnctione Patris. Etenim Deus *Pater* unxit ipsum in Regem super montem Sion, *Psal.* 2. *v.* 6. dedit ipsi omnem potestatem Et Spiritus S. in cœlo & terrâ, *Matth.* 28. *v.* 18. & *Spiritus Sanct.* super ipso quiescit, Spiritus consilii & potentiæ *Esa.* 11. *v.* 2. Judicia ei sua & justitiam communicans, *Psal.* 72. *v.* 2. brachiumque ejus fortificans *Psal.* 89. *v.* 22. Ideóque non tantùm Rex est, sed etiam primogenitus Regum, & excelsus super Reges terræ *Psal.* 89. *v.* 28.

Imò Regum omnium Dominus, quem ipsi osculantur, *Psal.* 2. *v.* 12. cui se incurvant, ferentes munera *Psal.* 72. *v.* 9. 10. Rex Regum, & Dominus dominantium *Apoc.* 19. *v.* 16. *Ministri* Regis hujus, munerisque regii sunt, tùm *Angeli*, *Hebr.* 1. *v.* 6. tùm *homines*, Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ, Pastores, Doctores, *Ephes.* 4. *vers.* 11. qui legatione pro ipso fungi dicuntur 2 *Cor.* 5. *v.* 19. Ministri.

Materia circà quam, sive *Objectum* hujus muneris est populus ipsius: *genus electum, regale Sacerdotium: gens Sancta, populus quem sibi Deus ut proprium vindicat* 1 Petr. 2. *v.* 9. Isque in *Vet. Test.* mons sanctus Sion, *Psal.* 2. *v.* 6. tentorium Davidis, *Esa.* 16. *vers.* 14. Israël, Juda, *Ierem.* 23. *v.* 5. 6. domus Jacob; *Luc.* 1. *v.* 33. In *Nov. Test.* Ecclesia, *Actor.* 20. *v.* 28. *Ephes.* 1. *v.* 22. corpus, *v.* 23, grex Christi, *Iohann.* 10. *v* 16. appellatur. Quia etiam in medio *hostium* suorum dominatur, *Psalm.* 110. *vers.* 2. etsi sceptro ferreo, *Psalm.* 2. *vers.* 9. nè illi quidem Objecti hujus ambitu excludendi sunt. Materia, populus ipsius. Itemque hostes.

Forma est *gubernatio* populi sui, ejusdemque *defensio* contrà omnes hostes. Quæ duæ partes *Sessione Christi ad dexteram* Patris continentur; ex declaratione Davidis, *Psalm.* 110. *v.* 1. 2. 5. 6. & Pauli, 1 *Corinth.* 15. *v.* 25. 26. *Gubernatio* populi fit *externè* per Verbum Legis & Euangelii, *internè* per Spiritus Sancti efficaciam, *Psal.* 110. *v.* 2. *Esa.* 59. *v.* 21. *Marc.* 16. *v.* 19. 20. Nam *Verbo* proponit ipsi voluntatem suam, & resipiscentiam, fidem, novamque obedientiam imperat *Marc.* 1. *v.* 15. *Spiritu* declarat eam voluntatem per illuminationem mentium in agnitionem veritatis, *Ioh.* 6. *v.* 45. *cap.* 16. *v.* 13. & resipiscentiam, fidem, novamque obedientiam donat, *Actor.* 5. *v.* 31. inscribendo legem cordibus ipsius *Ierem.* 31. *v.* 33. Quæ caussa est, quod utroque modo gubernari se petit David. Priore; *Psal.* 119. *v.* 33. 133. *Rege me, Domine, secundum Verbum tuum.* Posteriore: *Psal.* 143. *v.* 10. *Spiritu tuo bono deduc me per terram planam.* *Defensio* populi est, quâ eum tuetur & conservat contrà omnes hostes, ut nè portæ quidem inferorum ei possint prævalere *Matth.* 16. *v.* 18. Sunt verò *hostes* illi, Satanas, Mundus, Caro, & Mors, qui *partim* tentationibus suis eum sollicitant, *partim* violentiâ infestant. Contrà *tentationes* Satanæ, mundi, & carnis, populum suum tuetur *Verbo*, *Ephes.* 6. *v.* 17. promissionis & comminationis, *Matt.* 10. *v.* 32. Forma habet. Gubernationem, quæ fit Externè, Verbo. Internè, Spiritu. Defensionem Contra tentationes.

v.32.33. tuetur etiam *Spiritu*, conservante fidem, nè planè deficiat, *Luc.* 22. *v.* 32. confirmante timorem Domini in cordibus, nè recedant ab ipso, *Ierem.* 32.*v.*40. & veterem illum hominem, qui concupiscit adversus Spiritum, *Gal.* 5. *v.* 17. mortificante, *Rom.* 7. *v.* 4. Contrà *violentiam* Satanæ, mundi, & mortis eum tuetur, *partim* turbando ipsorum consilia, ut irrata fiant, *Psal.* 33.*v.*10. *partim* frangendo potentiam, nè quantum cupiunt, noceant, *Psal.* 110. *v.* 5. 6. *Actor.* 9. *v.* 4. 5. *partim* eosdem prorsus abolendo in consummatione seculorum: ubi & Satanam suis suorumque pedibus subjiciet, *Roman.* 16. *v.* 20. & mundum sive inimicos in pedum suorum scabellum ponet, *Psalm.* 110. *v.* 1. & ipsam mortem, hostem ultimum, in victoriam absorbebit 1 *Cor.* 15. *v.* 26. 54.

Contra violentiam.

Finis est Gloria Dei, *Philipp.* 2. *v.* 9. 10. 11. Salus Ecclesiæ, *Ephes.* 4. *v.* 8. *& seqq.* & Hostium interitus *Psal.* 110. *v.* 1. 1 *Cor.* 15. *v.* 25.

Finis.

Effecta muneris Regii duplicia sunt, alia *Populum subditum*, alia *Hostes* spectantia. *Primi* generis sunt: resipiscentia, fides, nova obedientia, quæ à *gubernatione*, *Actor.* 5. *v.* 31. *Ephes.* 4. *v.* 8. *& seqq.* & perseverantia usque ad finem, *Ioh.* 10. *v.* 28. gloriatio in persecutionibus, *Rom.* 8. *v.* 31. *& seqq.* & totalis liberatio, 1 *Cor.* 15. *v.* 25. 26. quæ à *defensione* manant. *Secundi* generis effecta sunt: Excœcatio hostium, *Ioh.* 9. *v.* 39. *cap.* 12. *v.* 39. 40. Induratio, *Rom.* 11. *vers.* 7. 8. fractio, *Psalm.* 2. *vers.* 9. *&* 110. *v.* 5. 6. totalisque interitus: *Ibidem.* De *Subjecto* antè diximus.

Effecta circa Populum subditum,

Hostes.

Adjuncta muneris Regii, regnique Christi plura occurrunt. Primò, est *cœleste*, uti dicitur, 2 *Tim.* 4. *v.* 18. quia non est de hoc mundo, *Ioh.* 18. *v.* 36. neque in hoc, sed in altero demum mundo planè Electis patefit *Matth.* 8. *v.* 11. Deinde est *spirituale*, quod intus, in gubernando Spiritu occupatur, *Luc.* 17. *vers.* 21. quodque non in cibo & potu, sed in justitiâ, pace, & gaudio per Spiritum Sanctum, rebus planè Spiritualibus, consistit *Rom.* 14. *v.* 17. Tertiò est *gloriosum*, ex quo Christi Regis gloria elucescit. Hanc gloriam ita describit Apostolus *Ephes.* 1. *v.* 20. *& seqq.* *Collocavit eum ad dexteram suam in cœlis, longè suprà omne imperium ac potestatem, & potentiam & dominatum; & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro: & omnia subjecit ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ.* Denique idem

Adjuncta, quod cœleste

Spirituale,

Gloriosum,

idem Regnum *modo administrationis*, prout est in hâc vitâ, *finitum* est : tradetur enim Patri, ut is sit omnia in omnibus; ex sententiâ oraculi Apostolici 1 *Cor.* 15. *v.* 24. *& seqq.* Cæteroquin *infinitum & æternum*, quod consistit in secula, *Dan.* 2. *v.* 44. cujus nullus erit finis *Luc.* 1. *v.* 33. Nam & *Rex æternus* est, qui semper vivit, *Heb.* 7. *v.* 25. nec mori amplius potest: *Rom.* 6. *v.* 9. 10. & *populus æternus*, quem nemo rapiet ex manibus ipsius, *Ioh.* 10. *v.* 28. nemo à Charitate Dei separabit : *Rom.* 8. *v.* 35. *& seqq.* & *æternum* etiam populi hujus *regimen*, per immediatam & immutabilem Dei operationem : De quâ est 1 *Cor.* 15. *v.* 28. *Apoc.* 21. *v.* 22. *& seqq.*

Modo administrationis finitum.

In se autem æternum.

Accedimus jam ad hujus quoque Loci Usum *: qui est*

I. Ad Διδασκαλίαν : *Gratia Dei in Iesu Christo* Θεανθρώπῳ *fons est omnis nostræ salutis*, Joh. 3. v. 16. Rom. 3. v. 24. 25. *confeßione totius Ecclesiæ Apostolicæ* Actor. 15. v. 11. *Iesus Nazarenus est Christus, ille mundi Servator* Matth. 16. v. 16. Johan. 6. v. 69. *In hoc omnes Dei promißiones, omnia vaticinia sunt Etiam, Amen, & Veritas* 2 Cor. 1. v. 20. Joh. 1. v. 17. *In ipso se Deus ostendit & perfectè justum, qui proprio Filio, sponsori nostro*, Hebr. 7. v. 22. *non pepercit*, Rom 8. v. 32. *& summè misericordem, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, Joh. 3. v. 16. *summè denique sapientem, qui declarandæ justitiæ pariter, & misericordiæ viam invenit* Ephes. 3. v. 10. *Ostendit quàm res tetra sit, sibique abominabilis peccatum* Rom. 3. v. 25. 26. *Ostendit etiam agendi modum per contraria, dùm ex paupertate divitias*, 2 Cor. 8. v. 9. *ex dolore gaudium, ex ignominia gloriam, ex morte vitam produxit*, Gal. 3. v. 13. 14. Philipp. 2. v. 6. & seqq. *Sicut Christus particeps factus est carnis & sanguinis nostri*, Heb. 2. v. 14. *ita nos consortes reddimur Divinæ ipsius naturæ*, 2 Pet. 1. v. 4. *ut ipse factus est Filius hominis ad nostram salutem*, Joh. 3. v. 13. Gal. 4. v. 4. *ita nos per ipsum simus Filii Dei ad Dei gloriam* Joh. 1. v. 12. Ephes. 1. v. 5. 6. *Vt humana ejus natura ex unione communionem habet cum Divina : sic nos propter unionem cum ipso communionem habemus cum Deo* 1 Joh. 1. v. 3. 7. *Ipse solus Mediator est inter Deum & Homines*, 1 Timoth. 2. v. 5. *solus Dominus Ecclesiæ suæ*, Ephes. 4. v. 5. *ejusque in utroque Testamento Servator unicus* Joh. 14. v. 6. Actor. 4. v. 12. Hebr. 13. v. 8.

II. Ad Παιδείαν: *Cum Deus nobis dederit Servatorem, agnoscamus nos perditos fuisse in nostris peccatis* Matth. 15. v. 24. *Agnoscamus summam illorum fœditatem, & ex iis miseriam nostram, utpote à quâ non nisi sanguine Filii Dei mundari & liberari potuimus* 1 Joh. 1. v.7. *Pudore & dolore ob peccata nostra afficiamur, sicque nos coràm Deo humiliemus, exemplo Davidis,* Psal. 51. *Danielis*, cap.9.v.7. *Publicani* Luc. 18. vers. 13. *Gratos nos ergà Deum pro tanto ejus dono* Joh.4.v.10. *præstemus; celebratione hujus beneficii, exemplo Mariæ*, Luc. 1. v.46. *Zachariæ*, v. 68. *Angelorum*, cap.2. v.14. *& aliorum*, ibidem; *invocatione Dei in nomine Christi;* Joh.16.v.23.24. *novæque obedientiæ studio* 1 Pet.4. v.12. *Oremus, ut quemadmodum Christus virtute Spiritus Sancti conceptus & formatus est ex semine incorrupto: sic nos ejusdem virtute concipiamur, formemur*, Gal.4.v.19. *ex semine incorruptibili Verbi Dei* 1 Pet.1. v.23. *Sicut ipse sanctificatus est*, Luc.1.v.33. *& sanctificavit se pro nobis*, Joh. 17. v. 19. *ita nos sanctificemur magis magisque in veritate*, ibidem, v. 17. *& sancti simus* 1 Pet. 1. v. 16. *Audiamus hunc Prophetam, quem audiri vult Pater*, Matth.17. v. 5. *quique vitæ æternæ verba habet* Joh.6.v.68. *Suscipiamus hunc Sacerdotem*, Joh. 1. v. 12. *qui purificat conscientias nostras ab operibus mortuis*, Hebr. 8. v. 14. *qui mundat nos ab omni peccato*, 1 Joh. 1. v.7. *qui unicâ oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur*, Heb. 10. v. 14. *qui etiam semper vivit, ut interpellet pro nobis* cap.7.v.25. *Subjiciamus nos huic Regi, ut populus voluntarius*, Psal. 110. v.3. *cujus dulce est jugum, & onus leve* Matth. 11. v. 30. *Virtutes quoque ejus jussi imitemur*, Matt. 11. v. 29. Joh. 13. v. 15. *obedientiam ergà Deum*, Hebr. 10. v.5. & seqq. Phil. 2. v. 9. *humilitatem*, ibidem, & Johan. 13. v. 14. 15. *innocentiam*, Joh. 8. v. 46. 1 Petr. 2. v. 22. *charitatem*, Joh. 13. v. 1. *mansuetudinem*, Matth. 11. v.29. Luc.9. v.55. *patientiam*, Esa. 53. v.7. 1 Petr.2.vers.23. *diligentiam in munere*, passim, *& quæ sunt alia. Cumque nos ejusdem secum unctionis, etsi gradu dispari, voluerit esse participes*, Heb. 1. v. 9. *ab eaque* Christianos *appellari*, Actor. 11. vers.26. *utpote quos ipse fecit Deo suo Prophetas, Sacerdotes & Reges:* Apoc. 1. v. 6. *hujus nostræ dignitatis memores, quâ* Prophetæ *incumbamus omni studio in agnitionem Dei.* Deut. 6. v. 6. 7. & seqq. Col. 3. v. 16. *in ea nos mutuò confirmemus*, Esa. 2. v. 3. Luc.22.vers.32. *Deumque in Christo agnitum liberè & constanter confiteamur*, Matth. 10. v. 32. 1 Petr. 3. v.15. *exemplo Apostolorum* Actor. 2. v. 5. & seqq.

& seqq. capp. *Quâ* Sacerdotes *sistamus animas & corpora nostra hostiam vivam, sanctam, placentem Deo*, Roman. 12. v. 1. *offeramus ei hostias Spirituales, animum fractum & contritum*, Psal. 51. v. 19. *veram cordis fiduciam*, Psal. 4. v. 6. *obedientiam Euangelii*, Rom. 15. v. 16. *preces*, Psal. 141. v. 2. *laudem & gratiarum actionem*, Heb. 13. v. 15. Apoc. 5. v. 9. 10. *Eleemosynas*, Heb. 13. v. 16. Act. 10. v. 4. *patientiam in cruce & afflictionibus*, Philipp. 2. v. 17. 2 Tim. 4. v. 6. *Alii quoque pro aliis precemur* Jacob. 5. v. 16. *Quâ* Reges *moderemur affectus nostros Spiritu Dei, crucifigendo carnem cum desideriis & cupiditatibus suis*, Gal. 5. v. 24. *exuendo veterem hominem, & induendo novum*, Ephes. 4. v. 22. & seqq. *Pugnemus contrà Satanam & mundum armatura Dei*, Ephes. 6. v. 11. & seqq. *eosque per fidem superemus; quæ mundi est victoria* 1 Joh. 5. v. 4.

III. Ad Ἐπανόρθωσιν: *Nè peccatum vilipendamus, aut leviter patremus, ob quod proprium & Unigenitum Dei Filium, Dominum gloriæ mori oportuit* Rom. 8. v. 32. Joh. 3. v. 16. 1 Corinth. 2. v. 8. *Nè ei deinceps indulgeamus*, Romanor. 6. per totum. *nec gratia Servatoris Iesu ad lasciviam abutamur* Jud. vers. 4. *Nè in alio quàm in Christo salutem quæramus*, Actor. 4. v. 12. 1 Cor. 3. v. 11. *neque alii præter ipsum ullam satisfactionis pro peccatis præstitæ, intercessionisve partem tribuamus*; ibidem. Esa. 63. v. 3. 1 Timoth. 2. v. 5. *Nè ingeramus nos in ullum munus, sicut Christus ipse sibi hunc sumsit honorem ut fieret Pontifex* Hebr. 5. v. 5. *Nec aures obturemus huic Prophetæ: futurum est enim, ut id facientes Deus exscindat* Deuter. 18. v. 19. Actor. 3. v. 22. 23. *Nè spernamus aut conculcemus hostiam hujus Sacerdotis, præter quam non alia reliqua est pro peccatis* Hebr. 10. v. 26. *Nè rebellemus adversus illum Regem, qui exclusos æterna requie*, Psalm. 95. v. 11. *sceptro ferreo in ira sua confringit*, Psalm. 2. v. 9. *ponitque in scabellum pedum suorum* Psalm. 110. v. 1. *Nè etiam in munere Christianismi nostri, per participationem Unctionis Christi nobis commisso, negligentes simus: Nam maledictus, qui facit opus Iehovæ fraudulenter* Ierem. 48. v. 10.

IV. Ad Παράκλησιν, *contrà Peccatum, Satanam, Mundum, miserias hujus vitæ, mortemque corporis, & judicium Dei, sive æternam damnationem*. Contrà Peccatum: *A* Satisfactione *Christi, qua omnia nostra peccata expiavit*, 1 Joh. 1. v. 7. *ut nulla sit amplius in nobis damnatio* Rom. 8. v. 1. *Ab* Innocentiâ *ejus: quia enim justus fuit ipse, consequens est, non pro se, pro nobis injustis passum*

esse,

esse, 1 Petr. 3. v. 18. Heb. 7. v. 27. *atque etiam passionem ejus Deo ratam ac gratam fuisse* 1 Petr. 1. v. 19. 20. *Ab* Intercessione: *Si peccamus, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum Iustum,* 1 Joh. 2. v. 1. *Et si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem Filii ejus: quantò magis nunc reconciliati servabimur per vitam ipsius,* Rom. 5. v. 10. *id est, cum ipse vivat interpellans pro nobis* Heb. 7. v. 25. *A* Gubernatione: *quia Pastor noster antegreditur nos, vocat nos nominatim, educit nos,* Joh. 10. v. 3. 4. & seqq. *per orbitas justitiæ; Virga ejus & pedum nos consolantur,* Psalm. 23. v. 3. 4. *A* defensione: *quia nihil, atque ita nec peccatum, rapiet nos ex manibus ipsius,* Joh. 10. v. 28. 29. *aut ab ipsius charitate separabit* Roman. 8. v. 35. & seqq. Contrà Satanam: *A* Satisfactione, *quâ contrivit caput Serpentis,* Genes. 3. v. 15. *& destruxit eum, penes quem est mortis robur, id est, Diabolum* Heb. 2. v. 14. *Ab* Intercessione, *quâ impetrat ut conservemur ab impio illo,* Joh. 17. v. 15. *nè deficiamus à fide, etsi appetat Satanas ventilare nos sicut triticum,* Luc. 22. v. 31. 32. *quâque os obstruit calumniatori,* Apoc. 12. v. 10. *nè intentare ausit crimina adversus Electos Dei* Rom. 8. v. 33. 34. *A* defensione, *quâ impedit Leonem illum rugientem, nè nos devoret,* 1 Petr. 5. v. 8. 10. *atque ipsum tandem sub pedibus nostris conterit,* Rom. 16. v. 20. *nostrâ quoque sententiâ damnatum* 1 Cor. 6. v. 3. Contrà Mundum: *Ab* intercessione *Christi, quâ conservamur à mundi seductionibus & injuriis* Joh. 17. v. 12. & seqq. *A* defensione, *quâ facit, ut sicut ipse vicit mundum,* Joh. 16. v. 33. *ita nos quoque eum vincamus per fidem,* 1 Joh. 5. v. 4. 5. *& qua facturus est, ut sicut ipse,* Matt. 25. v. 31. *ita & nos mundum omnesque hostes nostros,* 1 Cor. 6. v. 2. *sedentes in Thronis,* Matth. 19. v. 28. *judicemus.* Contrà miserias hujus vitæ, mortemque corporis: *Ab* Incarnatione *Christi, per quam factus est nobis per omnia similis, excepto peccato: ut misericors esset & fidelis Pontifex, qui afficeretur sensu infirmitatum nostrarum,* Hebr. 2. v. 17. cap. 4. v. 15. *per quam factus est frater noster,* Heb. 2. v. 11. *&* גּוֹאֵל, *nobis* agnatus, *qui proinde resuscitabit nos etiam è pulvere terræ* Job. 19. v. 25. *A* Satisfactione *ejus, qua id effectum dedit, ut omnia nobis cooperentur in bonum,* Rom. 8. v. 28. *ut mors nostra aculeo peccati destituta,* 1 Cor. 15. v. 55. *non sit amplius maledicta, sed beata,* Apoc. 14. v. 13. *pretiosa in oculis Iehovæ,* Psal. 116. v. 15. *nec piis solùm,* Phil. 1. v. 23. *sed etiam impiis desiderabilis, ut liquet exemplo Bileami,* Num. 23. v. 14. *Ab* Intercessione, *qua impetrat mitigationem & liberationem,*

ut misericors Pontifex Heb.2. v. 17. *A* gubernatione, *cum consolatur nos Verbo*, Psal. 119. v. 50. 92. *& Spiritu*: Iohan. 16. v. 7. & seqq. Rom. 8. v. 26. *& à* defensione, *quâ prohibet, nè nos separent à charitate Dei.* Rom. 8. v. 33. & seqq. *tandemque plenè à nobis depellit, abolendo mortem, hostem ultimum*, 1. Cor. 15. v. 26. *absorbendoque in victoriam*, v. 54. *& omnem lacrymam à nobis abstergendo* Apoc. 7. v. 17. *Denique* contrà judicium Dei, sive æternam damnationem *exposita est nobis consolatio in* Satisfactione *Christi; qui venit pro nobis in judicium, tùm terrenum Pilati*, Matth. 27. per totum; *tum cœleste Dei irati*; Esa. 53.v. 8. *ut nos, qui credimus, nunquàm in illud venturi simus*; Johann. 5.v. 24. *qui gustavit mortem pro nobis*, Heb. 2.v.9. *ut ipsimet eam nunquam simus gustaturi*; Ioh. 8. v. 52. *qui mortuus est pro nobis, ut ipsi censeamur mortui*, 2. Cor. 5. *v.* 15. *eoque etiam à metu mortis simus immunes*; Hebr. 2.v.15. *qui factus est pro nobis maledictio, ut benedictio Abrahæ in nobis exsisteret* Gal. 3. v. 13. 14. *In* Intercessione *ejus, per quam conservat reconciliatos sanguine suo ab irâ illâ* Rom. 5.v.9. 10. *Postremò etiam in* gubernatione & defensione *ejus, quâ abolet magis ac magis corpus peccati*, Rom. 6. v. 6. *cujus stipendium est mors*, v. 23. *nosque custodit nè ex suis Patrisve manibus rapiamur* Ioh. 10. v. 28.29.

LOCUS UNDECIMUS

De

ECCLESIA.

Satis de Acquisitione Operum Gratiæ. Sequitur Applicatio, *quæ* Subjecto *ejus, &* Modo *continetur.*

Subjectum Applicationis *est* Ecclesia, *sive hominum Electorum Cœtus, quos Deus per Verbum & Spiritum vocat è statu peccati in statum gratiæ, ad æternam gloriam.*

EXEGESIS.

Applicationis subjectum est

SUbjectum Applicationis, hoc est, ii quibus Opera Gratiæ applicantur, non sunt universi & singuli homines, sed ex hominibus tantum illi, qui dicuntur *Ecclesia Dei.*

Ecclesia Dei.

Quemadmodum enim *Christus dilexit Ecclesiam, & exposuit se pro eâ, Ephes.* 5. v. 25. *acquisivit Ecclesiam proprio suo sanguine: Actor.* 20. v. 28. sic *ei ut caput corpori salutem dat, Ephes.* 5. vers. 23. *Sanctificat purificatam lavacro aquæ per verbum, ut tandem sistat eam sibi gloriosam, absque maculâ & rugâ, sanctam & inculpatam,* v. 26. 27. atq; etiam ita conservat, ut *ne portæ quidem inferorum adversus ipsam possint prævalere Matth.* 16. v. 18.

Ejus Etymologia.

Porrò vox *Ecclesia* origine Græca est, respondens Hebrææ קָהָל & Latinæ, *Concio*: dicta παρὰ τὸ ἐκκαλεῖν, *ab evocando*: & significat tùm separationem, vi particulæ ἐκ: tùm collectionem sive congregationem, emphasi verbi καλεῖν. Quo sensu etiam συναγωγὴ, *Iac.* 2. v. 2. ἐπισυναγωγὴ, 2. *Thessal.* 2. v. 1. *Hebr.* 10. v. 25. item πανήγυρις, *Hebr.* 12. v. 23. appellatur.

Synonymia.

Homonymia.

Etsi verò aliquando pro *cœtu profano* usurpata reperitur, *sive* confuso illo ac tumultuario, *Actor.* 19. v. 32. 40. *sive* certo consilio coacto, *Psal.* 26. v. 5. & 2. v. 1. 2. *inter se collatis: communissimè* tamen in Vet. Test. secundum versionem LXX,

Deut.

Deut. 23. v. 1. 2. 3. *Iud.* 20. v. 2. 1. *Reg.* 8. v. 14. *Psal.* 22. v. 23. & in N. Test. secundum editionem authenticam Euangelistarum & Apostolorum, passim *cœtum sacrum* notat: propriè quidem *omnium Electorum & Vocatorum*, sive Pastores sint, sive oves *Matth.* 16. v. 18. *Ephes.* 1. v. 22. *cap.* 5. v. 23. 24. 25. impropriè autem per Synecdochen congregationem alterutrorum, sive *Pastorum*, *Matth.* 18. v. 17. quæ est Ecclesia *repræsentativa*, sive *ovium*, *Actor.* 20. v. 28. quæ Ecclesia *collectiva* dici solet. In primo proprioque significatu definimus *Ecclesiam cœtum hominum Electorum, quos Deus per Verbum & Spiritum vocat è statu peccati in statum Gratiæ, ad æternam gloriam.*

Hujus *Efficiens* communiter est *Deus Pater, in Filio, per Spiritum Sanctum.* 1. *Petr.* 5. v. 10. *Deus omnis gratiæ autor vocavit vos ad æternam gloriam suam in Christo Iesu, &c.* 1. *Cor.* 1. v. 9. *Fidelis est Deus, per quem vocati estis in communionem Filii ipsius.* Singulariter verò *Filius Dei*, Dominus noster Iesus Christus, qui acquisivit Ecclesiam proprio sanguine, *Actor.* 20. v. 28. eamque purificat ac salute æternâ donat *Ephes.* 5. v. 23. *& seqq. Est enim caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, cap.* 1. v. 22. *Coloss.* 2. v. 19. Ideòque quæ in capite Physico spectari solent, dignitas ordinis, perfectio sensuum, movendique virtus: & quæ in capite mystico insuper requiritur, durationis perpetuitas: illa in *capite Ecclesiæ Christo* reperiuntur universa. Efficiens Ecclesiæ communiter, Deus Singulariter, Filius Dei. Christus Ecclesiæ Caput, cujus est

Dignitas ordinis: est namque primogenitus inter multos fratres, *Rom.* 8. v. 29. primogenitus omnis rei conditæ, *Coloss.* 1. v. 15. principium & primogenitus ex mortuis, qui inter omnes primas tenet v. 18. *perfectionum omnium amplitudo*: ut pote in quo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, *Coloß.* 2. vers. 9. in quo absconditi sunt omnes Thesauri sapientiæ & cognitionis, v. 2. & cui Spiritum Sanctum dedit Deus absque mensurâ *Ioh.* 3. v. 34. *Movendi vivificandique virtus*: quia vivificat quos vult *Ioh.* 5. v. 21. Is est, qui salutem dat corpori, *Ephes.* 5. v. 23. & ex ipsius vi intus agente, singula membra incrementum capiunt corpori conveniens *cap.* 4. v. 16. *Coloss.* 2. v. 19. *Durationis* denique *perpetuitas*: Nam semel mortuus non amplius moritur, *Rom.* 6. v. 9. 10. sed est heri & hodie idem, in secula, *Heb.* 13. vers. 8. sempervivens, *cap.* 7. vers. 25. & præsens Ecclesiæ suæ usque ad consummationem seculi *Matth.* 28. v. 20. Nec modò caput est 1. Dignitas ordinis. 2. Perfectionum omnium amplitudo. 3. Movendi vivificandique virtus. 4. Durationis perpetuitas.

Et quidem Solus caput est.

Ecclesiæ, sed etiam *Solus* ejus caput est. Etenim sicut Ecclesia unum tantum corpus dicitur, *Ephes.* 4. v. 4. ita non nisi unum caput habere potest. v. 5. Sicut corpus vocatur congruentur coagmentatum & compactum, vers. 16. ita alia capita præter unum Christum, quocunque etiam nomine insignita, respuit: ut quæ congruentiam illam turbant ac tollunt necessariò. *Administri* Ecclesiæ fuerunt, in Vet. Testam. *ordinariè* Sacerdotes & Levitæ, *Exod.* 13. v. 2. *Num.* 8. v. 6. 16. *Malach.* 2. v. 7. *extrà ordinem* Prophetæ, *Psal.* 74. v. 9. *Heb.* 1 v. 1. In N. T. *temporarii*, Apostoli, Prophetæ, qui interpretabantur Scripturas per subitaneam revelationem, & Euangelistæ, comites Apostolorum in plantandis Ecclesiis; *perpetui*, Pastores & Doctores: Quos dedit, & dat Ecclesiæ suæ ad compactionem Sanctorum & ipsius ædificationem *Ephes.* 4. v. 11. 12. 1. *Cor.* 12. v. 28. Proinde nec imperium habent in Ecclesiam, 1. *Petr.* 5. v. 3. sed ministerium in eâ exercent, 1 *Cor.* 3. v. 5. 9. & legationem apud eam obeunt pro Christo, 2. *Cor.* 5. v. 20. tradentes non quælibet, sed illa tantùm, quæ Christus observari præcepit, *Matth.* 28. v. 20. quæque ipsi à Domino acceperunt 1. *Cor.* 11. v. 23. *Instrumentum* est Verbum Dei; quia vocat Deus per Euangelium, 2. *Thess.* 2. vers. 14. quod est potentia ipsius ad salutem, *Rom.* 1. v. 16. quod est semen illud incorruptibile, ex quo Ecclesia gignitur *Iacob.* 1. v. 18. 1. *Pet.* 1. v. 23.

Administri.

Instrumentum.

Materia, cœtus hominum electorum & vocatorum.

Materia Ecclesiæ est Hominum Electorum & vocatorum cœtus. Ita enim eam nobis describunt Apostoli, 1. *Petr.* 1. v. 1. 2. 1. *Cor.* 1. v. 2. 1. *Thess.* 1. v. 1. 2. 3. 4. & brevissimè Paulus, *Rom.* 8. v. 28. ubi *vocatorum secundum propositum Dei* expressè meminit. Si verò *cœtus* est Ecclesia, jam non consistit ea, aut consistere potest in uno: uti olim opinabatur Elias 1. *Reg.* 19. v. 10. Nam unus non est populus Dei, grex, multitudo credentium, gens sancta, civitas Dei, corpus Christi, congregatio Iustorum; prout ea passim nominatur. 1. *Pet.* 2. v. 9. *cap.* 5. v. 2. 3. *Ephes.* 2. v. 19. *Actor.* 4. v. 32. Si *Hominum cœtus*; utique ad eam non pertinent Angeli, qui nec homines sunt, nec electi aut vocati sunt ut homines. Si *hominum Electorum cœtus*, sicut dicitur 1. *Petr.* 1. v. 2. *Rom.* 8. v. 28. 29. 30. equidem membra ejus esse nequeunt reprobi: quos Christus negat esse oves suas, *Ioh.* 10. v. 26. negat à se cognosci *Matth.* 7. v. 23. Postremò si *cœtus hominum Electorum & vocatorum*,

vocatorum, consequens est, ad constituendum membrum Ecclesiæ non sufficere solam Electionem, sed præter Electionem etiam requiri vocationem. Per *Electionem* destinatione tantùm membra sunt, per *vocationem* autem fiunt membra actu. Ita Paulus *destinatione* erat membrum Ecclesiæ, etiam in Pharisaismo, cum persequeretur Ecclesiam, *Gal.* 1. v. 15. *actu* verò factus est membrum per gratiam vocationis: *ibidem*. E contrâ, cum *excommunicati* & *Catechumeni* nondum baptizati, possint esse Electi & Vocati: ut constat exemplo excommunicatorum ab Ecclesiâ Iudaicâ, *Ioh.* 9. v. 22. & Catechumenorum; Latronis *Luc.* 23. v. 43. Cornelii, *Actor.* 10. v. 2. 34. possunt quoque iidem esse membra Ecclesiæ, & sunt reverà, quotquot vera fide præditi sunt. *Infantes* & *amentes* accensendos Ecclesiæ statuimus *foris*, ex nativitatis conditione; à quâ Sancti dicuntur, qui ex parente fideli, sive utroque, sive alterutro, nati sunt, 1. *Cor.* 7. v. 14. *intus* autem ex vocationis internæ dono, *Rom.* 11. v. 29. per quod novit Dominus eos qui sunt sui 2. *Tim.* 2. v. 19. *Surdorum* alia paulo videtur esse ratio. Hi enim non modo participes fieri possunt vocationis internæ, verum etiam externæ: Non quidem per auditum, sed per visum, quoties Christus crucifixus corâm depingitur fidelibus in Euangelio & Sacramentis: ut est *Gal.* 3. v. 1.

An ad Ecclesiam pertineant. Excommunicati & Catechumeni? Infantes & amentes; Surdi.

Forma Ecclesiæ est *Vocatio* ejus, per Verbum & Spiritum Dei, è statu peccati in statum gratiæ. Hanc formam indicat, *tum* notatio nominis, de quâ antè: *tùm* definitio rei, prout passim traditur in Epistolis Apostolicis; *tùm* singulorum membrorum constitutio. Etenim singula membra Ecclesiæ constituuntur & sunt membra per vocationem: Abraham per vocationem ex Ure Chaldæorum: Paulus per vocationem ex Pharisaismo: alii per vocationem aliunde: omnes per vocationem è statu peccati in statum gratiæ. Quæ autem forma est membrorum integrantium conjunctim, & divisim, ea ipsius integri est forma. Cæterum vocatio illa duplex est; *Externa* per *Verbum*, quâ vocantur etiam illi, qui electi non sunt, atque ita nec membra Ecclesiæ; *Matth.* 20. v. 16. *cap.* 42. v. 14. & *Interna* per *Spiritum*, quæ fit secundum propositum Dei, *Rom.* 8. v. 28. sive secundum propositum Electionis, *cap.* 9. v. 11. & tantum est Electorum *Rom.* 11. v. 29. 2. *Petr.* 1. v. 10. Utraque terminum habet, à quo,

Forma, Vocatio. per Verbum per Spiritum

Termini Vocationis à quo, ad quem.

& ad quem. *Terminus à quo* sunt tenebræ, 1. *Petr.* 2. v. 9. potestas Satanæ, *Actor.* 26. v. 18. mundus *Ioh.* 17. v. 6. *Terminus ad quem*, resipiscentia, *Matth.* 9. v. 13. regnum Dei, *Matth.* 3. v. 2. vita æterna 1. *Tim.* 6. vers. 12. *Prioris* termini respectu dicuntur peccatores: *Matth.* 9. v. 13. *Veni vocatum peccatores ad resipiscentiam*: *Posterioris* respectu appellantur dilecti Dei, & vocati Sancti *Rom.* 1. v. 7. *& alibi.* Ab *utroque* verò exsurgit illa Sanctorum secundum status diversos comparatio: cujus exempla illustria sunt 1. *Cor.* 6. v. 9. 10. 11. *Ephes.* 2. v. 2. *& seqq. Tit.* 3. v. 3. 4. 5. 1. *Petr* 2. v. 10. A duplici hâc vocatione duplicem Ecclesia sortitur appellationem, duplicisque generis notas. Appellatur enim

Ecclesia Visibilis vel Invisibilis.

Visibilis, ratione vocationis externæ per verbum, quæ in sensus incurrit. *Invisibilis* quoque respectu Vocationis Internæ, quę non cadit sub sensus, sed tùm vocanti nota est; 2. *Tim.* 2. v. 19. *Novit Dominus eos, qui sunt sui:* tùm vocatis; *Nam nemo novit novum illud nomen in novo calculo scriptum, nisi qui accepit Apoc.* 2. v. 17. Ideòque docet Christus, regnum Dei non venire cum observatione, sed intus esse, *Luc.* 17. v. 20. 21. id est, in occulto, *Psal.* 45. v. 14. in Spiritu; non literâ, *Rom.* 2. v. 29. ut & profitemur in Symbolo nos credere Ecclesiam. Fides autem invisibilium esse dicitur,

Notæ Ecclesiæ Visibilis,

Hebr. 11. v. 1. Porrò Ecclesia quatenus *Visibilis* est, *notam* habet purè Divinam; *Verbum Dei.* Id enim infallibiter & sensibiliter notat Ecclesiam. *Infallibiter*; quia Ecclesia est cœtus amplectens Verbum Dei; & omnis cœtus amplectens Verbum Dei est Ecclesia: juxtà pronunciata Christi *Iohan.* 8. v. 47. *Qui ex Deo est, Verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* v. 31. *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. cap.* 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt: Vocem alienorum non audiunt v.* 5. *Sensibiliter,* quia Verbum Dei oculis videtur, legitur; auribus auditur, atque ita sensibus percipitur. Ab hâc notâ, quæ prima est & primaria, fluunt aliæ; quæ sic Divinæ sunt, ut tamen humana opera interveniat in illarum dispensatione: à qua plus minusve incorruptæ sunt, prout caussæ dispensatrices sunt plus minusve incorruptæ. Hujusmodi censentur prædicatio & professio Verbi: administratio & usurpatio Sacramentorum, & disciplinæ Ecclesiasticæ exercitio: de quibus agitur *Matth.* 28. v. 18. 19. *Marc.* 16. v. 15. 16. *Actor.* 2. v. 24. *& alibi.* Quatenus verò eadem Ec-

Invisibilis.

clesia est *Invisibilis*, pro *notis* habet, *Fidem, Spem, & Charitatem*

per

per vocationem efficacem inditas: ex quibus quiſque certus eſt de interna ſui vocatione, 2. *Petr.* 1. v. 10. & per quas aliis eam, ſaltem probabiliter certam reddit *Matth.* 5. v. 16. *Iacob.* 2. v. 18. *& ſeqq.* Quâ de cauſſâ 1. *Theſſ.* 1. v. 3. *fides efficax, charitas laborioſa,* & *ſpes* ſive *exſpectatio patiens* vocatur. Ex quibus omnibus id liquere poteſt, cum diſtinguitur Eccleſia in Viſibilem & Inviſibilem, non eſſe diviſionem generis in ſpecies, (eadem enim numero Eccleſia viſibilis eſt, & inviſibilis, ut idem numero homo viſibilis & inviſibilis, κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο) ſed tantùm diſtinctionem, & ex eâ limitationem ſubjecti, ſecundum alium atque alium ejus modum.

Finis Eccleſiæ *ſupremus* eſt gloria Dei, *Epheſ.* 1. verſ. 6. *& ſeqq.* ex prædicatione virtutum illius, qui vocavit nos è tenebris in admirabilem ſuam lucem 1. *Petr.* 2. v. 9. *Subordinatus* eſt ipſius Eccleſiæ redemtio & purificatio, *Tit.* 2. v. 14. ęternaque glorificatio *Epheſ.* 5. v. 27. Finis ſummus. Subordinatus

Effecta ſunt agnitio Dei *Pſal.* 76. v. 2. *Iohann.* 10. v. 4. cultus Dei, *Luc.* 1. v. 75. 1. *Pet.* 1. v. 15. aliorumque converſio *Luc.* 22. v. 31. 1. *Petr.* 3. v. 1. Effecta.

Subjectum ejus, in V. T. fuit terra Iudæ & Iſraelis, ex *Pſal.* 76. v. 2. *Nobilis eſt in Iudâ Deus, In Iſraële magnum nomen ejus.* In N. T. verò orbis univerſus, ex pręcepto Chriſti, *Marc.* 16. v. 15. *Profecti in mundum univerſum, prædicate Euangelium omni orbi condito:* & obedientia diſcipulorum, quorum *ſonus exivit in omnem terram, & quorum verba ad ultima orbis terrarum pertigerunt Romanor.* 10. verſ. 18. Subjectum.

Adjuncta Eccleſiæ vulgatis illis Epithetis exprimantur: quod ſit Vna, Sancta, Catholica, & Militans. *Vna eſt*, quia unum tantùm eſt myſticum Chriſti corpus: cui proinde aggregantur quotquot ſalvi futuri ſunt *Actor.* 2. v. 47. Dicitur etiam una autore Deo, capite Chriſto, vinculo Spiritus, Fide, Spe, & Sacramentis: quos unitatis modos tradit Apoſtolus, *Epheſ.* 4. v. 4. 5. 6. his verbis: *Vnum eſt corpus, & unus Spiritus: ſicut & vocati eſtis in unam ſpem vocationis veſtræ. Vnus Dominus, una Fides, unum Baptiſma: unus Deus & Pater omnium.* Deinde *Sancta* appellatur, tum *imputatione*, quia ſanctificata eſt per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel factam, *Hebr.* 10. v. 10. tùm *inchoatione*, per renovationem Spiritus Sancti eam regenerantis, *Tit.* 3. v. 5. & quotidanum Adjuncta. quod Vna, Sancta,

num in pietate profectum, *Philipp.* 3. v. 12. 13. 14. tùm *separatione*, utpote quæ est populus ille peculiaris, *Tit* 2. v. 14. genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus quem sibi Deus ut proprium vendicat 1. *Petr.* 2. v. 9. Sic igitur Sancta est quoad Sanctitatem inhærentem, ut expers tamen non sit *vel* ignorantiæ & erroris in mente, quia expertè tantùm cognoscit, 1. *Cor.* 13. v. 9. *vel* defectus vitiive in voluntate; cum in multis impingant omnia ejus membra, *Iacob.* 3. vers. 2. carne adversus Spiritum concupiscente, *Gal.* 5. v. 17. & lege membrorum belligerante adversus legem mentis, *Rom.* 7. v. 23. eòque remissionem peccatorum suorum à Deo quotidiè petant *Matth.* 6. v. 12. Interim nec error, nec peccatum ullum exitiale in eam cadit: custoditur enim virtutis Divinæ præsidio, 1. *Petr.* 1. v. 5. nè portæ inferorum adversus ipsam prævaleant, *Matth.* 16. vers. 18. & quia semen Dei in ipsâ manet, non modo non peccat datâ operâ, ad exitium, sed nè peccare quidem eo pacto potest, ex testimonio Ioannis 1. *Epist.* 3. v. 9. Tertiò vocatur *Catholica*: Quę vox dupliciter Ecclesiæ tribuitur, absolutè & oppositè. *Absolutè* Catholica est; quia amplectitur doctrinam de Christo Servatore Θεανθρώπῳ, *cui testimonium dant omnes Prophetæ, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus quemvis, qui credit in eum, Actor.* 10. v. 43. & per cujus gratiam æquè servati sunt Veteris Testamenti Patres, atque nos *cap.* 15. v. 11. *Opposite* Catholica est Ecclesia N. Test. *partim* ad Ecclesiam V. T. angustis Iudææ finibus inclusam, *partim* ad conventicula hæreticorum. *Priore* modò Catholica est respectu locorum, personarum, & temporum. *Locorum*: quia dispersa est per mundum universum, per totum orbem conditum, *Marc.* 16. v. 15. Quo sensu ei opponuntur Ecclesię *particulares*, tum κατὰ πόλιν, *Rom.* 1. v. 7. 1. *Cor.* 1. v. 2. & *alibi.* tùm κατ' οἶκον *Rom.* 16. v. 3. 5. 1. *Cor.* 16. v. 19. *Personarum*: quia absque discrimine ex quovis hominum genere, ordine, & statu legitur. Non enim est distinctio vel Iudæi, vel Græci, *Rom.* 10. v. 12. sed in quavis gente acceptus est ei quivis *Actor.* 10. v. 35. Unde agno canunt Seniores *Apoc.* 5. v. 9. *Redemisti nos Deo per sanguinem tuum ex omni tribu, & linguâ, & natione, & populo. Temporum*: quia in hoc mundo ante secundum Christi adventum nunquam cessabit. Est enim nobiscum Christus usque ad consummationem seculi, *Matt.* 28. vers. 20. & Cœnam suam celebrari à nobis vult usque dum veniat

[Margin notes: Imperfectè tamen. — Catholica — Absolutè. — Oppositè — Discrimen Ecclesię Iudaicę & Christianæ.]

niat 1. *Cor.* 11. v. 26. Ex quibus totidem colliguntur Ecclesiæ Judaicæ & Christianæ discrimina: alia verò quæ in obscuritate & claritate doctrinæ, in ceremoniarum multitudine & paucitate, in signorum quoque sacramentalium diversitate consistunt, alibi traduntur. *Posteriore* modo Catholica dicta fuit, quod teneret & tueretur doctrinam Catholicam; contrà quam faciebant hæretici & novatores. Ita enim Vincentius *contrà Hæreses cap.* 3. *In ipsâ,* inquit, *Catholicâ Ecclesiâ magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum: hoc est enim verè proprièque Catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè universaliter comprehendit.* Quamobrem etiam Ecclesiæ particulares *Catholicæ* dici consueverunt, & earum Episcopi, Episcopi Ecclesiæ Catholicæ, ut hoc titulo distinguerentur à cœtibus Hæreticorum & Schismaticorum. Docet id lex Theodosiana *apud Sozom. lib.* 7. *cap.* 4. quâ sanxit, ut *illorum duntaxat Ecclesia diceretur Catholica, qui Trinitatem Divinam æquali honore colerent; qui diversum sentirent, hæretici appellarentur, & ignominiâ notarentur.* Postremò dicitur quoque Ecclesia *Militans:* militat namque in terris duce Christo, contrà Satanam. Mundum, & Carnem suam, armis Spiritualibus, *Ephes.* 6. v. 11. *& seqq.* 1. *Pet.* 5. v. 8. 9. ac præclarum decertat certamen. 2. *Timot.* 4. vers. 7. Sicque *aliquando* illustris est, ampla, conspicua omnibus, prout fuit temporibus Apostolorum, quorum sonus exivit in omnem terram, *Rom.* 10. v. 18. & deinceps ante stabilitam & post revelatam Hierarchiæ Romanæ tyrannidem. *Aliquando* verò est obscura, ad paucissimos redacta, oculos hominum fugiens: qualis fuit sub persecutionibus Impp. Ethnicorum & Paparum 2. *Thess.* 2. v. 1. *& seqq. Apoc.* 12. v. 14. Opponitur Ecclesiæ Militanti, status respectu, *Ecclesia Triumphans*, quæ est comprehensorum, *Philipp.* 3. vers. 12. *& seqq.* sive Justorum consummatorum, *Hebr.* 12. v. 23. quam jam stitit sibi Christus gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi *Ephes.* 5. v. 27. Ideòque nec vocatur amplius, sicut ista: quia metam apprehendit, *Philipp.* 3. vers. 12. nec regeneratur: quia consummata est, rugæ maculæve expers, *Hebr.* 12. v. 23. *Ephes.* 5. v. 27. nec obscuratur ab hostibus, aut tristatur: quia gloriosa est, habens Satanam hostesque suos sub pedibus, *Rom.* 16. v. 20. 1. *Cor.* 15. & gaudet in Deo suo, qui omnes ipsi lacry-

Discrimen Ecclesiæ à cœtibus hæreticorum & schismaticorum.

Militans.

Ecclesia Triumphans.

mas abstersit, *Apocalyp*. 7. vers. 17. denique non in terrâ, sed in cœlo, in domo Patris *Iohann*. 14. vers. 2, 3. degit, glorificans eum in secula seculorum.

Superest Loci de Ecclesiâ Usus. *Est ille,*

I. Ad Διδασκαλίαν: *Semper fuit, est, & erit Deo sua in terris Ecclesia* Ephes. 1, 2, 4. & 5. capp. Matth. 16. vers. 18. cap. 28. v. 20. *Ea ut non est ab hominibus, sed à Deo, ita nec regitur consiliis, nec defenditur auxiliis humanis, sed divinis* Ephes. 1. v. 22. cap. 4. v. 10. & seqq. Johann. 10. vers. 28. Psal. 110. per totum. *Foris ignobilis, obscura, contemta: intus nobilissima est & splendidissima* Luc. 17. v. 20, 21. 1. Cor. 1. v. 26. Psal. 45. v. 14. *Summa ejus est prærogativa: ut quæ est domus Dei viventis, columna & stabilimentum veritatis*, 1. Timoth. 3. v. 15. *In quâ gratiæ suæ Thesauros deposuit, & extrà quam non est salus* Actor. 2. v. 47 Ephes. 5. v. 23. & seqq. *Est in eâ communio cum Deo, Christo, & omnibus Sanctis* 1. Johan. 1. vers. 3. & seqq. 1. Cor. 1. v. 9. cap. 10. v. 17.

II. Παιδείαν: *Gratias agamus Deo, qui nos ab æterno elegit, & in tempore vocavit ad Ecclesiæ suæ communionem*, 1. Petr. 2. v. 9. *exemplo Pauli*, 1. Corint. 1. vers. 4. & seqq. *& Seniorum* Apoc. 5. v. 9. *Sequamur Deum vocantem: exemplo Abrahæ*, Genes. 12. *Apostolorum*, Matth. 19. v. 27. *Pauli* Actor. 26. vers. 19. *Obsequamur capiti nostro Christo & Spiritui ejus*, Matth. 17. vers. 5. Hebr. 8. v. 9. *Ministris denique Ecclesiæ, legatis Christi*, 2. Corint. 5. v. 20. *& ductoribus nostris obsecundemus* Hebr. 13. v. 17. Matth. 18. v. 17. *Hauriamus ex Christo aquam vitæ*, Johann. 4. v. 14. cap. 7. vers. 37, 38. *& augescamus ut membra ejus augmento Dei*, Coloss. 2. v. 19. *quò paulatim adolescamus in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi* Ephes. 4. vers. 12. & seqq. *Et quia vocati sumus à peccato*, Matth. 9. v. 13. 1. Petr. 1. v. 9. *caveamus deinceps illud sedulò*, Romanor. 6. per totum: *quia vocati sumus ad justitiam & vitam, contendamus inoffenso pede ad scopum & præmium supernæ vocationis* Philipp. 3. v. 12. & seqq. *Unum simus, sicut Deus & caput nostrum unum sunt* Johann. 17. v. 22. *Sancti simus, sicut Deus noster Sanctus est*, 1. Petr. 1. v. 16. *sicque agendo vocationem & electionem firmam nobis faciamus* 2. Petr. 1. vers. 10. *Militemus quoque bonam illam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam*, 1. Timot. 1. vers. 18.

verſ.18.19.Epheſ.6. verſ.11. & ſeqq. *exemplo Apoſtoli* 2.Tim.4. verſ. 7.

III. Ad Ἐπανόρθωσιν: *Nè gratiam Dei in Chriſto ponamus extrà Eccleſiam* Epheſ. 5. v.23. & ſeqq. *Nè præter Chriſtum aliud Eccleſiæ caput agnoſcamus* Epheſ. 4. v.4. 5. 6. 1.Cor.3. v.11. *Nè ſatis eſſe putemus, ſi ſimus in externo cœtu Eccleſiæ, virtutibus interim ejus careamus* Matth.7. v. 21. cap.22. v. 11. *Nè ſolo Eccleſiæ titulo ſuperbiamus, exemplo Iudæorum* Jerem. 7. v.4. *Nè communionem cum impiis, ab Eccleſiâ alienis, colamus* 1. Cor. 10. v. 20. 21. *Nè deſperemus de Eccleſiâ, cum in deſertum expellitur, obſcuratur* Matth. 24. v. 16. & ſeqq. Apoc. 12. v. 6. *Nec aggregationem noſtri mutuam deſeramus* Hebr. 10. v. 25.

IV. Ad Παράκλησιν: *Deus nunquam deſeret Eccleſiam ſuam, aut membra ejus*, Matth. 16. v. 18. cap. 28. v. 20. Joh. 10. v.28. *expromiſſione*, Non omittam te, nec unquam Te deſeram Hebr. 13. v. 5. *Chriſtus eam vegetat & vivificat*, Epheſ. 4. v. 12. & ſeqq. *Spiritus S. docet, ducit, & ſolatur* Joh. 14. 15. 16. capp. *Hinc inſultat omnibus hoſtibus ſuis, etiam militans* Rom. 8. v. 31. & ſeqq. *Novit, non coronari, qui non legitimè certaverit*, 2. Tim.2. v.5. *In certamine non tentari ſe ſuprà vires*, 1. *Cor.* 10. v. 13. *nec prævalituras adverſum ſe portas inferorum*, Matth. 16. v. 18. *ſed fidem ſuam mundi eſſe victoriam* 1. Joh. 5. v. 4. *Poſtremò, ſibi poſt tàm præclarum certamen incorruptibilem, incontaminabilem, & immarceſſibilem juſtitiæ coronam impoſitum iri* 2.Tim.4. v.8. 1.Pet.1.v.4.

LOCUS DUODECIMUS

De

Vocatione per VERBUM

ET

SACRAMENTA.

Modus Applicationis *duplex est:* Externus & Internus.

Externus *fit per Verbum*, & *Sacramenta.*

Per Verbum, *quatenus Deus concione* Legis *præparat suos ad accipiendam gratiam, concione verò* Euangelii *eam offert & confert.*

Per Sacramenta, *quatenus eandem gratiam eis declarat & obsignat. Vnde signa & sigilla gratiæ Dei in Christo esse definiuntur.*

Talia Sacramenta in V. T. *erant* Circumcisio, & Agnus Paschalis; in N. Test. *autem sunt* Baptismus & Cœna.

Baptismus *est primum Sacramentum N. Test. per externam aquæ adspersionem & ablutionem, declarans & obsignans fidelibus internam ipsorum ablutionem, per sanguinem & Spiritum Christi.*

Cœna *est alterum Sacramentum N. Test. per panis fracti & vini effusi distributionem & perceptionem, declarans & obsignans fidelibus communionem corporis Christi pro ipsis fracti in cruce, & sanguinis pro ipsis effusi ad vitam æternam.*

EXEGESIS.



A Subjecto Applicationis transimus ad ejus *Modum*, qui duplex est, prout vocatio Ecclesiæ est duplex: *Externus* per Verbum, *Internus* per Spiritum. Horum modorum *συζυγία* in verâ ac catholicâ Christi Ecclesiâ cernitur, 1. *Cor*. 3. vers. 6. utpote cujus membra sunt vocati illi κατὰ πρόθεσιν τοῦ Θεοῦ *Rom*. 1. v. 28. *Prior* vere sic est in Ecclesiâ, ut tamen ad illos quoque pertingat, qui sunt extrà Ecclesiam: quemadmodum Christus multos vocatos, paucos electos pronunciat *Matth*. 20. v. 16. *cap*. 22. v. 14. Quia enim degit in mundo, *Iohan*. 17. v. 11. colligitur è mundo, *cap*. 15. v. 19. neque inde tollenda est, *cap*. 17. v. 15. fit, ut ad utrosque mixtim externa illa vocatio perveniat. Sed in *illis* est potentia Dei ad salutem. *Rom*. 1. v. 16. hoc est, efficax & potens organum ad conversionem: In *cæteris* organum est, non ad conversionem, sed ad *ἀναπολογίαν*, ut reddantur inexcusabiles, *Rom*. 1. v. 20. *Ioh*. 15. v. 22. vel *quia* rejecerunt Euangelium, ut Judæi, *Actor*. 13. v. 46. & tergiversatores illi, de quibus est *Luc*. 14. v. 18. vel *quia* indignè eo se gesserunt, *Matth*. 22. v. 11. vel *quia* ab eo desciverunt: ut apostatæ 1. *Ioh*. 2. vers. 19.

Modus Applicationis Externus & internus.

Externus mixtim pervenit ad electos & vocatos tantum.

Modus Externus Applicationis fit per *Verbum & Sacramenta*: quæ duo etsi subordinata sunt: etsi efficiente principali & instrumentali, fine sive usu, atque etiam objecto conveniunt: differunt tamen essentiâ, subjecto applicationis, modo, & ordine applicationis, necessitate, & duratione: ut proinde de utroque distinctè agendum sit. Et de *Verbo* quidem, quatenus principium est omnium dogmatum Christianorum, suprà egimus prolixè. Hic verò spectatur peculiariter, *ut organum Divinæ vocationis*: utpote cui inter homines instituendæ servit, secundum utramque partem integrantem, Legem & Euangelium. Quod ipsum docet Scriptura infinitis locis. Confirmat quoque praxis continua Prophetarum, Joannis Baptistæ, Christi, & Apostolorum, in V. ac N. T. Ecclesiâ observata. Etenim Prophetæ taxarunt & damnarunt peccata populi, hortati sunt eum ad resipiscentiam ante, quàm consolarentur, aut erigerent promissionibus gratiæ, *Esa*. 1. *&* *passim*. Joannes *prædicavit Baptismum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum*

Modus externus fit

I. Per *Verbum*

catorum Marc. 1.verſ. 3. Chriſti docentis vox fuit; *Reſipiſcite,& credite Euangelio,v.*15. Petri: *Reſipiſcite,& baptizetur unusquiſque veſtrum in nomen Ieſu Chriſti,in remiſſionem peccatorum Actor.*2.*v.* 38.Sic Paulus in Apoſtolatu ſuo duo illa ſedulò & perpetuò urſit; opponens *Legem Operum* & *Legem Fidei,Roman.*3.v.27.*Iuſtitiam quæ eſt ex lege, & quæ eſt ex fide, cap.* 10.v.5.6. *miniſterium literæ, mortis,ac condemnationis;& miniſterium Spiritus ac juſtitiæ.*2.*Corint.* 3.v.6.7.*Legis* primæ hîc ſunt partes. Illa ſiquidem *primùm* deducit in agnitionem peccati, *Rom.* 3. v. 20. *cap.* 7. v. 7. oſtendens nobis defectus & pravitatem naturæ, multiplicemque in actionibus noſtris ἀνομίαν: *deinde* autem proponit maledictionem Legis ob peccata, tàm originale quàm actualia, nobis incumbentem, feriens nos fulmine illo Maledictionis, *Deuter.* 27. v. 26. *Gal.* 3. v. 10. ex quo anxietas, metus, trepidatio concipitur, & dolor ille qui eſt ſecundum mundum 2.*Cor.*7.v.10. *Vtroque* verò actu *præparat* nos ad gratiam Euangelii dignè accipiendam: utpote quæ peccatoribus deſtinata eſt, *Matth.* 9. *v.* 13. 1. *Tim.* 1.*v.*13. & laborantibus oneratis, *Matth.* 11. *v.* 28. pauperibus contritis Spiritu,trepidantibus ad Verbum Dei, *Eſa.* 66. *v.* 2. confertur. Alteræ & ſuccedaneæ partes ſunt *Euangelii:* quod *primò* offert peccatoribus, ſenſu peccatorum ſuorum & iræ Dei contritis,gratiam Dei in Chriſto, revelans eam quæ tacita fuit à temporibus ſecularibus, *Rom.*16.*v.*15.declarans,quæ eſt incomprehenſibilis, & vel ſtultitia,vel offendiculum rationi, 1. *Cor.*1.*&* 2.*capp.*oſtendens quoque ejus participandæ modum per fidem: *Romanor.*10. *v.* 9. 10. *Deinde* etiam operatur fidem, ut efficax & potens organum, *Rom.* 1. *v.* 16. quia illa ex prædicato & audito Verbo eſſe dicitur *cap.* 10. *v.* 17. Atque ita *applicat* gratiam credenti, ex Chriſti promiſſione: *Ioh.*5.*v.*24. *Amen,amen dico vobis,qui ſermonem meum audit, & credit in eum,qui miſit me,habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet,ſed tranſivit à morte ad vitam.* Ex quo porrò naſcitur Gaudium, & Dolor. *Gaudium*, quia Juſtificati fide pacem habemus, lætitiam, & gloriationem in Deo *Rom.*5.*v.*1. *& ſeqq.* *Dolor*, quia cognitâ ex Euangelio tantâ Dei Patris ergà nos miſericordiâ, dolore & pudore propter ipſum peccatis noſtris offenſum afficimur. Qui dolor non eſt prior ille *ſecundum mundum*,ſed alius,quem vocat Apoſtolus *ſecundum Deum* 2. *Cor.* 7. *v.* 10. Ad quem ſequitur vera μετάνοια, ſive mutatio in

Legis

Præparatis ad gratiam Euangelii;

Euangelii.

Applicantis gratiam credenti.

in mente, voluntate, affectibus, & omnibus actionibus, *ibidem*, à malo ad bonum *Psal.* 34. v. 15. Atque hîc iterum Euangelio subservit *Lex*: Quum enim mutatio illa non pro cujusque libitu, sed ex Legis Divinæ præscripto facienda sit: *Esa.* 8. v. 20. *Ezech.* 20. v. 18. 19. *Matth.* 15. v. 8. 9. *Coloss.* 2. vers. 8. 18. offert se ea nobis, ut novæ vitæ regula, & placentis Deo gratitudinis norma. *Psalm.* 119. v. 105. *Ierem.* 31. v. 33. *Romanor.* 6. *per totum*, & *alibi*. Legis, ceu regulæ vitæ.

Sequitur alter Modus applicationis Externus per *Sacramenta*. Vox *Sacramenti* est à sacrando, & significat apud autores profanos *pecuniam* loco sacro à litigantibus depositam: item *militem* mediante juramento militiæ sacratum: denique ipsum *Iuramentum*, quo Imperatori suo obstringebatur. Hinc eam prisci Patres in Ecclesiâ Latinâ, ad designandum *rituum Sacrorum usum* traduxerunt: sicut Patribus Ecclesiæ Græcæ appellatio *Mysterii* in usu fuit. Neutra verò propria est, sed tropica utraque, illa *Metaphorica*, ista *Synecdochica*. Proinde convenientiores omninò censendæ sunt appellationes Scripturæ, in quâ Sacramenta σημεῖα, σφραγῖδες, *Rom.* 4. *v.* 11. ἀντίτυπα, 1. *Petr.* 3. *v.* 21. ὑποδείγματα *Hebr.* 8. *v.* 5. *cap.* 9. *v.* 23. dicuntur. Quia tamen prior illa longo jam usu recepta est, nec à nobis rejicienda, sed ut æquivoca in significationes æquivocatas distinguenda est. Sunt illæ tres potissimum. *Primò* accipitur pro signis sive ritibus externis: *secundò* accipitur pro re signatâ internâ: & *tertiò*, pro utriusque rei, externæ & internæ, signi & signati, complexu. In quo significatu definiuntur *Sacramenta*, *signa & sigilla gratiæ Dei in Christo*. II. Per Sacramenta. Vocis homonymia.

Efficiens eorum est *Deus*, *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*. Is enim semper instituit Sacramenta in Ecclesiâ suâ: utpote cui proprium est, non minus obsignare, quàm dare gratiam. Cumque pars sint cultus Divini, sanè ab alio, quàm ab ipso Deo proficisci nequiverunt *Ezech.* 20. v. 18, 19, 20. *Matt.* 15. *v.* 19. Instituit verò ea non mediatè per alios, Angelos & Homines, sed *immediatè* per se: adhibito Verbi sui instrumento, quod *Verbum* est partim *mandati*, administrationem & usurpationem Sacramentorum definiens: partim *promissionis*, usum eorum efficaciamque declarans. *Dispensationem* interim hominibus, suis in Ecclesiâ ministris & œconomis, commisit 1. *Cor.* 4. *v.* 1. Efficiens, Deus. Institutione immediatâ.

Materia

Materia Externa. signa & sigilla.

Materia Sacramentorum alia externa est, alia interna. *Externa* sunt *signa* & *sigilla*: quorum distincta mentio est *Roman.* 4. *v.* 11. *Signa* dicuntur, quia aliquid signant sive significant; & *Sigilla*, quia aliquid obsignant & confirmant. Utramque habent Sacramenta non ex se, aut à naturâ suâ, ut signa naturalia: neque ex ordinatione humanâ, ut signa humana: sed ex institutione Divinâ; non communi, ut iris, *Genes.* 9. v. 12. 13. sed singulari; ut quæ gratiæ singularis ergà Ecclesiam sunt testimonia. Materia *interna* est *gratia Dei in Christo*: qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia, Sanctificatio & redemptio 1. *Cor.* 1. v. 30. Ut verò Christus heri & hodiè idem est, & in secula, *Heb.* 13. v. 8. ita eandem semper gratiam Ecclesiæ suæ declaravit & obsignavit per Sacramenta. Quæ caussa est, quod materiæ internæ respectu, Apostolus fidelibus V. T. tribuit Sacramenta N. T. 1. *Cor.* 10. v. 1. 2. 3. 4. *Ephes.* 4. v. 6. & vicissim fidelibus N. T. tribuit Sacramenta Test. Veteris *Coloss.* 2. v. 11. 1. *Cor.* 5. v. 7.

Interna, gratia Dei in Christo.

Forma consistit in

Forma Sacramentorum consistit in relatione materiæ externæ ad internam, hoc est, tùm in *declaratione* rei signatæ per signum; tùm in *obsignatione* sive confirmatione ejusdem per sigillum. Quæ duæ partes; *Unionis*, itemque *Analogiæ Sacramentalis* terminis vulgò exprimuntur. *Declaratio* pendet ex similitudine illâ, quæ materiæ externæ cum internâ, signo cum signato intercedit: quemadmodum in omnibus Sacramentis hujusmodi signa Deus adhibuit, quæ similitudinem aliquam cum rebus signatis obtinent. *Obsignatio* autem pendet ex promissionis Divinæ veritate; quæ cum constans sit & infallibilis, inde fit, ut nomina signorum & signatorum inter se permutentur in Scripturâ, & unum dicatur esse alterum. Ex quo est, quod *Phrasiologia Sacramentalis* duplex in Scripturâ reperitur: propria & tropica. *Propria* est, cum quod signi est signo; quod signati, signato tribuitur: ut, *Circumcisio est signum fœderis*, *Gen.* 17. v. 11. *sigillum justitiæ*, *Rom.* 4. v. 11. *Sanguis Christi mundat nos ab omni peccato* 1. *Ioh.* 1. v. 7. *Impropria* est, cum quod signi est signato, & quod signati est signo tribuitur. Scholæ *Metonymiam Sacramentalem* vocant: quæ duplex inde constituitur: alia ad Metonymiam subjecti, alia ad Metonymiam adjuncti pertinens. Ad *Metonymiam subjecti*, cum signo tribuitur nomen, effectum, vel adjunctum signati: ut, *Circumcisio est fœdus*, *Gen.* 17. v. 10. *Agnus Paschalis est transitus*, *Exod.* 12. v. 21. *Panis est corpus Christi*, *Matth.*

declaratione rei signatæ per signum.

Obsignatione ejusdem per sigillum.

Phrasiologia Sacramentalis. Propria.

Impropria, per metonymiam.

Subjecti.

Matth. 26. v. 26. *Baptismus est ablutio peccatorum, Actor.* 22. v. 16. Ad *Metonymiam adjuncti*, cum quod signi est, signato tribuitur: ut, *Christus est Pascha*, 1. *Cor.* 5. v. 7. *Christus est agnus mactatus ab origine mundi Apoc.* 13. vers. 8. Corpus Christi in Cœnâ frangitur: sanguis ejus in Cœnâ funditur. Licet autem Phrases figuratæ reducendæ sint & resolvendæ in proprias, nè quid latentis ἐνεργείας affingatur Sacramentis, ipsaque ex opere operato conferre gratiam putentur; Scriptura tamen ob declarationis evidentiam, obsignationisque certitudinem, quæ est in legitimo usu, illis magis, quàm his utitur. Adjuncti.

Finis Sacramentorum *supremus* est gloria Dei. *Subordinatus* est partim significatio & obsignatio gratiæ Dei, partim testificatio officii nostri ergà Deum & proximum, publica fidei professio, tandemque æterna salus: ut est, *Gen.* 17. 1. *Cor.* 10. & 11. *capp. Epes.* 4. v. 5. 1. *Petr.* 3. v. 21. Finis summus & subalternus.

Effecta patescunt ex Fine: ad quæ referendæ per accidens, *tùm* castigationes fidelium Sacramenta non conveniente religione accipientium, 1. *Cor.* 11. v. 27. 29. *tùm* pœnæ infidelium accipientium ea absque fide, *ibidem*: vel etiam pedibus conculcantium sanguinem fœderis, per quem sanctificati erant *Hebr.* 10. vers. 29. Effecta.

Objectum sive *Materia circà quam* in materiâ internâ & externâ, sive in signo & signato consistit.

Subjectum cui, est *Ecclesia*, sive *cœtus fidelium*, quibus ut promittit Deus gratiam suam in Verbo, ita obsignat per Sacramenta. *Infidelibus* ut nihil promittit, sic nihil obsignat. Relinquitur ergò, esse ipsis Sacramenta nuda tantùm signa: circumcisionem non fuisse Judæis infidelibus circumcisionem, sed præputium *Rom.* 2. v. 25. Baptismum esse infidelibus Christianis tantùm ablutionem sordium corporis, non verò ablutionem sordium animæ, sive peccatorum, quam sequitur stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum 1. *Petr.* 3. v. 21. Non facit quidem Sacramentum *fides* nostra; neque illud destruit *infidelitas* nostra: tale quippe est ex institutione Dei, per materiam suam & formam: interim fides est conditio illa, quæ ad obsignationem requiritur ex parte recipientis: infidelitas est conditionis illius defectus, quâ manente obsignatio fieri aut recipi non potest: ut ita quod in se & instituentis respectu Sacramentum est, possit esse vel non esse Sacramen- Subjectum fideles. Non infideles. Fides necessitas in Sacramenti usu.

cramentum respectu utentis, prout nimirum adest vel abest conditio, ad recipiendam obsignationem in usu Sacramenti divinitus requisita.

Adjuncta, quod sensibilia.

Adjuncta Sacramentorum, quoad materiam externam, duo damus. *Primo* enim *sensibilia* sunt, ut quæ non modò visu, sed etiam tactu, nonnulla insuper gustu & olfactu percipiuntur. Quo humano, nobis convenienti, modo Deus pro φιλανθρωπίᾳ sua fidei nostræ infirmitati consulere voluit, ut certissimum nobis esset, quod auditui nostro in Verbo, visui sensibusque cæteris in Sacramentis proponitur. *Deinde* etiam signa sunt *ordinaria*, non extraordinaria, ut miracula, *Iohan.*2.v.11. *cap.*20.v.31. quia usus sunt ordinarii in Ecclesiâ, *Genes.*17. *Matth.*28.1.*Corint.*11. quæ *partim* durarunt ad primum usque Christi adventum, *Rom.* 10.v.4. *Galat.*4.vers.1. *& seqq.* *partim* usque ad adventum secundum duratura sunt *Matth.*28.vers. 19.20. 1.*Corinth.* 11. vers.26.

Ordinaria.

Sacramentorum V. & N. T. convenientia & differentia.

Distinguuntur Sacramenta in ea quæ *Veteris*, & alia quæ *Novi Testamenti* sunt. Quorum *convenientia* est in efficiente Deo; materiâ internâ, quæ est gratia ipsius in Christo; formâ communi, & fine: *differentia* autem in materiâ, externâ, sive signis Sacramentalibus; in materiâ internâ, quoad ejus modum, qui est Christus venturus & exhibitus; in efficaciâ; in subjecti amplitudine; & claritatis & obscuritatis, difficultatis & facilitatis, & denique durationis adjunctis spectatur. Etsi autem alia aliis successerunt, Baptismus Circumcisioni, *Coloss.*2. v.11.12. Cœna Dominica Paschati, *Luc.*22.v.15.non tamen successerunt ut corpus umbræ, signatum signo: sed ut ritus novi, ritibus veteribus; ut figuræ clariores de re præteritâ, figuris obscurioribus de eâdem adhuc futurâ 1.*Petr.*3.v.21. Alioquin Sacramenta V. Test. non fœderis, sed Sacramentorum N. Test. sigilla fuissent: Et Sacramenta Nov. Test. σχέσιν duplicem sustinerent, alteram signi ad Christum, alteram signati ad Vet. Test. Sacramenta: quod est contra Scripturam *Genes.*17.v.11. 1.*Cor.*5. v.7. *cap.*10.v.16. *cap.*11.v.24.25.

Sacramenta V. T. extraordinaria.

Cæterum *Sacramenta V. Test.* alia Extraordinaria, alia Ordinaria fuerunt: *Extraordinaria*, Diluvium, 1.*Petr.*3. v.20.21. transitus per mare rubrum, & commoratio sub nube, 1.*Cor.*10. v.1.2. quæ Baptismo; & Man cœlitus, aqua è petrâ, data,

1.*Cor.*10. verſ.3.4. quæ Cœnæ aliquâ ſimilitudine reſpondent. *Ordinaria* autem, Circumciſio, *Geneſ.*17. v.10.11. & Paſcha, *Eoxd.*12. 13. *capp.* quibus tamen alii Sacrificia, *Levit.*1. 3.4.6. *capp.* & Purificationes, *cap.*14.annumerant. Sed *Purificationes* non niſi in ſignificatu latiore dici poſſunt Sacramenta. *Sacrificia* verò eo potiſſimum diſtinguuntur à Sacramentis, quod in illis Deo offerebantur res; in hiſce contra Deus hominibus offert & confert ſua dona. Ordinaria.

Circumciſio eſt primun V.T. Sacramentum, per amputationem præputii declarans & obſignans amputationem peccatorum. Ejus cauſſa *Efficiens* eſt *Deus* immediatè & per ſe Circumciſionem inſtituens *Geneſ.*17.v.10.& *ſeqq.* Cauſſa *adminiſtra*, uti videtur, fuit quiſque *Paterfamilias* in domo ſuâ. Nam & Abraham ſe ſuoſque, *Geneſ.*17.v.23. & *ſeqq. cap.*21.v.4. & Zacharias filium Joannem circumcidit *Luc.*1.v.59. Quod verò etiam Materfamilias Zippora eam legitur adminiſtraſſe, *Exod.*4.v.24.25. id præter, imò contrà ordinem divinitus ſancitum factum eſſe ſtatuimus. *Inſtrumentum* erat culter acutus *Exod.*4.v.25. *Ioſ.*5. v.2. *Materia externa* fuit amputatio præputii, in membro genitali maſculorum: *Geneſ.*17.v. 10.11. utpote qui ſunt principium activum corruptæ generationis *Geneſ.*5. v.3. *Ioh.*3. v.6. Eaque circumciſio, dicitur *circumciſio in propatulo, in carne, in literâ*, *Rom.*2.v.28.29.& qui ita tantùm circumciſi ſunt, *incircumciſi corde & auribus* vocantur *Actor.*7. v.51. *Interna* autem, amputatio peccatorum per gratiam Juſtificationis, *Rom.*4. v.11. & Sanctificationis, *Deut.*30.v.6. quæ eſt *circumciſio cordis, in occulto, in Spiritu*, *Rmo.*2.v.29. & ſine manibus peragitur *Coloſſ.*2.verſ.11. *Forma* erat amputationis ſive circumciſionis internæ tùm *declaratio* per ſimilitudinem amputationis externæ, tùm *obſignatio* per applicationem ejuſdem ad ſingula individua ſexus maſculini: ita, ut fœdus Dei eſſet in ſingulorum carne *Geneſ.* 17.v.13. Quâ de cauſsâ externa illa amputatio jam *ſignum fœderis Geneſ.*17.v.11. & *ſigillum juſtitiæ fide receptæ*, *Rom.*4.v.11. propriè; modò ipſum *fœdus*, *Geneſ.*17.v.10. impropriè & ſacramentaliter appellatur. *Fines & Effecta* fuerunt obſignatio gratiæ, Abrahæ ejuſque ſemini promiſſæ, *Geneſ.*17. *Rom.*7.v.11. obligatio populi Iſraëlitici ad ſervandam totam Legem, *Gal.*5.v.3. diſtinctio ejus ab aliis populis: unde Metonymicè *Circumciſio* vocatur, *Tit.*1,verſ.20.

Circumciſionis. Efficiens. Materia, externa. Interna. Forma. Fines & Effecta.

Rom. 15. v. 8. & denique testificatio obedientiæ hujus populi ergà Deum *Genes.* 17. *Subiectum* ejus erant *mares* omnes populi Israëlitici *Genes.* 17. v. 10. *& seqq. Ios.* 5. Nam *fœminæ* Sacramenti hujus capaces esse nequiverunt per sexum. Interim censebantur in fœdere ex promissione, *Ero Deus tuus & seminis tui post te, Genes.* 17. v. 7. atque etiam ex Circumcisione *tùm* parentum, innuptæ, *tùm* maritorum, nuptæ: sicut liberos in parentibus fidelibus, uxores in maritis fidelibus sanctificari docet Apostolus 1. *Cor.* 7. v. 14. *Mares* autem illi erant, tùm *infantes*, ordinariè, *Genes.* 17. vers. 12. tùm *adulti*, extraordinariè, ut Abraham & servi ejus, *Genes.* 17. v. 23. *& seqq* Israëlitæ illi qui in Gilgal circumcisi sunt, *Ios.* 5. *cap.* & proselyti, qui ad religionem Judaicam convertebantur *Matth.* 23. v. 14. *Actor.* 2. v. 10 *Christum* quod attinet, etsi ei circumcisione opus non fuit, suscipere tamen eam voluit, *Luc.* 2. v. 21. ut testaretur, esse se semen illud Abrabæ, *Gal.* 3. v. 16. populique circumcisi membrum, *Rom.* 1. & 9. fieri nostro nomine debitorem Legis, *Gal.* 5. v. 3. *cap.* 4. vers. 4. 5. & in carne suâ expiare, expiandoque quasi amputare nostra peccata *Ioh.* 1. v. 29. Ad *Subjectum* quoque pertinet *Locus*: qui publicus non fuit, sed privatus in ædibus privatis, *Luc.* 1. v. 59. ubi vulneri ex circumcisione sine morâ adferri poterat remedium. *Adjuncta* fuerunt ex institutione Divinâ *circumstantia temporis*, & *Sacramenti hujus Sanctio. Illa* est determinatio ejus ad diem octavum *Genes.* 17. v. 12. Nam ante illum diem noluit Deus circumcidi infantes, ut tenellæ ætati parceret, & quod per septiduum ex sanguine matris immundi essent *Exod.* 22. v. 30. *Levit.* 12. v. 2. 3. Nec etiam ultrà illum diem voluit differri, propter Sacramenti ipsius reverentiam, & parentum consolationem, quâ persuasi erant hoc Symbolo initiatos liberos suos esse in fœdere Dei. *Ista* proponitur in comminatione excidii, *Genes.* 17. v. 14. adversus Sacramenti hujus contemtores: utpote qui profano repudio tùm signi, tùm promissionis fœderalis, ipsum fœdus irritum reddebant. Præter hæc ad Circumcisionis adjuncta meritò referuntur *nomina*, quæ liberis eo tempore à parentibus indebantur, *Genes.* 21. vers. 3. *Luc.* 1. vers. 59. *cap.* 2. vers. 22. ut illis quoque de circumcisione suâ monerentur: itemque *testes*, qui ad hoc insitionis Sacramentum adhibebantur *Esa.* 8. vers. 2. *Luc.* 1. vers. 59.

Subjectum.

Fœminæ fœderi accensebantur.

Christus cur circumcisus.

Adjuncta, Circumstantia temporis.

Sanctio.

Pascha est alterum V. T. Sacramentum, per agni mactationem, assationem, & manducationem declarans & obsignans liberationem populi Dei, ex Ægypto corporali & spirituali per Christum. Hujus *Efficiens* est Deus: ut docetur *Exod.* 12. *Administri* fuerunt aliquando Patres familiâs, *Exod.* 12. v. 6. *& alibi:* aliquando Levitæ 2. *Chron.* 35. vers. 3. 6. *Deuter.* 16. vers. 5. 6. *Materia Externa* fuit agnus perfectus, masculus, anniculus, mactandus, igni assandus, cum panibus azymis & herbis amaris, lumbis accinctis, calceis indutis, baculis in manus sumtis comedendus: postibus quoque & superliminari sanguine ejus adspersis *Exod.* 12. Quæ tamen posteriora in anniversarii Paschatis celebratione non repetuntur *Exod.* 12. v. 14. *Num.* 9. v. 2. *& seqq.* Materia *interna* fuit, partim transitio Angeli exterminatoris, eductioque ex Ægypto: *Exod.* 12. v. 12. *& seqq.* partim Christus, ut agnus venturus, & in cruce mactandus, 1. *Cor.* 5. v. 7. *Ioh.* 19. v. 36. qui tamen, efficaciæ respectu, jam tùm erat agnus mactatus à jacto mundi fundamento *Apoc.* 13. v. 8. *Forma* fuit *declaratio* & *obsignatio* tùm *liberationis* & eductionis, tanquàm beneficiorum primò præsentium, inde præteritorum: tùm *Christi*, tanquàm doni futuri: idque partim per *similitudinem*, quâ agnus typicus repræsentabat agnum illum Dei, *Ioh.* 1. v. 29. perfectus, immaculatum & inculpatum, 1. *Petr.* 1. v. 19. mactatus absque ossium fracturâ, mactandum in cruce, *Apoc.* 13. v. 8. absque fracturâ ossium, *Ioh.* 19. v. 36. igni assatus, carnem ipsis datam pro mundi vitâ *cap.* 6. v. 51. Partim per *applicationem*, quatenus de agno illo comedebant singuli, *Exod.* 12. v. 3, 4. cum panibus azymis, in signum expurgandi veteris fermenti, 1. *Cor.* 5. v. 8. & herbis amaris, in signum afflictionum Christi caussâ tolerandarum *Actor.* 14. v. 22. 2. *Tim.* 3. v. 12. *&c.* Ex quo est, quod propriè agnus signum memoriale transitus, *Exod.* 12. v. 13, 14. impropriè & Sacramentaliter Agnus Pascha, v. 21. & Christus Pascha nostrum pro nobis immolatum vocatur 1. *Cor.* 5. vers. 7. *Finis & Effecta* fuerunt Recordatio liberationis corporalis à servitate Ægypti, *Exod.* 12. v. 17. *Deut.* 16. v. 1. confirmatio Christi venturi, præstandæque per ipsum liberationis Spiritualis, 1. *Cor.* 5. v. 7. *Iohan.* 19. v. 36. congregatio populi, *Exod.* 12. vers. 16. ejusdemque ab alienigenis distinctio v. 43. 48. *Subjectum* fuerunt Israëlitæ, quibus Deus Pascha instituit, omnesque adeò circumcisi,

[Margin notes: *Pascha.* — Efficiens. — Materia externa. — Interna. — Forma. — Fines & Effecta. — Subjectum.]

cisi, sive servi pecuniâ emti, sive peregrini v.44. & seqq. Subjectum *Loci*, in Ægypto, erant privatorum domus *Exod.*12.v. 3.4. In Cananæâ liberâ atque integrâ Republicâ Templum: ibi enim à Levitis mactabatur, 2.*Chron.*35.v.3.6. ex lege *Deut.*16. v.5.6. in privatis autem ædibus, agitatis per contubernia conviviis manducabatur. At perturbatâ Republ. cum propter Regum tyrannidem cultus publicus abrumperetur, & templum clauderetur, Deus clementer tulit cultum illum inter privatos parietes, ut in Ægypto, peragi. *Adjuncta* fuerunt ex institutione Divinâ, primò *circumstantia temporis*: nam quotannis, primi mensis, qui Israëlitis erat Nisan, sive Abib, die decimo separare agnum jubebantur, die decimo quarto autem inter duas vesperas eum mactare & manducare, & inde porrò usque ad diem vicesimum primum azymis vesci *Exod* 12. v.6.15. & *seqq.* Deinde *Sanctio*, quâ excidium comminatus est iis, qui intereà fermentato uterentur v.19.15.

Adjuncta, Circumstantia temporis. Sanctio.

Satis de Sacramentis V.T. *Sacramenta* N.T. esse diximus duo, *Baptismum* & *Cœnam*. Vox βάπτισμος & βάπτισμα est à βαπτίζειν sive βάπτειν: & propriè, *mersionem*, impropriè, per Metonymiam finis, *lotionem*, *Marc.* 7. v.4. per Metonymiam adjuncti, *doctrinam* illo ritu confirmatam, *Actor.* 18. v. 25. per Metaphoram, *afflictiones* & martyria piorum, *Matth.*20.v.22.23. itemque *effusionem donorum Spiritus Sancti*, *Actor.*1.v.5. per Synecdochen denique, *primum N. Test. Sacramentum*, lavacrum illud aquæ & regenerationis, *Ephes.*5.v.26. *Tit.*3. vers.5. significat. Ita definimus *Baptismum*, *primum Sacramentum N.T. per externam aquæ adspersionem & ablutionem, declarans & obsignans fidelibus internam ipsorum ablutionem, per sanguinem & Spiritum Christi.*

Sacramenta N. T. Baptismus. Ejus homonyma.

Caussa *Efficiens* Baptismi est *Deus*. Etenim *è cœlo*, id est, à Deo esse dicitur, non ab hominibus, *Matth.*21.v.25. & qui primus baptizavit, eum ad baptizandum misit Deus, *Ioh.*1.v.33. sed cum initiò institutus esset pro solis Judæis, *Matth.*3. *Iohan.*1. Christus iteratâ institutione usum ejus ad omnes gentes, prædicatione Euangelii convertendas, extendit *Matth.*28. vers.19. Ipse tamen non baptizavit, *Ioh.*4. v.2. ut qui baptizaturus erat Spiritu Sancto & igne *Matth.*3.v.11. *Administri* Baptismi sunt *prædicatores Euangelii*, sive ordinarii, sive extraordinarii: & ii quidem soli. Christus enim prædicationem Euangelii & administra-

Efficiens, Deus. Administri prædicatores Euangelii.

nistrationem Baptismi nexu insolubili conjunxit, *Matt*.28.v.19. & qui autoritate legationis suæ, 2.*Cor*.5. vers.20. soli offerunt gratiam Euangelii; soli quoque eam possunt obsignare. Horum administrorum primus fuit Joannes Baptista, *Ioh*.1. v.33. qui baptizavit in resipiscentiam & fidem Jesu Christi venturi, *Actor*. 19.v.4. & in remissionem peccatorum *Marc*.1.v.4. Post eum fuerunt Apostoli, tùm ante passionem & resurrectionem Christi, *Ioh*.4.v.2. tùm post *Actor*.2. v.41. *cap*.16.v.33. *cap*.18.v.8. 1.*Cor*.1.v.14.16. Inde Euangelistæ, *Actor*.8.v.12. *cap*.9.v.18. *cap*.10.v.48. & Pastores, *Ephes*.4.v.11. successerunt. *Instrumentum* est *Verbum Dei*, quod conjungitur cum Baptismo, ut sit lavacrum aquæ per Verbum, *Ephes*.5.v.26. *Formula* ejus exstat, *Matth*.28.v.19. *Baptizantes in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti:* & brevior, ubi Apostoli *in nomen Domini Iesu*, *Actor*.19.vers. 5. sive *in nomine Iesu Christi*, *cap*. 2. vers.38. baptizasse dicuntur.

Instrumentum Verbum

Materia Externa Baptismi est *aqua*, *Ioh*.1.v.26. *Act*.10.v.47. & *ablutio*, quæ fit per aquam, *Ephes*.5.v.26. 1.*Petr*.3.vers.21. Hæc *ablutio* olim locis calidioribus peragebatur *immersione* in aquam, *morâ* sub aquâ, & *emersione* ex aquâ: ut docet praxis Joannis Baptistæ, *Matth*.3.v.6.16. *Iohan*.3.v.23. Apostolorum Christi, *Ioh*.3.v.22. *cap*.4.v.1.2. & Philippi, *Actor*.8.v.38. atque etiam rituum horum significatio *Rom*.6.v.4. Nunc verò, locis præsertim frigidioribus, fit ea per solam *adspersionem*, alibi *unam*, ad denotandam essentiæ Divinæ unitatem, alibi *trinam*, ad personarum in eâ Trinitatem designandam. Quod ipsum ut institutioni Christi minimè repugnat, ita exemplis Ecclesiæ Apostolicæ, & primitivæ eam secutæ, confirmari potest. Etenim Verbum βαπτίζεσθαι Phrasi Scripturæ non tantùm significat immergere, *Matth*.3. v.16. *Actor* .8.v.38. sed etiam adspergere *Marc*.7.v.4. *Luc*.11.v.38. Et Apostoli, qui uno non integro die ter mille baptizarunt, *Actor*.2. v.41. immergendo certè baptizare singulos nequiverunt. Ut nihil nunc dicam de Baptismo domatim ab ipsis administrato, ubi semper adfuisse necessariam ad immersionem æquæ copiam, probabile non est, maximè si ex inopinato res gereretur, ut *Actor*.16.v.27.*& seqq*. Postremò cum in Ecclesia primitivâ Clinici multi legantur baptizati, nemo tàm rerum est imperitus, qui non agnoscat pro immersione adspersionem

Materia Externa.

Adspersio aquæ legitima.

Interna. sionem circà ipsos usurpatam fuisse. Materia *Interna* est *ablutio per sanguinem & Spiritum Christi:* de quâ duplici ablutione est 1.*Cor.6.*v.11. *Prior* est ablutio à peccatis, *Actor.*22.v.16.per sanguinem Christi, 1. *Iohan.* 1.v. 7. sive remissio peccatorum, *Actor.* 2. v. 38. propter illum sanguinem *Matth.* 26.v.28. *Altera* est regeneratio per Spiritum Sanctum, *Tit.* 3.v.5. ad vitæ novitatem, *Rom.* 6.v.4. ex quâ Unio cum Christo fluit; cujus respectu baptizati Christum induisse dicuntur *Gal.* 3.v. 27.

Forma. *Forma* Baptismi consistit in declaratione & obsignatione materiæ internæ per externam, signati per signum. *Primò declarat* materia externa internam similitudine illâ, quam cum ipsâ habet. *Vt* aqua abluit sordes corporis, 1.*Petr.* 3.v.21. ita sanguis & Spiritus Christi abluunt sordes animæ 1.*Cor.*6.v.11. 1.*Ioh.*1. v.7. *Tit.* 3.v.5. *Sicut* olim baptizandi immergebantur in aquam, morabantur sub aquâ, & emergebant ex aquâ, *Matth.*3. vers.16. *Actor.*8.v.38. ita moriebatur & sepeliebatur in ipsis vetus homo, resurgebatq; novus *Rom.*6.v.4.*Col.*2.v.12.*Vt* nunc baptizandi adsperguntur aquâ, ita adsperguntur sanguine & Spiritu Christi ad ablutionem peccatorum *Act.*22.v.16. *Eph.* 5.v.25,26. *Heb.*9.v. 14. *Deinde* etiam eam *obsignat* applicatione sigilli hujus Divini ad singulos, qui baptizantur. Quod docet Petrus *Actor.* 2.v.38. *Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum,* id est, ut unusquisque vestrum habeat in corpore suo sigillum Divinum remissionis peccatorum: sicut Circumcisio eò usque fuerat sigillum fœderis Dei in carne singulorum *Genes.* 17.v.13. Atque hujus declarationis evidentia, obsignationisque certitudo, quæ est in legitimo usu, caussa est Phrasiologiæ Sacramentalis de Baptismo: *Baptismus est ablutio peccatorum, Actor.* 22.v.16. *est lavacrum regenerationis, Tit.* 3.v.5. *Baptismus nos servat* 1.*Petr.*3.v.21.Quæ locutiones quod propriæ non sint, ipse Petrus additâ limitatione declarat: *Baptismus nos servat; non depositio sordium carnis, sed stipulatio bonæ conscientiæ,* id est, depositio sordium animæ, quam sequitur bona conscientia. Sunt igitur, ut figuratæ omnes, resolvendæ in proprias pro naturâ Sacramentorum: Baptismus est signum & sigillum ablutionis peccatorum & regenerationis: Baptismus servat, quatenus per eum efficax est Spiritus Sanctus ad fidem in nobis confirmandam.

(Margin: Phrasiologia Sacramentalis.)

Fines

Fines & Effecta Baptismi sunt, partim *confirmatio fidei nostræ* de remissione peccatorum, *Actor.* 2. v. 38. *cap.* 22. v. 16. de regeneratione per Spiritum Sanctum, *Tit.* 3. v. 5. *Rom.* 6. v. 4. deque nostri cum Christo Unione, *Gal.* 3. v. 27. partim *obligatio nostri* ad colendum verum Deum, qui est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, *Matth.* 28. v. 19. & ad diligendum proximum: cum omnes uno Baptismo, per unum Spiritum, in unum corpus baptizati simus *Ephes.* 4. v. 4. 5. 1. *Cor.* 12. v. 13. Fines & Effecta.

Subjectum Baptismi est populus fidelis, sive verè sit, sive censeatur talis ob externam fidei professionem, & cum fidelibus communionem, absque omni gentis, sexus, & ætatis distinctione. *Gentis*; quia cum initio solis Judæis administraretur, *Matt.* 3. *Joh.* 1. 3. *& alibi*, Christi mandato cœptus est administrari omnibus gentibus *Matth.* 28. v. 19. *Sexus*; quia utrique sexui est communis: sicut Philippus baptizavit viros & mulieres, *Actor.* 8. v. 12. & Paulus Lydiam, *cap.* 16. v. 25. Stephanam, 1. *Cor.* 1. v. 16. aliasque. *Ætatis*; quia adulti pariter & infantes baptizandi sunt: eâ tamen conditione, ut adulti confiteantur ante peccata, fidemque in Christum profiteantur: *Matth.* 3. vers. 6. *Actor.* 2. v. 41. *cap.* 8. v. 12. 37. Infantes verò, parente fideli, sive utroque sive alterutro, nati sint *Actor.* 2. v. 38. 39. 1. *Cor.* 7. v. 14. Quod posterius multis modis asserit Scriptura, utpote quæ testatur Sanctos esse infantes, 1. *Cor.* 7. v. 14. participes promissionis gratiæ, *Actor.* 2. v. 39. regnique cœlorum hæredes: *Matt.* 19. v. 14. quæ docet Circumcisioni surrogatum esse Baptismum, *Coloss.* 2. v. 11. 12. à quo proinde non magis excludendi sint infantes, quàm olim exclusi fuerunt à Circumcisione; imò tantò minus excludendi, quantò major est gratia posterior N. T. priore Testamenti Veteris. Quæ denique Pædo baptismum nusquam prohibet; exempla verò commemorat integrarum familiarum, quarum infantes membra sunt, ab Apostolis baptizatarum *Actor.* 16. v. 15. 33. 1. *Cor.* 1. v. 16. Subjectum. Infantes etiam baptizandi.

Adjuncta Baptismi dicimus, quod ordine primum est N. T. Sacramentum, genere autem numeroque unum. *Primum* esse constat; quia est Sacramentum initiationis sive receptionis in Ecclesiam Visibilem, ut est *Actor.* 2. v. 41. *cap.* 8. v. 12. 36. *Unum genere*, quia unum est omnium fidelium baptisma, *Ephes.* 4. v. 5. qui omnis baptizantur in unum corpus, & Judæi & Græci, & Adjuncta, quod Primum, Vnum genere.

Unum numero. ſervi & liberi 1.*Cor.*12.v.13. *Vnum* etiam *numero*, reſpectu ſingulorum fidelium, ut qui ſemel tantùm tinguntur, & tingendi ſunt, non ſæpius. Idque *partim*, quod ſanguis Chriſti mundet eos ab omni peccato, 1. *Iohann.* 1.v.7. *partem*, quod Spiritus ejus inchoatum regenerationis opus in ipſis conſummet *Philip.*1. verſ.6.

Cœna. *Cœna eſt alterum Sacramentum N.T. per panis fracti & vini effuſi diſtributionem & perceptionem, declarans & obſignans fidelibus communionem corporis Chriſti pro ipſis fracti in cruce, & ſanguinis pro ipſis effuſi ad vitam æternam.* Sacramentum Cœnæ aliis atque aliis nominibus notatur à Chriſto, Apoſtolis, & Patribus. Chriſtus apud Euangeliſtas vocat illud *corpus & ſanguinem ſuum, Matth.*26. v.26.28.*& alibi*; itemque *Novum illud Teſtamentum per ſuum ſanguinem Luc.*22.v.20. Apoſtoli vocarunt, *Cœnam Dominicam*, 1. *Cor.*11.v.20 à circumſtantiâ temporis & autore: *fractionem panis, Actor.* 2.v.42.*cap.*20.v.7. à præcipuo ritu: *communionem corporis & ſanguinis Chriſti*, 1.*Cor.*10.v.16. *menſam Domini, v.*21. à ſubjecto: *Panem & poculum Domini cap.* 11. verſ. 27. Patres Græci dixerunt σύναξιν εὐχαριστίαν, ἀγάπην, προσφορὰν, λειτουργίαν: Latini autem, Sacramentum corporis ac ſanguinis Domini: memoriam Domini: ſacrificium ſive immolationem memorialem: oblationem ſymbolorum, quæ communicantibus, & Eleemoſynarum, quæ pauperibus fiebat; & tandem Miſſam appellarunt.

Efficiens Chriſtus. *Efficiens* Cœnæ eſt Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, *Matth.*26. v.26. *& alibi*: qui inſtituit eam illâ ipſâ nocte quâ proditus eſt, 1.*Cor.*11.v.23. ſimul quoque fuit primus ejus adminiſter; qui exemplo præivit Apoſtolis ſuis, aliiſque Eccleſiæ miniſtris deinceps futuris, quod imitarentur in diſpenſatione ejus *Luc.*22.v.19. Inſtrumentum Verbum 1.*Cor.*11.v.23.*Inſtrumentum* ſunt *Verba* tùm εὐλογίας, *Matth.*26. v. 26. ſive εὐχαριστίας, 1. *Cor.*11. v.24. *benedictionis & gratiarum actionis*, quibus conſecrantur Symbola in uſum ſacrum: ſicut Chriſtus aliàs per gratiarum actionem ſanctificavit panes ad uſum naturalem, *Luc.*9. v.16.& Paulus omnem cibum & potum ſanctificari jubet precibus & gratiarum actione, 1. *Tim.*4.v.4.5. tùm etiam *promiſſionis*; qualia ſunt ex inſtitutione Chriſti: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc eſt ſanguis meus novi fœderis, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum Matth.*26.v.26.28.

Ex

Ex interpretatione Apoſtoli, *Panis, quem frangimus, eſt communio corporis Chriſti: Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, eſt communio ſanguinis Chriſti* 1. *Cor.* 10. v. 16.

Materia Cœnæ *externa* ſunt Panis & Vinum, nec non tractatio utriuſque à Chriſto obſervata, & aliis imperata. *Panis* Cœnæ non eſt intinctus, ſed ſiccus: utpote quem Chriſtus facto ipſo ſeparavit à vino. Azymus verò fuit in Cœnâ primâ per accidens, propter feſtum Paſchatis, *Marc.* 14. v. 1. quo nec uti, nec habere alium fas erat per legem *Exod.* 12. v. 19. Aliàs ſemper erat fermentatus, tàm in Judæâ, quoties extrà illud tempus celebrabatur Cœna, *Actor.* 2. *v.* 42. quàm apud gentes incircumciſas, *Actor.* 20. v. 7. 1. *Corinth.* 10. v. 16. 17. *cap.* 11. v. 20. *& deinceps*, quæ azymis non utebantur. *Vinum* quoque commune fuit, colore indifferens, aquâ non dilutum: quia ſimpliciter genimen ſive *fructus vitis* appellatur *Matth.* 26. v. 29. *Marc.* 14. v. 25. *Tractatio* circà utrumque Symbolum obſervata & imperata conſiſtit in certis *actionibus*, tùm *Chriſti*, ut paſtoris; tùm *diſcipulorum* tanquàm ovium. Actiones *Chriſti* ſunt: fractio panis, effuſio vini in poculum, & utriuſque diſtributio. *Diſcipulorum* verò, acceptio panis & vini in poculo, illius comeſtio, hujus bibitio. Quæ omnia proponuntur apud Euangeliſtas & Paulum, partim in *factis* Chriſti; *fregit panem, dedit eum diſcipulis; accepit poculum, dedit id diſcipulis:* partim in *dictis* ejus; *accipite, edite, bibite ex eo omnes, hoc facite*: partim in diſcipulorum *obedientiâ*, de quâ ita Marcus, *cap.* 14. v. 23. *& biberunt ex eo omnes.* Ideòque nec confundendæ ſunt inter ſe illæ actiones, nec ulla earum eſt intermittenda. *Inprimis* autem confundi non debet fractio cum diſtributione: utpote quæ & apud Euangeliſtas à ſe invicem diſtinguuntur, & ipſo Chriſti facto diſtinctæ ſunt, primùm frangentis panem integrum, in fruſta minutiora, poſt diſcipulis eum diſtribuentis. *Deinde* omitti quoque non debet ipſius panis fractio. Eſt enim ritus prorſus neceſſarius & eſſentialis: non modò quia Chriſti, *Matth.* 26. v. 26. & Apoſtolorum exemplis nititur, *Actor.* 2. v. 42. *cap.* 20. v. 7. 1. *Cor.* 10. v. 16. ſed etiam quia ad materiam Cœnæ, formamque pertinet. Ad *materiam*, quia integrat eam, tanquàm pars, *Matth.* 26. v. 26. ad *formam*, quia crucifixionem Chriſti nobis repræſentat 1. *Cor.* 11. v. 24. Materia *interna* eſt corpus & ſanguis Chriſti: non quâ corpus & ſanguis ſimpliciter: nam ita

Materia externa Panis.

Vinum.

Tractatio eorundem actionibus Chriſti,

Diſcipulorum.

Fractio non confundenda cum diſtributione.

Fractio panis neceſſaria.

Interna corpus & ſanguis Chriſti.

non prosunt quicquam, *Ioh.* 6.v. 63. sed corpus quatenus datum est pro nobis in mortem, *Luc.*.22.v. 19. & in cruce fractum, 1. *Cor.*11.v.24. sanguis quatenus effusus est pro nobis in remissionem peccatorum *Matth.*26.v.28. Nam ita demum facta sunt nobis cibus & potus vitæ: Juxtà illud Christi: *Panis quem ego dabo caro mea est; quam ego dabo pro mundi vitâ Iohan.*6.v.51. Ex quâ materiæ internæ limitatione facilè est colligere, in Cœna nec corpus & sanguinem Christi proponi, absque virtute mortis ejus & communione beneficiorum, nec virtutem mortis communionemque beneficiorum absque corpore & sanguine, sed utrumque simul: propriam caussam cum proprio effectu, proprium effectum cum propriâ causâ. Deinde id etiam colligitur, eundem esse utrobique *perceptionis modum*; nec aliter percipi corpus & sanguinem Christi in Cœnâ, quàm percipiuntur ejusdem beneficia. Beneficia verò percipiuntur fide: nam qui credit habet remissionem peccatorum, *Actor.*26.v.18. vitam æternam *Ioh.*3. v.16. Ergò eodem modo percipiuntur corpus & sanguis Christi. Quod ipsum clarissimis verbis docet Christus, *Ioh.*6. *edere & bibere* exponens per *credere*, *v.*35. & *manducationi* carnis suæ *fideique* eosdem tribuens effectus, gloriosam resurrectionem, & vitam æternam, v.40.&.54. *item* 47. & 54. *inter se collatis*. *Ratio* quoque idem ostendit. Etenim cum corpus Christi percipiatur in Cœnâ ut mortuum; sanguis ejus ut effusus pro nobis in cruce, teste ipsomet, *Matth.*26.v.28. *Luc.*22.v.19.20. & totâ Scripturâ, quæ in utroque taliter considerato ponit caussam meritoriam remissionis peccatorum, vitæque æternæ, *Rom.*4.v.25. 2. *Cor.*5. v.15. *Coloss.*1.v.13. *& seqq. Hebr.*9.v.14.*& seqq.* 1.*Petr* 1.v.18. 1.*Ioh.*1.v.7. & verò Christus semel mortuus non amplius moriatur: *Rom.* 6. v.9. 10. consequens est, aliter quàm fide percipi non posse: cui fidei omnia sunt præsentia, quæ non sunt, tanquàm sint *Romanor.*4.v.17. *Futura*: quia eâ Abraham percepit Christum, *Ioh.*8.v.56. (nam & videre est credere *Ioh.*6.v.40.) agnum illum mactatum à jacto mundi fundamento *Apoc.*13.v.8. *Præterita*: quia eâdem fide Christum pro se traditum percepit Paulus: *Gal.*2.v.20. & percipiunt omnes fideles *Rom.*4. v.25. Adeòque sicut objectum fidei *Christus est heri, & hodiè idem, & in secula, Heb.*13.v.8. ita *fides hypostasis rerum quæ sperantur, & demonstratio eorum quæ non cernuntur* esse dicitur *Heb.*11.v.1.

Una cum virtute mortis, communioneque beneficiorum ejus.

Percipiuntur autem fide.

Forma

Forma Cœnæ posita est in declaratione & obsignatione materiæ internæ per externam, signati per signum. *Primò declarat* materia externa internam similitudine illâ quam cum ipsâ habet: *Sicut* panis & vinum sufficientissima sunt & efficacissima vitæ corporalis sustentandæ, & conservandæ, media: ita corpus & sanguis Christi media sunt sufficientissima & efficacissima inchoandæ, conservandæ & consummandæ in nobis vitæ spiritualis *Iohann.6. & passim.* *Sicut* panis & vinum separantur in Cœnâ: ita corpus & sanguis Christi separata sunt in cruce *Ioh.* 19.v.34. *Sicut* panis frangitur, vinum effunditur: ita corpus Christi fractum est in cruce, 1.*Cor.*11.v.24. cum manus & pedes ejus clavis, latus lanceâ transfoderetur, *Ioh.*19.v.34. sanguis quoque ejus inibi est effusus *Matt.*26.v.28.*Sicut* Panis & vinum non nutriunt, nisi oraliter percipiantur: ita corpus & sanguis Christi non nutriunt ad vitam æternam, nisi percipiantur spiritualiter per fidem *Ioh.*6.v.35. Et *sicut* communicantes participes fiunt unius panis: ita participes fiunt unius Christi, & cum eo,& inter se invicem coalescunt in unum corpus per fidem & charitatem 1.*Cor.*10.v.16,17. *Deinde* eam *obsignat* applicatione sigilli hujus Divini ad communicantes singulos: quemadmodum Christus panem edendum, vinum bibendum discipulis suis dedit sigillatim, *Mar.*14.v.22.23. quò haberent singuli testimonium Divinum remissionis peccatorum suorum,crucifixione corporis & effusione sanguinis Christi acquisitę, Atq; hoc volunt verba promissionis,de Pane; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*, 1.*Cor.*11.v.24. de poculo: *Hoc est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum Matt.* 26.vers.28. In quibus,explicationis caussâ breviter distinguimus, *Subjectum, Prædicatum, & modum prædicationis*,quem facit copula EST. *Subjectum* utrobique, in verbis de pane & poculo est pronomen demonstrativum HOC, illic *panem*, hîc *poculum* primò, inde autem, per Metonymiam Subjecti, *vinum in poculo* notans. Patet illud *partim* ex verbis Institutionis; *accepit panem, fregit, dedit,& dixit,edite,hoc est corpus*: item,*accepit poculum,dedit,& dixit*; *bibite, Hoc est sanguis*; sive,ut est apud Lucam, *cap.*22.v.20. *Hoc poculum,*&c. *Partim etiam* ex loco Apostoli 1.*Cor.*10.v.16.*Panis quem frangimus est communio corporis Christi*; *poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus,est communio sanguinis Christi.* Porrò per poculum, vinum in poculo intelligendum esse docet Verbum

Forma habet declarationem.

Obsignationem.

Phrasiologia Sacramentalis explicata per partes.

Subjectum.

 Bibite

Bibite, *Matth.*26.v.27. nec non potus bibendi descriptio, qui v.29. genimen sive *fructus vitis* appellatur. *Prædicatum*, in verbis de *pane*, est *corpus Christi fractum*; in verbis de *poculo*, *sanguis ejus effusus in remissionem peccatorum*. Ex quibus liquidò constat, de vero ac naturali corpore, de vero item ac naturali sanguine sermonem esse. *Modus prædicationis*, quem indicat copula, *non* est *proprius* & substantialis: quia panis & vinum propriè non sunt corpus & sanguis Christi: nec substantia corporis & sanguinis Christi est substantia panis & vini. Sic *nec Synecdochicus* est, quasi corpus in pane, sanguis in vino contineatur: non enim docet Christus, ubi sit suum corpus aut sanguis, quibusve receptaculis contineantur ambo, sed cujus usus officiique sint panis & vinum in Cœnâ. *Est* verò modus ille *Sacramentales* & *Metonymicus*, in omnibus Sacramentis usitatus, atque etiam à nobis explicatus, quo nomen rei signatæ prædicatur de signo. Quamobrem verba illa Metonymica resolvimus in hæc propria; *Panis & vinum sunt signa & sigilla corporis & sanguinis Christi*: Eamque analysin comprobamus autoritate duplici, Christi & Pauli. *Christi*: quia verbis illis subjicit exegeticè ista: *Hoc facite ad mei commemorationem*, *Luc.*22. vers.19. 1.*Cor.*11.v.24.25. sunt igitur panis & vinum μνημόσυνα, signa memorialia, corporis & sanguinis Christi. Deinde, ita panis est corpus Christi, ut poculum est Novum Testamentum *Luc.*22. v.19,20. 1.*Cor.*11.v.25.26. Poculum autem est Novum Testamentum Metonymicè. Eodem ergò modo panis est Christi corpus. *Pauli*; quia Verba Christi aliis æquipollentibus declarat, *Panem* vocans *communionem corporis Christi, poculum communionem sanguinis ejus*. 1.*Cor.*10.v.16. At panis propriè non est communio corporis, aut vinum communio sanguinis: sunt enim disparata toto genere: Panis & vinum in prædicamento substantiæ, communio in prædicamento Relationis. Ergò nec panis propriè est Christi corpus, nec vinum propriè ejus sanguis.

Prædicatum.

Modus prædicationis.

Qui Sacramentalis & Metonymicus.

Finis Cœnæ *principalis* est commemoratio mortis Christi *Luc.*22.v.19. 1.*Cor.*11. vers.24.25.26. *Secundarius* est confirmatio fidei nostræ de remissione peccatorum, *Matth.*26. v.28. publica ejusdem professio, 1.*Cor.*11.v.25.26. & conjunctio fidelium, tùm cum Christo capite, tùm inter sese 1.*Cor.*10.v.16.17. Quæ ipsa quoque ejus *Effecta* censentur.

Fines & Effecta.

Subjectum

Subjectum Cœnæ ſunt fideles adulti, ſive Judæi, ſive Græci, ſive viri, ſive fœminæ. *Gal.*3.v.28. 1.*Cor.*12.v.13. E quibus quotquot indignè edunt & bibunt, judicium ſibi edunt & bibunt, non diſcernentes corpus Domini 1.*Corinth.*11. v. 29. *Infantes* Sacramenti hujus capaces non ſunt: partim ratione *finis*, quia mortem Chriſti cum gratiarum actione nequeunt celebrare, v.25. 26. partim ratione *conditionis*, omnibus communicantibus imperatæ, ipſis verò itidem impoſſibilis, quæ eſt, ut probet quiſque ſe ipſum, & ita edat de pane, bibat de poculo Domini v.28.

Subjectum, fideles adulti, non infantes.

Adjuncta Cœnæ ſunt; quod Sacramentum eſt Nov. Teſt. ordine ſecundum, uſu frequenti, cum prævia probatione, iterandum. *Secundum* dicitur reſpectu Baptiſmi. Eſt enim baptizatis Symbolum continuandæ regenerationis, & fidei nutriendæ & confirmandæ inſtrumentum. Eòque nemo ad eam admittendus eſt, niſi baptizatus, *Actor.*2.v.41.42. ſicut nemo olim admittebatur ad Paſcha, niſi circumciſus *Exod.* 12.v.48. Deinde *iterandum* etiam eſt, quia docet Apoſtolus, frequentum ejus eſſe debere in Eccleſia uſum, 1.*Cor.*11.v.26. qualis fuit in Eccleſiâ Apoſtolicâ, quæ perduravit in Doctrinâ Apoſtolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus *Actor.*2. v.42. Sed uſum illum antecedat oportet, ex ejuſdem Apoſtoli monito, 1.*Cor.*11.v.28. ſeria ac diligens *probatio* ſive exploratio unius cujuſque fidelis, qua ſe ipſum examinet; num eſuriat aut ſitiat juſtitiam ex injuſtitiæ ſuæ ſenſu? *Matth.*5.v.6. num ſit in fide Chriſti Jeſu? 2.*Cor.*13.v.5. an denique incedat ſecundum Spiritum, & non ſecundum carnem? *Romanor.* 8.v.1. crucifigens carnem cum deſideriis & cupiditatibus, *Galat.*5.verſ.24. deſiſtens à malo & faciens bonum *Pſal.*34.v.15.

Adjuncta, quod Secundum. Iterandum. Prævià Probatione.

Nunc ad Loci hujus Praxin *deſcendimus.*

I. Ad Διδασκαλίαν: *In converſione hominum efficiendâ conjungendum eſt Verbum Legis & Euangelii: exemplo Eſaiæ*, cap.1.per totum, *Ioannis Baptiſtæ*, Marc.1.v.3. *Chriſti*, verſ.15. *& Petri* Actor.2. verſ.38. *Sacramenta eundem cum Verbo ſcopum habent*, Romanor.6. v.2. Galat.3. verſ.27. *& quod in illo eſt audibile*, Romanor.10.v.17. *in iſtis redditur viſibile:* Galat.3.v.1. *In utro-*

que

que Deus captui & ætati Ecclesiæ se gratiosè accommodat, argumento loci, Galat.4.v.1. & seqq. Johann.3.v.12. Romanor.6.vers.19. *Verax est non minus in Sacramentis, quàm in Verbo* Tit.1.v.2. Gen. 17.v.4. & seqq. collato cum Hebr.6.v.17.18. *Vsurpanda sunt Sacramenta secundum Dei præscriptum, ab iis, qui ejus sunt fœderati, & ad illum finem quem ipse ordinavit* Genes.17. Exod.12. Matth. 28. 1.Corinth. 11. *Extrà legitimum usum non sunt Sacramenta* Romanor.2.v.25. 1.Corinth.11.v.29. *Vna est in Vet. & N.Test. salutis via; quia in utriusque Testamenti Sacramentis una eademque est res signata* 1. Corinth. 10.v.1. & seqq. cap.12.v.13. Ephes.4. v.5. Coloss.2.v.11.12.

II. Ad Παιδείαν: *Utamur etiam atque etiam Lege & Euangelio:* illâ *contrà securitatem,* isto *contrà desperationem: juxtà illud* Marc.1.v.15. Resipiscite & credite: *Concipiamus inde dolorem, odium ac fugam peccati; sed dolorem secundum Deum, qui efficit resipiscentiam* 2. Corinth.7.v.10. *precemur Deum, ut efficaciam utrique Verbo largiatur ad veram conversionem: exemplo Apostoli* Ephes.3. vers.14. *Gratias ei agamus, quod Verbo adjunxit Sacramenta nostri caussâ; ac usu illorum infirmitatem nostram sublevemus & corrigamus; contemplando in imaginibus istis Dei ergà nos benignitatem,* Ps.27.4. Gal.3.v.1. *deplorando circà eas pravitatem nostram & adversus Deum ingratitudinem,* 1.Corint.6. v.11. Actor.7.v.51. *confirmando fidem nostram promissione nobis obsignatâ in propriâ carne,* Genes.17. v.13. Romanor.4.v.11. *excitando denique nos ad ambulandum coràm ipso integrè in vita novitate* Genes.17.v.1. Romanor.8.v.1. *Rogemus Deum ut per hæc organa sua, omnia illa efficaciter in nobis operetur* Acto.2.v.42. *Et sicut his ceremoniis segregamus nos ab omnibus infidelibus,* Genes.17. Exod.12. Matth.28. 1.Cor.11. *ita quoque ab iisdem nos segregemus veræ pietatis actionibus* Eph.2.v.11. & seqq. 1. Cor.6.v.10.11. *Postremò, cum hùc tendant omnia, ut perpetua sit inter nos Christi Servatoris recordatio & celebratio,* Actor.2.vers.38. 1.Cor.11.v.26. *semper & ubique circumferamus memoriam eus, glorificemus nomen, prædicemus opera; nihil statuentes scire, nisi Iesum Christum crucifixum* 1.Cor.2.v.2.

III. Ad Ἐπανόρθωσιν: *Nè contemnamus Verbum Legis & Euangelii,* Matth.22.v.3.& seqq. *nec alterum ab altero divellamus. Nè parvifaciamus Sacramenta,* Genes.17.v.14. 1.Cor.11.v.23. *ullatenus mutemus,* Deut.4.v.2. 1.Cor.11. *aut indignè usurpemus* v.29.

v.29. *Nè in externo opere fiduciam collocemus ; exemplo hypocritarum, Cajini,* Genes.4.v.5. *Saulis,* 1.Sam.13.v.9. *Iudæorum,* Esa.1. v.11. *Pharisæorum,* Matth. 23. per totum : *Nec absque fide res signatas nobis polliceamur* Matth.3.v.7. & seqq. Actor.8. vers.37. *Denique, nè misceamus nos cum infidelibus , neque sacris ipsorum ullo modo communicemus. Non enim possumus poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum, nec simul mensæ hujus & illorum esse participes* 1.Cor. 10.v. 21.

IV. Ad Παράκλησιν : *Bonus est ergà nos Dominus; cujus gratiam oculis nostris videmus, auribus audimus, manibus palpamus, naribus olfacimus, oribus gustamus, manducamus, & bibimus. Est nobis Deus & nos sumus ipsi populus,* Genes.17.v.7.10. Actor.2.v.38.39. *qui fedus ipsius in carne nostrâ gestamus :* ibidem. *Is in cujus nomen baptizati sumus, est Pater noster, & nos ejus Filii : est Redemtor noster , & nos peculium ipsius : est Sanctificator noster , & nos gens illa Sancta* Matth.28.v.19. 1.Petr. 2. v. 9. *Is cujus carne cibamur, sanguine potamur , est proprius Dei Filius ; quicum omnia nobis Deus gratificatur* Romanor.8.v.32. *Hoc ipso erigimus nos in omnibus periculis, exemplo Davidis,* 1.Sam.17. v.26. *sustentamus in tentationibus,* 1.Petr.3. v.20.21. *perseveramus in persecutionibus: ut qui plus quàm victores sumus, per eum qui sic nos dilexit, ut corpus suum dederit pro nobis in mortem , & sanguinem suum por nobis effuderit in remissionem peccatorum* Rom. 8. v.37. Matth.26. v. 26, 27, 28.

LOCUS DECIMUS TERTIUS

De

VOCATIONE INTERNA

ET

FIDE JUSTIFICANTE.

Alter Modus Applicationis Internus *est, certis quibusdam gradibus distinctus: quorum* primus *in Vocatione Internâ & Fide:* secundus *in Iustificatione:* tertius *in Sanctificatione:* quartus & ultimus *in Glorificatione consistit.*

VOCATIO Interna *est, quâ Deus secundum æternum propositum vocat Electos suos per Spiritum Sanctum, ac fidem in Christum ipsis donat.*

Est autem Fides *illa, cognitio gratiæ Dei in Christo Redemtore, ejusdemque fiducialis apprehensio; quâ quisque fidelis sibi illam singulariter applicat.*

EXEGESIS.

Modi Applicationis Interni necessitas.



Superest *Modus Applicationis Internus*; cujus tanta est necessitas, ut absque eo media externa omnia non inutilia modò, sed etiam noxia sint. Nam & *prædicatio Verbi*, sive Legis, sive Euangelii, nihil prodest, nisi Deus aperiat cor, *Actor*. 16. v. 14. & oculos ad videndum, aures ad audiendum largiatur, *Deut*. 29. v. 4. *Matth*. 13. v. 11. & *Sacramenta* absque interiori Spiritus Sancti efficacia nihil proficiunt. Circumcisio absque occultâ circumcisione cordis præputium est, *Rom*. 2. v. 25. Pascha absque Paschate Christo nullum: *argumento loci* 1. *Cor*. 5. v. 7. Baptismus sine altero, qui fit Spiritu

Sancto & igne, *Matth.* 3. v. 11. tantùm est depositio sordium carnis, teste Petro 1. *Epist.* 3. v. 21. Cœna absque manducatione carnis & bibitione sanguinis Christi, non vitæ, sed judicii cibus & potus 1. *Cor.* 11. v. 29. Totum denique ministerium Verbi & Sacramentorum sejunctum à Spiritu, literæ tantùm est, mortis, & condemnationis 2. *Cor.* 3. v. 6. 7. *& seqq.* Sunt igitur in applicatione modi externi nonnisi secundariæ & ministeriales partes: Principales & primariæ à modo interno dependent: quem, secuti Apostolum *Rom.* 8. v. 30. 1. *Cor.* 1. v. 30. 2. *Thess.* 2. v. 13, 14. quatuor gradibus distinximus, *Vocatione & Fide, Iustificatione, Sanctificatione,* & *Glorificatione.* Ex his locus primus datur atque etiam debetur *Vocationi Internæ* per Spiritum Sanctum, ut quæ primum est effectum æternæ Electionis nostri ad vitam, *Rom.* 8. v. 28, 29, 30. *cap.* 9. v. 23. 24. caussa verò partim immediata, partim mediata graduum sive beneficiorum cæterorum, *ibidem.* In Scripturâ dicitur *vocatio* κατ' πρόθεσιν, *Rom.* 8. v. 28. *vocatio* ἀμεταμέλητος, *cap.* 11. v. 29. *vocatio Electorum*, *Matth.* 20. v. 16. υἱοθεσία, *Ephes.* 1. v. 5. *Regeneratio*, *Ioh.* 3. v. 3. generaliter considerata: In Scholis communiter *Vocatio Interna*, *efficax*; item *gratia prima*, scil. gratis data, *præveniens*, *operans*, appellatur.

Ejus gradus quatuor.

Vocatio interna.

Ejus Synonyma.

Caussa *Efficiens* hujus Vocationis est *Deus* communiter, qui vocat ea quæ non sunt, tanquàm sint, *Rom.* 4. v. 17. qui vocavit nos in communionem Filii sui, 1. *Cor.* 1. v. 9. è tenebris in admirabilem suam lucem 1. *Petr.* 2. v. 9. *Spiritus Sanctus* autem singulariter: cujus proprium est, illuminare mentes, *Ephes.* 1. v. 17. 18. 1. *Cor.* 2. v. 10. regenerare corda, *Ioh.* 3. v. 3. fidem ingenerare 2. *Cor.* 4. v. 13. 1. *Cor.* 12. v. 3. Caussa *Impulsiva interna* est benevolus affectus voluntatis Dei, quo prædestinavit nos, quos adoptaret in filios, *Ephes.* 1. v. 5. εὐδοκία ipsius, quâ revelat mysteria cœlestia infantibus, *Matth.* 11. v. 26. misericordia ipsius omnes actus nostros antevertens. *Rom.* 9. v. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis:* & *cap.* 10. v. 20. *ex Esa.* 65. v. 1. *Inventus sum ab iis, qui me non quærebant, manifestus factus sum iis, qui de me non interrogabant. Externa* est Satisfactio & Intercessio Christi Servatoris Θεανθρώπου *Gal.* 3. v. 13. 14. *Ioh.* 16. v. 7. De caussis *ministris* & *Instrumentalibus* egimus Loco antecedente.

Efficiens Deus communiter.

Spiritus S. singulariter.

Impulsiva interna.

Externa.

Materia, Homines.

Materia circà quam, sive *Objectum* hujus Vocationis sunt *Homines*; quoad *qualitates internas*, corrupti peccatis, inque iis mortui: quoad *qualitates externas*, infantes, & maximâ parte stulti, infirmi, ignobiles, sed coràm mundo: quoad *gratiam verò Dei æternam & externam* Electi. Quæ tres conditiones ad objectum ejus adæquatè constituendum concurrunt. *Prima:* nam qui ita vocantur, naturâ sunt Filii iræ, mortui in peccatis, sicut & cæteri, *Ephes.* 2. v. 3. *Coloss.* 2. v. 13. cœci & obtenebrati mente, *Ephes.* 4. v. 18. non capaces eorum quæ sunt Spiritus Dei, & nè capere quidem ea valentes, 1. *Corinth.* 2. v. 14. duri & lapidei corde, *Ezech.* 11. v. 19. proni tantùm ad malum omni tempore, inde à pueritiâ, *Gen.* 6. v. 5. *cap.* 8. v. 21. absque Deo, *Eph.* 2. v. 12. inimici ejus, legique subjici nescii, *Rom.* 8. v. 7. amentes, rebelles, errantes, servientes voluptatibus & cupiditatibus variis, *Tit.* 3. v. 3. 1. *Cor.* 6. v. 11. adeòque impotentes ad bonum, ut non magis bonas, Legique conformes actiones edere possint, quàm mortuus edere potest actiones vitæ, *Ephes.* 2. v. 1. *Coloss.* 2. v. 13. arbor mala bonos fructus ferre, *Matth.* 7. v. 18. Æthiops pellem, pardus maculas mutare *Ierem.* 13. v. 23. Relinquitur ergò objecto, qualitatis hujus respectu, *potentia tantùm passiva*, quæ impotentiæ passivæ, sive naturali incapacitati ad aliquid recipiendum opponitur: non autem convenit potentia activa, sive intellectus, sive voluntatis, sive sensualitatis respectu; nedùm habitus, *Secunda:* Ita enim Apostolus 1. *Cor.* 1. v. 26. 27. 28. *Cernitis vocationem vestram, fratres; vos videlicet non esse multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles: sed quæ stulta, infirma, ignobilia sunt, elegit Deus &c.* & Christus *Matth.* 11. v. 25. *Gratias tibi ago, Pater, quod hæc occultâris sapientibus & intelligentibus, & revelâris infantibus. Tertia:* Quia vocatio illa tantùm est electorum: Fit enim secundum propositum Dei, *Rom.* 8. v. 28. quod est, secundum ipsius electionem, *cap.* 9. v. 11. nec minus ἀμεταμέλητος est, *cap.* 11. v. 29. quàm ipsum propositum 2. *Tim.* 2. v. 19. Ideòque conjungitur in Scripturâ cum electione, 1. *Cor.* 1. vers. 26. 27. & ex eâ tanquàm proprium effectum ex propriâ caussâ deducitur *Romanor.* 8. vers. 28. 29. 30. *Ephes.* 1. vers. 5.

Mortui in peccatis.

Contemtibiles coram mundo.

Electi.

Forma, Operatio Spiritus Sancti.

Forma Vocationis Internæ est *operatio Spiritus Sancti* supernaturalis, ineffabilis, efficacissima, quâ homines electos, mortuos in

in peccatis, vivificat, cœcos illuminat, duros emollit, pravos & perversos convertit, & ad Christum trahit, atque ita patientibus tantùm, non etiam agentibus aut cooperantibus, indit novas qualitates, & novas facit creaturas, sicut primâ creatione fecit creaturas. Quæ phrases sunt ipsius Scripturæ de hoc ipso argumento disserentis. *Coloss.* 2. v. 13. *Ephes.* 2. v. 1. *vivificavit nos mortuos in lapsibus & peccatis*, *Ephes.* 1. v. 18. *illuminatis oculis mentis*. 1. *Cor.* 2. v. 14. 10. *Animalis homo non est capax &c: Nobis autem ea revelavit per Spiritum suum. Ezech.* 11. v. 19. *cap.* 36. v. 26. *Amovens cor lapideum à carne eorum indam eis cor carneum. Ierem.* 31. v. 18. *Converte me, Domine, & convertar: quia tu es Iehova Deus noster. Ioh.* 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. Ioh.* 3. v. 7. *Oportet vos renasci. Nam nisi quis regenitus sit ex aquâ & Spiritu, non potest introire in regnum Dei* v. 3. 5. *Ephes.* 2. v. 10. *Ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona.* 2. *Cor.* 5. v. 17. *Si quis est in Christo, nova res condita est: vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia. Gal.* 6. v. 15. *In Christo valet nova creatura.* Quæ sanè actiones *supernaturales* sunt; excedunt enim vires totius naturæ creatæ, & revelant profunditates Dei 1. *Cor.* 2. v. 10. *Ineffabiles*; quia talia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, vers. 9. & humano more proposita non tamen capiuntur ab homine animali, v. 14. *Ioh.* 3. vers. 12. *Efficacissima* etiam, quia sunt supereminens magnitudo potentiæ Dei, efficacitas roboris virium ipsius, in nobis, qui credimus; *Ephes.* 1 v. 19. illa ipsa efficacitas, quâ Filium resuscitavit Pater à morte corporali, & nos suo tempore mortuos resuscitaturus est. Inspiciantur loca *Ephes.* 1. v. 19, 20. *Coloss.* 2. v. 13. *Iohan.* 5. v. 25. Ex quibus omnibus concludimus, *eventum* Vocationis hujus planè esse *infallibilem*; & qui eâ vocantur irrefragabiliter respondere, utpote qui ex mortuis vivi, ex nolentibus volentes, ex inimicis amici redduntur. Nam quicquid dat Christo Pater, ad ipsum venit, *Ioh.* 6. v. 37. & quos convertit Dominus, ii convertuntur *Ierem.* 31. v. 18.

Supernaturalis. Ineffabilis, Efficacissima. Eventus Vocationis internæ est infallibilis.

Finis & *Effecta* Vocationis sunt, Patefactio εὐδοκίας Dei, *Matth.* 11. v. 26. & æternæ Electionis, 1. *Cor.* 1. v. 26, 27, 28. Hominum conversio & salus *Roman.* 8. v. 29. 30. 1. *Cor.* 1. v. 30. 1. *Petr.* 2. v. 9.

Finis & Effecta.

De *Subjecto* dictum est suprâ. *Adjuncta* sunt: quod Vocatio

Adjuncta, quod

Invisibilis. hæc est *invisibilis*, quæ intus fit, *Luc.* 17. v. 21. per illuminationem mentis & innovationem cordis, eòque tanquàm occulta firma reddenda per bona opera, 2. *Petr.* 1. v. 10. & aliis demonstranda *Matth.* 5. v. 16. Est *immutabilis*: nam *dona Dei & vocatio ejusmodi sunt, ut illorum non possit pœnitere Rom.* 11. v. 29. *Tempore* autem *varians* in individuis, quæ Deus non eâdem horâ vocat, *Matth.* 20. vers. 1. *& seqq.* sed quando ipsi videtur: ut qui tempora sive oportunitates in suâ ipsius autoritate statuit *Actor.* 1. vers. 7.

Immutabilis.

Tempore varians.

Fides. Sequitur *Fides*, quâ Vocationi Dei fidelis respondet: cujus exempla multis locis proponit Scriptura: *Ps.* 27. v. 8: *Tuum illud, Requirite faciem meam, cogitat animus meus; faciem tuam, Iehova, requiro. Ierem.* 3. v. 17. *Revertimini filii adversantes, curabo aversiones vestras: ecce nos accedimus te, quia tu es Iehova Deus noster Hos.* 2. vers. 23. *Zach.* 13. v. 9. *Dicam, Populus meus es: & ipse dicet, Iehova, Deus mi.* Quinimò singuli fideles exempla sunt. Etenim promissionem gratiæ *Deus vocans* credenti proponit. *Homo respondens*, promissionem illam fide accipit; sicque gratiam promissam sibi applicat: ut ità Dei vocantis & Hominis respondentis partes, in hoc Syllogismo aptè connectantur: *Quisquis crediderit, justificabitur & servabitur. Ego credo. Ergò ego justificabor & servabor.*

Ejus homonymia. Antequàm verò Fidei hujus naturam plenè edisseramus, omninò removenda est *homonymia*, quæ in voce *Fidei* latet. Accipitur enim juxtà receptam distinctionem Augustini, tùm pro Fide, *quæ creditur*; tùm pro eâ, *quâ creditur*. *Primò* modo est dictorum factorumque constantia & veritas, *Psal.* 33. v. 4. *Ies.* 11. v. 5. *Rom.* 3. v. 3. 4. & respondet voci Hebrææ אמונה *emunah*, quæ est ab אמן *amen*, id est, *firmitate & stabilitate.* Ita fides dicitur *doctrina Euangelii*, *Actor.* 6. v. 7. *Rom.* 3. v. 31. *Gal.* 1. v. 23. 1. *Tim.* 4. v. 1. vel partes quædam ejus; ut capita catechetica, *Hebr.* 6. v. 1. 2. item typorum vaticiniorumque complementa *Gal.* 3. v. 25. *Secundo* modo est persuasio de alicujus constantiâ & veritate: & respondet voci Græcæ Πίστις, quæ est à πείθομαι, *persuadeor, credo.* In quâ significatione jam fidem *historicam*, *Actor.* 26. v. 27. *Iacob.* 2. v. 19. modò *temporariam*, *Matth.* 13. v. 21. *Luc.* 8. v. 13. aliquando eam, quæ *miraculorum* dicitur, *Matth.* 17. v. 20. 1. *Cor.*

Fides pro doctrinâ Euangelii.

Diversæ species fidei.

1. *Cor.* 13. verſ. 2. communiter fidem *juſtificantem & ſalvificam Rom.* 3. *v.* 28. *Marc.* 16. *v.* 16. in Scripturis notat. Quæ ſpecies verè & realiter diſtinctæ ſunt, ut quæ à ſe invicem ſeparabiles ſunt. Nam in dæmoniis multiſque infidelibus eſt fides hiſtorica, *Iacob.* 2. *v.* 19. qui tamen fide temporariâ & juſtificante carent, cum contremiſcant: & alterâ quoque miraculorum, quæ patrare non poſſunt *Actor.* 19. *v.* 13. *& ſeqq.* In aliis eſt fides temporaria, in quibus tamen nec Juſtificans, *Luc.* 8. *v.* 13. nec miraculorum, *Actor.* 8. v. 19. reperitur. In quibuſdam eſt fides miraculorum abſque Juſtificante, ut in Judâ & illis, de quibus eſt *Matt.* 7. *v.* 22. In infinitis eſt fides juſtificans abſque fide miraculorum: uti videre eſt, *Matth.* 17. *v.* 19. 20. *& paſſim*, in exemplis Patriarcharum, Regum, Prophetarum quorundam, & Joannis Baptiſtæ. Interim fides Juſtificans & Miraculorum ſæpe concurrerunt in uno ſubjecto, ut *Matth.* 10. v. 1. *Hebr.* 11. *v.* 29. 30. *& ſeqq.* docetur. Et aliæ duæ ſpecies, quia nonnulla cum fide Juſtificante communia habent, puta notitiam, aſſenſum, guſtum: gradus quidam ejus eſſe dicuntur.

Hiſtorica. De tribus prioribus fidei ſpeciebus non multa dicemus. *Hiſtorica* conſtat notitiâ & aſſenſu eorum, quæ Deus in Verbo ſuo revelavit. *Objectum* igitur ejus eſt totum Verbum Dei, non ſola verbi illius hiſtoria. *Subjectum* eſt mens agnoſcens veritatem Verbi, & ei aſſentiens, partim lumine naturæ, partim operatione Spiritus Sancti, etſi generali. *Effectum* boni operis nullum eſt. Quo reſpectu mortua dicitur, *Iacob.* 2. *v.* 17. operum, quæ vitæ indicia ſunt, expers.

Temporaria. *Temporaria* eſt, quæ ad tempus durat: & conſtat notitiâ, aſſenſu, gaudio, & fructibus. Hujus *Objectum* eſt doctrina Euangelii *Matth.* 13. *v.* 20. 21. *Hebr.* 6. *v.* 4. 5. *Subjectum*, non modò mens cognoſcens eam, & approbans, ſed etiam voluntas eâ lætans & exſultans: ut de Judæis teſtatur Chriſtus, *Iohann.* 5. v. 35. & amplius declarat in parabolâ ſeminis. *Luc.* 8. *v.* 13. quod Paulus vocat *guſtare bonum Dei Verbum, & ſeculi futuri virtutes Hebr.* 6. *v.* 5. At guſtus ille gaudiumque non ex fiduciali Chriſti apprehenſione; ſed ex doctrinæ *vel* novitate, ut *Ioh.* 5. *v.* 35. *vel* ſuavitate, quæ in juſtificatione fidei abſque operibus, & libertate Chriſtianâ poſita eſt, *vel* etiam utilitate ad opes & honores proficiſcitur. Hinc Chriſtus dicit, *radicem non habere, Matt.* 13. v. 21.

id est, soliditatem, quæ est veræ fidei, *Coloss.* 2. *v.* 5. eòque nec stabilitatem & durationem, ut quæ tempore tentationis deficit *Luc.* 8. *v.* 13. Quod tamen hâc fide prædīti ignorare possunt tantisper, donec ipso eventu de ejus instabilitate convincantur *Joh.* 2. *v.* 23. *& seqq.* Tanta ac tam profunda est cordis humani hypocrisis *Ierem.* 17. *v.* 9. 10. *Efficiens* hujus fidei est Spiritus S. cujus participes facti, & per quem illuminati esse dicuntur, *Hebr.* 6. *v.* 4. verùm non nisi actione electis & reprobis communi. *Effectum* spectatur non modò in externâ professione, Judæ, *Matt.* 10. v. 4. Simeonis Magi, *Actor.* 8. v. 13. & aliorum, sed etiam in operum bonorum patratione; qualis fuisse videtur Herodis, qui libenter audiebat Joannem, auditoque eo multa faciebat, *Marc.* 6. v. 20. & de qualibus loquitur Apostolus 1. *Cor.* 13. *v.* 3. *Si insumam alendis egenis omnia, quæ mihi suppetunt, & si tradam corpus meum, ut comburar, charitatem autem* (quæ ex verâ fide est, 1. *Timoth.* 1. vers. 5.) *non habeam, hoc nihil mihi prodest.*

Miraculorum.

Fides Miraculorum est, per quam eduntur miracula. Ejus *Objectum* est promissio aut revelatio aliqua specialis; cujusmodi facta est Gideoni *Iud.* 6. v. 14. *In virtute illâ tuâ, & servabis Israëlem è manu Midianitarum:* itemque Apostolis, tùm ante, *Matth.* 10. v. 1. tùm post Christi resurrectionem *Marc.* 16. v. 17. *& seqq.* Nam verbum generale ad id nullatenus sufficit: alioquin de facultate istâ ære parandâ, non laborasset Simon Magus *Act.* 8. v. 19. *Subjectum* est mens intelligens promissionem, & voluntas eandem amplectens *Matt.* 14. v. 31. *cap.* 17. v. 20. *Efficiens* est Spiritus S. 1. *Cor.* 12. v. 9. *Actor.* 8. v. 18. 19. dono speciali & extraordinario: quod ipsum tamen reprobis est cum electis commune *Matt.* 10. v. 1. *& seqq. cap.* 7. v. 22. *Effecta* sunt miracula: quæ ut jam pridem desierunt in Ecclesiâ, ita eorum quoque fides, prout hîc consideratur, desiit.

Iustificans.

De *Fide Iustificante* pluribus agendum est. Quæ in Scripturâ vel absolutè *Fides* dicitur; ut, *Iustus ex fide vivet, Rom.* 1. v. 17. *Iustificati fide, cap.* 5. v. 1. vel cum additione; *Fides operans per Charitatem, Gal.* 5. v. 6. *fides efficax,* 1. *Thess.* 1. v. 3. *fides* ἀνυπόκριτος, *non simulata,* 1. *Tim.* 1. v. 5. *fides electorum, Tit.* 1. v. 1. In Scholis, *fides vera, viva, justificans, salvifica,* appellatur: eique ceu proprius actus tribuitur, *credere in Deum, in Christum, Ioh.* 14. v. 1. *in nomen Christi cap.* 1. v. 12. Quod etsi communiter verum est, non-

Synonyma.

nunquam

nunquam tamen eadem phrasis de aliis fidei speciebus usurpatur: *Exod.*14.v.*ult.* *Ioh.*2.v.23. *cap.*12.v.42. Sicut vicissim, *credere Deo & Deum, Christo & Christum,* quod illarum est, de fide Justificante enuntiatur. *Rom.*4.v.3. *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam.* *Actor.*8. v.37. *Credo Iesum Christum esse illum Filium Dei.* Hæc fides definitur ab Apostolo *Hebr.*11.v.1. *Hypostasis rerum quæ sperantur, & demonstratio rerum, quæ non cernuntur.* Cujus definitionis sensus est, quod Fides res futuras, quæ sperantur ex infallibili Dei promissione, præsentes faciat credenti, tùm in mente per notitiam ac assensum, tùm in voluntate per apprehensionem, eóque ὑπόστασιν, quæ rerum est præsentium, ipsis largiatur: item, quod res invisibiles, sive illæ præteritæ, sive præsentes, nec sensu, nec naturæ lumine perceptibiles, sive futuræ sint; ejusdem promissionis evidentiâ ac veritate tàm clarè proponat, tàm certò demonstret, tàm firmiter persuadeat, ut visibiles reddi, & coràm quasi oculis cerni videantur. Ita, quia ὑπόστασις est fides, jam servati dicimur, sed spe; *Rom.*8.v.24. quia ἔλεγχος, spectare ea quæ non cernuntur æterna 2.*Cor.*4.v.18. Quanquam verò fides Justificans ita definitur, sicut tàm connexio antecedentium, *cap.*10.v.38.39. quàm series consequentium, *cap.*11. & inprimis aurea illa γνώμη, quæ est v.6. clarè docet: Est tamen definitio illa ita generalis, ut aliis quoque fidei speciebus, Historicæ & Miraculorum, conveniat, easque complectatur. Quodipsum haud obscurè colligitur, *partim* ex objectis ejus: quæ sunt opera creationis, v.3. per assensum, non fiduciam, credenda: omnis generis promissiones, *in exemplis passim*: atque etiam comminationes; v.7. *partim* ex effectis, quæ sunt opera miraculosa, v.33.34. ex peculiaris promissionis fide facta. Proinde ex aliis ejusdem Apostoli locis, maximè *Coloss.*1. v.9. *cap.*2.v.2. *Actor.*26.v.18. *Rom.*4.v.18. *& seqq.* *Gal.*2.v.20. definitionem specificam & reciprocam elicimus: *Fides est cognitio gratiæ Dei in Christo Redemtore, ejusdemque fiducialis apprehensio: quâ quisque fidelis sibi illam singulariter applicat.*

Definitio Fidei, quæ est Hebr.11.v.1.

Definitio specifica.

Hujus caussa *Efficiens* est Deus, Fides enim *Dei donum* dicitur, *Ephes.*2.v.8. qui gratis dat non solùm credere in Christum, sed etiam pro eo pati *Philipp.*1.v.29. Unde Christus: *Hoc est illud opus Dei, ut credatis in eum, quem ille misit Ioh.*6.v.29. Operatur autem fidem in nobis per *Spiritum Sanctum*, qui *fidei Spiritus* est,

Efficiens, Deus;

Per Spiritum Sanct.

2.*Cor*.4.v.13. & absque quo Jesum Dominum dicere nemo potest, 1.*Cor*.12.v.3. sed actione non generali in omnibus, sed *particulari* in electis. *Vobis datum est*, inquit Christus, *Matth*.13. v.11.*nosse mysteria regni cœlorum,illis non est datum :* & pater ille cœlestis revelat se infantibus, occultat sapientibus *cap*.11.v.25. De caussis Instrumentalibus procreantibus, Lege, *Gal*.3.v.24. & Euangelio, *Rom*.1. v.16. *cap*.10. v.8.17. 1.*Petr*.1.vers.23. & cum iisdem conservantibus, Sacramentis, *Rom*.4.v.11. alibi dictum est.

Actione particulari.

Materia, ex quâ fit Fides, nulla datur. Interim, quia *genus* Symbolum est materiæ, ob communem & indeterminatam suam naturam, hujus loco in definitione ponitur *Notitia*: Quam Fidei infinitis locis tribuit Scriptura: *Col*.1.v.9.*Vt impleamini agnitione voluntatis ejus cum omni sapientiâ & intelligentiâ spirituali*. *Esa*. 53.v.11. *Servus meus Iustus cognitione sui justificabit multos*. *Ioh*.17. v.3. *Hæc est vita æterna,ut te cognoscant solum illum verum Deum,& quem misisti Iesum Christum*. Sic 1.*Cor*.1.v.21.24.30.*cap*.2.v.2.*Ephes*.3.v.3.*Coloss*.2.v.2. *& alibi*. *Noticia* illa habet non tantùm cognitionem, verùm etiam assensum eam consequentem. Etsi enim assensus non fiat propter rationes & demonstrationes, prout fit in scientiâ, sed propter autoritatem loquentis Dei; cognitionem tamen rei,quæ credenda est,si non omnimodam, saltem aliquam, requirit: cum loquatur Deus non brutis, sed rationalibus, *Psal*.32.v. 9. & sua etiam eloquia à Ministris suis proposita probari velit 1.*Thess*.5.v.21. 1.*Ioh*.4.v.1. Hic *Assensus* est Judicium de promissionis tùm veritate, tùm bonitate. *Veritatem* dijudicat intellectus theoricus, assensum ei præbens, tanquàm veræ. *Bonitatem* practicus, ut bonam approbans, & voluntati amplectendam judicans. De *priore* dicta sunt: *Ioh*.3.v.33. *Qui recipit ejus testimonium, is obsignavit,quod Deus verax sit*. 1.*Tim*.1.v.15.*Fidus est hic sermo,& modis omnibus dignus quem amplectamur*. De *posteriore*: 1.*Cor*. 1.v.18 *Sermo de cruce,nobis, qui servamur,potentia Dei est*.vers.24. *Prædicamus Christum, vocatis,Dei potentiam, ac Dei sapientiam*: & alia. At *Materiam circà quam,& in quâ*,sive *Objectum & Subjectum*, ut vocant Scholæ,Fides omninò habet. *Objectum* ejus *generatim* & ad æquatè consideratum, est *totum Verbum Dei*, & quicquid eo continetur. Nam *fides est ex auditu*, id est, ex Verbo Dei audito, *& auditus per Verbum*; scilicet, prædicatum *Rom*.10.v.17. Utque,

Materia seu Genus,

Notitia,

Comprehendens Assensum.

Objectum generatim, totum Verbum Dei.

primò

primò oritur, sic ultimò resolvitur in hoc principium, Dominus dixit: Nec suprà id, quod scriptum est, ullatenus sapit 1. *Cor*. 4. v. 6. Sed *specificè* & propriè consideratum Objectum est *Euangelium*, potentia Dei ad salutem, omni credenti, *Rom*. 1. vers. 16. cui credere jubemur, *Marc*. 1. v. 15. & quod inde *fides* Metonymicè vocatur *Rom*. 3. v. 31. Cujus distinctionis fundamentum est diversa fidei ad suum objectum σχέσις atque affectio. *Alia* quippe credit per assensum tantùm; *alia* per assensum & fiduciam simul. Per *solum assensum* credit, quicquid legale, historicum, passim proponitur: utpote quod verissimum esse firmiter statuit. Per *assensum & fiduciam simul* credit promissiones Euangelicas, quas non modò ut veras & bonas approbat, sed etiam ut credenti factas fiducialiter acceptat. Atque huc facit distinctio phrasium vulgò recepta, *Credere Deo, Deum, & in Deum:* de quâ suprà. *Proprium* itaque *Fidei Iustificantis Objectum* est Objectum Euangelii, hoc est, *gratia Dei in Christo Redemtore*, sive Christus Redemtor; prout in Euangelio & Sacramentis tanquàm speculis offertur, ob oculos nobis depingitur, & à nobis cernitur 2. *Cor*. 3. v. 18. *Gal*. 3. v. 1. *Cernimus* enim *per speculum & ænigma*, 1. *Cor*. 13. v. 12. *qui per fidem, non per adspectum incedimus* 2. *Cor*. 5. v. 7. Quod objectum idem est in utroque Testamento. Est enim *Christus heri & hodie idem, & in secula Hebr*. 13. v. 8. Est *agnus ille mactatus jam inde à jacto mundi fundamento Apoc*. 13. v. 8. *Ratio* etiam evidens est: quia *nemo venit ad Patrem, nisi per Christum, Ioh*. 14. v. 6. *nec est in alio quoquam salus, neque aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari Actor*. 4. v. 12. Ex quo de utriusque Testamenti populo pronuntiat Petrus, *per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos servatum iri, quemadmodum & illos*, scilicet, Patres nostros, *Actor*. 15. v. 10. 11. & Paulus, *Rom*. 3. v. 30. *Deus unus est, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem in Christum, traditum in mortem propter lapsus nostros, & resuscitatum ad nostri justificationem cap*. 4. v. 23. 24. 25. Cæterum objectum illud unum substantiâ, aliis atque aliis vestitum circumstantiis proponitur: Unde clarior vel obscurior, distinctior vel confusior ejus exstitit cognitio. *In V. T.* proponebatur ut *futurum*, in promissionibus de semine mulieris contrituro caput serpentis, *Genes*. 3. v. 15. de semine Abrahæ benedicturo omnibus gentibus terræ, *cap*. 22. v. 18. de Filio Davidis regnaturo in æternum, 2. *Sam*. 7.

Specificè Euangelium.

Proprium, gratia Dei in Christo.

In utroque Test. unum idemque substantiâ;

Diversum circumstantiis.

In V. T. ut futurum:

v.12.*& seqq.* de Immanuele ex Virgine nascituro *Esa.*7.v.14.*&c.* Quæ promissiones variè pro ætate Ecclesiæ repetitæ, plures subinde & evidentores Objecti circumstantias revelarunt. Deinde diversis personarum ac rerum figuris ut futurum adumbrabatur, plus minusve intellectis, pro ipsarum promissionum, atque etiam ministerii publici conditione. *Initio N.T.* ex futuro quidem factum est *præsens*: ut nunciarent Angeli; *Vobis natus est Servator, Luc.*2.v.11.*qui servabit populum suum à peccatis ipsius, Mat.*1.v.21 testaretur Joannes; *Hic est agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi, Ioh.*1.v.19. cœlitus clamaret Pater; *Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco, Matt.*3.v.17. ipse Christus prædicaret; *se esse promissum illum Messiam, Ioh.*4.v.26. Interim circumstantiæ multæ de Personâ ipsius ac munere prædictæ & præfiguratæ, ut non protinus impletæ, sic nec statim revelatæ, & ab aliis cognitæ & creditæ fuerunt. Samaritanorum certè hæc tantùm fides erat; *Iesum esse verè Servatorem illum mundi Christum, Ioh.*4.v.42. Nathanaëlis, *Christum esse Filium Dei, & Regem Israëlis, cap.*1.v.50. Apostolorum; *Christum esse agnum Dei tollentem peccatum mundi*, v.36. 37. *Messiam, v.*42. *Filium illum Dei viventis Matth.* 16.v.16. Circumstantias autem hujus objecti, sive redemtionis modum per meritum mortis & efficaciam resurrectionis, *Rom.*4.v.25. ipsi etiam Apostoli ignorarunt *Matth.*16.v.22. Quin & Christus, ut alia multa, *Ioh.*16.v.4.12. ita hunc modum ipsis à principio non tradidit, quod portare non possent: sicut his verbis testatur Matthæus: *cap.*16.v.21. *Ex eo tempore cœpit Iesus indicare discipulis, oportere se abire Hierosolysmam, pati, occidi, & suscitari.* At *posteà*, Christo jam à mortuis suscitato, & ad dextram Patris collocato; *tùm* objectum Christus, *tùm* omnes objecti, id est, Personæ & Muneris ejus, circumstantiæ plenissimè & planissimè Apostolis per Spiritum Sanctum, nobis per Apostolos revelatæ sunt, & credendæ offeruntur: uti in Symbolo Apostolico κατ' ἐπιτομὴν videre est. *Postremò* illud quoque ad objecti cognitionem pertinet, quod Christus, seu promissio gratiæ propter ipsum, non tantum generaliter & indefinitè quibusvis, sed etiam specialiter & *definitè singulis* credentibus offeratur. Docet id praxis Christi, qui promissionem illam ita proposuit in genere, *Ioh.*3. vers.16. *Matth.*11.v.28.29. *Marc.*16.v.16. ut etiam applicarit in specie: Paralytico, *Matth.*9. vers.2. peccatrici, *Luc.*7.vers.48.

Initio N.T. ut præsens.

Tandem Christo suscitato plenissime & planissime revelatum.

Offertur definite singulis.

Zacchæo

Zacchæo, *cap.*19. v.9.10. latroni *cap.*23.v.43. Confirmat praxis Apostolorum, qui ex muneris sui autoritate, *Ioh.*20.v.23. 2.*Cor.*5.v.20. idem fecerunt, & faciendum esse docuerunt *Act.* 2.v.38.39. 1.*Tim.*1.v.15.16. *Gal.*2.v.16.20. *Rom.*3.v.23.24. Sacramenta fidei justitiam unicuique sigillatim obsignant *Genes.* 17.v.13. *Actor.*2.v.38. *Rom.*4.v.11. *Spiritus adoptionis testatur Spiritui nostro, nos esse Filios Dei, Rom.*8.v.16. *& revelat, quæ Deus nobis gratificatus est* 1.*Cor.*2. v.10.12. Quorum utrumque cum ex Verbo fiat, & secundum ejus veritatem; promissionem gratiæ in illo specialiter offerri necessum est. Hactenus de Objecto.

Subjectum Fidei commune est, vel proprium. *Commune* est totus Homo, animâ & corpore constans, sed peccator, & in Christo electus ad vitam æternam. Etenim peccatori opus est fide ad accipiendam peccatorum suorum remissionem, *Actor.*26. v.18. *Rom.*3.v.25. quæ tamen non omnibus, sed iis tantùm datur, qui ad vitam æternam ordinati sunt. *Actor.*13.v.48. Unde fides negatur esse omnium, 2.*Thess.*3.v.2. affirmatur verò esse Electorum, *Tit.*1.v.1. scilicet adultorum. *Infantes* fidelium etsi ipsi quoque habeantur pro Electis, expromissione fœderali, *Genes.*17.v.7. *Actor.*2.v.39.& multi ipsorum sint tales, *Rom.*9. v.11. soli Deo noti, 2.*Tim.*2. v.19. quin etiam ex regeneratione, *Iohann.*3.v.3.5. aliquod fidei principium & quasi semen hauriant; quod cujusmodi sit, ignorare nos ingenuè fatemur: tamen cum per ætatem nec auditus, ex quo est fides, *Rom.*10.v.17. nec notitiæ, neq; fiducialis apprehensionis capaces sint, subjectum δεκτικὸν fidei Justificantis esse nequeunt. *Proprium* subjectum est partim Intellectus hominis, partim voluntas. De *Intellectu* inde constat; quod cum fidem infundit Spiritus Sanct. mentem homini aperit, *Luc.*24.v.45. eamque renovat, *Ephes.*4. v. 23. item quod fides sic infusa, *notitia*, *Esa.*53.v.11. *cognitio*, *Ioh.*17.v.3. *agnitio*, *Coloss.*1.v.9.10. *plenè certiorata intelligentia*, *cap.*2.v.2. appellatur. *Voluntati* verò itidem inesse, ab operatione Spiritus Sancti, actu, atque objecto fidei ostenditur. Ab *operatione Spiritus Sancti:* quia is cor nobis aperit, ut credamus, *Actor.*16.v.14. & habitat per fidem in cordibus nostris *Ephes.*3.v.17. Ab *actu fidei*; qui est corde credere ad justitiam, *Rom.*10.v.10. in corde suo credere, v.9. toto corde credere, *Actor.*8.v.37. accipere

Subjectum Commune. Homo peccator, electus

Infantes non sunt fidei subjectum δεκτικόν.

Proprium.

Intellectus.

Voluntas.

pere remissionem peccatorum, *cap.*26. v.18. bonam partem eligere, *Luc.*10.v.42. quod sanè voluntatis est. Ab *Objecto* denique: nam cum promissio gratiæ offeratur in Verbo, non modo cognoscenda, & approbanda ut vera, sed etiam amplectenda ut bona; menti simul & voluntati offerri, & tàm hâc accipi, quàm illà approbari certum est. Nec obstat veritati huic Theologicæ axioma Philosophicum: Quod, videlicet, nullum accidens singulare esse possit in duobus subjectis: quia id de accidentibus naturalibus, prout ea intellexerunt & explicarunt Philosophi; non de accidenti hoc divino & supernaturali, ipsis prorsus incognito, loquitur.

Forma est

Forma Fidei Justificantis est *fiducialis gratiæ apprehensio.* Siquidem formalis ejus actus est, Christum hujusque beneficia in promissione Euangelii apprehendere fiducialiter, sive cum fiduciâ. Utrumq; evidentibus Scripturæ testimoniis confirmati potest. *Prius* de apprehensione; *Ioh.*1.v.12. *Quotquot eum receperunt, dedit eis hoc jus, ut filii Dei sint facti, nempe iis qui credunt in nomen ejus. Act.*26.v.18. *Vt remissionem peccatorum accipiant per fidem. Rom.*5.v.11. *Per ipsum* (Christum) *reconciliationem accepimus.* v.17. *Donum justitiæ recipiunt. Galat.*3.v.14. *Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Philipp.*3.v.12. *Persequor experiens, an quoque apprehendam.* 1.*Tim.*1.v.15. *Certus est hic sermo, & dignus modis omnibus qui recipiatur, Christum Iesum venisse in mundum, ut peccatores servaret, quorum primus sum ego.* In quibus omnibus relationis vis etiam consideranda est. *Promissio Euangelii* offert, exhibet: *fides*, correlatum ejus, accipit. Ut igitur *illa* dat Christum, qui est donum Dei, *Iohan.*4.v.10. dat vitam æternam, quæ est donum Dei, *Rom.*6.v.23. ita *fides* in promissione Christum ejusque beneficia accipit.

Apprehensio

Fiducialis.

Posterius, de fiduciâ: *Psal.*78.v.22. *Non credebant in Deum, nec ponebant fiduciam in auxilio ejus. Iohan.*39.v.14.15. *An confides ei? an credes ei? &c. Mich.*7.v.5. *Nè creditote amico, nè confiditote duci. Luc.*16.v.11. *Si in fallaci mammonâ fideles non fuistis, vera bona quis credet vobis? Ioh.*2.v.24. *Iesus non credebat se ipsis.* Et in exemplis, *Matth.*9.v.22. *Fides tua te servavit.* Quæ fides hæmorrhousæ sic describitur, v.21. *dicebat apud se, si solùm tetigero vestimentum ejus, sanabor.* Sic *Luc.*5.v.20. *Christus visâ fide bajulorum & Paralytici, ait ei: Homo, remissa tibi sunt peccata tua. Actor.*14.v.9. *Paulus cum vidisset, quod fidem haberet claudus, se liberatum iri. Iohann.*16.v.33.

Confi-

Confidite, ego vici mundum: cum quo conferatur locus 1. *Joh.* 5. v. 4. *Hæc est victoria quæ vicit mundum, nempe fides nostra.* Sic *Matt.* 15. v. 28. *O mulier, magna est fides tua! Fiat tibi ut vis, &c.* Opponitur etiam fidei *diffidentia, hæsitatio, pusillanimitas, timor, metus, Matt.* 14. v. 31. *cap.* 21. v. 21. *Luc.* 8. v. 24. 25. *cap.* 12. v. 29. *Rom.* 4. v. 20. *& alibi*: quæ fiduciam esse clarè ostendunt. *Postremò* idem colligitur ex ratione objecti. Etenim Christus ita accipitur fide, ut offertur in promissione. At in promissione offertur speciatim, ut meus, tuus Servator. Ergò ita quoque fide accipitur: sicut accepit ipsum Thomas, dicendo: *Domine mi, & Deus mi*, eòque credidit; ipsius Christi testimonio *Joh.* 20. v. 29. Si verò Christus ita accipitur, equidem fiducialiter accipitur. Ut enim amicum meum verè non voco, de cujus amico ergà me animo non sum persuasus: sic neque verè nomino Servatorem meum, quem persuasione cordis pro eo non habeo. Est igitur fides formaliter fiducialis Christi apprehensio, quâ quisque fidelis sibi eum speciatim applicat. Quæ *specialis applicatio* in voluntate est, ex speciali adjudicatione in mente. Nam *primò* judico vera esse de me, bona esse mihi, quæ proponuntur in Euangelio: *inde* ut bona apprehendo. Docet hoc Apostolus exemplo suo 1. *Tim.* 1. v. 15. 16. *Certus est hic sermo, & dignus modis omnibus qui recipiatur, Christum Iesum venisse in mundum, ut peccatores servaret: quorum primus sum ego. Verùm ideò misertus est mei, ut in me primò ostenderet omnem iræ suæ cohibitionem.* Et *Gal.* 2. v. 20. *Vivo per fidem illam Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Hinc alii fidem definiunt πληροφορίαν in mente, & πεποίθησιν in voluntate. Nam πληροφορία *menti* tribuitur, *Rom.* 14. v. 5. fides πληροφορία τῆς συνέσεως, *plenè certiorata intelligentia* vocatur. *Coloss.* 2. v. 2. Sic πεποίθησις *Voluntati* non obscurè vendicatur. 2. *Cor.* 3. v. 4. *cap.* 10. v. 2. Quamvis hoc discrimen non sit perpetuum: ut inter cætera videre est *Hebr.* 6. v. 11. ubi πληροφορία voluntati, & *Rom.* 14. v. 14. *Phil.* 1. v. 25. ubi πεποίθησις menti adscribitur: sicut utraque vox latius quoque pro quâvis *certioratione & persuasione* sive fiduciâ accipitur *Rom.* 14. v. 5. 14. 2. *Cor.* 10. v. 2. 2. *Timoth.* 4. v. 5. Licet verò πληροφορία & πεποίθησις in multis Scripturæ locis atque exemplis *plenam certiorationem & firmam persuasionem* notent: inde tamen non efficitur, quod qui utramque eo modo graduve non habent, verâ fide careant. Præterquam enim quod fides ibi describitur,

Speciatim applicans.

πληροφορία & πεποίθησις quid.

ſcribitur, qualis eſt *vel* in ſuâ perfectione, ad quam contendendum eſt, *vel* in illuſtrioribus exemplis, quæ nobis ſunt imitanda: *Rom.*4. v.12. *Hebr.*13.v.7. verbum πληροφορεῖσθαι, & ſubſtantivum πληροφορία, non certiorationem ſive perſuaſionem ſimpliciter, ſed cum modo, plenam certiorationem, certam perſuaſionem deſignant. Quod conſtat, *partim* ex nativâ vocis ſignificatione: nam πληροφορεῖσθαι eſt plenâ fiduciâ, tanquàm plenis velis ferri: *partim* ex conſtructione, ubi naturam induit adjectivi: πληροφορία τῆς ἐλπίδος, *certiorata ſpes*, *Hebr*.6.v.11. πληροφορία πίστεως, *certiorata fides*, *cap*.10.v.22. *partim* ex optimorum interpretum Verſionibus, quæ haſce voces ita reddunt: *Plenam fidem facere*, *Luc*.1.v.1. 2.*Tim*.4.v.5. *plenè perſuaſum habere*, *Rom*.4.v.21. *plenè certum eſſe*, *cap*.14.v.5. *plenam perſuaſionem*, 1.*Theſſ*.1.v.5. *certam perſuaſionem Hebr*.6.v.11. Attamen, quicunque verè credit, πληροφορίαν habet: cum fides abſque perſuaſione & certioratione eſſe nullo modo poſſit. Sed qui fide firmâ credit, ut Abraham, *Rom*.4. Paulus, *cap*.8. habet perſuaſionem illam cum gradu, id eſt, plenam perſuaſionem: qui infirmâ, non ſimpliciter ſed ſecundum quid, id eſt, perſuaſionem abſque illo gradu. Sic Πεποίθησις tantùm *perſuaſionem* notat, & non mutatâ ſignificatione ab eâdem, quâ πίστις, radice deſcendit, quæ eſt Verbum Πείθομαι. At πίστις fide infirmis rectè tribuitur: qui ὀλιγόπιστοι dicuntur, *Matt*.8.v.26. & ita credunt, ut Dominum incredulitati ſuæ velint ſuccurrere *Marc*.9.v.24. Ergò iiſdem rectè tribuitur πεποίθησις. Adde, quod Verbum Πείθω, & πείθομαι apud autores ſacros & profanos de quâvis perſuaſione, etiam probabili, infirmâ, fallaci, non infrequenter uſurpatur.

In quavis verâ fide reperiuntur.

Finis ſummus.

Finis Fidei *ſupremus* eſt Gloria Dei, inprimis laus veracitatis ejus: nam *qui recipit teſtimonium ejus, is obſignavit Deum veracem eſſe Iohann*. 3.v.33. *Subalternus* eſt ſalus animarum, quam vocat Petrus *fidei noſtræ mercedem*, 1.*Epiſt*.1.v.9. & ad quam credere dicimur *Hebr*.10.v.39.

Subalternus.

Effecta 1. Confidentia.

Effecta varia ſunt. Primum eſt *Confidentia*, quæ *Epheſ*.3.v.12 Πεποίθησις appellatur; quâ acquieſcimus in Dei ergâ nos gratiâ, & pacem coràm ipſo obtinemus *Rom*. 5.v.1. Quia enim de hâc gratiâ πληροφορίᾳ πίστεως, *certioratâ fide* perſuaſi ſumus, *Hebr*.10. verſ.22. non poſſumus non confidere ei, tàm gratiosè ergà nos affecto,

affecto, adeóque totos nos ipsi committere. Alterum est *Spes*, *Rom.* 5. v. 2. 5. *cap.* 8. v. 23. 24. 25. quâ patienter exspectamus quæ à Deo promissa fide accepimus. Ideòque continet & confirmat fidem, nè Deo promissionum complementum differente, aut præcipitet se festinando, aut vacillet dubitando. *Objectum* cum fide idem habet. Nam fides est ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, & utraque fertur in bona, quæ oculis corporeis non cernuntur *Hebr.* 11. v. 1. *Rom.* 8. v. 24. 25. Quâ de caussa fides pro spe, & contrà, ponitur 1. *Cor.* 15. v. 19. *Hebr.* 10. v. 23. 1. *Petr.* 1. v. 13. *cap.* 3. v. 15. 1. *Iohann.* 3. v. 3. Differunt verò objecti percipiendi modo: quod *fides* præsens quasi facit, & applicat credenti, ut eo tanquàm præsenti fruatur, *Hebr.* 11. v. 1. *spes* autem ut futurum tantùm illud intuetur, nec ullâ ratione in præsentia fertur *Rom.* 8. v. 23. 24. Tertium est *Charitas*, quæ ex fide non fictâ proficiscitur, 1. *Tim.* 1. v. 5. per quam operatur fides, *Gal.* 5. v. 6. & à quâ efficax, 1. *Thess.* 1. v. 3. & viva, *Iacob.* 2. v. 17. denominatur. Estque à fide prorsus inseparabilis. Cum enim Deum ut nostri amantissimum fideli corde apprehendimus, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, *Rom.* 8. v. 32. statim ex eodem corde sincerus ergà ipsum amor erumpit, & propter ipsum erga alios, proximos nostros. Alia effecta sunt, *Invocatio*, *Rom.* 10. v. 14. *Confessio*, *cap.* 10. v. 9. 10. 2. *Cor.* 4. v. 13. *Vnio cum Christo*, *Iohann.* 15. v. 4. 5. *Ephes.* 3. v. 17. *cap.* 5. v. 30. *& Communio in bonis ipsius Rom.* 6. v. 4. 5. *cap.* 8. v. 1. De *Subjecto* abundè dictum est.

2. Spes.

A fide quid differat.

3. Charitas.

Adjunctorum tres classes facimus. Est enim fides Una, Ἰσότιμος, Ἀνυπόκριτος: est Gradibus diversa, semper tamen Imperfecta: est Constans & durabilis in hâc vità, desitura in alterâ. Primò, *una* est fides, *Eph.* 4. *v.* 5. quia unius speciei est in omnibus credentibus, neque aliâ fide veteres servati sunt, quàm nos *Actor.* 15. *v.* 11. Est ἰσότιμος *æquè pretiosa* in omnibus, 2. *Petr.* 1. *v.* 1. nam omnium fides fertur in unum Deum, *Ephes.* 4. *v.* 6. *qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*; *Rom.* 3. *v.* 30. in unum Dominum, *Ephes.* 4. *v.* 5. *traditum in mortem propter lapsus nostros, & resuscitatum ad nostri justificationem Rom.* 4. *v.* 25. Eóque etiam omnibus quocunque gradu suo ad salutem sufficit. Est ἀνυπόκριτος, *non ficta*, non simulata, 1. *Tim.* 1. *v.* 5. sed vera & sincera, radicem habens, *Luc.* 8. *v.* 13. *&* 15. *inter se collatis*

Adjuncta, quod

Primò: Vna.

ἰσότιμος.

ἀνυπόκριτος.

& soliditatem, *Coloss.* 2. v. 5. ut quæ omnia facit propter Deum, propter Christum in Euangelio oblatum, propter Spiritualia ejus beneficia, justitiam & vitam; & cum Abrahamo gloriam Deo tribuit *Roman.* 4. *v.* 20. Deinde *gradibus variat*: quia Deus certam fidei mensuram cuique admetitur: *Rom.* 12. *v.* 3. *Deus cuique partitur mensuram fidei.* 1. *Cor.* 12. v. 11. *Spiritus distribuit dona privatim singulis prout vult. Ephes.* 4. v. 7. *Unicuique vestrum data est gratia pro mensurâ doni Christi.* Hinc aliorum *magna* fides celebratur; *Matth.* 8. v. 10. *Nè in Israël quidem tantam fidem reperi. cap.* 15. v. 28. *O mulier, magna est fides tua!* Aliorum contrà *parva* fides culpatur: *Matth.* 8. v. 26. *Quid formidolosi estis, ô exiguâ fide præditi. cap.* 14. v. 31. *Exiguâ fide prædite, quid dubitasti?* Semper tamen *imperfecta* est, 1. *Cor.* 13. v. 12. quia neque cognitio perfecta, v. 9. neque fiducia ita firma, quin in tentationibus aliquando vacillet. Unde orarunt Apostoli, *Domine adauge nobis fidem, Luc.* 17. v. 5. & Paulus ad profectum in eâ faciendum Ephesios hortatur, *cap.* 4. v. 13. 14. qui etiam perfectæ fidei ideam, ad quam connitantur, auditoribus suis multis locis præscribit. Atque inde nascitur diversa fidei in Scripturis consideratio. Spectatur enim vel abstractivè, vel concretivè. *Abstractivè*, cum docetur, qualis sit in se, & qualis esse debeat in nobis *Coloss.* 2. v. 2. *Heb.* 6. v. 11. *cap.* 10. v. 22. 23. *& alibi. Concretivè*, modificata in subjecto, id est, exemplis. Et illa vel cum perfectione aliquâ, vel cum defectu proponuntur. Cum *perfectione* aliquâ in Abrahamo, *Rom.* 4. in Paulo *Romanor.* 8. in Sanctis, quorum catalogus texitur, *Hebr.* 11. in ductoribus Hebræorum, quorum fidem imitari jubemur *cap.* 13. *v.* 7. Cum *defectu* tùm notitiæ, tùm fiduciæ, in Apostolis ante Christi resurrectionem, *Matth.* 16. v. 22. *Ioh.* 16. v. 17. *Matth.* 8. v. 26. *cap.* 17. v. 20. in Samaritanis, *Iohann.* 4. v. 39. 42. in patre illo, *Marc.* 9. v. 24. & in iis, qui minimo fidei gradu donati esuriunt & sitiunt, id est, desiderant justitiam, *Matth.* 5. v. 6. vocatique venire ad Christum expetunt, *Matt.* 11. v. 28. *Ioh.* 6. v. 37. similes arundini quassatæ, quæ non confringitur, & lino fumiganti, quod non exstinguitur *Esa.* 42. v. 3. *Matth.* 12. v. 20. Institutâque comparatione, fides in N. Test. generatim perfectior est, quàm in Veteri, respectu noticiæ *Matth.* 11. v. 11. *cap.* 13. v. 17. At respectu apprehensionis, in V. Test. sæpe perfectior fuit, quàm in Novo: ut exempla Abrahami,

Deinde: gradibus varia.

Semper imperfecta.

hami, Patris credentium, Davidis, & fidelium multorum, de quibus est *Heb.* 11. docent. Imò in uno eodemque subjecto perfectior est vel imperfectior, prout variè accrescit vel decrescit homo interior, 2. *Cor.* 4. vers. 16. perfectior in Davide stante, quam in lapso: sicut qui fide stat, cavere jubetur, nè cadat 1. *Cor.* 10. v. 12. *Rom.* 11. v. 20. *Imperfectissima* autem, *partim* initio, cum fidei semen primùm concipitur, *Iohan.* 1. v. 35. *& seqq. cap.* 4. v. 39, 42. *partim* in peccatis contrà conscientiam, 2. *Sam.* 11. *&* 12. *partim* in Spiritualibus tentationibus *Psalm.* 42. 74. *& alibi.* Tertiò, *constans est in hâc vitâ* fides, & ad finem usque durabilis; quia ἅπαξ παραδοθεῖσα, *Iud. v.* 3. nunquàm penitus deficit, *Luc.* 22. v. 32. propter Christi intercessionem, *Ioh.* 17. & virtutem Dei, quâ ad salutem custodimur per fidem 1. *Pet.* 1. v. 5. Post hanc vitam autem mutata in adspectum. 2. *Cor.* 5. *v.* 7. *desinet.* Qui ipse *adspectus* etiam quidem erit Christi Servatoris cognitio & apprehensio; sed longè clarior & perfectior; quia non posteriora, sed faciem ejus intuebimur; ipsumque non in imagine, sed coràm videbimus, sicuti est 1. *Ioh.* 3. v. 2. Ita nos docet Apostolus: 1. *Cor.* 13. v. 9. 10. 12. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Postquam autem advenerit quod perfectum est, tunc quod est aliquatenus, ut inutile tolletur. Cernimus nunc per speculum & per enigma: tunc autem coràm cernemus. Nunc novi aliquatenus; tunc verò amplius cognoscam, prout amplius edoctus fuero.*

Tertio: Constans in hâc vitâ.

Desitura in alterâ.

Adspectus quid.

Progredimur ad hujus quoque Loci Usum: *qui est*

I. Ad Διδασκαλίαν: *Externa salutis media nihil prosunt, absque internâ Spiritus Sancti gratiâ,* Deut. 29. v. 4. Matth. 13. v. 11. & seqq. *exemplo Antiochenorum*, Actor. 13. v. 48. *& Philippensium* cap. 16. v. 13. 14. *In Vocatione Deus ex æterno Electionis decreto ad nos descendit* Rom. 8. v. 28. 29. *Est illa prorsus gratuita, omnes hominis actus antevertens*, Rom. 9. v. 16. cap. 10. v. 20. *exemplo Pauli* Actor. 9. *Est liberrima* Matth. 20. v. 1. & seqq. *Est à morte ad vitam, à communione Satanæ ad communionem Christi,* 1. Cor. 1. v. 9. *è tenebris in admirabilem Dei lucem transitus* 1. Petr. 2. v. 9. *Est electorum propria* Rom. 8. v. 28. 29. 1. Corinth. 1. v. 26. 27. 28. 2. Petr. 1. v. 10. *Per vocationem fidem nobis indit Deus, exemplo Lydiæ*, Actor. 16. v. 14. *quâ vocanti respondeamus & vocationi* Psal.

27. v. 8. Jerem. 3. v. 17. Zach. 13. v. 9. *Eandem quoque in nobis confirmat & conservat, tandemque perficit*, Phil. 1. v. 6. *nè deficiat; exemplo Petri*, Luc. 22. v. 32. *sed ut Christus Iesus, dux ejus & consummator audiat* Heb. 12. v. 2. *Quamvis autem non sit omnium hominum*, 2. Thess. 3. v. 2. *est tamen omnium Electorum*, Tit. 1. v. 1. Actor. 13. v. 48. *tàm V. quàm N.T.* Rom. 4. Heb. 11. Actor. 15. v. 11. *Vna specie in omnibus*, Ephes. 4. vers. 5. *& aequè pretiosa in omnibus* 2. Petr. 1. v. 1. *nihil sciens, nisi Iesum Christum, eumque crucifixum* 1. Cor. 2. v. 2.

II. Ad Παιδείαν: *Agnoscamus tàm gratiosae vocationis autorem Deum* 1. Cor. 1. *v.* 9. *Praedicemus misericordiam ejus & virtutes* 1. Pet. 2. v. 9. *Admiremur supereminentem magnitudinem potentiae, efficacitatem roboris virium ipsius, in nobis, qui credimus* Ephes. 2. v. 19. 20. *Rogemus ut aperiat nobis oculos ad videndum* Actor. 26. v. 18. *mentem ad intelligendum*, Luc. 24. *v.* 45. *cor ad obediendum* Actor. 16. *v.* 14. *Obtemperemus vocationi ipsius, exemplo Apostolorum*, Joh. 1. *Pauli.* Actor. 9. cap. 26. v. 19. *dicentes cum Samuele singuli*; Loquere Jehova, quia audit servus tuus, 1. Sam. 3. v. 10. *& Eam firmam nobis faciamus* 2. Pet. 1. *v* 10. *Sic fidem quoque efficacem reddamus per charitatem*, Gal. 5. v. 6. 1. Thess. 1. v. 3. *bonis operibus conspicuam*, Jacob. 2. v. 18. *& ad gloriam Dei Patris lucidam* Matth. 5. v. 16. *Cumque ea varia sit, exploremus, an simus in verâ fide*, 2. Cor. 13. v. 5. *quae ἀνυπόκριτος est* 1. Tim. 1. v. 5. *& soliditatem habet* Coloss. 2. v. 5. *Quod ita consequemur; si gloriam Deo tribuemus, exemplo Abrahami*, Rom. 4. v. 20. *& charitatem laboriosam exercebimus* 1. Tim. 1. v. 5. 1. Thess. 1. v. 3. *Incumbamus omni studio in cognitionem Dei & promissionum ejus, quae sunt Iustitia & Vita*; Esa. 53. v. 11. Johann. 17. v. 3. *nihil statuentes scire, quàm Christum Iesum eumque crucifixum*, 1. Cor. 2. v. 2. *toto corde iisdem promissionibus confidamus & nitamur, ut quae omnes Etiam sunt & Amen in Christo.* 2. Cor. 1. v. 20. *Et huic fideli conditori commendemus animas nostras*, 1. Petr. 4. v. 19. *exemplo Davidis*, Psal. 31. v. 6. *Stephani* Act. 7. v. 59. *Qui novimus cui crediderimus, & quibus persuasum est, illum posse depositum nostrum custodire* 2. Tim. 1. v. 12. *Proficiamus etiam magis magisque in fide*, Ephes. 4. v. 13. & seqq. *de fide infirmâ in fidem firmam*, Rom. 1. v. 17. *Liberè eam constanterque profiteamur*, 1. Petr. 3. vers. 15. *exemplo Apostolorum* Actor. 2. 3. 4. 5. capp. *ut nos Christus vicissim confiteatur coràm*

Patre

Patre suo Matth. 10. v. 32. *Deploremus naturalem nostram ἀπιστίαν, exemplo Patris illius, de quo est* Marc. 9. v. 24. *Cum eâ pugnemus, exemplo Davidis* Psal. 42. v. 12. *Indesinenterque oremus*; Domine, succurre incredulitati nostræ Marc. 9. v. 24. Domine, adauge nobis fidem Luc. 17. vers. 5. *Quò ita radicati, & superstructi in eo, ac confirmati fide*, Coloss. 2. vers. 7. *non modò perseveranter credamus, ad animarum salutem*, Hebr. 10. vers. 39. *sed etiam pati pro ipso parati simus* Philipp. 1. vers. 29.

III. Ad Ἐπανόρθωσιν: *Nè aures obturemus Vocationi Dei, exemplo Israëlitarum* Psal. 95. v. 8. & seqq. Hebr. 3. vers. 7. 15. *Nè rejiciamus eam, exemplo Antiochenorum*, Actor. 13. v. 46. & *Iudæorum communiter*, Matth. 22. v. 1. & seqq. *aut ullos contrà eam prætextus quæramus* Luc. 14. v. 18. 19. 20. *Nè vocatorum paucitate, & contemtâ sorte offendamur* 1. Cor. 1. v. 26. & seqq. *Nec de ullius vocatione desperemus, cum serò etiam vocet Deus operarios quosdam, horâ undecimâ* Matth. 20. v. 6. & seqq. *Latronem in cruce* Luc. 23. v. 43. *Nè increduli simus, exemplo Israëlitarum*, Psal. 78. v. 22, 32. Hebr. 3. v. 19. *Iudæorum*, Joh. 12. v. 37. *Thomæ*, cap. 20. v. 25. *Nè fidem sensuum judicio metiamur, exemplo Thomæ* Johann. 20. v. 25. 29. *cum invisibilium sit* Hebr. 11. v. 1. *Nè quicquam ejus nobis vendicemus, & quasi ex nobis esset, de eâ gloriemur* Ephes. 2. v. 8. 9. 1. Cor. 4. v. 7. *Nè dubitemus de veritate promissionum*, Jacob. 1. v. 6. *exemplo Petri*, Matth. 14. v. 30. & *Apostolorum* cap. 17. vers. 20. *Nec dilatione complementi segnescamus* Hebr. 10. v. 36, 37. 2. Pet. 3. v. 4. & seqq. *Nè tanquam firmi fide securi simus* Roman. 11. v. 18. & seqq. 1. Cor. 10. v. 12. *Neque infirmos contemnamus*, Rom. 14. v. 1. & seqq. *ut qui æquè pretiosam fidem nobiscum sortiti sunt* 2. Petr. 1. vers. 1.

IV. Ad Παράκλησιν: *Christus venit vocatum, non justos, sed peccatores, ad resipiscentiam* Matth. 9. v. 13. *Veniamus ergò ad ipsum quotquot laboramus & onerati sumus; ipse reficiet nos*, cap. 11. v. 28. *veniamus serio cordis desiderio, & non ejiciemur foràs*. Johann. 6. vers. 37. *Bonus est Iehova, qui pro fide desiderium mansuetorum acceptat*, Psalm. 10. vers. 17. *qui esurientes & sitientes justitiam saturat* Matth. 5. vers. 6. *& famelicos implet bonis suis* Luc. 1. vers. 53. *Qui arundinem quassatam non confringit, & linum fumigans non exstinguit*, Esa. 42. vers. 3. Matth. 12. vers. 20. *Si infirma est fides, Spiritus sublevat ejus infirmitatam* Rom. 8. vers. 26. *Dominus succurrit incre-*

incredulitati, quâ cum permixta est Marc. 9. verſ. 24. *Est enim fidelis qui vocavit nos,* 1. Corinth. 1. verſ. 9. *& qui cœpit in nobis bonum opus, perficit illud usque ad diem Iesu Christi* Philipp. 1. verſ. 6. *Si Satanas nos tentat, fides ignita ejus jacula exstinguit,* Epheſ. 6. verſ. 16. *Si mundus oppugnat: fides vincit, quæ mundi victoria est,* 1. Johan. 5. verſ. 5. *Si adversa ingruunt, per eam plusquam victores sumus,* Rom. 8. verſ. 37. *& gloriamur de afflictionibus;* cap. 5. v. 3. *Gaudentes cum Apostolis, quod digni habiti simus, qui pro nomine Iesu contumeliâ afficiamur* Actor. 5. verſ. 41. *Si propter eam displicemus omnibus, atqui per eam placemus Deo,* Hebr. 11. verſ. 6. *exemplo aliorum fidelium:* ibidem. *Hanc igitur animæ nostræ anchoram habentes tutam ac firmam,* Hebr. 6. v. 19. *accedamus cum vero corde per certioratam fidem, adspersione purgatis cordibus à conscientiâ malâ: & abluto corpore aquâ mundâ, retineamus professionem spei non vacillantem;* cap. 10. verſ. 22. 23. *Scientes cui crediderimus,* 2. Timoth. 1. verſ. 12. *certòque persuasi, nihil nos separare posse à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu* Romanor. 8. verſ. 38. 39.

LOCUS

LOCUS DECIMUS QUARTUS

De

JUSTIFICATIONE.

JUSTIFICATIO *est gratuita remissio omnium peccatorum, propter Satisfactionem Christi fide apprehensam.*

EXEGESIS.

JUSTIFICARE Hebræis dicitur הִצְדִּיק, Græcis Δικαιοῦν: ac varias in Scripturâ significationes habet. Communissimè est *absolvere*, & *justum pronunciare*, *Exod.* 23. v. 7. *Deut.* 25. v. 1. *Esa.* 5. v. 23. *Luc.* 18. v. 14. *Actor.* 13. v. 39. *Rom.* 3. 4. 5. *capp. passim.* Quo sensu multis locis opponuntur *Iustificare & Condemnare Prov.* 17. v. 15. *Esa.* 50. v. 8, 9. *Rom.* 8. v. 33. *& alibi.* Aliàs est *justum facere, per justitiæ imputationem Rom.* 4. v. 5. *cap.* 5. v. 19. Accipitur etiam pro *justum, aliquem celebrare*, *Luc.* 7. v. 29. item ad *justitiam instruere*, *Dan.* 12. v. 3. item *se justum*, aut verbo *jactitare*, *Luc.* 16. v. 15. aut *opere demonstrare*, *Iacob.* 2. v. 21. vel etiam *in justitiâ perseverare Apoc.* 22. v. 11. Semel Justificari per Synecdochen speciei sumitur *pro liberari Rom.* 6. v. 7. Nunquam *justitiæ inhærentis infusionem* notant. Etsi enim apud Latinos, voces compositæ ex nomine adjectivo, & Verbo Facio, effectionem in subjecto designent, ut calefacio, vivifico, sanctifico: id tamen perpetuum non est, cum Deum magnificemus & glorificemus, non ex parvo magnum, ex inglorio gloriosum faciendo, sed talem ipsum celebrando: Et in verbo Justifico eò minus valet, quod vox illa, Barbara alioquin, excogitata à Theologis, & Latinitate donata est, tantùm ut emphasin vocis Hebrææ & Græcæ in versione exprimat: quarum neutra cum hujusmodi significationem admittat, nec ipsi ullâ ratione ea affingi potest. Duæ priores

Iustificare quam varie accipiatur.

priores significationes hujus sunt loci: quæ ita inter se cohærent, ut posterior caussa sit prioris. Quum enim Dei judicium sit secundum veritatem, *Rom.* 2. v. 2. in statu peccati neminem pronunciat justum, quem non ante remittendo ei peccata fecerit justum. Ex quo *primò* apparet, vocabulum Justificationis judiciarium esse & *forense*. Nam remittere peccata, reum absolvere, & justum pronunciare, judicis est jus è tribunali dicentis: quomodo Deum introducit David: *Psal.* 143. v. 2. *Nè ingrediaris in judicium cum servo tuo: nam non est justus coràm te ullus vivens*: & Jobus *cap.* 9. v. 2. 3. *Non est justus mortalis comparatus cum Deo: si volet litigare cum eo, non poterit respondere ei ad unum ex mille*: Nec non Paulus *Rom.* 3. v. 19. 20. 24. 25. 26. *& alibi*. *Secundò* apparet, agi hîc non de justitiâ legali, quæ est universalis conformitas cum lege, justificando inhærens, sed de *justitiâ Euangeliâ*, quæ credenti ad justificationem imputatur. Etenim *ex operibus Legis non justificatur ulla caro Rom.* 3. v. 20. Imò justificare Legi est impossibile, eò quod viribus per carnem est destituta, *cap.* 8. v. 3. Justificamur autem gratiâ Dei, per redemptionem factam in Christo Jesu *cap.* 3. v. 24. Qui modus cum absque Lege manifestus sit factus, *Rom.* 3. v. 21. in Euangelio, *cap.* 1. v. 16. 17. Justitia & Justificatio Euangelica appellatur. *Denique* apparet, Justificationem considerari hîc propriè, prout *Dei justificantis est actio*: cui tamen ex naturâ relatorum passio justificandi, quæ justificatio dicitur Metonymicè, respondet.

Iustificatio.

Est vocabulum forense.

Agit de Iustitiâ Euangelicâ.

Est actio Dei justificantis.

Caussa *Efficiens* Justificationis est *Deus*, Judex totius terræ, *Genes.* 18. v. 25. Judex ille universorum *Hebr.* 12. v. 23. Cui soli peccatur, *Psal.* 51. vers. 6. & qui remittere pecata solus potest *Marc.* 2. v. 7. Sic enim ille de se: *Ego, ego deleo defectiones vestras propter me, & peccatorum vestrorum non recordor amplius Esa.* 43. v. 12. Et Paulus de ipso: *Deus is est, qui justificat, Rom.* 8. *v.* 33. *Deus imputat justitiam absque operibus cap.* 4. *v.* 6. Quod pro naturâ operum ad extrà ita tribus Deitatis personis commune est, ut tamen *Patre & Filio* peculiari quâdam ratione adscribatur; *illi* quoad caussam προηγουμένην, *isti* quoad caussam προκαταρκτικὴν & meritoriam. Caussa προηγουμένη est *Dei Patris gratia*, mundum sibi in Christo reconciliantis: *Rom.* 3. v. 24 *Iustificantur gratis, ejus gratiâ. cap.* 4. *v.* 16. *Ex fide est hæreditas, ut sit per gratiam. Ephes.* 2. *v.* 8. *Gratiâ servati estis per fidem.* Quæ gratia non est qualitas

Efficiens, Deus.

προηγουμένη gratia Dei Patris.

nobis

nobis infusa, sed benevolus ille affectus, quo motus Deus Pater, *tùm* Filium nobis ordinavit Servatorem, *tùm* beneficia ejus donavit. De quo ita Apostolus *Ephes.*1.v.5.6.7. *Prædestinavit nos, quos adoptaret in Filios, per Iesum Christum, in sese, secundum beneplacitum voluntatis suæ; ad laudem gloriæ gratiæ suæ, quâ nos gratiosos effecit in illo dilecto: in quo habemus redemtionem per sanguinem ipsius.* Et Synonyma sunt; *dilectio, Ioh.*3.*v.*16. *benignitas, & ergà homines amor Dei Servatoris, misericordia & gratia ipsius Tit.*3.*v.*4.5 7. Atqui illa notant gratuitum favorem in Deo, non effectum ejus in nobis. Ergò & istud. Nec prætereundum est dictum Apostolicum 2.*Tim.*1.*v.*9.10. *Servavit nos, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratiâ, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia: sed facta nunc est manifesta &c:* Ubi non modò gratiam cum æterno Dei proposito conjungit, sed etiam illam in Christo ab æterno paratam esse, & in tempore exhiberi docet. Opponuntur Gratiæ Justificanti opera eorumque *merita*, quibuscum consistere nullo modo potest. Siquidem *ex operibus legis nulla caro justificatur. Iustificamur autem gratis, ejus gratiâ, Rom.*3.*v.*20.24. *& cap.*11.*v.*6. *Si per gratiam, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non ex gratiâ, alioquin opus jam non est opus.* Sic *Ephes.*2.*v.*8.9. 2.*Tim.*1.*v.*9. *Tit.*3.*v.*5. *& alibi passim.* Caussa προκαταρκτικὴ, sive *Impulsiva externa* est *Obedientia, Satisfactio, ac Meritum Iesu Christi* Mediatoris, ac Redemtoris Θεανθρώπου, *Rom.*3. *v.*25. *cap.*5. *v.*19. 2.*Cor.* 5. vers. 21. quam alii caussam meritoriam, alii materialem Justificationis nuncupant, sensu eodem. *Meritoriam* quidem, quia est illud ipsum, quo nobis, propriè loquendo, meruit sive acquisivit Remissionem Peccatorum, Regenerationem Spiritus, & Vitam æternam *Matth.*20.*v.*28. *Actor.*20.*v.*28. 1.Petr. 1.v.18.19. *Materialem* etiam, quia est res illa, quæ nobis applicatur ac donatur in Justificatione, sive quæ remissis peccatis ad justitiam nobis imputatur *Rom.*3.*v.*25. *cap.*5.*v.*19. 2.*Cor.*5. vers.21. De hâc Scriptura bifariam ferè loqui amat, *concretivè & abstractivè. Illo* modo, cum totum Christum proponit tanquam caussam impulsivam, meritoriam, ac materialem nostræ justificationis: *Esa.*53. v.11. *Ierem.*23.*v.*6. *Actor.*4.*v.*12. *Rom.*8.*v.*3. 1.*Cor.* 1.*v.*30. 2.*Cor.*5.*v.*21. 1.*Petr.*3.*v.*18. *Isto* modo, quando meritum ac materiam nostræ justitiæ & justificationis ostendit in ipsius obedientiâ:

Id est gratuitus ejus favor.

Oppositus meritis.

προκαταρκτικὴ. Obedientia & meritum Christi.

Enunciatur concretive.

Abstractivè.

dientiâ, *Rom.*5.v.19. paupertate, 2.*Cor.*8.v.9. vibicibus & livore, *Esa.*53. v.5. sanguine, 1.*Petr.*1.v.19. 1.*Iohan.*1.v.7. crucifixione, *Gal.*3.v.13. *Coloss.*1. v.20. morte *Romanor.*5. v.8.10. *Hebr.*2.v.14. Quæ phraseologia verbis sive modo explicandi diversa, rei explicatæ veritate pulchrè consentit. Utrâque siquidem significatur integra ac indivisa totius humiliationis *Christi obedientia*; quam cum ipsâ nativitate cœpit: quia natus ex muliere factus est legi obnoxius, *Gal.*4. v.4. totâ vitâ continuavit: quia fuit Patri obediens usque ad mortem, *Phil.*2.v.8. tandemque morte consummavit, pro nobis: quia dixit, *consummatum est Iohann.*19.*v.*30. Descriptio ejus haud aliunde rectius, quàm ex collatione locorum *Romanor.*5.v.19. & *Phil.*2. v.7.8. deducitur. Non proponit Apostolus duplicem, nedùm multiplicem genere vel specie obedientiam, sed unam simplicem duntaxat nobis commendat. *Factus* inquit, *Patri obediens* μέχρι θανάτου *usque ad mortem*: quæ continuationis est particula. Signanter quoque uno communi *Exinanitionis* sive *Humiliationis* nomine eam indigitat; eidemque *Exaltationem* ipsius disertè opponit. Cæterum unam illam ac simplicem obedientiam duplici gradu distinguit. *Prior* est obedientia ipsius *ante mortem*; μέχρι θανάτου *usque ad mortem*. Præcessit igitur pars sive gradus aliquis obedientiæ; is nempe, cujus hîc meminit Apostolus v.7.8. & quem alibi declarat, *Gal.*4. *v.*4. *Factus legi obnoxius*, scilicet, statim à nativitate. Et est Obedientia Legis, quam implevit pro nobis *Rom.*5.*v.*19. *cap.*8.*v.*3. & 10.*v.*4. *Posterior* est Obedientia Christi *in passione & morte*: quæ proinde passionis ac mortis non incommodè dicitur *Philipp.*2.*v.*8. *Hebr.*5.*v.*7.8. Atque hic gradus, ordine licet posterior, potior tamen & præcipuus meritò censetur in toto obedientiæ Christi curriculo. Docet id Apostolus, hîc & alibi: *Philipp.* 2.*v.*7.8. *Ipse sese exinanivit, formâ servi acceptâ, similis hominibus factus: Et habitu inventus ut homo, ipse se submisit, factus* (Patri) *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* 1.*Cor.*1.*v.*23. *Prædicamus Christum crucifixum. cap.*2.*v.*2. *Non statui quicquam scire inter vos, nisi Iesum Christum, eumque crucifixum. Gal.*6.*v.*14. *A me absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Coloss.*1.*v.*20. *Libuit Patri, ut pace per sanguinem crucis ejus factâ, per eum reconciliaret omnia sibi.* Tum & *ratio* ejus certissimè demonstrat. Etenim complectitur cruciatus non

Obedientia Christi unica est.

Gradu distincta, quorum 1. usque ad mortem,

2. In passione & morte.

Qui præcipuus.

modò

modò externos corporis, sed etiam internos animæ, ortos ex sensu infinitæ iræ Dei adversus peccata nostra, nec non ex metu abjectionis æternæ à gratiosâ facie ipsius, *Psal.* 22.v.2. *Hebr.* 5. v.7. quos ipse ultrò subivit ac sustinuit pro nobis *Hebr.* 10.*v.*5. *& seqq.* Quæ caussa est, quod Scriptura Vet. & N. Test. magno consensu, ad passionem ac mortem Christi nos deducit, in hâc meritum ac materiam justitiæ & vitæ nobis commonstrat. Inspiciantur loca: Vet. Test. *Genes.* 3.*v.*15. *Psal.* 22.40.69. *Esa.* 53. *Dan.* 9. *Zachar.* 9. itemque Nov. Test. *Matth.* 20.*v.*28. *&* 26.*v.*28. *Johann.* 6.*v.*51. *cap.* 10.*v.*11.15.28. *Actor.* 20.*v.*28. *Rom.* 3.*v.*24.25. *cap.* 5.*v.*9.10. *cap.* 8.*v.*3.4. 2.*Cor.* 5.*v.*21. *Gal.* 3.*v.*13.14. 1.*Tim.* 2.*v.*6. *Tit.* 2.*v.*14. *Hebr.* 2.*v.*14.15. *cap.* 9. *v.*12.14.22. *cap.* 10.*v.*5. *& seqq.* 1.*Petr.* 1.*v.*19. *cap.* 3.*v.*18. 1.*Ioh.* 1.*v.*7. Omnibus hisce locis præcipuum Satisfactionis ac Meriti momentum ponitur in sanguine, passione, ac morte Christi: ita tamen, ut antecedens humiliationis obedientia non excludatur ab eâ, sed per Synecdochen membri pro integro ei includatur; adeòque comprehenditur sub eâ *Philipp.* 2. v.7.8. *Gal.* 4.v.4. Ita habet caussa Impulsiva Externa: quæ Internæ (Gratiæ ac misericordiæ Dei) immediatè substernitur; ut doceatur, licet misericordia Dei, quoad caussas antecedentes, sit merè absoluta & gratuita, *Rom.* 9. v. 18. tamen conditionatam esse, quoad media ei subordinata, inprimis autem meritum & Satisfactionem Christi, quem Deus proposuit placamentum in sanguine ipsius, *Romanor.* 3. vers. 24.25. prout alibi docuimus.

Scriptura in passione & morte Christi meritum ac materiam justitiæ nostræ ponit.

Caussæ *Instrumentales* Justificationis *Externæ* plures sunt: Verbum Euangelii, *Rom.* 10.v.17. *cap.* 1.v.16.17. Sacramenta, 1.*Pet.* 3.v.21. *Rom.* 4.v.11. & Verbi Sacramentorumque administri, *Dan.* 12.v.3. *Ioh.* 20.v.23. 1.*Tim.* 4.v.16. de quibus alibi dictum. *Interna* una, quæ est intrà justificatum, scil. *Fides*. Huic Justificatio apertissimè tribuitur: *Rom.* 3.v.28. *Concludimus igitur, fide, πίστει, justificari hominem, absque operibus legis.* vers. 30. *Deus unus est, qui justificabit circumcisionem ex fide, ἐκ πίστεως, & præputium per fidem, διὰ τῆς πίστεως. cap.* 5.*v.*1. *Iustificati fide pacem habemus. Ephes.* 2.v.8. *Gratiâ servati estis per fidem.* Tribui verò ut caussæ instrumentali, patet; quia proprius fidei actus est accipere remissionem peccatorum, *Actor.* 26.vers.18. accipere donum justitiæ, *Rom.* 5.v.17. Christum in promissione recipere,

Instrumentales Externæ,

Interna, Fides.

*Ioh.*1.v.12. ceu donum Patris *cap.*4.v.10. Quo modo Justificatio fidei tribuitur *propriè*. *Impropriè* autem per Metonymiam, cum fides ad justitiam imputari dicitur; *Rom.*4.v.5. intelligitur siquidem Justitia imputari per fidem, ut est v.6. *& cap.*3. v.22. Atque hoc est, quod ajunt Scholæ, *Fidem justificare* organicè & correlativè: *Organicè* actus sui, *Correlativè* objecti sui respectu. At *nusquam* fidei tribuitur Justificatio, tanquam *habitui bono*, vel *dispositioni* ad talem habitum. *Ratio*, quia habitus ille, sive dispositio sub lege operum continebitur necessariò. Justificatio autem fidei est absque lege, absque operibus legis *Rom.* 3.v.21.28. Habitus ille, sive dispositio, non poterit subordinari gratiæ Dei: nam si ex gratiâ, jam non ex operibus & contrà *Rom.*11.v.6. Fides verò subordinatur gratiæ Dei, *Rom.*3. v.24.25. *Eph.*2. v.8. Habitui illi merces debebitur, atque etjam dabitur ex debito: At fides credenti ad justitiam imputatur *Rom.*4.v.4.5. Justificatio per illum habitum non erit remissio peccatorum: Justificatio autem per fidem est remissio peccatorum *Rom.*4.v.5. *& seqq.* Ideòque nec dicit Apostolus, Justificari nos διὰ τὴν πίστιν, *propter fidem*, sed διὰ τῆς πίστεως, ἐκ πίστεως, πίστει: ut suprà vidimus. In Scholis Theologorum recepta phrasis est, quod fides *sola* justificet. Ubi particula exclusiva non opponitur gratiæ Dei, aut merito Christi, aut Verbo Euangelii: illis namque omnibus subordinatur, *Rom.*3. v.24.25. *cap.*1. v.16.17. sed opponitur universis hominis justificati operibus: & quidem non ἁπλῶς, ut opera; quasi solitaria, ab iis separata justificet: (nam fides absque operibus mortua est, *Iacob.*2.v.17. inefficax est, 1.*Thess.*1.v.3. hypocritica est, 1.*Tim.*1.v.5.) sed quatenus illa opera finguntur esse meritoria, aut caussæ organicæ Justificationis. Sensus igitur est, Fidem esse solum & unicum organum accipiendæ Justitiæ, *Rom.*5.v.17. ut particula *Sola* ad determinandum non subjectum, sed prædicatum propositionis referatur: sicut oculus solus videt, auris sola audit, quia ille unicum videndi, ista unicum audiendi est instrumentum: non autem, quasi istos actus etiam separata à capite, reliquoque corpore exerceant: cum destructis subjectis, simul destruantur eorundem actus. Atque ita in ipsâ Scripturâ non obscurè exprimitur: *Gal.*2. v.16. *Scientes, hominem non justificari operibus Legis, nisi per fidem Iesu Christi:* quæ sententia prorsus æquipollet exclusivæ huic, *Hominem*

Fides non justificat ut habitus bonus, vel dispositio ad eum.

Fides quomodo sola justificet.

nem justificari non operibus, sed solâ fide: ut constat ex aliis locis, ubi particulæ ἐὰν μὴ, sive εἰ μὴ, non tantùm exclusivè intelliguntur, confessione omnium, ut *Apoc.*21.v.27. sed etiam per exclusivam redduntur: cujusmodi est *Marc.*13.v.32. *Nemo novit, εἰ μὴ ὁ Πατὴρ, nisi Pater*: Quod *Matt.*24. v.36. sic effertur: *Nemo novit, nisi solus Pater*. Idem Apostolus *Rom.*3.v.28. *Concludimus, fide justificari hominem absque operibus Legis*. Quod nihil aliud est, quàm justificari hominem solâ fide. Nam duo illa cùm hîc, tùm alibi, passim immediatè opponuntur. In immediatè autem oppositis uno negato solùm alterum affirmatur.

Materia circà quàm, sive *Objectum* Justificationis est *Homo Electus*. Nam quos justificat Deus, eos ante præscivit & prædestinavit *Rom.*8.v.29.30. Unde Apostolus: *Quis intentabit crimina adversus Electos Dei? Deus est, qui justificat*, scilicet, Electos. *Quis est, qui eos condemnet?* v.33.34. Consideratur autem homo Electus bifariam: nimirum, prout est *in se* & naturâ suâ, & prout est *in Christo* satisfaciente. *Priore* modo Deus justificat impium, *Rom.*4.v.5. Christus pro impiis, *cap.*5.v.6. pro peccatoribus, v.8. mortuus est. *Posteriore*, justificat eum, qui est ex fide Jesu, *Rom.*3.v.26. ac fidem ei ad justitiam imputat *cap.*4.v.5. *Illud* facit pro suâ ergà nos gratiâ & misericordiâ: *istud* facit pro justitiâ suâ, quâ Satisfactionem à Christo acceptam credentibus imputat. Justificamur ergò gratiâ & merito. *Gratiâ* respectu nostri, qui Justificationem nullatenus sumus meriti, *Romanor.*3.v.24.25. *Ephes.*2.vers.8.9. *Merito* autem respectu Christi, qui sanguine suo eam nobis acquisivit *Romanor.*3. vers.25. 1.*Petr.*1. vers.18.19.

Materia, Homo Electus. Consideratus. In se, In Christo; Adeoque justificatur, Gratiâ, Merito.

Forma Justificationis succedit, per quam peccator, in Christum credens, *absolvitur à peccatis & justus pronunciatur in judicio Dei*: *Rom.*4.v.5.6.7. *Dan.*9.v.24. Consistit igitur in *remissione peccatorum*, & *imputatione justitiæ*: quas *alii* ut partes realiter differentes, *alii* ut actus terminorum respectu distinctos considerant. *Remissio peccatorum* non est qualitatis vitiosæ abolitio, sed *peccati gratuita condonatio*, sive peccatoris absolutio à culpâ & pœnâ peccati *Psal.*32.v.1. *Matth.*9.v.2. *Rom.*4.v.8. 2.*Cor.*5. v.19. *Remittere peccata* phrasis est Metaphorica à creditoribus & debitoribus sumta, qui moti misericordiâ debitum ab hisce, quod

Forma consisti in. I. Remissione peccatorum. Remittere peccata quid.

quod solvendo non sint, non exigentes, sed condonantes, remittere dicuntur. Ideòque remissionem peccatorum Christus parabolâ Regis creditoris & servorum debitorum, *Matt.*18.v.27. 32. alterius cujusdam creditoris & duorum debitorum, *Luc.*7.v. 41. & à contrariò, similitudine debitoris in carcerem conjecti, & usque ad solutionem ultimi quadrantis inibi detenti, *Matth.*5. v.25.26. declarat; & eo quoque confirmat, quod nos peccatorum tanquam debitorum remissionem à Deo quotidie petere jubet *Matth.*6.v.12. Sunt enim peccata verè debita: utpote quorum pœnam Deo debemus. *Remittit* igitur Deus peccata, dùm non exigit à nobis illorum pœnam, sed eam nòbis condonat. Idem aliis phrasium Synonymiis declarat Scriptura: ut cum dicit, *obtegi peccata*, nè in Dei Judicis conspectum veniant, *Psal.*32.v.1. *non imputari à Domino*, ut scil. propter ea, quemadmodum meriti sumus, puniamur, v.2. *non observari*, ut damnemur propter ea, *Psalm.*130.v.3. *tolli* item, *deleri*, *auferri*, *non videri*, *projici post tergum*, *faciem à peccatis averti*, *demergi in profundum maris*: quæ formulæ in Scripturâ V.T. frequentes sunt inprimis, loquunturque *non de abolitione vitiositatis*, quæ in Sanctificatione fit, *sed de ablatione reatus*, sive de liberatione à damnatione, quæ est Justificationis, *Rom.*8.v.1. sicut peccatum, quâ *qualitas* est, ad Sanctificationem; quâ *relatio*, sive obligatio ad pœnam, ad Justificationem refertur. Alioquin si remissio peccatorum esset quoque vitiositatis inhærentis abolitio; ut illa perfecta est, sic hæc quoque perfecta foret: quod est contrà Scripturam, *Matth.*6.v.12. *Iacob.*3.v 2. 1.*Iohan.*1.v.8.9. & omnium justificatorum exempla, in quibus, quoad vixerunt, perpetua fuit inter carnem & Spiritum lucta *Rom.*7. *Galat.*5. Hæc remissio quia fit ex *gratiâ* creditoris ergà debitorum, Deus remittens peccata dicitur ea χαρίζεσθαι, *condonare* *Luc.*7.v.42. *Ephes.*1.v.6.7. Quia etiam fit salvâ Dei creditoris *justitiâ*, Christus tanquam sponsor noster, *Hebr.*7.v.22. intervenit, & quod non rapuit, exsolvit *Psal.*69.v.5. Quo respectu subordinat Apostolus gratuitam creditoris remissionem, & perfectam sponsoris satisfactionem *Rom.*3.v.24.25. *Imputatio justitiæ* est *gratuita Iustitiæ Christi donatio*, adjudicatio, & applicatio, ac si à nobis ipsis præstita esset, *Rom.*4.v.6. *cap.*5.v.18.19. 2.*Cor.*5. v.21. Phrasis *Imputare*, λογίζεσθαι, *propriè* est eum qui aliquid non

Phrases Synonymæ.

II. Imputatione justitiæ.

Imputare quid propriè.

non fecit, habere ac si fecisset: sicut è contrario, *non imputare*, est eum, qui aliquid fecit, habere ac si non fecisset. Ita Paulus petit imputari sibi culpam Onesimi, quam ipse non admiserat, *ad Philem.*v.18. & culpam desertoribus suis non imputari, quam ipsi admiserant 2.*Tim.*4. v.16. Persecutores imputant Christianis impietatem, dùm reputant eos tanquàm oves dignas occisione, ut ex *Psa.* 44. *v.* 23. exprimitur verbo λογίζεσθαι *Rom.* 8.v.36. cujus tamen impietatis rei non sunt: & Simei orat, nè imputetur sibi iniquitas; quam tamen patrârat 2.*Sam.*19.v.20. Impropriè,

Hæc *propria* vocis significatio est. *Impropriè* sumitur, cum id quod fecit aliquis vel habet, ei imputari dicitur, respectu finis quatenus præmium ejus aut pœnam fert. Sic judicium in scortantes exercitum, Phineæ imputatum est ad justitiam in generationem & generationem, *Psal.*106.v.31. nimirum, quia, ut *Num.*25. v.13. explicatur, cessit ipsi in laudem sanctæ zelotypiæ, & perpetui sacerdotii pactum: vicissim peccatum imputatur impiis, *argumento locorum* 2.*Sam.*19. *v.*20. 2.*Tim.*4. *v.*16. quatenus merces injustitiæ eis decernitur 2.*Petr.*2.v.13. Pro quâ duplici significatione distingui potest *imputatio* in illam, quæ est κατὰ χάριν, *secundum gratiam*, & alteram, quæ est κατὰ τὸ ὀφείλημα, *ex debito* *Rom.*4.*v.*4. In *priori* significatu hîc accipitur. Nam ita imputatur nobis justitia, ut Christo imputatum est peccatum: sicut expressè docetur 2.*Corinth.*5.*v.*21. At Christo imputatum fuit peccatum, quatenus habuit ipsum Deus pro eo, qui istud admisisset: 2.*Cor.*5.*v.*21. *Fecit Deus eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum. Esa.*53.*v.*6. *Fecit Iehova, ut incurrat in eum omnium nostrûm iniquitas.* Et illud Dei judicium, quo reputavit Christum pro peccatore, secundum veritatem fuisse, inde constat, quod tanquàm sponsor noster, *Hebr.*7.v.22. peccata nostra in se susceperat, & sua fecerat: sicut testatur de se in personâ Davidis *Psal.*69.v.6. *O Deus, tu novisti stultitiam meam, & reatus mei non sunt celati tibi.* Concludimus igitur, nobis, qui credimus, imputari justitiam, quatenus habet nos Deus pro iis, qui justitiam præstiterimus. Quomodo phrasin hanc, *Imputare justitiam*, *Rom.*4. v.6. ipse Apostolus exponit 2.*Cor.*5.v.15. dicens; *Si unus pro omnibus mortuus est, illi omnes censentur mortui*, singuli videlicet pro peccatis suis, sicque expiatis peccatis, justi esse: ut qui eo ipso *effecti sunt justitia Dei*, id est, justi corâm Deo, ut est v.21. Porrò justitia

Hic proprius significatus obtinet.

Iustitia quæ imputatur dicitur. justitia illa, quæ imputari dicitur, Justitia Dei, justitia Christi, & justitia Fidei appellatur diverso sensu. *Iustitia Dei* vocatur,
Iusticia Dei, *Rom.*3.v.22. non quod Deo sit essentialis; sed quia donatur à Deo, & valet in conspectu ipsius, v.20. justificantis per eam, qui est ex fide Jesu v.26.
IustitiaChristi. Deinde vocatur *justitia Christi* (qui factus est nobis à Deo Justitia, 1.*Cor.*1.v.30. & est Jehova Justitia nostra, *Ierem.*23.v.6.) non subjectivè, quasi insit ei tanquàm subjecto, sed effectivè, quod ad ipso sit tanquàm efficiente. Etenim *justi constituimur*, (quod est effectum) *per unius Christi obedientiam* (quæ est caussa efficiens,) *Roman.*5.v.19. *Efficimur justitia Dei*, id est, justi coràm Deo, *in Christo*, id est, per & propter ipsum, 2.*Cor.*5. v.21. ut qui justitiam sempiternam nobis adduxit *Dan.*9.v.24. Constat quoque, non immanere, aut inhærere subjecto, quod ipso actu transit. Obedientia, Satisfactio, Ἀπολύτρωσις Christi, quibus justificamur, sive concipiantur ut actiones, sive ut passiones, actu transierunt cum obediret, satisfaceret, redimeret in terrâ. Ergò immanere ei aut inhærere ut subjecto non possunt. Dicitur igitur justitia imputata Christi justitia, quia obedientiâ ipsius ac morte est acquisita. Dicitur quoque justitia Christi nobis imputari (quæ tamen phrasis in Scripturâ non reperitur) quia justitia imputatur nobis, sive quia justi reputamur propter satisfactionem ipsius. Denique vo-
Iustitia fidei. catur *justitia fidei*, *Rom.*4.v.13. *ex fide*, *Rom.*10.v.6. *per fidem*, *Rom.*3.v.22. *Philipp.*3.v.9. quoniam eam fides in promissione Euangelii amplectitur. Fides verò ipsa imputari dicitur ad justitiam *Rom.*4.v.5. Metonymicè, eò quod justitia imputatur, v.6. per fidem, *cap.*3.v.22. propriè.

Finis supremus. *Finis* Justificationis *supremus* est Gloria Dei, ut qui gloriatur, in Domino glorietur: 1.*Cor.*1.v.31. & quidem partim in patefactione misericordiæ, quâ justificat impium, *Rom.*3.v.24 *cap.*4.v.5. *Tit.*3.v.4.5.7. partim in demonstratione Justitiæ, quatenus Christum Filium proposuit, ut esset placamentum pro
Subordinatus. nobis *Rom.*3.v.24.25.26. Finis *subordinatus* est salus Electorum, *Ephes.*2.v.8. *Tit.*3.v.4.5.7. ac eorundem firma in vitâ & morte consolatio *Romanor.*5. vers.1. *cap.*8. vers.32.33. *cap.*5. vers.21.

Effecta. *Effecta* Justificationis sunt; *Adoptio*, quâ Electi absoluti à peccatis, actu ipso consequuntur jus Filiorum Dei, *Rom.*8.v.1. *Ephes.*

Ephes. 1. vers. 5. & hæredes Dei, cohæredes autem Christi fiunt, *Rom.* 8. v. 17. *Pax & Tranquillitas conscientiæ*, utpote quam fide justificati habent *Rom.* 5. v. 1. Postquàm enim fides accepit remissionem peccatorum, *Actor.* 26. v. 18. cessat accusatio Legis & conscientiæ, desinit metus condemnationis, & fidelis incipit esse pacatus: Quæ pax deinde per Spiritum Adoptionis confirmatur & obsignatur *Rom.* 8. v. 15. 16. Item, *Fiducia de exauditione precum* nostrarum: de quâ est 1. *Ioh.* 5. v. 14. 15. *Tolerantia & Patientia in cruce, Gloriatio de eâ: Roman.* 5. v. 2. & *seqq.* & quæ sunt hujus generis alia.

De *Subjecto* diximus. *Adjuncta* Justificationis censemus, *primò*, quod sit *Vna specie in omnibus*: Quia Deus omnes credentes uno eodemque modo justificat, videlicet gratiâ suâ, & merito Christi per fidem. Etenim *Deus unus est, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*, ait Paulus *Rom.* 3. v. 30. ut qui tàm Judæos, quàm Gentes justificat nonnisi fide; cum omnes peccato, v. 9. & condemnationi sint obnoxii, v. 19. & deficiantur gloriâ Dei, v. 23. Similiter testatur Petrus, per gratiam Domini Jesu Christi servari utrosque, quotquot credunt *Actor.* 15. v. 11. *Exempla* quoque idem confirmant. Abraham, Pater credentium, fide justificatus est, *Rom.* 4. v. 2. 3. David fide justificatus est, v. 6. 7. 8. Sancti illi qui commemorantur, *Hebr.* 11. per fidem placuerunt Deo, v. 6. per fidem obtinuerunt testimonium justitiæ, v. 4. & ejus, quæ ex fide est, justitiæ facti sunt hæredes, v. 7. neque vel in V. vel in N. T. dari potest exemplum dissimile hominis aliter justificati. Ergò nec est alia Justificatio, quàm per fidem. *Deinde* eadem Justificatio est *una numero in singulis*, ut quæ actus est indivisus, perfectam omnium peccatorum remissionem credenti simul adferens, & nullo unquam tempore revocatur. Nam sanguis Christi applicatus à Deo, & fide apprehensus, purgat nos ab omni peccato, 1 Joh. 1 v. 7. nihil in nobis condemnationis relinquit, *Rom.* 8. v. 1. Deo nos plenè reconciliat: *Rom.* 5. v. 9. 10. eòque pacem & tranquillitatem conscientiæ nobis adfert, *Rom.* 5. v. 1. quæ adesse nequit, si vel unicum peccatum retineatur, utpote cujus stipendium est maledictio, *Deut.* 27. v. 26. & mors *Rom.* 6. vers. 23. Et sicut David beatos prædicat, quorum remissæ sunt iniquitates, *Psal.* 32. v. 1. ita Christus fide servatos pronunciavit, quibus peccata

Adjuncta. quod Vna specie in omnibus.

Quia omnes fide justificantur.

Vna numero in singulis.

Quia perfectam remissionem peccatorum totorum adfert.

Quia nunquam revocatur.

remiserat, *Matth.* 9. v. 2. *Luc.* 7. v. 48. 50. Præterea, Deus remissionem peccatorum semel datam nunquàm revocat, propter gratiæ suæ, justitiæ, & promissionis juramento sancitæ *Hebr.* 6. v. 17. 18. immutabilitatem. Nam dona Dei, quæ Electis singulariter conferuntur, & Vocatio ejus κατὰ πρόθεσιν, ἀμεταμέλητα sunt & sine pœnitentiâ *Rom.* 11. v. 29. Remissio peccatorum, sive Justificatio est donum Justitiæ, *Rom.* 5. vers. 17. electis proprium *cap.* 8. v. 32. 33. Est ergò ἀμεταμέλητος & sine pœnitentiâ. Quod etiam innuit phraseologia prophetica de hâc ipsâ re: *Esa.* 44. v. 17. *Deleo ut densam nubem defectiones tuas, & velut nubem peccata tua, cap.* 38. v. 17. *Abjecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Mich.* 7. v. 19. *Abjecturus es in profundissimum maris omnia peccata istorum.*

Sensus Iustificationis est actus divisus.

Interim *sensus Iustificationis* in nobis, sive acceptio remissionis peccatorum, per fidem, actus est non indivisus, sed divisus; non perfectus, sed imperfectus. *Divisus* quidem: quia in peccatis gravioribus contrà conscientiam; in tentationibus item difficilioribus, aliquando non sentitur gratia Dei propitii: quæ tamen postmodum iterum sentitur: ut ex Sanctorum exemplis abundè constat.

Imperfectus.

Imperfectus verò: nam cum sensus ille sit ex fide, fides autem sit imperfecta, in aliis magis, in aliis minus, prout certam ejus mensuram singulis Deus admetitur, *Rom.* 12. v. 3. fit, ut ipse quoque sensus sit plus minusve imperfectus, usque adeò ut nullus unquam fuerit fidelis, nè Abrahamo quidem, *Gen.* 17. v. 17. aut Davide, *Psal.* 42. v. 6. 12. exceptis; cui non cum dubitationibus de gratiæ promissione fuerit luctandum. Atque hoc est, quod credentes, fide jam justificati, quales sanè fuerunt Apostoli, peccatorum suorum, tùm præteritorum, *Psal.* 25. v. 7. tùm præsentium, *Matth.* 6. v. 12. remissionem quotidie petere jubentur, in Oratione Dominicâ: nimirum, ut magis ac magis per Spiritum adoptionis, qui testatur Spiritui nostro, nos esse Filios Dei, *Rom.* 8. v. 16. confirmentur de illorum remissione, & pacatâ contrà criminationes Satanæ conscientiâ frui possint.

Hujus vitæ Beneficium est.

Postremò, Justificatio *hujus vitæ beneficium* est. Nam Deus in se impios, in Christo credentes, justificat, *Rom.* 4. v. 5. 6. quales sunt Electi in hâc tantùm vitâ. Justificat per prædicationem Evangelii, *Rom.* 1. v. 16. 17. *Ioh.* 20. v. 23. quæ hujus vitæ est: omnesque suos ad finem Glorificationis per medium Justificationis deducit *Rom.* 8. v. 29. 30. 1. *Cor.* 1. v. 30. In *alterâ* autem *vitâ*

nos

nos publicæ absolutionis testimonio, Filii Judicis voce prolato, Justificatos pronunciabit *Matth.* 25. v. 34. Ita quidem, ut nunquàm deinceps justificemur; qui nunquàm in peccata, à quibus est Justificatio, relabemur: Verùm justi simus in nobis ipsis per consummatam Sanctificationem, Christi merito acquisitam, *Gal.* 3. v. 14. qui factus est nobis à Patre Sanctificatio 1. *Cor.* 1. vers. 30.

Nunc Praxin *hujus Loci paucis attexamus:*

I. Ad Διδασκαλίαν: *Homini peccatori, sed credenti, omnium peccatorum venia in Dei gratiâ & Christi merito est proposita* Rom. 3. 4. 5. capp. Gal. 2. 3. capp. *Offertur Venia illa per Dei legatos,* 2. Cor. 5. v. 19. *in Verbo Euangelii* Rom. 1. v. 16, 17. *Dispensatur in Ecclesiâ,* Esa. 33. v. 24. *solâ fide accipitur,* Rom. 3. v. 28. Gal. 2. v. 16. *& semel accepta nunquàm amittitur* Roman. 11. v. 29. cap. 8. v. 32. & seqq.

II. Ad Παιδείαν: *Veniamus ergò, & accipiamus donum justitiæ gratis oblatum,* 2. Cor. 5. v. 19. Matth. 22. v. 4. *Humiliemus nos coràm Deo nostro peccatores,* Rom. 3. v. 10. *exemplo Publicani,* Luc. 18. v. 13. *quia humilibus dat gratiam* 1. Pet. 5. v. 5. *Sistamus nos coràm ipso, de nobis diffisi; exemplo Iobi,* cap. 9. vers. 2. 3. *Davidis,* Psal. 130. v. 3. & 143. v. 3. *Pauli,* Phil. 3. v. 7. 8. 9. *& accedamus ad Thronum gratiæ per fidem Christi, ut consequamur misericordiam* Heb. 4. v. 16. *Confiteamur ipsi peccata nostra, quia & fidelis est, & justus, ut ea nobis remittat,* 1. Joh. 1. v. 9. *exemplo Davidis,* 2. Sam. 12. v. 13. Psal. 51. *Daniëlis,* cap. 9. *& Publicani* Luc. 18. v. 13. *Petamus illorum remissionem, sicut Christus nos docuit petere,* Matth. 6. v. 12. *& accipiemus* Matth. 7. v. 7, 8. *Eam unicè sectemur, exemplo Davidis,* Psal. 51. *& negotiatoris, de quo est in parabolâ* Matth. 13. v. 45. *Quia absque illâ nequicquam possunt etiam totius mundi divitiæ* Matt. 16. v. 26. *Eâ lætemur & gloriemur,* 1. Cor. 1. v. 31. *exemplo Davidis,* Psal. 32. *& Pauli* Rom. 8. v. 33. & seqq. *Firmam quoque nobis efficiamus per bona opera* Rom. 6. v. 1. & seqq. 2. Petr. 1. v. 10. *Inprimis per remissionem ergà proximum* Matt. 18. v. 21. & seqq. *Omnem verò beneficii hujus gloriam Deo in solidum adscribamus, ex quo, & per quem, & in quem sunt omnia* Rom. 11. v. 36.

III. Ad Ἐπανόρθωσιν: *Nè in peccatis nostris desperemus: ex-*

emplo Cajini, Gen. 4. v. 13. *& Judæ* Matth. 27. v. 4. *Nè in operibus nostris, aut aliorum, spem ullam collocemus: nam ex operibus Legis non justificabitur ulla caro* Rom. 3. v. 20. *Nè in iis nobis placeamus, & de iis gloriemur, exemplo Pharisæorum,* Matth. 5. 6. & 23. capp. *& illius, de quo est* Luc. 18. *Nè ab alio, quàm à solo Deo Remissionem Peccatorum petamus* Psalm. 51. v. 6. *Nè aliter quàm fide eam accipere studeamus* Actor. 26. v. 18. *Neque quod est gratiæ Christi, dignitati fidei adscribamus. Nè denique implacabiles simus, exemplo Gentium,* Rom. 1. v. 31. *& servi mali,* Matth. 18. v. 28. *sed alii aliis libenter & ex animo condonemus* v. 22. 35.

IV. Ad Παράκλησιν: *Bono animo simus, si peccatorum conscientiâ contristemur & consternemur: Nam tales quærit & vocat Christus,* Matth. 9. v. 13. cap. 11. v. 28. *& famelicos implet bonis suis* Luc. 1. v. 52. 53. *Nihil ad nos fulmen legalis maledictionis, quia Christus nos ab eo liberavit* Gal. 3. v. 13. *Nihil in nos habet mundi Princeps, quia robur ejus Christus destruxit* Heb. 2. v. 14. *Accusationes & damnationes ejus securè contemnimus. Quis enim accusabit aut damnabit nos, Deo justificante?* Rom. 8. v. 32. 33. *Nulla condemnatio superest iis, qui sunt in Christo Iesu* v. 1. *Hic est Iustitia nostra,* 1. Cor. 1. v. 30. Jerem. 23. v. 6. *Pax nostra,* Ephes. 2. v. 14. *Vita nostra* 1. Joh. 5. v. 20. *Ipsô tanquam veste induti,* Gal. 3. v. 27. *accedimus cum loquendi libertate ad thronum gratiæ: & misericordiam,* Heb. 4. v. 16. *ac benedictionem Abrahæ,* Gal. 3. v. 14. *obtinemus.*

LOCUS

LOCUS DECIMUS QUINTUS

De

SANCTIFICATIONE.

SANCTIFICATIO *est naturæ hominis corruptæ instauratio ad Imaginem Dei.*

EXEGESIS.

Sanctificatio.

JUstificationem immediatè sequitur *Sanctificatio*: quæ in aureâ salutis catenâ, *Romanor*. 8. verſ. 29. 30. *Glorificationis* nomine continetur: eſt enim inchoata Glorificatio: at 1. *Corinth*. 1. verſ. 30. distinctè poſt Juſtificationem recenſetur, & *Romanor*. 6. verſ. 1. ex eâ deducitur. In Scripturâ varias appellationes habet, ſed Synonymas: ut cum dicitur *Regeneratio*, *Creatio*, *Vivificatio*, *Renovatio*, *Converſio*, *Reſurrectio prima*, *Reſipiſcentia*, (cujus initium eſt *Pœnitentia*, Græcis μεταμέλεια) & *nova obedientia*.

Synonyma ejus.

Cauſſa *Efficiens* Sanctificationis, *communiter* eſt *Deus*, qui convertit, *Ierem*. 31. verſ. 18. & reſipiſcentiam largitur ad vitam, *Actor*. 11. verſ. 18. *ſingulariter* verò *Spiritus Sanctus*, qui ab hoc apoteleſmate *Sanctus*, & *Renovationis Spiritus* cognominatur *Tit*. 3. verſ. 5. *Niſi enim quis regenitus ſit ex aquâ & Spiritu, non poteſt introire in regnum cœlorum, Iohann*. 3. verſ. 5. *Impulſivæ* ſunt, gratia Dei, *Tit*. 3. verſ. 5. & meritum Chriſti *Gal*. 3. v. 14. *Inſtrumentalis* interna eſt *Fides*, corda purificans *Actor*. 15. v. 9. De *externis* alibi vidimus.

Efficiens communiter Deus.

Singulariter Spiritus S.

Impulſivæ, & Inſtrumentalis interna.

Materia circà quam, ſive *Objectum* Sanctificationis eſt corrupta hominis natura: non cujuſvis, ſed electi & juſtificati, *Romanor*. 4. verſ. 5. idque ſecundum utramque partem eſſentialem, & omnes partis utriuſque facultates. Etenim *Mens* ejus cœca eſt, 1. *Corinth*. 2. verſ. 14. *Voluntas* prava, *Geneſ*.

Materia, corrupta natura hominis Iuſtificati.

 8. verſ. 21.

8. verſ. 21. *Affectus* rebelles, *Romanor.* 7. verſ. 14. *& ſeqq. Corpus* cupiditatum dominantium mancipium, *cap.* 6. verſ. 12. omniaque ejus *membra* ſerva impuritati & iniquitati ad patrandam iniquitatem, verſ. 19. ut totali renovatione opus habeat.

Forma, Inſtauratio ad imaginem Dei conſtans.

Forma ejus eſt *Inſtauratio hominis ad Imaginem Dei*, quæ *Coloſſ.* 3. verſ. 1. *Epheſ.* 4. verſ. 24. vocatur *renovatio in agnitionem, juſtitiam, & ſanctimoniam, congruentem imagini ejus, qui ipſum condidit.* Inſtauratio illa reſpectu terminorum à quo & ad quem, eſt converſio à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum, *Actor.* 26. verſ. 18. eòque κατ' ἄρσιν, *remotione mali*, κατὰ θέσιν, *reſtitutione boni*, tanquàm partibus quibuſdam, conſtituitur *Romanor.* 6. verſ. 4. *& ſeqq. Epheſ.* 4. verſ. 22. *& ſeqq. Coloſſ.* 3. verſ. 5. 6. *& ſeqq. Eſai.* 1. verſ. 16. 17. *Pſalm.* 34. verſ. 15. *Illa* eſt vitioſarum qualitatum abolitio, ſive, ut loquamur cum Scripturâ, *crucifixio, depoſitio, mortificatio Veteris hominis*; *Iſta* eſt qualitatum bonarum infuſio; *reſurrectio & vivificatio novi hominis* appellata. *Vtraque* circà omnes materiæ ſive Objecti partes occupatur. Nam in *mente* eſt nativæ cœcitatis & ignorantiæ diſcuſſio, & illuminatio, in ſalutarem Dei Chriſtique Servatoris cognitionem *Actor.* 26. verſ. 18. *Epheſ.* 5. verſ. 8. *Coloſſ.* 3. verſ. 10. In *voluntate* eſt nativæ pravitatis & inobedientiæ remotio, & juſtitiæ, ſanctitatis, novæque obedientiæ reſtitutio *Epheſ.* 4. verſ. 22, 23, 24. *Romanor.* 6. verſ. 4. *& ſeqq.* In *Affectibus* eſt pravarum cupiditatum reformatio, & conformatio ad facultates ſuperiores, inprimis autem ad Legem Dei *Galat.* 5. verſ. 24. In *Corpore* ejuſque *membris* ejuſmodi mutatio eſt, ut ex mortuis viva, ex armis injuſtitiæ, arma juſtitiæ, ex ſervis impuritatis & iniquitatis ad patrandam iniquitatem, ſerva juſtitiæ ad Sanctimoniam fiant *Romanor.* 6. verſ. 13, 19. *Neutra* tamen perfecta eſt 1. *Corinth.* 13. verſ. 9. *& ſeqq.* 1. *Johann.* 1. v. 8. Ut ita Sanctificatus ex duobus conſtet principiis, ex *carne & Spiritu, Galat.* 5. verſ. 16, 17. & in duos quaſi homines diſtinguatur, in *Veterem & Novum, Epheſ.* 4. verſ. 22, 24. in *Internum & Externum* 2. *Corinth.* 4. verſ. 16. Et quia principiorum contraria ratio eſt, perpetua eſt inter ea pugna; ut *caro concupiſcat adverſus Spiritum, Spiritus autem adverſus carnem, Galat.* 5. verſ. 17. adeòque pugnet homo ipſe ſecum: prout illud in ſuâ perſonâ graphicè

Mortificatione veteris & vivificatione novi hominis.

Imperfecta tamen eſt.

Vnde perpetua pugna in regenitis.

phicè

phicè depingit Apostolus *Romanor.* 7. Hinc *mixtæ* sunt actiones, quæ à talibus principiis procedunt, partim *bonæ*, partim *malæ*, non ex consensu quodam, sed ex conflictu: quatenus non quicquid vult caro, permittit Spiritus, sed ei ut oppositus resistit *Galat.* 5. vers. 17. *Romanor.* 7. vers. 15. *& seqq.* Interim, *qui sanctus est sanctificatur adhuc*, *Apocal.* 22. vers. 11. *corrumpitur externus homo, renovatur internus de die in diem*, 2. *Cor.* 4. vers. 16. usque dùm adveniens perfectum aboleat imperfectum, 1. *Corinth.* 13. vers. 10. & perfecti simus, sicut Pater noster perfectus est *Matth.* 5. vers. 48.

Finis Sanctificationis est Gloria Dei, *Matth.* 5. v. 16. salus nostra, *Hebr.* 12. v. 14. & proximi ædificatio *Luc.* 22. vers. 32. *Rom.* 14. vers. 19. Finis.

Effectum immediatum est nova creatura, *Galat.* 6. vers. 15. *mediatum* ambulatio in novâ vitâ, *Romanor.* 6. vers. 4. sive ambulatio non secundum carnem, sed secundum Spiritum *Romanor.* 8. vers. 1. De *Subjecto* & *Adjunctis* jam antè monuimus. Effectum.

Cæterum *Ambulatio in novâ vitâ*, studio *Bonorum Operum* declaratur: quorum etsi ad Justificationem, sive promerendam, sive accipiendam nulla sit necessitas: est tamen alia multiplex, prout multiplex est illorum finis. Definimus *Bona Opera*, *actiones sanctificatorum, quæ ex verâ fide secundum Legem Dei, ad ejus gloriam fiunt.* Bona Opera.

Efficiens illorum *principalis* est Spiritus Sanctus, *Romanor.* 6. vers. 4. 13. cujus *fructus sunt charitas, gaudium, pax, iræ cohibitio, bonitas, fides, &c. Galat.* 5. vers. 22. Quâ de caussâ studium Sanctitatis, *Legem Spiritus* vocat Apostolus, *Romanor.* 8. vers. 2. eò quod à Spiritu Sancto profectum, sanctas actiones, Legis instar, imperet: & qui sanctè vivunt, hos *ambulare* dicit *secundum Spiritum*, id est, ejus impulsu sanctis operibus studere vers. 1. 4. Caussæ *Instrumentales* sunt, ipsi sanctificati, *conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in eis ambularent, Ephes.* 2. v. 10. nominatim verò fides ipsorum, quæ mater charitatis, 1. *Timoth.* 1. vers. 5. & per eam operosa est, *Galat.* 5. vers. 6. absque quâ impossibile est, hominem aut ejus opera Deo placere *Hebr.* 11. v. 6. Efficiens principalis. Instrumentales.

Materia circà quam, sive *Objectum* bonorum operum est *Lex* Materia.

Dei,

Dei, *Deuteron.* 4. verſ. 2. *Eſa.* 8. verſ. 20. *Ezech.* 20. verſ. 19. 20. Nam fruſtrà colitur Deus præceptis hominum, *Matth.* 15. verſ. 9. & talia à manibus noſtris non requirit *Eſa.* 1. v. 12.

Forma. *Forma* eſt congruentia illorum cum Lege, *Deuter.* 27. v. 26. *Matth.* 22. v. 37. *& ſeqq.* non tantum *externa* in effectibus, verum etiam, & quidem præcipuè, *interna* in affectibus. Lex enim, ut Spiritualis eſt, ſic obedientiam ſpiritualem exigit, *Romanor.* 7. verſ. 14. latorque ejus Deus non quod ob oculos, ſed quod in animo eſt, ſpectat. 1. *Samuel* 16. verſ. 8. *Opera* igitur *irregenitorum*, licet externâ ſpecie videantur; tamen ὄντως & verè bona non ſunt, ſed peccata: utpote quæ arboris putridæ fructus vocantur *Matth.* 7. verſ. 17. *cap.* 12. verſ. 33. *Luc.* 6. verſ. 43.

Opera irregenitorum omnia ſunt peccata.

Finis. *Finis* eſt *primò* Gloria Dei, *Matth.* 5. verſ. 16. & gratitudo pro infinitis beneficiis ipſi debita *Luc.* 17. verſ. 10. *Deinde* Converſio, 1. *Petr.* 3. verſ. 1. & confirmatio proximi noſtri *Luc.* 22. verſ. 32. *Tertiò* confirmatio noſtrùm ipſorum de gratiâ Electionis & Vocationis, 2. *Petr.* 1. verſ. 10. & æterna ſalus, ad quam per bona opera tanquàm vias, ab ipſo Deo præparatas contendimus *Epheſ.* 2. verſ. 10. Hæc de bonis operibus in genere.

In ſpecie variæ ſunt illorum claſſes, ad varia Decalogi præcepta accommodatæ: in quibus præ cæteris excellit fidelis *Precatio*, *Pſalm.* 50. verſ. 15. per Spiritum precum, *Zach.* 12. v. 10. ad Deum, *Matth.* 4. verſ. 10. in nomine Chriſti, *Johann.* 10 verſ. 33. concepta: Quâ ſanctificati bona ſpiritualia & corporalia *petunt*; mala contraria *deprecantur*; & pro beneficiis acceptis ac promiſſis *gratias agunt*: prout ex finibus precationem diſtinguit Apoſtolus 1. *Timoth.* 2. verſ. 1. Hujus perfectiſſimam & abſolutiſſimam formam nobis præſcripſit Chriſtus, *Matth.* 6. verſ. 9. *& ſeqq.* *Luc.* 11. verſ. 2. *& ſeqq.* quæ tribus partibus abſolvitur, Præfatione, Oratione & Confirmatione. *Præfatio* eſt; *Pater noſter*, *qui es in Cœlis*: quâ tùm *nominamus* eum, quem invocamus, ſcil. Deum Patrem, atque etiam Filium & Spiritum Sanctum, per Synecdochen Scripturæ uſitatam, *Iohan.* 4. verſ. 23. 24. tùm *fiduciam* de eò noſtram *profitemur*: quod ſit & *noſter Pater* in Chriſto, *Epheſ.* 1. verſ. 5. eòque velit, *Luc.* 11. v. 13. & *Cœleſtis Pater*, ſicque poſſit nos exaudire, tanquàm omnipotens,

Precatio.

Orationis Dominicæ Præfatio.

potens, *Psalm.*115. vers.3. omniscius, *Psalm.*113. vers.5.6. & rerum omnium curam gerens *Psal.*2.v.4. *&* 14.v.2.

Oratio, petitionibus sex.

Oratio ipsa sex petitiones habet.

Prima,

Primâ petimus, ut *Sanctificetur nomen Dei*, id est, ut sanctis actionibus Deum glorificemus in corpore nostro, & in Spiritu nostro, quæ sunt Dei 1.*Corinth.*6.v.20. 1.*Petr.*3.vers.15.

Secunda,

Secundâ petimus, ut *Veniat regnum Dei*, tùm *gratiæ*, ut in illud recipiamur, aut recepti conservemur, *Marc.* 1.v.15. tùm *gloriæ*, ut in illud transferamur: dicentes, *Etiam veni Domine Iesu Apoc.*22.v.20.

Tertia,

Tertiâ petimus, ut *Fiat voluntas Dei*, sive ut observentur mandata ejus, *sicut in cœlo* à sanctis Angelis, *Psal.*103.v.20.21. *ita etiam in terrâ* à nobis hominibus; obsequii nimirum promtitudine & alacritate ad ipsorum exemplum comparatâ *Psalm.*110.v.3.

Quarta,

Quartâ petimus, ut *panem*, & omnia ad vitam hanc temporalem necessaria *largiatur nobis*; *& hodiè*, sive hoc die quo vivimus, *& quotidiè*, quamdiu victuri sumus *Matth.*6.v.24. *& seqq.*

Quinta,

Quintâ petimus, ut *de remissione peccatorum nostrorum*, quorum ipsi pœnam debuimus, *nos tàm certos reddat* in conscientiis nostris, *quàm certa nobis est remissio vindictæ* adversus eos, qui nos offenderunt *Matth.*6.v.14.

Sexta.

Sextâ petimus, *ut tueatur nos contrà tentationes Satanæ*, quibus ad desperationem aut securitatem nos sollicitat, *Matth.*4.vers.3. *& seqq.* tandemque ab iis liberatos, victores efficiat per fidem, 1.*Ioh.* 5.v.4. & per eum, qui dilexit nos *Romanor.*8.v.37.

Confirmatio.

Confirmatio est: *Quia tuum est regnum*, id est, quia tu parasti nobis regnum, *Matth.*25.v.34. tibi placuit illud nobis dare *Luc.*12. v.32. *Tua est potentia*, id est, quia tu potes illud dare: *Tua est gloria*, id est, tu inde glorificaberis, 1.*Cor.*10.v.31. *in secula seculorum.* Quibus subjicitur vocula Hebræa, *Amen*; votum ac fiduciam precantis significans *Psal.*41.v.14.

Usus *hujus Loci est*

I. Ad Διδασκαλίαν: *Dei voluntas est Sanctificatio nostra; ut possideamus vasa nostra singuli in sanctificatione & honore*, 1.Thess.4. vers.3. *& ut Vocationem nostram & electionem firmam faciamus*, 2.Petr.1.v.10. *per bona opera: sicque glorificemus Patrem nostrum in cœlis* Matth.5.v.16.

II. Ad Παιδείαν: *Sanctificemus igitur Dominum Deum in*

cordibus nostris 1.Petr.3.v.15. *Sistamus ei corpora nostra, hostiam vivam, sanctam, & placentem* Rom.12.v.1. *Invocemus ipsum in die tribulationis,* Psal.50.v.15. *& qui sanctus est, sanctificetur adhuc* Apoc.22.v.11.

III. Ad Ἐπανόρθωσιν: *Nè permaneamus in peccato, ut gratia auctior fiat: sumus enim mortui peccato,* Roman.6.vers.1.& seqq. *& absque sanctimoniâ nemo Deum videbit* Hebr.12.vers.14. *Beneficentiæ & communicationis nè obliviscamur* Hebr.13. vers.16. *Neque in precibus aut operum bonorum studio segnescamus* Luc. 18. v.1.& seqq. 1.Thess.5.v.17.

IV. Ad Παράκλησιν: *Dei potentia per infirmitatem consummatur. Sufficiat igitur nobis ejus gratia* 2.Corinth. 12. vers.9. *in hisce Spiritus Sanctificantis primitiis* Romanor.8. vers.23. *Gratia Deo per Iesum Christum: nempe, mente servimus Legi Dei, etsi carne adhuc Legi peccati* Romanor.7.v.25. *sed caro crucifigitur cum desideriis & cupiditatibus suis* Galat.5.vers.24. *Externus homo corrumpitur, internus autem renovatur de die in diem* 2.Corinth.4. vers.6.

LOCUS

LOCUS DECIMUS SEXTUS ET ULTIMUS DE GLORIFICATIONE.

GLORIFICATIO *est Iustificatorum & Sanctificatorum perfecta beatificatio: in gloriosâ ipsorum resurrectione, vitâque æternâ consistens.*

EXEGESIS.



VLtimus gradus beneficiorum Christi, sive eorundem complementum est Justificatorum & Sanctificatorum *Glorificatio*, *Romanor*.8. vers.30. sive *redemtio*, 1.*Cor*. 1.vers.30. quæ ut in resurrectione à morte corporali, & vitâ æternâ posita est: ita per easdem nobis declaranda est. *Glorificatio consistit in*

Resurrectio igitur *est Sanctorum demortuorum resuscitatio gloriosa ad vitam æternam.* Suscitabuntur quidem etiam impii, & infideles, *Dan*.12.vers.2. *Iohann*.5. vers. 29. ut reportent pœnas malorum, quæ in hâc vitâ patrarunt, 2.*Thessal*. 1. vers. 6. 8. 9. 2.*Corinth*. 5. vers.10. & resurgent virtute & potentiâ Christi judicis, cui Pater dedit omne Judicium, *Iohann*.5. vers.22. 29. *Actor*.17. vers.31. sed quia resurrectio illa erit ad mortem & condemnationem, *Iohann*. 5. vers.29. inter Christi beneficia recenseri non potest. De alterâ verò, quæ esse dicitur ad vitam, *Dan*.12.v.2. *Iohann*.5. v.29. hîc agimus. *Resurrectione Sanctorum. Qualis sit impiorum resurrectio.*

Ejus *Efficiens* est Deus Pater, *Roman*.4.v.17. Filius, *Ioh*.5. v.22. & Spiritus Sanctus *Rom*.8.v.11. Efficiens.

Materia circà quàm, est caro illa, quam in hâc vitâ singuli gestarunt *Iob*.9.v.25. 2.*Cor*.5.v.10. 1.*Cor*.15.*cap*. Materia.

Forma. mortuorum restitutio in vitam.

Forma est, mortuorum *in vitam restitutio*: Pro quâ, *transmutatio* in momento continget iis, quos ultimus Domini adventus superstites deprehendet 1.*Corinth.*15. vers.51.52. 1.*Thessal.*4. vers.15.*&* *seqq.* Utrique autem, tàm resuscitati, quàm transmutati, qualitates novas accipient; partim *communes* cum reprobis, incorruptibilitatem & immortalitatem, 1.*Corinth.*15. vers.53.54. partim *proprias*, in animâ, in corpore, & in utroque simul. In *animâ*, perfectam sapientiam, justitiam ac sanctitatem *Iohann.*17.vers.3. *Luc.*20. vers.35.36. *Ephes.*5.v.27. In *corpore*, Spiritualitatem, & cum glorioso Christi corpore conformitatem: *Philipp.*3. vers.21. Sicut corpora ipsorum futura dicuntur spiritualia, 1.*Corinth.*15. vers.43. *&* *seqq.* non essentiâ, sed condicione, qualitate, & donorum Spiritus Sancti participatione. In *utroque* claritatem & gloriam, 1.*Corinth.*15. vers.40. quâ tamen à se invicem non minus, quàm luminaria cœlestia different v.41.*&* *Dan.*12.v.3.

Vivorum transmutatio

In animâ.

In corpore.

In utroque.

Finis Resurrectionis, respectu *Dei*, est potentiæ ejus, veritatis, & misericordiæ gloria: ut hâc ratione sit omnia in omnibus: 1.*Corinth.*15. vers.28. respectu *Nostri*, est vita nostra ac felicitas æterna: à qua resurrectio ad vitam denominatur *Ioh.*5. vers.29.

Vita Æterna.

Superest ipsa *Vita Æterna*: de quâ ut pauca intelligimus (*non enim vel oculus vidit, vel auris audivit, vel in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus iis, qui ipsum diligunt,* 1.*Corinth.*2.vers.9.) sic pauca quoque dicemus. Est verò *Vita Æterna gaudium illud & gloria illa, quibus omnes electi post resurrectionem suam in cœlo perpetuum fruentur.*

Efficiens.

Ejus *Efficiens* est Deus Pater, *Iohann.*5.vers.21. Filius, *ibidem*; & Spiritus Sanctus, *Roman.*8.v.11. utpote cujus donum esse dicitur *Rom.*6.v.23.

Materia.

Materia circà quam sunt, Electi, *Matt.*25. vers.34. Vocati, Justificati, Sanctificati, & in resurrectione glorificati *Rom.*8. vers.29.30. Nam cœlum nihil ingreditur impurum *Apocal.*21. vers.27.

Forma.

Forma est gaudium sine dolore, *Apocal.*21. vers.4. & gloria sine ignominiâ, *Ephes.*5. vers.27. est bonorum omnium sufficientia, 1.*Corinth.*15. vers.28. *Apocal.*21. vers.22.23. est satietas gaudiorum in conspectu Dei, *Psalm.*16. vers.11. quem videbimus

debimus de facie ad faciem, ſicuti eſt. 1.*Iohan.*3.verſ.2. Quorum omnium modus eſt *Æternitas*: à quâ vita hæc *Æterna* appellatur, *Iohann.*3.verſ.16. *Romanor.* 6.verſ.23. Nam gaudium noſtrum nemo tollet à nobis, *Iohann.* 16. v. 22. & gloriam nemo auferet, *Dan.*12.v.3. *Matth.*13. verſ.43. aut obſcurabit *Apocal.*21.v.23.

Finis eſt perpetua Glorificatio Dei & Agni *Apocal.*5.v.9.10. 12. 13. *& alibi.* Finis.

Uſus *Loci de Glorificatione eſt*

I. Ad Διδασκαλίαν: *Qui incepit in nobis bonum opus, perficiet illud uſque ad diem Ieſu Chriſti* Philipp.1. verſ.6. *Certus eſt adventus diei ipſius* 2.Petr.3. per totum. *Certa reſurrectio mortuorum, ut quæ Dei potentiâ nititur, & Scripturarum veritate* Matth.22. verſ.29. *Eaque tranſitus nobis erit ad vitam æternam* Johann. 5. verſ.29.

II. Ad Παιδείαν: *Benedicamus Deo & Patri, qui ex multâ ſuâ miſericordiâ regenuit nos in ſpem vivam hæreditatis incorruptibilis & immarceſſibilis* 1.Petr.1.verſ.3.4. *Contendamus ad eam per anguſtam portam,* Matth.7.verſ.13.14. *ſpretis præ illa totius mundi opibus,* cap.16.verſ.26. *& nos ipſos in charitate Dei conſervemus, exſpectantes miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam* Jud. verſ. 21.

III. Ad Ἐπανόρθωσιν: *Nè dubitemus de futurâ reſurrectione* 1. Corinth.15.v.12. *Aut eam carnali judicio æſtimemus* verſ.35. *Nè rideamus pollicitationem adventus ejus, nec ex morâ aliquâ animis concidamus* 2.Petr.3. per totum. *Nè in mundanis, ſive facultatibus, ſive voluptatibus, felicitatem noſtram collocemus; exemplo Divitis,* Luc.12. verſ.16. *& epulonis* cap.16. *Neque terrena cœleſtibus potiora ducamus: exemplo Eſavi,* Hebr.12.v.16. *& illorum, de quibus eſt* Luc 14.v.18.19.20.

IV. Ad Παράκλησιν: *Vita æterna erit nobis dies refrigerationis & reſtitutionis omnium,* Actor.3.verſ.19.21. *quo abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis noſtris,* Apocalyp.21. verſ.4. *& ipſam mortem in victoriam abſorbebit* 1.Corinth.15. verſ.54. *Accumbemus in eâ cum Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo,* Matth.6. verſ.11. *Imò cum ipſo Chriſto, edentes & bibentes in menſâ ipſius* Luc.22.v.30.

Perfruemur satietate gaudiorum ad dexteram ipsius in æternum Psal. 16. vers. 11. *Induemur stolis albis, Reges & Sacerdotes facti Deo nostro* Apocalyp. 1. vers. 6. *Perpetua agitabimus Sabbata,* Esa. 66. vers. 23. *& Cantico novo celebrabimus Deum & Agnum, in secula seculorum.* Apocal. 5. vers. 9. & seqq.

Cæterùm ei, qui potest nos custodire à lapsu immunes, & statuere in conspectu gloriæ suæ inculpatos, cum exsultatione; soli sapienti Deo, Servatori nostro, gloria sit, & magnificentia, robur & authoritas, & nunc, & in omnia secula,

AMEN.

Henrici Alting

LOCORUM THEOLOGICORUM

Pars Posterior,

THEOLOGIAM ELENCHTICAM

ἀνασκευαστικῶς

exhibens.

Indicem Locorum Theologiæ Elenchticæ, & Controversiarum ad unumquemque Locum pertinentium, vide ad calcem libri.

THEOLOGIÆ
ELENCHTICAE
LOCUS PRIMUS
De
THEOLOGIA ELENCHTICA in genere.

Absolvimus per Dei gratiam Theologiam Didacticam: ELENCHTICA *ex methodi nostræ instituto succedit, quæ* Controversias *circa doctrinam supra traditam motas exponit.*

Hæ uti olim, ita nunc quoque variæ sunt, & varias in partes orbem Christianum distrahunt: sic tamen ut ad quatuor genera, partim *ab auctoribus suis*, partim *à materiâ denominata, non incommodè revocentur. Aliæ namque* Samosatenianorum, *aliæ* Anabaptistarum, *aliæ* Pontificiorum, *aliæ denique* Lutheranorum *dicuntur.*

Exegesis.



Ost Theologiam *Didacticam*, quæ est ad διδασκαλίαν veri, alteram quæ ἔλεγχον sive *redargutionem* falsi habet, 2. *Tim.* 3. v. 16. indeque *Elenchtica* & Controversiarum vocatur, explicandam aggredimur; non tam receptâ Scholarum consuetudine, quàm præcepti Divini necessitate; de quo ita Apostolus *Tit.* 1. v. 9. *Oportet Episcopum tenacem esse fidelis illius sermonis*

Theologiæ *Elenchticæ* necessitas.

monis qui ad doctrinam facit, ut possit & exhortari doctrinâ sanâ, & contradicentes convincere. Caussam addit *v.* 10. 11. *sunt enim multi subjici nescii, & vaniloqui, & mentium seductores: qui totas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, quibus os obturandum est.* Quales sicut tunc fuisse graviter conqueritur, ita ultimis temporibus magno numero futuros prædicit, 1. *Tim.* 4. *v.* 1. *& seqq.* 2. *Tim.* 3. v. 1. *& seqq.* & ante ipsum prædixit Christus, *Matt.* 24. v. 24. qui *in signum contradictionis propositus est Luc.* 2. v. 34. Et nos, in quos fines seculorum inciderunt, prædictionum illarum veritatem, plus quam dici aut deplorari potest experimur. Quamobrem nostri muneris esse intelligimus, non modò ad *doctrinam veri*, sed etiam ad *redargutionem falsi* nos comparare; quò pro voluntate Dei ad Episcopatus, sive in Ecclesiâ, sive in Scholâ obeundos vocati, ex præscripto Apostolico & exhortari doctrinâ sanâ & contradicentes convincere possimus. Est quidem verum sui pariter & falsi index, ut rectum seipsum & obliquum demonstrat; At non omnes illud eo usque assequuntur, sed ii qui *propter habitum sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali, Heb.* 5. v. 14. Cæteri sive infantes sive novitii, falsum sub veri specie facilè arripiunt; maximè si ex principiis sive elementis eloquiorum Dei, ipsis cognitis, falsæ conclusiones per Sophisticas consequentias deducantur. Horum infirmitati ut pro Vocationis nostræ modo, viriumque modulo succurramus, Theologiæ Didacticæ *Elenchticam* σὺν Θεῷ subjicere constituimus. Quod priusquam fiat, Procemii vice de Controversiis religionis in genere, & illis, quæ nostræ ætatis Ecclesias infestant & divexant in specie, aliquid dicendum est.

Controversiæ Religionis quid.

CONTROVERSIÆ *Religionis sunt lites de religione, Satanæ hominumquè corruptorum malitiâ excitatæ in Ecclesiâ Dei.* Earum diversa in Scripturis nomenclatura reperitur; prout nimirum diversæ sunt conditionis ex Efficiente suo, Objecto, & gradibus. Christus *zizania, Matth:* 13. *v.* 38. 41. *traditiones, doctrinas, præcepta hominum cap.* 15. *v.* 3. 9. nominat. Paulus vocat *schismata, lites,* 1. *Cor:* 1. *v.* 10. 11. *ligna, fœnum, stipulas, cap.* 3. *v.* 12. *hæreses,* 1. *Cor.* 11. *v.* 19. *Gal.* 5. *v.* 20. *aliud Euangelium, Gal.* 1. *v.* 6. *doctrinam diversam,* 1. *Tim.* 6. *v.* 3. *doctrinas dæmoniorum cap.* 4. *v.* 1. 2. Alii aliter nuncupant.

Synonyma.

Causa Permittens Deus.

Causa exoriri eas & evenire *Permittens* est *Deus*, qui *præteritis ætatibus*

ætatibus permisit omnes gentes, suis ipsarum viis incedere Actor. 14. *v.* 16. Idem tamen tanquam justus Judex quandoque illas hominibus immittit in pœnam, ut ἀντιμισθίαν *erroris sui in sese recipiant, Rom.* 1. *v.* 27. quemadmodum dicitur *mittere efficaciam erroris,* 2. *Thess.* 2. *v.* 11. *tradere in mentem omnis judicii expertem, Rom.* 1. *v.* 28. *indere Spiritum mendacii oribus pseudoprophetarum* 1. *Reg.* 22. *v.* 23. Quo respectu *Efficiens* illarum non immeritò appellatur: Efficiens, inquam, *non quâ sunt peccata* creaturarum rationalium, *sed quâ judicia* Creatoris adversus eos, qui veritatem in injustitia detinent, *Rom.* 1. *v.* 18. sive qui non crediderunt veritati, sed acquieverunt in injustitia 2. *Thess.* 2. *v.* 12. Utrumque verò cum ex immutabili consilio voluntatis suæ agat, Ephes. 1. v. 11. pronunciamus cum Apostolo; *Oportere esse hæreses,* 1. *Cor.* 11. *v.* 19. cum Christo, *Necessum esse ut veniant scandala, Matth:* 18. *v.* 7. eoquè omnes de religione controversias quoad Deum, non fortuitò aut contingenter, sed definito ejus consilio fieri.

At *Efficiens* controversiarum *propriè & in se* consideratarum est malitia tum *Satanæ*, tum *hominum corruptorum*; prout illæ *doctrinæ dæmoniorum* à Paulo, 1. *Tim.* 4. *v.* 1. *hominum* à Christo *Matth.* 15. *v.* 9. dicuntur. *Primò* Satanas pater ille mendacii, non nisi mendacia loquitur, *Ioh.* 8. *v.* 44. serit zizania in agro Dominico, Matth. 13. v. 28. 39. malitiosè invidens Deo Veritatis gloriam, homini fructum ejus, Vitam æternam, tanquam mendax & homicida inde à principio *Ioh.* 8. *v.* 44. *Deinde* homines corrupti, instinctu naturæ suæ, malitiæ ipsius subserviunt. Hos Christus in *cæcos & cæcorum duces, Matth.* 15. *v.* 14. Paulus in *seductores & seductos,* 2. *Tim.* 3. *v.* 13. Augustinus *lib. de utilitate credendi, cap.* 1. in *hæreticos & credentes hæreticis* distinguit. In utrisque causas controversiarum communes & proprias Scriptura ostendit. *Communes* sunt cæcitas mentis & rebellio voluntatis *Eph.* 2. *v.* 1. *& seqq. Tit.* 3. *v.* 3. Unde fit, ut *animalis homo non capiat, nec possit capere, quæ sunt Spiritus Dei,* 1. *Cor.* 2. *v.* 14. & *sensus carnis inimicitia sit adversus Deum Rom.* 8. *v.* 7. *Propriæ Seductorum* sunt ambitio & avaritia. Etenim in excitandis propagandisquè controversiis, aut gloriam suam, aut quæstum quærunt: *Gloriam*, qui Legis doctores videri volunt, 1. *Tim.* 1. v. 7. Doctores, Patres salutari, *Matth.* 23. v. 7. *& seqq.* & peculiares Christianorum familias ducere 1. *Cor.* 1. v. 12. *cap.* 3. v. 45. *Quæstum*, qui quæstui

Efficiens propriè & in se.

Satanas,

Homines corrupti; seductores & seducti.

In quibus causæ

Communes;

Propriæ seductorum.

1. Ambitio,

2. Avaritia.

quæstui habent pietatem, 1.*Tim.6.* v.5. instar Simonis Magi, *Actor.*8.v.18.19. & Pharisæorum, *Matth.*23.v.14. docentes quæ non oportet turpis lucri gratia, *Tit.*1.v.11. quorum Deus est venter *Phil.*3.v.19. Hoc est quod Christus dicit *Ioh.*7.v.18. *Qui ex se ipso loquitur, gloriam propriam quærit.* *cap.*10.v.10. *Fur non venit, nisi ut furetur mactet, & perdat oves*; Et Paulus 2.*Tim.*3. v.2. *Erunt homines sui amantes, avari, gloriosi, superbi.* 1.*Tim.*6. v.3.4. *Si quis diversam docet doctrinam, is inflatus est nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones ac pugnas de verbis: &* v.10. *radix omnium malorum est amor pecuniæ, quam quidam dum appetunt, aberrarunt à fide.* In *Seductis* vero causæ sunt *Somnolentia* & *Curiositas*. Nam alii non *probant Spiritus, utrum ex Deo sint*, 1.*Ioh.*4.v.1. non *probant dogmata*, 1.*Thess.*5.v.21. sed omnia, bona ac mala, promiscuè retinent; apud quos, juxta disciplinam Pythagoræ, valet præjudicata Doctoris opinio, non ponderatur doctrinæ ratio; atque ita *cæci* cum *ducibus cæcis* in erroris *foveam* cadunt *Matt.*15. v. 14. *Alii* receptæ doctrinæ fastidio *novitates attendunt & subtilitates*, 1. *Tim.* 1. v. 4. 2. *Tim.*2. v. 16. *& seqq.* *Tit.* 1.v.14. & *puerorum instar quovis doctrinæ vento circumferuntur Ephes.*4.v.14. De priore loquitur Christus *Matt.*13. v.25. *Dormientibus hominibus venit inimicus, & serit zizania inter triticum.* De posteriore vaticinatur Paulus 2.*Tim.*4. v.3.4. *Erit tempus quum sanam doctrinam non sufferent; sed auribus prurientes ipsi sibi secundum suas illas peculiares cupiditates* (quas *cap.*2. v.22. *juveniles* appellavit) *coacervabunt Doctores; & à veritate quidem aures avertent, ad fabulas verò divertent.* Causæ *Instrumentales* Controversiarum, *Coloss.*2.v.8. recensentur Philosophia, traditio hominum, & elementa mundi; quas corruptelarum species ad detorquendas & depravandas Scripturas, cum veteratoriâ ad artificiosè fallendum versutiâ, *Ephes.*4.vers.14. seductores adhibent. *Philosophia* non est vera illa sapientia, ex naturæ lumine in nobis reliqua, quæ finibus suis contenta & Theologiæ famulans magnum usum habet: sed inanis deceptio, *Coloss.*2. vers.8. sive falsò nominata scientia, 1.*Tim.*6. v. 20. quorundam Philosophorum, quæstionum subtilium & inutilium speculationibus sicut olim, ita hodie sese oblectantium, eoque sapientiam suam ac vim ingenii superbè ostentantium; contra quam Apostolus Paulus tribus epistolis, *duabus ad Timotheum, unâ ad Titum*, graviter & ex professo

Propriæ in seductis; Somnolentia,

Curiositas.

Instrumentales.

1. Philosophia.

professo disserit. *Traditiones* sunt variæ hominum superstitiones, quæ pravâ consuetudine, fictis enthusiasmis, falsisque miraculis nituntur. Cujusmodi fuerunt Judæorum ex libris Enochi, commentariis Seniorum & Rabbinorum, *Fabulæ Iudaicæ* à Paulo appellatæ, 1.*Tim*. 1.v.4. *Tit*.1.v.14. & nunc sunt Traditiones non scriptæ Pontificiorum. Denique *Elementa mundi* sunt ceremoniæ legales in Veteris mundi Ecclesiâ usitatæ, quæ ex quo impletæ per Christum & abrogatæ fuerunt, licet infirma & egena elementa facta sint, *Gal*.4.v.9. tamen à multis retinentur & cum Euangelio conjunguntur. Cujus corruptelæ vestigia in Epistolis Paulinis, ubi contra Pseud-apostolos disputat, & praxi hodiernâ Pontificiorum innumera exstant.

2. Traditiones.

3. Elementa mundi.

Materia Controversiarum *in quâ*, est Ecclesia; nam ex eâ prodeunt seductores, *Actor*.20.v.30. 1.*Ioh*.2.v.19. in eâ sedet Princeps seductorum Antichristus, 2.*Thess*.2.v.4. & in agro ejus Satanas zizania serit *Matth*.13.v.25. At materia *circa quam* in genere est *Christus*, finis legis, *Rom*.10.v.4. & fundamentum Euangelii, 1.*Cor*.3.vers.11. qui positus est in signum contradictionis, *Luc*.2.v.34. & super quo alii aurum, argentum; alii fœnum & stipulas ædificant 1.*Cor*.3.v.12. In specie autem sunt Doctrina & Cerimoniæ. Et *Doctrina* quidem partim Legis, ut *Matth*.5.6.7. *capp*. *partim*. Euangelii *Rom*.3.4. *capp*. *Gal*.2.3. *& alibi*. *Ceremoniæ* verò tum V.T. ut *Actor*.15. *Rom*.14. tum Nov. Test. ut 1.*Cor*.11. *& aliis capp*.

Materia in quâ, Ecclesia.

Circà quam: in genere, Christus.

In specie, Doctrina,

Cerimoniæ.

Forma Controversiarum est illarum à veritate Scripturarum *aberratio*. *Matt*.22.v.29. *Erratis nescientes Scripturas*. 1.*Timoth*.6. v.10. *quidam aberrarunt à fide*; *&* v.21. *circa fidem aberrant à scopo*. 2.*Tim*.2.v.18. *circa veritatem aberrarunt à scopo*. Aberratio illa fit aut à *doctrina*, aut à *ritibus*. Prior latè *error*, strictè *hæresis*; posterior communiter *schisma* vocatur. Quæ duo distinguit Apostolus tanquam majus & minus, 1.*Cor*.11. v.18.19. ut docet particula καὶ comparationis nota; alioquin utrumque *opus carnis* nominat, *Gal*.5.v.19.20. 1.*Cor*.3.v.4. & tanta est illorum inter se affinitas, ut facillimus sit ab uno ad alterum transitus. *Error* in doctrina ex objecto dividitur in eum, qui in fundamento, circa fundamentum, & præter fundamentum admittitur. *Error in fundamento* est, qui doctrinam fundamentalem Legis & Euangelii evertit & tollit; idque vel ex parte, & est hæresis,

Forma, aberratio.

1. A Doctrinâ Error, qui est.

In fundamento.

 Gal.5.

*Gal.*5.v.20. exitialis hæresis, 2.*Petr.*2.v.1. vel in totum, & apostasia est universalis, qualis fuit Juliani Imp. Hoc genus erroris vocat Paulus *aliud Euangelium*, *Gal.*1.v.6. *aliud fundamentum*, 1.*Cor.*3.v.11. quod est non Petra, Christus; sed arena *Matth.*7.v.24.26. *Error circa fundamentum* est, qui doctrinam fundamentalem attingit quidem, atque ex eâ, non observatâ ἀναλογίᾳ τῆς πίστεως, *Rom.* 12.v.6. falsas conclusiones, falsa dogmata deducit: interim ipsam non tollit sed retinet. Quomodo errant, qui ex nonnullis Scripturæ locis perperam intellectis falsas colligunt & tuentur sententias, de præcipuis fidei capitibus rectè sentientes & docentes. *Error præter fundamentum* consistit in curiosis & inutilibus quæstionibus, quæ cum vel falsæ vel incertæ sint, & ad doctrinam fundamentalem non pertineant, tamen vanæ ostentationis gratiâ à Doctoribus ei admiscentur. Hæ sunt ligna, fœnum, stipulæ fundamento superstructæ, 1.*Cor.* 3.v.12. quas dies manifestat, & ignis sive veritatis, sive calamitatis probat, v.13. absque dispendio tamen salutis æternæ v.15. Jam *Schisma*, quod altera est aberrationis species, dicitur, cum à ritu, vel in Scriptura tradito, vel ex analogiâ ejus ordinis causa constituto, contentionis studio disceditur. Cujus exempla proponuntur in Corinthiis, & iis qui de cerimoniis Ecclesiasticis & disciplina odiosas lites movent. Contra quos facit illud Apostoli 1.*Corinth.*11. vers.16. *Si quis videtur contentiosus esse, nos ejusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei.*

Circa fundamentum.

Præter fundamentum.

2. à ritibus, Schisma.

Finis Controversiarum *quoad Deum* est tentatio sive probatio piorum, & probatorum manifestatio, *Deut.*13.v.3. 1.*Cor.* 11.v.19. impiorum verò excæcatio & obduratio 2.*Thess.*2.v.11. *Rom.*1.v.28. 1.*Reg.*22.v.23. *Quoad Diabolum* veritatis cœlestis obscuratio, hominumque in exitium æternum seductio *Ioh.* 8. v.44. 1.*Petr.*5.v.8. *Quoad homines* verò vanæ ambitionis, *Ioh.*7. v.18. turpis avaritiæ, *Tit.*1.v.11. & cupiditatum juvenilium, 2.*Tim.*4.v.3.4. expletio.

Finis, quoad Deum.

Diabolum,

Homines.

Hæc de Controversiis religionis *generatim* dicta sufficiant, *Speciatim* persequi, aut etiam enumerare singulas, quæ Ecclesiam Dei inde ab initio turbarunt, nimis longum foret, & ab instituto nostro alienum. In Ecclesia *Veteris Testamenti* fuerunt *Idololatræ*, passim; *Samaritani*, 2. *Reg.* 17. *Scribæ*, *Pharisæi*, *Sadducæi* & *Herodiani*, quorum frequens apud Euangelistas mentio est.

Controversiæ.

In V. T.

est. In Ecclesiâ *Novi Testamenti*, post ascensionem Christi, superstitibus adhuc ejus Apostolis exstiterunt *Simoniani* à Simone Mago denominati *Actor.*8. *Pseudapostoli sive Pharisaïzantes*, *Actor.*15. *Gal.*2.3.4. *capp.* *Angelolatræ*, *Coloss.*2.v.18. *Philetiani*, 2.*Tim.*2.v.17.18. *Nicolaitæ* *Apoc.*2.v.6.15. Successerunt deinde alii magno numero, & longo ordine, quorum catalogum & hæreses *Eusebius*, *Epiphanius* & *Augustinus* descripserunt. *Nostro tempore* Christi Ecclesiam maximè distrahunt ii, quos supra recensuimus, *Samosateniani*, *Anabaptistæ* & *Pontificii* hæretici; *Lutherani* quoque erronei & Schismatici, quorum controversiæ non tam novæ, quàm innovatæ sive interpolatæ sunt dicendæ: sicut serpens ille antiquus eandem semper agit errorum fabulam, mutatis personis. Quod ne cui dubium esse possit, de originibus singularum & incrementis paucula historicè referemus.

In N. T.

Nostro tempore.

SAMOSATENIANI sunt, qui *Pauli Samosateni*, Episcopi Antiocheni blasphemam de Christo sententiam tenent, nimirum fuisse ipsum ψιλὸν ἄνθρωπον, primumque cœpisse cum nasceretur ex Virgine. Quodipsum repetiit postea *Photinus*, Syrmii Episcopus, à quo iidem *Photiniani* appellantur. Quia verò negatâ Christi divinitate, facilè convellitur ipsius pro peccatis nostris satisfactio: (ut quæ nudi hominis esse nequit,) multò post, & quidem circa annum Christi MCX. quo Bernhardus claruit, *Petrus Abailhardus* in Galliâ docere cœpit, mortem Christi non fuisse λύτρον, quo redemti simus à peccatis, sed exemplum virtutis quod imitemur, & incentivum dilectionis, quâ ipsum pro virtute tam gravia passum complectamur. Quæ duo perniciosissima dogmata variè damnata, superiore seculo resuscitarunt, & aliis multis ex Pelagii gurgustio cumularunt, novi hujus hæreseos Magistri, *Michaël Servetus* Hispanus, & *Faustus Socinus* Senensis: horumque discipuli miris fallaciis & astutiis eadem latiùs quotidie propagant.

Samosateniani.

ANABAPTISTÆ sunt, qui baptismum à suis non administratum iterant; pædo-baptismum autem in totum damnant, unde & *Catabaptistæ* nominantur. In hoc sequuntur *Agrippinianos*, *Eunomianos*, & *Donatistas*, veteres sive hæreticos, sive schismaticos. In aliis alios. Nam cum *Severianis* & *Manichæis* Veteris Testamenti auctoritatem elevant; cum *Sabellianis* Trinitatem personarum, saltem aliqui ipsorum, negant; cum *Pelagianis*

Anabaptistæ.

lagianis peccatum originis in infantibus non agnoscunt; cum *Valentinianis* Humanam Christi Naturam non ex Mariâ Virgine assumtam, sed cœlitus delatam, & per ipsam tanquam canalem traductam asserunt; cum *Carpocratianis* bonorum communionem urgent; In cæteris ad *Novatianos, Donatistas, & Catharos* accedunt, ut qui à dignitate ministerii vim & efficaciam Sacramentorum suspendunt; sibi solis titulum Ecclesiæ vendicant, perfectionem angelicam jactitant; excommunicationis censurâ etiam levissima delicta corripiunt; adeoque in multas scissi sectas mirè fluctuant, & dubiè ad modum de dogmatis suis interrogati respondent, similes omnino iis, quos *Ephes.*4.v.14. Apostolus describit.

Pontificii. PONTIFICII sunt, qui *Pontificem Romanum*, Hominem illum peccati, Filium perditionis, Antichristum, pro capite totius Ecclesiæ visibilis, & supremo Christi in terris vicario agnoscunt, ejusdemque regimini ceu filii spirituales subsunt. Hujus impia tyrannis & in Ecclesiam dominatus impotens, jam serpere cœpit in iniquitatis mysterio tempore Apostolorum, 2.*Thessal.*2.v.7. pauloque post se prodere in *Victore*, Episcopo Romano, qui Episcopos Orientales excommunicare veritus non fuit, quod Romanæ Ecclesiæ morem in celebrando Paschate non observarent. Deinde aucta fuit tyrannis illa, cum decreto Synodi Nicenæ, sedi Romanæ primus inter sedes Patriarchales locus confirmaretur. Tandem etiam consummata est, cum parricida *Phocas*, toti Orienti invisus, ut favorem aliquem in Occidente retineret, Ecclesiam Romanam caput omnium Ecclesiarum, & Episcopum ejus, cum Constantinopolitano de primatu jam pridem altercantem, Episcopum Oecumenicum sive Universalem declararet circa annum Christi DCVI. Doctrina Pontificiorum *Concilio Tridentino* postremum sancita, & à Bellarmino quatuor Controversiarum tomis asserta, farrago est exitialium hæresium, ex veterum hæresium erroribus conflata. Etenim cum *primis & antiquissimis hæreticis* Traditiones jactant & in Scripturarum accusationem vertuntur, ut loquitur Irenæus; cum *Pseudapostolis* Legem & Euangelium confundunt; cum *Ebionitis* ceremonias legales ad salutem necessarias statuunt; cum *Nepotianis* limbos fingunt; cum *Armeniis, Gnosticis, Carpocratianis* imagines Christi & Sanctorum colunt; cum *Encratitis* discri-

discrimen ciborum faciunt; cum *Saturnianis*, *Marcionitis*, *Gnosticis* matrimonium interdicunt; cum *Simonianis* Sacra venalia habent; cum *Pelagianis* de morte etiam ante peccatum naturali, de Peccato Originis & Concupiscentia, de salute infantum, de libero arbitrio, gratiâ Dei, meritis operum, hominisque in hâc vitâ perfectione, maximâ parte consentiunt; &, ut in summam cætera conferam, doctrinam Christianam opinionibus, cultum superstitionibus tum Gentilium tum Judæorum depravarunt, usque adeo ut nullus, totaliter & finaliter hâc in hæresi perseverans, servari possit.

LUTHERANI *Martinum Lutherum* Schismatis sui auctorem jactitant, qui occasione recepti Carolstadii cum Helvetiis Zuinglioque de corporali Christi præsentiâ in Cœnâ disputare cœpit, & ut eam commodius tueretur Ubiquitatem corporis Christi asseruit: illud quidem ex inveterato Pontificiorum de corporali præsentia errore; istud autem ex malè intellectâ Scholasticorum distinctione de modis præsentiæ; sed tamen posterius suapte sponte missum fecit, dissentiens in solo priore. At Sectatores quidam ejus, maximè *Ioannes Brentius* & *Iacobus Andreæ*, post obitum præceptoris, non modò Ubiquitatem revocarunt, & proprietatum divinarum in Humanam Christi Naturam effusionem docuerunt, sed insuper novas de Prædestinatione, Gratia, Baptismo controversias moverunt. Quo ipso quantum discesserunt à Magistro suo, cujus Orthodoxa hîc sententia est, cùm aliis tum aureo illo *de Servo Arbitrio* libello explicata, in tantum accesserunt ad damnatas olim *Eutychianorum* & *Pelagianorum* hæreses, quas imprudenter interpolari ab ipsis, omnes rerum periti intelligunt. Deplorandum verò est, quod obstinati in erroribus, nec veritatis lucem, nec charitatis Unionem admittunt, & quibuscum unum Deum, unum Christum, unam fidem, unam spem vocationis habent, eos ut seductores, hæreticos, Diaboli martyres damnant & excommunicant. Nos contra qui aliter Christum didicimus, memores cujus Spiritus Filii simus, cum omni animi submissione, lenitate, & iræ cohibitione sufferamus eos per charitatem, oremus pro eis, ipsorumque ab illis tenebrarum reliquiis conversionem modis omnibus procuremus usquedum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus ipsorum, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Lutherani.

LOCUS SECUNDUS

De

THEOLOGIÆ PRINCIPIO, VERBO DEI.

Anabaptistarum & Pontificiorum *graves sunt de Verbo Dei, sive Scriptura Sacra Controversiæ.*

Illorum quidem de Materia ejus: An *nimirum* Scriptura V. T. Christianis sit & esse debeat Canonica?

Istorum autem de Efficiente, Materiâ, Formâ, Fine, Subjecto & Adjunctis.

De Efficiente:

I. An Scriptura Prophetica & Apostolica fortuitis occasionibus absque jussu divino sit exarata?

II. An auctoritas ejus, quoad nos, ab Ecclesiæ testimonio dependeat?

De Materia:

I. An libri Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus, duo priores Maccabæorum, Additiones quædam ad Estheram & Danielem sint verè Canonici?

II. An Traditiones non scriptæ sint Verbum Dei?

De Forma:

I. An quadruplex sit genuinus Scripturæ sensus, literalis, allegoricus, anagogicus & tropologicus?

II. An supremus & infallibilis Scripturæ interpres sit Ecclesia, Concilium, aut Pontifex Rom. in cathedra docens?

III. An Interpretatio ejus in Versionibus, nec necessaria, nec utilis sit?

4. An

IV. An Vulgata Versio Latina sit Authentica?

De Fine:

I. An Scriptura tantum sit aliquod fidei vitæque commonitorium, non verò ejus Canon?

II. An etiam ad fidem & vitam sit admodum necessaria?

De Subjecto: An lectio Scripturæ omnibus promiscuè sit permittenda?

De Adjunctis:

I. An Scriptura sit perfecta, omnia ad fidem & vitam necessaria continens?

II. An etiam sit perspicua, ut cum fructu legi, & dogmata necessaria ex eâ cognosci possint?

EXEGESIS.

EXplicationem Controversiarum religionis ordimur ab iis, quæ circa principium ejus, *Verbum Dei*, moveri solent. Cum enim caussa, sit Conclusionum Theologicarum, quæ variè exinde deducuntur; ipsius, quantum fieri potest, ante asserenda est auctoritas, quàm ad vindicias Conclusionum deveniatur; nisi petitione principii subinde peccare, & actum agere velimus. Quamobrem Bellarminus quoque suos *Controversiarum tomos* à controversiâ, quæ est *de Verbo Dei*, inchoat: licet quod nobis modo revelationis unicum est, ipse distinguat in duo, Scriptum & Non-scriptum. Ab eodem igitur hæc Theologiæ *Elenchticæ* tractatio meritò procedit. Controversiæ de Verbo Dei.

Distribuimus autem Controversias de Verbo Dei secundùm locos Inventionis: ut quo ordine veritas, eodem etiam falsitas ei opposità cognoscatur & redarguatur.

Controversia itaque de *Efficiente* Verbi Dei sive Scripturæ Sacræ duplex est; *Una* de causa ejus instrumentali, *Altera* de auctoritate.

PRIMA sic habet: *Sitne Scriptura Prophetica & Apostolica fortuitis occasionibus absq; jussu divino exarata?* Pontificii affirmant, *Bellarm.lib.4. de Verb.Dei cap.4.* Nos negamus. *Prima. Pontificiorum. Sitne Scriptura fortuitis occasionibus exarata?*

 Ratio-

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia Scriptores servi Dei fideles.

I. Servi, legati fideles in ministerio legationis suæ, nihil agunt absque Domini sui mandato. Prophetæ & Apostoli fuerunt servi, legati fideles Dei. Ergo. *Minor* extra controversiam est. *Major* etiam per se clara cum de aliis, tum de Dei servis, qui quicquid faciunt absque vel præter Dei mandatum, faciunt contra mandatum, eoque fideles esse desinunt.

Quia munus divinum ipsis scriptionem imperavit.

II. Quibus scriptionem doctrinæ muneris divini condicio imperavit; ii non scripserunt absque Dei mandato. Apostolis, indefinitè spectatis, scriptionem doctrinæ suæ muneris divini condicio imperavit. Ergo. *Minor* probatur. Qui universales Ecclesiæ doctores ratione locorum, personarum, & temporum à Christo dati fuerunt, his scriptionem doctrinæ muneris divini condicio imperavit. *Ratio*; quia alio modo muneri huic satisfacere nequiverunt, cum iidem nec ubique & apud omnes esse, nec vivere perpetuò potuerint. Apostoli universales Ecclesiæ doctores à Christo dati fuerunt, *tum ratione locorum & personarum*; quia jussi *docere omnes gentes, Matth.* 28. v. 19. *prædicare Euangelium omni creaturæ, Marc.* 16. v. 15. Christique testes esse *usque ad ultimas terras, Actor.* 1. vers. 8. *tum ratione temporum*; quia cum ipsis se *omnibus diebus usque ad consummationem seculi* futurum promisit *Matth.* 28. v. 20. Ergo.

Ex natura *Prædicati*:

Quia mandato & inspiratione Dei scripserunt.

I. Qui Dei mandato & inspiratione scripserunt, non scripserunt fortuitis occasionibus absq; mandato. Prophetæ & Apostoli Dei mandato & inspiratione scripserunt. Ergo. *Minor* probatur secundum utramque partem: *Mandato* Dei scripserunt in V.T. Moses, *Exod* 17. v. 14. *cap.* 34. v. 27. *Deut.* 31. v. 9. *& passim.* Esaias, *cap.* 8. v. 1. Jeremias, *cap.* 30. v. 2. *&* 36. v. 2. 28. Habacuc; *cap.* 2. v. 2. In N.T. Johannes, *Apoc.* 1. v. 11. quod undecies deinceps repetitur. *Inspiratione* etiam; quia *acti à Spiritu Sancto loquuti sunt sancti Dei homines*, voce & scripto, 2. *Petr.* 1. v. 21. *collato cum*, v. 19. 20. *Romanor.* 1. v. 2. quorum omnis scriptura θεόπνευστος, *divinitus inspirata* esse dicitur 2. *Timoth.* 3. vers. 16.

II. Quod

II. Quod necessarium fuit Apostolis; id fortuitis occasionibus absque Dei mandato, adducti non fecerunt. Ut scriberent doctrinam suam fuit ipsis necessarium. Ergo. *Minor* est Apostoli *Judæ* v.3. *Necessum habui scribere ad vos hortandos. Majoris* consequentia patescit ex oppositione Necessitatis & Contingentiæ Nam quod necessarium est ex præcepto, non est contingens absque præcepto. Quod necessarium fuit Apostolis in fungendo Apostolatu, ex Christi præcepto necessarium fuit; quo tum Apostolatus, tum modus ejus fuit imperatus *Matt.* 28.v.18.19.20. *& alibi.* Ergo. Quia necessarium fuit ipsis ut scriberent.

Rationes Pontificiorum.

Rationes *Affirmantes Heterodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

I. Qui doctrinam religionis ex professo literis consignare volunt, Catechismum aut similem librum conficiunt. Apostoli non confecerunt Catechismum aut similem librum; sed vel historiam scripserunt vel epistolas, ubi disputationes de dogmatibus obiter tantùm tractantur. Ergo. *Resp.* *Major* apertâ laborat. *Minor* autem falsa est utroque membro. *Negante*: quia confecerunt Catechismum Apostoli, tum magnum in integris Epistolis *ad Romanos, Ephesios, &c.* tum parvum in recensendis summis ejus capitibus; quæ sunt Resipiscentia & Fides, *Marc.* 1.v.15. Fides & Charitas, 2.*Tim.* 1.v.13. *Tit.* 3.v.8. Resipiscentia, Fides, Sacramenta, Resurrectio & Judicium *Heb.* 6.v.1.2. *Affirmante*: quia in historia & exemplis disputationes de dogmatibus non obiter sed ex professo explicantur, ut in *Euangelio Iohannis*, in epistolis Pauli *ad Romanos, Galatas, Hebræos,* aliisque videre est. Quia non scripserint summam religionis.

II. Quod neque omnes Apostoli conjunctim, neque singuli sejunctim fecerunt, id muneris ipsorum non fuit. At neque omnes conjunctim scripserunt communem doctrinæ formulam, neque singuli sejunctim doctrinam Euangelicam scriptam ediderunt, cum tamen curam alicujus provinciæ singuli habuerint. Ergo. *Resp.* I. Negatur consequentia *Majoris*. Ratio est; quia quod muneris erat Apostolici ex Christi institutione, id tamen pro Dei voluntate, quam vel ex revelatione Spiritus, vel ex opportunitate occasionum cognoscebant Apostoli, ipsis administrandum fuit, tam in prædicando, quàm in scribendo? Hac itaque alii prædi- Quia nec omnes Apostoli conjunctim, neque singuli sejunctim, scripserint.

prædicarunt tantum; alii prædicarunt simul & scripserunt, utrique autem muneri suo satisfecerunt. II. *Minor* falsa veris miscet in utroque membro. In *primo*; quia Apostolos communem doctrinæ formulam ante sui dispersionem non scripsisse, verum est: At nihil omnino scripsisse, falsum: cum constet exaratam ab ipsis fuisse epistolam synodicam, quæ est *Actor.* 15. In *secundo*; quod singuli doctrinam Euangelicam scriptam non ediderint, iterum verum est: Nam ex apostolis septem non scripserunt. Quod vero curam certæ alicujus provinciæ habuerint singuli, falsum: cum constituti sint à Christo doctores universales *Matth.* 28. vers. 19. 20.

Ex Natura *Prædicati*:

Quia scriptio Apostolis non sit imperata.

I. Quod nec Christus præcepit Apostolis, nec ipsi ex mandato ejus fecisse se testantur; id absque mandato ejus fecerunt. Vt scriberent verbum Dei, nec Christus præcepit Apostolis, nec ipsi testantur fecisse se ex ejus mandato. Ergo. *Resp.* Falsitas *Minoris* ex ante dictis manifesta est. Præcepit hoc eis partim *verbo* suo & quidem *tum* generatim, jubens eos διδάσκειν *Matt.* 28. v. 19. quovis modo, pro re natâ, sive voce, sive scripto; *tum* speciatim Iohanni denuncians, ut in libro scribat visiones suas, *Apoc.* 1. v. 11. partim *inspiratione*, quâ ad scribendum eos instruxit & excitavit. Ipsi quoque testantur fecisse se illud ex Dei mandato, Iudas v. 3. Paulus 1. *Cor.* 9. v. 16. Iohannes *Apoc.* 22. v. 18. 19.

Quia ex oblatæ occasionis necessitate scripserint.

II. Qui ex oblata occasione, illiusq; necessitate scripserunt, non scripserunt sponte sua & ex instituto; quod videlicet hujus rei mandatum haberent. Apostoli ex oblatâ occasione, ejusq; necessitate scripserunt, ut de quatuor Euangelistis testatur Eusebius. Ergo. *Resp. Major* inconsequens & falsa est ex oppositione subordinatorum. Imo scripserunt Apostoli & mandato Christi, tanquam causâ impulsivâ principali, & occasione oblatâ tanquam causâ impulsivâ secundariâ & minus principali: quâ occasione uti sciverunt ad gloriam Dei & proximi ædificationem; planè sicut Christus & Apostoli ex mandato simul & occasione prædicarunt, quod non negat sed affirmat Eusebius *lib.* 3. *hist. cap.* 21. causam scriptionis ex Lucâ edisserens historiæ Euangelicæ ἀσφάλειαν *Luc.* 1. v. 4.

Secun-

SECVNDA sic habet: *An auctoritas Scripturæ quoad nos dependeat à testimonio Ecclesiæ?* Pontificii affirmant *Bell. lib. 2. de conciliis cap. 12.* Nos negamus.

Secunda: Pontificiorum. Scripturæ autoritas quoad nos dependeat ab Ecclesiæ testimonio? Status Controversiæ.

Hujus Controversiæ statum Pontificii vetustiores in hunc modum proposuerunt: *An auctoritas Scripturæ dependeat à testimonio Ecclesiæ? & An major sit Ecclesiæ quàm Scripturæ auctoritas?* atque etiam sententiam affirmantem simpliciter defenderunt. *Eckius in Enchiridio cap. 1. Pighius lib. 1. de Hierarchia Ecclesiastica cap. 2. Hosius lib. 2. de auctoritate Scripturæ pag. 197.* Quod crudè nimis crasséque dictum animadvertentes recentiores, adhibitâ distinctione ita mentem suam declarant, ut Scripturam absolutè & in se etiam sine Ecclesiæ testimonio divinam esse concedant; relatè autem & quoad nos velint non alio quam solius Ecclesiæ testimonio ut divinam nobis innotescere, & à nobis agnosci ac suscipi. Vide *Bellarm. lib. 2. de conciliis cap. 12. & Stapletonum de auctoritate Ecclesiæ lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 19.* item *lib. 9. Doctrinalium principiorum cap. 1.* Ecclesia vero illa ipsis non est universitas credentium, sed cœtus præsulum, non eorum modo qui, coætanei Apostolis αὐτόγραφα ipsorum apud se deposita viderunt, sed etiam sequentium, & qui in hunc usque diem vivunt, *Stapletonus lib. 9. Doctrin. principior. c. 12. 13.* imo Pontifex Rom. solus, ex sententiâ *Bellarmini lib. 2. de Conciliis cap. 17.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Rationes Negantes Orthodoxæ.

I. Auctoritas Scripturæ quoad nos dependet ab ejus auctore. Ecclesia non est auctor Scripturæ. Ergo. *Minor* patet ex dicto Apostoli *2. Tim. 3. v. 16.* *Major* ex notatione vocis; & sic insuper confirmatur: I. Omne testimonium auctoritatem suam habet apud nos ab auctore. Scriptura est testimonium auctoris Dei. *Esa. 8. v. 20. Ioh. 5. v. 39.* Ergo. II. A quo dependit auctoritas Verbi Dei voce prolati, ab eodem dependet auctoritas ejusdem verbi scriptis consignati, id est, Scripturæ sacræ. Atqui auctoritas Verbi voce prolati dependit ab auctore Deo. Ergo. *Minor* per se manifesta est; quia Dei olim cum patribus ἀμέσως loquentis

Quia Scripturæ autoritas dependet ab ejus autore.

ver-

verbum non aliâ, quam ipsis auctoritate commendatum & receptum fuit. Manifesta quoque *Majoris* consequentia; quia verbum Dei non est aliud atque aliud, *Gal.* 1.v.7. sed unum & idem quocunque etiam modo reveletur; nec scriptio de auctoritate ejus quicquam detraxit *Joh.* 1.v.39.47.2.*Pet.* 1.v.19.20. III. A quo nobis persuadetur & obsignatur Scripturæ veritas, ab eodem auctoritas Scripturæ quoad nos dependet. Ab auctore ejus Spiritu Sancto, 2.*Pet.* 1.v.20.21. nobis persuadetur & obsignatur Scripturæ veritas *Johan.* 16.v.13.1.*Joh.* 2.v.20.*cap.* 5.v.6.2. *Cor.* 1.v.22. *Ephes.* 1.v.13. Ergo.

Quia Scriptura autoritatem ex se habet sufficientem.

II. Quod apud nos Scriptura sufficienter ex se habet; id ab Ecclesiæ testimonio minimè dependet. Auctoritatem divinam Scriptura sufficienter ex se habet. Ergo. *Minor* probatur. I. In genere: Verbum Dei auctoritatem divinā apud nos sufficienter ex se habet. Scriptura est verbū Dei. Ergo. *Minorem* recte asserit *Bellarminus* contra fanaticos *lib.* 1.*de Verb. Dei cap.* 2. *Majorem* his testimoniis Nos asserimus: *Heb.* 4.v.12. *Verbum Dei vivum, efficax penetrantius &c.* 1.*Cor.* 2.v.4. adjunctam sibi habens *demonstrationem spiritus & potentiæ* 1.*Thes.* 2.v.13. *Efficaciter in hominibus agens*; usq; adeo, ut *infidelis* etiam *aut idiota, illud audiens, procidens in faciem, auctorem illius Deum agnoscat* 1.*Cor.* 14.v.24.25. II. In specie: Quod continet in se doctrinæ genus divinum, styli divinam majestatem, doctrinæ divinum consensum; id auctoritatem divinam apud nos sufficienter ex se habet. Scriptura continet in se doctrinæ genus divinum, styli divinam majestatem, doctrinæ divinum consensum. Ergo. *Minor* alibi declarata est. *Maior* procedit à propriis adjunctis ad proprium subjectum, à notis infallibilibus sive criteriis ad rem notatam.

Quia Scriptura autoritatem omnem Ecclesiæ conciliat.

III. Quod auctoritatem omnem Ecclesiæ apud nos conciliat, ejus auctoritas à testimonio Ecclesiæ quoad nos minimè dependet. Scriptura auctoritatem omnem Ecclesiæ apud nos conciliat. Ergo. *Major* certa est; quia auctoritas probans, non dependet ab auctoritate probandâ vel probatâ; nec causa à suo effecto. *Minor* sic ostenditur: Quod Ecclesiæ essendi & cognoscendi principium est, id auctoritatem omnem Ecclesiæ apud nos conciliat. Scriptura est Ecclesiæ essendi & cognoscendi principium. Ergo. Principium essendi; quia ex ea gignitur Ecclesia, *Luc.* 8.v.11. *Jac.* 1.v.18.1.*Pet.* 1.v.23. cognoscendi; quia per eam naturam suam, proprietates, & privilegia demonstrat; atque ex eâ

ex eâ solâ Pontificii, quam tribuunt Ecclesiæ suæ infallibilitatem accersunt *Matt.*18.v.17.*Ioh.*16.v.13.1.*Tim.*3.v.15.

Ex natura *Prædicati:*

I. Auctoritas Scripturæ quoad nos non dependet à testimonio fallibili, vario, humano, & ipsâ multis modis inferiore. Testimonium Ecclesiæ est fallibile, varium, humanum, ac ipsa Scriptura multis modis inferius. Ergo. Consequentia *Majoris* evidens ac firma est. Nam alioquin nunquam certa apud nos erit Scripturæ auctoritas; fides Scripturæ fundata erit super *arenam*, non super *petram*, *Matth.*7.v.24.26. cum effectus nobilior esse causa sua nequeat. *Minor* confirmatur per partes: *Fallibile* est testimonium Ecclesiæ; quia non necessariæ sed contingentis est veritatis *Rom.*3.v.4.*Varium*; quia Ecclesia tum de integris Scripturæ libris, tum de particularibus ejus locis variè & dubitanter olim pronunciavit, atque etiam nunc pronunciat: quod infinitorum exemplorum inductione docere haud est difficile. *Humanum*; quia præsulum Ecclesiasticorum testimonium humanum est. Testimonium Ecclesiæ est præsulum Ecclesiasticorum testimonium. Ergo. *Minor* est Pontificiorum. *Major* sic probatur: Testimonium hominum à Deo immediatè ipsis non inspiratum, humanum est: patet; quia testimonium divinum, propriè dictum, id tantum est quod à Deo inspiratum est. Testimonium præsulum Ecclesiasticorum non est ipsis immediatè à Deo inspiratum: fatente *Bellarm.lib.*2.*de Concil.cap.*12. Ergo. Denique ipsâ *Scripturâ multo inferius* est: Probatur. I. *Hominum testimonium multo inferius est testimonio Dei* 1.*Ioh.*5.v.9. Testimonium Scripturæ Dei, Ecclesiæ hominum est testimonium. Ergo. II. Iohannis testimonium inferius est testimonio Scripturæ ex assertione Christi *Ioh.*5.v.36. Ergo multo magis testimonium Ecclesiæ.

Quia Ecclesiæ testimonium fallibile varium, humanum est, & Scriptura inferius.

II. In quod fides nostra non resolvitur: ab eo auctoritas Scripturæ quoad nos minimè dependet. In testimonium Ecclesiæ fides nostra non resolvitur. Ergo. *Major* patet; quia fides nostra resolvitur in Scripturam; Si igitur ea aliunde dependet, in id magis resolvetur; juxta illud: propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est. *Minor* probatur: I. Quod non est fidei nostræ principium, in id fides nostra non resolvitur. Testimonium

Quia fides nostra non resolvitur in testimonium Ecclesiæ.

Ecclesiæ non est fidei nostræ principium. Ergo. Utraque propositio certa est, ex naturâ principii; quod immediate & immutabiliter verum est, à quo primum incipit fides nostra, & in quod postremum terminatur. II. In quod fides Præsulum sive Clericorum resolvi non potest, in id etiam non resolvitur fides Laicorum; nisi alia sit istorum, quàm horum fides. In testimonium Ecclesiæ fides præsulum resolvi non potest, Ratio; quia ipsi sunt Ecclesia: testimonium Ecclesiæ est testimonium ipsorum, fides autem resolvi nequit in testimonium proprium. Ergo.

Quia testimonium Ecclesiæ ministeriale est.

III. Cujus testimonium ministeriale tantum est Scripturæ, ab eo non dependet Scripturæ auctoritas. Testimonium Ecclesiæ tantum est Scripturæ ministeriale. Ergo. *Major* in confesso est. *Minor* ita demonstratur: I. Præsulum testimonium Scripturæ tantum est ministeriale 1. *Cor*.3.v.5.2.*Cor*.5.v. 18.19.20. 1. Pet.5.v.3. Testimonium Ecclesiæ est præsulum testimonium, ex sententiâ Pontificiorum. Ergo. II. Qui tantum custodit, discernit & promulgat Scripturam, eamque per seipsam interpretatur; ejus de Scripturâ testimonium tantum est ministeriale. Ecclesia tantum custodit, *Rom*.3.v.2.1.*Tim*.3.v.15. discernit, *Heb*.5.v.14. & promulgat Scripturam, *Matt*.28.v.19. eamque *per se ipsam* interpretatur *Rom*.12.v.6.2.*Pet*.1.v.20. *Nehem*.8.v.9. Ergo.

Affirmantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum: *Bellarm.* lib.4. de verbo Dei cap.4. *Stapleton* l.9. Doctrin. princip.c.4. & seqq. *ac aliorum.*

Ex natura *Subjecti*:

Quia autoritas Scripturæ per ipsammet probari nequeat.

I. Quod per Scripturam probari nequit, id à Scripturâ non dependet. Auctoritas Scripturæ per Scripturam probari nequit. Ergo. *Minorem* negatam à nobis ita confirmant: *Primò*. Idem per se ipsum probari nequit. Ratio; quia probatio omnis est ex notioribus. Scriptura est eadem, homogenea. Ergo. *Resp. Major* non est vera universaliter. Saltem vera non est de Deo, qui ex luce illâ inaccessâ optimus de se testis est 1.*Tim*.6.v.16.*Ioh*.1.v.18. Unde Christus *Ioh*.8.v.14. *Etiamsi ego testor de meipso, tamen verum est testimonium meum.* Vera quoque non est de verbo Dei in Scripturâ tradito, quod & ipsum optimè de se testatur, tanquam prima & infallibilis veritas. Alioquin Sacerdotes & Levitæ, *Neb*.8.v.9. Christus,

ſtus, *Luc.*4.v.17. *& ſeqq.* Apoſtoli, *Act.*2.3.4. *capp.* verbum Dei per Scripturam declarantes peccarunt Elencho petitionis principii. Nec excuſari ab eo poteſt Bellarminus, qui *lib.*1. *de verbo Dei cap.* 2. divinam & canonicam Scripturæ auctoritatem per Scripturam contra fanaticos demonſtrat. *Ratio Majoris* ambigua eſt. Notius aliquid dicitur φύσει καὶ ἡμῖν. Natura ſive in ſe, & Nobis. *Naturâ* nihil Scriptura notius, nihil certius eſt; ut quæ fidei noſtræ principium eſt. *Nobis* autem aut pars aliqua Scripturæ ignota, incerta eſt, aut Scriptura tota. Si *pars*, probatur ea ex partibus jam ante notis & certis, cum partes omnes ſint homogeneæ, ab eodem ſpiritu quoad res & verba profectæ, 2. *Tim.*3. v.16. atque ita probatio eſt ex notioribus. Sin *tota*, jam quia Scriptura principium eſſe deſinit, probationes quoque inde non petuntur, verum aliunde adducuntur. *Secundò.* Epiſtolarum Paulinarum auctoritas per Scripturam probari non poteſt. Epiſtolæ Paulinæ ſunt Scriptura. Ergo. *Reſp. Major* falſa eſt; probatur illarum auctoritas, tum ex aliâ Scripturâ, quæ eſt *Pet.* 2. *epiſtol.* 3. v. 16. eas reliquis Scripturis diſerté æquantis, tum ex ipſiſmet. Nam quia criteria oſtendunt Scripturæ Canonicæ, Canonicæ ſunt; quia titulum, ſtylum, *ſignaculum* 2. *Theſſ.* 3. v. 17. Pauli habent, Paulinæ.

Quia Criteria Scripturæ nihil valeant ad oſtendendam ejus autoritatem.

II. Quod nihil valet ad oſtendendam Scripturæ auctoritatem, ab eo auctoritas Scripturæ non dependet. Criteria Scripturæ nihil valent ad oſtendendam ejus auctoritatem; I. quia Turca in Alcorano, Judæus in Cabala, gentilis in Jamblicho non minus majeſtatis, invenire ſe exiſtimat in verbis, quàm Chriſtianus in Bibliis; & plenior majeſtate ſtylus, reſque graviores eſſe videntur in libro Sapientiæ, quam in libro Ruthæ. II. quia ſola Eccleſia de criteriis poteſt judicare. Ergo. *Reſp. Minor* falſa eſt. Si enim criteria Scripturæ profanæ, puta Demoſthenis aut Ciceronis, auctores ſuos oſtendunt, quidni ſuum oſtendat ſcriptura θεόπνευστος eoque auctoritatem ſibi conciliet? *Ratio Minoris* utraque nihil valet. Non *prima* I. quia non ex uno aliquo criterio ſejunctim, ſed ex omnibus conjunctim Canonicam Scripturæ auctoritatem aſſerimus. II. quia procedit ab ipſâ re ad opinionem hominum; ab internis eſſentialibus ad externa accidentalia. Videri ita poteſt homini ψυχικῷ quemadmodum cæco ipſa lux meridiana caligo videtur: at minime eſt, neque videtur etiam ſpirituali, qui ſenſus habet exercitatos ad diſcretionem majeſtatis divinæ in ſermone, &

 elo-

eloquentiæ humanæ. Liber *Ruthæ* Hebraicè ſcriptus, & in N. T. confirmatus eſt *Matt*. 1. v. 5. Liber *Sapientiæ* neque Hebraicè ſcriptus, neque in N. T. confirmatus eſt: inſuper falſa quædam continet. Ille igitur, non hic, ad V. T. canonem pertinet. Non *ſecunda* propter ambiguitatem vocis Eccleſiæ. Nam ſi accipitur repræſentativè ex mente Pontificiorum, de ſolis præſulibus, falſa eſt: cum laicis etiam diſcretionis judicium tribuant Scripturæ dicta, 1. *Cor*. 12. v. 9. *Cap*. 10. v. 15. *Ioh*. 10. v. 4. 5. 1. *Ioh*. 4. v. 1. & exempla, *Act*. 17. v. 11. Si autem collectivè pro paſtoribus & ovibus, jam diſceditur à ſtatu controverſiæ; & ne ſic quidem propoſitum concluditur.

Quia de Scripturæ autoritate non omnes conſentiant.

III. De quo conſtat ex Spiritus S. teſtimonio, de eo omnes ſpiritum illum habentes conſentiunt. De auctoritate Scripturæ non omnes conſentiunt: Nam Calviniſtæ omnes libros N. T. habent pro divinis, Lutherani non habent, qui tamen Spiritu S. præditi eſſe volunt videri. Ergo. *Reſp*. I. Negatur connexio *Majoris*, Quia Spiritus Sanctus ut non datur omnibus æquali menſura, 1. *Cor*. 12. v. 11. *Eph*. 4. v. 7. ita nec omnes æquali cognitionis luce, tam quoad principium religionis, quam quoad ejus dogmata perfundit, nec æquali efficacia ad aſſenſum permovet. II. Ad *Minorem*: Lutherani *ſecundam Petri*, *ſecundam & tertiam Iohannis*, *epiſtolam ad Hebræos*, *Iacobi*, *Iudæ*, *Apocalypſin Iohannis*, vocant quidem Eccleſiaſticas & dubiæ originis eſſe cenſent; interim eandem fere cum Scripturis Canonicis auctoritatem ipſis tribuunt, ſaltem plerique. Sed ex *Majore* aliter ſubſumamus: De auctoritate Scripturæ cum alii præſules Rom. tum maxime duo cardinales *Cajetanus* & *Bellarminus*, non conſentiunt; nam ille libros Apocryphos cum Hieronymo extra Canonem ponit, hic in Canonem recipit. Et ſtabit concluſio contra ipſos.

Ex natura *Prædicati*:

Quia ſolius Scripturæ teſtimonio Deus Scripturæ & Alcorani Deus dignoſcatur.

I. Quo ſolo dignoſci poteſt Deus Scripturæ & Deus Alcorani, ab eo ſolo pendet auctoritas Scripturæ. Solius Eccleſiæ teſtimonio dignoſci poteſt Deus Scripturæ & Deus Alcorani. Ergo. *Reſp*. *Minor* non modò falſa, verum etiam blaſphema eſt. Falſa quidem: Nam teſtimonium Eccleſiæ neque ſolum eſt, quia in & extra Scripturam multa habentur alia; neque principale, quia

Deus

Deus Scripturæ in ipsa Scripturâ & in cordibus fidelium longè certius id testatur; sed tantum ministeriale & secundarium; apud infideles quidem, ut credere incipiant, apud fideles autem ut porrò credant *Ioh.* 4. v. 39. 41. Blasphema autem, quia quoad nos nihilo plus divinitatis tribuit Scripturæ Sacræ, quam impio Alcorano; nec plus fidei haberi vult Deo in Scriptura loquenti, quàm Mahometi Deum in Alcorano loqui mentienti. *Instantia Bellarmini:* Etsi Scriptura hoc dicat, scil. Deum loqui, non tamen certò id credam, nisi prius credidero hanc Scripturam esse divinam. *Resp.* Atqui & hoc de Scriptura testatur Deus, eam vocans θεόπνευστον 2. *Tim.* 3. v. 16. Annon divinum quod θεόπνευστον? quod tam apertis Scripturæ divinæ criteriis insignitum? Sed seipsum abundè refellit Bellarminus *lib.* 1. *de Verb. Dei cap.* 2. pro Scriptura contra fanaticos ita concludens: Si veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum, ut eventus postea comprobavit, cur vera non sint rerum præsentium testimonia? Verum igitur quod ait David: *Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam* 2. *Sam.* 23. v. 2. Verum quod ait Petrus, *Spiritu S. inspirati loquuti sunt, Sancti Dei homines*, 2. *Pet.* 1. v. 21. & Paulus, *omnis Scriptura divinitus inspirata* 2. *Tim.* 3. v. 16. Verum denique id quod omnes Prophetæ identidem repetunt, *Hæc dicit Dominus.* Quem vertiginis & contradictionis spiritum notasse est refutasse. *Inst.*

II. Cujus judicio Canon Scripturæ constitutus est, ab eo auctoritas Scripturæ dependet. Judicio Ecclesiæ Canon Scripturæ constitutus est. Ergo. *Minorum* negatam probant. *In genere* sic: Certissimo Judicio Canon Scripturæ constitutus est. Ecclesiæ judicium est certissimum judicium; quia per eam & non aliter nos docet Deus. Ergo. *Resp.* Falsa est tum *Minor*, tum *ratio* ejus. *Illa*, quia certius omnino est Judicium Dei in Scriptura loquentis, 1. *Ioh.* 5. v. 9. *Iohan.* 5. v. 36. *& seqq.* atque ita ipsius Scripturæ, ut quæ immediatè ab ipso *inspirata* est 2. *Tim.* 3. v. 16. *Ista*, quia docet nos quidem Deus per Ecclesiam *Matth.* 28. v. 19. 20. eamque audiri vult, *cap.* 18. v. 17. sed non tantum, verum insuper per Scripturam, *Rom.* 15. v. 4. 2. *Timoth.* 3. v. 16. & Spiritum Sanctum, *Ioh.* 14. v. 26. qui est, *unctio illa docens omnia* 1. *Ioh.* 2. v. 27. *In specie* sic: Judicio Ecclesiæ libri Prophetarum alii Canonici sunt, alii non Canonici; item Libri Apocryphi primi generis recepti sunt in Canonem, secundi generis

Quia Ecclesia constituerit Canonem Scripturæ.

non recepti. Hoc verò est Canonem Scripturæ constituere, Ergo. *Resp.* Falsa *Major* secundum utrumque membrum. Ecclesiæ ministerium in custodiendis, discernendis, promulgandis, & explicandis libris Canonicis agnoscimus: Dominium in iis mutandis, augendis, minuendis non agnoscimus. *Ratio* est; quia non potest illa jure ullo mutare voluntatem Dei, aut normam cultus in Scriptura revelatam. Proinde Canonici sunt libri Prophetarum, non Ecclesiæ Judicio, sed Dei testimonio; non aliqui, sed omnes, quotquot Scripturæ Propheticæ criteria habent. Libri verò Apocryphi primi generis non magis sunt Canonici, quàm qui secundi generis esse dicuntur, ut infra ostendetur. Et quod Concilium Tridentinum eos recepit in Canonem, facti id est Antichristiani, non juris Christiani.

Quia Ecclesia sit Scripturâ antiquior.

III. Quod antiquius est Scriptura, ab ejus testimonio auctoritas Scripturæ dependet. Ecclesiæ antiquior est Scriptura; quia illa fuit inde ab initio, hæc demum cum Mose cœpit. Ergo. *Resp. Major* nec universaliter, nec necessariò vera est; cum non semper recentius dependeat ab eo quod est antiquius. Christus recentior fuit Johanne Baptista ortu, *Luc.* 1. v. 26. & ministerio, *Matth.* 3. & 4. nec tamen ab eo dependit *Ioh.* 5. v. 36. *Minor* partim vera, partim falsa est. *Vera*; si consideretur secundum accidentalem revelationis modum per scriptionem: quo recentior est non omnium, sed illius duntaxat temporis Ecclesia, quæ ante Mosen fuit; ut ne sic quidem pro hodiernâ Ecclesiâ quicquam valeat. *Falsa*, si spectetur ipsa Verbi per scriptionem revelati substantia, quâ recentiorem Ecclesiam dicere, est plantam semine, sobolem matre, effectum causâ suâ antiquiorem statuere *Luc.* 8. *v.* 11. *Iac.* 1. *v.* 28. 1. *Petr.* 1. v. 23.

Controversiæ de *Materia* Scripturæ Sacræ tres sunt, prima *Anabaptistarum*: secunda & tertia *Pontificiorum*.

PRIMA

Tertia: Anabaptistarum. An Scriptura V.T. Christianis sit Canonica?

PRIMA: *An Scriptura V.T. Christianis sit & esse debeat Canonica, hoc est, non minus fidei vitæque regula, quàm Scriptura N.T.* Anabaptistæ id negant, *articulo primo Colloquii Frankothalensis.* Nos affirmamus.

Rationes nostræ.

Rationes Affirmantes Orthodoxæ.

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia V T. consilium Dei de nostrâ salute exponit.

I. Quæ Scriptura omne Dei consilium de nostrâ salute tam gentibus quàm Judæis verbis divinis exponit, ea Christianis est Canonica. Scriptura. V.T. omne Dei consilium de nostrâ salute tam gentibus quàm Judæis verbis divinis exponit. Nam Paulus qui *omne Dei consilium annunciavit* Ephesiis & aliis, *Actor.* 20.v. 27. *nihil* dixisse se profitetur *extra ea, quæ Moses & Prophetæ futura prædixerant cap.* 26.v.22. Idem testatur *per Scripturas Propheticas* notificatum esse gentibus Euangelium *Rom.* 16.v.27. Ergo.

Quia V.T. fidei Christianæ est objectum.

II. Quæ Scriptura fidei Christianæ objectum est, ea ipsis Christianis Canonica est *Rom.* 10.v.17. Scriptura V.Test. fidei Christianæ objectum est, ut docetur, *Ioh.* 5.v.39.46.47. *Luc.* 16.v.29. 2.*Petr.* 1.v.19. & exemplo suo docet Paulus, *Actor.* 24.v.14. credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt: & cum ipso omnes fideles *superstructi sunt super fundamentum Prophetarum & Apostolorum Ephes.* 2.v.10. Ergo.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia V.T. Christianis est fidei vitæque regula.

Quæ Scriptura Christianis fidei vitæque regula est, illa ipsis Canonica est. Scriptura V.T. Christianis fidei vitæque regula est. Ergo. *Major* firma est ex naturâ Conjugatorum. *Minor* probatur. In genere sic: Quæ Scriptura divinitus est inspirata ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem, consolationem, perfectionem dinique hominis ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu, ea fidei vitæque regula est. Atqui hæc omnia de Scriptura V.T. affirmat Apostolus 2.*Tim.* 3. v.16.17. *Rom.* 15.v.4. Ergo. In specie sic: I. Ex quâ Scripturâ Christus & Apostoli doctrinam suam, sive Legis, sive Euangelii, confirmarunt, & primi Christiani eam examinarunt,

runt, ea Christianis fidei vitæque regula est. Ex Scripturâ V.T. Christus & Apostoli doctrinam suam, sive Legis sive Euangelii, confirmarunt; ut passim videre est in Euangeliis & Actis: & primi Christiani inde eam examinarunt *Actor.* 17. vers. 11. Ergo. II. Ad quam Scripturam in N. T. à Christo & Petro remittimur, ea Christianis fidei vitæque regula est. Remittimur autem ad Scripturam V. T. à Christo, *Ioh.* 5. v. 39. *Luc.* 16. v. 29. & Petro, 2. *Epistol.* 1. v. 19. Ergo.

Negantes Heterodoxæ.

Rationes Anabaptistarum:

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia V. Test. Novo contrarium sit.

I. Scriptura Novo Testam. contraria, Canonica non est. Scriptura V. Test. est N. Test. contraria in doctrinâ de gladio, cæde, talione, jurejurando, *Matth.* 5. divortio *Matth.* 19. Ergo. *Resp.* Falsa *Minor*; quia *Verbum Dei non est Etiam & Non*, 2. *Cor.* 1. v. 18. 19. 20. & Spiritus Sanctus qui æquè locutus est in Prophetis, quam in Apostolis, 1. *Petr.* 1. v. 10 11. non magis sibi contradicere, quàm mentiri potest *Tit.* 1. v. 2. Exempla ex Matthæo impertinentia sunt. *Cap.* 5. Christus corruptelas Pharisaicas impugnat, non Legem Mosis, ut qui venisse se dicit, *non ut dissolvat Legem aut Prophetas, sed ut impleat* v. 17. *Cap.* 19. autem prohibendo divortium non Legem Dei, sed temporarium Mosis indultum tollit. Sed de his infra in loco de Lege agetur.

Quia servorum, Mosis &c. autoritas exolescat præsente Domino Christo.

II. Servi audiendi non sunt præsente Domino. Moses & Prophetæ fuerunt servi, Christus Dominus & filius familias *Hebr.* 3. v. 5. 6. Ergò. *Resp.* Si vera *Major*, jam non magis audiendi Apostoli, quàm Moses & Prophetæ, cum utrique servi fuerint in domo Dei. Non audiendi servi præsente Domino, si testentur aut injussu ejus, aut contra eum; nam jussi docere debent *quæ ipsis præcepit Matth.* 28. v. 19. At audiendi, si ex mandato ejus testentur de ipso. Quod non minus fecerunt Moses, *Iohan.* 5. v. 46. & Prophetæ, *Actor.* 10. v. 43. quam Apostoli, *Marc.* 16. v. 15. 20. *Instantia Prima: Christus solus audiendus mandato Patris*, *Matth.* 17. v. 5. tanquam *magnus ille Propheta Deut.* 18. v. 15. 16. *Resp.* Datur: quia solus est magnus ille Propheta, *Act.* 3. v. 22. & *filius in domo Dei Heb.* 3. v. 6. Sed & servi, jubente ipso, audiendi sunt ut servi: quos qui audit, ipsum audit *Luc.* 10. v. 16. Jussit verò ut eos audiamus *Luc.* 16. v. 29. *Habent Mosen &*

Inst. 1.

Pro-

Prophetas, audiant eos. Instantia Secunda. Hoc est à Christo ad Mosen retrogredi. *Resp.* Imo est à Mose ad Christum progredi, qui *pædagogus est ad Christum*, *Gal.* 3. v. 24. ejusque testimonio in fide Christi confirmari; cum ipse sit qui testatur de eo *Ioh.* 5. v. 46. *Inst.* 2.

Ex naturâ *Prædicati:*

I. Quod abrogatum est, non est Canonicum & obligatorium. Scriptura V. Test. abrogata est. Ergo. *Minorem* negatam probant. *Primo*: Velamen Mosis per Christum tollitur. 2 *Cor.* 3. v. 14. Ergo & lex Mosis. *Resp.* Negatur sequela: quia aliud Lex Mosis, aliud velamen cordi Judæorum impositum; quod non Mosis ex Ecclesiâ exturbatione, sed ipsorum illuminatione & ad Christum conversione tolli dicitur v. 16. *Secundò*: Finis legis est Christus *Rom.* 10. v. 4. Ergo illa jam finem suum habet. *Resp.* Habet sanè quoad typos & ceremonias, quarum ipse *corpus* est, *Coloss.* 2. v. 17. & *veritas*, *Iohan.* 1. v. 17. minimè verò quantum ad doctrinam & obedientiam moralem *Matth.* 5. v. 20. *Tertiò*: *Lex & Prophetæ usque ad Iohannem prophetârunt Matt.* 11. v. 13. Ergo ab eo tempore jam exoleverunt. *Resp.* Prophetârunt usque ad Johannem de Christo venturo, ut prænuncii; Johannes autem præsentem digito ostendit, dicens: *Hic est agnus ille Dei Ioh.* 1. v. 29. Quid verò hinc? Nihil aliud, quàm non exstitisse novas de Christo venturo Prophetias, aut etiam figuras, sed complementum antecedentium secutum esse.

Quia V. T. sit abrogatum. 1. 2.

II. Quod nec necessarium, neque perfectum est, id Canonicum non est. Scriptura V. T. nec necessaria est; quia N. T. sufficit: neque etiam perfecta; quia perfectio ejus cœpit demum cum Christo. Ergo. *Resp. Minor* falsa est utroque membro. Ratio prioris inconsequens; quia dedit Deus Scripturas plures non modò ad salutis sufficientiam, sed etiam ad majorem fidei ἀσφάλειαν *Phil.* 3. v. 1. 1 *Ioh.* 1. v. 4. Posterioris ambigua; quia etsi perfecta demum cum Christo complemento typorum & vaticiniorum, partibus tamen doctrinæ necessariæ inde ab initio perfecta fuit *Deut.* 4. v. 2. *cap.* 12. v. 32. *Psal.* 19. v. 8.

Quia V. T. nec necessarium sit, nec perfectum.

Quarta: Pontificioru. *An libri, quos Apocryphos dicimus, sint verè Canonici?*

SECUNDA: *An Libri*, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo priores Maccabæorum, Baruch, additiones ad Estheram, & Danielem, *sint verè Canonici?* Pontificii affirmant, *Bellarm. lib.* 1. *de Verb. Dei à cap.* 7. *ad* 16. Nos Negamus, eosque universos ac singulos Apocryphos esse pronunciamus.

Rationes Negantes Orthodoxa.

Rationes Nostræ.

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia falsa, superstitiosa, impia continent.

Qui libri falsa, superstitiosa, impia continent, Canonici non sunt. Libri supradicti falsa, superstitiosa, impia continent, Ergo. *Major* certæ est veritatis ex illo Apostoli: *Tota Scriptura divinitus est inspirata* 2 *Tim.* 3. v. 16. *Minor* demonstratur de singulis libris. In libro *Tobiæ* mendacium Angelo tribuitur, qui *cap.* 5. v. 15. se dicit Azariam Ananiæ filium; *Cap.* 12. v. 15. autem Raphaëlem, angelum Domini ex septem. *Cap.* 6. v. 9. & 8. v. 2. eidem tribuitur consilium Magicum de fugando dæmone fumo piscini epatis, quo fugari possit omne genus dæmoniorum, contra illud Christi: *Hoc genus dæmoniorum non egreditur nisi precatione & jejunio Matth.* 17. v. 21. Idem sibi vendicat oblationem precum, uni Christo propriam *cap.* 12. v. 12. 15. Liber *Judith* nulli tempori satis convenit. Non ante captivitatem ætate Menassis aut Josiæ; quia populus Judaicus ignotus fuisse dicitur Holoferni Assyrio, *cap.* 5. v. 3. templum solo æquatum, v. 21. & diuturna pax cædem Holofernis sequuta esse *cap.* 16. v. 30. Quorum nihil recensetur in libro Regum & Chronicorum, sed omnia contraria. Non post captivitatem, quia inter Reges Persarum nullus fuit Nebucadnezar; nec Ninive sed Babylon Imperii Persici sedes erat. Deinde pugnat cum *Genes.* 49. v. 5. 6. dum facinus Simeonis & Levi laudat *cap.* 9. v. 2. Sicut etiam perjuria, obtestationes, simulationes Judithæ, quibus tamen benedici petit à Deo, ab omni pietate & honestate alienæ sunt Liber *Sapientiæ* de tyrannide hostium conqueritur, *cap.* 15. v. 14 quam non expertus est populus sub Salomone: & falsa narrat de μετεμψυχώσει Pharisaicâ, *cap.* 8. v. 20. de origine Idolorum,

cap.

cap. 14. v. 15. 16. de cæcitate Sodomitarum *cap.* 19. verſ. 16. Liber *Eccleſiaſtici* falſa narrat de Samuele poſt mortem Prophetante, *cap.*46. v. 23. de Elia corporaliter reverſuro *cap.* 48. v. 10. Et auctor ejus *Siracides* hallucinationes ſuas in prologo excuſat. Libri *Maccabæorum* pugnant & cum libris Canonicis, & inter ſe. Cum illis in Eleazari & Raziæ αὐτοχειρίᾳ laudata, *lib.* 1. *cap.* 6. *lib.* 2. *cap.* 14. in narrationibus de ſacro igne, arca, tabernaculo in monte à Jeremia abſconditis *lib.* 2. *cap.* 2. Item de ſacrificio pro mortuis curato *lib.* 2. *cap.* 12. Inter ſe, quia contraria referuntur de morte Antiochi, *lib.* 1. *cap.* 6. v. 16. *&* *lib.* 2. *cap.* 1. v. 16. *&* *cap.* 5. v. 5. *&* *cap.* 9. v. 5. 28. de morte Judæ, *lib.* 1. *cap.* 9. v. 3. 18. *&* *lib.* 2. *cap.* 1. v. 10. de purgatione templi, *lib.* 1. *cap.* 4. v. 36. *&* *lib.* 2. *cap.* 10. verſ. 3. *Additiones* ejuſdem generis ſunt. Baruch non eſt ſcriba Jeremiæ, cujus mentio, *Jerem.* 36. verſ. 4. ſed Græculus, contra Jeremiam ſeptuaginta annos exponens per ſeptem generationes *cap.* 6. v. 2. Septem capita *Eſtheræ* hiſtoriam priorem ita repetunt, ut apertiſſimè ei contradicant, de ſomnio Mardochæi, *cap.* 2. v. 16. *&* 11. v. 5. de cauſa odii Hamanis in Mardochæum, *cap.* 3. v. 5. *&* 12. v. 6. & de Hamanæ Agageo ſive Amalecita, *cap.* 3. v. 1. & Macedone *cap.* 16. v. 10. Sic quod de Ptolomæo & Cleopatra dicitur, *cap.* 11. verſ. 1. longe poſt demum evenit. *Danielis cap.* 13. & 14. item additamentum ad *cap.* 3. dramata habent & fabulas, Belis & Draconis : judicia capitalia in Babylone Judæis falsò, attribuunt; pugnant haud obſcurè cum libro Canonico in occaſione qua Daniel innotuit, *cap.* 2. in ætate & conditione ejus ſub Dario Rege *cap.* 6. v. 3. *&* 13. v. 45. *&* *aliis.*

Ex naturâ *Prædicati*:

Libri Canonici V. T. ſcripti fuerunt à Prophetis, ſermone Prophetico Hebræo; in Moſen, Prophetas, & Pſalmos diſtributi; ab Eccleſia Judaica recepti, & à Chriſto ejuſque Apoſtolis in confirmationem doctrinæ citati. Libri ſupradicti non ſunt ſcripti à Prophetis, ſermone Prophetico Hebræo; ad Moſen, Prophetas & Pſalmos non pertinent; nec recepti fuerunt ab Eccleſia Judaica, aut à Chriſto ejuſque Apoſtolis in confirmationem doctrinæ citati ſunt. Ergo. Utraque propoſitio probatur

Quia non ſcripti à Prophetis Hebraicè, non cum reliquis libris diſtributi, non à Judæis recepti, non in N. T. citati.

batur per partes. *Major.* Libri Canonici V. T. *primò* ſcripti ſunt à Prophetis, quia ſunt *Scripturæ Propheticæ*, *Rom.*16.v.26. *ſermo Propheticus*, 2 *Petr.*1. v.19.20. *Deinde* ſcripti ſunt ſermone Prophetico Hebræo, ut conſtat partim inductione omnium librorum citra controverſiam Canonicorum, partim ex fine ſcriptionis, qui fuit populi Hebræi inſtitutio: *Tertio* diſtributi ſunt in *Moſen*, *Prophetas* & *Pſalmos*; vel ipſius Chriſti teſtimonio, *Luc.* 24. v. 44. quo cum planè concordat vetus illa Hebræorum diſtributio in תורה נביאים וכתובים, in Legem, Prophetas & Hagiographa: *Quartò* recepti fuerunt ab Eccleſia Judaica; huic namque concredita *eloquia Dei*, *Roman.* 3. verſ. 2. in Scripturis Sanctis, *cap.* 1. v. 2. quæ ſi non univerſa accepiſſent, nunquam aut Chriſtus aut Apoſtoli tantum ſcelus tacuiſſent: *Denique* à Chriſto & Apoſtolis in confirmationem citati ſunt. In genere omnes, *Ioh* 5. v. 39. *cap.* 10. v. 35. *Rom.* 16. v.26. *Luc.*16.v.29. 31. *cap.* 24. v. 25. 27.44. In ſpecie plerique omnes: Geneſis, *Matth.* 19. v. 4. 5. 6. Exodus, *Matth.*5.v.21.27.33.38. Leviticus, *Gal.*3. v.12. Numeri, *Iohann.* 3. v. 14. Deuteronomium, *Actor.*3.v.22. Joſua, *Heb.*11. v.30.31. Judicum liber, *Heb.* 11. v.32. Ruth, *Matth.*1.v.3. liber primus Samuelis, *Matt.*12.v.3. liber ſecundus Samuelis, *Hebr.* 1. verſ. 5. liber primus Regum, *Matt.* 12. v. 42. ſecundus Regum, *Luc.* 4. v.27. primus Chronicorum, *Matth.*1. v.3.7.10.13. ſecundus Chronicorum, *Act.* 7. v. 48. Ezras, *Matt.* 1. v. 12. 13. Jobus, 1 *Corinth.* 3. v. 19. Pſalmi, *Actor.* 4. v. 25. Proverbia, *Hebr.*12. v.5.6.7. Eſaias, *Matth.*1.v.23. Jeremias, *Hebr.*10. v.16.17. Ezechiel, *Matth.* 25. v.35. Daniel, *Matth.*24. v. 15. Minores Prophetæ omnes, *Actor.* 7. v. 42. *cap.* 15. v.15.16. Hoſeas, *Matth.*12. v. 7. Joël, *Actor.*2. v. 12. Amos, *Actor.*15.v.16. Jonas, *Matth.*12.v.40. 41. Michæas, *Matth.* 10. v. 35. Nahum, *Rom.* 10. v.15. Habacuc, *Roman.* 1. v. 17. Haggæus, *Hebr.* 12. v. 26. Zacharias, *Matth.*21.v.5. Malachias, *Luc.*1.v.16.17. *Minor.* Primò: Libri illi non ſunt ſcripti à Prophetis. Nam ſcripti ſunt poſt Malachiam, qui non obſcurè teſtatur eſſe ſe Prophetarum ultimum, *Malach.* 3. v.22.23.24. *vel ut alii diſtinguunt cap.* 4. v. 4. 5. 6. Et ſcriptores Prophetas non fuiſſe conſtat ſaltem de pleriſque. Auctor *Iudithæ* fuit Iudæus ſuperſtitioſus *cap.* 8. verſ. 6. *Sapientiæ* Philo Iudæus, teſte Hieronymo; *Eccleſiaſticæ* Siracides, qui hallu-

hallucinationes suas in prologo excusat. *Macchabæorum* Epitomator quidam Iasonis Cyrenæi, Hieronymus Iosephum esse putat; qui non sine magno labore epitomen illam confecit *lib.* 2. *cap.* 2. vers. 24. *Additiones ad Danielem* LXX. non Danieli Prophetæ, sed alteri Habdæ, sacerdotis filio tribuunt. *Additiones ad Estheram* longè recentiores esse historiâ Canonicâ, patet ex *cap.* 11. *v.* 1. ubi Ptolomæi & Clopatræ mentio fit. Ac rectè omnino sentiunt, qui Judæos Hellenistas, per varias regiones extra Judæam dispersos, libros hosce pio studio conscripsisse, & præter Græcam Bibliorum versionem privatim usurpâsse affirmant. *Deinde* : scripti non sunt sermone Prophetico Hebræo, sed Græco : ut apud omnes in confesso est, & dictio Græcanica docet, quæ alicubi etiam Gentilismum redolet, ut *Judith.* 16. vers. 8. & alibi. *Tertiò* : Ad Mosen, Prophetas, & Psalmos non pertinent; quia non fuerunt in Canone Hebræo, qui in hos libros dividitur. Quicquid autem sub nullo membrorum dividentium continetur, ad divisum quoque non pertinet. *Quartò*: Recepti non fuerunt ab Ecclesiâ Judaicâ. Illa siquidem eos tantùm libros recepit, qui erant in Canone Hebræo. At hi libri non fuerunt in Canone Hebræo. Ergo. Quod ajunt, non receptos quidem, attamen nec rejectos vanum est. Nam qui Verbum Dei non recipit, illud rejicit. *Qui non est mecum*, inquit Christus, *Luc.* 11. *v.* 23. *contra me est.* *Postremò* etiam à Christo ejusque Apostolis in confirmationem doctrinæ citati non sunt : ut notum est. *Exceptio* : Si ideo Canonici non sunt, quia non citantur. Ergo. Nachum & Sophonias, qui non citantur, Canonici non sunt; Aratus contrà, Menander, & Epimenides profani Poëtæ, Canonici; qui citantur *Act.* 17. 1 *Cor.* 15. *Tit.* 1. *capp.* *Resp.* Consequentia negatur in utramque partem. *Negantem*; quia non ideo tantum Canonici non sunt quod non citantur, sed præcipuè quod Scripturæ Canonicæ κεντήρια non habent; nam verè citari ut Canonicum præsupponit esse Canonicum. Illa autem κεντήρια habent Nachum & Sophonias Prophetæ, qui etiam implicitè citantur mentione libri Prophetarum, *Act.* 7. *v.* 41. & *cap.* 15. *v.* 15. 16. facta. *Affirmantem*; quia non citantur Poëtæ illi ut Canonici, aut per se, sed tantum propter auditores, quibus se accommodavit Apostolus, quod auctoritatem ipsorum magni facerent.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia à Conciliis recepti sint.

I. Qui libri à Conciliis recepti ſunt in Canonem, ſunt Canonici. Hi libri à Conciliis Carthaginenſi III. Florentino, Tridentino recepti ſunt in Canonem. Ergo. *Reſp.* In *Majore* eſt fallacia cauſæ. Nam ut liber aliquis ſit Canonicus, id non dependet à Conciliis, ſex ex ipſius libri natura & qualitate. Deinde ex particulari, nihil concluditur. *Minor* autem vera quidem eſt de Conciliis Florentino & Tridentino, quorum utrumque Antichriſtianum fuit; at falſa de Carthaginenſi III. propter ambiguitatem vocis de qua poſtea.

Quia à Patribus vocentur Sacri & Canonici.

II. Qui libri à Patribus Sacri, Divini, Canonici vocantur, illi ſunt Canonici. Libri ſupradicti à Patribus Sacri, Divini, Canonici vocantur. Ergo. *Reſp.* *Major* nec perpetuo vera eſt, cum à dici ad eſſe non ſemper valeat conſequentia: neque etiam univerſaliter vera de omnibus. *Minor* ambiguitate vocum fallit. Sacri, divini, Canonici vocantur non univocè & abſolutè, ut V. & N. T. libri, ſed æquivocè & κατά τι, propter quandam cum eis ſimilitudinem. Unde factum ut receperit eos Eccleſia ad ædificationem plebis, non ad probationem fidei, ut *in Prologo Galeato & alibi* loquitur Hieronymus, & ex ipſo Cardinalis Cajetanus; qui etiam ad hanc limam reduci vult tam verba Conciliorum, inprimis Carthaginenſis III. quam Doctorum.

Quia lecti olim fuerint in Eccleſiâ.

III. Qui libri lecti olim fuerunt in Eccleſia, ii ſunt Canonici. Libri ſupradicti lecti olim fuerunt in Eccleſia. Ergo. *Reſp.* *Major* falſa eſt. Quia legit olim Eccleſia non modò libros Canonicos ad confirmandam dogmatum Eccleſiaſticorum auctoritatem, ſed etiam Apocryphos ad ædificationem populi, ut Ruffinus, Hieronymus, alii teſtantur. Diſcrimen verò illorum eò abundè declaravit, quod hos de gradu lectorum à lectoribus, iſtos de gradu Epiſcoporum ab Epiſcopis & presbyteris populo recitari voluit. Non ergo quicquid olim fuit in Canone lectionis Eccleſiaſticæ; etiam fuit in Canone Scripturæ; nec quicquid lectum, Canonicum.

TER-

TERTIA: An Traditiones non scriptæ sint Verbum Dei? sive *An extra Scripturam dentur Traditiones quædam Christi & Apostolorum, quæ & ipsæ sint Verbum Dei paremque cum Verbo scripto auctoritatem obtineant?* Pontificii affirmant, *Bell. lib. 4. de Verb. Dei cap. 2. & seqq.* Nos negamus.

Quinta: Pontificiorum. An traditiones non scriptæ sint Verbum Dei?

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Ex natura *Subjecti:*

I. Doctrina hominum non est Verbum Dei. Traditio quæ præter Scripturam ad salutem fingitur esse necessaria, est doctrina hominum. Ergo. *Major* certa est. *Minor* probatur *Testimonio* Christi *Matth. 15. v. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum.* Doctrinæ autem illæ erant traditiones Seniorum, quæ præter Verbum Dei scriptum tanquam necessariæ à Pharisæis observabantur, *ex v. 2. 2. 3.* Deinde hoc *argumento*: Quod omnia ad salutem necessaria ex Dei revelatione continet, præter id nihil necessarium tradi potest ab hominibus, quod non sit doctrina hominum. Atque Scriptura omnia ad salutem necessaria ex Dei revelatione continet. *Nam divinitus inspirata utilis est ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem 2 Tim. 3. v. 16.* Et Paulus *qui omne Dei consilium* de nostra salute annunciavit, *Act. 20. v. 27.* nihil dixit extra scripturam *Mosis & Prophetarum cap. 26. v. 22.* Ergo.

Quia Traditiones sunt doctrinæ hominum.

II. Quod non est, verbum Dei esse aut dici nequit. Traditiones Christi & Apostolorum extra Scripturam nullæ sunt. Ergo. *Major* patet; quia non entis nulla sunt accidentia. *Minor* sic ostenditur: Quarum Traditionum extra Scripturam nulla dari possunt exempla, eæ extra Scripturam nullæ sunt. Traditionum Christi & Apostolorum, quas divinas & Apostolicas vocat Bellarminus, nulla dari possunt extra Scripturam exempla. Nam quæ afferuntur vulgò de materiâ & formâ Sacramentorum, de Patris & Filii ὁμουσία, de pædobaptismo, de perpetuâ virginitate Mariæ, de jejunio quadragesimæ & quatuor temporum aliisque, illa aut habentur in Scripturâ sive expressè sive per consequentiam; aut Apostolicæ esse institutionis, testimoniis orthodoxæ antiquitatis doceri non potest. Ergo.

Quia Traditiones Christi & Apostolorum extra Scripturam nullæ sunt.

III. Tra-

Quia vel subordinantur verbo scripto neque contradistingui possunt.

III. Traditiones non scriptæ aut subordinantur verbo scripto aut cum eo pugnant. *Si subordinantur,* habent se ad illud ut conclusiones ad suum principium, eoque contradistingui illi non possunt, cum principium conclusiones omnes virtute in se contineat. *Sin pugnant*, jam verbum Dei esse nequeunt. *Ratio.* Quia *verbum Dei non est Etiam & Non*, 2 *Cor.*1.v.19. nec Christi *Euangelium aliud* atque aliud *Gal.*1.v.7. At quæ pugnant, habent se ut Etiam & Non, ut aliud & aliud. Ergo.

vel cum eo pugnant.

Ex natura *Prædicati:*

Quia Traditiones non sunt certæ & sibi consentientis veritatis.

I. Verbum Dei certæ est & sibi per omnia consentientis veritatis. Traditiones non sunt certæ & sibi per omnia consentientis veritatis. Ergo. *Non certæ veritatis* : quia unam eandemque Traditionem alii ex Veteribus affirmant, alii negant esse Apostolicam. *Non etiam consentientis* : quia plurimæ non consentiunt cum veritate verbo scripto revelatâ, plurimæ etiam fabulosæ & ridiculæ sunt.

Quia sunt variæ & mutabiles.

II. Verbum Dei non est varium aut mutabile, ut quod *in æternum* manere Petrus ait 1 *Epist.*1.v.23.25. Traditiones sunt variæ & mutabiles. Nam sunt infinitæ, ut quæ & quot recenseantur, certis argumentis constare non possit. Variè quoque mutatæ fuerunt pro temporum, locorum & personarum circumstantiis. Ergo.

Quia ad eas non remittimur.

III. Ad quod in rebus fidei Christus ejusque Apostoli nos remittunt, id est verbum Dei. Atqui remittunt nos non ad Traditiones non scriptas, sed ad Scripturas sacras *Luc.*16.v.29. *Ioh.*5.v.39. 1 *Tim.*4.v.13. 2 *Tim.*3.v.15.16. 1 *Pet.*1.v.25. 2 *Pet.*1.v.19.20. Ergo.

Affirmantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Subjecti:*

Quia Traditiones sint de consuetudine omnium gentium.

I. Quod est de gentium omnium consuetudine, id etiam est de consuetudine Ecclesiæ. Traditiones non scriptæ sunt de gentium omnium consuetudine. Ergo. *Resp. Major* falsa est; quia ut peculiaris populus est Ecclesia, *Exod.*19.v.6. 1 *Pet.*2.v.9. ita peculiares consuetudines habet *Deut.*4.v.8. *Psal.*147.v.19. *Ratio* etiam

etiam diſſimilitudinis quoad Traditiones exinde patet,quod leges gentium imperfectæ ſunt,lex Eccleſiæ perfecta *Pſal.*19.v.8.9. Illæ additionem & ſubtractionem ſæpe requirunt, hæc reſpuit *Deut.*4. v.2. Quas verò Judæi extra Scripturam habuêre Traditiones, eas Chriſtus refellit, *Matt.* 5. & 6. *capp.* & damnat *cap.* 15.

II. Quod dignitas tum ipſius Eccleſiæ, tum myſteriorum fidei noſtræ requirit,de eo Eccleſiæ ſuæ Deus proſpexit. Traditiones non ſcriptas dignitas tum ipſiusEccleſiæ,tum myſteriorum fidei noſtræ requirit.*Illius*, quia abſque traditionibus nullum eſt Eccleſiæ privilegium præ hæreticis, qui Scripturas non minus noverunt quàm fideles;*Horum* autem,quia multa reticenda ſunt &apud perfectos tantum proferenda,exemplo Chriſti,*Luc.*8.v.10.& Pauli 1 *Cor.*2.v.6. Ergo. *Reſp.* Negatur *Minor* de utroque Subjecti membro ; nec probatio utriuſque quicquam valet. Non *Prima* ; quia privilegium Eccleſiæ præ hæreticis non conſiſtit in cognitione literali Scripturarum,quæ etiam in Diabolos cadit, *Iac.*2.v.19. *Matt.*4.v.6. ſed in cognitione ſpirituali, 2 *Cor.*3.*Rom.*2.v.29. quæ eſt per fidem. Non *Secunda* ; quia myſteria fidei non reticenda, ſed revelanda ſunt:ut docet mandatum Chriſti, *Matth.*10.v.26.27. & revelationis finis,qui eſt notitia ipſorum,*Rom.*16.v.25.26.adhibitis tamen ſobrietatis circa ſubjectum,& prudentiæ circa modum,neceſſariis regulis *Rom.*12.v.3. 1*Cor.*4.v.6.*Heb.*6.v.1.2.*Rom.*6.v.19. Chriſtus quidem diſcipulis ſuis parabolas ſeorſim explicavit, ſed propter longè aliam cauſam,nimirum ut cæteri *videntes non viderent,& audientes non intelligerent Luc.*8.v.10. *Matt.*13.v.11. *& ſeq.* Paulus verò *ſapientiam* loquutus eſt *inter perfectos*, 1 *Cor.*2.v.6.quatenus talem doctrinam propoſuit quæ à ſpiritualibus,v.15.cognitione perfectioribus,*Eph.*4.v.13.pro ſapientia agnoſcitur.Illa autem eſt doctrina Euangelii de Chriſto crucifixo.

Quia Traditiones requirat tum dignitas Eccleſiæ, tum myſteriorum fidei.

Ex naturâ *Prædicati* :

I. Quo Deus ad ſalutem neceſſaria nobis revelavit, id eſt verbum Dei. At revelavit tam traditionibus non ſcriptis quàm Scripturis ; cum hæ non omnia neceſſaria contineant. Ergo. *Reſp.* Falſa eſt *Minor* & ratio ejus. Imo revelavit nobis neceſſaria tantum in Scripturis:quæ etiam illa omnia perfectè continent, ut ſuo loco oſtendetur.

Quia Traditionibus quædam ad ſalutem neceſſaria revelata ſint.

Quia scriptura doceat esse traditiones, & ad observationem earum obliget.

II. Quod esse docet Scriptura, & ad cujus observationem fideles obligat, id est verbum Dei. Traditiones non scriptas esse docet Scriptura, & ad observationem earum fideles obligat. Ergo. *Minorem* negatam distinctè probant scripturæ testimoniis. *Primò*: esse traditiones non scriptas: *Ioh.* 16. v. 12. *Adhuc multa habeo, quæ vobis dicã, sed non potestis portare nunc. Cap.* 21. v. 25. *Sunt & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros. Act.* 1. v. 3. *Christus* post resurrectionẽ *per dies quadraginta conspectus est à discipulis, dicẽs quæ ad regnũ Dei spectãt*: *Deinde*; ad observationem earum obligari fideles: 1 *Cor.* 11. v. 2. *Laudo vos, quod omnia mea meministis, & sicut tradidi vobis traditiones retinetis* v. 23. *Accepi à Domino, quod tradidi vobis* v. 34. *Cætera, cum venero, disponã.* 2. *Thess.* 2. v. 15. *Tenete traditiones quas edocti estis, sive per sermonẽ sive per Epistolam nostram.* 1 *Tim.* 6. v. 20. *Depositum custodi.* 2 *Tim.* 1. v. 13. 14. *Formam habe sanorum sermonum &c. c.* 2. v. 2. *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commẽda fidelibus hominibus* 2. *Ioh* v. 12. 3. *Ioh.* v. 13. *Multa habens scribere vobis, nolui per chartam & atramentum, Resp.* dupliciter, in genere & specie: *In genere*, Testimonia allata non concludunt propositum. Etsi enim omnia scripta non sunt κατὰ μέρος quoad dicta factave singula; cùm singularium nec numerus sit, nec scientia, scripta tamen sunt κατ᾽ εἶδος quoad ipsam doctrinæ necessariæ substantiam. Licet etiam non omnia necessaria hoc vel illo tempore, in hac vel illa epistola seorsim accepta, explicata sint; alias tamen tradita fuerunt, & in toto Scripturæ Canone scripta reperiuntur. Insuper vox *Traditionis* homonyma est, doctrinam tam scriptam, *Act.* 6. v 14. 1 *Cor.* 15. v. 3. 2. *Thess.* 2. v. 15. quàm non scriptam, 2 *Thess.* 2. v. 15. *Luc.* 1. v. 2. significans. Non ergo ubi Traditionis fit mentio, statim concludendum est de Non scripta; cum à genere ad speciem affirmando non procedat consequentia. Et ut maximè quibusdam locis de eâ accipiatur, hoc tamen causam Pontificiorum nihil juvat; partim quia Apostoli doctrinam & ritus necessarios initio viva voce, post scriptis tradiderunt, 1 *Cor.* 11. vers. 23. 1. *Thess* 4. v. 2. 2 *Thess.* 2. v. 15. ritus autem indifferentes communi aliqua ratione circumscripserunt; 1 *Cor.* 14 v. 40. partim quia non magis quàm veteres hæretici traditiones suas his locis designari possunt edocere. *In specie* ad singula *Ioh.* 16. v. 12. Multa illa, quæ non poterant tunc portare Apostoli, mœrore impediti, non fuerunt diversa à prioribus, sed eadem plenius declaranda & firmius persua-

Traditio ὁμωνύμως dicitur.

Vindicatio dictorum: *Ioh.* 16. v. 12.

suadenda, per Spiritum Sanctum veritatis omnis necessariæ Doctorum, v. 13. sicut ipse Christus exponit *cap.* 14.v.26. *Ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia quæ dixi vobis. Ioh.* 21.*v.*25. affirmatur quidē omnia Christi facta scripta non esse; at id nihil pro Traditionibus, cum scriptum de iis sit, quicquid ad fidem & vitam necessarium fuit, *cap.* 20.*v.*31. *Act.* 1.*v.*3 quæ Christus docuisse dicitur ad regnum Dei spectantia, ea κατ᾽ ἐπιτομὴν describuntur, *Matt.* 28. *Marc.* 16. *Luc.* 24 *Ioh.* 20. & 21. illisque comprehenduntur, etiam quæ ad Sacramentorum verè & propriè sic dictorum institutionem pertinent. 1 *Cor.* 11. agitur de doctrina, v. 23. *& seq.* & de ritibus v. 2. *& seq.* Illa verbis Christi descripta subjicitur. Hi verbis Apostoli, & quidem tum speciatim, quatenus declarat quid circa Orationem & Cœnam Dominicam observari velit: tum generatim quatenus in Ecclesia, quæ Dei est domus, omnia decenter & ordine fieri jubet *cap.* 14. *v.* 40. Nec enim ritus omnes sigillatim præscribere fuit necesse, ut qui pro locorum, temporum, & personarum circumstantiis variant. Atque hujus generis fuisse, quæ præsentem se dispositurum pollicetur, & phrasis Apostoli, & res ipsa docet. Non intelligi verò dogmata de Sacramento altaris, de materia & forma aliorum Sacramentorum, inde patet, quia id tradidit Corinthiis quod à Domino acceperat. Nihil horum à Domino accepit. Ergo. Item, quia testatur Cœnam Dominicam mensæ esse sacramentum, non altaris sacrificium 1 *Cor.* 10. *vers.* 21. Ergò. 2 *Thess.* 2. *v.* 15. Traditiones significant doctrinam traditam quovis modo, sive sermone sive scripto; in quâ Thessalonicenses jubet perseverare. Quia verò doctrina salutis non est alia, *Gal.* 1. v. 7. non sanè aliam sermone, quam etiam scripto, tradidit; sicut eandem institutionem Cœnæ Dominicæ sermone & scripto Corinthiis proposuit 1 *Cor.* 11. v. 23. *& seq.* Proinde particula disjunctiva εἴτε, quæ tamen etiam copulativè accipitur, *Rom.* 14. v. 8. 1. *Cor.* 13. v. 8. & 15. v. 11. *Coloss.* 1. v. 20. diversitatem notat non rei, sed modi; qui alius atque alius esse potest *Heb.* 1. v. 1. Quod ajunt, sermone tradidisse Thessalonicensibus totam doctrinam Euangelii, scripto non tradidisse totam, ac proinde non eandem doctrinam, inconsequens est. Nam tota doctrina Euangelii est homogenea, quam tamen secundum omnes partes in omnibus epistolis non declaravit; quod aut non ferret occasio, aut non postularet necessitas, cum alibi jam sufficienter scriptæ haberentur. 1 *Tim.* 6. v.

Ioh. 21. v. 25.

Act. 1. v. 3.

1 *Cor.* 11. v. 2. 23.

2 *Thess.* 2. v. 15.

1 *Tim.* 6. v. 20. 2. *Tim.* 1. v. 13. 14.

20. 2*Tim.*1.v.13.14.*Cap.*2.v.2.loquitur Apoſtolus de doctrina Euangelii integra & incorrupta, quam tradiderat Timotheo, & pro excellentia donorum ab ipſo diſpenſari volebat, eamque diſertè ponit in fide & charitate 2 *Epiſt.*1. v.13. Hæc autem ſcripta eſſe quis neget? *Cap.*2.v.2. dicit quidem audita commendanda eſſe fidelibus hominibus, ſed illa jam ſcripta erant in ſacris literis, quas *à puero didicerat* Timotheus, 2 *Epiſt.*3.v.15.& à Paulo *ſecundum ſcripturas* tradita 1 *Cor.*15.v.3.4. acceperat. 2.*Ioh.*v.12. & 3.*Ioh.*v.13. multa illa ſi de dogmatis neceſſariis accipiuntur, uti quidem ſequentia innuunt, etſi in brevibus illis epiſtolis Johannis non reperiuntur, alibi tamen deſcripta exſtant; ſin de ritibus aut ſingularibus quibuſdam factis, ad ſubſtantiam doctrinæ nihil attinent.

cap. 2. v. 2.

2. *Ioh.* v. 12.
3. *Ioh.* v. 13.

Sexta Pontificiorum.

Controverſiæ de *Formâ* Scripturæ Sacræ quatuor ſunt.

An quadruplex ſit genuinus Scripturæ ſenſus?

PRIMA: An quadruplex ſit genuinus Scripturæ ſenſus, literalis, allegoricus, anagogicus & tropologicus? Pontificii affirmant, *Bell. lib.* 3. *de Verbo Dei c.*3. Nos negamus.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Rationes noſtræ.

Ex Natura *Subjecti:*

Quia Scriptura vera & firma eſt.

I. Quod verum, certum, firmum, ab omnibus verborum ambiguitatibus & captionibus liberum eſt; id non quadruplicem ſed unicum ſenſum habet. Scriptura ſacra eſt vera, certa, firma, ab omnibus verborum ambiguitatibus & captionibus libera. Ergo. *Major* patet; quia unum & verum convertuntur, cum plus uno verum eſſe non poſſit. Item: Quod in ſe & per ſe ambiguum eſt, varios ſenſus habet. Ergo quod in ſe & per ſe non eſt ambiguum, non niſi unum. *Minoris* veritas aſſeritur teſtimoniis Scripturæ *Pſal.* 12.v.7. *Dicta Iehovæ dicta pura ſunt, argentum purgatum in lectiſſimo catino terræ, purgatum ſepties &* 119. v. 140. *purgatus eſt ſermo tuus valde Prov.* 30. v. 5. *Totus ſermo Dei purgatiſſimus.*

Quia ſolus ſenſus literalis eſt Spiritus S. in Scripturâ loquentis

II. Qui ſenſus eſt Spiritus Sancti in Scriptura loquentis, idem eſt ipſius Scripturæ. Solus ſenſus literalis eſt Spiritus Sancti in Scriptura loquentis. Ergo. *Major* certa eſt. Nam *tota Scriptura divinitus eſt inſpirata,* 2 *Tim.*3.v.16.& quo ſpiritu dictata eſt, eodem

eodem etiam intelligenda est 2 *Pet*. 1. v. 20. 21. *Minor* probatur: Is solus Spiritus Sancti sensus est, qui ex verbis immediatè colligitur. Solus sensus literalis ex verbis immediatè colligitur. Ergo. Utraque præmissarum est Bellarmini: Conclusio nostra.

III. Sensus genuinus Scripturæ ubique invenitur, & ex eo firmæ probationes dogmatum peti possunt. Solus sensus literalis ubique invenitur, & ex eo solo firmæ dogmatum probationes peti possunt. Ergo. *Major* per se manifesta est, cum nuspiam esse possit Scriptura sine genuino suo sensu, & in illo sensu dogmatum Christianorum indubitatum sit principium. *Minorem* habemus ex concessione ipsius Bellarmini, qui ait sensum literalem inveniri in omni sententia V. & N. T. sensus cæteros non inveniri; ex solo sensu literali peti debere argumenta efficacia, ex sensibus mysticis & spiritualibus non item, quod varii sint, nec semper constet, an à Spiritu Sancto intenti sint.

Quia sensus literalis solus ubique reperitur, ex eoque solo firmæ probationes dogmatum peti possunt.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quot sunt genuini Scripturæ sensus, tot sunt ejus formæ. At forma Scripturæ non potest esse quadruplex. Ergo. Utramque propositionem probo. *Majorem*: sensus & significatio verborum & phrasium Scripturæ ex mente Spiritus Sancti est earum forma; utpote per quam notæ sunt rerum divinarum, & à vocibus inarticulatis, aut etiam articulatis creaturarum distinguuntur. Ergo pro numero sensuum & significationum, numerus formarum multiplicatur. *Minorem*: Unius rei non est nisi una forma; quia unitas rei ab unitate formæ, quæ individuationis est principium, dependet. Scriptura non est quadruplex, sed unica, ab uno Spiritu Sancto profecta, & Veteris Novique Testamenti libris comprehensa. Ergo.

Quia forma Scripturæ non quadruplex sed unica.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti*:

I. Sensus genuinus Scripturæ est, quem ipsa Scriptura tradit. Atque tradit sensum genuinum quadruplicem. Ergo. *Minorem* negatam probant. I. Scriptura tradit sensum literalem, & Spiritualem sive mysticum. Nam 1 *Cor*. 10. v. 11. testatur Apostolus,

Quia Scriptura quadruplicem sui sensum tradat.

lus, omnia *typicè* evenisse Judæis *ad nostri correctionem*, & quę ad literam de ipsis referuntur, spiritualiter Christianis accommodat. Sic *Ezech.* 2.v.10. *Apoc.* 5.v.1. mentio fit libri scripti à fronte & à tergo, intus & foris. Atqui sensus spiritualis allegoricum, anagogicum & tropologicum sub se complectitur. Ergo. II. Sensus quadruplicis apertissima exempla reperiuntur in utriusque Testamenti Scriptura: *Allegorici* ex Veteri Testamento de duabus uxoribus duobusque filiis Abrahæ, *Gal.* 4. ex Novo Testamento de capturâ piscium, quando rete scindebatur *Luc.* 5. *Anagogici* ex Veteri Testamento, de requie, in quam propter incredulitatem Israelitę ingredi nequiverunt *Heb.* 3. & 4. *capp.* ex Novo Testamento, de captura piscium, quando rete non scindebatur *Ioh.* 21. *Tropologici* ex Veteri Testamento, de bove triturante, 1 *Cor.* 9. v. 9. ex Novo Testamento, de humilitate Christi pedes discipulorum lavantis *Ioh.* 13. Ergo. *Resp.* Probatio utraque inconsequens est. Nam distincta confundit, sensum Scripturæ & ejus applicationes. *Sensus* scripturæ unicus est, sive *simplex* in historiis, dogmatis & prophetiis nudè propositis; sive *compositus* in typicis; sive *proprius* verbis propriis; sive *figuratus* verbis figuratis enunciatus. *Applicatio* autem diversa esse potest ad διδασκαλίαν, ἔλεγχον; ἐπανόρθωσιν, παιδείαν, παράκλησιν 2 *Tim.* 3. v. 16. *Rom.* 15. v. 4. quæ usus sunt Scripturæ Theorici & Practici. Ita *Allegoria* & *Anagoge*, quæ tamen species oppositæ non sunt, habent applicationē sensus Literalis ad διδασκαλίαν *Gal.* 4. *Heb.* 3. & 4. *Luc.* 5. *Tropologia* sensus Literalis applicationem ad ἐπανόρθωσιν, 1. *Cor.* 10. ad παιδείαν 1 *Cor.* 9. *Ioh.* 13. Sed applicatio in *Allegoriis* & *Anagogis* rarior est, nec de mente Scripturæ, nisi ubi ipsa Scriptura eam indicat; ideoque quæ extra Scripturam è scriptis Patrum petuntur exempla, ea facilitate rejiciuntur quâ afferuntur. Altera verò in *Tropologiis* frequentior est & certior, adeoq; indubiæ auctoritatis, quoties secundum analogiam fidei evidenter instituitur. Quod verò duo loca attinet, *Ezech.* 2. v. 10. *Apoc.* 5. v. 1. non significatur iis duplex unius Scripturæ sensus, sed multitudo eorum, quæ utrobique scripta erant; istic plagarum Judæis infligendarum, hîc decretorum Dei.

Quia eadem ratio Scripturæ sit, & Verbi essentialis.

II. Quæ est ratio Verbi essentialis ἐνδιαθέτου, eadem est ratio verbi accidentalis προφορικοῦ. At illud habet naturam Divinam invisibilem, & humanam visibilem. Ergo & hoc sensum internum Spiritualem, qui est Allegoricus, Anagogicus & Tropologicus, & exter-

externum Literalem. *Resp. Major* nimis est generalis, nec procedit ex regulis vel Logicorum; nam simile non est idem, vel Scholasticorum; nam Theologia Symbolica non est argumentativa. *Minor* vera tantum est per communicationem idiomatum non simpliciter, cum λόγος essentialis in principio, *Ioh.* 1. v. 1. & ab æterno, *Ioh.* 17. v. 5. substiterit absque Naturâ Humanâ utpote quam in tempore demum assumsit factus caro, *Ioh.* 1. v. 14. Sed Christus filius Dei qui secundum Naturam Divinam est λόγος essentialis ἐνδιάθετος, officii respectu est λόγος προφορικὸς orator ille, qui è sinu Patris egressus ipsum nobis revelavit, *Ioh.* 1. v. 18.

SECVNDA: An supremus & infallibilis Scripturæ interpres, sive Controvesiarum judex, sit Ecclesia, Concilium, aut Pontifex Roman in cathedra docens? Pontificii affirmant, *Bellarm. lib.* 3. *de Verbo Dei cap.* 3. 4. *& seq.* Nos negamus.

Septima Pontificiorum. An Ecclesia, Concilium, vel Pontifex Rom. sit summus & Infallibilis judex controversiarum?

Rationes Nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Ex naturâ *Subjecti*:

I. Homo non potest esse supremus & infallibilis Scripturæ interpres, sive Controversiarum judex. Ecclesia, Concilium, Pontifex sunt homines. Ergo. *Minor* in confesso est. *Major* probatur: A quo non pendet sensus & sententia Scripturæ; qui eam auctoritate sua interpretari & religionis controversias dirimere nequit, in quem fides nostra non resolvitur; is supremus & infallibilis Scripturæ interpres & controversiarum judex esse non potest. Atqui à nullo homine pendet sensus & sententia Scripturæ; quia à nullo homine pendet ejus forma utpote quæ tota est θεόπνευστος, 2 *Tim.* 3. v. 16. nullus eam auctoritate suâ interpretari & controversias religionis dirimere potest; quia nulla prophetia Scripturæ est propriæ interpretationis, 2 *Pet.* 1. v. 10. fides denique nostra in hominem sive in hominum judicium non resolvitur; quia fides nostra non consistit in sapientiâ humanâ, sed in potentia Dei, 1 *Cor.* 2. v. 5. neque ædificata est super arenam, sed super petram *Matth.* 7. v. 24. 26. Ergo.

Quia Ecclesia, Concilium, Pontifex R. sunt homines.

II. Cu-

Quia Ecclesiæ &c. judicium varium est, erroneum, & ad aliud examinandum.

II. Cujus interpretatio sive judicium varium, erroneum, & ad aliud examinandum est; is supremus & infallibilis Scripturæ interpres sive controversiarum judex esse nequit. Interpretatio sive judicium Ecclesiæ, Concilii & Pontificis varium, erroneum, & ad aliud, Scripturam scilicet, examinandum est. Ergo. *Major* sua luce claret, *Minor* probatur per partes, *Varium esse & erroneum.* Nam I. Prisci Patres, quos Ecclesiæ nomine frequenter intelligunt, miris modis dissident in expositione Scripturæ, non solùm alii ab aliis, sed iidem à se ipsis; sæpe discedunt à vero ejus sensu; conqueruntur etiam multa se non intelligere. II. Concilia generalia etiam errârunt, ne primo quidem Niceno excepto; dissentiunt à se invicem in locorum infinitorum expositione; ex Scriptura de controversiis fidei, quotquot orthodoxa sunt, pronunciant. III. Pontifices multas ineptas, falsas & contradictorias Scripturæ expositiones tradiderunt, teste jure Canonico; multi etiam scirptorum Pontificorum testimonio hæretici evaserunt. *Ad aliud* etiam *examinandum est*; quia Non cuivis spiritui credendum, se probandi spiritus an ex Deo sint, 1 *Joh.* 4. v. 1. omnia probanda, & quod bonum est retinendum 1 *Thess.* 5. v. 21. Probatio verò illa instituitur ex Scriptura, *Esa.* 8. v. 20. *Joh.* 5. v. 39. *Gal.* 6. v. 16. sicut Pauli doctrinam ex ea probârunt Beroënses *Act.* 17. v. 11.

Ex Natura *Prædicati*:

Quia solus Spiritus S. in Scriptura loquens nunquam in judicando errat, nullo partium studio ducitur, nullumque provocationi locum relinquit.

I. Supremus & infallibilis Scripturæ interpres & Controversiarum judex est, qui in judicando nunquam errat, nullo partium studio ducitur, provocationi locum non relinquit. Hæc verò non Ecclesiæ, Concilio aut Pontifici, sed soli Spiritui Sancto in Scriptura loquenti, atque ita ipsi Scripturæ, conveniunt. Ergo. *Majoris* firma est consequentia. Nam qui errat aut errare potest; item qui partium studio ducitur, quod mentem excæcat, non est infallibilis; & qui provocationi locum relinquit, superiorem habet eoque supremus esse nequit. *Minor* probatur: Ecclesia, Concilium, Pontifex possunt in judicando errare & errant gravissimè, *Hos.* 2. v. 1. & *seq. Rom.* 3. v. 4. 10. 11. & *seq.* 2 *Thess.* 2. v. 3. 8. 9. 10. 1 *Tim.* 4. v. 1. 2. 3. & in *Apocalypsi* passim; partiũ studio ducuntur, ut qui nunc sunt pars rea, accusati tanquam falsarii & depravatores Scripturæ; provocationem relinquunt ad superius judicium, Scripturæ 1 *Joh.* 4. v. 1.

*Act.*17.v.11. & Christi, cujus tribunali omnes sistendi *Rom.*14.*v.* 10. 12. Spiritus Sanctus contra in Scriptura loquens, atque ita ipsa Scriptura, non potest in judicando errare, quia ipsa veritas; partium studio non ducitur, quia ἀπροσωπόληπτος; provocationi etiam locum non relinquit, quia non habet superiorem, ipse A & Ω, primus & ultimus. Ergo illa omnia Spiritui Sancto & Scripturæ conveniunt; Ecclesiæ, Concilio, Pontifici non conveniunt.

II. Qui est auctor Scripturæ, & summus legislator ac doctor Ecclesiæ, idem est supremus & infallibilis Scripturæ interpres ac Controversiarum judex. Solus Deus est auctor Scripturæ & summus legislator ac doctor Ecclesiæ. Ergo. *Major* patet, quia quisque est optimus interpres verborum suorum; & legislator sensum legis optimè edisserit. *Minor* apertis Scripturæ testimoniis nititur: 2.*Tim.*3.*v.*16. *Tota Scriptura* θεόπνευστος. *Iac.*4 *v.*12. *Vnus est legislator, qui potest servare & perdere. Matt.*23.*v.*8.10. *Vnus est doctor vester, nempe Christus. cap.* 17. *vers.* 5. *Hic est filius ille meus, dilectus ille, hunc audite.* Quia solus Deus est auctor Scripturæ summus legislator & doctor Ecclesiæ.

III. Ad quem judicem Deus in Veteri & Novo Testamento nos absolutè remittit, is est judex supremus Controversiarum, & interpres Scripturæ infallibilis. Ad Scripturam ipsam, sive ad Spiritum Sanctum in ea loquentem, Deus in Veteri & Novo Testamento nos absolutè remittit. Ergo. *Major* certa est; quia ad judices inferiores omnes nos remittit cum conditione, si nimirum doceant, quæ ipsis præcepit. Ergo ad quem absolutè sine conditione omni nos remittit, is judex est supremus & infallibilis. *Minoris* veritas dictis & exemplis Scripturæ asseritur. *Dicta* sunt *Deut.* 17. *v.* 10. *& seq. Facies juxta legem quam docuerit te. v.* 18. *Rex describet sibi librum legis, & leget in eo omnibus diebus vitæ suæ*: quod repetitur *Ios.*1.*v.*8.*& seq. Esa.*8.*v.* 20. *Ad legem & testimonium, Mal.* 3.*v.*22.*al.cap.*4.*v.*4. *Recordamini legis Mosis, servi mei. Luc.*16.*v.*29. *Habent Mosen & Prophetas, audiant eos. Ioh.*5.*v.*39. *Scrutamini Scripturas.* 2.Pet.1.*v.*19. *Habemus firmissimum sermonem Propheticum &c.* *Exempla* sunt in Veteri Testamento David, Salomon, Josaphat, Ezechias, Josias, qui laudantur quod in constituendo aut restituendo cultu Dei sententiam Scripturæ sequuti fuerunt. Jeroboam contra, Achab, Manasses, & alii multi culpantur, quod ab hac normâ discesserunt. Sic in Novo Testamento laudantur Beroënses, *Actor.* 17. vers. 11. Timotheus, 2 *Timoth.* 3. vers. 15. & Quia Deus in V. & N.T. ad Scripturam absolutè nos remittit.

alii fideles, 2 *Pet.* 1. v. 19. qui attenderunt Scripturis; Pharisæi autem & Sadducæi, qui ab iis recesserunt, damnantur *Matth.* 15. & 22. *& alibi.* Nec prætereundum hîc exemplum Christi & Apostolorum, qui in controversiis fidei ad Scripturas provocarunt, *Matth.* 4. *&* 22. *Iohan.* 5. *&* 10. *Actor.* 17. 18. 26. nihilque dixerunt extra Mosen, Prophetas, & Psalmos *Luc.* 24. *v.* 44. *Act.* 26. v. 22.

Affirmantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Subjecti*:

Quia Pontifex R. sit Moses & Aaron successione.

I. Moses & Aaron fuerunt supremi & infallibiles judices controversiarum fidei. Pontifex Romanus est Moses & Aaron; successione videlicet in judiciariam ipsorum auctoritatem. Ergo. *Majorem* confirmant testimoniis Scripturæ Veteris Testamenti *Exod.* 18. v. 26. *Deut.* 17. v. 8. *& seqq. Eccles.* 12. v. 13. *Hagg.* 2. v. 11. *Mal.* 2. v. 7. 2 *Chron.* 19. v. 11. *Resp.* Et Major & Minor falsa est. *Major*; quia uterque fuit judex ministerialis; ille extraordinarius, hic ordinarius; ille propheta & princeps populi, hic summus sacerdos Neuter controversias decidit auctoritate sua, sed Moses ut internuncius retulit ad Deum, & inde ad populum *Exod.* 18. 19. *& seq. capp.* Aaron ex lege & secundum eam respondere jussus est *Deut.* 17. *v.* 11. *Lev.* 19. *v.* 15. *Deut.* 27. *v.* 19. *& alibi.* Quin etiam cum judex supremus esse possit non nisi unus, saltem ex Pontificiorum hypothesi; si Moses judex ille fuit in Ecclesia Israëlitica, jam non fuit Aaron. Nec valet distinctio inter ordinarium & extraordinarium. Nam à quo est provocatio, is non est judex supremus. A judice ordinario ad extraordinarium est provocatio, ut fuit ab Aarone ad Mosen. Ergo. *Minor*; quia Pontifex Romanus nec Mosi nec Aaroni successit. Non *Mosi*; quia extraordinarius fuit, cui non succeditur; Pontifex ordinarius. Ille constituto Aarone desiit esse summus Sacerdos; hic se summum sacerdotem jactitat. Ille vocationem habuit immediatam à Deo: quam multis miraculis confirmavit, non hic. Non *Aaroni*, quia vocatus à Deo sumsit sibi honorem, *Heb.* 5. versu 4. Pontifex sumit non vocatus. Ecclesia vetus habuit summum sacerdotem typicum; Nova habet summum sacerdotem verum. Vocatur quidem sacerdos Moses cum Aarone *Ps.* 99. v. 6.

quia orare solitus fuit pro populo, *Ierem.* 15. v. 1. & alias partes sacerdotum obire, docendo, consecrando, sacrificando, *Exod.* 28. 29. sicut postea Samuel, 1 *Sam.* 16. v. 2. 13. interim summus sacerdos cum ipso non fuit ut qui uno tempore non nisi unus esse potuit, propter unitatem veri sacerdotis Christi *Heb.* 7. *cap.* Quæ ad confirmationem Majoris adducuntur testimonia eam non probant. *Exod.* 18. v. 26. narratur negocia minora & faciliora à judicibus inferioribus expedita esse; majora & difficiliora ad Mosen relata. At quid inde? Mosen fuisse judicem illis superiorem, non autem supremum absolutè. Nam v. 18. ait se judicando nota facere populo statuta Dei, & leges ejus. v. 20. consulit Jethro ut ipse referat ea ad Deum; quod fecit, v. 24. *& seqq. capp.* usque adeò ut etiam in blasphemum, *Lev.* 24. & profanatorem Sabbathi, *Num.* 15. animadvertere noluerit, nisi cognitâ ante Dei sententiâ; tanquam servus fidelis in totâ domo Dei *Hebr.* 3. v. 5. *Deut.* 17. v. 8. *& seqq.* agitur non tantùm de summo sacerdote, sed de aliis etiam judicibus; quorum sententia standum erat, si ex legis præstituto pronunciaretur v. 11. Quod si absolutè standum fuit, certè Jeremias *cap.* 26. v. 11. 15. Christus, *Iohan.* 9. Apostoli, *Actor.* 5. & 23. crimen capitale admiserunt, qui ab ea recesserunt. *Eccles.* 12. v. 13. sermo est non de sacerdote typico V. T. sed de vero sacerdote N. Test. Christo Jesu, qui est bonus ille pastor populi sui, *Ezech.* 34. v. 23. *Cap.* 37. v. 24. *Ioh.* 10. v. 11. à quo omnium sapientum verba profecta sunt, quia acti ejus Spiritu loquuti sunt Sancti Dei homines 2 *Petr.* 1. v. 21. *Hagg.* 2. v. 11. non unus aliquis sacerdos, verùm indefinitè sacerdotes interrogari jubentur, interrogatique respondere de lege. Idem apertius præcipitur *Malach.* 2. v. 7. & sacerdos *angelus* sive *nuncius Iehovæ exercituum* appellatur, quia hujus voluntatem ex lege requirentibus annunciare tenebatur. Quod tamen non semper fecisse, v. *seq.* 8. testatur Malachias, & alibi alii prophetæ: Esaias *cap.* 28. v. 7. Ezechiel *cap.* 7. v. 26. & 22. v. 26. Denique 2 Chron. 19. v. 11. distinguitur tantum officium Amariæ Sacerdotis ab officio Zebadiæ Præsidis regii; judicium verò controversiarum religionis supremum, infallibile, haudquaquam ipsi tribuitur.

Vindicantur dicta. *Exod.* 18. v. 26.

Deut. 17. v. 8. *& seqq.*

Eccles. 12. v. 13.

Hagg. 2. v. 11.

Mal. 2. v. 7.

2 *Chor.* 19. v. 11.

II. Petrus fuit supremus & infallibilis Judex controversiarum

Quia Pontifex R. sit successor Petri.

rum fidei. Pontifex Rom. est Petrus successione in munus ejus. Ergo. *Majorem* probant dictis aliquot Novi Testamenti *Matth.* 16. *v.* 19. *Ioh.* 21. *v.* 16. *Luc.* 22. *v.* 32. *Actor.* 15. *v.* 7. *Gal.* 2. *v.* 9. *Resp.* Iterum negamus *Majorem* & *Minorem*. Nam Petrus quia servus, 2. *Epistol.* 1. *v.* 1. & minister fuit in Ecclesia Dei, 1. *Cor.* 3. *v.* 5. & 22. supremum in ea judicium habere nequivit. Pontifex verò si successor Petri dicendus esset, omnino successisset ei in vocatione aut speciali ad Apostolatum, aut generali ad munus Pastoris. At *primo* modo non successit, quia munus Apostolatus extraordinarium fuit & personale. Tali autem non succeditur. Neque etiam *secundo*; quia non competit ei Pastoris, qualem Petrus esse vult, descriptio, 1. *Petr.* 5. v. 1. 2. 3. 4. Pastor non debet se efferre supra alios; non affectare turpe lucrum, non dominari cleris: sed gregem fideliter pascere, inspectioni vacare, exemplum esse gregis. Pontifex contraria omnia facit. Ergò. Ad dicta Scripturæ Majori confirmandæ subjecta sigillatim respondemus. *Matth.* 16. *v.* 19. claves regni cœlorum non sunt legum dispensatio, pœnarum relaxatio, controversiarum fidei prætoria decisio, sed solvendi & ligandi potestas, ut exegeticè subjicitur hoc ipso versu & *cap.* 18. *v.* 18. sive potestas remittendi & retinendi peccata, ut est *Ioh.* 20. *v.* 23. Ideóque pronomen impersonale *quodcunque*, resolvendum est in personale *quemcunque Ioh.* 20. *v.* 23. Nec enim quodcunque Petrus pro arbitrio suo statuere potuit, ut cui non minus quàm cæteris dictum fuit: *Docete observare eos quæ ego vobis præcepi Matth.* 28. *v.* 20. Præterea claves illæ non minus hîc promittuntur, & *Iohan.* 20. *v.* 23. conferuntur reliquis Apostolis quàm Petro; ut qui reliquorum omnium nomine responderat v. 15. Nullam ergo judicii supremi prærogativam Petro vendicant. *Iohan.* 21. *v.* 16. *pascere* omninò est pascere sanâ doctrinâ *Ierem.* 3. *v.* 10. *Actor.* 20. *v.* 28. & *seqq.* At id non soli Petro, sed omnibus Apostolis mandatum est, *Matth.* 28. *v.* 19. & præter illos Pastoribus & Doctoribus ordinariis, *Actor.* 20. *v.* 28. 1. *Petr.* 5. *v.* 2. 1. *Cor.* 9. *v.* 7. hoc tamen discrimine, quod illi, sicut & Petrus, jussi sunt pascere oves indefinitè, per orbem universum, *Matth.* 28. *v.* 19. *Actor.* 1. *v.* 8. *Cap.* 22. *v.* 15. hi verò definitè, certo aliquo loco *Actor.* 20. *v.* 28. 1. *Petr.* 5. *v.* 2. Proinde quod commune fuit omnibus Apostolis, ad unum Petrum trahendum non est; neque quod ipsi personale ad

Vindicantur dicta *Matt.* 16. *v.* 19.

Ioh. 21. *v.* 16.

le ad successores transferendum. Sanè ovis Christi non est, quæ Petri doctrinâ pasci non vult; nam ejus doctrina est Christi doctrina, cujus vocem oves agnoscunt & audiunt, *Ioh.* 10. *v.* 3. 4. sed sive illa Petri, sive Pauli, sive aliorum Apostolorum præconio accipiatur parum interest; cum ministri sint omnes per quos credidimus 1. *Cor.* 3. *v.* 5. *Luc.* 22. *v.* 32. non defert Christus Petro supremum de fidei controversiis judicium, sed perseverantiam in fide ipsi pollicetur intercessionis suæ virtute, quâ futurum sit, ut nunquam totaliter deficiat in corde ejus. *Actor.* 15. controversia de ritibus Mosaicis proponitur non uni Petro, sed universo Apostolorum ac presbyterorum collegio, v. 2. 4. 6. in quo post longam disceptationem demum Petrus dixit sententiam vers. 7. neque in ipsius, sed in Iacobi verba decretum factum v. 19. 22. Ergo Petrus nec primus dixit, nec Concilii præses fuit, ut Bellarminus contendit. *Gal.* 2. *v.* 9. de Jacobo, Petro & Johanne communiter, non de Petro singulariter affirmatur, quod Paulus Euangelium, in gentibus à se prædicatum, consensus testandi caussa, ipsis exposuerit. Atque hoc etiam confirmârunt, non supremâ auctoritate ut principes sed communi suffragio ut collegæ v. 9.

Luc. 22. *v.* 32.

Act. 15. *cap.*

Gal. 2. *v.* 9.

Ex natura *Prædicati*:

I. Cujus ultimum est de fidei controversiis judicium, is judex est controversiarum fidei supremus & infallibilis. Ecclesiæ repræsentativæ ultimum est de fidei controversiis judicium. Ergo. *Minor* est *Matth.* 18. *v.* 17. & insuper confirmatur argumento à minori: Cathedræ Mosis fuit ultimum judicium *Matth.* 23. v. 2. Ergo multo magis cathedræ Petri. *Resp.* Datur *Major* de judicio simpliciter ultimo intellecta; quod non nisi à supremâ & infallibili auctoritate proficisci potest. Sed eo significatu *Minor* falsa est. Nam Ecclesiæ repræsentativæ, quantumvis veræ, judicium non est simpliciter ultimum, utpote quod è Scriptura examinandum est, *Actor.* 17. *v.* 11. 1. *Thessal.* 5. *v.* 21. neque à supremâ & infallibili auctoritate proficiscitur, quia talem Ecclesia ex se & per se non habet. Quod si judicium ejus ultimum dicatur κατά τι, aut quod in ordine judiciorum ministerialium inferiorum tale sit, aut quod propter auctoritatem Scripturæ Sacræ,

Quia Ecclesiæ repræsentativæ sit ultimum de Controversiis judicium.

ex quâ pronunciat, tale habeatur, à quæstione discedituṙ, & nihil ad rem concluditur. Locus *Matth.* 18. v. 17. propriè agit de offensis privatis aliorum adversus alios, à simili tamen ad fidei controversias trahi potest. Si enim ex præscripto Apostoli, hæreticus post unam aut alteram admonitionem rejiciendus est, *Tit.* 3. *v.* 10. habendus etiam velut Ethnicus & Publicanus, si Ecclesiam non audiat. Sed sicut Ecclesiam audire jubemur non absolutè, (sic enim solus Christus audiendus *Matth.* 17. v. 5.) sed quum docet quæ Christus præcepit, *Matth.* 28. v. 20. ut valeat illud: *Qui vos audit, me audit*; ita nec absolutum aut ultimum de scandalis & hæresibus judicium habet; alioquin quos clavium traditione Christus fecit Oeconomos in domo sua, *Matth.* 18. v. 18. 1 *Cor.* 4. v. 1. etiam fecisset dominos: quod disertè negatur *Matth.* 20. v. 26. 1 *Petr.* 5. v. 3. Argumentum à Minori ex *Matth.* 23. vers. 2. deductum non procedit. I. Quia Christus non jubet simpliciter audiri Scribas ac Pharisæos in cathedrâ Mosis sedentes, sed quando docent ex Mose. Quæ limitatio additur, tum *hic*, quatenus vetat facere secundum opera ipsorum, quæ sunt doctrina & vita; *argumento locorum*, *Gal.* 5. v. 19. 20. *Matth.* 7. v. 23. tum *Matth.* 16. v. 6. ubi cavere jubet fermentum Scribarum & Pharisæorum, quod etiam *Matth.* 5. 6. 7. *capp.* & alibi prolixè refellit. II. Quia non magis cathedra Petri, quàm Mosis absolutum de fidei controversiis judicium sibi potest arrogare, cum uterque Moses, *Hebr.* 3. v. 5. Petrus 2 *Epist.* 1. v. 1. servus fuerit in domo Dei.

Vindicatur dictum. *Matth.* 18. v. 17.

Matt. 23. v. 2.

II. Judex supremus controversiarum fidei is est, quem Deus dedit Ecclesiæ suæ: ut qui propter controversias exorituras eam absque judice non reliquit. At is judex neque est Scriptura, neque Spiritus revelans privatus, neque Princeps secularis. Ergo est Princeps Ecclesiasticus vel solus, vel certè cum consilio Coëpiscoporum, quia alius præter illos non datur. *Minor* confirmatur per partes. *Non Scriptura* I. Quia varios sensus recipit, qui neque ex collatione locorum, neque ex fontium inspectione dignosci possunt. II. Quia in omni Republ. bene ordinatâ distincta sunt lex & Judex. III. Quia de ipsâ Scripturâ quæstio est. *Non Spiritus revelans privatus.* I. Quia neque videtur, neque auditur à litigantibus, quod necessarium est. II. Quia in Republ. non permittitur legis interpretatio privato judicio, cum tamen

Quia Deus Pontificem R. dederit Ecclesiæ suæ Principem.

tamen singuli valeant lumine rationis, unde lex exstructa est. Ergo multò minus in Ecclesia. III. Judex debet habere auctoritatem coactivam, quæ non est apud privatum. IV. Quia multi adeo sunt imperiti, ut non possint judicare. Non est igitur necesse ut omnes judicent. V. Quia sic non possunt converti hæretici, aut controversiæ decidi; cum nemo sit qui spiritum suum non jactitet, & alii anteponat. *Nec* denique *Princeps secularis.* I. Quia habet virtutem sive auctoritatem non divinam, sed humanam, respectu Efficientis & Finis. Nihil autem ultra virtutem à caussis suis acceptam agere potest. II. Quia Reges & Principes esse possunt absque Ecclesia, & hæc absque illis. *Resp.* I. Negatur *consequentia* ob insufficientem partium enumerationem. Nam præter illos, prout à *Bellarmino* enumerantur & accipiuntur, datur alius, qui verè & propriè est supremus & infallibilis Judex controversiarum fidei, nimirum *Deus*, Judex ille totius terræ, *Gen.* 18. v. 25. & legislator supremus, servare valens & perdere *Iac.* 4. v. 12. *Christus* Filius Dei, cui *dedit* Pater omne judicium *Iac.*4.v.22. *Spiritus S.* Doctor omnis veritatis, *Ioh.* 16.v.13.qui arguit mundum de peccato, & de justitia, & de judicio v. 8. II. *Minor* partim falsa, partim ambigua, Sophistica, aliena est. Quod ut distinctè appareat, singula ejus membra, singulorumque rationes breviter percurremus. *Primum* quod attinet, Scriptura propriè judex non est, ut quæ persona non est. At Deus in Scriptura loquens est judex, & quidem supremus. Scriptura est suprema lex, ex qua judex ille pronuntiat, ut qui ultimo die judicaturus dicitur de latebris hominum ex Euangelio *Rom.* 2, v. 16. Unde fit ut propter communes cum ipso effectus, ceu sunt dicere, *Ioh.* 7. *v.* 38. clamare, *Rom.* 9. v. 27. accusare, *Iohan.* 5. v. 45. damnare, *cap.* 12. v. 48. nomen etiam commune quandoque sortiatur. Quo ipso corruit ratio *secunda.* Distincta enim sunt in Ecclesiâ Scriptura & Judex supremus. At judex ille non est Ecclesia, sed Deus. Ecclesia verò est judex inferior ministerialis, Scripturæ ad amussim alligatur. *Duæ aliæ rationes* jam ante refutatæ sunt; ostensum namque Scripturam unicum tantum sensum habere, videlicet literalem, eamque per seipsam optimè explicari, ut exemplo suo comprobaverunt Christus & Apostoli. Quod verò interpretes etiam inspectis fontibus & dictis Scripturæ inter se collatis dissentiunt, per accidens ipsorum vitio,

Deus est supremus judex controversiarum.

Scriptura non est judex, sed lex judicis.

Spritus privatus filiorum Dei est judex summus.

vitio, non aliqua Scripturæ culpâ accidit. *Membrum secundum* ambiguitate ludit & fallit. Nam *Spiritus privatus* revelans aut est Spiritus *Enthusiastarum*, fictas revelationes jactantium & in controversiis fidei ad eas provocantium, aut Spiritus *Filiorum Dei*, docens ipsos omnia, 1 *Iohann.* 2. v. 27. retegens eis quæ Deus gratificatus est, 1. *Cor.* 2. *v.* 10. *&* *seqq.* adeóque testificans spiritui ipsorum quod sint Filii Dei *Rom.* 8. *v.* 16. *Priore* significatu judex non est, nedum supremus judex. *Posteriore* autem est judex supremus, publicus & privatus; quia unus est Spiritus, qui de controversiis fidei & publicè in Scriptura, & privatim in cordibus fidelium pronunciat, distribuens singulis prout vult 1 *Cor.* 12. *v.* 11. Ratio *prima* universaliter accepta falsa est. Nam Deus est Judex totius terræ, *Gen.* 18. *v.* 25. qui tamen nec videri potest, 2. *Tim.* 6. *v.* 16. nec audiri. Christo dedit Pater omne judicium, *Ioh.* 5. *v.* 22. nec ipse videtur amplius aut auditur. Imperator, sicut & Pontifex, de controversiis absentibus respondent. Particularis nihil concludit. *Secunda* aliena est, quia in Ecclesia non permittitur interpretatio Scripturæ privato judicio, ut quisque eam interpretetur pro libitu suo, (nam Scriptura non magis est privatæ interpretationis quàm libitu hominum allata est, 2 *Petr.* 1. *v.* 20. 21.) sed pendet à Spiritu Sancto, tanquam optimo verborum suorum interprete; & ex ipsâ Scriptura, tanquam supremâ normâ interpretationis, eruitur *Nehem.* 8. *v.* 9. *Actor.* 9. *v.* 22. Hic verò quia ministerialis pastorum & doctorum opera intervenit, qui falli possunt & fallere: duplex adhibendum est judicium, sed ministeriale utrumque: commune à singulis Christi ovibus, quæ nôrunt vocem pastoris sui, alienam non nôrunt, *Ioh.* 10. *v.* 3. 4. proprium ab ipsis-met pastoribus; quemadmodum Spiritus Prophetarum Prophetis subjici jubentur 1 *Cor.* 14. *v.* 32. *Tertia* ambigua est, & falsa si de Spiritu Sancto publicè & privatim, eo quo dictum est modo judicante, intelligatur. Habet enim ille potestatem coactivam tum internam κατηχητικῶς sic dictam, aperiendi mentes hominum & ad assensum permovendi, *Deut.* 29. *v.* 4. *Actor.* 16. *v.* 14. tum externam compescendi & perdendi hæreticos veritati cælesti malitiosè obsistentes, ut Cerinthi, Arrii, & aliorum exitus testatur. *Posteriore* in hac vita raro utitur. Nam oportet esse hæreses inter nos, ut illi, qui probati sunt manifesti fiant, 1. *Cor.* 11. *v.* 19.

v. 19. & propter incredulitatem hominum mittit Deus efficaciam erroris 2 *Thess.* 2. v. 11. 12. Præterea regnum Dei non corporali coactione, sed spirituali demonstratione promovetur 1 *Cor.* 2. v. 4. *Priore* verò utitur in conversione hominum, eamque certo modo ac gradu cum Euangelio & ministerio Euangelii communicavit. Unde *ministerium Spiritus*, *gloriæ*, *justitiæ* vocatur, 2 *Cor.* 3. v. 8. 9. & *cap.* 10. v. 4, 5, 6. *arma militiæ nostræ dicuntur non carnalia, sed divinitus valida, ad destructionem munitionum, ratiocinia evertendo, omnemque sublimitatem quæ sese extollit adversus cognitionem Dei, & in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendum Christo, & paratum habendo, quo omnis vindicetur contumacia.* *Quarta* impertinens est nihil concludens ad rem. Nec enim judicii publici auctoritatem singulis, verùm iis tantum tribuimus, qui publicâ vocatione hujusque donis instructi sunt; privatorum privatum est judicium. *Quinta* contra Spiritum Enthusiastarum, non contra Spiritum Filiorum Dei militat; qui judicio externo Scripturæ Sacræ, interno Spiritus S. nituntur. Atque illud quidem adhibent ad conversionem aliorum; hoc verò utuntur ad confirmationem propriam. *Membrum tertium* alienum est. Non quæritur hîc de quovis, sed de supremo judice; qui certè non est Rex, aut Princeps secularis. Interim in judiciis inferioribus & ministerialibus, si fidelis sit, suum etiam locum habet; non absolutè quâ Rex, aut Princeps, sed limitatè quâ Rex fidelis, Princeps, Christianus, nutritius Ecclesiæ.

Princeps secularis non est judex supremus.

TERTIA: *An interpretatio Scripturæ Sacræ in versionibus vernaculis necessaria sit & utilis?* Pontificii negant, *Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap.* 15. 16. Nos affirmamus.

Octava: Pontificiorum, *An versiones Scripturæ sint necessariæ.*

Status hujus *controversiæ* ab omnibus Pontificiis non eodem modo formatur. *Petrus Asoto*, *Hardingus & alii multi* versiones simpliciter rejiciunt, ut noxias & hæreticas; quemadmodum Pontifex Roman. eos proscribere non dubitavit, qui Scripturam in linguas vernaculas traduxerant. *Alii* non quidem eas simpliciter damnant, sed tamen nec necessarias nec utiles esse putant, quin etiam non tolerandas si absque aucto-

Status Controversiæ.

auctoritate & approbatione Pontificis Rom. institutæ fuerint. Quomodo sententiam suam declarat *Bellarminus*. Ideoque *Pius* IV. lege vetuit, ne qua versio ab auctore Catholico non profecta aut edita legatur, eamque solenni decreto repetitam confirmavit *Synodus Tridentina*, ut de mente Pontificiorum abundè constet.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa*.

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*.

Quia Scripturæ lectio & cognitio omnium linguarum hominibus necessaria.

I. Cujus lectio, meditatio, & cognitio omnium linguarum hominibus necessaria est; ejus interpretatio quoque in versionibus vernaculis est necessaria. Scripturæ Sacræ lectio, meditatio & cognitio, omnium linguarum hominibus necessaria est. Ergo. *Majoris* evidens est consequentia, cum diversæ sint hominum linguæ inde ab ipsorum dispersione, *Genes.* 11. nec vel unus reperiatur qui universas calleat. *Minorem* probo: Quod Deus præcepto perpetuo imperavit Ecclesiæ suæ, id ei necessarium est. Atqui imperavit Ecclesiæ suæ, quæ in N. T. ex omnium linguarum hominibus adunata est, *Matth.* 28. v. 19. lectionem, meditationem & cognitionem Scripturæ Sacræ, *Deut.* 31. v. 11. 12. *Ierem.* 36. v. 6. 7. *Ioh.* 5. v. 39. *Col.* 3. v. 16. 2. *Tim.* 3. v. 15. 16. 2 *Petr.* 1. v. 19. & quidem præcepto perpetuo. I. quia imperavit illud in utroque Testamento. II. quia finis hujus præcepti est perpetuus, reverentia Jehovæ & observatio mandatorum ejus *Deut.* 31. v. 11. 12. Ergo.

Quia Apostoli prædicarunt Scripturam in omnibus linguis.

II. Quod Apostoli in omnibus linguis prædicârunt, id in omnes linguas vertendum est. Atqui prædicârunt Scripturam seu Verbum Dei in omnibus linguis. Ergo. *Minor* est *Actor.* 2. v. 6. *& seqq.* ubi omnibus externis nationibus loquuti dicuntur ipsarum linguâ de magnificis Dei factis, sicut donum linguarum hoc ipso fine eis datum fuit. *Major* confirmatur hoc modo: Si quæ Apostoli omnibus linguis prædicârunt, in omnes linguas vertenda non sunt; id aut ideo fit, quia Deus interdixit, aut quia versiones vernaculæ res divinas contaminant, aut quia nulla inde utilitas proficiscitur. Atqui nihil horum dici potest. *Non primum*, quia interdicti hujus neque vola, neque vestigium uspiam occurrit. *Non secundum*, quia linguæ vernaculæ ore pronunciatæ

nunciatæ eas non contaminant. Ergo nec calamo ſcriptæ : Item quia linguarum diſcrimen omne, non minus quàm populorum, in N. Teſt. ſublatum eſt *Actor.* 2. Ergo una alterâ ſanctior non eſt. *Non tertium*, quia tota Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad doctrinam, redargutionem, correctionem, inſtitutionem, conſolationem in editionibus authenticis 2 *Tim.* 3. v. 16. *Rom.* 15. v. 4. Ergo etiam in verſionibus vernaculis probis, ut quæ Verbi ſcripti ſubſtantiam non mutant. Quod autem Apoſtoli Græcè tantum ſcripſerunt, inde factum, quod Doctores Univerſales Eccleſiæ dati erant, quos non aliâ quàm univerſali ſive communiſſimâ & vulgatiſſimâ linguâ ſcribere decuit.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quia ſine verſionibus Scripturæ finis miniſterii obtineri nequit.

Sine quo finis miniſterii Eccleſiaſtici obtineri nequit, id neceſſarium eſt, ac utile ad illum finem. Sine interpretatione Scripturæ in verſionibus vernaculis, finis miniſterii Eccleſiaſtici obtineri nequit. Ergo. *Minor* probatur. Ædificatio Eccleſiæ ſine interpretatione Scripturæ in verſionibus vernaculis obtineri nequit. Ædificatio Eccleſiæ eſt finis miniſterii Eccleſiaſtici. Ergo. *Minor* per ſe patet. *Majorem* tradit Apoſtolus 1 *Cor.* 14. v. 6. *Si veniam ad vos linguis loquens, quid vobis prodero?* v. 9. *Niſi per linguam edideritis bene ſignificantem ſermonem, quomodo cognoſcetur quod dicitur?* v. 11. *Niſi ſciero vim vocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus fuerit;* & v. 19. *malim in Eccleſia quinque verba loqui ex intelligentiâ meâ, ut alios inſtituam, quàm decem millia verborum linguâ* ſc. incognita. *Exceptio Bellarmini* quod non de lectione Scripturarum, aut divinis officiis, ſed de exhortatione ſpirituali loquatur Apoſtolus, partim *falſa* eſt. Nam Prophetarum proprium erat, ut interpretari Scripturas, 1 *Cor.* 14. v. 1. 3. ſic eas populo intelligenter prælegere, ex Synagogæ Judaicæ conſuetudine, *Luc.* 4. v. 16. *& ſeqq. Actor.* 13. v. 15. *& ſeqq.* partim *inepta*, ſubordinata inter ſe opponens; ſiquidem exhortatio; conſolatio, ædificatio, 1 *Corinth.* 14. v. 3. inſtituenda ex Scriptura, 2 *Tim.* 3. v. 16. *Rom.* 15. v. 4. atque etiam ex ea dijudicanda fuit, non tantum à Prophetis, 1 *Cor.* 14. v. 29. 32. ſed etiam à cæteris fidelibus 1 *Joh.* 4. v. 1. *Actor.* 17. v. 11.

Negantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia versiones vernaculæ non fuerint necessariæ in V. aut N. Test.

I Quæ Interpretatio non fuit in Vet. aut N. Test. illa ne nunc quidem requiritur. Interpretatio Scripturæ in versionibus vernaculis in V. aut N. T. non fuit. Ergo. *Minorem* probant. I, quia non fuit ab Ezra ad Christum; quo toto tempore Judæi, loquuti sunt Chaldaicè, aut Syriacè, Hebræi sermonis ignari. II. non fuit tempore Christi; nam tum quoque Syriacè loquebantur. III. non fuit primis 400. post Christum annis. IV. & ne nunc quidem recepta est in Synagoga Judæorum. Ergo. *Resp.* Probatio *Minoris* negatæ Insufficiens, falsa, aliena est. *Insufficiens*; quia tempus V. T. ab ipso orbis conditu, non demum ab Ezra inchoatur. Et à Mose ad Ezram vernaculum Judæis fuisse Scripturæ idioma, ne Bellarminus quidem ausit negare. *Falsa*; quia etsi primò ex captivitate Babylonicâ, post ex vicissitudinibus rerum sub Syriæ Regibus, corruptus fuerit sermo Hebræus, in communi usu; incorruptum tamen in codicibus sacris populus intellexit, tempore Ezræ & Christi. *Illius*; nam prælegit Ezras populo legem per dies septem, à mane usque ad meridiem. *Neh.* 8. v. 19. idque explanatè & distinctè, v. 9. multitudo autem virorum & mulierum diligenter attendit, & intelligenter audivit quæ legebantur, v. 3. 4. sicut istud fletu, v. 10. & lætitia, v. 13. testatum fecit. Quamobrem etiam Haggæus, Zacharias, Malachias Prophetæ non alio quàm Hebræo idiomate Prophetias suas consignârunt. *Hujus*; quia Moses & Prophetæ Hebraicè scripti prælegebantur populo in Synagogis, *Luc.* 4. v. 16. *& seqq.* *Actor.* 13. v. 15. *& seqq.* *&* 15. v. 21. 2 *Cor.* 3. v. 15. & ad lectionem illorum Christus, *Johann.* 5. v. 39. & Apostoli, 2 *Petr.* 1. v. 19. eundem hortabantur. Ita titulum crucis Christi Hebraicè scripsit Pilatus, *Iohann.* 19. v. 20. & Christus Paulum, *Actor.* 26. v. 14. Paulus turbam, *Actor.* 21. v. 40. & 22. v. 2. Hebraicè alloquutus est. Insuper falsum primis 400. post Christum annis nullas fuisse versiones vernaculas in Ecclesia. Nam Patres *Theodoretus*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, *alii*, nec non ipsæ versiones *Chaldaica*, *Syriaca*, *Arabica*, *Ægyptiaca*, *Æthiopica* testantur contrarium, quæ ab illa ætate ad nos pervenerunt. *Aliena* denique

denique quia exemplum Synagogæ hodiernæ malum atque illaudatum, malè objicitur pro regula.

II. In quibus linguis non scripserunt Apostoli; in illis Interpretatio Scripturæ necessaria non est. Atqui non scripserunt in quibusvis linguis, sed tantùm in Hebræa, Græca & Latina. Ergo. *Resp. Major* inconsequens, *Minor* ex parte falsa est. Neque enim eadem ratio est primæ scriptionis & succedaneæ interpretationis sive versionis, nec eadem ætas nunc & tunc. Apostoli scripserunt Græcè, quod lingua illa tunc esset communissima, nota non modò Gentibus quæ generatim Græci appellantur, *Rom.* 2. v. 9. 10. & 3. v. 9. & 29. sed etiam Judæis. Nunc communissima non est, imo nulli genti eo modo amplius vernacula est, ut versionibus omnino opus sit. *Præterea* nihil Apostoli Hebraicè aut Latinè, sed omnia Græcè scripserunt, tam quæ Hebræis, quàm quæ Latinis peculiariter inscripserunt, ut epistolæ Paulinæ ad Romanos & Hebræos documento sunt. Quia Apostoli non scripserint in quibusvis linguis.

III. Interpretatio & Usus Scripturæ esse debet in lingua communissima; ut conservari Ecclesiæ unitas & convocari concilia possint: Linguæ vernaculæ non sunt communissimæ. Ergo, *Resp. Major* falsa est. Nam interpretatio & Usus Scripturæ debet facere ad ædificationem Ecclesiæ, 1 *Cor.* 14. v. 3. 4. eoque linguâ Ecclesiæ nota instituti, sive illa uni populo propria, sive cum aliis sit communis. Nec enim linguæ, sed doctrinæ unitate conservatur unitas Ecclesiæ, *Eph.* 4. v. 3. & *seqq.* & prima concilia non obstante linguarum diversitate legitimè coacta, & fructuosè celebrata sunt. Quia linguæ vernaculæ non sint communissimæ.

Ex natura *Prædicati*:

I. Quod servari in Ecclesia non potest, non est ei necessarium. Versiones vernaculæ servari in Ecclesia non possunt; cum linguæ vulgares singulis seculis mutentur. Ergo. *Resp.* Est fallacia à dicto secundum quid, & non causæ. Nam si maximè servari non possent integræ omnibus partibus, possunt tamen: levi partium quarundam mutatione à fidis interpretibus facta: Item si maximè singulis seculis mutandæ essent, eo tamen necessariæ esse non desinerent. Falsum verò est linguas vulgares singulis seculis mutari. Quia linguæ vernaculæ sint mutabiles.

Quia vernaculæ linguæ minuant majestatem divinorum officiorum.

II. Quod minuit majestatem divinorum officiorum, id utile non est. Interpretatio Scripturæ in versionibus vernaculis minuit majestatem divinorum officiorum; sicut augent eam editiones Hebræa, Græca, & Latina, quæ cum vulgares non sint, hoc ipso graviores, & magis reverendæ sunt. Ergo. *Resp. Minor* falsa est. Si verò tres illæ linguæ augent majestatem, fit illud per accidens ex superstitione imperitæ plebeculæ, non per se. Verùm ex hâc hypothesi lingua Hebræa, Græca & Latina graviores non sunt, quàm aliæ linguæ exoticæ; ut quarum multæ similiter vulgares non sunt.

Nona. Pontificiorum. *An vulgata versio Latina sit authentica.*

QVARTA: An vulgata versio Latina sit authentica? Pontificii affirmant, *Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap.* 10. Nos negamus.

Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti:*

Quia humana industria elaborata, ab authentica editione discrepans & ad eam revocanda est.

Quæ versio humanâ industria elaborata est, ab editione authentica innumeris locis recedit, & ad eam ut turbidus rivus ad limpidum fontem subinde revocanda est, illa authentica non est. Atqui vulgata versio Latina talis est. Ergo. *Major* manifestæ est veritatis & consequentiæ. *Minor* confirmatur per partes. I. *Elaborata est humanâ industriâ*, quia *Hieronymo* à Pontificiis asscribitur, qui in versione Bibliorum adornanda diu multumque laboravit. II. *Ab editione authenticâ innumeris locis recedit*, ut longa inductione, ostendi potest. Quo nomine non à nostris solum sed etiam à patribus, adeoque ipso Hieronymo castigata fuit, & variè mutata. III. *Ad eam subinde revocanda est*, quod faciendum dictat ratio; (humana namque ad divina exigenda sunt) & suadet auctoritas, tum antiquorum Patrum *Augustini*, *Hieronymi*, tum etiam ipsius *Bellarmini*, qui in quatuor casibus hujusmodi examen admittit; si nimirum in codicibus Latinis deprehendatur *aut* error librariorum, *aut* varia lectio, *aut* ambiguitas, *aut* etiam energia & proprietas verborum expressa non sit *lib. 2. cap.* 11. Cur verò in aliis idem faciendum non sit, rationem nec reddit, nec reddere potest.

Ex natura *Prædicati:*

I. Quod divinitus iuspiratum & Ecclesiæ à Deo traditum est, id authenticum est. Vulgata versio Latina nec divinitus inspirata neque Ecclesiæ à Deo est tradita. Ergo. *Minoris* veritas patescit ex antecedentibus. *Major* procedit à propria causâ ad proprium effectum; confirmaturque testimoniis Apostolicis 2 *Tim*.3. v. 16. *Tota Scriptura divinitus est inspirata.* 2 *Pet*.1.v.21. *acti à Spiritu Sancto loquuti sunt Sancti Dei homines.*

Quia nec divinitus inspirata nec Ecclesiæ à Deo tradita est.

II. Quod authenticum est, illi nihil addi, nihil detrahi, adeóque in eo nihil mutari debet *Deut*.4. v.2. At superioribus seculis multi eruditi, ex ipsis etiam Pontificiis, quædam addiderunt & detraxerunt vulgatæ versioni Latinæ, sicque eam in quibusdam mutârunt. Ergo.

Quia subinde mutata fuit.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti:*

I. Quod habuit Ecclesia Hebræa & Græca, idem habet Latina. Ecclesia Hebræa habuit editionem authenticam Hebræam, & Græca Græcam tum Veteris Testamenti ex interpretatione LXX. tum Novi ipsorum Apostolorum. Ergo Latina Latinam. *Resp. Major* non universè, sed de iis tantùm vera est, quæ Deus Ecclesiis suis, cujuscunque linguæ, æqualiter dedit. Non verò dedit Ecclesiæ Latinæ editionem authenticam Latinam, ut Hebrææ Hebræam Veteris Testamenti & Græcæ Græcam Novi Testamenti. Nam quod dicitur in *Minore* editionem LXX. authenticam fuisse falsum est.

Quia Ecclesia Latina habeat editionem authenticam.

II. Quod necessitas Ecclesiæ requirit, hoc ei Deus concessit. Vulgatam versionem Latinam, quæ sit authentica, necessitas Ecclesiæ requirit. *Ratio;* quia etiam in Conciliis generalibus sæpe paucissimi reperiuntur linguarum Hebrææ & Græcæ periti. Ergo. *Resp. Minor* falsa est. Requirit illa, ut exstet editio aliqua authentica, qualis est Hebræa Veteris Testamenti & Græca Novi, non autem ut Latina sit talis. *Probatio* ejus inconsequens est ob fallaciam accidentis. Quin potius ex præcepto Apostoli, 1 *Thess*.5.19.20. excitandi

Quia versio Latina authẽtica Ecclesiæ sit necessaria.

citandi Spiritus, fovendæ prophetiæ, ut reperiantur multi sicut aliqui semper reperti fuerunt.

Ex natura *Prædicati*:

Quia à Patribus laudata, ab Ecclesia recepta, & à Concilio Tridentino confirmata sit.

Quæ versio ab antiquis Patribus laudata, multorum seculorum usu in Ecclesia recepta & à Concilio Tridentino confirmata est, illa authentica est. Atqui versio vulgata Latina talis est. Ergò. *Resp.* in *Majore* est fallacia non causæ. Vera ac propria causa authenticæ editionis est divina inspiratio, non laudatio Patrum, praxis Ecclesiæ, confirmatio concilii. Et *Bellarmino* fatente *lib.* 1. *cap.* 10. Ecclesia non facit libros authenticos, verum tales esse declarat. Quæ igitur versio in se authentica non est, eam declarare talem Ecclesia non potest. Deinde *Minor* ex parte falsa est. Nam vulgata versio Latina, neque Hieronymi est, aut Itala, quam laudant *Augustinus* & alii Partes; neque à tota Ecclesia Latina recepta est, ut quæ varias omnino versiones usurpavit.

Controversiæ de *Fine* Scripturæ Sacræ duæ sunt:

Decima: Pontificiorum. *An Scriptura sit perfectus fidei vitaque canon?*

PRIMA: An Scriptura tantum sit aliquod fidei vitaque commonitorium; insuper perfectus utriusque canon sive regula? Pontificii prius; *Bellarminus lib.* 4. *de Verbo Dei cap.* 12. Nos posterius asserimus.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa*.

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*;

Quia Scriptura hoc fine inspirata est, ad eam Ecclesia remittitur, & sub pœna anathematis adstringitur.

Quæ Scriptura est divinitus inspirata, ut componat ac dirigat fidem, vitam, ac vocationem nostram; ad quam ipse Deus Ecclesiam suam remittit, & sub pœna anathematis adstringit, ea non tam commonitorium, quàm canon est fidei, vitæ, ac vocationis nostræ, At Scriptura sacra est hoc fine inspirata, ad eam Deus Ecclesiam suam remittit, & sub pœna anathematis adstringit. Ergo. *Minorem* probant apertissima Scripturæ testimonia secundum omnes partes, *Ioh.* 20. v. 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis. Rom.* 15. v. 4. *Quæcunque*

ante scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt. 2 *Tim.* 3.v.16.17. *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem quæ est in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.* 1 *Tim.*3.*v.*14.15. *Hæc tibi scribo ut nôris quomodo oporteat versari in domo Dei. Ioh.*5.*v.*39. *Scrutamini Scripturas. Luc.*16.*v.*29. *Habent Mosen & Prophetas, audiant eos. Esa.*8.*v.*20. *Ad legem & testimonium. Gal.*1.*v.*8. *Si nos, aut angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizavimus, anathema esto.*

Ex natura *Prædicati*:

Cui nomen, proprietates, & officium Canonis sive regulæ fidei ac vitæ conveniunt; id fidei vitæque regula est. Scripturæ sacræ conveniunt. Ergo. Probatur *Minor. Nomen*: *Gal.*6. *v.*16. *Quicunque incedent secundum canonem hunc* (præscriptum scilicet tum in epistola ad *Galatas*, tum in aliis Scripturis) *pax erit super eos, & misericordia & super Israelem Dei. Phil.*3.v.16. *In eo ad quod pervenimus, eodem incedamus canone. Proprietates*: Omnis regula prior est suo regulato, est partibus omnibus perfecta, & denique certa. Scriptura sacra prior est fide ac vita, ut quæ ex eâ oriuntur, *Rom.*10. v. 17. est partibus omnibus perfecta, tum essentialibus, quę sunt materia ejus & forma; tum integralibus, quæ sunt Lex & Euangelium: certa denique, ut quæ Dei mentiri nescii est verbum. Ergo. *Officium*: Regulæ est regere sive dirigere suum regulatum, ut norma dirigit lineas. Scriptura dirigit fidem ac vitam nostram, usque adeò ut si vel minimum ab ea recedant, errent cum offensione Dei *Ezech.*20.*v.*19. *Matth.* 22. *v.* 29. 1 *Ioh.* 3. *v.* 4. *Gal.*1. *v.* 8. 9. Ergo.

Quia Scripturæ nomen, proprietates & officium canonis conveniunt.

Rationes Pontificiorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti*:

Cujus Scripturæ proprius ac præcipuus finis fuit, ut esset commonitorium servandæ doctrinæ, non regula fidei; ea commonitorium est, non regula. Scripturæ sacræ is fuit proprius ac præcipuus finis. Ergo. *Minorē* probant. I. *Testimoniis* Scripturæ: *Rom.*15. 4. 2 *Pet.*1.v.13. & 3.v.1.II. *Ratione*; quia Scriptura variis documentis, exemplis, adhortationibus, terrendo, instruendo, consolando

Quia Scripturæ finis sit, ut esset commonitorium.

adjuvat nos in hac peregrinatione. *Resp.* *Minor* falsa est. Nam à fine non *commonitoria*, sed *Canonica* denominatur *Gal.* 6. v. 16. *Phil.* 3. v. 16. Denominatio autem à potiori sive principaliori fit, quod tamen commonitorium, tanquam minus principale, complectitur; ut *commonitorium Canonicum* dici possit. *Testimonia* duo *Petri* aliena sunt, quia de commonefactione indefinitè loquuntur, non verò statuunt eam finem Scripturæ solitarium vel principalem. Prius *Pauli* asserit etiam contrarium. Si enim quæcunque ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, utique non tantùm ad commonefactionem. Nam commonefactio eorum est quæ ante novimus, doctrina eorum etiam quæ ignoravimus. *Ratio* nihil concludit propter oppositionem subordinatorum. Utrumque præstat Scriptura. Adjuvat nos in hac peregrinatione ut adjutorium, dirigit ut Canon. *Psal.* 119. v. 9. *Quomodo purificabit puer semitam suam? observando eam secundum verbum tuum.* & v. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum, & lux itineri meo.*

Ex natura *Prædicati*:

Quia non sit regula adæquata.

I. Regula fidei debet esse adæquata suo regulato, id est omnia & sola illa continere quæ ad fidem partinent. Scriptura sacra non est fidei adæquata; quia nec omnia creditu necessaria continet, nec sola, ut apparet ex multis Testamenti utriusque historiis, nec non ex Pauli salutationibus. Ergo. *Resp.* Negatur *Minor.* Nam Scriptura fidei est prorsus adæquata, non deficiens necessariis, nec excedens superfluis; nec fidei tantùm, verum etiam vitæ. Si enim Paulus omne Dei consilium de nostra salute annunciavit ex Mose & Prophetis, *Act.* 20. v. 27. & 26. v. 22. continetur quoque iis. Si quæcunque ante scripta sunt, ad nostram doctrinam, institutionem scripta sunt, *Rom.* 15. v. 4. 2 *Tim.* 3. v. 16. nihil eorum tanquam superfluum redundat. Historiæ ergo, salutationes, & si quæ alia minoris momenti possent videri, regulæ hujus ambitu comprehenduntur; ut quæ variè ad captus humani modulum in Scriptura proponitur absolutè & limitatè, in thesi & hypothesi, in theoria præceptorum & praxi exemplorum.

Quia non sit opus continuum.

II. Regula est opus continuum. Scriptura non est opus continuum; quia varia opera, historias, conciones, vaticinia, carmina, epistolas continet. Ergo. *Resp.* Est fallacia quatuor termino-

minorum. Nam *Major* loquitur, de regulâ Architectonicâ, propriè dicta. *Minor* de eâ quæ per Metaphoram sic appellatur, *Gal.* 6. v. 16. quemadmodum eâdem Metaphorâ Ecclesia dicitur *domus Dei* 1 *Tim.* 3. v. 16. *ædificium*, 1 *Cor.* 3. v. 9. Christus *fundamentum* v. 11. pastores *architecti*, v. 10. fideles *lapides vivi* 1 *Pet.* 2. v. 5. Hoc tamen sensu Metaphorico etiam Scriptura *opus continuum* dici potest, quoad doctrinæ substantiam, quæ eadem est sibique conformis per omnia, non quoad applicationis modum, qui varius.

SECUNDA: An ex ordinatione Dei Scriptura sacra sine Traditionibus nobis ad fidem ac vitam sit summè necessaria? Pontificii negant, *Bellarminus lib.* 4. *de Verbo Dei cap.* 4. Nos affirmamus.

Vndecima Pontificiorum. An ex ordinatione Dei Scriptura sine Traditionibus sit summè necessaria.

Statum hujus *Controversiæ* studio pervertit *Bellarminus*. Quæ enim dicuntur à nobis de necessitate hypothetica Scripturarum ex ordinatione Dei, ipse ad necessitatem absolutam ac simplicem trahit. Tempora quoque necessitatis Sophisticè confundit: illud, quod cum Mose primum necessarium esse cœpit ratione originis & exsistentiæ, ita ex mente nostra proponens, ac si inde ab initio necessarium fuisset. Proinde reformato statu secundùm veritatem, sententiam nostram confirmamus.

Status Controversiæ.

Rationes nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa.*

Ex natura *Subjecti*:

I. Quod secundùm omnia causarum genera nobis necessarium est, id est summè necessarium. Scriptura sacra absque Traditionibus secundùm omnia causarum genera nobis necessaria est. Ergo. *Minor* probatur inductione causarum. Secundùm *Efficientem*, *Jud.* v. 3. *Necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos. Materiam*; quia doctrinam necessariam continet Legis, *Matt.* 22. v. 37 *& seq.* & Euangelii *Joh.* 3. v. 16. *Formam*; quia necessaria est vera ejus intelligentia, utpote sine qua erramus, nescientes Scripturas *Matt.* 22. v. 29.

Quia Scriptura necessaria secundum omnia causarum genera.

Finem; qui est informatio ad salutem, *Ioh.* 20. v. 31. 2 *Tim.* 3. v. 16. fideique nostræ ἀσφάλεια, *Luc.* 1. v. 4. *Phil.* 3. v. 1.

Quia Deus ad Scripturam solam nos remittit.

II. Ad quod Deus in Verbo suo tanquam fidei vitæque regulam nos remittit, id nobis est summè necessarium. Atqui remittit nos ad Scripturam absque Traditionibus, *Esaia* 8. v. 20. *Ezech.* 20. v. 19. *Luc.* 16. v. 29. & 24. v. 26. 27. *Iohann.* 5. v. 39. 2 *Pet.* 1. v. 19. Quod etiam inde amplius confirmatur, quia nos à Traditionibus ad Scripturam revocat *Ezech.* 20. v. 18. 19. *Matth.* 15. v. 9. Ergo.

Ex natura *Prædicati*:

Quia Scriptura dat esse Ecclesiæ.

Quod dat esse Ecclesiæ, id ei summè necessarium est. Scriptura dat esse Ecclesiæ, tum quoad substantiam, tum etiam quoad revelationis modum. Ergo. *Minor* probatur: *Quoad substantiam*; quia causa Esse dat suo Effecto. Scriptura sive verbum Dei est Causa Ecclesiæ *Iac.* 1. v. 18. 1 *Pet.* 1. v. 23. Ergo. *Quoad revelationis modum* quia quod docet, instituit, perficit Ecclesiam ad omne opus bonum, id ei esse dat. Verbum Dei scriptum, quod Scripturam vocamus, docet, instituit, perficit Ecclesiam ad omne opus bonum 2 *Timoth.* 3. vers. 16. 17. Ergo.

Negantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Subjecti*:

Quia Ecclesia potuerit esse sine Scriptura.

I. Sine quo esse potuit Ecclesia, id ei admodum necessarium non est. Sine Scripturâ esse potuit Ecclesia, uti fuit ante Mosen per bis mille annos, quibus solâ Traditione servata fuit religio; item post Christum per multos annos. Ergo. *Respond.* I. Datur *consequentia* de necessitate absolutâ. De hypotheticâ, quam hîc asserimus, negatur propter diversas Ecclesiæ ætates, quibus eam Deus diversimodè gubernavit, *Hebr.* 1. vers. 1. II. In *Minore* confunduntur falsa cum veris. Ante Mosen per bis mille annos fuit sanè Ecclesia absque Scriptura; verum religio incorrupta servata non fuit, ne

ne inter paucissimos quidem. Unde toties novis oraculis restitui, tandemque scriptis consignari oportuit. Post Christum aliquandiu fuit absque Scriptura N. T. nunquam absque Scriptura T. Veteris.

II. Cujus major usus fuit inter Judæos, illius quoque major fuit necessitas. Traditionum major usus fuit inter Judæos quum exstaret Scriptura, quàm ipsius Scripturæ; argumento locorum *Exod.*13. *Deut.*32. *Iud.*6. *Psalm.*77. &c. Ergo. *Respond.* I. *Major* non est universaliter vera, neque à facto ad jus sive ad necessitatem juris valet consequentia. Multa longo usu recepta fuerunt apud Judæos, quæ tamen nec necessaria, nec licita fuerunt, de quibus est *Esaiæ* 29. v. 13. *Ezech.* 20. v. 18. 19. & alibi. II. *Minor* falsa est, si ex locis subjectis intelligatur. Nam agunt illa de narratione operum Dei apud posteros instituendâ, quam ex Scriptura petitam fuisse, vel unus psalmorum liber testis est locuples. Quia Traditionum major fuerit quàm Scripturæ usus apud Judæos.

Controversia de *Subjecto* Scripturæ sacræ est: Duodecima: Pontificiorum.

AN lectio Scripturæ omnibus promiscuè, id est, tam Laicis quàm Clericis permittenda sit? Pontificii negant, *Bellarminus lib.* 2. *de Verbo Dei cap.* 15. Nos affirmamus. *An lectio Scripturæ quibusvis etiam Laicis promiscuè sit permittenda?*

Rationes nostræ.

Rationes: *Affirmantes Orthodoxa.*

Ex Natura *Subjecti*:

I. Quod ad omnium utilitatem proditum est, id ab omnibus promiscuè legi debet. Scriptura sacra ad omnium utilitatem prodita est. Ergo. *Minorem* adstruunt dicta 2 Tim. 3. vers. 16. *Tota Scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam, redargutionem, correctionem, institutionem*, *Rom.* 15. v. 4. *Quæcunque ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Iohan.* 20. *vers.* 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis.* 2. *Pet.* 1. v. 19. *Habemus firmissimum sermonem Propheticum, quem bene facitis quod attenditis, &c.* Hinc David beatos prædicat, qui interdiu ac noctu meditantur in Lege Dei, *Psal.* 1. & 119. Quia ad omnium utilitatem prodita est.

Quia omnibus arma ministrat contra hostes spirituales.

II. Quod omnibus arma ministrat contra Satanam, mundum, & carnem; ejus lectio omnibus promiscuè permittenda est. *Ratio*; quia sunt illi communes hostes omnium, ut qui omnium exitium quærunt. Scriptura Sacra omnibus arma ministrat. Est enim armatura Dei *Eph.6.v.13.* gladius, *v.17. Heb.4.v.12.* & quidem contra *Satanam*; quia exstinguit omnia ignita illius jacula, *Ephes.6.v.16.* quod Christus exemplo ostendit, *Matth.4.* contra *Mundum*; ut quem vincere docet, *1 Ioh.5.v.4.5.* & in eo hæreticos quoque, *Matth.22.v.24.& seqq. Actor.15.17.18.24.capp.* contra *Carnem*; quam crucifigit, mortificat, sepelit, regignens nos ad vitæ novitatem *1 Petr.1.vers.23.* Ergo.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia omnibus promiscue lectio Scripturæ imperata est.

Quod omnibus promiscuè imperatum est, omnibus promiscuè permittendum est. Lectio Scripturæ Sacræ omnibus promiscuè à Deo imperata est. Ergo. *Minorem* confirmant verba præcepti *Deut.6.v.6.7.8. Erunt verba ista, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; eaque acutè ingeres filiis tuis, ac loqueris de eis quum sedes domi tuæ, & quum ambulas per viam, quum cubas & surgis &c. cap.31.11.12. Legito legem hanc coram toto Israële, viris, fœminis & parvulis, ut timeant Iehovam, & observent præcepta ejus Iohan.5.v.39. Scrutamini Scripturas. 1 Thessal.5.v.27. Adjuro vos per Dominum, ut recitetur hæc epistola omnibus sanctis fratribus. Coloss.3.v.16. Sermo Christi copiosè inter vos habitet.*

Negantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia à populo non intelligatur.

I. Quod non intelligitur à populo, nec legi ab eo debet. Scriptura non intelligitur à populo; quia ne eruditi quidem eam intelligunt absque expositionibus. Ergo. *Resp.* Peccatur fallacia à dicto secundum quid, adeoque *Major* inconsequens, (nam quod non intelligitur, legi debet, ut intelligatur.) *Minor* falsa est. Quisquis è populo cũ Dei timore & reverentia in lectione Scripturæ versatur, magis ac magis eam intelligit, nec sine profectu intelligentię ab eâ discedit, secundum promissionem: *Verbum meum non revertetur ad me vacuum Esa.55.v.11. Qui quærit invenit* Matth.7.v.8. *Si quis voluerit,*

voluerit, quod ille vult, facere, cognoscet de doctrina mea Iohan. 7. v. 17. *Ratio* de eruditis nihil probat, quia loquitur vel de perfectione scientiæ Theologicæ, non de dogmatum necessariorum cognitione; vel de eruditis quales olim erant Pharisæi, *Rom.* 2. v. 18. 19. 20. *Matt.* 5. 6. 7. 23. *&* *Ioh.* 3. *capp.* & nunc sunt multi Monachi ac Jesuitæ.

II. Ex quo plus incommodi, quàm commodi percipit populus, quodque ei occasio est errandi tum in doctrinâ fidei, tum in præceptis morum; id ipsi permittendum non est. Ex lectione Scripturæ Sacræ plus incommodi, quàm commodi percipit populus, eaque ipsi errandi occasio est. Ergo. *Minor* probatur, I. quia ex Scriptura non intellecta natæ sunt omnes hæreses. II. quia in Scriptura multa dicuntur & laudantur, velut concubitus Patriarcharum cum ancillis, incestus Thamaræ, adulterium Davidis, & similia quæ populum vel ad imitationem, vel ad contemtum Patriarcharum possent movere. *Resp.* Argumentum inconsequens est ob fallaciam accidentis. Quoties fit, per accidens fit, quemadmodum ipsum Euangelium est odor mortis per accidens, 2 *Cor.* 2. v. 16. & multi Dei nostri gratiam per accidens transferunt ad lasciviam *Iud.* v. 4. *Ratio prima* verum dicit; Sed Scriptura malè intellecta, non est Scriptura. *Secunda* partim heterogenea ponit pro homogenis, polygamiam Patriarcharum copulans cum incestu Thamaræ & adulterio Davidis; partim falsa pro veris, quia narrantur illa in Scripturâ, non laudantur; posterius etiam apertè damnatur. Scripta autem sunt ad nostri correctionem, institutionem, consolationem, 2 *Tim.* 3. v. 16. *Rom.* 15. v. 11. sive admonitionem, in quos fines seculorum inciderunt 1 *Cor.* 10. v. 11.

Quia populo errandi occasionem præbeat.

Controversiæ de *Adjunctis* Scripturæ Sacræ duæ sunt:

PRIMA:

Decima tertia: Pontificiorum. *An Scriptura perfecta sit, continens dogmata omnia ad fidem ac vitam necessaria?*

PRIMA: Sitne Scriptura ita perfecta, ut omnia dogmata ad fidem ac vitam necessaria contineat? Pontificii negant, *Bellarminus lib.* 4. *de Verbo Dei cap.* 4. Nos affirmamus.

Rationes Nostræ.

Rationes *Affirmantis Orthodoxæ.*

Exnaturâ *Subjecti:*

Quia Scripturæ nihil addendum, vel detrahendum.

I. Cui sub pœnâ anathematis nihil addendum, nihil detrahendum est, id perfectum est. Scripturæ Sacræ nihil addendum, nihil detrahendum est *Deut.* 4. *v.* 2. *Ne addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo;* & quidem sub pœna anathematis *Galat.* 1. *v.* 8. *Si nos, aut Angelus è cœlo evangelizet vobis, præter id quod euangelizavimus vobis, anathema esto.* Ergo. Quod verò posteà addiderunt multa Prophetæ & Apostoli, id omne jussu Dei factum fuit; additioque illa non fuit novæ doctrinæ revelatio, sed revelatæ plenior explicatio.

Quia Scriptura omne Dei consilium de nostrâ salute exponit.

II. Quod omne Dei consilium de nostrâ salute exponit, id omnia dogmata ad fidem ac vitam necessaria continet. Scriptura Sacra omne Dei consilium de nostrâ salute exponit. Nam Paulus qui omne Dei consilium annunciavit Ephesiis, *Actor.* 20. *v.* 27. nihil dixisse se testatur extra scripta Mosis & Prophetarum *Actor.* 26. *v.* 22. Ergo.

Quia nos perfectos reddit ad salutem.

III. Quod perfectos nos reddit ad salutem, id perfectam salutis doctrinam continet. Scriptura Sacra perfectos nos reddit ad salutem. Ergo. *Major* nititur veritate axiomatis Logici: Nullus effectus excedit perfectionem suæ causæ; item: Impossibile est caussam esse deteriorem suo effectu. *Minor* auctoritate dicti Apostolici sæpius jam allegati 2 *Tim.* 3. v. 15. 16. 17. Ex quo propositum non uno modo concluditur. I. Sacræ literæ possunt nos sapientes reddere ad salutem. Ergo totam salutis doctrinam continent. II. Scriptura docere potest omnem veritatem necessariam, redarguere errores, corrigere vitia, instituere in justitiâ. Ergo ad salutem est sufficiens. III. Scriptura sufficit ad perfectos reddendos homines Dei, id est, Prophetas, Apostolos, Pastores in omni opere bono. Ergo etiam ad ipsorum auditores.

Ex naturâ *Prædicati:*

Cui definitum & definitio perfecti convenit, id tale est. Scripturæ convenit. *Definitum: Psal.* 19. v. 8. *Lex Jehovæ integra sive perfecta est.* 2 *Timoth.* 3. v. 16. *Tota Scriptura divinitus inspirata.* Totum autem & perfectum convertuntur. *Definitio:* Quod nullâ parte deficit, id perfectum est. Scriptura nulla parte deficit. Non essentiali, habet enim materiam suam & formam. Non integrali, quia perfectam Legis & Euangelii doctrinam complectitur. Ergo.

Quia Scripturæ & definitum & definitio perfecti convenit.

Rationes Pontificiorum.

Negantes Heterodoxæ.

Ex natura *Subjecti:*

Quæ Scriptura multa, quæ ignorari non possunt, non continet; ea perfecta non est. Scriptura Sacra multa, quæ ignorari non possunt, non continet. Ergo. *Minor* probatur Inductione: Scriptura non continet quod remedium fuerit fœminis in V. Test. contra peccatum originis, quod masculis ante octavum diem morientibus; quomodo gentiles nonnulli in V. Test. servati sint; non docet exstare libros divinos, & qui sint illi, tum in generali, tum in particulari; denique nihil tradit de perpetuâ virginitate Mariæ, de Paschate die dominico celebrando, de pædobaptismo &c. Atqui omnia illa ignorari non possunt. Ergo. *Resp.* Inductio hæc fallaciam habet plurium interrogationum, ejusque tum *Major* tum *Minor* ex parta falsa est. Quod *Majorem* attinet. I. ostendit Scriptura *remedium peccati Originis* in sanguine Christi, qui tam in Vet. quam in N. Test. purgavit utrumque sexum ab omni peccato, *Esa.* 53. v. 5. *& seqq. Ephes.* 2. v. 16. *Hebr.* 13. v. 8. 1 *Iohan.* 1. v. 7. *Apoc.* 13. v. 8. Circumcisio sigillum tantum fuit hujus remedii, *Genes.* 17. v. 11. *Rom.* 4. v. 11. quod apponebatur quidem solis masculis, utpote capacibus; interim utilitate & veritate etiam fœminas concernebat, argumento loci 1 *Cor.* 7. v. 14. Unde incircumcisis non minus fœminæ, quàm viri Israëlitæ opponebantur *Genes.* 34. v. 14. *Luc.* 13. v. 16. Idem dicimus de *Gentilibus*, qui non aliter, quàm fide in Christum venturum, servati fuerunt. Nam *nemo venit ad Patrem*

Quia multa, scitu necessaria, non contineat.

nisi per Christum, *Johan.* 14. v. 6. & *absque fide impossibile est Deo placere Heb.* 11. v. 6. Exempla Proselytorum, Raabæ, Naamanis idem confirmant. II. docet Scriptura esse se Verbum Dei, & Canonem fidei; librosque suos iis signat criteriis, ut pro divinis agnosci & suscipi possint. III. Mariam virginem peperisse, *Esa.* 7. v. 14. *Matth.* 1. v. 23. & infantes baptizandos esse, *Actor.* 2. v. 39. & alibi, quod etiam ex Scriptura ipsi Pontificii demonstrant. De Paschatis autem die nihil docet. Jam ad *Minorem*. Non esse ullum peccati remedium, aut gratiæ donum extra Christum, ignorari non potest. Scripturam esse Verbum Dei ignorari non debet. At qui libri in specie sint Canonici; item, An Maria manserit virgo post partum; & quo die Pascha celebrandum sit; id omne absque salutis dispendio ignorari potest.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia neque secundum se totam, neque secundum partes suas perfecta sit & sufficiens.

Quod neque secundum se totum, neque secundum partes suas perfectum est & sufficiens; id nullo modo perfectum est & sufficiens. Scriptura Sacra neque secundum se totam, neque secundum partes suas perfecta est & sufficiens. Ergo. *Minor* probatur. *Non primo modo*; quia multi libri verè Canonici perierunt, tum è V. Test. ut libri *Nathanis & Gadi*, 1 *Chron.* 29. v. 29. *Ahia & Iddonis*, 2 *Chron.* 9. v. 29. & ipsius *Salomonis*, *qui tria millia parabolarum eloquutus est*, *& carminum quinque millia*, 1 *Reg.* 4. v. 32. quæ non exstant, tum è Nov. Test. ut epistola ad Laodicenses, *Coloss.* 4. v. 16. & una ad Corinthios 1 *Cor.* 5. v. 9. *Non secundo*; quia unus liber non continet omnia, aut si continet, quid opus fuit tot libris? *Resp.* *Minorem* disjunctivam vertimus in copulativam. Nam Scriptura Sacra & secundum se totam perfecta est, perfectione essentiali, totius; & secundum singulas partes, perfectione integrali, partium; quemadmodum toti homini sua est perfectio essentialis, & singulis corporis membris sua perfectio integralis in corpore, relata ad totum. *Probatio primi membri* falsa est. Nullus liber Canonicus periit, quia non periit *jota unum aut apex unus ex Lege*, *Matth.* 5. v. 18. & *quæcunque ante scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt Rom.* 15. v. 4. Nec libros Canonicos magis abolet Deus, quàm ipsam fidei vitæque regulam Ecclesiæ suæ semel traditam mutat. *Libri* Prophetarum *Nathanis*, *Gadi*,

An libri quidam Canonici perierint?

Gadi, &c. in historiis Samuelis & Regum habentur; nomina autem isthic omissa in Chronicis Ezras expressit. *Salomonis Parabolæ & Carmina* non magis Canonica fuerunt omnia, quàm authentica sunt omnia quæ scribit Notarius. Illud Canonicum fuit, quod impulsu Spiritus Sancti scriptum in Thesaurum Ecclesiæ relatum est. *Coloss.* 4. v. 16. epistola scripta dicitur, non πρὸς Λαοδικεῖς, sed ἐκ Λαοδικείας ex Loadicea, dubio procul ad Paulum. 1 *Cor.* 5. v. 9. autem loquitur Apostolus de illa ipsa prima Epistola ad Corinthios, ut articulus Præpositivus τῇ, antecedentiumque collatio docent. Quod si verò detur periisse illos libros, ne sic tamen imperfectionem Canonis evicerint, nisi ante demonstrent, quæ illic prodita sunt, alibi repetita & perscripta haud exstare. *Probatio membri secundi* partim falsa est, quia multi libri omnia dogmata necessaria sigillatim complectuntur, etsi non eo modo, quo Canon universus; partim inconsequens, quia exarata est Scriptura non modò ad salutis sufficientiam, sed etiam ad majorem fidei ἀσφάλειαν *Phil.* 3. v. 1. 1 *Joh.* 1. v. 4.

SECUNDA: An Scriptura Sacra ita sit perspicua, ut absque commentariis etiam à populo cum fructu legi, & dogmata necessaria ex eâ cognosci possint? Pontificii negant, *Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei cap.* 1. 2. Nos affirmamus. *Decima quarta* Pontificiorum. *An Scriptura S. ita perspicua sit ut absque commentariis à populo legi & intelligi possit?*

Controversiam hanc his verbis proponit *Bellarminus*: *Sintne Scripturæ Sacræ per se facillimæ atque apertissimæ, an verò Interpretatione indigeant?* & sententiam affirmantem nobis tribuit. At ea non magis nostra est, quàm Pontificiorum: Fatemur namque multa esse in Scriptura difficilia & obscura, eamque Interpretatione opus habere; sicut hanc ob caussam Deus Prophetiæ donum Ecclesiæ suæ gratiosè contulit. Hæc verò nostra sententia est. I. Scripturam in dogmatis necessariis perspicuam esse, quatenus nimirum doctrinam fidei ac morum clarè & distinctè tradit, non quidem omnibus, attamen multis locis. II. Eam in Ecclesia Dei tam à populo, quàm à Pastoribus, cum fructu legi posse. Status Controversiæ.

 III. Ni-

III. Nihilominus interpretatione egere, ut in iis quæ clara sunt, perfectius; quæ obscura, aliquatenus saltem intelligatur. Interim hanc interpretationem aliunde, quàm ex ipsâ Scripturâ, petendam esse negamus, ut quam ἰδίας ἐπιλύσεως esse negat Petrus 2 *Epistol.* 1. v. 20. Quâ sententiæ nostræ declaratione præmissâ, eam deinceps confirmabimus, ac vindicabimus.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti:*

Quia Scriptura de suâ perspicuitate testatur.

I. Quod ipsa Scriptura de se testatur, id verum est. Atqui testatur se esse perspicuam. Ergo. *Major* certa est. Nam est Dei ipsius testimonium, *Esa.* 8. v. 20. 1 *Ioh.* 5. v. 9. quod Etiam esse dicitur 2 *Cor.* 1. v. 19. *Minor* his dictis adstruitur: *Deut.* 30. v. 11. *& seqq. Præceptum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, occultum non est à te, neque longinquum &c. sed propinquum est tibi verbum hoc valdè, in ore tuo, & in animo tuo ad faciendum illud. Psal.* 19. v. 8. 9. *Lex Domini sapientiam præbet parvulis, illuminat oculos. &* 119. v. 105. *Lucerna pedi meo verbum tuum, & lux itineri meo.* v. 130. *aditus verborum tuorum illuminat, prudentia instruit simplices.* 2 *Corint.* 4. v. 3. 4. *Si opertum est Euangelium nostrum, iis qui pereunt opertum est; quorum mentes Deus hujus seculi excæcavit, nempe infidelium; ne irradiet eos illustratio Evangelii Christi.* 2 *Pet.* 1. v. 19. *Sermo Propheticus est lucerna splendens in obscuro loco.*

Excipit Bellarminus, Deuter. 30. agi de facilitate præstandi legem; *Psal.* 19. & 119. 2 *Petr.* 1. non de totâ Scripturâ, sed vel de præceptis Dominicis, vel de effectu Scripturarum, quum intelliguntur; 2 *Corinth.* 4. de cognitione & fide in Christum. *Resp.* Locum *Deuter.* 30. Paulus *Roman.* 10. v. 6. *& seqq.* exponit de doctrina Euangelii, quam plenè & perspicuè nobis patefactam ac per gratiam Dei præstitu facilem esse inibi testatur. Tria alia loca de universis Scripturis indefinitè, non de solis præceptis Dominicis definitè loquuntur quæ lucerna, lux appellantur, quia illuminant nos in agnitionem Dei & Christi, efficiuntque ut intelligamus, ut est *Psal.* 119. v. 91.-104. 130. Denique 2 *Cor.* 4. sermo est de ipso Euangelio, ex quo cognitio Christi & fides in ipsum hauritur; unde & potentia Dei ad salutem vocatur *Rom.* 1. vers. 16.

II. Quod

II. Quod in doctrina Legis & Euangelii perspicuum est, id in dogmatis necessariis est perspicuum. Scriptura in doctrina Legis & Euangelii est perspicua. Ergo. *Major* patet; quia dogmata necessaria duobus his capitibus continentur. *Minor* ex summa utriusque colligitur, quæ est *Matth.* 22. vers. 37. *& seqq. Joh.* 3. v. 16. & alibi. Quia Scriptura in doctrina Legis & Euangelii est perspicua.

III. Quod Spiritus Sanctus in exarandâ Scripturâ intendit, id est assecutus: *Ratio*; quia *Deus noster in cœlis est, quicquid voluit fecit Psalm.* 115. v. 3. Atqui Spiritus Sanctus intendit perspicuitatem: *Ratio*; quia intendit *doctrinam nostram, & institutionem* in fide ac vita *Rom.* 15. v. 4. 2 *Tim.* 3. v. 16. 17. Ergo. Quia Scriptura S. intendit Scripturæ perspicuitatem.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quæ Scriptura formaliter simul & effectivè lucida & luminosa est, ea perspicua est. Scriptura Sacra est talis. Ergo. *Minor* probatur. *Formaliter*; quia est *lucerna, lux Psal.* 119. v. 105. *Prov.* 6. v. 23. 2 *Petr.* 1. v. 19. *Effective*; quia *illuminat oculos*, *Psal.* 10. v. 8. 9. *reddit sapientes*, *Psal.* 119. v. 98. 2 *Tim.* 3. v. 15. *prudentiâ instruit simplices*, *Psal.* 119. v. 130. *& splendet in obscuro loco* 2 *Pet.* 1. vers. 19. Quia Scriptura S. formaliter & effective lucida est.

Rationes Pontificiorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex naturâ *Subjecti*;

I. De cujus difficultate atque obscuritate Scriptura testimonium perhibet, id difficile est & obscurum. Atqui de suâ difficultate & obscuritate testimonium perhibet. Ergo. *Minor* probatur, partim *dicto* Petri, 2 *Epist.* 3. v. 16. in Epistolis Pauli esse quædam *difficilia intellectu*; partim *exemplis* Davidis petentis se *illuminari* in intellectum verbi, *Psal.* 119. Apostolorum Christi, quibus ipse Scripturam interpretatus est, *Luc.* 24. v. 27. 45. & Eunuchi, absque interprete Esaiæ caput 53. intelligere haud valentis. *Resp. Major* ex mente Pontificiorum falsa est, Probationes alienæ. Etenim *Petrus* non omnia, sed quædam, τινὰ, ait esse intellectu difficilia, quod non negamus. Eaque difficultas magis ex rebus ipsis, quàm ex earum in Exemplis Paulinis explicatione oritur. *Exempla* non tam de obscuritate Scripturæ, quàm Quia Scriptura testetur de sua difficultate.

de Davidis, Apostolorum Christi, & Eunuchi cæcitate testantur. Nec pugnant cum perspicuitate Scripturæ vel interna mentis illuminatio, vel externa Scripturæ interpretatio; cum per ista media lucem illius capiamus. Unde Petrus 2 *Epist.* 1. v. 19. 20. *Habemus firmissimum illum sermonem Propheticum, cui rectè facitis quod attenditis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, usque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris. Si illud primum noveritis, nullam prophetiam esse propriæ interpretationis.*

Quia Scriptura & rebus & modo dicendi obscura sit.

II. Quod & rebus, & dicendi modo obscurum est & difficile, id in se tale est. Scriptura Sacra & rebus, & dicendi modo obscura est & difficilis. Ergo. *Minor* probatur: de *Rebus.* I. quia habet ardua mysteria de Trinitate, Incarnatione τοῦ Λόγου, Prædestinatione, &c. II. quia magna ejus pars vaticinia de rebus futuris complectitur. De *Modo dicendi.* I. quia sunt in Scripturis plurima, quæ prima fronte videntur contraria, ut *Exod.* 20. v. 5. & *Ezech.* 18. v. 20. II. sunt verba & orationes ambiguæ, ut illud *Ioh.* 8. v. 25. III. sunt orationes imperfectæ, ut *Rom.* 5. v. 12. ubi in tota periodo non est verbum principale. IV. sunt orationes præposteræ, ut *Gen.* 10. v. 31. *cap.* 11. v. 1. V. sunt phrases propriæ Hebræorum in utroque Testamento passim. VI. sunt orationes figuratæ plurimæ &c. *Resp.* Admittitur fallacia à dicto secundum quid. Quod ubique & omnibus obscurum est & difficile, id simpliciter tale est; quod verò alicubi & in quibusdam tantùm, id secundum illa difficile & obscurum meritò censetur. Priore sensu *Minor* falsa est. Posteriore non concluditur quæstio. *Probationes Minoris* vitiosæ sunt in utroque membro, ut quæ procedunt ex puris particularibus: Quædam mysteria & vaticinia obscura sunt. Ergo omnia in Scriptura obscura sunt. Item: Quædam dicendi formulæ obscuræ sunt. Ergo tota dictio Scripturæ obscura est. Sanè *mysteria* illa obscura sunt, si in se spectentur; ut quæ majestate suâ ac sublimitate capi non possunt, vel ab *animali*; *sunt enim ei stultitia*, 1 *Cor.* 2. v. 14. vel à *spirituali*; cernit enim hîc in *ænigmate* tantum & *speculo* 1 *Cor.* 13. v. 12. Si verò spectentur prout in verbo nobis revelata sunt; eatenus certè obscura non sunt, cum de iis perspicuè ad captum nostrum Deus loquatur; quemadmodum multi perspicuè de rebus alioquin obscurissimis disserere nôrunt. Ita obscuritas vaticiniorum pendet ex futuro illorum eventu, & desiit jam, quoad maximam illo-

illorum partem, ut quæ eventu ipso in N. Test. completa sunt. Reliqua de conversione Judæorum, Antichristo, fine seculi hujus, & conditione alterius, intelligimus quantum ad salutem satis est: plenius intellecturi, ubi ipsorum quoque complementum accesserit. De *Modis dicendi* distinctè respondemus I. *Antilogias* in Scriptura occurrere non veras, nam *Verbum Dei non est Etiam & Non*, 2 *Cor.* 1. v. 19. sed apparentes. Talis est *Exod.* 20. & *Ezech.* 18. Nam illic agitur de filio nocente, hîc de innocente. II. *Orationes ambiguas* dici non Dei, sed nostri respectu, qui scopum & mentem ipsius non ubique assequimur. *Joh.* 8. v. 25. ambiguitas est ex trajectione verborum, & ellipsi. Integra sententia ita sonat: εἰμι ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν κατὰ τὴν ἀρχήν. *Sum id, quod dico vobis à principio.* III. *Orationes imperfectas* videri hyperbaticas aut ellipticas, sed non esse, ut *Rom.* 5. v. 12. & alibi. IV. *Hysteroses* in anticipationibus & recapitulationibus non minus in profanis, quàm Sacris historiis usitatas esse, nec præposterè fieri, ubi post factum narratur caussa, ut *Gen.* 10. & 11. *capp.* V. *Hebraismos* frequenti & attentâ lectione Scripturæ facilè observari. VI. *Tropos* adhiberi non ad obscurandas res divinas, sed ad eas tum significantius exprimendas, tum efficacius persuadendas.

Ex natura *Prædicati:*

Quod perspicuum est, commentariis multis haud eget. Scriptura Sacra eget multis commentariis; Nam alioqui non tot scriberent Lutherani. Ergo. *Resp. Minor* falsa est. Non eget commentariis illis Scriptura, sed cæcitas atque imbecillitas nostra. Sed tamen etiam absque commentariis Scripturam fructuosè legimus; eorumque multitudo sæpe obscurat magis Scripturam, quàm illustrat. Quia egeat commentariis.

LOCUS

LOCUS TERTIUS

De

DEO.

Tres omninò sunt de hoc loco controversiæ Samosatenianorum *longè gravissimæ.*

I. An in una Essentia divina tres sint distinctæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus?

II. An Filius sit verus ac æternus Deus, Patri coëssentialis & coæqualis?

III. An Spiritus Sanctus sit verus ac æternus Deus, coëssentialis & coæqualis Patri & Filio?

EXEGESIS.

Anabaptistæ Trinitatem agnoscunt.


N hoc capite doctrinæ consensus nobis est cum *Anabaptistis, Pontificiis & Lutheranis.* Etsi enim *illi* de terminis quibusdam Theologicis dubiè respondent, nec vocabula *Personæ, Subsistentiæ, Trinitatis* facilè usurpant; tamen nobiscum fatentur & docent Deum unum esse, & unum illum Deum esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, distinctos à se invicem, non divisos, ut videre est *Colloquii Francothalensis Articulo* II. *& Emdani Articulo* I. Reliqui similiter consentiunt, si absit calumnia, quam tamen *Lutherani* mirum quam studiosè sectantur; nec ipsi modò, verùm etiam *Pontificii.* Exemplo sit unus *Bellarminus*, qui *præfatione* illâ, quam *controversia de Christo* præmisit, Doctores nostros tanquam Arrianorum & Samosatenianorum Patres traducit, & *lib. 2. de Christo cap.* 19. Calvinum exagitat, quod Filium Dei αὐτοθεὸν esse contra Valentinum Gentilem asserat. Quæ calumnia cum ab aliis quoque repetatur, sententia *Calvini* paucis declaranda & confirmanda est. Vox αὐτόθεος, quàm Patres Græci usurpant, accipi potest vel *pro-*

Calumnia Bellarmini in Calvinum refellitur.

Αὐτόθεος quid.

prie

priè κτ̀ θέσιν, ut notet Deum à seipso productum; vel *impropriè* κατ' ἄρσιν ἢ ἀναίρεσιν, ut sit esse à nullo productum, seu esse ἀναίτιον. *Primo* modo Filius αὐτόθεος non est, sicut nec Pater. *Ratio*; quia Deus non est caussa sui ipsius. *Secundo* modo αὐτόθεος rectè dicitur, non quâ Filius relatè, sed quâ Deus absolutè, cujus proprium est à nullo esse. *Rationes* sunt. I. quia Filius Deus est per essentiam, à se ipsa exsistentem, omnisque principii expertem. Ergo αὐτόθεος est respectu essentiæ. II. quia Filius ratione essentiæ non distinguitur à Patre, ut quam cum ipso communem habet. Ergo ratione essentiæ tam est αὐτόθεος, quàm ipse Pater. III. quia Essentia Dei est absolutè & simpliciter una. Ergo non est simul ἀναίτιος & αἴτιος; qualis erit omnino, si Deus Pater dicatur esse αὐτόθεος, Filius non dicatur. Atque hoc sensu Calvinus Filium αὐτόθεον esse asseruit. Quod & verba ejus testantur *lib.* 1. *Instit. cap.* 13. *Sect.* 19. *Quum de Filio sine Patris respectu simpliciter loquimur, bene & propriè ipsum à se esse asserimus*; & Bellarminus ex scopo ipsius agnoscit, qui erat refellere Gentilem soli Patri αὐτουσίαν, veramque Deitatem deferentem. Sana igitur Calvini sententia est, sana etiam Phraseologia. Nam quam rectè ex Scriptura affirmamus, Jehovam absolutè esse à nullo, esse primum & ultimum; tam rectè Deum Filium absolutè spectatum αὐτόθεον esse pronunciamus. Quod verò *Iohann.* 5. *vers.* 26. legimus, *Patrem dedisse Filio habere vitam in semet ipso*, relativè de Filiatione ipsius accipiendum est. Quomodo etiam in Symbolo Niceno esse dicitur *Deus de Deo*, *& lumen de lumine*, ὑποστατικῶς scilicet, non οὐσιωδῶς, sicut nomen Dei jam illo, jam isto significatu in Scripturâ usurpatur.

Filius Dei rectè dicitur αὐτόθεος.

His præmissis explicationem Controversiarum hujus loci ordine aggredimur.

Controversiæ de Deo.

PRIMA: *An in una essentia Divina tres sint distinctæ personæ*; *Pater*, *Filius*, *& Spiritus Sanctus*? Samosateniani negant, *Ostorodius cap.* 4. *Institutionum Religionis Christianæ.* Nos affirmamus.

Prima Samosatenianorum

Rationes Nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

Quia in unâ Essentiâ divinâ est Pater gignens, Filius genitus, Spiritus S. procedens.

I. In quâ essentiâ est Pater gignens, Filius genitus, & Spiritus Sanctus procedens; in ea sunt tres distinctæ personæ. In unâ essentiâ divinâ est Pater gignens, Filius genitus, & Spiritus Sanctus procedens. Ergo. *Major* certæ est & apertæ veritatis. Nam *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, quum propriè accipiuntur, personas notant; Et *gignere*, *gigni*, *procedere*, qui actus sunt personales, essentiæ communicationem significantes, à personis proficiscuntur, & ad eas terminantur. Insuper genitum à gignente, procedens ab iis à quibus procedit, tam necessariò distinguitur, quàm principiatum distinguitur à suo principio; id quod esse aliunde habet, ab eo à quo habet, cum idem à se ipso produci sit impossibile. *Minor* confirmatur auctoritate Scripturæ Sacræ; quæ cum Unum tantùm Deum nobis proponat in Veteri, *Deut.* 6. v. 4. *cap.* 32. v. 39. *Esa.* 44. vers. 1. & Novo Testamento, 1 *Cor.* 8. v. 6. *Ephes.* 4. v. 6. 1 *Tim.* 2. v. 5. eum tamen esse testatur Patrem gignentem, Filium genitum, & Spiritum Sanctum procedentem. de *Patre gignente* testimonia sunt: *Psal.* 2. v. 7. *Hebr.* 1. v. 5. *Filius meus es, ego hodie genui te. Ioh.* 5. v. 26. *Pater dedit Filio habere vitam in seipso.* 2 *Sam.* 7. v. 14. *Hebr.* 1. v. 5. *Ego ero ei* Pater, *& ipse erit mihi* Filius. *Matth.* 3. v. 17. *Cap.* 17. vers. 5. *Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco.* De *Filio genito* testimonia sunt: *Ioh.* 1. v. 14. 18. Filius *est unigenitus à* Patre, *in sinu* Patris. *Rom.* 8. v. 32. Christus *est proprius Dei filius. Heb.* 1. v. 3. Filius *est effulgentia gloriæ & character personæ* Patris. *Coloss.* 1. v. 15. Filius ille dilectus *est primogenitus omnis Creaturæ: Cujus exortus est inde à principio, à diebus seculi Mich.* 5. v. 2. Quem *possidebat Iehova principio viæ suæ ante opera sua, ante ullum tempus* Prov. 8. v. 22. De *Spiritu Sancto procedente* à Patre & Filio testimonia sunt: *Ioh.* 15. v. 26. *Quum venerit Advocatus ille, quem ego mittam vobis à* Patre, *Spiritus ille veritatis, qui à* Patre *procedit, ille testabitur de me. Matth.* 10. v. 20. *Spiritus Patris vestri est, qui loquitur in vobis. Rom.* 8. v. 9. *Qui Spiritum Christi non habet, non est ejus. Gal.* 4. v. 6. *Emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.*

Exci-

Excipiunt Samosateniani.

Primò: Etiam alios dici filios Dei; Angelos, *Iob.* 1. v. 6. Magistratus, *Psal.* 82. v. 6. & omnes fideles, 1 *Ioh.* 3. v. 2. *Ioh.* 1. v. 12. utpote ex Deo genitos v. 13. nec tamen unius esse cum Deo Patre essentiæ. *Resp.* Nimirum, quia filii Dei dicuntur communi quadam ratione. *Angeli* propter creationem & familiarem cum Deo conversationem *Iob.* 1. v. 6. & 2. v. 1. *Matt.* 18. v. 10. *Magistratus* propter dignitatem officii, in quo Dei sunt administri *Rom.* 13. v. 4. *Fideles* propter gratiam adoptionis, quâ facti sunt dilecti in dilecto illo, *Eph.* 1. v. 5. 6. & virtute Spiritus Dei regeniti 1 *Pet.* 1. v. 3. 23. At *Christus* filius Dei appellatur singulari ratione, quòd ex Deo, id est, Dei Patris essentiâ genitus, eoque ipsi æqualis est *Ioh.* 5. v. 26. 19. & *seq.* Probatur. I. Quia dicitur filius Dei Unigenitus, *Ioh.* 1. v. 14. Proprius, *Rom.* 8. v. 32. Æternus *Prov.* 8. v. 22. *Mich.* 5. v. 2. II. Quia *Heb.* 1. v. 5. negat Apostolus cuiquam angelorum nomen filii à Deo tributum; Ergo nec cuiquam hominum tributum, quos fecit Deus angelis suis inferiores. *Psal.* 8. v. 6. Christo igitur propter æternam à Patre generationem proprium est.

Filii Dei quatenus dicantur.
Angeli;
Magistratus.
Fideles,
Christus.

Secundò: Christum vocari filium Dei triplici de causa. I. Quia conceptus ex Spiritu Sancto *Luc.* 1. v. 35. II. Quia sanctificatus à Patre & in mundum missus *Ioh.* 10. v. 36. III. Quia à mortuis resuscitatus, *Act.* 13. v. 33. quemadmodum *Luc.* 20. v. 36. filii Dei dicuntur filii Resurrectionis. *Resp.* Est fallacia non causæ. Nulla harum vera causa est, cur Christus dicatur filius Dei. *Ratio* evidens est. Nam quod Christus ante sui conceptionem, missionem, & resuscitationem jam fuit, id per eas primùm factus non est. Atqui ante sui conceptionem, missionem, & resuscitationem jam fuit filius Dei. Nam *emisit Deus Filium suum factum ex muliere Gal.* 4. v. 4. In principio erat Verbum, & erat Deus; post factum est caro, & viderunt discipuli gloriam ejus ut Unigeniti à Patre *Ioh.* 1. v. 1. 14. Ergo. *Testimonia* quæ ad probandos diversos filiationis modos afferuntur, nihil probant. *Luc.* 1. v. 35. dicitur is, qui ex virgine Mariâ, Spiritus Sancti virtute; nasciturus erat, *Filius Dei*; quia secundùm promissionem Dei, *Esa.* 7. v. 14. *Matt.* 1. v. 22. 23. futurus erat Immanuel, θεάνθρωπος, filius Dei & filius hominis in unâ personâ. *Ioh.* 10. v. 36. causam filiationis suæ Christus non exponit; sed quod

Samosatenianorum modi Filiationis
refutantur.
Vindicatio dicti. *Luc.* 1. v. 35.
Ioh. 10. v. 36.

blasphemus non sit, Deum se vocando unum cum Patre, ostendit *argumento* à Minori ad majus: Magistratus civiles, absque blasphemiâ, Dii vocantur; Ergo multò magis Ego. *Antecedens* confirmat auctoritate Scripturæ *Psal.* 82. v. 6. *Consequentiam* comparatione imparium. Illi per sermonem, sive mandatum Dei facti sunt tantùm Magistratus civiles; Ego verò Filius Dei unigenitus sanctificatus sum à Patre, & in mundum missus Mediator Dei & hominum, atque id operibus meis satis superque vobis testatum facio, v. 37. 38. *Act.* 13. v. 33. æternam Christi generationem comprobat Apostolus testimonio irrefragabili resurrectionis, per quam declaratus est Christus Filius Dei *Rom.* 1. v. 3. Pater itaque resuscitando genuit Filium, id est, genuisse se declaravit; sicut phrasi Scripturæ nonnunquam tum res aliqua dicitur fieri, quando solet patefieri, *Ioh.* 15. v. 8. *Rom.* 3. v 26. & alibi. Eundem in modum *filii* beatæ *resurrectionis* vocantur *filii Dei Luc.* 20. v. 36. quia per resurrectionis gloriam perfecta ipsorum υἱοθεσία manifestatur *Rom.* 8. v. 19. 23. 1 *Ioh.* 3. v. 2.

Act. 13. v. 33.

Tertio. Psal. 2. v. 7. de Davide, 2. *Sam.* 7. v. 14. de Salomone sermonem esse. *Resp.* Atqui Apostolus utrumque dictum de Christo disertè exponit, *Heb.* 1. v. 5. agit ergo de illo; *Prius* quidem de solò Christo, *Posterius* de Christo & Salomone simul, pro natura propositionum, quæ *typicæ compositæ* appellantur; sed de illo principaliter, de isto minus principaliter.

Psal. 2. v. 7. & 2 *Sam.* 7. v. 14.

Quarto: *Prov.* 8. v. 22. per *Sapientiam* non intelligi filium Dei, sed virtutem illam quâ homines sapienter agunt; I. *Quia* per illam Reges regnant, & judices decernunt justitiam v. 15. 16. II. *Quia* sapientia hæc æterna est. At Christus est facta sapientia 1 *Cor.* 1. v. 30. *Resp.* Id per *sapientiam* intelligitur quod genitum est ante omne tempus *ex* v. 22. *& seqq.* Solus Filius genitus est ante omne tempus *Mich.* 5. v. 2. Ergo. Item: Id per sapientiam intelligitur, quod ante omnia opera fuit apud Deum; & per quod facta sunt, quæcunq; facta sunt, *ex iisdem versibus & seq.* Filius fuit ante omnia opera apud Deum, *Ioh.* 1. v. 1. per eum facta sunt quæcunque facta sunt v. 3. *Coloss.* 1. v. 16. *Heb.* 1. v. 2. Ergo. Si verò intelligitur *Filius Dei*, jam non intelligitur *virtus aliqua*, quę sit habitus sapiētię. Nam *Filius* est sapientia increata, *virtus* illa sapientia creata; *Filius* sapientia personalis, *virtus* illa accidentalis; *Filius* sapiētia per se subsistens, *virtus* illa habitus alteri inhærens. *Rationes* duæ se mutuo evertunt.

Prov. 8. v. 22.

Etenim

Etenim si sapientia illa æterna est; jam per illam, ut habitum infusum, Reges non regnant & contra. *Ratio*; quia subjectum finitum non est capax adjuncti infiniti. Utraque verò Scripturam pervertit. *Prima* quoad sensum. Nam v. 15. 16. Salomon describit Sapientiam non ex se, verum ex effectis, quæ in Regibus, Principibus, judicibus cernuntur: Sicut enim quicquid in hominibus lucis est, manat à verâ illa luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, *Ioh*. 1. v. 9 ita quicquid in Regibus, Principibus, judicibus est sapientiæ, & ab illis sapienter fit, id omne à personali hac sapientia proficiscitur. *Secunda* quoad sensum & verba: Etenim non ait Paulus Christum esse factam sapientiam, sed esse factum sapientiam; idque non absolutè, sed relatè, Nobis; tum *Objectivè*, quia in ipso absconditi sunt thesauri omnes sapientiæ, *Coloss*. 2. v. 3. tum *Effectivè*, quia per interiorem mentis illuminationem nos verè sapientes reddit *Matt*. 11. v. 27. *Ioh*. 1. v. 18.

Quinto. Spiritum Sanctum non personam, sed motum esse sanctum, aut qualitatem. *Resp*. Metonymicè ita accipi vocem verum est. At propriè personam notat. In quo significatu non tantum à motibus & qualitatibus, ut auctor eorum, distinguitur 1 *Cor*. 12. v. 8. *& seq*. sed etiam apparitiones, operationes, & alia personarum ἀποτελέσματα ei tribuuntur, de quibus infra.

Spir. S. non est motus sanctus aut qualitas.

Sexto. Procedere Spiritum Sanctum à Patre, ut accidens à suo subjecto; aut effectum à suâ causa. *Resp*. Si ut accidens procedit à subjecto, ut effectum à causâ; aut egreditur subjectum à quo procedit, aut non. Si *egreditur*, jam cum Patre & Filio non est unum essentia; jam non est intimus Deo, solus sciens, quæ sunt Dei. *Ratio*; quia essentia Dei est numero una, & Deus numero unus, secundùm essentiam. Insuper datur migratio accidentis de subjecto in subjectum. Consequens est contra Scripturam, 1 *Ioh*. 5. v. 7. 1 *Cor*. 2. v. 10. 11. & rectam rationem. Ergo. Si *non egreditur*, jam ponitur in Deo accidens, & compositio ex subjecto & accidente; causa item & causatum; quorum *illud* est contra naturæ infinitæ simplicitatem, *istud* contra absolutam ejusdem unitatem.

Neque à Patre procedit ut à subjecto accidens, aut à caussa effectum.

II. In quâ essentiâ alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, in eâ sunt tres distinctæ personæ. In una essentia divina alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Ergo. Major per se patet, quia vox *alius* notat diversitatem personę, ut *aliud* essentiæ.

Quia in essentiâ divinâ alius est Pater, alius Filius, alius Spir. S.

 Minor

Minor traditur in Scriptura partim αὐτολεξεὶ partim κατὰ συνακολούθησιν. *Primo modo*; quia Pater alius esse dicitur à Filio; *Iohan.* 5. *v.* 32. *alius est qui testatur de me*, scilicet Pater v. 30. 36. 37. Spiritus Sanctus item alius à Filio; *Ioh.* 14. v. 16. 17. *Ego rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, Spiritum illum veritatis. Secundo modo.* I. Filius est Patris 1 *Cor.* 3. v. 23. Spiritus Sanctus Patris, *Matth.* 10. v. 20. & Filii, *Gal.* 4. v 6. Ergo. Filius alius à Patre & Spiritus Sanctus alius à Patre & Filio. II. Filius est apud Patrem in sinu Patris, *Ioh* 1. v. 1. 18. cum Patre, *Prov.* 8. v. 22. *& seq.* Pater in Filio & Filius in Patre, *Ioh.* 14. v. 10. 11. Spiritus Sanctus à Patre, *Ioh.* 15. v. 26. ex Deo, 1 *Cor.* 2. v. 12. scilicet Patre & Filio. Ergo. III. Pater mittit Filium, *Gal.* 4. v. 4. Filius mittit Spiritum Sanctum à Patre, *Ioh.* 15. v. 26. Ergo. IV. Omnia sunt à Patre per Filium, 1 *Cor.* 8. v. 6. *Ioh.* 1. 3. *Cap.* 5. v. 19. & per Spiritum Sanctum *Gen.* 1. v. 2. 1 *Cor.* 12. v. 13. *Eph.* 2. vers. 18. Ergo.

Excipiunt.

Hinc non minus Essentiæ, quàm personarum distinctionem inferri posse. *Resp.* Negatur. Qui enim respectu personarum alius atque aliùs, respectu Essentiæ unum idemque esse dicuntur. Pater & Filius, *Ioh.* 10. v. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Pater Filius & Spiritus Sanctus 1 *Ioh.* 5. v. 7. *Tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus & hi tres unum sunt.*

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia tres Personæ proponuntur re numerata & numero numerante.

Quot personæ Deitatis in Scripturâ re numeratâ proponuntur, & numero numerante exprimuntur; tot omnino sunt in unâ essentiâ divina. Atque tres personæ Deitatis in Scripturâ re numeratâ proponuntur, & numero numerante exprimuntur, quæ sunt Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Ergo. *Minor* probatur de utroque modo. De *Re numeratâ* distinctè ex Veteri & Novo Testamento. *Ex Veteri Testamento* probationes ducuntur obscuriores,

Trinitas re numerata confirmatur. Ex Vet. Test.

partim propter infantilem Ecclesiæ Israëliticæ ætatem, *Gal.* 4. v. 1. cui revelatio contigit obscurior; *partim* quod plenior mysterii hujus cognitio reservata fuit illi temporum plenitudini, in quâ Deus emisit Filium suum factum ex muliere, v. 4. in quâ postremum nobis loqu-

loquutus est in Filio, *Heb.* 1.v.1.qui Filius Deum nunquam visum, tum in personâ sua, tum in operibus, tam clarè nobis revelavit, *Joh.* 1.v.18.*Matt.*11.v.27. ut qui ipsum videt, videat & Patrem, *Joh.*14. v.9.interim mysterium hoc ex Vet.Test. sufficiẽter probari potest, non modò si ejus cum N.Test.fiat collatio, (quod utut contra Judæos nihil, contra Samosatenianos tamen multum valet;) verum etiam si absolutè, & in se spectetur. Unde *Petrus Galatinus* in opere suo *de arcanis Catholicæ veritatis lib.2 cap.1.* Trinitatis doctrinam Judæis ante Christum natum cognitam fuisse, ex ipsorummet scriptis demonstrat. *Cæterum ex T.V. tres Probationum classes* constituimus. *Prima* est, ubi Deus in primâ personâ numeri pluralis de se loquens inducitur: *Gen.*1.v.26. *Dixit Deus; Faciamus hominem ad imaginem nostrã.* *Cap.*3.v.22. *Dixit Iehova Deus, Ecce homo est sicut unus ex nobis.* *Cap.*11.v.7. *Venite, descendamus & confundamus sermonem eorum.* *Secunda* est, ubi vel ipse Deus de Deo, tanquam de aliâ personâ, vel alii in Scripturâ de Deo, ut de diversis personis loquuntur. Primi generis sunt Hos.1.v.4.7. *Edixit Iehova, servabo eos per Iehovam Deum ipsorum.* *Hagg.*2.v.5. *Ait Iehova cum Verbo quo pepigeram vobiscum exeuntibus vobis ex Ægypto, & Spiritu meo stante in vobis, ne timeatis.* *Zach.* 3.v.2. *Dicebat Iehova Satanæ, increpet Iehova te, ô Satan.* Secundi generis sunt, *Gen.*1.v.2. *Spiritus Elohim* (id est Patris *Matth.*10.v.20.& Filii *Gal.*4.v.6.) *incubabat superficiei aquarum.* *Cap.* 19. v.24. *Iehova demisit pluviam sulphuris & ignis à Iehova,* id est, Filius à Patre, utpote cui dedit Pater omne judicium, *Joh.*5.v.22.2*Sam.*23.v.2. *Spiritus Iehovæ loquutus est in me, & Sermo ejus per linguã meam,* quod de Spiritu Sancto accipit Petrus 2 *Epist.*1.v.21. *Psal.*33.v.6. *Verbo Iehovæ facti sunt cœli, & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum.* *Psal.*45.v.8. *Vnxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ supra consortes.* *Psal.*110.v.1. *Dixit Iehova Domino meo, Sede ad dexteram meam.* *Esa.*63.v.9.10. *In omni angustia eorum &c.* Ubi Pater dicitur *Iehova* per synecdochen, Filius *angelus faciei Iehovæ*, *Exod.*23.v.20. Spiritus Sanctus *Spiritus sanctitatis Iehovæ.* *Tertia* est ubi de Deo loquentes numero ternario utuntur. *Esa.* 6.v.3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Iehova exercituum,* quod de Filio interpretatur Johannes *cap.*12.v.41. de Spiritu Sancto Paulus, *Act.*28. v.25. Sic *Exod.*3.v.6.15. *Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Iacobi &c.* *Ex Nov Test.* idem variis modis evinci potest. Sed sufficiunt testimonia illustriora *Matt.*3.v.16.17. ubi Filius baptizatur, Spiritus Sanctus apparet in forma columbæ, Pater cælitus clamat: *Hic*

1. cum Deus de se loquitur in prima persona plurali.

2. cum Deus de Deo tanquam alio loquitur.

3. cum de Deo loquentes ternario numero utuntur.

Ex N. Test.

Hic est Filius ille meus; dilectus ille, in quo acquiesco. Matt. 28. v. 19. *Baptizate in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti. Ioh.* 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum. Cap.* 15. v. 26. *Quum venerit advocatus ille quem ego mittam vobis à Patre; Spiritus, inquam, ille veritatis, qui à Patre emanat, ille testabitur de me.* 1 *Cor.* 12. v. 3. *Nullus per Spiritum Dei loquens, dicit Iesum* Anathema; *& nemo potest dicere Iesum* Dominum, *nisi per Spiritū Sanctum. Item* v. 4. 5. 6. *Distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus: & distinctiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus: & distinctiones actionum, sed idem Deus.* 2 *Cor.* 13. v. 13. *Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis. Gal.* 4. v. 6. *Emisit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra. Eph.* 2. v. 11. *per ipsum habemus aditum per unum Spiritum ad Patrem.* Porrò de *Numero numerante* testimonium est apertissimum Johannis Apostoli 1 *Epist.* 5. v. 7. *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres Vnum sunt.*

Trinitas numero numerante exprimitur.

Exceptiones Samosatenianorum.

Ad *Testimonia Veter. Testam.*

Primæ classis.

Primò: Deum honoris causâ de se loqui numero plurali, per Enallagen; ut Laban, *Gen.* 29. v. 27. David, 1 *Reg.* 1. v. 33. Daniel, *cap.* 2. v. 36. Christus, *Ioh.* 3. v. 11. & Reges principesque hodie omnes. *Resp.* Patitur quidem sermo Hebræus ut altera persona, sive secunda, sive tertia, honorificè numero plurali appelletur; at ut prima persona ita de se loquatur, id vero ab usu ejus prorsus est alienum, sicut observârunt cùm alii, tū *Rab. Aben-Ezra* in *cap.* 29. *Gen. Exempla* quæ contra afferuntur ex Scripturâ impertinentia sunt; quia non de unâ, sed de duabus pluribusve personis agunt. Nam *Laban* de se, & amicis præsentibus; *David* de se, & Salomone quem Regem instituerat; *Daniel* de se tribusque sociis; *Christus* de se, Johanne Baptista & discipulis loquitur. Quæ verò ex Regum principumque consuetudine petuntur, illa præterquam quod novi exempli, & synecdochica sunt, repugnant consuetudini Scripturæ, in quâ Reges etiam ambitiosissimi numero singulari de se solis loquentes introducuntur, ut in Pharaone, *Exod.* 5. *& seq.* Nebucadnetzare, *Dan.* 2. & 3. Balthasare, *Dan.* 5. & aliis omnibus videre est.

Prima persona pluralis apud Hebræos non usurpatur de uno.

Secundò. Hinc etiam πολυθεΐαν Ethnicorum elici posse; vel certè

certè non magis elici Trinitatem, quàm multitudinem personarum divinarum. *Resp.* Negatur *sequela.* Quia enim plures illi unum sunt, ut docet singulare à Mose *Gen.* 1. v. 27. & Christo *Matth.* 19. v. 4. usurpatum, corruit πολυθεΐα Ethnicorum. Cum etiam numerus pluralis indefinitè propositus ad ternarium à Christo *Matth.* 28. v. 19. & Johanne 1 *Epist.* 5. v. 7. restringatur, cadit multitudo personarum.

Tertiò: Gen. 1. Apostrophen esse ad creaturas, cujusmodi & *Esa.* 1. v. 2. occurrit; vel, tum isthic, tum *cap.* 3. & 11. recitari compellationem angelorum, quibuscum etiam aliàs consultavit Deus *Iob.* 1. & 2. 1 *Reg.* 22. *Resp. Apostrophe*, qualis est *Esa.* 1. hîc locum non habet; sed Platonicas de creatione fabulas redolet. Nam aliud est testem aliquem appellare, aliud in creationis societatem vocare. Neque etiam *compellatio Angelorum* ulli dictorum istorũ convenit. *Non primo*; quia quos compellat Deus, illi in opere creationis fuêre socii. Angeli non fuerunt socii. Ergo. *item:* Quos compellat Deus, ad eorum imaginem homo creatus est. Ad angelorum imaginem non est homo creatus. Ergo. *Non secundo:* quia Quos alloquitur Deus sunt ei pares; ait enim, Homo factus est sicut unus ex nobis. Angeli non sunt ei pares: Ergo. *item:* Quos alloquitur Deus eorum similitudinem homo ex promissione serpentis affectavit. Similitudinem cum angelis non affectavit. Ergo. *Non tertio:* quia illos alloquitur Deus, quorum opus est confusio linguarum. Id autem non est opus angelorum, sed solius Dei. Ergo. *Exempla* consultationis cum Angelis, quæ *Iob.* 1. & 2. 1 *Reg.* 22. narrantur ἀνθρωποπαθῶς, hîc minimè quadrant. *Ratio* duplex est *Prima*; quia angeli isthic expresè commemorantur nomine filiorum Dei, & exercitus cæli; hîc non commemorantur. *Secunda:* quia in consultationibus illis Deus non conjungit secum angelos in primâ personâ plurali, tanquam ejusdem operis socios, prout his locis facit.

Vindicatio dictorum Gen. 1. v. 26. & 3. v. 22. & 11. v. 7.

Secundæ classis.

Primò: Gen. 1. v. 2. per *Spiritum Dei* intelligendum esse, aut ventum, aut quandam Dei vim & efficaciam; Personam verò Deitatis intelligi non posse I. *quia* Spiritus ille non dicitur Deus, sed Dei. II. *Quia* opus incubationis est omnium personarum, juxta illud: *Opera ad extra sunt indivisa*, non unius Sp. Sancti. *Resp.* Glossa utraque textui repugnat. Illa de *vento.* I. Quia is nondum erat, nondum crea-

Vindicatio Loci Gen. 1. v. 2.

to aëre ſine expanſo v. 6. *& ſeqq.* II. Quia Spiritus ille incubando fovit aquas; Venti autem non fovent, ſed diſſipant & ſiccando conſumunt aquas. Altera de *vi & efficacia*; quia I. Efficacia illa, quæ metaphoricè *incubatio* dicitur, diſtinguitur à Spiritu Dei, ut effectum à ſuâ cauſsâ. Ergo non eſt ipſe Spiritus Dei. II. Actiones ſunt ſuppoſitorum. Incubatio eſt actio. Ergo eſt ſuppoſiti. Spiritus Dei igitur non vis aut efficacia, ſed ſuppoſitum eſt divinum; materiam primam virtute ſuâ omnipotente fovens & conſervans: ſicut opus creationis, eidem Spiritui aliis locis apertiſſimè tribuitur *Pſal.* 33. v. 6. *Pſal.* 104. v. 30. *Job.* 26. v. 13. *Eſa.* 40. v. 12. 13. Quod *Rationes* oppoſitas attinet: *Prima* planè inconſequens eſt; Dicitur Spiritus Dei. Ergo non eſt Deus. Imò quia dicitur Spiritus Dei, coeſſentialis Patri & Filio, eſt Deus; quemadmodum Chriſtus Homo eſt, quia filius hominis vocatur. *Secunda*, fallaciam habet à dicto ſecundum quid. Opera ad Extra ſunt indiviſa ſive communia: an omnimodè? haudquaquam, verùm ita, ut, ordo perſonarum, qui eſt in exſiſtendo, etiam ſervetur in agendo; cujus reſpectu fit, ut opus externum, tribus perſonis commune, uni earum ſingulariter tribuatur. Ita Incubatio non excluſivè, ſed ſingulariter tribuitur Spiritui Dei, quia immediatè & per ſe, etſi à Patre & Filio, eam peregit.

Secundò: Unus tantùm Jehova eſt *Deut.* 6. v. 4. Dum igitur Jehova pluit à Jehova *Gen.* 19. v. 24. pluit à ſe ipſo. *Reſp.* Unus tantùm Jehova eſt, eſſentialiter acceptâ voce. At perſonaliter, per Synecdochen, nomen hoc de Patre, Filio, & Spiritu Sancto in Scripturâ ſigillatim uſurpatur. Pluit igitur Jehova à Jehova, id eſt, Filius à Patre; prout etiam repetito hoc ipſo nomine diſtinguuntur *Hoſ.* 1. v. 7. *Zach.* 3. v. 2. I. *Quia* ille Jehova pluit, qui *cap.* 18. verſ. 20. 21. conſilium ſuum de delenda Sodoma Abrahæ revelavit. Is autem fuit Filius Dei. II. *Quia* Pater dedit Filio omne judicium *Ioh.* 5. verſ. 22.

Gen. 19. v. 24.

Tertiæ Claſsis.

Iteratio illa *Eſa.* 6. v. 3. notat ſanctitatis divinæ excellentiam, non perſonarum divinarum Trinitatem. *Reſp.* Ita videri poteſt non rectè inſpicienti textum; vel alia loca. *Textus* Trinitatem Perſonarum clarè ſatis inſinuat verſ. 3. & 8. ex quorum colla-

collatione tale nascitur argumentum: A quo missus est Esaias: Ei acclamant angeli Sanctus, Sanctus, Sanctus. Atqui missus est à Patre, Filio & Spiritu Sancto. *Ratio*; quia vers. 8. Pater dicit Filio, & Spiritui Sancto *quis iturus est nobis?* Ergo. *Alia* verò *loca*, N. Test. inprimis, *Ioh.* 12. v. 41. & *Actor.* 28. v. 25. hæc de Filio & Spiritu Sancto exponunt. Dicta igitur sunt ad illos quoque.

Ad *Testimonia in Nov. Testam.*

Vindicantur dicta N. Test *Matt.* 28. v. 19.

Matth. 28. v. 19. Nullo modo confirmari Trinitatem personarum divinarum. I. *Quia* etiam in Mosen baptizatum, 1 *Cor.* 10. v. 2. qui tamen Deus non fuit. II. *Quia* in aliquem baptizari, est ipsum agnoscere doctorem 1 *Cor.* 1. vers. 12. III. *Quia* alioquin non rectè baptizaretur in nomen Jesu, qui non est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quod tamen ab Apostolis actum legimus *Actor.* 2. vers. 38. & alibi. *Resp.* *Trinitas* personarum divinarum ex institutione *Baptismi* multis modis confirmari potest. I. Ad cujus obedientiam & cultum obligamur, is est verus Deus *Matth.* 4. v. 10. Atqui in cujus nomen baptizamur, ad ejus obedientiam & cultum obligamur 1 *Cor.* 1. v. 13. Ergo. II. In quem credimus & baptizamur, is est verus Deus, argumento loci, *Ephes.* 4, v. 4. 5. Atqui credimus & baptizamur in nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ergo. III. Qui instituit Baptismum, ac signatum ejus nobis confert; est verus Deus. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus instituerunt Baptismum, ac signatum ejus nobis conferunt. *Ratio*; quia in illorum nomine administratur. Ergo. IV. Qui in eodem auctoritatis & honoris gradu cum Deo Patre locantur, sunt verus cum ipso Deus. Atqui Filius & Spiritus Sanctus in eodem auctoritatis & honoris gradu locantur. Ergo. Jam *Rationes* oppositas examinemus. *Prima* peccat fallacia phraseos. *In Mosen baptizari* idiotismo Hebræorum est per Mosen baptizari, Mose duce atque administro; & *Baptizari* non est in aquam mergi, vel eâ tingi, sed sub nube esse, & per mare transire *ex* vers. 1. Quæ profectio sub nube, & per mare *baptismus* vocatur metonymicè, quia baptismi nostri typus fuit, hîc autem utriusque antitypus 1 *Petr.* 3. v. 91. *Secunda* peccat eâdem fallaciâ. Nam *Baptizari in alicujus nomen* propriè est baptizari in alicujus cultum, ut

Baptismus probat Trinitatem.

In Mosen Baptizari quid.

Baptizari in alicujus nomen quid.

ei fide ac obedientiâ adhæreamus; sicut patet ex sententia Apostoli 1 *Cor.* 1. v. 13. Interim non diffitemur cultus hujusce partem esse, agnoscere Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum Doctorem veritatis, à cujus ore pendere debeamus; sed Doctorem non inferiorem, verùm summum illum, de quo Christus, *Unus est Doctor vester Matth.* 23. v. 10. Locus 1 *Cor.* 1. v. 12. testatur Corinthios denominâsse se à suis doctoribus, non autem caussam hanc reddit, quod in nomen ipsorum baptizati fuerint. *Tertia* inconsequens est; quia in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizari dicimur propriè, in nomen Jesu synecdochicè; cujus solius mentio fit *Actor.* 2. v. 38. *& alibi*, non ut Pater & Spiritus Sanctus excludantur; (quomodo alioquin satisfecissent Apostoli mandato Christi *Matth.* 28. v. 19?) sed quia beneficia, quæ per Baptismum obsignantur, Remissio peccatorum, & Donum Spiritus Sancti, à merito Jesu Christi immediatè dependent.

Baptizari in nomen Jesu synecdochicè dicitur.

1 *Cor.* 12. v. 4. 5. 6.

1 *Cor.* 12. v. 4. 5. 6. Nominari quidem Spiritum, Dominum, & Deum, at non dici esse unum Deum. Subordinari ergo Spiritum, & Dominum Deo, ut caussæ inferiores superiori, minus principales principali subordinari solent. *Resp.* Non dicitur id διὰ ῥητῶν, sed per consequentiam. Nam ἀποτελέσματα divina præsupponunt supposita divina. Distinctiones donorum, & distinctiones ministeriorum in Ecclesia per effectionem eorundem, sunt ἀποτελέσματα divina. I. Quia hoc loco in eodem gradu ponuntur, cum distinctione operationum, quæ dicitur esse ἀποτέλεσμα Dei scil. Patris v. 6. II. Quia passim in utriusque Testamenti Scripturâ ad Deum tanquam unicum auctorem referuntur. Ergo. *Subordinationis* autem speciem, quam fingunt Hæretici, tollit non modò ordo æqualium effectorum v. 4. 5. 6. propositus, sed etiam sententia, v. 11. antecedenti, v. 6. respondens: *Omnia hæc agit Unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim illa singulis sicut vult &c.*

1 *Ioh.* 5. v. 7.

1 *Johann.* 5. v. 7. *Primò* non exstare versum illum in editione Syra, neque etiam in multis exemplaribus Græcis. *Secundo* Unitatem essentiæ in Patre, Sermone, & Spiritu Sancto, non magis inde probari posse, quàm probari potest esse eam in Spiritu, aquâ, & sanguine v. 8. *Resp. Primò*, Editio Syra authentica non est: Græca exemplaria etsi non omnia habeant hunc locum,

Defectus hujus versus in quibusdem codd. unde.

locum, plurima tamen habent eaque antiquissima. *Cyprianus* adducit eum in tractatu *de unitate Ecclesiæ*, *Athanasius* in disputatione illa quam cum Arrio Niceæ instituit, adversario nihil quicquam contra excipiente. Postea, & ut versimile est sub Constantio & Valente Impp. in multis codicibus ab Arrianis deletus fuit, quod nimis manifectum esset Trinitatis testimonium, ut docet *Hieronymus*. Quin etiam particula copulativa καὶ testiumque cœlestium & terrestrium pari numero oppositio, eum planè genuinum esse ostendunt. Quibus consonat ipsius Christi auctoritas *Iohann.* 8. v. 17. 18. *In Lege vestrâ scriptum est duorum hominum testimonium firmum esse; Ego is sum qui testor de me ipso, & testatur de me, qui misit me Pater.* Hîc duos testes cœlestes nobis proponit. Deinde *cap.* 15. v. 26. tertium addit; *Spiritus ille Veritatis testabitur de me. Secundò* admittitur Elenchus parium. Nam vers. 7. dicitur οἱ τρεῖς ἕν εἰσι: vers. 8. autem οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν; quæ loquendi formulæ dispares sunt, posterior tantùm sententiæ sive finis non etiam essentiæ, prior & essentiæ & sententiæ unitatem designans. Illud per se liquet. Hoc confirmatur, non modo verbis textus v. 7. *Tres testificantur, & hi tres Vnum sunt*; verùm etiam unitate consensus & voluntatis, quam ipsi adversarii hoc loco agnoscunt. I. Quibus est ὁμοβουλὴ essentialis, necessaria, perpetua, iisdem est ὁμουσία; atque ita essentiæ & sententiæ Unitas. Patri, Filio & Spiritui Sancto est ὁμοβουλὴ essentialis, necessaria, perpetua. Ergo. *Major* in confesso est. Nam ὁμουσία fundamentum est τῆς ὁμοβουλῆς, quæ essentialis, necessaria, perpetua dici meretur. *Minor* probatur: Quorum testimonia sunt pariter & per se divina, inter eos est ὁμοβουλή essentialis, necessaria, perpetua. *Ratio*; quia Dei secum consensus talis est. Patris Filii & Spiritus Sancti testimonia pariter sunt & per se divina. Ergo. *Minorem* sic ostendo: Qui in eodem ordine ac gradu testium collocantur, eorum unius quum per se divinum est testimonium, cæterorum sunt pariter divina. Atqui Pater, Filius & Spiritus Sanctus in eodem ordine ac gradu testium collocantur: Pater *partim ex* vers. 7. ubi hi tres esse dicuntur testes cælestes, *partim ex* vers. 8. per antithesin: Spiritus, aqua, & sanguis; sive Verbum & Sacramenta Baptismi & Cœnæ; sunt ejusdem ordinis gradusque testes terrestes. Ergo Pater, Filius & Spiritus Sanctus, sunt ejusdem ordinis gradusque testes cœlestes.

Probatur autem exinde trium testium essentialis ὁμοβουλή.

partim etiam ex aliis locis, ubi tres illi tanquam ejusdem auctoritatis testes conjunguntur *Matth.* 3. v. 16. 17. *Iohan.* 8. v. 17. 18. & 15. v. 26. Ergo. Jam verò Patris testimonium per se divinum est humano omni majus; ut affirmatur v. 9. Ergo Filii & Sp. S. testimonia sunt pariter divina. II. Potentiæ & voluntatis divinæ ad essentiam divinam par ratio est. Atqui potentiæ divinæ ad essentiam ea ratio est, ut qui unum est cum Deo potentiâ, unum quoque sit essentia. Ergo etiam qui unum est cum ipso voluntate, unum quoque sit essentia; & per consequens cum Filius & Spiritus Sanctus Unum sint cum Patre voluntate, unum quoque sunt essentiâ. *Major* certa est, quia neutra differt in Deo ab essentia ejus. *Minorem* probo Christi testimonio *Iohann.* 10. v. 30. *Ego & Pater Unum sumus*; quod de Unitate tum potentiæ, tum essentiæ accipiendum esse, textus clarè docet. De *illâ* quidem; Nam ita colligit Christus. Nemo rapiet oves meas è manu vel meâ, vel Patris; quia Pater major est omnibus vers. 29. Ego autem & Pater Unum sumus vers. 30. Ergo & Ego sum major omnibus. De *istâ* verò I. *Quia* Judæi propterea Christum lapidare voluerunt, quasi blasphemum; dicentes: *Tu homo cum sis, facis te ipsum Deum* vers. 31. 33. II. *Quia* Christus dictum illud suum, quod sit Deus & Dei Filius, auctoritate Scripturæ & operum suorum defendit v. 34. & *seqq.*

Earundemque Vnitas potentia essentialis.

Negantes Heterodoxa.

Rationes Samosatenianorum.

Ex natura *Subjecti*:

Quia in una essentia non sit Pater ingenitus & gignens Filius genitus, & Spiritus S. procedens

I. In quâ essentiâ non est Pater Ingenitus & Gignens, Filius Genitus, & Spiritus Sanctus Procedens; in eâ non sunt tres Personæ talibus notionibus distinctæ. In Unâ essentiâ Divinâ non est Pater Ingenitus & Gignens, Filius Genitus & Sp. S. procedens. Ergo. *Minor* probatur dupliciter, in genere de universis, & in specie de singulis. *In genere.* I. Qui non sunt unus Deus, non sunt in unâ essentiâ Divinâ. Pater Ingenitus, Filius Genitus, &c. non sunt unus Deus. *Ratiò*; quia ingenitum & genitum plus quàm genere differunt. Ergo. *Resp.* Falsa est *Minor* & probatio ejus, quia corruptibile & incorruptibile plusquam genere differre dicuntur. *Ingenitum* verò & *Genitum* in divinis, ubi generatio fit sine motu & mutatione, *Iac.* 1. v. 17. modo tantùm diffe-

Ingenitum & genitum quomodo differant.

differunt. In creaturis autem intelligentibus differunt aut ſpecie, ut Angeli & Homines: aut individuo ſive natura individuali, ut Protoplaſti, qui non geniti ſed creati fuerunt & liberi ipſorum qui geniti. II. In Deo nihil eſt niſi Eſſentia & relatio. At Eſſentia nec gignit nec gignitur nec procedit, ut eſt in confeſſo; Nec Relatio, quia eſt accidens. Ergo. *Reſp.* Eſt inſufficiens partium enumeratio in *Majore*. Præter Eſſentiam & Relationem ſeorſim ſumta, eſt Perſona ex utraque conſtans, non tanquam ex partibus componentibus, ſed tanquam ex re & modo ejus. Ea aut gignit, aut gignitur, aut procedit. Eſſentia generando vel ſpirando communicatur. Relatio gignens à genito & procedente diſtinguit. Deinde falſum, relationem eſſe accidens in Deo. Eſt notio ſubſtantialis, Eſſentiam modificans. III. Independens & Dependens non ſunt in unâ numero eſſentiâ. Pater eſt independens, quia ingenitus; Filius & Spiritus Sanctus dependentes, quia ille genitus à Patre, iſte procedit à Patre & Filio. Ergo. *Reſp.* Vel *Major* negari poteſt de perſonis diſtinctis intellecta: vel *Minor*; quia dependentia in Eſſe propriè dicitur de creaturis, quarum finita eſt eſſentia. IV. Quæ unum ſunt in Deo perſonas diſtinctas non conſtituunt. Intellectus & Voluntas, intellectio & volitio, Sapientia & Amor unum ſunt in Deo. Ergo. *Reſp.* Unum ſunt illa omnia *abſolutè*, & in communitate eſſentiæ ſpectata. *Relatè* autem in proprietate Perſonæ conſiderata, diſtinctos ſubſiſtendi modos faciunt; ſicut ſapientia, amor, virtus, & quæ alia hujus generis, jam abſolutè & eſſentialiter, modò relatè & perſonaliter in Sacris uſurpantur. Præterea etſi modum generationis & proceſſionis ita declarent multi, atque ex naturâ Intellectus & Voluntatis creatæ myſterium Trinitatis ediſſerant; tutius tamen eſt hîc ſe continere intra metas verbi revelati, neque ſupra id quod ſcriptum eſt ſapere. *In ſpecie.* De PATRE. I. Spiritui non convenit gignere. Deus Pater eſt Spiritus. Ergo. *Reſp.* Limitando *Majorem*. Non convenit gignere modo Phyſico; eſt enim altioris ordinis: at convenit modo vel Metaphyſico, ſi Spiritus ſit creatus; vel Hyperphyſico, ſi increatus. *Phyſicè* homo gignit hominem, ſubſtantia ſubſtantiam, à ſe Efficienter, ex ſe Materialiter, extra ſe terminativè. *Metaphyſicè* mens gignit rationem, ſubſtantia accidens, à ſe efficienter;

Gignere quomodo Spiritui conveniat.

ter, & in se subjectivè. *Hyperphysicè* in divinis Pater gignit Filium, persona personam à se, quia Filius est à Patre, *Iohann.* 1. vers. 14. & in se, quia est in Patre, *cap.* 14. vers. 10. 11. propter communem essentiam; sed neque efficientur propriè, quia Pater non est caussa Efficiens Filii; neque subjectivè, quia ei non substat vel ut substantia accidenti, vel ut ὑπόστασις τῷ συνυποστάτῳ. Hoc posteriori modo, qui Spiritui Increato generationem personaliter convenire negant, Scripturam negant, testificantem de Patre, quod genuerit Filium, *Psal.* 2. v. 7. *Hebr.* 1. v. 5. de Filio, quod sit Unigenitus à Patre *Iohann.* 1. vers. 14. & 3. v. 16. II. Pater neque volens neque nolens gignit. Ergo planè non

Pater gignit naturâ Filium.

gignit. *Resp.* Est insufficiens enumeratio. Pater gignit non voluntate, sed naturâ; non illius decreto, sed hujus proprietate. Potest tamen dici volens gignere aut genuisse, quatenus ut gigneret coactus non fuit. III. Pater aut semper gignit, aut aliquando desinit gignere. Si semper gignit, Filius semper est suppositum imperfectum; si desinit gignere, mutatio est in Deo

Generatio æterna est & perfectissima.

à gignente ad non gignentem. *Resp.* Pater gignit Filium naturæ suæ convenienter. Natura autem ejus æterna est. Ergo & modo æterno ipsum gignit. Æternum verò temporum differentiis, quas utrumque dilemmatis membrum includit, non subjacet. Præterea negatur *consequentia* membri prioris. Nam Actus generationis semper est perfectissimus, omnis motus, mutationis atque ita successionis expers. Ergo & terminus ejus semper est perfectissimus. Filius verò est terminus generationis Patris, quia ea ad hypostasin ipsius terminatur. Ergo Filius semper est suppositum perfectum. IV. Gignens gignit alium sibi similem. Deus Pater non gignit alium Deum similem; quia Deus unus est. Ergo. *Resp.* ad *Minorem.* Deus Pater gignit Deum Filium, non alium Deum absolutè, sed aliam in Deitate Personam, quæ similis est Patri, quia character est τῆς ὑποστάσεως αὐτῦ *Hebr.* 1. vers. 3. De FILIO. I. Genitum simile est gigenti. Filius non est similis gignenti. Ergo. *Minor* probatur. *primo:* Qui ipse non gignit, gignenti similis non est. Filius ipse non gignit. Ergo.

Filius Patri similis est, etiam si non gignat.

Resp. *Minor* universaliter falsa est & contra Scripturam, quæ utrumque docet, non gignere Filium, & tamen ipsum gignenti similem esse. Limitanda igitur: Qui ipse non gignit gignenti similis non est, scil. in relatione generationis. At similis est in naturâ,

turâ, per generationem communicatâ, & proprietatibus ejus. Ita Filius non est similis Patri in relatione gignentis; nam per eam Pater à Filio distinguitur, est alius à Filio: sed in essentia & proprietatibus essentialibus ipsi à Patre per generationem communicatis, quibus ut imago lucidissima, *Col.*1. v. 15. adeò eum refert, ut qui ipsum videt, videat & Patrem *Iohann.* 14 vers. 9. *Secundò*: Λόγος sive Verbum simile est non intelligenti, sed objecto. Filius est Λόγος *Iohann.* 1. v. 1. Ergo. *Resp.* *Major* non est universalis. Nam quum intelligens seipsum comtemplatur, ut contemplationis sui objectum sit, ita Verbum ipsi est simile. *Adhæc* alia ratio est Verbi sive interni sive externi accidentalis, alia personalis. Illud præter intelligentem innumera alia objecta habet quæ repræsentat. Hoc nec repræsentat, nec habet quem repræsentet alium, quàm Patrem, *Ioh.*14.v.9. *& seqq.* *Coloss* 1. v. 15. *Hebr.* 1. v. 3. utpote ad quem solum relationem originis obtinet. II. Quod gignitur, à non esse ad esse producitur. Filius æternus non producitur. Ergo. *Resp.* *Major* vera est de Physicâ generatione, quæ est motus à non esse ad esse; De Hyperphysicâ Divinâ falsa; quia hæc non productione à non esse ad esse, sed essentiæ divinæ, quæ actus est simplicissimus, communicatione; non motu qui fit in tempore, sed æternitate in Scripturis definitur. III. Si Filius genitus est à Patre, vel actu præfuit in ipso, vel potentiâ. Si actu, Ergo fuit antequam gigneretur. Si potentiâ, Ergo in Deo est potentia passiva. *Resp.* Non præfuit in Patre vel actu vel potentia; quia ab æterno simul fuit cum Patre, ut æternus æterni Patris Filius. Relata, quâ talia simul sunt, non priora vel posteriora. Pater & Filius sunt relata; Deus Pater & Deus Filius relata æterna. Ergo. Fundamentum quidem relationis hujus concipitur ut prius, ut præexsistens; at id fit modo intelligendi nostro, qui objectum infinitum non nisi finitis & divisis conceptibus percipimus. De SPIRITU SANCTO sic: Spiritus Sanctus aut procedit similis Deo Patri, aut dissimilis. Si similis, est Filius Patris, atque ita Λόγος non est Filius unigenitus. Si dissimilis, non est Deus. *Resp.* I. Procedit similis & dissimilis. Similis, quoad essentiam quam ineffabili processione accipit à Patre, *Iohan.* 15. v. 26. sed non à Patre tantùm, verùm etiam à Filio, 1 *Cor.* 2. v. 12. *Rom.* 8. v. 9. cui perinde similis est. Dissimilis, quoad relationem originis,

Spiritus S. quatenus Patri similis sit, & quatenus dissimilis.

quâ ab utroque distinguitur. II. Negatur *sequela* utriusquē membri. *Primi*; quia similis dicitur Patri, non quatenus Pater est. Nam relationem Paternitatis habet ad solum Filium, qui Unigenitus est; sed quatenus spirans est cum Filio, atque ita relationem Spirantis habet. At quâ tamen non denominatur, ne multiplicatio personarum divinarum induci videatur. *Secundi*; quia dissimilitudo relationis dissimilitudinem essentiæ haudquaquam infert.

Quia in unâ essentiâ divinâ solus Pater sit Deus.

II. In quâ essentiâ Solus Pater est Deus, in eâ non sunt tres distinctæ personæ. In unâ essentiâ divinâ solus Pater est Deus. Ergo. *Minor* confirmatur cum aliis tum his Scripturæ testimoniis. *Ioh.* 17.*v.*3. *Hac est vita æterna, ut te, Patrem, cognoscant illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*; ubi particula exclusiva evidenter cohæret cum subjecto *Te.* 1 *Corinth.* 8. v 5.6. *Nam etiamsi sint, qui dicantur Dii, & in cœlo & in terrâ; sicut sunt dii multi & domini multi; Nobis tamen unus est Deus, Pater ille, à quo omnia & nos in ipso; & unus Dominus, Iesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum.* Hîc Deus & Dominus distinguuntur, & opponitur Deo Christus, non ut Deus falsus, sed ut Deus factus. 1 *Tim.* 2. v. 5. *Vnus est Deus, unus mediator Dei & hominum, Homo Iesus Christus.* Hinc concludunt. I. Mediator distinguitur ab uno Deo. Ergo Deus non est. II. Mediator est Dei sive apud Deum. Ergo non est ipse Deus, quia alioquin mediator esset sui ipsius. III. Homo non est Deus. Mediator est homo. Ergo. *Resp* Ad *Majorem*: In quâ essentiâ Pater solus est Deus, sc. oppositè ad Filium & Spiritum Sanctum, & non ad creaturas, numinave fictitia tantùm; in eâ non sunt tres distinctæ personæ.

Vindicatio dictorum. *Ioh.* 17. v. 3.

Hoc sensu, qui Samosatenianorum est, *Minorem* falsam esse, nec testimoniis subjectis confirmari, contendimus. *Iohann.* 17. v. 3. particula exclusiva, *solum*, non cohæret cum subjecto *Te*, sed cum prædicato *Verum Deum*; opponiturque non Filio, aut Spiritui Sancto; sed creaturis, ac fictitiis numinibus. *Prius ostendit* structura Grammatica, *ut cognoscant Te, illum solum verum Deum*, non autem *ut cognoscant solum te, illum verum Deum*, prout dicendum fuisset, si exclusiva cum Pronomine *Te* cohæreret; *ostendit* structura Logica. Nam de Patre conjunctim prædicatur, quod sit *ille solus verus Deus*, id est, ille Deus, præter quem non est alius verus Deus. Et ad quam partem propositionis pertinet vox

verum,

verum, ad eandem etiam altera *solum*. At illa dubio procul pertinet ad prædicatum; Non enim sensus est, Verus Pater est Deus, sed Pater est verus Deus. Ergo. *Ostendit* denique locorum aliorum collatio: 1 *Cor*. 9. v. 6. *An solus ego & Barnabas non habemus facultatem non operandi?* hîc *solus* non excludit Barnabam, sed includit. 1. *Cor*. 8. v. 6. *Vnus Dominus Iesus Christus*; & tamen Pater frequentissimè *Dominus* appellatur. *Matth*. 23. v. 10. *Vnus Doctor vester est, Christus*; cùm tamen etiam Spiritus Sanctus *Doctor veritatis* vocetur *Ioh*. 14. v. 26. & 16. v. 13. *Posterius* hoc argumento evincitur: Illos particula *solum* excludit à verâ Deitate, quibus opponitur. At opponitur idolis 1 *Thess*. 1. v. 9. *Annunciant, quomodo converteritis vos ad Deum relictis idolis, ut serviretis Deo vivo & vero*; opponitur Diis fictis *Ier*. 10. v. 11. & 10. *Dii isti qui cælum & terram non fecerunt, perituri sunt è terra. At Iehova Deus verus est, Deus vivens, & Rex sempiternus.* Filio verò nullo modo opponitur. I. *Quia* est verus ille Deus 1 *Iohann*. 5. v. 20. II. *Quia* conjungitur cum vero Deo, v. 3. tanquam gloriâ æternâ præditus v. 5. III. *Quia* non minus in ipsius, quàm in Patris cognitione consistit vita æterna, & ab eâ proficiscitur v. 3. IV. *Quia* in ejus cognitione gloriari licet, *Phil*. 3. v. 3. 1 *Cor*. 1. & 2. *cap*. cùm tamen in solius Jehovæ cognitione gloriandum sit *Ierem*. 9. v. 24. Ergo Filium non excludit. De Spiritu Sancto eadem ratio est. 1 *Cor*. 8. v. 5. 6. *Vnus Deus* dicitur *Pater*, non relatè ad Filium, aut Spiritum Sanctum, sed ad idola. Probatur I. ex antithesi duplici, una v. 4. *Idolum nihil est in mundo, & nullus est Deus alius nisi unus*; altera v. 5. 6. *Etiamsi sint qui dicantur Dii in cælo & in terrâ, Nobis tamen Vnus est Deus.* Illi igitur excluduntur, qui uni vero Deo opponuntur. Idola opponuntur. Ergo. II. Qui æquivocè, opinione hominum Deus est, opponitur uni Deo v. 5. 6. sive, ut alibi loquitur Apostolus, qui naturâ non sunt Dii, opponuntur uni Deo *Gal*. 4. v. 8. Filius non est Deus æquivocè opinione hominum; quia est verus ille Deus, 1 *Ioh*. 5. v. 20. non est ex numero eorum, qui natura non sunt Dii; quia unum est cum Patre. *Ioh*. 10. v. 30. Patri æqualis *cap*. 4. v. 19. & *seqq*. Ergo. III. *Vnus Dominus* non excludit à dominio Patrem, qui *Dominus Dominorum* vocatur 1 *Timoth*. 6. v. 15. Ergo. nec Unus Deus Pater à Deitate excludit Filium, qui dicitur verus ille Deus. *Ratio* consequentiæ est in paritate geminâ. Nam

1 *Cor*. 8. v. 5. 6.

vox *Vnus* tam est exclusiva in posteriori sententiâ, quàm in priore; & unus Dominus æquè opponitur multis Dominis, verſ.5. quàm unus Deus multis Diis, *ibidem*. Distinguuntur quidem inter se *Vnus Deus Pater ille*,& *Vnus Dominus Iesus Christus*, at non *essentialiter*, quâ Unus Deus, Unus Dominus,sed *personaliter*, quâ Pater, quâ Jesus Christus Filius Patris. Nam Pater & Filius duæ sunt distinctæ personæ. Essentialiter verò distinguuntur Unus Deus & multi Dii, Unus Dominus & multi Domini; quia illi essentia est verè divina, istis est essentia divina putativa sive imaginaria, id est, nulla v. 4. Quod *ajunt* Christum opponi vero Deo non ut falsum, sed ut factum, insulsum est. Etenim factum non opponitur vero, sed non facto. Imò omne factum est verum,quia omne ens est verum. Filium autem non esse Deum factum patet; quia omnia per ipsum facta sunt (puta visibilia & invisibilia, *Col*.1.v.16.) & absque eo factum est nihil quod factum est *Ioh*.1.v.3.Aut ergo à se ipso factus est aut non.Si *factus* à seipso, est causa sui ipsius. At nihil est causa sui ipsius; quia nihil est seipso prius & posterius. Si *non factus*; falsa est utraque Universalis Apostoli: Affirmativa, *Omnia per ipsum facta sunt*. Negativa,*Absque eo factum nihil, quod factum sit*. Adhæc: Quicquid factum, in tempore factum; quia in principio creavit Deus cœlum & terram *Genes*. 1. v. 1. Filius non est factus in tempore; quia in principio jam erat *Iohann*. 1. v. 2. Jehova possidebat ipsum principio viæ suæ,ante opera sua, ante ullum tempus *Prov*. 8. v. 22. Ergo.

1 Tim. 2. v. 5. Ad locum 1 *Tim*.2.v.5. *Resp*. Ad Primum *arg*. Unus mediator distinguitur ab uno Deo, non naturâ divinâ, sed officio. Nam qui exsistebat in formâ Dei, æqualis Deo, acceptâ formâ servi suscepit ac gessit officium mediatorium in utrâque formâ *Phil*.2.v.6.7. Sic distinguitur à verò Deo, ut tamen ipse sit & appelletur Deus *Actor*. 20. v. 21. & verus Deus 1 *Iohann*. 5. v. 20. Ad *Secundum*: Valet consequentia de Mediatore, qui internuncius tantùm sit, & famulus in domo Dei, ut Moses *Galat*. 3. v.19. *Hebr*. 3. v. 5. De Christo, qui redemit Ecclesiam proprio sanguine, 1 Petr.1. v. 19. ac ut filius domui præest, *Hebr*. 3. v. 6. negatur. Nam quia est Mediator redimens, rectè colligimus esse Deum, cum λύτρον non potuerit esse dignum & sufficiens, nisi Dei, *Actor*.20. v.28. Filii Dei 1 *Ioh*. 1. v. 7. *Ratio* ab absurdo absurditatis nihil habet. Est Mediator sui ipsius, non quasi vel ut tertia aliqua persona

persona interveniat inter se & homines, ita enim Mediator est Dei Patris, Spiritus Sancti & hominum, à quibus distincta est persona; sed quia actum mediationis, à quo mediator vocatur, id est, reconciliationem hominum offendentium cum Deo offenso peragit, non modò apud Patrem & Spiritum Sanctum, reconcilians eos Patri & Spiritui Sancto, sed etiam apud seipsum, reconcilians eos sibi. Quod ipsum declarat parabola illa, quæ est, *Matth.* 21. v. 33. & nobis quoque faciendum docet, sive offensi simus, *Cap.* 18. v. 15. sive offendentes, *Cap.* 5. v. 23. *& seqq.* Ad *Tertium*: Homo non est Deus, Physicè; quia disparata sunt plus quàm genere differentia: hyperphysicè Homo Jesus Christus est Deus. *Ratio* est, quia per gratiam Unionis Filius Mariæ est Filius Altissimi *Luc.* 1. v. 31. 32. Is qui ex Patribus oriundus quod ad carnem, Deus benedictus in secula *Rom.* 9. v. 5.

Ex natura *Prædicati*:

I. Unus non est trinus. Deus est Unus *Deuteron.* 6. v. 4. 1 *Cor.* 8. v. 4. 6. *Ephes.* 4. v. 6. Ergo. *Resp.* *Major* particularis est, de Deo falsa; de quo ita Johannes 1 *Epist.* 5. v. 7. *Hi tres unum sunt*, sc. essentiâ; sive Hi tres sunt unus ille Deus. *Majorem probant*: I. Quæ implicant contradictionem, de eodem affirmari non possunt. Unum & Trinum implicant contradictionem. Ergo. *Resp.* ad *Majorem*: Non possunt affirmari de eodem, si ei tribuantur secundum idem, ad idem, & eodem tempore; quæ ut omnis legitimæ oppositionis, ita quoque contradictionis leges sunt. At verò Unum esse, & Trinum esse, affirmatur de Deo non secundũ idem, sed secundũ diversa. Non enim dicitur esse Unus essentia & Trinus essentia; Unus persona & Trinus persona; sed Unus essentia & Trinus personis; Unus absolutè & Trinus relatè. *Excipiunt*: Nullam esse distinctionem inter essentiam & personam hoc modo: Quæ unum idemque sunt, eorum distinctione non tollitur contradictio. Essentia & persona sunt unum idemque in Deo. *Ratio*; quia persona nihil est, quàm essentia intellectu prædita. Ergo. *Resp.* *Minor* falsa est. *Probatio* deficit ob Elenchum definitionis; quæ si vera est & adæquata, omnes Angeli, omnesque homines, qui Unum sunt essentiâ intellectu præditâ, Unum etiam sunt personâ. Differunt ergo Essentia & Persona.

Quia unus non sit trinus.

Esse unum & trinum, quomodo Deo tribuatur.

Differentia Essentiæ & Personæ.

persona. Nam *Essentia* est communis, *persona* singularis; *Essentia* absoluta, *persona* relata; *persona* est id quod subsistit, *Essentia* est id in quo persona subsistit. Proin & distinctio essentiæ ac personæ in Deo immota consistit. II. Una numero essentia, non est trium personarum; quia personæ multiplicantur secundum essentias individuas. Ergo nec unus essentia individua, Trinus personis. *Resp. Antecedens* ejusque probatio de essentiâ finitâ vera, de infinitâ falsa est. Illa enim, quia composita & divisibilis est, pluribus personis inesse nequit. Hæc verò, quia simplex est & indivisibilis, pluribus personis integra, sine ullâ divisione, inesse potest. III. Quod rationi repugnat & cujus exemplum dari nequit, id credendum nobis non est. Unum esse Trinum rationi repugnat, hujusque exemplum dari nequit. Ergo. *Resp.* Major falsa est. I. *Quia* non ratio humana, sed revelatio divina fidei nostræ principium est. Nec hyperphysica revocanda ad regulas physicas. II. *Quia* illud singulare est, Deo adeò proprium, ut exemplum flagitare sit alium Deum postulare. *Quis autem par Iehovæ Deo nostro? qui altissimè habitat Psalm.* 113. v. 5. Tenemus Unitatem in Trinitate, Trinitatem in Unitate non ratione neque exemplo, sed auctoritate Dei, ita testificantis de se in Verbo.

Quia in Deo sit quaternitas.

II. Quaternitas non est Trinitas. In Deo, ex vestrâ sententiâ, est Quaternitas. Ergo. *Minorem* negatam sic probant: Quatuor realiter inter se distincta efficiunt Quaternitatem. In Deo sunt quatuor realiter inter se distincta, ex sententiâ vestrâ; quia & una essentia à tribus personis, & tres personæ à se invicem realiter distinguuntur. Ergo. *Resp.* Iterum negatur *Minor. Probatio* ejus priore membro falsa est. Non enim ea distinctio Essentiæ & Personarum, quæ est ipsarum personarum inter se. *Personæ* distinguuntur à se invicem realiter; quia una de altera prædicari nequit; sicut alius dicitur Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus *Ioh.* 5. v. 32. *cap.* 14. v. 16. *Essentia* verò distinguitur à Personis non realiter sed ratione; quia illa de omnibus personis prædicatur propriè, de singulis Synecdochicè, & vice versa. Quod si realiter distingui est distingui essentialiter & separabiliter; tum nullam omnino distinctionem realem in Deo agnoscimus, quia personæ respectu Essentiæ unum sunt, *Ioh.* 10. v. 30. 1 *Ioh.* 5. v. 7. inter se autem inseparabiles, Filius in Patre, in Filio, *Ioh.* 14. v. 10. 11. *Adversarii* contra pro-

Distinctio Personarum ab essentia & inter se.

Essentia à Personis non differt realiter.

probant differre realiter. I. Essentia non est Pater, Filius, & Spiritus Sanct quia illa nec gignit nec gignitur, nec procedit, sicut Pater gignit, Filius gignitur, Spiritus Sanctus procedit. Ergo Essentia realiter à Patre, Filio & Spiritu Sancto distinguitur. *Resp.* I. *Antecedens* accipitur sensu conjuncto vel diviso. *Conjuncto* falsum est. Nam Pater, Filius & Spiritus S. sunt Unus ille ac verus Deus, eoque etiam Essentia divina, *Diviso* neque Pater, neque Filius, neque Spiritus S. est Essentia absolutè & in communitate suâ considerata: at respectivè Essentia cum relatione gignentis est Pater, cum relatione geniti est Filius, cum relatione procedentis est Spiritus Sanctus prout persona ex essentiâ & relatione constat. II. Negatur *consequentia*. Etsi enim Essentia non gignit, neque gignitur; persona autem gignit & gignitur, tamen non magis realiter differunt, quàm in humanis realiter differunt homo qui gignit & gignitur, & Natura humana quæ neque gignit neque gignitur. *Ratio*; quia persona non est separatum quid ab Essentiâ, sed in eâ subsistit, & ex eâ gignit. II. Principium realiter differt à suo principiato, Essentia est principium, personæ sunt principiata. Ergo. *Resp.* Ad *Minorem*. Essentia non est principium personarum, sed commune subjectum (ut ita dicam) in quo Personæ subsistunt. Pater autem est principium Filii, & cum Filio principium Spiritus S. Filius verò principiatum Patris, & Spiritus S. principiatum Patris & Filii. III. Prius & posterius realiter differunt. Essentia est prius quid, utpote absoluta; persona autem posterius, quia relata. Ergo. *Resp. Major* non est universalis. *Minor* autem vera est modo concipiendi nostro quo commune & singulare, absolutum & relatum tanquam prius & posterius apprehendimus, atque etiam de Deo enunciamus.

SECUNDA: An Filius sit verus ac æternus Deus, Patri coëssentialis & coæqualis? Samosateniani negant, *Ostorodius Instit. Relig. Christianæ cap.* 6. 7. *& aliquot sequentibus.* Nos affirmamus.

Ratio-

Rationes Assirmantes Orthodoxæ.

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia proprie & univoce est Dei Patris filius.

Qui propriè ac univocè Dei Patris Filius est, is Deo Patri est coëssentialis & coæqualis. Deus Filius Dei Patris Filius est propriè ac univocè. Ergo. *Major* confirmatur ex definitione. *Filius* propriè est, qui ex essentiâ Patris genitus ei naturâ ac proprietatibus similis est. Sic filius hominis est, qui ex hominis essentia genitus ei naturâ ac proprietatibus humanis similis est &c. *Minor* probatur his argumentis. I. Cui Deus Pater generando, communicavit Essentiam divinam, quiq; per hanc generationem Dei Patris imago est; is propriè ac univocè Dei Patris Filius est. Atqui Filio communicavit; Filius Patris imago est. Ergo. *Minor* probatur manifestè ex Scripturâ, quæ utrumque ejus membrum tradit. *Prius*, quia Pater genuit Filium, *Psal.* 2. v. 7. *Ioh.* 3. v. 16. & gignendo dedit ei vitam habere in seipso, quemadmodum ipsemet habet eam in se, *Ioh.* 5. v. 26. ut ita verè dicatur Filius ille Dei viventis, *Matt.* 16. v. 16. quia Filius Deus est, 1 *Ioh.* 5. v. 20. par Deo Patri, *Ioh.* 5. v. 18. & unum cum eo *cap.* 10. v. 30. Si Filius Deus est, Ergo Dei Patris Filius, Deus de Deo. Si par Deo, Ergo ei coæqualis. Si unum cum Deo, Ergo etiam coëssentialis. *Posterius*, quia est imago Dei invisibilis, *Col.* 1. v. 15. character hypostaseos Patris, *Heb.* 1. v. 3. & quidem adeò insignis, ut qui ipsum videt, videat & Patrem, *Ioh.* 14. v. 9. sicut viderunt discipuli ejus gloriam, gloriam ut unigeniti à Patre *cap.* 1, v. 14. II. Qui verus, proprius, ac unigenitus Dei Flius est, is propriè ac univocè est ejus Filius. Filius est verus, proprius, ac unigenitus Dei Flius. Verus, 1 *Ioh.* 5. v. 20. *Sumus in vero illo, in ejus filio Iesu Christo*; Proprius, *Rom.* 8. v. 32. *proprio filio non pepercit*; Unigenitus, *Ioh.* 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret*. Ergo. III. Qui quatenus est Flius Dei, habet Spiritum sanctificationis, spiritum æternum, formam Deo æqualem, atque etiam æternam gloriam, is proprie ac univoce Dei filius est. Atqui Christus quatenus est Filius Dei, habet illa omnia. Ergo. *Majoris* firma est consequentia. Nam habere spiritum sanctificationis, spiritum æternum, &c. est habere essentiam divinam quæ est spiritus, *Ioh.* 4. v. 24. habere ut Filium, est habere essentiam illam sibi per generationem communicatam. *Minor* confirmatur hic dictis,

Rom. 1.

*Rom.*1.v.4.*Christus declaratus est Filius Dei potenter secundum Spiritum sanctificationis. Heb.*9.v.14. *Per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo*, se ipsum autem *per se ipsum* obtulit *cap.*1.v.3. *Phil.*2.v.6. *Christus cum esset in formâ Dei, non duxit rapinam æqualem esse cum Deo. Ioh.*17.v.1.5. *Pater glorifica me Filium tuum eâ gloriâ, quam habui apud te, priusquam mundus esset.* IV. Filius Dei aut per naturam, aut per gratiam filius est. Si per *naturam*, est filius naturalis, eoque proprie ac univoce Filius; quod volumus. Sin per *gratiam*, est illa *aut* Creationis & Providentiæ, *aut* Redemtionis sive Regenerationis, *aut* denique miraculosæ conceptionis. *Non prima*; ut Angeli, *Ioh.*1.v.6. homines, *Luc.*3.v.38. *Act.*17.v.28.29. Magistratus, *Psal.*82.v.6. vocantur Filii Dei. Nam *cui horum unquam dixit, Filius meus es, ego hodie genui te*? *Heb.*1.v.5. Quomodo etiam esset Filius Vnigenitus? *Ioh.*1.v.14. *Non secunda*, ut credentes, 1 *Ioh.* 3.v.1.2. quia per ipsum adoptantur illi in filios *Ioh.*1.v.12. *Eph.*1.v.5. & ne sic quidem esset Filius Dei unigenitus, cum multos ipse filios in gloriam adducat *Heb.*2.v.10. *Non tertia*, quia ante miraculosam conceptionem jam erat Deus, & Filius Dei, *Joh.*1.v.1.14. *Gal.*4.vers.4. item quia Filius non Spiritus S. filius, sed contra Spiritus Sanctus *Filii spiritus* vocatur *Rom.*8.v.9. *Gal.*4.v.6. & *alibi.*

Exceptiones Samosatenianorum.

Exceptiones Samosatenianorum.

Prima: Si ratio Majoris firma est, sequitur Deum Patrem eodem modo genuisse Filium, quo homo gignit hominem. *Resp.* Negatur *sequela*; quia homo gignit hominem generatione physica, Deus Pater autem Filium, generatione hyperphysica. Interim κατ' ἀναλογίαν in utraque generatione fit communicatio essentiæ, illic specificæ, hîc numericæ.

Secunda: Christus Filius Dei vocatur, quod conceptus sit ex Spiritu Sancto, *Luc.*1.v.35. cum quâ conceptione quia communia multa habent Christiani, fratres ejus appellantur *Heb.*2.v.11. *Resp.* I. Contrarium supra ostendimus, neque afferri potest vel unus Scripturæ locus, ubi Filius *Spiritus S. filius* vocetur, alioqui enim ἀπάτωρ non esset *Heb.* 7.v.3. II. *Fratres Christi* dicimur, quia & qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno sunt, v.11. ejusdem carnis ac sanguinis participes v.14. Fit ergo illud Humanæ naturæ respectu, secundùm quam ut carnem & ossa, *Luc.*24.v.39. sic

Fratres Christi cur dicamur.

 fratres

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia proprie & univoce est Dei Patris filius.

Qui propriè ac univocè Dei Patris Filius est, is Deo Patri est coëssentialis & coæqualis. Deus Filius Dei Patris Filius est propriè ac univocè. Ergo. *Major* confirmatur ex definitione. *Filius* propriè est, qui ex essentiâ Patris genitus ei naturâ ac proprietatibus similis est. Sic filius hominis est, qui ex hominis essentia genitus ei naturâ ac proprietatibus humanis similis est &c. *Minor* probatur his argumentis. I. Cui Deus Pater generando, communicavit Essentiam divinam, quiq; per hanc generationem Dei Patris imago est; is propriè ac univocè Dei Patris Filius est. Atqui Filio communicavit; Filius Patris imago est. Ergo. *Minor* probatur manifestè ex Scripturâ, quæ utrumque ejus membrum tradit. *Prius*, quia Pater genuit Filium, *Psal*.2.v.7.*Ioh*.3.v.16.& gignendo dedit ei vitam habere in seipso, quemadmodum ipsemet habet eam in se, *Ioh*.5.v.26.ut ita verè dicatur Filius ille Dei viventis, *Matt*.16.v.16. quia Filius Deus est, 1 *Ioh*.5.v.20.par Deo Patri, *Ioh*.5.v.18.& unum cum eo *cap*.10.v.30. Si Filius Deus est, Ergo Dei Patris Filius, Deus de Deo. Si par Deo, Ergo ei coæqualis. Si unum cum Deo, Ergo etiam coëssentialis. *Posterius*, quia est imago Dei invisibilis, *Col*.1.v.15.character hypostaseos Patris, *Heb*.1.v.3.& quidem adeò insignis, ut qui ipsum videt, videat & Patrem, *Ioh*.14.v.9.sicut viderunt discipuli ejus gloriam, gloriam ut unigeniti à Patre *cap*.1, v. 14. II. Qui verus, proprius, ac unigenitus Dei Flius est, is propriè ac univocè est ejus Filius. Filius est verus, proprius, ac unigenitus Dei Flius. Verus, 1 *Ioh*.5.v.20. *Sumus in vero illo, in ejus filio Iesu Christo*; Proprius, *Rom*.8.v.32.*proprio filio non pepercit*; Unigenitus, *Ioh*.3.v.16.*Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum Vnigenitum daret*. Ergo. III. Qui quatenus est Flius Dei, habet Spiritum sanctificationis, spiritum æternum, formam Deo æqualem, atque etiam æternam gloriam, is proprie ac univoce Dei filius est. Atqui Christus quatenus est Filius Dei, habet illa omnia. Ergo. *Majoris* firma est consequentia. Nam habere spiritum sanctificationis, spiritum æternum, &c. est habere essentiam divinam quæ est spiritus, *Ioh*.4. v.24. habere ut Filium, est habere essentiam illam sibi per generationem communicatam. *Minor* confirmatur hic dictis,

Rom.1.

*Rom.*1.v.4.*Christus declaratus est Filius Dei potenter secundum Spiritum sanctificationis. Heb.*9.v.14. *Per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo*, se ipsum autem *per se ipsum* obtulit *cap.*1.v.3. *Phil.*2.v.6. *Christus cum esset in formâ Dei, non duxit rapinam æqualem esse cum Deo. Ioh.*17.v.1.5. *Pater glorifica me Filium tuum eâ gloriâ, quam habui apud te, priusquam mundus esset.* IV. Filius Dei aut per naturam, aut per gratiam filius est. Si per *naturam*, est filius naturalis, eoque proprie ac univoce Filius; quod volumus. Sin per *gratiam*, est illa *aut* Creationis & Providentiæ, *aut* Redemtionis sive Regenerationis, *aut* denique miraculosæ conceptionis. *Non prima*; ut Angeli, *Ioh.*1.v.6. homines, *Luc.*3.v.38. *Act.*17.v.28.29. Magistratus, *Psal.*82.v.6. vocantur Filii Dei. Nam *cui horum unquam dixit, Filius meus es, ego hodie genui te*? *Heb.*1.v.5. Quomodo etiam esset Filius Vnigenitus? *Ioh.*1.v.14. *Non secunda*, ut credentes, 1*Ioh.* 3.v.1.2. quia per ipsum adoptantur illi in filios *Ioh.*1.v.12. *Eph.*1.v.5.& ne sic quidem esset Filius Dei unigenitus, cum multos ipse filios in gloriam adducat *Heb.*2.v.10. *Non tertia*, quia ante miraculosam conceptionem jam erat Deus, & Filius Dei, *Joh.*1.v.1.14. *Gal.*4.vers.4. item quia Filius non Spiritus S. filius, sed contra Spiritus Sanctus *Filii spiritus* vocatur *Rom.*8.v.9. *Gal.*4.v.6. *& alibi.*

Exceptiones Samosatenianorum.

Exceptiones Samosatenianorum.

Prima: Si ratio Majoris firma est, sequitur Deum Patrem eodem modo genuisse Filium, quo homo gignit hominem. *Resp.* Negatur *sequela*; quia homo gignit hominem generatione physica, Deus Pater autem Filium, generatione hyperphysica. Interim κατ' ἀναλογίαν in utraque generatione fit communicatio essentiæ, illic specificæ, hîc numericæ.

Secunda: Christus Filius Dei vocatur, quod conceptus sit ex Spiritu Sancto, *Luc.*1.v.35. cum quâ conceptione quia communia multa habent Christiani, fratres ejus appellantur *Heb.*2.v.11. *Resp.* I. Contrarium supra ostendimus, neque afferri potest vel unus Scripturæ locus, ubi Filius *Spiritus S. filius* vocetur, alioqui enim ἀπάτωρ non esset *Heb.* 7.v.3. II. *Fratres Christi* dicimur, quia & qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno sunt, v.11. ejusdem carnis ac sanguinis participes v.14. Fit ergo illud Humanæ naturæ respectu, secundùm quam ut carnem & ossa, *Luc.*24.v.39. sic

Fratres Christi cur dicamur.

fratres habet: non autem respectu Naturæ Divinæ, secundùm quam est Unigenitus illa à Patre *Joh.*1. v.14.

Tertia: *Joh.*5. v.18. narratur non Christi assertio, sed Judæorum opinio. *Resp.* Non fuit illa opinio Judæorum, sed certa veritas, ex verbis Christi v. 17. exstructa; quam etiam in sequentibus prolixè tuetur.

Christus quomodo imago Patris.

Quarta: Christus est imago Patris, sed creata. *Resp.* Imo est imago increata & essentialis. I. Quia est effulgentia gloriæ & character personæ Patris, *Heb.* 1. v. 3. hoc est expressissima & perfectissima ejus effigies. II. Qui ipsum videt, videt & Patrem *Joh.* 14. v. 9. quantum ad salutem satis est. Quod de creatâ imagine dici nequit.

Vindicatio loci *Rom.*8. v.32.

Quinta: *Rom.* 8. v. 32. dicitur proprius filius, ut alibi Ecclesia proprius populus, quia nimirum factus sit à Deo. *Resp.* Ecclesia quidem dicitur proprius populus, 1 *Pet.* 2. v. 9. quia effecit eam Deus populum suum, gregem pastus sui, *Psal.*100. v.3. sive quia elegit eam præ aliis populis in genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam *Exod.*12. v.5.6. 1 *Pet.*2. v.9. At Christus *proprius Dei filius* vocatur, quia est Unigenitus ille à Patre *Joh.*1. v. 14. non autem quod factus sit, sive adoptatus à Patre. *Ratio* est; quia proprius distinguitur ab adoptivis, pro quibus traditus est, quos in ipso Deus effecit dilectos *Eph.*1. v.6. cùm naturâ essent filii iræ *cap.*2. v. 3. Ergo eorum numero ac ordine non continetur.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia Dei solius propria Filio conveniunt.

I. Cui nomina, proprietates, effectus, & cultus Dei tribuuntur; is verus est ac æternus Deus, Patri coëssentialis, & coæqualis. Atqui Filio tribuuntur. Ergo. *Major* probatur. Quæ soli Deo conveniunt, illa cuicunque tribuuntur, is verus est ac æternus Deus. Atqui nomina Dei absolutè sumta, proprietates, effectus, & cultus soli Deo conveniunt, teste Scriptura *Esa.*41. v. 8. *Ego sum Jehova, illud est nomen meum, & gloriã meam alteri non dabo.* 1 *Tim.*1. v. 17. *Regi æterno incorruptibili, invisibili, soli sapienti Deo.* *Cap.* 6. v.15. 16. *Quem ostendet ille beatus & solus princeps, qui solus habet immortalitatem.* *Matt.*4. v.10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles.* Ergo. *Ad hæc*: Dici Deum absolutè ab ipso Deo, præsupponit esse divinum absolutè: Proprietates divinæ non modo insepara-

parabiles sunt ab essentia, verum etiam sunt ipsa essentia divina: Effectus dependent à proprietatibus, quæ ut agendi principia spectantur, intellectu, voluntate, & potentiâ: Cultus denique proprietates & effectus consequitur. Ergo cuicunque nomina, proprietates, effectus & cultus Dei tribuuntur, is est verus ac æternus Deus. *Minor* distinctè secundum distinctas partes confirmanda est: *Primò* tribuuntur Filio *Nomina* Dei. Dicitur namque *Jehova*, ut patet partim ex locis Simplicibus *Esa*.25.v.9. *Ecce Deus noster hic est, exspectamus eum & servat nos; hic est Iehova quem exspectamus, exultabimus, & lætabimur de salute ejus*, nimirum quia *absorbebit mortẽ in victoriam, & absterget lacrymas ab omnibus faciebus v*.8. *Ier*.23.v.5.6. *Excitabo Davidi germen justum, &c. & hoc nomen ejus est, quo vocabit eum Israel, O Iehova justitia nostra. Hos*.1.v.7. *Servabo eos per Iehovam Deum ipsorum.* Partim ex locis comparatis, ubi quæ in Vet. Test. de Jehova, in Novo Testam. de Christo enunciantur, ceu sunt *Num*.21.v.5.6.& 1 *Cor*. 10.v.9. *Esa*.6.v.5.& *Ioh*.12.v.41. *Esa*.8.v.14.& *Luc*.2.v.34. *Esa*. 45.v.23.& *Rom*.14.v.11. *Ier*.17.v.10.& *Ap*.2.v.23. *Ioel*.2.v.28.& *Act*.2.v.17.33. Partim ex voce אֶהְיֶה *ehjeh*, quæ significatione eadem est cum voce Jehova, & de Filio usurpatur *Ap*.4.v.8. *Cap*.11.v. 17. Dicitur pręterea *Deus*, non modò attributivè *Ioh*.1.v.1. *Erat Sermo ille Deus*, 1 *Ioh*.5.v.20. *Hic est verus ille Deus*, sed etiam subjectivè *Act*.20.v.28. *Deus acquisivit Ecclesiã*. 1 *Tim*.3.v.16. *Deus manifestus factus est in carne*; itẽ cum articulo præpositivo, *Ioh*.20.v.28. ὁ Κύριός μου καὶ ὁ θεός μου *Domine mi, & Deus mi. Heb*.1.v.9. *Unxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ supra consortes*. Dicitur Deus nõ tãtum simpliciter, verum etiam *cum adjectione, Deus verus*, 1 *Ioh*.5.v.20. *Deus fortis, Es*.9.v.7. *Deus magnus, Tit*.2.v.13. *Ap*.19.v.17. *Deus altissimus, Luc*. 1.v.76. *Deus supra omnes benedictus in secula Rom*.9.v.5. Dicitur *Dominus gloriæ*, 1 *Cor*.2.v.8. *Solus ille herus Deus ac Dominus noster, Iud*.v.4. *Rex Regum & Dominus Dominatium, Ap*.17.v.14. *Cap*.19.v.16.& quæ sunt hujus generis alia. *Secundò*: tribuũtur Filio *Proprietates* Dei. Simplicitas; est enim *Spiritus sanctificationis, Rom*.1.v.4. *Spiritus æternus Heb*.9.v.14. Immutabilitas, *Heb*.1.v.12. *Tu idem es, & anni tui non deficient. Matt*.24.v.35. *Cœlum & Terra præteribunt, sermones autẽ mei nequaquam præteribunt*. Æternitas; *Prov*.1.v.22. *Jehova possidebat me à principio viæ suæ, ante opera sua, ante ullum tempus. Mich*.5.v.2. *Exortus ejus sunt à principio, à diebus seculi. Joh*.1.v.1. *In principio erat Verbum*,

I. Nomina Dei.

II. Proprietates Dei.

*bum; Cap.*8.*v.*58.*Priusquam Abraham esset, ego sum.*Immensitas.*Ioh.*3.
v.33. *Nullus adscendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Matt.*18.*v.*20. *Ubi duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Cap.*28.*v.*20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Vita Dei; *Ioh.*5.*v.*26. *Sicut Pater habet vitam in se ipso, sic dedit & filio habere vitam in se ipso.* Omniscentia; *Ioh.*21.*v.*17. *Domine, tu omnia nôsti. cap.*16.*v.*30. *Scimus, quod scias omnia. Luc.*6.*v.*8 *Ipse nôrat cogitationes eorum:* tanquam *scrutator renum & cordium Apoc.* 2.*v.*23. Veracitas; *Ioh.*8.*v.*14. *Etiamsi ego tester de me ipso; firmum tamen est testimonium meum &c.* nimir. quia *fidelis* est & *verax Apoc.*19. v.11. *Cap.*3.*v.*7. Bonitas, *Ioh.*10.*v.*11. *Ego sum bonus ille pastor. Eph.*5. v.2. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.* Iustitia; *Act.*3. v.14. *Sanctum illum ac justum abnegâstis;* 2 *Tim.*4. v. 8. *Dominus, justus ille judex.* Omnipotentia; quia est *ille omnipotens. Apoc.*1.*v.*8. *Dominus Deus omnipotens, cap.*11.*v.*17. Nam *quæcunque Pater facit, hæc etiam Filius pariter facit Joh.* 5.*v.*19. *Tertiò* tribuuntur Filio *Effectus* Dei Creatio, *Heb.*1.*v.*10. *Tu in initio Domine terram fundâsti; & opera manuum tuarum sunt cœli. Ioh.*1.*v.*3. *Omnia per ipsum facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum sit. Col.*1.*v.*16. *Per eum condita sunt omnia, quæ in cœlis sunt & quæ in terra.* Conservatio & Gubernatio; *Heb.*1.*v.* 3. *Sustinet omnia verbo illo suo potente, Col.*1. *v.*17. *Omnia per eum consistunt. Ioh.*5. *v.*17. *Pater meus operatur usque adhuc, & ego operor.* Servatio; *Matt.*1.*v.* 21. *Servabit populum suum ex peccatis ipsius, ut Immanuel,* v.23. ut *Jehova. Hos.*1.*v.*7. *Act.*20.*v.*28. *Deus acquisivit Ecclesiam proprio sanguine.* Remissio peccatorum; *Matth.*9.*v.*2. *Confide fili, remissa sunt tibi peccata tua. v.*6. *Auctoritatem habet filius hominis in terrâ, remittendi peccata.* Donatio Spiritus Sancti; *Ioh.*15.*v.*26. *Mittam vobis spiritum illum veritatis à Patre. cap.*20.*v.*22. *Accipite Spiritum Sanctum.* Patratio miraculorum; *Ioh.*5.*v.*36. *Opera, quæ ego facio, testantur de me, quod Pater miserit me. Matt.*11.*v.*5. *Cæci visum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui suscitantur. &c.* *Quartò* tribuitur Filio *Cultus* Dei, Fides, *Ioh.*14.*v.*1. *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Spes; *Rom.*15.*v.*12. *In ipso Gentes sperabunt.* Charitas supra omnia *Matt.*10.*v.*37. *Qui amat patrem, matrem, filium, filiam supra me, non est me dignus.* Adoratio; *Heb.*1. *v.*6. *Adorent eum omnes angeli. Act.*7. *v.*52. *Domine Iesu, recipe spiritum meum.* Gratiarum actio; 1 *Timoth.* 1. *vers.* 12. *Gratiam illi habeo, qui corroboravit me.* Bapti-

III. Effectus Dei.

IV. Cultus Dei.

Baptismus; *Matth.* 28. v. 19. *Baptizate in nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti &c.*

Exceptiones Samosatenianorum.

Exceptio Samosatenianorum.

Ad *Majorem*:

Consequentiam ejus nullam esse. Etenim Angelum dici Jehovam, *Exod.* 3. v. 2. 4. Mosen Deum, *cap.* 4. v. 16. Magistratus Deos. *Psal.* 82. v. 6. quorum tamen nullus sit verus ac æternus Deus. *Proprietates* divinas ex sententiâ Lutheranorum Humanæ Naturæ Christi communicatas esse, nec tamen eam Deum factum. *Miracula*, quæ sunt effectus divini, etiam Prophetis & Apostolis fuisse communia. *Denique* nuspiam scriptum esse, solum Deum adorandum; contra fidei ac adorationis cultum hominibus etiam tributum, sicut Israëlitæ crediderunt in Mosen, *Exod.* 14. v. 31. & jussi sunt credere in Prophetas 2 *Chron.* 20. v. 20. *&c.* *Resp.* *Consequentiæ* firmitas duobus argumentis ante asserta, tam frivolis exceptionibus nullatenus infirmatur. *Primo*, non argumentamur nudè à nominibus Dei ad essentiam divinam, sed à nominibus Dei propriè & absolutè sumtis, iisque determinatis circumstantiis, quæ in nullum rem creatam cadere possunt. Moses verò & Magistratus nec propriè nec absolutè dicuntur Dii, sed Moses Deus Aaronis per metaphoram, præcepta ei daturus instar Dei; Magistratus Dii per Metonymiam, propter officium divinum, quod inter homines gerunt *Psal.* 82. v. 1. 2 *Chron.* 19. v. 6. 7. Quod attinet locum *Exod.* 3. Angelus quidem *Iehova* vocatur, ut alibi quoque. *Gen.* 16. v. 7. 9. 10. 13. *Cap.* 22. v. 11. 12. 15. *& seq.* *Ios.* 6. v. 2. 5. *Hos.* 12. v. 4. 5. 6. at non angelus aliquis creatus, verùm increatus, quem Malachias *cap.* 3. v. 1. simul *Angelum federis* & *Dominum* nuncupat, quique verus est ac æternus Deus. Id probatum cum ex aliis, tum ex his textus circumstantiis. I. Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi est verus ille ac æternus Deus *Matt.* 22. v. 32. Adgelus is est, ut ipse ait v. 6. Ergo. II. Qui potentiâ suâ eduxit populum ex Ægypto, est verus ille ac ætetnus Deus *Exod.* 20. v. 2. Angelus is est vers. 7. 8. Ergo. III. Qui Mosen misit est verus Deus *Exod* 5. v. 1. 2. Idem Angelus Mosen misit v. 10. Ergo. *Secundo*, Erronea Lutheranorum de communicatione proprietatum doctrina vim argumenti nostri

Angelus Exod 3. v. 2. 4. qualis fuerit.

non infringit. Respondeant ipsi pro se, qui communicationem talem propugnant, & tamen à proprietatibus Dei ad Essentiam Divinam apodictice concludere volunt. Nobis quemadmodum proprietates divinæ incommunicabiles & inseparabiles sunt secundùm Scripturam, ita evidentem ἀπόδειξιν suppeditant. *Tertio*, Prophetæ & Apostoli ediderunt miracula, at non propria virtute, verùm aliena Dei, *Exod.*8.v.19.& Christi, *Act.*3.v.6.12.13.proinde Effectus divini vocantur, non respectu ipsorum, qui ut instrumenta externas tantùm obiverunt actiones, sed respectu Dei, qui virtute sua illa fuit operatus. Causa namque effectu suo deterior esse non potest. *Quarto*, Falsum est nuspiam scriptum haberi, solum Deum esse adorandum, adoratione scilicet religiosa. Quid ergo illud est, quod ex *Deut.*6.v.13. Christus allegat *Matt.*4.v.10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles?* Nam ita colligit Christus; solus Deus est adorandus. Ergo non tu Diabolus; sed apage &c. Adoratio autem civilis promiscuè personis honoratioribus sive Ecclesiasticis, sive politicis exhibita fuit. Quod de fide in Mosen, in prophetas afferunt alienum est. Nam phrasi Hebræa *credere in aliquem*, jam est fiduciam in eo collocare, modo verbis ejus fidem adhibere, pro subjecti scilicet natura. Posteriori significatu in Mosen credidisse Israëlitas David testis est *Psal.* 109. v. 12. *Tum crediderunt verbis ejus.* Atque ita hortatur populum Josaphat, ut credant in prophetas, id est, ut credant verbis eorum, & promissionibus, Dei nomine factis, confidant.

Miracula quomodò ediderint Prophetæ & Apostoli.

Soli Deo competit adoratio religiosa.

Ad *Minorem*, & Testimonia ei firmandæ subjecta.

Vindicatio dictorum.

Primæ classis.

*Ier.*23.v.6.

*Jerem.*23.v.6. non intelligi Christum Filium Dei, sed Judam Israëlem, Hierosolymam ex collatione locorum *Jer.*33.v.16.*Ezech.*48.v.35.*Resp.* Is intelligitur nomine *Jehovæ*, qui est Justitia nostra. Atqui non Israël, Juda, aut Hierosolyma, sed Christus filius Dei est justitia nostra; quia factus est nobis justitia à Deo, 1 *Cor.*1.v.30. adduxit nobis justitiam æternam, *Dan.*9.v.24.& non simus justitia Dei in ipso 2 *Cor.* 5. v.21. Ergo. Adhæc Si Juda aut Israel dicitur Jehova justitia nostra, seipsum ita compellat, ô Jehova justitia nostra.

nostra. Consequens absurdum. Ergo & antecedens. Eodem modo Jehova vocatur justitia nostra *cap.* 33. v. 16. Discrimen tantùm est in antecedentibus. Nam *cap.* 23. declaratur nomen, quo Servatorem suum compellatura est ac celebratura Ecclesia; *Cap.*33. autem exponitur eum, qui Judam ad promissam salutem vocaturus est, fore Jehovam justitiam nostram. *Ezech.*48. v.35. non dicit Propheta Hierosolymam appellatum iri Jehovam, sed prædicaturos alios, Jehovam ibi sc. esse seu habitare, ut in templo suo. *Ezech.*48.v.35.

Joh. I. v. I. Sermo dicitur Deus non primario, sed secundariò; non ratione essentiæ, sed ratione dignitatis & auctoritatis. *Resp.* *Sermo* Deus est Filius Deus v.14. Filius autem est Deus Patri par, *Joh.*5.v.18.*& seqq.* est æqualis Deo sc. Patri *Phil.* 2. v.6. Quomodo igitur Deus secundario? Adhæc; *Sermo* dicitur Deus, & Pater dicitur Deus, *eodem versu*. At ergo Pater & Filius sunt unus Deus, aut non. Si *non sunt*, nec Pater & Filius unum sunt, contra quam testatur Christus *Joh.* 10. v.30. Item: Pater erit natura Deus, Filius non natura Deus. At, qui non est natura Deus est idolum; quia idololatræ censentur, qui tali serviunt *Gal.* 4. v. 8. Si verò *sunt* Unus Deus, Pater non est Deus primariò, Filius secundariò. Item: *Sermo* non dignitatis, sed essentiæ respectu Deus vocatur. Quod ipsum confirmant omnes loci hujus circumstantiæ de Proprietatibus ac operationibus τȣ̃ Λόγȣ quæ in sequentibus à corruptelis adversariorum vindicabuntur. *Ioh.*I.v.I.

I *Tim.* 3. v. 16. Nomen *Dei* non reperiri in omnibus exemplaribus; quin imo in vulgata versione Latina planè omissum esse. *Resp.* Versio vulgata ut alibi, ita hîc quoque vitiosa est. Exemplaria Græca subjectum θεὸς constanter exprimunt; & diversi generis prædicata illud necessariò requirunt, partim quia alii subjecto non conveniunt, partim quia aliis locis de hoc ipso subjecto enuntiantur I *Joh.* 3. vers. 8. I *Petr.* 3. vers. 18. *Luc.* 24. vers. 51. *&c.* I *Tim.*3.v.16.

Johann. 20. v. 28. Verba esse non compellantis Christum, sed admirantis, & rei novitate obstupefacti. *Resp.* Contra tam manifestam corruptelam facit. I. quod Thomas respondit Jesu, & dixit, *Domine mi, &c.* Ergo Jesum compellavit. II. quod notam admirationis ὦ non adhibet, sed articulum præpositi- *Ioh.*20.v.28.

vum

vum ὁ. III. edidit verbis illis fidei suæ confessionem; Nam subjicit Christus, *credidisti* v. 29. At non edidit confessionem de Patre, sed de Filio; dicitur enim, *quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Ergo.

Hebr. 1. v. 9. *Hebr.* 1. v. 9. Filium *Deum* dici impropriè, ut qui unctus est, qui Deum habet & consortes. *Resp.* Propriissimè sic vocatur, quia absolutè, & cum articulo præpositivo. *Unctus* verò est non quâ Deus absolutè, sed quâ Mediator œconomicè. *Deum habet* respectu Naturæ Divinæ relatè seu ὑποστατικῶς id est, Patrem; respectu Naturæ Humanæ absolutè, id est, creatorem. Postremò etiam *consortes habet* quoad Naturam Humanam, quos non erubescit fratres appellare, quod ex uno cum ipsis sanguine genitus sit *Hebr.* 2. v. 11.

1 *Ioh.* 5. v. 20. 1 *Ioh.* 5. v. 20. Filius est *verus ille Deus*, sed temporalis, qui veram Deitatem à Patre in tempore accepit *Apoc.* 5. v. 12. *Resp.* Filius dicitur *verus ille Deus* oppositè ad Idola, ut patet ex *versu sequente*: Idola autem sunt falsi Dii, quia natura non sunt Dii, *Galat.* 4. v. 8. 1 *Cor.* 8. v. 4. 5. 6. Ergo Filius est verus Deus, quia natura Deus. Talis verò non est Deus temporalis, sed æternus. Deinde dicitur *verus ille Deus, & vita illa æterna*, id est, auctor vitæ æternæ, qui vitam habet in seipso, & vivificat quos vult, *Johann.* 5. v. 21. 26. Pater æternitatis, *Esa.* 9. v. 6. quem certè oportet esse æternum. *Apocal.* 5. vers. 12. nihil legitur de Deitate Filio in cœlis datâ; etenim jam in terrâ habitabat in ipso tota plenitudo Deitatis corporaliter, *Coloss.* 2. vers. 9. sed gloriâ Mediatoris in regno suo exaltati, quâ omnibus modis dignus prædicatur.

Tit. 2. v. 13. *Tit.* 2. v. 13. *Magnus ille Deus* est Pater, Filius verò distinctè *Servator* appellatur. *Resp.* *Magnus Deus & Servator* uni articulo subjiciuntur, & eandem notant personam, quæ est Jesus Christus. Insuper Ἐπιφάνεια τῆς δόξης non Patri, sed Filio in Novo Testamento tribuitur, quia in gloria venturus est ad judicium *Matth.* 25. v. 31. 1 *Thessal.* 4. vers. 16. Attribuitur Magno Deo. Ergo.

Rom. 9. v. 5. *Rom.* 9. v. 5. ajunt esse apostrophen δοξολογικὴν ad Deum Patrem; vel si de Filio accipiatur, non probari tamen esse eum summum illum Deum, ut qui non supra omnia, sed supra omnes est, excellentia donorum; & quidem non natura sed ex gratia. *Resp.* I. Apostrophen

ſtrophen hîc nec res poſcit, nec verborum nexus ullo pacto admittit. Nam articulus cum participio ὁ ὢν relativus eſt, non novam ſententiam inchoans, ſed inchoatam continuans; & tantundem valet quàm ὅς ἐστι. II. De Patre quominus accipiatur locus, *obſtant* verba relativa, eum ſpectantia qui anteceſſit; Atqui Chriſtus anteceſſit, non Pater. *Obſtat* limitatio τὸ κατὰ σάρκα; cujus rationem indicat, dum Chriſtum etiam Deum benedictum prædicat. *Obſtat* quoque ſcopus, qui eſt prærogativas populi Judaici cum in aliis, tum in Chriſto θεανθρώπῳ oſtendere. III. De Filio igitur neceſſariò intelligendus eſt, quem ſummum illum Deum eſſe hoc argumento evincit; Deus benedictus ſupra omnia in ſecula, eſt ſummus ille Deus. Chriſtus eſt Deus benedictus ſupra omnia in ſecula, quod & alibi teſtatur Scriptura *Matth.* 21. verſ. 9. *Apoc.* 5. verſ. 13. Ergo. Eſt verò non ſupra Patres tantùm, ut volunt hæretici; ſed ſuper omnia, utpote per quem ſunt omnia, 1 *Corinth.* 8. verſ. 6. *Coloſſ.* 1. verſ. 16. 17. non donorum excellentia, ſed ut creator omnium, & Deus benedictus; non ex gratia, verùm natura tanquam proprius Dei filius, *Rom.* 8 v. 32. & Unigenitus à Patre *Joh.* 1. verſ. 14.

Secunda Claſſis.

Rom. 1. v. 4. *Spiritus Sanctificationis* eſt Spiritus Sanctus, qui etiam eſt *Spiritus* ille *æternus*, per quem ſe Chriſtus obtulit *Heb.* 9. v. 14. *Reſp.* Spiritus Sanctus nuſpiam dicitur *Spiritus Sanctificationis*; & ut maximè diceretur, hîc tamen intelligi non poſſet. Nam Chriſtus Filius Dei vocatur ſecundum Spiritum Sanctificationis. At non eſt Filius Dei ſecundum Spiritum Sanctum, ſed ſecundum eam naturam, qua eſt Unigenitus à Patre *Johann.* 1. verſ. 14. Ergo. Dicitur igitur *Spiritus* propter ſpiritualem ſimplicemque naturam, quo ſpiritu videt etiam ratocinia coirdium *Marc.* 2. verſ. 8. *Sanctificationis* autem, quia ſeipſum & nos ſanctificat *Joh.* 17. v. 19. *Hebr.* 10. v. 10. Altero loco, *Hebr.* 9. v. 14. eadem Natura Divina intelligitur; tum quia alibi docet Scriptura Deum Filium acquiſiviſſe Eccleſiam proprio ſanguine, *Actor.* 20. v. 28. Dominum gloriæ crucifixum eſſe, 1 *Corinth.* 2. verſ. 8. tum quia redemtio æterna proximum effectum eſt Spiritus æterni, ut eſt verſ. 12. Atqui eſt proximum effectum Chriſti *Epheſ.* 1. verſ. 7. *Col.* 1. verſ. 14. Filii Dei. 1 *Joh.* 1. verſ. 7. Ergo.

Rom. 1. v. 4.

Heb. 9. v. 14.

Mich.5.v.2. *Mich.* 5. v. 2. Exortus Christi fuisse dicitur à principio, à diebus seculi; quia est ex Adamo, Abrahamo, Davide *Luc.* 3. Quid verò hoc ad æternitatem? *Resp.* Micheas duplicis meminit exortus: futuri, de quo ita; *Ex te mihi prodibit futurus dominator:* præteriti seu potius æterni, his verbis; *Cujus exortus inde à principio, à diebus seculi.* Secundum *illum* est Christus ex Adamo, Abrahamo, Davide, Patribus *Matth.* 1. *Luc.* 3. *Romanor.* 9. vers. 5. Secundum *istum* est à Deo Patre, ut Unigenitus ille egressus à Patre *Joh.* 1. vers. 14. Secus dicendum, Christum fuisse simul potentiâ & actu, futurum & præteritum; quod maximè absurdum iis, qui non nisi Naturam Humanam ex Mariâ virgine assumtam in ipso agnoscunt. Hinc verò æternitas ejus apertè colligitur. I. Quod est à principio, à diebus seculi, non per creationem, sed per æternam subsistentiam, id æternum est. Filius Dei est à principio, à diebus seculi, v. 2. non per creationem sed per æternam subsistentiam *Prov.* 8. vers. 22. *Ioh.* 1. vers. 1. 2. 3. Ergo. II. Cujus exortus est à Deo Patre per æternam nativitatem, is est æternus. Exortus Filii est à Deo Patre; quia non à se sed à Patre est, *Iohann.* 1. v. 14. idque per æternam nativitatem: nam verbum יָצָא quod de utraque exortu sive egressu usurpatur, hîc nativitatem significat, *Matth.* 2. vers. 4. 6. & quia nativitas illa jam fuit à principio à diebus seculi, est æterna nativitas, *Proverb.* 8. vers. 22, *& seqq.* quemadmodum Patre est æternus Pater. Ergo.

Ioh.1.v.1. *Iohann.* 1. vers. 1. *Principium* intelligitur non Creationis, ut *Genes.* 1. vers. 1. sed Euangelii, quo facta est secunda creatio, sive mundi conditi renovatio, ex Marco *cap.* 1. vers. 1. dicente: *principium Euangelii Iesu Christi. Resp. Principium* Johanni idem est quod Mosi, initium sc. rerum omnium. Ut enim hic: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ita iste; *In principio erat Sermo: Omnia per hunc Sermonem facta sunt, & absque eo factum est nihil, quod factum sit* vers. 1. 2. 3. item *mundus per ipsum factus est*, vers. 10. *&c.* de quibus postea pluribus. Et certè sensum hunc, non alterum poscit tum scopus Euangelistæ, tum ipsa dictio. *Scopus* est describere Personam Christi, partim ab eo quod fuit ante Incarnationem, inde à principio, sicut utitur verbo, ἦν vers. 1. *& seqq.* partim ab eo quod per incarnationem factus est, ubi utitur verbo ἐγένετο, vers. 14. quo ante quoque de rebus creatis usus fuit vers. 3. 10. *Dictio*: Nam cui verisimile est Johannem dicere voluisse Sermonem, id est, Chri-

Christum Oratorem Patris fuisse jam principio Euangelii, id est, cum Euangelium ipse inciperet prædicare. Tam inepta spiritui hæreticorum conveniunt, non spiritui Apostolorum. Marco *principium Euangelii* est principium historiæ Euangelicæ de Christo, cujus descriptionem orditur à ministerio Johannis Baptistæ. Tantum ergo differt ab altero principio, quantum mundus tum à primo suo ortu distabat.

1 *Johann*. 8. vers. 58. Sensus est, antequam Abraham fiat, scil. Pater multarum gentium, *Genes*. 17. vers. 5. per prædicationem Euangelii, ego sum Messias & Lux Mundi v. 12. *Resp*. Tam audax corruptela solius scopi evidentiâ abundè refellitur. Etenim his verbis probat Christus, se Abrahamum vidisse, ejusque tempore fuisse; quod negabant Judæi. Aut ergo rectè probat, aut non. Si *rectè*, habemus quod volumus, Christum fuisse ante Abrahamum, non ut hominem: nam ita ex ipso ortum ducit, sed ut Deum: eoque æternum esse. Sin *minus*, sapientia divina ab humanâ blasphemè redarguitur. *Ioh*. 8. v. 58.

Johann. 3. vers. 13. Nihil docetur, quàm Filium hominis descendisse è cœlo, & in cœlo fuisse. *Resp*. Imo dicitur descendisse & esse. Sic enim verba habent: *filius hominis qui est in cœlo*, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Est ergo verè ubique. Nam simul in cœlo & in terra esse, non est nisi ejus, qui implet cœlum & terram. *Ioh*. 3. v. 13.

Johann. 5. vers. 26. *Pater dedit Filio habere vitam in seipso*. Ergo Filius non est Deus; beatius siquidem est dare, quàm accipere *Actor*. 20. vers. 35. *Resp*. Dare quàm accipere stipendia, eleemosynas, beatius sanè est, quia illud copiæ, istud inopiæ est. Non verò ita aut Pater dedit, aut Filius accepit vitam subsistentem. Filius *accepit* vitam à Patre, ut tamen semper fuerit vivens cum Patre; *accepit* eandem numero quam habet Pater; *accepit* denique non ex gratiâ, sed naturà tanquam proprius ejus Filius. *Ioh*. 5. v. 26.

Tertiæ Classis.

Hebr. 1. vers. 10. Apostrophen institui ad Deum Patrem; de Filio explicari verba non posse, tùm quòd Pater Filium non vocet Dominum suum, tum quia creatio soli Patri tribuatur, *Matth*. 11. vers. 25. & in Symbolo; qui etiam per Filium mundum condiderit *Hebr*. 1. vers. 2. *Resp*. Atqui speciem omnem Apostro- *Hebr*. 1. v. 10.

 phes

phes tollit antithesis Angelorum, v. 7. & Filii v. 8. *& seqq.* Neque enim ad alium diriguntur verba, v. 10. 11. quam v. 8. ut docet particula copulativa καὶ. De Filio igitur rectè ea accipimus cujus etiam mentio minimè obscura occurrit *Psalm.* 102. v. 13. 14. *& seqq.* *Rationes* in contrarium facilè solvuntur: I. Si verba illa sumuntur ut Patris ad Filium, vocat eum Dominum absolutè, non Dominum suum, ut textus ostendit. Sin ut Ecclesiæ ad Deum, prout recitantur, *Psalm.* 102. v. 25. 26. rectè utroque modo *Dominus* appellatur. II. Filio opus Creationis non convenire est contra totam Scripturam. Confitemur quidem in Symbolo Patrem Creatorem cœli & terræ, ut & Christus confitetur *Matth.* 11. v. 25. An verò exclusivè? Non magis quàm Filium Redemtorem nostrum confitemur exclusivè. Nec valet consequentia: Pater condidit mundum per Filium. Ergo Filius non condidit. Sed contrà, quia condidit per Filium, etiam ipse Filius condidit. *Ratio* est; quia non condidit per Filium, ut Instrumentum: sed ut per causam sociam, sicut modo exsistendi, ita ordine caussandi à se distinctam. Quæcunque enim Pater facit, hæc Filius pariter facit *Joh.* 5. v. 19.

Ioh. I. v. 3. *Joh.* 1. v. 3. loqui Euangelistam de secundâ creatione mundi, quæ est regeneratio Ecclesiæ: quemadmodum & Paulus 2 *Cor.* 5. v. 17. proinde de primâ creatione perperam allegari. *Resp.* Locus posterior de secunda Creatione apertè agit. Quod verò etiam prior, falsissimum est. Nam ut cætera mittam, quæ ex scopo, antecedentibus, & circumstantiis aliis peti possunt; Quicquid omnino factum est, per ipsum factum esse dicitur; ut declarant notæ universales affirmans *Omnia*, negans *Nihil*, & Paulus docet distinctâ particularium, quæ universalem efficiunt, enumeratione *Coloss.* 1. v. 16. At non creatione secunda, quæ universalis non est. Ergo prima. *Adhæc*: Ille mundus hîc factus dicitur per Christum, qui ipsum non cognovit v. 10. Mundus renovatus cognovit & cognoscit Christum, ut cui mentis novitas contigit. Ergo mundus renovatus hîc non intelligitur, sed alter prima illa creatione productus.

Coloss. I. v. 16. *Coloss.* 1. v. 16. Itidem sermonem esse de secunda creatione; eoque non dici cœlum & terram per ipsum creata, sed ea quæ in cœlis sunt & quæ in terra. *Resp.* De ea creatione sermo est, qua conditi sunt Angeli, *eodem versu.* Illi autem conditi sunt non

non secunda, sed prima creatione. Ergo. Adhæc creationem secundam à prima apertè distinguit v. 18. Ergo eam v. 16. non intelligit. Meminit tamen etiam Apostolus ipsius cœli & terræ, partim explicitè per notam universalem, v. 16. 17. partim implicitè per metonymiam adjuncti.

Hebr. 1. vers. 3. Sustinere Christum omnia, quatenus pro data sibi potestate omnia gubernat *Matth.* 28. vers. 18. *Resp.* *Sustinet* omnia non ut Mediator, sed ut Creator. Ut enim verbo suo potente mundum condidit, v. 2. ita eodem verbo eum sustentat, ne ad nihilum recidat. Atque hoc est quod ait *Joh.* 5. v. 17. *Pater meus operatur usque adhuc, & ego operor.* *Heb.* 1. v. 3.

Matth. 1. v. 21. Servatorem quidem rectè dici, sed missum & constitutum à Deo Patre 1 *Johann.* 4. v. 14. *Actor.* 13. v. 23. *Resp.* Datur. At quid inde? Ergo Deus non est? Minimè verò, quia ab affirmatione œconomiæ salutis ad negationem essentiæ divinæ non valet consequentia. Nam emisit Deus Filium suum factum ex muliere, *Galat.* 4. v. 4. & qui acquisivit Ecclesiam proprio sanguine est Deus *Actor.* 20. v. 28. *Matt.* 1. v. 21.

Joh. 5. v. 36. *Matth.* 11. v. 5. Edidisse sanè Christum miracula, at non ex virtute quam ex se habuerit; ut ipse de se testatur, *Joh.* 5. vers. 19. 30. & Petrus de ipso *Actor.* 2. vers. 22. *Resp.* Ut à se ipso non est, qua Filius; est enim Unigenitus ille à Patre, *Joh.* 1. v. 14. ita nec miracula patravit virtute quam habuerit à se; Nam quæ ratio exsistentiæ, eadem & operationis. Hoc etiam volunt allegata testimonia. Inde verò non magis inferre licet Deum non esse, quàm in humanis filium non esse hominem, quòd actiones humanas virtute à se non accepta edat. *Joh.* 5. v. 36. & *Matt.* 11. v. 5.

Quartæ Classis.

Johann. 14. v. 1. Qui credit in Deum, etiam credit in Christum, quem ille misit: at non ut Deum, alioquin fides in ipsum tanquam ultimum finem recumberet, quod fieri ipse negat *Johann.* 12. v. 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* *Resp.* Qui credit in Deum, etiam credere tenetur in Christum, qui est Deus in carne manifestatus 1 *Tim.* 3. v. 16. *Ratio* consequentiæ patescit, *tum* ex scopo, qui est hortari discipulos, ut non minus in se, quàm in Patre suo verâ cordis fi- *Ioh.* 14. v. 1.

 ducia

duciâ conquiescant; *tum* ex locis similibus. *Iohann.* 14. v, 7. *Si nôssetis me, Patrem etiam meum nôssetis.* v. 9. *Qui vidit me, vidit Patrem.* 1 *Iohann.* 2. vers. 23. *Quisquis negat Filium, nec Patrem habet; qui agnoscit Filium, etiam Patrem habet.* Nimirum quia Pater & Filius unum sunt *Ioh.* 10. vers. 30. Quod opponitur ex *Cap.* 12. vers. 44. dictum id à Christo ex falsâ opinione Judæorum, qui ipsum nudum hominem esse, & absque mandato Dei docere persuasi erant. *Vide cap.* 7. vers. 16.

Ioh. 12. v. 44.

Heb. 1. v. 6.

Hebr. 1. vers. 6. Adorent eum omnes Angeli, nimirum quia id Deus præcepit, in quem etiam redundat hic honos *Iohann.* 5. vers. 22. 23. *Resp.* Imo quia Deus est. Non quem *Psalm.* 97. vers. 7. adorare jubentur, Jehova vocatur vers. 1. *& seqq.* Is autem est Christus, Filius Dei teste Apostolo *Hebr.* 1. vers. 6. Item sicut *eodem* vers. 7. Jehova opponitur idolis, ut Deus naturâ, *Galat.* 4. vers. 8. ita Filius iisdem opponitur ut Deus naturâ. Jussit equidem Pater ipsum adorari, sed & se jussit adorari *Deuteronom.* 6. vers. 6. Honos Filii redundat in Patrem, non tanquam superiorem; sic enim æqualis non esset, *Iohann.* 5. vers. 23. sed tanquam primam Deitatis personam, à qua secunda genita est *Iohann.* 1. v. 14.

Matt. 28. v. 19.

Matth. 28. vers. 19. Ex Baptismo nihil conditur pro Deitate Filii, cum etiam in homines baptizatum fuerit 1 *Corinth.* 10. v. 2. *Resp.* Contrarium supra pr obatum est, dictumque Apostoli ex mente ipsius explicatum.

Quia unum cum Patre & ei par est.

II. Qui essentiâ Unum est cum Patre, qui ei par est & æqualis, ille rectè dicitur Patri coëssentialis & coæqualis. Filius essentiâ Unum est cum Patre *Iohann.* 10. v. 30. *Ego & Pater unum sumus*; est ei par *Iohann.* 5. vers. 18. *Deum dixit Patrem suum, parem se faciens Deo:* quam illationem Christus non confutavit, sed multis argumentis confirmavit; est æqualis *Phil.* 2. vers. 6. *cum esset in formâ Dei, non duxit rapinam æqualem esse cum Deo.* Ergo.

Excipiunt: Galat. 3. vers. 28. fideles omnes cujuscunque gentis, status, aut sexus *unus* dicuntur; non per essentiam, sed per fidem. Ergo multo minus Christus, qui non *unus*, sed *Unum* dicitur cum Patre, ejusdem est cum ipso essentiæ. *Resp.* Negatur sequela ob Elenchum comparatorum. I. *Fideles* impropriè, mysticè dicuntur *Unus*, quia sunt unus Christus mysticus, 1 *Corinth.* 12. vers. 12. unum corpus *Ephes.* 4. vers. 4. *Christus* autem propriè, ut ante ostendimus. II. *Illi* non tantùm dicuntur *Unus* in Scriptu-

Fideles quatenus unus in Christo: & Christus quatenus unum cum Patre.

ra,

ra, sed & *Unum Iohann.* 17. vers. 11. 21. Eodem significatu *Christus*, & Pater unum, *Ioh.* 10. vers. 30. 1 *Iohann.* 5. vers. 7. non unus, nisi implicitè hoc sensu; Christus & Pater sunt unus ille verus Deus. *Ratio*; quia Personâ non unus, sed duo sunt. *Iohann.* 8. vers. 17. 18. *In lege vestrâ scriptum est, duorum hominum testimonium firmum esse. Ego is sum qui testor de me ipso, & testatur de me, qui misit me Pater.*

Rationes Samosatenianorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti*:

Verus Dei Filius, non est verus Deus. Christus est verus Dei Filius. Ergo. *Major* probatur: Qui constituitur hæres omnium, non est verus Deus. Verus Dei Filius constituitur hæres omnium, ut est *Hebr.* 1. vers. 2. Ergo. *Resp. Majorem primam* invertimus: Verus Dei Filius est verus Deus, quemadmodum verus hominis filius est verus homo; Nam gignens generat sibi simile. *Alteram* limitamus: Qui hæres constituitur dono gratiæ, non proprietate naturæ, non est verus Deus. At ita Filius hæres non est, qui proprius Dei filius est, *Rom.* 8. v. 32. qui non Filius, quia hæres, sed qui hæres quia filius *Hebr.* 1. vers. 1. 2. Præterea *Hæredem esse* hîc significat dominum esse per metaphoram *Galat.* 4. vers. 1. 2. At dominus essentiali dominio est; non dono gratiæ, sed proprietate naturæ; quia per ipsum sunt omnia 1 *Corinth.* 8. vers. 6. Ergo.

Quia Christus sit verus Dei Filius.

Ex naturâ

I. Cui non conveniunt Nomina, Proprietates, Effectus, & Cultus Dei, is non est verus ille Deus. Filio non conveniunt. Ergo. *Minor* probatur: Non *Nomina*. I. quia Homo & filius hominis passim vocatur. II. quia est Dominus factus *Actor.* 2. vers. 36. III. quia Deum & Patrem habet, perinde ut nos *Iohann.* 20. vers. 17. Non *Proprietates*, ut *Immutabilitas*, quia passus & mortuus; *Æternitas*, quia factus ex muliere in plenitudine temporis *Gal.* 4. vers. 4. sive ultimis hisce temporibus *Hebr.* 1. vers. 1. *Immensitas*, quia non ubique *Iohann.* 11. vers. 15. *Omniscientia*, quia ignorat diem judicii *Marc.* 13. vers. 32. *Voluntas*, quia non suam sed Patris volun-

Quia Filio Nomina, Proprietates, Effectus & Cultus Dei non conveniunt.

voluntatem fieri petiit *Matth.* 26. v. 39. *Bonitas*, quia non ipse, sed unus Deus bonus dicendus *Matth.* 19. v. 17. *Potentia*, quia non semper facere potuit miracula. *Marc.* 6. v. 5. Non *Effectus*, quia nuspiam dicitur *Creator*; item quia non est ipsius elargiri honorem sessionis ad dexteram vel sinistram in regno Dei *Matth.* 20. v. 23. Non denique *Cultus*, quia & ipse Deum Patrem invocare solitus est *Matth.* 26. *Joh.* 11. *& alibi.* *Resp.* *Minoris* negatæ Probationes secundum quatuor distinctas classes examinandæ sunt. Quod *Nomina* attinet, dicitur sanè *Homo* & *Hominis Filius*, sed non absolutè verùm limitatè κατὰ σάρκα *Rom.* 1. v. 3. *cap.* 9. v. 5. Filius Dei autem & Deus κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης *ibid.* *Factus est* post

Actor. 2. v. 36. explicatur. resurrectoinem à mortuis *Dominus*, *Actor.* 2. v. 36. non dominio *essentiali*, de quo, 1 *Cor.* 8. v. 6. quod in omnia habuit inde ab orbis conditu, ut conditor omnium, *Heb.* 1. v. 2. *Coloss.* 1. v. 16. verùm dominio *personali mediatorio*; & quidem non simpliciter; nam longè ante & David ipsum appellavit Dominum, *Psal.* 110. v. 1. & Daniel *cap.* 9. vers. 17. sed κατά τι quatenus tum ut mediator θεάνθρωπος in regno suo exaltatus, & ad dexteram Patris collocatus fuit *Ephes.* 1. v. 20. *& seqq.* *Philip.* 2. v. 9. *& seqq.* Postremò *Deum & Patrem habet* ut nos, *Joh.* 20. v. 17. sed non eodem modo: Quod indicat repetitione nominum cum distinctione in distinctis pronominibus *Meum*, *Vestrum*. Quoad *Proprietates*, Non est Immutabilis, Æternus, Immensus, Omniscius secundum eam naturam, qua passus, mortuus, ex muliere factus, non ubique præsens, ultimi diei ignarus fuisse dicitur. Nam passus est carne 1 *Petr.* 4. v. 1. *cap.* 3. v. 18. Ortus est ex Patribus atque ita etiam ex muliere, secundum carnem *Rom.* 9. v. 5. *cap.* 1. v. 3. Non fuit Bethaniæ secundum eam naturam, quâ factus est nobis similis per omnia *Heb.* 2. v. 17. Ignoravit diem judicii secundum illam naturam, quâ profecit sapientia *Luc.* 2. vers. 40. 52. At secundùm Spiritum, *Marc.* 2. vers. 8. qui æternus, *Hebr.* 9. vers. 14. & Sanctificationis vocatur, *Rom.* 1. vers. 3. sive secundum naturam divinam illa omnia ipsi conveniunt, prout ante demonstratum est. Similis ratio est quum dicit, *fiat non mea voluntas, sed tua.* Nam ut verus homo habuit voluntatem humanam, quâ mortem horruit, & deprecatus est. *Matth.* 19. v. 17. redarguit adolescentem, qui ipsum bonum vocabat, cùm tamen pro Deo non haberet. *Nemo bonus est*, inquit, scil.

verè

verè & perfectè, *nisi Deus*. Tu non habes me pro Deo. Quid ergo me bonum nuncupas? *Marc.6.v.5.* memorat quidem Euangelista non potuisse Christum Nazarethæ edere ullam virtutem; an verò propter defectum potentiæ? Minimè; subjicitur enim eodem versu, *nisi quod, cum paucis ægrotis imposuisset manus, sanavit eos*; & v.6. *mirabatur propter incredulitatem eorum*. Verùm ideo non potuit, quod propter incredulitatem indignos censeret, quibus sanationum suarum χαρίσματα exhiberet; apertè testatur Matthæus *cap.*13.*vers.*58. *Non edidit illic virtutes multas, propter incredulitatem ipsorum*. Jam quoad *Effectus*, cum Filio opus Creationis multis Scripturæ locis tribuatur, ut aliquoties vidimus; quo jure titulo Creatoris spoliari poterit, si vel maximè διὰ ῥητὸν eo non insigniatur. Nam cui unum conjugatorum convenit verè, eidem convenit & alterum, ut habet Canon Logicorum. Sed tamen & Creator nominatur. Nam qui *Esa.* 45.v.23. dicit, *Mihi se flectet omne genu*, is se Jehovam, Creatorem cœlorum, formatorem terræ, & opificem ejus nominat v.18. Atqui is est Christus, Filius Dei *Romanor.* 14.v.11. Ergo. Quod autem Christus ait, *Matth.* 20.v.23. *Sedere ad dextram aut sinistram non esse suum dare*, intelligendum est de conditione servili, quâ tum in terra degebat v.28. Alioquin honorem illum pollicitus fuit discipulis, *cap. antecedentis* v.28.& reapse conferet omnibus ovibus suis, *Matth.* 25.v.33. tanquam Justus Judex 2.*Tim.*4.v.8. Denique quod *Cultum* attinet, invocat Christus Deum & exauditur à Deo, ut Homo; invocatur autem à nobis, & exaudit nos, ut Deus unà cum Patre & Spiritu Sancto *Hebr.*1.v.6. 1.*Cor.*1.v.2.

Explicatur locus *Marc.6.v.5.*

II. Qui ex substantiâ Virginis Mariæ genitus, & Deo Patre minor est; non rectè dicitur ei coëssentialis & coæqualis. Christus Filius Dei ex substantiâ Virginis Mariæ genitus est; quia factus est ex muliere, *Gal.*4.v.4. est fructus uteri Mariæ, *Luc.* 1.v.42. est etiam minor Patre; nam sic ait *Ioh.*14.v.28. *Pater major me est*. Ergo. *Resp.* Per limitationem *Majoris*. Non est ei coëssentialis aut coæqualis, qui tantùm genitus est ex virgine, qui tantùm eo minor est; vel secundùm eam naturam, quâ genitus est ex Virgine; secundùm eum statum, quo ipso minor esse dicitur. Christus autem non tantùm genitus est ex virgine in tempore, sed etiam à Deo Patre ab æterno, *Proverb.*8.*vers.*22.

Quia ex substantiâ virginis genitus, & Patre minor sit.

Mich. 5. v. 2. *Ioh.* 1. v. 1. 14. non tantum est minor Patre ratione voluntariæ exinanitionis & assumtæ carnis, verum etiam par ei respectu æternæ Deitatis, ineffabili generatione ab ipso communicatæ *Ioh.* 5. v. 18. *Phil.* 2. v. 6. Unde consequitur coëssentialem, coæqualem esse Deo Patri, secundum Deitatem; coëssentialem, coæqualem virgini Mariæ & nobis, secundum humanitatem.

Tertia: Samosatenianorum. An Spiritus S. sit verus Deus?

TERTIA: An Spiritus Sanctus sit verus ac æternus Deus, Patri & Filio coëssentialis & coæqualis? Samosateniani negant, *Ostorodius Instit. relig. Christian. cap.* 4. Nos affirmamus.

Rationes: *Affirmantes Orthodoxa.*

Rationes nostræ.

Ex Natura *Subjecti:*

Quia est persona Deitatis, à Patre & Filio procedans.

Qui est persona Deitatis, à Patre & Filio procedens, idem verus est ac æternus Deus, Patri & Filio coëssentialis & coæqualis. Spiritus Sanctus est persona Deitatis, à Patre & Filio procedens. Ergo. *Major* probationis non eget. Nam *esse Personam Deitatis* proprie ac univoce, est esse verum ac æternum Deum: *Ratio*, quia talis persona est natura Deus *Gal.* 4. v. 8. Qui autem est natura Deus, est verus ac æternus Deus. Deinde *procedere à Patre & Filio* ut personam a personis, est utrique esse coëssentialem & coæqualem. Etenim hujusmodi processio fieri nequit, nisi essentiæ ipsius communicatione. Vbi verò est communicatio essentiæ, ibi est ὁμοουσία & coæqualitas. *Minor* trimembris est, quòd scilicet Spiritus Sanctus sit *Persona*; quòd sit persona *Deitatis*; quod sit persona Deitatis *à Patre & Filio procedens*. Singula membra argumentis singulis confirmanda sunt. *Primum*: Qui est ὑφιστάμενον νοερὸν, est persona. Spiritus Sanctus est ὑφιστάμενον νοερὸν. Ergo. *Minor* probatur. Est ὑφιστάμενον; quia assumsit corpoream ac visibilem speciem, in qua apparuit, columbæ; *Luc.* 3. v. 22. ignis, *Act.* 2. vers. 3. quia mittitur à Patre & Filio, *Ioh.* 15. v. 26. docet, ducit, regit, consolatur *Ioh.* 14. v. 26. *cap.* 16. v. 13. *& alibi*; quia varia dona confert hominibus, à quibus apertè distinguitur, ut auctor eorum 1. *Cor.* 12. v. 4. 11. Νοερὸν; quia scrutatur profunditates Dei, & solus novit quæ sunt Dei 1. *Cor.* 2. v. 10. 11. quia est spiritus sapientiæ, intelligentiæ, consilii & scien-

& scientiæ, *Esa.* 11. v. 2. distribuitque hæc dona sua prout vult 1. *Cor.* 12. v. 11. *Secundum:* Quæ persona est Dei, ex Deo, Deus; est persona Deitatis. Spiritus Sanctus est persona, quæ est Dei: quia Spiritus Elohim, *Gen.* 1. v. 2. Spiritus Iehovæ, *Esa.* 11. v. 2. Spiritus Dei 1. *Cor.* 2. v. 11. vocatur: quæ est *ex Deo*, 1. *Cor.* 2. v. 12. *Nos accepimus Spiritum qui est ex Deo:* quæ est *Deus*, *Act.* 5. v. 4. *Non es mentitus hominibus sed Deo,* mentitus autem erat Spiritui Sancto v. 3. Ergo. *Tertium:* Quæ persona Deitatis est à Patre & Filio per processionem; ea à Patre & Filio procedit. Spiritus Sanctus est persona Deitatis à Patre & Filio; quia est Spiritus ex Deo, 1. *Cor.* 2. v. 12. quia est Spiritus Elohim, *Gen.* 1. v 2. Patris scilicet, *Matth.* 10. v. 20. & Filii, *Rom.* 8. v. 9. *Gal.* 4. v. 6. idque per processionem; quio procedere dicitur *Ioh.* 15. v. 26. Ergo.

Ex natura *Prædicati:*

I. Cui nomina, proprietates, effectus, & cultus Dei tribuuntur; is verus est ac æternus Deus, Patri & Filio coëssentialis & coæqualis. Atqui Spiritui Sancto tribuuntur. Ergo. *Major* controversia antecedente abunde confirmata est. *Minor* probatur per partes. *Primo* tribuuntur Spiritui Sancto *Nomina* Dei. Nam dicitur Iehova, *Act.* 28. v. 25. 26. *Bene Spiritus Sanctus loquutus est per Esaiam patribus nostris, dicens, Vade &c.* Atqui id dixit Iehova exercituum, sanctus ille *Esa.* 6. v. 3. 9. Inspiciantur & alia loca parallela *Num.* 12. v. 6. *Ier.* 1. v. 4. *&* 1. *Pet.* 1. v. 11. 2. *Pet.* 1. v. 21. *Ier.* 31. v. 31. *& Heb.* 10. v. 15. *Psal.* 95. v. 6. *& seqq. & Heb.* 3. v. 7. Dicitur Deus Israel, 2 *Sam.* 23. v. 2. *Spiritus Iehovæ loquutus est per me &c. &* v. 3. *Dixit Deus Israëlis, mihi loquuta est rupes Israëlis.* Dicitur Deus, 1. *Cor.* 3. v. 16. *An nescitis vos esse templum Dei, & Spiritum Dei habitare in vobis? Act.* 5. v. 3. 4. *Cur implevit Satanas cor tuum ut mentireris Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus sed Deo,* ubi Deus vocatur non modo absolute, sed etiam opposite ad creaturas. Dicitur Deus vivens, 2. *Cor.* 6. v. 16. *Vos templum estis Dei viventis.* Templum verò sunt fideles non simulachrorum v. 15. 16. id est, eorum, qui naturâ non sunt dii *Gal.* 4. v. 8. sed Spiritus Sancti 1. *Cor.* 6. v. 19. *Secundo* tribuuntur Spiritui Sancto *Proprietates* Dei: ut Simplicitas; quia Spiritus increatus *Gen.* 1. v. 2. Immutabilitas; quia quicquid prædixit impleri oportet *Act.* 1. v.

Quia Spiritui S. conveniunt solius Dei propria:

Nomina Dei.

Proprietates Dei.

16. Æternitas; quia erat jam in principio creationis, *Gen.* 1. v. 2. ut virtus altissimi & digitus Dei *Luc.* 1. v. 35. *cap.* 11. v. 20. Immensitas; *Psal.* 139. v. 7. *Quo irem à Spiritu tuo &c.* Sic habitat in omnibus sanctis ut in templo suo 1. *Cor.* 6. v. 19. Vita; quia vivificat mortalia corpora nostra *Rom.* 8. v. 11. Omniscientia; quia omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, omnia Dei novit 1. *Cor.* 2. v. 10. 11. Veracitas; quia veritas est, 1. *Ioh.* 5. v. 6. & Spiritus veritatis *Ioh.* 16. v. 13. Bonitas; *Psalm.* 143. v. 10. *Spiritu tuo bono deduc me per terram planam.* Omnipotentia; quia virtus Altissimi vocatur *Luc.* 1. v. 35. *Tertio* tribuuntur Spiritui Sancto

Effectus Dei.

Effectus Dei: ut Creatio; *Psalm.* 33. v. 6. *Verbo Iehovæ creati sunt cœli, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum. Iob.* 26. v. 13. *Spiritu suo cælos ornavit.* Conservatio & Gubernatio; *Gen.* 1. v. 2. *Spiritus Elohim incubabat superficiei aquarum. Psalm.* 104. v. 30. *Te emittente Spiritum tuum recreantur, denique renovas faciem terræ.* Patratio Miraculorum; *Matth.* 12. v. 28. *Ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia.* 1. *Cor.* 12. v. 4. *Divisiones operationum sunt: sed idem Spiritus.* Remissio peccatorum & Regeneratio; 1. *Cor.* 6. v. 11. *Abluti estis, justificati estis, sanctificati estis in nomine Domini Iesu, & per Spiritum Dei nostri. Ioh.* 3. v. 5. *Nisi quis regenitus sit ex aqua & Spiritu.* Item Gubernatio Ecclesiæ absolutâ potestate; *Act.* 10. v. 19. *Cap.* 13. v. 2. *Cap.* 15. v. 28. *Cap.* 20. v. 28. Collatio donorum; *Luc.* 12. v. 12. 1. *Cor.* 12. v. 7. Prædictio futurorum; *Ioh.* 16. v. 13. *Act.* 11. v. 28. 1. *Tim.* 4. v. 1. *&c.* *Quarto* tri-

Cultus Dei.

buitur Spiritui Sancto *cultus Dei*, ut Fides, *Ioh.* 14. v. 17. *Spiritum veritatis mundus non potest recipere, quia non conspicit eum, nec novit eum: Vos autem nostis eum &c.* Spes; *Rom.* 5. v. 5. *Spes non pudefacit, quia charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Charitas; *Eph.* 4. v. 30. *Ne tristate Spiritum illum Sanctum &c.* Adoratio; 2. *Cor.* 13. vers. 13. *Communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis.* Baptismus; *Matth.* 28. v. 19. *Baptizate in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti.*

Quia essentia unum est cum Patre & Filio.

II. Qui essentiâ unum est cum Patre & Filio, rectè dicitur Patri & Filio coëssentialis & coæqualis. Spiritus Sanctus essentiâ unum est cum Patre & Filio 1. *Ioh.* 5. v. 7. *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*; quod dictum de Vnitate essentiæ supra fuse explicatum fuit. Ergo.

Rationes Samosatenianorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti*:

Qui non est persona Deitatis, non rectè dicitur verus ille ac æternus Deus. Spiritus Sanctus non est persona Deitatis. Ergo. *Minorem* probant: *Primò*: Motus in hominibus divinitus excitatus non est persona Deitatis. Spiritus Sanctus est motus in hominibus divinitus excitatus; *Iud.* 6. v. 34. *Spiritus Iehovæ induit Gideonem. Cap.* 14. v. 7. *Spiritus Iehovæ incessit Simsonem. Luc.* 1. v. 15. *Spiritu Sancto implebitur etiam ab utero matris suæ.* Ergo. *Resp.* Mutato genere prædicationis non valet consequentia. Spiritus Sanctus est motus *Metonymicè*, persona Deitatis *propriè*; sicut utriusque hujus significatus exempla innumera in sacris occurrunt. *Iudic.* 6. & 14. à motibus hisce aperte distinguitur, ut auctor eorum. *Secundò*: Virtus Altissimi non est persona Deitatis. Spiritus Sanctus est Virtus Altissimi, *Luc.* 1. v. 35. Virtus ex alto *cap.* 24. v. 49. Ergo. *Resp.* Negatur *consequentia* ob ambiguitatem Majoris & Minoris. In *Majore Virtus Altissimi* aut accipitur *essentialiter*, aut *personaliter*, aut *effectivè*. De primo & tertio modo datur. De secundo negatur; quia ut Sapientia Dei personaliter est Filius Dei: sic Virtus Dei personaliter est Spiritus Sanctus, pro ordine exsistentiæ personarum divinarum. In *Minore* virtus personaliter sumitur, *Luc.* 1. v. 35. ut omnes loci illius circumstantiæ docent: effective autem *cap.* 24. v. 49. id est, pro robore illo, quo induti ex alto Apostoli per Spiritum Sanctum, sicut dicitur *Act.* 1. v. 8. *Recipietis virtutem Spiritus Sancti, postquam supervenerit in vos. Tertiò*: Donum Dei non est persona. Spiritus Sanctus est donum Dei. Ergo. *Resp.* Major non est universalis. Christus se vocat donum Dei *Ioh.* 4. v. 10. Liberi dicuntur dona Dei *Gen.* 33. v. 5. *cap.* 48. v. 9. An propterea nec ille, neque isti personæ? Ita Spiritus Sanctus utrumque est: donum Dei; quia donatur nobis à Deo, ut Spiritus fidei, 2. *Cor.* 4. v. 13. renovationis *Tit.* 3. v. 5. Persona autem; quia virtute suâ illa in nobis operatur.

Quia Spiritus S. non sit Deitatis persona sed tantum Motus divinitus excitatus.

Virtus Dei.

Donum Dei.

Ex naturâ *Prædicati*:

I. Verus Deus in Scriptura appellatur nominibus Dei. Spiritus Sanctus non appellatur nominibus Dei; 1. quia usitatè tantùm

Quia non appelletur nominibus Dei.

tùm Spiritus Dei vocatur. II. quia denominatur ab hominibus, Mose, *Num.* 11. v. 17. Elia, 2. *Reg.* 2. v. 9. Paulo 1. *Cor.* 5. v. 4. III. quia 1. *Cor.* 3. v. 16. *Act.* 5. v. 4. non Spiritus Sanctus, sed Pater intelligitur, qui per Spiritum, ut virtutem suam, habitat in fidelibus, & cui mentitus est Ananias, cum per eundem Spiritum in Petro loqueretur. Ergo. *Resp.* Falsitatem *Minoris* supra non ex uno, sed ex multis Scripturæ locis ostendimus, ut rationum tantùm examine sit opus. *Prima* inconsequens est; vocatur Spiritus Dei, Ergo non Deus. Imo quum Spiritus Dei, qui ex Deo, & in Deo est; etiam Deus vocatur. Sed & *Antecedens* falsum est propter exclusivam; quia non illo modo, verum etiam aliis multis nominibus appellatur. *Secunda* peccat fallacia phraseos. Etenim Spiritus Mosis, Eliæ sunt dona Mosis & Eliæ per Spiritum Sanctum in ipsis effecta, ut est *Luc.* 1. v. 17. *Ipse præcedet in conspectu ejus cum spiritu & virtute Eliæ.* Spiritus autem Pauli animum ejus atque voluntatem significat. Sed demus, cum effectu causam, cum donis datorem eorum Spiritum notari; nihilo tamen rectius inferunt Spiritum Sanctum non esse Deum, quàm Patrem non esse Deum, qui se Deum Abrahami, Isaaci & Iacobi nominat. Ut enim hic id nomen habet ex federe cum Patriarchis initio, ita ille alterum ab excellentibus donis in Mosen atque Eliam collatis. Quod ad *Tertiam*, non excludimus quidem Patrem, vel ab inhabitatione, 1. *Cor.* 3. v. 16. vel ab eo cui Ananias mentitus esse dicitur, *Act.* 5. v. 4. interim utrobique personam Spiritus Sancti immediatè intelligi asserimus. Nam, qui habitat in sanctis ut in templo suo est Deus; *Ratio*, quia ab eo templum Dei vocantur. Spiritus Sanctus is est qui habitat in sanctis ut in templo suo. Ergo. *Item:* Cui mentitus est Ananias is est Deus; *Ratio*, quia non hominibus sed Deo mentitus esse dicitur *Actor.* 5. v. 4. Atque mentitus est Spiritui Sancto v. 3. Ergo.

Quia nec ab æterno sit, neque à se habeat omnia.

II. Verus Deus ab æterno est, & à se ipso habet omnia. Spiritus Sanctus non est ab æterno; quia non erat ante glorificationem Christi, *Ioh.* 7. v. 39. & à Filio omnia accipit *cap.* 16. v. 13. 14. 15. Ergo. *Resp.* Negatur *consequentia* ob fallaciam à dicto secundum quid in *Majore*, & æquivocationis in *Minore*. Verus Deus *ab æterno* est, sive essentialiter, sive personaliter consideretur; At *à se ipso habet omnia* essentialiter quidem, non autem personaliter quoad Filium & Spiritum

ritum Sanctum; quorum ille à Patre est, iste à Patre & Filio. Deinde *Spiritus Sanctus nondum erat ante Christi glorificationem*, non καθ' ὑπόστασιν, sed κατ' ἐνέργειαν sive effectionem excellentium illorum donorum, quæ postea in Apostolos aliosque fideles magnâ copiâ effudit. Patet partim ex antecedente; *Hoc dixit de Spiritu illo, quem accepturi erant credentes*, partim ex consequente; *Quia Iesus non dum erat glorificatus*, id est, nondum mortuus, nondum resuscitatus & exaltatus; eoque nec acquisiverat eis Spiritum Sanctum merito mortis, *Gal.* 3. v. 14. nec efficaci virtute contulerat *Actor.* 2. *Ephes.* 4. *& alibi*.

Explicatur dictum *Ioh.* 7. v. 39.

III. Verus Deus mitti ab alio non potest, ut qui superiorem non habet. Spiritus Sanctus mittitur à Patre & Filio *Ioh.* 15. v. 26. Ergo. *Resp.* ad *Majorem*; Mitti non potest ut à superiore per modum Imperii; potest tamen ut à priore ordine exsistendi, per consensum voluntatis. *Ratio*; quia Deo absolutè superior non est. Deo Filio autem prior est ordine exsistendi Deus Pater; Deo Spiritu Sancto priores Pater & Filius. Atque hoc modo Spiritum Sanctum ab utroque missum dicimus.

Quia ab alio mittatur.

LOCUS

LOCUS QUARTUS
De
PRÆDESTINATIONE.

Controversiæ de Prædestinatione *sunt tum* Samosatenianorum, *tum* Lutheranorum.

Samosatenianorum duæ:

I. An Deus ab æterno apud se statuerit, quid de singulorum salute aut exitio fieri velit?

II. An eorundem, ac aliarum rerum omnium certa ei sit ac infallibilis præscientia?

Lutheranorum quatuor;

I. An Prædestinatio complectatur aliquod æternum Dei consilium de omnium universim hominum salute?

II. An decretum Electionis sit absolutum?

III. An decretum Reprobationis sit absolutum?

IV. An certus sit ac Immutabilis Electorum & Reproborum numerus?

EXEGESIS.

IN doctrinâ de *Prædestinatione* etsi non omnes *Pontificii* idem sentiunt, quemadmodum Bellarmini & Stapletoni contrariæ de Prædestinatione ad gloriam disputationes docent: plerique tamen in rei summa nobiscum consentiunt. *Anabaptistæ* verò hoc caput in colloquiis suis hactenus intactum reliquerunt; ut cum *Samosatenianis* & *Lutheranis* tantùm certamen supersit. Vtrorumque quæ ζητέμενα sint, modo indicatum est, & declárabitur infra pluribus.

Lutherani insuper de voce *Prædestinationis* litem movent. Negant quippe Reprobationem, quæ altera pars Prædestinationis vulgo

vulgo dicitur, eâ contineri aut contineri posse. Quamvis autem de Terminis Theologicis non sit litigandum, qui ex Scripturæ & Scholarum consuetudine variè usurpantur; contendimus tamen rectè & Scripturis convenienter etiam de Reprobatione accipi. Etenim verbum προορίζειν, à quo est προορισμὸς, *Act*.4.v.28. dicitur de Herode & Pilato, qui certè ad vitam prædestinati non fuerunt. Nec refert, quod ibi ad mortem Christi, & generis humani redemtionem revocari possit. Nam, qui mortem, redemtionem prædestinavit ut finem; Herodem, Pilatum prædestinavit ut mortis inferendæ media. Et ut mors Christo illata medium est redemtionis nostræ, sic eadem mors injustè ab ipsis illata medium est damnationis ipsorum *Ioh*.19.v.11.37. *Præterea* idem evincitur ab æquipollentiâ aliorum verborum ac phrasium. *Ante constituere ad salutem, præscribere, ponere, parare ad gloriam*, idem sunt, quod ad salutem, ad gloriam prædestinare. Ergo & ante constituere, præscribere ad aliquid, idem est quod prædestinare ad aliquid. Atqui illa rectè dicuntur de Reprobatione: 1. *Thess*.5.v.9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam. Iud*.v.4. *jam olim præscripti ad hanc damnationem*. 1. *Pet*.2.v.8. *Impingunt ad sermonem, non assentientes, ad quod etiam positi erant*; ut *Christus positus est* non solum *in resurrectionem*, sed etiam *in casum multorum in Israel Luc*. 2. v. 34. Sic *Rom*.9.v.22. *Vasa iræ coagmentata ad interitum*, hoc est parata; sicuti *ignis æternus ipsis paratus* esse dicitur *Matt*.25.v.41. Ergo & hoc. *Postremò*: Cui definitio convenit; eidem & definitum. Reprobationi convenit definitio Prædestinationis. Ergo. *Minor* probatur. Prędestinatio est destinatio rei ad finem aliquem antequam sit. Reprobatio est destinatio reproborum ad finem aliquem; ad interitum, *Rom*.9. v.22. iram, 1. *Thess*.5.v.9. dedecus, 2. *Tim*.2.v.20. ignominiam, *Iud*. v. 4. & quidem antequam sint *Rom*. 9. v. 11. *Iud*. v. 4. Ergo. Quod *ajunt*: *Interitum, dedecus*, finem hominis non esse sed extremum, ambiguitatem habet. Illa enim considerantur *vel* respectu Reprobantis, *vel* respectu reprobati; *Posteriore* modo non finis sunt, quem intendat: sed extremum, in quod incurrit. *Priore*, finis rectissimè dicitur; quia *omnes operatus est Iehova propter se ipsum, etiamque improbum ad diem mali Prov*. 16. v. 4. & *Ex eo, per eum, ac in ipsum sunt omnia Rom*. 11. v. 36. Falsum verò est quod Prædestinatio Electorum & Reproborum sint pugnantia genere. Nam formis specificis tantum distinguuntur, genere planè

Vox *Prædestinationis* etiam rectè de Reprobatione accipitur.

 re planè

re planè conveniunt; quod est Prædestinatio utrorumque ad statum æternum.

Hæc de *voce Prædestinationis.* Iam *Controversiæ* ipsæ suo ordine succedunt.

Samosatenianorum.

Prima: Samosatenianorum. An Deus ab æterno apud se statuerit, quid de singulorum salute vel exitio fieri velit? Status Controversiæ.

PRIMA: An Deus ab æterno apud se statuerit, quid de singulorum salute aut exitio fieri velit? Samosateniani negant. *Ostorodius Instit. Relig. Christ. cap.* 35. Nos affirmamus.

Sententia *Samosatenianorum* de Prædestinatione plenius concepta sic habet: Deum statuisse apud se ab æternò omnes sibi obedientes servare, omnes non obedientes damnare: atque hoc suum propositum in Novo Testamento per Christum tam Gentibus quàm Iudæis clarè patefecisse. Qui verò obedientes aut inobedientes futuri sint, de eo nihil præfinivisse, aut præfinire potuisse: propterea quod totum illud arbitrii sit humani, ex cujus absolutâ libertate possint homines viam salutis monstratam in Euangelio ingredi, vel non ingredi; & ubi ingressi fuerint progredi in eâ, vel ab eâ regredi Proinde Prædestinationem, de quâ loquitur Scriptura, tum Conditionatam, tum indefinitam esse. *Conditionatam* quidem, eò quod prædestinarit Deus ad vitam sub conditione obedientiæ, ad mortem sub conditione inobedientiæ. *Indefinitam* verò, quod de iis, qui vel illam vel istam conditionem impleturi sint, aut jam impleverint, nihil omnino præfiniverit, aut præfinire potuerit. *Vide Prælectiones Socini Academiæ Heidelbergensi inscriptas.*

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Rationes Nostræ.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia omnia ad fines suos præordinat.

Cujus est universa & singula ad fines suos sive naturales, sive supernaturales præordinare, ejusdem est singulos hominum ad salutem aut exitium prædestinare. Prius Dei est. Ergo & posterius.

us. *Majoris* consequentia evidens est. Nam homines universitate rerum continentur, ut præcipua quædam ejus membra; & salus atque exitium duo sunt fines contrarii, quos Deus circa alios ac alios prædestinando intendit *Rom.* 9. v. 22. 23. 1. *Thess.* 5. v. 9. 2. *Tim.* 2. v. 19. 20. *Minor* probatur ex *Naturâ Dei* & *Scripturâ*. Ex *illâ* sic; I. Sapientissimi est quæcunque facit præordinare ad suos fines: *Ratio*; quia horum gratia operatur & operari instituit. Deus est sapientissimus 1. *Tim.* 1. v. 17. Ergo. II. Qui universorum & singulorum Dominus est, dominio plenissimo & perfectissimo; is universa & singula ad fines suos præordinat: *Ratio*; quia in præordinatione ac ordinatione ad fines potior pars dominii consistit. Deus est universorum & singulorum Dominus, *Matt.* 11. vers. 25. dominio plenissimo & perfectissimo *Dan.* 4. v. 35. Ergo. Ex *istâ*: *Eph.* 1. v. 11. *Omnia agit ex consilio voluntatis suæ.* Igitur & ex præordinatione. *Rom.* 11. v. 36. *Ex eo, per eum, & in ipsum sunt omnia. Prov.* 16. v. 4. *Omnes operatus est Iehova propter se ipsum, etiamque improbum ad diem mali.* Ergo omnia ad fines suos præordinavit &c.

Ex naturâ *Prædicati*:

I. Qui non modo viam salutis assequendæ, exitii effugiendi, apud se ab æterno præfinivit, sed etiam alios ad salutem, alios ad exitium ab æterno prædestinavit; is ab æterno apud se statuit, quid de salute vel exitio singulorum fieri velit. Atqui Deus non modò viam salutis assequendæ, exitii effugiendi, apud se præfinivit; quod Samosateniani fatentur: sed etiam alios ad salutem, alios ad exitium ab æterno prædestinavit; quod insuper docet Scriptura. De salute: *Ioh.* 13. v. 18. *Ego scio, quos elegerim. Rom.* 8. v. 29. *Quos præcognovit, etiam prædestinavit. Cap.* 9. v. 23. *Vt notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam. Ephes.* 1. v. 4. 5. *Elegit nos in ipso ante jactum mundi fundamentum: prædestinavit nos, &c.* 1. *Thess.* 5. v. 9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam.* 2. *Tim.* 1. v. 9. *Servavit nos ex suo proposito & gratiâ, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora seculorum.* Unde & credidisse dicuntur, quotquot ad Vitam æternam ordinati erant *Act.* 13. v. 48. De exitio: *Rom.* 9. v. 22. *Vasa iræ coagmentata ad interitum. Iud.* v. 4. *jam olim præscripti ad hanc damnationem. Rom.* 11. v. 7. 8. *Electi assequuti sunt, reliqui occalluerunt*;

Quia alios ad salutem alios ad exitium prædestinavit.

erunt; Nam dedit eis Deus spiritum soporis &c. Matth. 7. v. 23. Nunquam novi vos, discedite à me, &c. Ergo.

Quia de individuis quibusdam aliquid apud se statuit.

II. Quæ ratio est Iacobi, Mosis, Vndecim Apostolorum, Pauli; item Esavi, Pharaonis, Iudæ, & aliorum individuorum in genere humano ad Prædestinationem Dei: eadem ratio est cæterorum omnium. Atqui Iacobi, Mosis, Vndecim Apostolorum, Pauli; item Esavi, Pharaonis, Iudæ & aliorum hæc ratio est, ut Deus ab æterno apud se statuerit, quod de singulorum salute vel exitio fieri voluit. Ergo. *Minor* nititur apertis Scripturæ testimoniis *Rom.* 9. v. 10. 11. 12. *Exod.* 32. v. 32. *Luc.* 10. v. 20. *Ioh.* 13. v. 18. *Act.* 9. v. 15. *Rom.* 11. v. 1. 2. *Cap.* 9. v. 17. *Act.* 1. v. 25. *Major* probatur. I. Quod de Prædestinatione Iacobi ad salutem, Esavi ad exitium dicitur in hypothesi, ad alios itidem prædestinatos transfertur in thesi *Rom.* 9. v. 10. 11. *& seqq.* Ergo ratio prædestinationis utrorumque eadem est. II. Paulus passim se prædestinatis ad salutem annumerat *Rom.* 11. v. 1. 2. *Eph.* 1. v. 4. 5. 11. 1. *Thess.* 5. v. 9. 2. *Tim.* 1. v. 9. Ergo non alia prædestinatio ipsius, quàm cæterorum. III. Vnum est corpus, una fides, unus Spiritus, unus Dominus, unus Deus *Eph.* 4. vers. 4. 5. 6. Ergo & una Prædestinatio Electorum. Quod si Electorum una est prædestinatio, prædestinatio Reproborum similiter una est, ex naturâ contrariorum, &c.

Negantes Heterodoxa.

Rationes Samosatenianorum.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia doctrina de Prædestinatione tribuat Deo.

Quicquid Deo iniquitatem, simulationem cum deceptione conjunctam, inscitiam & pravitatem tribuit, id naturæ ejus non convenit, neque dici de ipso absque gravi blasphemia potest. Atqui sententia illa, quod Deus ab æterno apud se statuerit, quid de singulorum salute vel exitio fieri velit, tribuit Deo iniquitatem, simulationem cum deceptione conjunctam, inscitiam & pravitatem. Ergo. *Minorum* probant per partes. *Primo* de *Iniquitate:* Qui ideo aliquem punit quod ea non facit, quæ facere nullo modo potuit, & ne faceret ipse constituit, is est iniquissimus. Atqui Deus ex illâ de Prædestinatione sententiâ id facit. Ergo. *Secundo*, de *Simulatione cum deceptione conjunctâ:* Qui decrevit ut major pars hominum, quibus prædicatur Euangelium, non servetur; & tamen omnibus hominibus prædicatione Euangelii salutem offert, is verè simulat & eos decipit. Atque Deus ex illa de Prædestinatione sententiâ

Iniquitatem.

Simulationem cum deceptione conjunctam.

tentiâ id facit. Ergo. *Tertiò.* de *Inscitiâ:* Qui eos vocat, ac perducere conatur ad salutem, quos ipse novit vi immutabilis decreti servari non posse; is imperitè, imprudenter, & stultè agit. Atqui Deus ex illa de Prædestinatione sententiâ id facit. Ergo. *Quartò.* de *Pravitate:* Qui decrevit non modò qui condemnari, sed etiam qui peccare debeant; is pravus est, & pravitatis auctor. Atqui Deus ex illâ de Prædestinatione sententiâ id facit. Ergo.

Inscitiam.

Pravitatem.

Resp. *Minor* argumenti principalis quot membra tot blasphemias habet contra orthodoxam de Prædestinatione doctrinam, apertissimis Scripturæ testimoniis atque exemplis supra assertam; quibus nihil opponit præterquam cæcæ, Deoque inimicæ rationis impia ratiocinia, ac Sophisticas consequentias. Ad quæ etsi abundè respondeatur per formulam rejectionis Apostolicæ *absit,* & gravem increpationem, *O homo tu quis es, qui ex adverso respονsas Deo?* quibus modis ad blasphemias consimiles Apostolus respondet, *Rom.* 9. v. 14, 20. *Cap.* 3. v. 4, 6. tamen quò vis veritatis, à quibusvis etiam speciosissimis Sophisticationibus triumphantis, elucescat clarius, singulorum membrorum probationes distinctè examinabimus. *Prima* de Iniquitate, propositione *Majore* ambigua, *Minore* falsa est; eoque illa limitationem, ista confutationem postulat. Qui ideo aliquem punit, quod ea non fecit, quæ facere nullo modo potuit; videlicet *vel* per subtractionem virium injustè factam; *vel* per impedimentum actionum externarum, manente nihilominus inclinatione ad illas? item: qui ne posset, alterutro mediorum istorum præordinato constituit: Is sanè est iniquissimus. An verò Deus propterea punit peccatores ex sententia nostra? Imo anathema dicimus id affirmanti. Hoc *docemus*; Deum in tempore punire peccatores, quod non fecerunt quæ facere debuerunt, *Rom.* 6. v. 23. ac initio etiam potuerunt, *Genes.* 1. v. 26. 31. postea autem ut non potuerunt propriâ culpâ amplius, *Rom.* 5. v. 12. *& seqq.* ita nec voluerunt per propriam malitiam *Matth.* 23. v. 37. Ab æterno verò hoc ipsum ita constitutum esse, id est, decrevisse Deum majorem partem eorum, qui initio potuerunt facere quæ debuerunt; postea autem suâ culpâ nec potuerunt amplius neque etiam voluerunt, in impotentiâ illa ac pravitate relinquere: an hæc iniquitas est, & injustitia? Imo summa æquitas ac justitia est, sive Deum sive ipsum peccatorum spectemus. Etenim *Deus,*

Deus prædestinans *Non Iniquus est.*

qui liberrimæ potestatis Dominus est, nullâ juris specie tenetur vires ad faciendum quod debet restituere ei, qui vires illas propriâ voluntate prostituit & perdidit; nullâ item juris specie *peccator* quod debet Deo potest denegare, cum debitum non magis cesset post amissionem virium, quàm debitum pecuniarium cessat post dilapidationem bonorum. Ut ergo creditor debitorem hujusmodi carcere justè punit, ita alterum Deus justè punit gehenna ignis *Matth.* 5. v. 25. 26. *Cap.* 18. v. 34. *Secundæ* probationis, de Simulatione cum deceptione conjunctâ, *Major* propositio apertâ inconsequentiâ, *Minor* apertâ falsitate laborat. Etiamsi enim decreverit Deus, ut major pars hominium, quibus prædicatur Euangelium non servetur, *Matth.* 20. v. 16. & salutem hominibus indefinitè offerat in Euangelio, non tamen simulat, aut decipit. *Ratio*; quia offert eam non absolutè, sed cum conditione fidei ac resipiscentiæ, *Marc.* 1. v. 15. *Rom.* 10. v. 9. hoc est, ostendit hominibus in Euangelio viam ac modum consequendæ salutis, per veram fidem in Christum ac seriam resipiscentiam; & iis quidem, qui viam illam ingrediuntur, confert salutem; cæteros autem, qui nec ingrediuntur, nec ingredi possunt aut volunt, *Matth.* 23. v. 37. convincit propriæ contumaciæ, eisque prætextum omnem adimit *Ioh.* 15. v. 22. Quid hic sive simulationis, sive deceptionis intervenit? Tum simularet, si ipsos ex corde resipiscentes, toto corde credentes, vel saltem resipiscere & credere ex animo cupientes, tamen à salute excluderet, propter decretum damnationis ante factum. Tum deciperet, si aliam salutis viam monstraret ipsis in Euangelio, quàm quæ ad salutem ducit. Deinde in *Minore* falsum est Deum omnibus hominibus offerre salutem per prædicationem Euangelii. Reclamat *Scriptura* Vet. & Nov. Testamenti, quæ testatur Deum statuta sua ac jura olim nota fecisse Israëli, non ulli alii genti, *Psal.* 147. v. 19. 20. Deum præteritis ætatibus, quæ fuerunt tempora ignorantiæ, sivisse omnes gentes suis ipsarum viis incedere, *Actor.* 14. v. 16. *Cap.* 17. v. 30. multos non omnes vocari *Matth.* 20. v. 16. Reclamat *Experientia*, quæ docet multis nunquam prædicatum fuisse Euangelium; aliis quibus non prædicatum nunc prædicari, & quibus olim prædicatum non amplius prædicari. Indefinitè ergo prædicatur quibusvis, non universaliter omnibus. *Tertiæ* probationis de Inscitia, *Minor* propositio

Non Simulat aut decipit.

Non inscitiâ laborat.

ſitio falſa eſt. Non *vocat Deus reprobos* ita, ut, aut velit ex beneplacito voluntatis ſuæ, aut conetur efficaci ſuâ virtute ipſos ad ſalutem perducere; cæteroquin ad ſalutem dubio procul pervenirent, cum quod voluit ſemper effecerit, *Pſal.* 115. v. 3. *Rom.* 9. verſ. 19. & omnes qui trahuntur à Patre ad Chriſtum veniant *Ioh.* 6. v. 44. Sed vocat *partim* declarando voluntatem ſuam verbo Legis & Euangelii, *partim* obedientiam ſibi multis nominibus debitam ab ipſis exigendo; idque non eo fine, quod putet obedientiam illam præſtituros eſſe, aut præſtare poſſe ac velle: verùm ut tum ipſi in conſcientiis ſuis, tum alii re ipſâ agnoſcant juſtam eſſe Dei vindictam adverſus eos ſervos, qui cum Domini ſui voluntatem ſcirent, & facere deberent, tamen nec fecerunt, nec facere voluerunt *Luc.* 12. v. 47. Et quia caput hoc de *Vocatione Externâ*, quæ ad reprobos etiam pertingit, adverſarii tanquam Sophiſticationibus ſuis peropportunum arripiunt, paucis axiomatis Scripturæ de eo ſententia explicanda eſt. I. Non omnes ſed *aliqui Reprobi* Vocationis Externæ participes fiunt, *Matth.* 20. v. 16. *Rom.* 9. v. 6. 7. 8. *Cap.* 11. v. 7. 8. qui tamen numerum Electorum longè excedunt *Matth.* 7. v. 13. 14. *Cap.* 3. v. 19. *& ſeqq. Cap.* 20. v. 16. II. *Participatio* illa ex eo eſt, non quod ipſorum causâ inſtitutum ſit miniſterium Euangelii, *Epheſ.* 4. v. 11. *& ſeqq. Rom.* 10. v. 14. 15. ſed quia *vel* degunt inter Electos, ſoli Deo notos, 2. *Timoth.* 2. v. 19. utpote quos Deus elegit ex mundo, *Ioh.* 15. v. 19. neque ex mundo ante vitæ finem tollit, *Iohan.* 17. v. 15. *vel* horum cætibus ſe ingerunt, inſtar illius qui abſque veſte nuptiali in nuptias regias ſe ingeſſit *Matth.* 22. v. 11. 12. III. *Modus participationis* eſt, quod prædicatur ipſis idem verbum, offertur eadem gratia ſalutis quæ etiam Electis: quia verò non abſolutè, ſed cum conditione fidei ac reſipiſcentiæ offertur, *Marc.* 16. v. 16. *Rom.* 10. v. 9. nec Deus, nec miniſtri ejus ipſos fallere aut decipere dicendi ſunt, quod nihil conferunt; cum conditionem illam ipſi præſtare nec poſſint, *Ioh.* 12. v. 39. nec velint *Matth.* 23. v. 37. IV. Hoc ipſum verò *nullatenus pugnat cum decreto* vel Electionis, vel Reprobationis; quia illo credentes & pœnitentes ſervare, iſto incredulos & impœnitentes damnare Deus conſtituit *Marc.* 16. v. 16. Et decretum Reprobationis non excludit ab auditu Euangelii, 1. *Petr.* 2. v. 7. 8. eſt enim etiam odor mortis ad mortem, 2. *Cor.* 2. v. 16. ſed à bonis

Vocationis externæ circa reprobos quæ ratio.

Subjectum aliqui Reprobi.

Participatio per accidens, quia inter electos vivunt.

Modus participationis.

Non pugnat cum decreto prædeſtinationis.

Finis participationis. nis ejus. V. *Finis participationis* distinctè spectatur in Electis, & ipsismet Reprobis. Quoad *Electos* finis hic est, ut gratia Vocationis tanto magis eis commendetur, de quo vide *Matth.* 13. v. 11. *& seqq.* Quoad *Reprobos* autem 1. ut detegatur pravitas cordium ipsorum, *Luc.* 2. v. 35. II. ut reddantur inexcusabiles, *Rom.* 1. v. 20. de quo ita Christus *Iohann.* 15. v. 22. *Si non venissem, & loquutus essem eis, peccatum non haberent: nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo*: & Petrus 2. *Epist.* 2. v. 21. *Melius fuisset eis, non cognovisse viam justitiæ, quam cognitâ eâ regredi à sancto præcepto sibi tradito*: nimirum quia *servus sciens voluntatem Domini, nec faciens, multis plagis cædetur Luc.* 12. v. 47. VI. *Effectus participationis* aut nullus est, quum non admittitur vocatio, *Luc.* 14. v. 18. *Actor.* 17. v. 32. 33. aut aliquis; & quidem vel ad excæcationem, quoties malitiosè ac contumaciter ei resistitur, *Ioh.* 12. v. 39. 40. *Actor.* 28. v. 26. *Rom.* 11. v. 8. vel ad aliquem fidei gradum; ut in iis qui fide historicâ, aut temporariâ donantur, *Matth.* 13. v. 20. 21. 22. *Luc.* 8. vers. 12. 13. ubi tamen operatio interior Spiritus Sancti mentem illuminantis cum externâ vocatione concurrit *Hebr.* 6. v. 4. 5. 6. *Quartæ* probationis de Pravitate, *Major* ambigua est; unde vel ejus Inconsequentia vel *Minoris* falsitas patescet. Qui decrevit non modò qui condemnari, sed etiam qui peccare debeant, scil. aut imperando peccatum, aut instillando illud ac operando, aut etiam ad id cogendo; is pravus est ac pravitatis auctor. Nullo verò horum modorum Deus decrevit peccatum, qui odit illud, vetat, punit, ac facere per naturam suam non potest *Psalm.* 5. v. 5. *Psal.* 45. v. 8. *Iac.* 1. v. 13. *Tit.* 1. v. 2. Quid ergo? Decrevit non modò qui condemnari debeant, ut qui improbum, vasa iræ ad interitum coagmentavit, *Prov.* 16. v. 4. *Rom.* 9. v. 22. sed etiam quibus velit hæc aliave peccata permittere, quos item in peccatis suis ad condemnationem relinquere *Actor.* 14. v. 16. *Rom.* 11. v. 7. 8. *& alibi.* Quô sensu consequentia *Majoris* directè contradicit Scripturæ, affirmanti de Deo Antecedens, neganti Consequens *Rom.* 9. v. 14. *& seqq.*

Effectus participationis. — *Non Pravus est.*

Quia doctrinâ de Prædestinatione omnem religionem tollat

Ex natura *Prædicati*:

Quæ sententia omnem religionem funditus tollit, ea vera non

non est. Atqui sententia illa, quæ affirmat Deum ab æterno apud se statuisse, quid de singulorum salute vel exitio fieri velit, omnem religionem funditus tollit. Ergo. *Minor* probatur. Ex quâ sententiâ manifestè sequitur, omnia quæ ad pietatem pertinent ex necessitate fieri, ea omnem religionem funditus tollit: *Ratio*; quia tollit studium omne pietatis, quod frustraneum est, ubi omnia necessariò eveniunt. Atqui ex illâ de Prædestinatione sententiâ hoc manifestè sequitur. Ergo. *Resp. Minor* falsissima est. *Probatio* ejus ambiguitate ludit in voce necessitatis. *Alia* est necessitas absoluta, Physica, coactionis; alia hypothetica, immutabilitatis & infallibilitatis. De *Priore* dari potest consequentia; De *Posteriore*, quam hîc adstruimus, prorsus negatur. *Ratio* est; quia necessitas illa non tollit contingentiam ac libertatem, quæ est in creaturis. Cum enim caussa prima concurrat cum secundis, non abolendo aut mutando, sed stabiliendo ac conservando naturam earum; & verò plurimæ ad effectus suos indefinitè, contingenter, ac liberè se habeant: consequens est illum caussandi modum, ut non Providentiæ, ita nec Prædestinationis sive æterno decreto, sive temporariâ exsecutione everti. Etsi igitur quæ ad *pietatem* pertinent, eventu ipso necessaria sunt ex *parte Dei*, cujus nec voluntas mutari, nec præscientia falli, nec potentia impediri potest; sunt tamen eadem contingentia & libera ex *parte hominis*, qui ad illa indifferenter se habet per naturam suam absolutè, quin etiam aversatur illa per eandem naturam relatè, id est, in statu corruptionis consideratam: Proinde opus est ei studio, conatu, labore, quo in operibus pietatis proficere indies ac perseverare possit. Atque hæc media sicut ab æterno præordinavit Deus ad illum finem, *Eph.* 1. v.4. ita in tempore foris per verbum, intus per Spiritum ea in suis operatur 1. *Thess.* 4. v. 7. Unde populus ille peculiaris ex gratiâ Electionis & Vocationis, esse dicitur populus accensus studio bonorum operum, *Tit.* 2. v. 14. quæ præparavit Deus ut in iis ambularet, *Ephes.* 2. vers. 10. & illo ipso studio Vocationem & Electionem suam sibi firmam efficeret 2. *Petr.* 1. vers. 10.

Opera pietatis necessaria.

Contingentia libera.

Secunda: Samosatenianorum.

SECUNDA: *An omnium universim rerum antequam fiant certa sit apud Deum ac infallibilis præscientia?* sive: *An Deus omnia, antequam fiant, jam inde ab æterno præsciat?* Samosateniani negant, *Socinus Prælectionum Theologic. cap.* 8. Nos affirmamus.

An Deus omnia antequam fiunt ab æterno præsciat?

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia Deus omniscius, immutabilis, omnium rerum principium primum.

Qui omniscius, immutabilis, ac omnium quæ fiunt primum est principium sive efficiens, sive permittens; is omnium antequam fiant præscius est. Atqui Deus ex constanti sententiâ Scripturæ est omniscius, immutabilis, ac omnium quæ fiunt primum principium sive efficiens, sive permittens. Ergo. *Major* confirmatur per partes. I. A cujus scientia nihil excluditur, sive præsens, sive præteritum, sive futurum; is omnium antequam fiant præscius est. A scientiâ Omniscii nihil excluditur sive præsens, sive præteritum, sive futurum; alioqui enim omniscientia non esset. Nam quod ajunt futura contingentia scibilia, non esse, apertè falsum est de Deo, cui talium scientiam Scriptura passim tribuit. Ergo. II. Cujus scientiæ nihil potest accedere, eum aut futurorum contingentium præscium, aut ubi jam facta sunt, illorum ignarum esse oportet. At qui naturâ, in tellectu, scienti immutabilis est, ejus scientiæ nihil potest accedere. Ergo. Jam verò non potest esse horum ignarus; id enim imperfectionis esset. Est igitur illorum præscius. III. A quo omnia tam mala quam bona præordinantur, ab eodém etjam præcognoscuntur: *Ratio*; quia præordinatio illa fieri nequit nisi à causâ intelligente, qualis omnino præcognoscit, quæ præordinavit. Atqui à primo principio omnia tam mala quam bona præordinantur *Actor*. 2. vers. 23. *Cap*. 4. vers. 28. *Ephes*. 1. vers. 11. *&c*. Ergo.

Quia Scriptura Deo præscientiam tribuit.

Ex naturâ *Prædicati*:

I. Scriptura Deo omnium universim rerum præscientiam tribuit.

tribuit. Ergo ei verè convenit. *Antecedens* his dictis adstruitur: *Actor*. 15. v. 18. *Nota sunt Deo ab omni ævo omnia opera sua. Ephes*. 1. v. 11. *Omnia agit ex consilio voluntatis suæ. Hebr*. 4. v. 13. *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*, *Iob*. 28. v. 24. *Ipse fines mundi intuetur*, *& omnia quæ sub cœlo sunt. Psalm*. 139. v. 2. *Intelligis cogitationes meas è longinquo. Proverb*. 19. v. 21. *Multæ cogitationes insunt animo cujusque*, *sed consilium Iehovæ ipsum stabit. Ierem*. 1. v. 5. *Cum nondum formavissem te in utero jam cognovi te &c*. Contra quæ non nisi frivolas exceptiones adversarii afferunt.

II. A quo est futurorum contingentium certa ac infallibilis prædictio, apud illum est eorundem certa ac infallibilis præscientia: *Ratio*; quia præscientia causa est prædictionis. A Deo futurorum contingentium certa est ac infallibilis prædictio, *Esa*. 41. v. 23. sicut exemplis innumeris probari potest. Nec refert quod non omnia prædixit; id enim non est à defectu præscientiæ aut præfinitionis, sed ab arbitrio voluntatis, quo alia revelat, alia non. Ergo.

Quia à Deo est prædictio futurorum contingentium.

Rationes Samosatenianorum.

Negantes Heterodoxæ.

Ex natura *Subjecti*:

Qui contristatur, experimento cognoscit alicujus obedientiam, exspectat aliquid, & exspectatione sua frustratur, jurat se aliquid facturum, quod tamen postmodum propter populi sui inobedientiam non facit; is omnium antequam fiant præscius non est. Atqui Deus contristatur peccatis hominum, *Gen*. 6. v. 6. 7. cognoscit experimento obedientiam Abrahæ, *cap*. 22. v. 12. exspectat uvas à vinea sua & frustratur, *Esa*. 5. v. 4. 7. quin jurat se populum introducturum in terram Chanaan, & tamen non facit propter ejus inobedientiam *Num*. 14. vers. 12. *& seqq*. Ergo. *Resp*. Negatur *Consequentia* ob mutatum genus prædicationis. Dicuntur illa de Deo non propriè sed *ἀνθρωποπαθῶς*; secus in ordinem creaturarum redigeretur. *Tristitia* ipsius displicentiam notat, & ex eâ pœnam; *Cognitio* rei alicujus manifestationem; *Exspectatio* invitationem ad aliquid, pœnæque dilationem. *Iuramentum* asseverationem Dei per verbum, sed hîc cum tacitâ conditione factam.

Quia experimento cognoscat, exspectatione frustretur Deus.

Ex natura *Prædicati* :

Quia futura contingentia in se ipsis incerta sint.

Quæ in se ipsis antequam fiunt incerta sunt, de illis certa ac infallibilis præscientia haberi nequit. Futura contingentia in se ipsis antequam fiunt incerta sunt. Ergo. *Resp. Major* de creaturis vera, de creatore falsa est. Hic enim futura contingentia non tantùm novit in ipsismet, sed vel maximè in sese, tanquam caussâ primâ Efficiente bona, permittente mala, utraque ad fines à se præstitutos præordinante; & notitiam illorum, ejusque certitudinem non habet vel ex caussis proximis futurorum contingentium, vel ex ipsis futuris contingentibus, verùm ex suo decreto. Quia enim omnia quæ fiunt, decrevit vel facere vel permittere, præscit quoque ea: Quia immutabiliter decrevit, ut sapientissimus ac potentissimus; præscit infallibiliter. Præscit igitur, quia futura sunt; & futura sunt, quia facere decrevit aut permittere. Ex quo non magis auctor peccati constituitur; quàm ex ipsâ permissione & ordinatione peccati, quæ fit in tempore.

Lutheranorum :

Tertia : Lutheranorum. *An Prædestinatio sit decretum de omnium hominum salute?*

PRIMA: *An Prædestinatio complectatur aliquod æternum Dei consilium de omnium universim hominum salute?* Lutherani affirmant. *Eckardus fasciculi Controv. cap.* 15. *Quæst.* 2. Nos negamus.

Sententia Lutheranorum.

Statum Controversiæ Primæ de Prædestinatione, vix ullus è Lutheranis planiùs aut distinctiùs explicat, quàm *Matthias Hafenrefferus, Theologus Tubingensis*, cujus verba ex *Locis* editis huc transscribi operæ precium erit. *Prædestinatio seu Electio*, inquit, *est voluntas, consilium, seu beneplacitum Dei æternum, de hominibus per Christum fide apprehendendum salvandis.* Voluntas *illa distinguitur in Antecedentem & Consequentem, sive quod idem est, in Universalem & Particularem.* Voluntas Antecedens *est consilium, beneplacitum & decretum Dei æternum, de omnibus in universum hominibus peccato perditis per Christum Salvatorem fide apprehendendum salvandis. Ea fundamentis tribus innititur*;

Infinita & Vniversali Dei misericordia; Vniversali Christi merito; Vniversali verbi ministerio. Voluntas Consequens *est consilium seu decretum Dei æternum, de salvandis credentibus, & damnandis incredulis. In quâ voluntate caussa particularitatis non oritur ex Deo, qui serio, constanter, & ardenter vult ut omnes homines credant, & per fidem in Christum salventur; sed homines ipsi in caussa sunt, qui benigno Dei & universali beneplacito non obsequuntur, nec credunt. Sola enim infidelitas caussa est particularitatis & damnationis. Nec obstat quod fides non omnium sed Dei donum esse dicitur. Est quippe ex auditu Verbi Dei,* Rom. 10. v. 17. *fides igitur non est omnium, quia non omnes audiunt verbum Dei; & qui audiunt, multis de caussis proprio vitio, divini seminis fructificationem sibi ipsis impediunt, quod Christus in parabola docet* Matth. 13. *Certum enim est, quod Spiritus Sanctus in omnibus qui verbum audiunt efficax esse, ac fidem & conversionem ipsis largiri velit; sed multi Spiritui Sancto resistunt, & media vel contemnunt, vel impediunt, vel rursus deficiunt.* Hactenus ille. Quibus omnibus si non Pelagianismus, at *Semipelagianismus Lutheranorum* ipso meridiano Sole clariùs proditur, tum ex parte Dei, tum ex parte hominis. *Ex parte Dei*; quia omnes per voluntatem Antecedentem in æquali gratiâ esse statuunt apud Deum; utpote cujus Universalis sit Electio, Universalis misericordia, Universalis Redemptio, Universalis Vocatio, Universalis quoque efficacia per illam vocationem. *Ex parte hominis*; quia quod alii obsequuntur Dei decreto & consilio, alii non obsequuntur; quod alii credunt, alii non credunt; atque ita alii ab aliis particulariter distinguuntur in voluntate Consequente, id omne esse ajunt non à Deo, sed ab ipsis hominibus; quorum alii nec contemnunt, nec impediunt media salutis, neque rursus deficiunt; alii contrà contemnunt, impediunt, deficiunt.

Semipelagianismus Lutheranorum.

Cæterùm quia fundamentum sententiæ suæ ponunt in distinctione *Voluntatis Dei* in *Antecedentem* & *Consequentem*, ea ante omnia nobis consideranda est. Reperitur verò non in Scripturis Sacris, sed in scriptis Patrum, *Chrysostomi* maximè *Sermone* 2. *ad Ephesios*, & *Damasceni lib.* 2. *fidei Orthodoxæ cap.* 29. de Providentiâ; à quibus Scholastici aliique eam mutuati sunt. Sed ne

Distinctio voluntatis Dei in Antecedentem & Consequentem.

 Ortho-

Orthodoxi quidem in ſenſu Scripturæ conveniente eam rejiciunt. Etenim voluntas Dei modò accipitur *pro decreto ſive propoſito ipſius*, modò *pro præceptis, promiſſis ac minis*. Primi ſignificatus exempla ſunt: *Eſa.* 46. v. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Pſal.* 115. v. 3. *Deus noſter in cœlis eſt, quicquid voluit, fecit. Rom.* 9. v. 19. *Voluntati ejus quis reſiſtet? Epheſ.* 1. v. 11. *Omnia agit ex conſilio voluntatis ſuæ.* Secundi exempla ſunt: *Pſal.* 143. v. 10. *Doce me facere voluntatem tuam. Matth.* 6. v. 10. *Fiat voluntas tua. Rom.* 2. v. 18. *Noſti ejus voluntatem.* 1. *Theſſ.* 4. v. 3. *Voluntas Dei eſt ſanctificatio veſtri.* Hæc voluntas in Antecedentem & Conſequentem rectè diſtinguitur. Eſt enim *Antecedens* in præceptis; fac hoc, crede: *Conſequens* in promiſſis, vel minis; vives, ſervaberis; non vives, damnaberis. Illa declarat hominis officium, quid facere aut omittere debeat; Iſta Dei vel beneficium, ſi faciat; vel judicium, ſi omittat; eoque voluntas *conſequens* tam diu ſemper ſuſpenſa eſt & incerta, donec voluntas *antecedens* vel facta vel omiſſa fuerit. At prior, quæ decretum notat, quo ſtatuit Deus de omnibus, & ex quo omnia agit, *Epheſ.* 1. v. 11. non rectè ita deſtinguitur. Nam nullum eſt in Deo *antecedens* decretum conditionale, in certum, ab eventu dubio pendulum. Nullum item decretum *conſequens* diſtinctum & particulare ex arbitrio humano: Proinde deſtinctionem ſive diviſionem illam ut Pelagianam, aut Semipelagianam meritò rejicimus. Etenim

Quatenus orthodoxè ſumatur.

Decretum ita diſtingui nequit.

Quia membra hæc cum diviſo ſuo pugnant.

I. Quæ membra cum diviſo ſuo apertè pugnant; illud non dividunt. Hæc membra cum diviſo ſuo apertè pugnant. Ergo. *Major* eſt axioma Logicum. *Minor* probatur: Quod certum, fixum, immutabile eſt, finemque ſuum ſemper aſſequitur; id incertum, dubium, mutabile, fine ſuo ut plurimum excidens, dici nequit. Omnis voluntas Dei, pro decreto accepta, eſt certa, fixa, immutabilis, finemque ſuum ſemper aſſequitur: *Eſa.* 46. v. 10. *conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Cap.* 14. v. 27. *Iehova exercituum ineunte conſilium, ecquis irritum faciet? Pſal.* 115. v. 3. *Deus noſter in cœlis eſt, quicquid voluit, fecit. Rom.* 9. v. 19. *voluntati ejus quis reſiſtit. Cap.* 11. v. 7. *Electio aſſequuta eſt, reliqui occalluerunt.* Unde conſilium ipſius in Scriptura ὡρισμένον, *Actor.* 2. v. 23. & ἀμετάθετον, *Hebr.* 6. v. 17. appellatur; ſicut dona, quæ inde proficiſcuntur, ἀμεταμέλητα *Rom.* 11. v. 29. Ergo. Quod verò diſtinctione Voluntatis æternæ in

in *absolutam* & *ordinatam*, Universalitatem *Majoris* infringere adlaborant, id omne in vanum est. Nam Voluntas quæ ordinata dicitur à mediis subordinatis, non incerta & dubia, sed certa ac firma est, tum in Electionis, tum in Reprobationis decreto. *Ratio*; quia utrumque decretum non tantùm de fine est, sed etiam de mediis ad illum finem: id est, non tantùm certò ac immutabiliter apud se constituit Deus, quibus velit salutem dare, vel non dare, sed etiam quibus velit fidem dare, vel non dare. Unde *crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam*, *Actor.* 13. v. 48. cæteri *non crediderunt, ad quod etiam positi fuerunt*, 1. Pet. 2. v. 7. 8. *Electi assequuti sunt, reliqui occalluerunt Rom.* 11. v. 7. Imò *non potuerunt credere*; *quia dedit eis Deus Spiritum soporis*, v. 8. *excæcavit eos Iohann.* 12. v. 39. 40. Atque hoc est, quod ait Christus *Matth.* 13. v. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum*, *illis non est datum*; nam aliis occultantur, aliis revelantur ex beneplacito Patris, *cap.* 11. v. 25. 26. quo *miseretur, cujus vult*; *& indurat quem vult Rom.* 9. v. 18. Si igitur certa est ac ordinata Dei voluntas, tam quoad media, quàm quoad finem; & verò omnibus quibus finem, salutem, etiam media destinavit, ut voluntatis *antecedentis* declaratio testatur: irrefragabiliter sequitur aut omnes universim homines salvari, aut media salutis insufficientia esse, aut denique decretum tale nullum esse.

II. Pugnantia non sunt sub uno genere proximo. Voluntas Antecedens & Consequens, prout ante definitæ fuerunt, sunt pugnantia. Ergò. *Minor* confirmatur argumento duplici. *Primum*: Quorum unum vult omnes salvari, alterum non vult omnes salvari, ea sunt pugnantia. Atqui ex sententia Lutheranorum Voluntas Dei Antecedens vult omnes salvari, Voluntas Consequens non vult. Ergò. *Respondet Hafenrefferus*, esse voluntates non contradictorias, sed subordinatas. Vult Deus omnes homines credere & per fidem salvari. Quia verò multi suo proprio vitio non credunt, ideo consequente Dei voluntate damnantur, credentes autem salvantur. *Respondemus Nos*: Esse ergo fidem humani arbitrii opus. Etenim: Qui voluntate Antecedente omnium miseretur, omnes redimit; qui seriò, constanter, & ardenter vult, ut omnes credant, ita quidem, ut per Spiritum Sanctum in omnibus, qui verbum audiunt, efficax esse, ac fidem & conversionem ipsis largiri velit; is fidem aut

Quia voluntas Antecedens & Consequens sunt pugnantia.

in

in omnibus producit, aut eam hominis arbitrio relinquit: ex quo fiat postmodum ut alii velint credere, alii non velint: alii velint recipere fidem à Deo ardenter eam largiri & efficaciter operari volente, alii non velint. Tertium præter ista non datur. Atqui Deus voluntate Antecedente vult ista omnia; ut habent verba *Hasenrefferi*. Ergo aut fidem in omnibus producit, aut eam hominis arbitrio relinquit. Sed utrumque consequens est contra Scripturam. Prius; 2.*Thess*.3.v.2.*fides non est omnium*, *Tit*.1.v.1. *fides Electorum Dei*. Posterius; *Ephes*.2.v.8.9. *Gratia servati estis per fidem, & hoc non est ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*. Est igitur contra Scripturam etiam Antecedens; atque ita *Exceptio Hasenrefferi* inanis. Verum quidem est multos proprio vitio non credere; nam culpa incredulitatis in homine residet: Sed & hoc verum est, quod nolit Deus fidem dare omnibus; quia miseretur cujus vult, & indurat quem vult, *Rom*. 9.vers. 18. aliis dat cognitionem mysteriorum cœlestium, aliis non dat, *Matth*. 13.v.11. sed occultat *cap*. 11.v.25. Proinde Caussa Incredulitatis latius patet, quàm ejus culpa. *Caussa* est partim in Deo reprobante & excæcante, *Roman*. 11.v.7.8. *Iohan*. 12.v.39.40. partim in homine, *Matth*. 13.v.19. *& seqq*. *Culpa* in solo homine *Matt*.23.v.37. *Deus caussa est citra culpam*; quis enim dedit ei ut reddatur ei? *Rom*. 11.v.35. aut annon licet ei facere de rebus suis quod vult? *Matth*.20.v.15. *Homo caussa est cum culpa*; quia resipiscere & credere jussus, *Marc*.1.v.15. sicque sciens voluntatem Domini, tamen eam non fecit *Luc*. 12. v.47. *Secundum*. Quorum unum affirmat, alterum negat vocationem esse universalem; illa sunt pugnantia. Atqui ex doctrinâ Lutheranorum Voluntas Antecedens affirmat, Consequens verò negat vocationem esse universalem. Ergo. *Minorem* habemus in verbis *Hasenrefferi* supra traditis. Nam fundamentum tertium voluntatis Antecedentis ponit in universali verbi ministerio, quo Christus toti mundo offertur; & seriò vult Deus, ut omnes eum per fidem accipiant. Quod vero non omnes accipiunt, id in voluntate Consequente esse ait ex eo, quia non omnes audiunt verbum Dei; & qui audiunt, divini seminis fructificationem sibi ipsis impediunt, resistendo nimirum Spiritui Sancto, & media vel contemnendo vel impediendo, vel rursus deficiendo. Unde sic infero: Quod non omnes audiunt id neque omnibus prædicatur;

Incredulitatis caussa & culpa.

catur; quomodo enim audient absque prædicante? *Roman.* 10. v. 14. Verbum Dei non omnes audiunt. Ergo nec prædicatur omnibus; sicque ministerium verbi universale non est. Alia argumenta contra eandem distinctionem omittimus; & nunc ad sententiæ nostræ confirmationem accedimus.

Rationes Nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti.*

I. Quod particulare est, sive quorundam tantùm, id non est universale. Prædestinatio ad salutem particularis est, sive quorundam tantùm. Ergo. *Minoris* veritas demonstratur testimoniis Scripturæ. *Rom.* 8. v. 29. 30. *Quos præcognovit, etiam prædestinavit conformandos imagini filii sui, ut is sit primogenitus inter multos fratres. Quos vero prædestinavit, eos etiam vocavit. Cap.* 11. v. 2. *Non abjecit Deus populum illum suum, quem præcognovit.* 2. *Tim.* 2. v. 19. *Solidum stat Dei fundamentum habens sigillum hoc; Novit Dominus eos, qui sunt sui. Matth.* 20. v. 21. 23. *Sedere ad dextram & sinistram meam in regno meo, dabitur quibus paratum est à Patre meo. Luc.* 12. v. 32. *Ne metue parve grex: nam libuit Patri vestro dare vobis regnum. Act.* 13. v. 48. *Crediderunt quotquot ad vitam æternam ordinati erant. Cap.* 18. v. 10. *Populus est mihi multus in urbe hâc.*

Quia prædestinatio ad salutem est particularis.

II. Electio ad salutem non est universalis. Prædestinatio est Electio ad salutem. Ergo. *Minor* patet ex horum terminorum æquipollentia apud Lutheranos; quam etiam *Hasenrefferus* docet. *Major* confirmatur *partim* ex etymologia vocis: nam eligere est ex pluribus legere, unum alteri preferre, sive uno accepto alterum repudiare; juxta illud *Vnus recipietur, alter relinquetur, Matth.* 24. v. 40. *partim* ex sententia Scripturæ: *Matth.* 20. v. 16. *Cap.* 22. v. 14. *Multi vocati, pauci electi. Ioh.* 13. v. 18. *Scio quos elegerim. Cap.* 15. v. 19. *Ego elegi vos ex mundo. Rom.* 11. v. 7. *Electi assecuti sunt, reliqui occalluerunt.* 1. *Cor.* 1. v. 27. 28. *Quæ stulta sunt mundo elegit Deus, ut pudefaciat sapientes; & quæ sunt infirma mundi elegit Deus, ut pudefaciat valida.*

Quia Electio ad salutem non est Universalis.

Ex natura *Prædicati.*

Quia complectitur consilium Dei de aliquorum salute & aliorum exitio.

Quod consilium Dei de aliorum salute, aliorum contrà exitio

exitio complectitur; id non complectitur consilium de omnium universim hominum salute. Atqui Prædestinatio divina complectitur consilium Dei de aliorum salute, aliorum contrà exitio: Ergo. *Major* certa est: quia in Deo ut non contrariæ voluntates, ita nec contraria sunt consilia, neque est Etiam & Non de iisdem

Quod liquet

2. *Cor*. 1. v. 19. *Minor* confirmatur ex Scripturâ dupliciter à priore & posteriore, ex decreto & eventu. *A priore* hoc modo: Qui

Ex decreto:

Prædestinatione suâ alios ad vitam, alios ad mortem præordinavit; ejus Prædestinatio consilium de aliorum salute, aliorum contrà exitio complectitur. Atqui Deus Prędestinatione suâ alios ad vitam, alios ad mortem præordinavit, juxta dicta *Roman*. 9. v. 11. 12. 13. *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum ipsius, quod est secundum ipsius Electionem, non ex operibus sed ex vocante firmum maneret, dictum est ei: Major serviet minori; sicut scriptum est: Iacobum dilexi, Esavum odio habui*. v. 18. *Cujus vult miseretur, quem vult indurat*. v. 21. 22. 23. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eâdem massâ faciat aliud quidem vas ad decus, aliud ad dedecus? Quid si verò volens ostendere iram suam & notam facere potentiam pertulit multâ lenietate vasa iræ coagmentata ad interitum; & ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam. Cap*. 11. v. 2. *Non abjecit Deus populum illum suum, quem præcognovit*. v. 7. *Electi assequuti sunt, reliqui occalluerunt*. 1. *Thess*. 5. v. 9. *Non constituit nos Deus ad iram* (sicut alios constituit quos ad damnationem prescripsit, vers. 4.) *sed ad salutem obtinendam. Matth*. 25. v. 34. *Possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento*. v. 41. *Abite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus* scil. à jacto mundi

Ex eventu

fundamento. Ergò. *A posteriore* sic: Quorum aliis media salutis obtingunt, aliis non obtingunt; quorum alii salutem assequuntur, alii non assequuntur; idq; ex æternâ Prædestinatione: de illorum tum salute tum exitio consilium Dei ipsa prędestinatio complectitur. Atqui hominum aliis media salutis obtingunt, aliis non obtingunt; eorum alii salutem assequuntur, alii non assequuntur, & quidem ex æternâ Prædestinatione. Nam ita Christus de utrisque *Matth*. 11. v. 25. 26. *Gloriam tibi tribuo Pater Domine cœli & terræ, quod hæc occultaveris sapientibus & intelligētibus, ac revelaveris infantibus. Etiam Pater, quia ita libuit tibi. Cap*. 13. v. 11. *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis non est datum. Cap*. 25. v. 34. *Venite bene-*

benedicti Patris mei possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento. & v. 41. *Abite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus.* Ergo.

Exceptiones Lutheranorum ad testimonia ex capite 9. *Epistolæ ad Roman.*

Primò: Exempla Jacobi & Esavi non παραδειγματικῶς, sed τυπικῶς adducuntur; & odisse est certo modo posthabere; contra diligere in certâ aliquâ re præferre. *Resp.* adducuntur utroque modo. *Illo*; quia adducuntur ut exempla distinctionis Apostolicæ de filiis carnis & filiis promissionis, v. 6. 7. ut docet connexio v. 10. *Neque hic solum* &c. Ut igitur exempla priora Ismaëlis & Isaaci adducuntur παραδειγματικῶς, ita & posteriora. *Isto*; quia quod in hypothesi dicitur de duobus illis, in thesi affirmatur de aliis omnibus, Electis & reprobis, v. 15. 16. *& seqq.* quod ipsum etiam fit in exemplis prioribus, v. 7. 8. 9. Quinimo quia paradigmaticè adducuntur, typicè adducuntur. Nam de similibus idem est judicium. Et ut Israelitæ, quia prostrati à Deo, παραδείγματα iræ ejus facti sunt τύποι vocantur nostri respectu, 1. *Cor.* 10. v. 6. 11. eundem in modum hîc se res habet. Est tamen hoc loco & alia typi ratio respectu ipsorum. Nam jus primogenituræ & terræ promissæ hæreditas, quæ Esavo negata, Jacobo autem fuere collata, typi sunt gratiæ Dei ad salutem negatæ aut collatæ. Quos typos in utriusque Personâ impletos fuisse hîc mystica explicatione ostenditur. Quod alterum attinet *de amore & odio*, libenter admittimus, *odisse* esse certo modo posthabere, & *diligere* esse in re aliquâ certâ præferre. At quomodo posthabitus Esavus? aut quâ in re Jacobus ei prælatus fuit? Utrumque docet Apostolus. *Esavus* posthabitus est Jacobo, ut filius carnis; *Iacobus* contrà prælatus Esavo in promissione, ut filius promissionis v. 6. 7. *Esavus* posthabitus fuit Jacobo, ut propositum κατ' ἀπόδοξιν τοῦ θεοῦ firmum maneret. *Iacobus* verò prælatus Esavo, ut propositum κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ firmum maneret v. 11. Jam verò in promissione posthaberi aut præferri, est in vitæ æterna posthaberi aut præferri; & ad alterutrum prædestinatum esse, est ad vitam aut mortem prædestinatum esse.

Vindicatio loci *ad Rom. 9. cap.*

Secundò: dicta *Genes.* 25. v. 23. *Malach.* 1. v. 3. non agunt de

De dictis *ibid* v. 12. 13. citati

de absolutâ aliquâ rejectione, aut electione, sed de externâ prærogativa primogenituræ & huic annexa promissione terræ Canaan. Nam I. agunt non tam de Patriarchis, quam de ipsorum posteris. Si igitur æternam electionem vel rejectionem docent, sequitur Jacobum omnesque ejus posteros electos. Esavum contra omnesque ejus posteros rejectos fuisse. II. *Gen.*27.v.40.dicitur Esavum aliquando jugum servitutis excussurum; Fatale autem & absolutum reprobationis decretum everti nequit. III. Paulus vers.13. vaticinium Malachiæ de externâ prærogativâ dominii explicat. IV. Esavus ex parte factus est particeps benedictionis Jacobo factæ, *Gen.*27.v.39.40.sequitur ergo partim electum, partim reprobum fuisse. V. Nec ipse Isaacus aut Rebecca de æternâ reprobatione intellexerunt. *Resp.* Omnia illa dicuntur non contra nos, sed contra Apostolum quasi testimonia Mosis & Malachiæ non recte intellexerit, eoque nec convenienter allegarit: quod quantum absit à blasphemiâ, ipsi harum exceptionem auctores viderint. De quo agat Apostolus propositio ejus ostendit v.6. *Non excidit*, inquit, *sermo* sive promissio *Dei* facta Abrahæ. etiamsi major Judæorum, posterorum ejus, pars rejiciatur. *Rationem* affert; quia posteri illi non sunt ejusdem generis, sed alii *filii carnis*, quos non spectat promissio; alii *filii promissionis*, in quibus rata est. Hoc declarat exẽplo gemino, uno *Ismaelis & Isaaci*, altero *Esavi & Iacobi*. Et quia in exẽplo posteriore paritas summa est fratrũ ex uno Patre, una Matre, uno conceptu genitorum v.11.caussã exponit discriminis inter ipsos; ex quo Esavus factus est filius carnis, Jacobus filius promissionis. Eã vero proponit non in operibus bonis vel malis, præcedentibus vel prævisis, sed in ęterno Dei proposito, Jacobum ex gratia eligentis & vocantis, Esavum nec eligentis nec vocantis atque ita reprobantis; & insuper testimonio Mosis & Malachiæ confirmat v.12.13. Cum autẽ illud rectè ex iis cõfirmarit, utpote inspiratione Dei, 2.*Tim.*3.16. dubiũ non est, quin utrumq; dictũ de ęterna Electione & rejectione certa, firma, immutabili, eoq; significatu absoluta, mysticè saltẽ loquatur, nõ excluso interim respectu ad beneficia aut judicia externa, per sensũ historicum. *Rationes* quę contrarium probare videntur, non magni momenti sunt. *Ad* I. *respondemus*: *Gen.*25. *Mal.*2. ita agi de posteris, ut ipsi Patres, Esavus & Jacobus non excludantur, sed includantur. Apostolus autem dicta illa citat non posterorum sed Patrum respectu, ut videre est v. 10.11. Malè ergo

ergo ex illo antecedente infertur hoc consequens: Omnes Jacobi posteros electos, omnes Esavi posteros reprobatos fuisse: subjicitur enim *Miseretur cujus vult & indurat quem vult*, etiam ex utriusq; posteris v. 18. In II. idem vitium ἀσυλλογισίας recurrit: Quasi verò par ratio sit eorum, quæ in oraculis historicè ac mysticè enunciantur. *Historicè* Esavus jugum servitutis, nec subiit, nec excussit; etsi posteri Idumæi utrumque fecerint. *Mysticè* subiit, sed nunquam excussit; quod videlicet firmum maneret Dei propositum, vers. 11. quod propositum non est fatum Stoicum sed decretum immutabile. In III. est petitio principii. Dictum Malachiæ applicat Apostolus ad suum scopum. Ergo non tam externam dominii, quàm internam Electionis & Vocationis prærogativam intelligit. In IV. est fallacia à dicto secundum quid. Esavus factus quidem est particeps benedictionis Jacobo dictæ; sed externæ, impiis cum piis communis, non autem internę & fœderalis, quę ex gratia Electionis & vocationis manat. Non igitur partim Electus, partim reprobatus, sed tantum reprobatus fuit, ut qui à benedictione posteriore in totum fuit exclusus. Ad V. dicimus, parum referre sive intellexerint, sive non intellexerint oraculum Isaacus & Rebecca. Sufficit nobis Apostolum illud tum rectè intellexisse, tum convenienter allegasse.

Tertiò: Non eum sensum comparationis esse quem volumus. I. quia Deus opera sua diligit & approbat. At vasis iræ irascitur & indignatur. Ergo non sunt opus Dei. II. Tolerantia non est eorum quæ ipsi scientes volentes facimus. At Deus vasa iræ multâ μακροθυμίᾳ tolerat. Ergo non facit. III. De vasis misericordiæ dicit Apostolus, quod Deus ea præpararit activè; vasa autem iræ dicuntur κατηρτισμένα passivè, nimirum aliũde à Diabolo. *Sensum vero hunc esse*: Si figulus ex una & æquali materia, vasa quædam ad decus, quædam ad dedecus pręparans, reprehensionem non incurrit; multo minus Deum reprehendi posse, si ille quorundam, oblatam gratiam recipientium, misereatur; quosdam autem, (quos substantiæ quidem ratione aptavit, non autem ad contumaciam) si per incredulitatem & contumaciam adversus opificem insurgant refractarii & rebelles, indurari à Satana permittat, *Resp.* Sensus comparationis Apostolicæ manifestissimus est v. 20. 21. 22. 23. Quemadmodum figulus habet potestatem in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud vas ad decus, aliud ad dedecus; ita Deus potestatem

De comparatione cum figulo *ib.* v. 20. seqq.

Interpretatio Lutherana.

tem habet in homines, ut ex aliis faciat vasa misericordiæ ad gloriam, ex aliis vasa iræ ad interitum. Quem verò ipsi sensum fingunt, iis est contra Apostolum. I. Quia Apostolus docet Deum misereri cujus vult & indurare quem vult, ex proposito suo, citra omnem operum sive præcedentium, sive prævisorum respectum, quo ad miserendum posset commoveri v.11.18. Ergo non miseretur quorundam oblatam gratiam recipientium. II. Non tantum aptavit vasa iræ quoad substantiam, sed eadem quoque ad interitum destinavit, *Prov.*16.v.4.*Iud.*v.4. sicque à salute & salutis assequendæ mediis exclusit *Rom.*9.v. 18.*Matt.* 11.v.25.26.*Cap.*13.v. 11.III. Indurat etiam vasa irę, non tantùm Satanę id permittendo, 2.*Cor.* 4.v.4. verum etiam justo judicio majorem duritiem ipsis infligendo *Ioh.*12.v.39.40.*Rom.*11.v.8.*Exod.* 4.*& seq.capp.* Sed & *Rationes*, ipsorum inspiciamus, quę omnes habent fallaciam à dicto secundum quid. *Prima*: Nam Deus opera sua diligit, approbat quâ opera; iisdem vero irascitur, quatenus propria culpâ per seductionem Satanæ corrupta sunt, & in corruptione illa abusu lenitatis Dei perseverant. Etenim in vasis iræ, quod à Deo habent accuratè distinguendum est ab eo, quod ab ipsismet, atque etiam à Diabolo procedit. *A Deo* habent. I. quod sunt vasa, per creationem. II. quod sunt vasa iræ destinata ad interitum, per prędestinationem. *Ab ipsismet* atque etiam *à Diabolo* est, quod sunt vasa iræ, digna irâ propter peccatum, in quod impulsu Diaboli se præcipitarunt. Sunt igitur vasa irę opus Dei, & non sunt respectu diverso. *Secunda*: quia *tolerat* Deus multa μακροθυμίᾳ vasa irę quoad peccatum & pravitatem ipsorum; *non tolerat* sed efficit ea, partim absolutè quâ vasa, partim relatè quâ vasa ad interitum coagmentata. *Tertia*: quia dicuntur κατηρτισμένα passivè, non quod à solo Diabolo aut à se ipsis tantum; verum quia à Diabolo & semetipsis per peccatum, à Deo autem per creationem coagmentata, per prædestinationem ad interitum coagmentata sunt. Quod posterius confirmatur I. ex protasi comparationis. Figulus facit vas aliud ad decus, aliud ad dedecus. Ergo & Deus. II. Deus operatus est impium propter seipsum ad diem mali, *Prov.*16.v.4. ad damnationem prę scripsit *Iud.*v.4. Ergo eundē ad interitum coagmentavit. III. Deus Electis præparavit gloriam. Ergo Reprobis ignominia. Ratio est? quia illis regnum cœlorum, istis ignem inferorum à jacto mundi fundamento paravit *Matth.*35.v.34.41. Quod verò de illis activè loqui-

loquitur Apostolus, utens verbo προητοίμασεν, inde est quod non partim à Deo partim à se ipsis, sed à solo Deo ad gloriam præparati fuerunt.

Rationes Lutheranorum.

Affirmante Heterodoxæ.

Ex naturâ *Subjecti*:

I. Voluntas misericordiæ est voluntas salvandi. Voluntas misericordiæ est universalis. Ergo etiam voluntas salvandi est universalis; atque ita Prædestinatio ad salutem, quæ nihil est quam salvandi voluntas. *Minor* est Apostoli *Rom.* 11. v. 32. *Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereretur. Resp. Majore* citra ambiguitatẽ acceptâ de voluntate misericordiæ specialis ad salutẽ, falsa est *Minor*, nec dicto Apostoli confirmari potest. Etenim *notæ universales* in utroque membro non *significat* collectivè universos & singulos, sed *distributivè Iudæos & Gentes*, atq; hoc vult Apostolus, Deum omnes qui servãtur, sive sint Judæi sive sint Gentes, conclusisse sub peccatum, ut omnium misereretur; hoc est, ut omnes illi ex misericordia ipsius servarentur, non vero gentes peculiariter ex ipsius misericordia, Judæi iterum peculiariter operum propriorum meritis. Hanc *expositionem* probant. I. Nexus sententiæ hujus cum priore v. 30. 31. per causalem *Enim. Vobis*, inquit, *quamvis olim infidelibus contigit misericordia occasione contumaciæ ipsorum Ergo & ipsis nunc infidelibus obtingere potest misericordia, occasione misericordiæ vobis divinitus præstitæ.* Hoc v. 32. ostendit ex fine Dei in permittendâ utrorumque contumacia, qui est omnes, quotquot servantur ex utrisq;, servare ex misericordia. II. Articulus præpositivus utrique membro additus, quo ad eos restringitur vox *omnis*, quorum in præcedentibus facta mentio est. Mentio verò facta eorum quos Deus ex Judæis & Gentibus servare constituit. III. Collatio *cap.* 9. cui Apostolus hic non contradicit. Istic verò misericordiam Dei universalem esse apertissimis verbis negavit.

Quia voluntas misericordiæ sit universalis

Explicatur dictum Rom. 11. v. 32.

II. Dilectio Dei, quâ filium suum dedit pro nobis est voluntas salvandi. Dilectio illa Dei est universalis. Ergo etiam voluntas salvandi & per consequens prædestinatio ad salutem. *Major* extra controversiam est. *Minor* ponitur ab ipso Christo *Ioh.* 3. v 16. *Sic Deus dilexit mundum &c. Resp.* ad *Minorem*: Dilectio illa universalis est respectu Electorum & credentium, juxta illud Apostoli

Quia dilectio Dei sit universalis.

Vindicatio dicti Ioh. 3. v. 16.

ſtoli *Rom.* 3. v. 22. *juſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt: non enim eſt diſtinctio.* Particularis vero reſpectu univerſorum ac ſingulorum, ſicut dicitur *Rom.* 9. v. 13. *Iacobum dilexi, Eſavum odio habui,* & v. 18. *miſeretur cujus vult*, & *indurat quem vult*. Nec aliam univerſalitatem Chriſtus *Ioh.* 3. verſ. 16. proponit. Etenim *mundi* vocabulo per metonymiam ſubjecti homines in mundo degentes, per ſynecdochen integri Electos & credentes per totum mundum diſperſos tacitâ ad Judæos antitheſi diſignat. Quod patet I. ex ipſa Chriſti declaratione; nam mundum per omnes credentes exponit. II. ex natura dilectionis Dei. Quos diligit Deus, diligit dilectione æterna. *Ier.* 31. v. 3. diligit uſque ad finem *Ioh.* 13. v. 1. At non omnes dilexit dilectione æterna; quia quoſdam odit, *Rom.* 9. v. 11. & *ſeq.* nunquam novit pro ſuis, *Matt.* 7. v. 23. nec diligit uſque ad finem, ut ultimi judicii proceſſus teſtatur *Matt.* 25. v. 41. Ergo.

Mundus notat Electos,

Exceptiones adverſariæ,

Excipiunt contra. I. Vocabulum mundi nuſpiam in Scriptura ſignificare ſolos Electos. II. v. 18. diſtingui mundum in credentes & non credentes. III. Reprobos damnari quod non credunt in Chriſtum *ibid.* Ergo ad ipſos pertinet ejus miſſio. IV. 1. *Ioh.* 4. v. 9. 11. peti hinc argumentum dilectionis mutuæ. V. 1. *Ioh.* 2. v. 2. addi particulam collectivam *totus*. *Reſp.* Singula ſuo ordine breviter conſiderabimus. *Primum* falſum eſt. Exempla ſignificatus iſtius apertiſſima ſunt: 2. *Cor.* 5. v. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis offenſas eorum*; quales juſtificati & beati ſunt ſententia Davidis *Pſal.* 32. & Pauli, *Rom.* 4. Sic *Rom.* 4. v. 13. *per juſtitiam fidei ceſſit Abrahæ promiſſio, ut hæres eſſet mundi*, id eſt, pater omnium credentium circumciſorum & incircumciſorum v. 12. 13. Similia loca ſunt *Ioh.* 3. v. 11. *Cap.* 6. v. 33. 51. *Cap.* 12. v. 47. & alia. Cauſam verò, *cur fideles N.T. Mundus dicantur*, Johannes & Paulus, qui voce illâ maximè utuntur, ediſſerunt. Ille, dum ait, filios Dei non tantum in Judæis, ſed etiam in gentibus diſperſos eſſe, *cap.* 11. v. 51, 52. eoſq; redemtos per ſanguinẽ Chriſti ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione *Apoc.* 5. v. 9. Iſte, dum vocationẽ gentium opulentiam mundi, *Rom.* 11. v. 12. reconciliationem mundi v. 15. nominat. *Secundum* ſimiliter falſũ eſt. Nã v. 18. tantum diſtinguuntur credentes & increduli, non damnandi & damnandi. Mundus vero, cujus non condemnandi ſed ſervandi gratia Chriſtus veniſſe dicitur v. 17. eſt mundus credentium, ut collatio docet,

refutantur,

Tertium inconsequens est. Damnantur quod non credunt in nomen unigeniti filii Dei, id est, quod illum rejiciunt, contemnunt. Ergo ad ipsos pertinet ejus missio. Contrarium verum est. Non enim rejiciunt eum aut contemnunt, nisi quibus positus est in casum & non in resurrectionem *Luc*. 2. v. 34. 1. *Pet*. 2. v. 8. *Quartum* ejusdem est valoris. Quasi verò missio filii non possit esse argumentum mutuæ dilectionis, nisi communis sit omnibus? Imo tanto majus est & efficacius argumentum apud Electos, quod aliis numero pluribus odio habitis, ipsos singulariter ita dilexit. *Quintum* peccat fallacia phraseos. *Est*, inquit Iohannes 1. *Epist*. 2. vers. 2. *propitiatio pro nostris peccatis*, id est meis & vestris, qui credimus; *nec pro nostris solum, sed pro totius mundi peccatis*, hoc est, pro peccatis omnium Electorum sive filiorum Dei, dispersorum per totum mundum, uti declarat Euangelii sui *cap*. 11. v. 51. 52. Ita Paulus *Rom*. 11. v. 26. dicit totum Israëlem servatum iri, cum tamen Israëlitarum plenitudinem, sive plurimos ex ipsis, tantum intelligat v. 12.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quod complectitur voluntatem Dei de omnium universim hominum salute, complectitur eadem de re ipsius consilium. Prædestinatio complectitur voluntatem Dei de omnium universim hominum salute. Ergo. *Minor* probatur testimoniis Scripturæ, & Rationibus. Testimonia sunt: *Ezech*. 33. v. 11. *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*. 1. *Tim*. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines servari, & ad agnitionem veritatis pervenire*. 2. *Pet*. 3. v. 9. *Deus patiens est erga quosvis, nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere*. Rationes sunt: I. Quos Deus creavit ad imaginem suam, illos vult salvos fieri. Omnes homines in Adamo creavit ad imaginem suam. Ergo. II. Quos Deus invitat & vocat ad pœnitentiam, & filius Dei vult ad se venire, aggregari; eos omnes vult salvos fieri. Atqui Deus invitat & vocat omnes ad pœnitentiam, *Act*. 17. v. 30. filius Dei ad se omnes venire vult, *Matt*. 11. v. 28. eosque sub alas suas congregare *Matt*. 23. v. 37. Ergo. *Resp*. Remota ambiguitate terminorum in *Majore* syllogismi principalis, falsa est *Minor*: nec eam vel Testimonia, vel Rationes confirmant. *Ezech*. 33. v. 11. sermo est non de quovis peccatore, sed de *peccatore resipiscente*, cujus mortem non vult. Non resipiscentis mortem verò non modò vult, ut dicitur de filiis

Quia complectatur voluntatem Dei de omnium universim hominum salute.

Vindicatio dictorum

Ezech. 33. v. 11.

Eli, *Iehova volebat eos morte afficere* 1. *Sam*. 2. v. 25. ſed etiam volu-
2. *Tim*. 2. v. 4. ptatem ex eâ capit *Prov*. 1. v. 26. 1. *Tim*. 2. v. 4. per *omnes homines* non ſingula generum, ſed genera ſingulorū, id eſt omnis ordinis homines tam in eminenti conſtitutos, quàm plebejos, Apoſtolus intelligit; quemadmodum ex ipſo ſcopo evidenter colligitur. Alioquin & pro omnibus univerſim abſque ullo diſcrimine orandum eſſet *ex* v. 1. quod tamen negat Iohannes 1. *Epiſt*. 5. v. 16. & Chriſtus fa-
2. *Pet*. 3. v. 9. cere noluit, non rogans pro mundo *Ioh*. 17. v. 9. 2. *Pet*. 3. v. 9. loquitur Apoſtolus de Electis, non de univerſis ac ſingulis. *Patiens eſt*, inquit, *erga nos Deus*, videlicet quos per Euangelium vocavit, & etiamnum vocat; *nolens ullos*, ex nobis ſcilicet, *perire, ſed omnes ad reſipiſcentiam tendere*. Atque ea de cauſa adventum ſuum ad judicium, quem rident homines profani, differt. Quod *Rationes* attinet, ad *Primam* dicimus, falſam eſſe ejus *Majorem*: Si enim quoſcunque creavit Deus ad imaginem ſuam, ſeu potius in imagine ſua ſecundum ſimilitudinem ſuam, id eſt, in imagine ſibi ſimili; eoſdem etiam decreviſſet ſalvos facere, (quomodo verbum velle accipi oportet) utique aut creaſſet omnes immutabiles, ut ſalvi fierent, aut fine ſuo circa omnes in creatione excidiſſet. Sed aliud eſt Apoſtoli hâc de re judicium, omnia concluſiſſe Deum ſub peccatum teſtificantis, ut omnium miſereretur *Rom*. 11. v. 32. *Secunda* fallaciâ ὁμωνυμίας laborat, eoque limitanda eſt: Quos Deus invitat & vocat ad pœnitentiam, foris per verbum, intus per Spiritum S. eos omnes vult, id eſt, decrevit ſalvos facere. Hoc ſenſu vera eſt Major, non alio. Sed ita *Minor* falſa exſiſtit: Ratio; quia Deus ne omnes quidem vocat per verbum, ut ſupra oſtendimus; & quos ita vocat, corum tamen paucos vocat per Spiritum, ſicut dicitur *Matt*. 20. v. 16. *Multi ſunt vocati, pauci Electi*. *Act*. 17. v. 30. ait Apoſtolus, omnibus ubique hominibus, nimirum quibus prædicatur Euangelium, denunciari ut reſipiſcant. Quid inde? Ergo omnes debent reſipiſcere, non verò Ergo decrevit Deus omnibus reſipiſcentiam largiri. *Matt*. 11. v. 28. invitat Chriſtus omnes onus iræ Dei ex peccatis ſuis ſentientes eoque gratiam ejus ſitientes: Quod & hic & alibi docet. Unde illud contra Phariſæos *Matt*. 9. v. 13. *Non veni vocatum juſtos, ſed peccatores ad reſipiſcentiam*. Denique *Matt*. 23. v. 37. loquitur ut miniſter circumciſionis, quatenus toto miniſterii ſui tempore, Hieroſolymitanos ad fidem adducere ſtuduit. Quod vel ipſo loquendi modo, *quoties volui* ſignificat.

SECVN-

Quarta: Lutheranorum An Decretum Electionis sit absolutum, à sola εὐδοκίᾳ Dei dependens.

SECVNDA: *An decretum Electionis sit absolutum, ex solâ Dei eligentis εὐδοκίᾳ & misericordiâ ut causa pendens?* Lutherani negant, *Eckardus fasciculi controvers. cap. 15. quæst: 12. & tribus antecedentibus.* Nos affirmamus.

Status Controversiæ.

Statum controversiæ *Lutherani* tum variè, tum ambiguè proponunt. Nam quæri ajunt; *an decretum Electionis sit absolutum? an ingrediatur illud respectus fidei?* item, *an intuitu meriti Christi factum sit?* Disputant etiam inter se, *num Fides impulsivæ, an vero Instrumentalis causæ rationem habeat?* Quod posterius ut plane negamus, ita priora omnia distinguimus & explicamus. Etenim *non est absolutum Electionis decretum* ratione finis & mediorum; quia præparavit Deus vasa misericordiæ ad gloriam, *Rom.* 9. v. 23. & præparavit bona opera, ut in iis ambulent *Ephes.* 2. v. 10. *Fides ingreditur decretum Electionis* ut medium ad salutem præordinatum, ut causa instrumentalis Iustificationis; sicut fides Electorum vocatur *Tit.* 1. v. 1. Ita *ingreditur idem decretum Meritum Christi*, quod Deus ad redemtionem Electorum præordinavit, 1. *Pet.* 1. v. 19. 20. quo non minus justitiæ, quam misericordiæ eo in opere suum decus constaret *Rom.* 9. v. 25. 26. *Est* vero *absolutum* etiam *decretum Electionis*, quatenus ex sola De eiligentis εὐδοκίᾳ & misericordiâ, non vero ex ullâ conditione extra Deum, ut causa pendet; eoque *nec Fides nec Meritum Christi, decretum illud*, ut causæ vel impulsivæ vel instrumentales, *ingrediuntur*. Quod breviter contra adversarios demonstrandum est.

Rationes nostræ.

Rationes: Affirmantes Orthodoxæ.

Ex natura *Subjecti:*

Quia Electionis causa sola Dei εὐδοκίᾳ.

Quod ex sola Dei eligentis εὐδοκίᾳ & misericordiâ ut causa pendet; id absolutum est ab aliis causis extra Deum. Decretũ Electionis ex solâ Dei eligentis εὐδοκίᾳ ut causa pendet. Ergo. *Minor* probatur. I. quia nullam aliam causam docet Scriptura. *Eph.* 1. v. 5. *Prædestinavit nos pro benevolo affectu voluntatis suæ.* v. 11. *Prædestinati*

secundum propositum ejus, qui omnia agit ex consilio voluntatis suæ. Matth. 11. v. 25. 26. Gloriam tibi tribuo Pater, quod hæc revelâris infantibus; etiam Pater, quia ita libuit tibi. Luc. 12. v. 32. Libuit Patri vestro dare vobis regnum. Rom. 9. v. 18. Miseretur cujus vult. II. Quia etiam quicquid est in homine prævisæ fidei, dignitatis aut operum, excludit. *Rom. 9. v. 11. Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius Electionem non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret. Cap. 11. v. 32. Conclusit Deus omnia sub contumaciam, ut omnium misereretur.* Inspiciantur & alia loca *cap. 9. v. 16. & seqq. Cap. 11. v. 5. 6. Ephes. 2. v. 8. 9.*

Ex natura *Prædicati:*

Quia Electio non pendet à merito Christi & fide, ceu causis.

Quod à merito Christi & fide ut causis suis non dependet; id ab ipsis ut causis absolutum rectè dicitur. Decretum Electionis à merito Christi & fide ut causis suis non dependet. Ergo. Probatur. *Minor.* I. Quod meriti Christi & fidei causa est; id ab ipsis ut causis suis non dependet. Decretum Electionis causa est meriti Christi & fidei: *Illius*; quia præordinatus fuit ab æterno propter nos, teste Petro 1. *Epist.* 1. v. 19. 20. *Hujus*; quia credunt quotquot ad vitam æternam præordinati sunt *Act.* 13. v. 48. Ergo. II. Media, decreto Electionis exsequendo subordinata, non sunt ejus causæ. Meritum Christi & fides sunt media exsequendo Electionis decreto subordinata *Rom.* 8. v. 29. 30. *Eph.* 1. v. 5. 6. 7. 1. *Pet.* 1. v. 19. 20. Ergo.

Negantes Heterodoxa.

Rationes Lutheranorum.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia propositum salvandi non sit absolutum.

I. Si propositum salvandi absolutum non est, nec ipsa Electio esse potest; utpote quæ secundum propositum facta est *Eph.* 1. v. 11. Atqui propositum salvandi non est absolutum, teste Christo *Ioh.* 6. v. 39. 40. Ergo. *Resp.* ad *Minorem*, non est absolutum eo modo, quem Christus loco allegato proponit, in fine, qui est vita æterna, & mediis, qualia sunt Christus, & fides in ipsum. At alio modo absolutum esse docet v. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me venit:* dat enim ex gratuitâ misericordiâ pro beneplacito *Ephes.* 1. v. 4. 5.

II. Quia

II. Quale est beneplacitum Dei, talis etiam est Electio ex illo beneplacito dependens. Atqui beneplacitum Dei non est absolutem, sed in Christo, *Matth.* 3. v. 17. & in fide *Heb.* 11. v. 6. Ergo. *Resp.* Est eadem fallacia. Non est absolutum respectu mediorum subordinatorum; est verò, quia non pendet ab aliqua conditione extra Deum. *In Christo est beneplacitum Patris,* tum quia est filius ille dilectus, tum quia placuit Patri in ipso reconciliare sibi omnia *Col.* 1. v. 19. 20. *Absque fide impossibile est Deo placere,* scilicet præsente; ut ex descriptione ejus & subjectis exemplis colligitur. Deus autem non eligit nos jam placentes, sed hostes, filios iræ, peccatores, *Eph.* 2. *Rom.* 5. ut credentes, sancti, inculpati fieremus *Act.* 13. *Ephes.* 1.

Quia beneplacitum Dei non sit absotum.

III. Quod decretum factum est κτ̀ πρόγνωσιν; non est factum absolutè. Decretum Electionis factum est κτ̀ πρόγνωσιν. Ergo. *Minorem* probant 1. Testimoniis *Rom.* 8. v. 29. 1. *Pet.* 1. v. 1. 2. 11. Ratione: quia destinatio voluntatis notitiam mentis præsupponit. *Resp. Major* datur de πρόγνωσει, hoc est præscientia sive prævisione futuræ fidei Pelagianâ. Eam verò ignorat Scriptura, imo clarissimè refutat. Nam sic ait: *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius Electionem, non ex operibus sed ex vocante firmum maneret Rom.* 9. v. 11. Neque etiam locis allegatis sensum illum vox προγνώσεως patitur. Nam *Rom.* 8. πρόγνωσις idem est v. 29. quod πρόθεσις v. 28. sicut cohærentia sententiarum ostendit. Atqui ista est ipsissimum Electionis decretum. Ergo & illa. 1. *Pet.* 1. v. 1. 2. πρόγνωσις similiter notat decretum Electionis; & secundum eam electi dicuntur, qui in tempore electi erant ex mundo per sanctificationem spiritus ad obedientiam *Ioh.* 15. v. 19. *Rationem* de destinatione voluntatis, notitiam sive judicium mentis præsupponente, admittimus. Inde verò nihil præsidii pro adversariis. Etenim, talis est notitia Dei qualis ejus est destinatio; unde *consilium voluntatis* appellatur *Eph.* 1. v. 11. Atqui destinatio Dei talis est, quod decrevit quosdam ad vitam eligere non ex prævisione fidei, sed ex gratuitâ misericordiâ. Ergo talis quoque fuit notitia sive judicium mentis, quo judicavit id bonum esse ad suam gloriam. Aliter si accipiatur vox *notitiæ*, videlicet de præscientia fidei futuræ, quam definitam vocant Scholæ, rationem illam non admittimus. Hæc enim, quia decretum sequitur, tanquam cognitio rei decretæ,

Quia κατὰ πρόγνωσιν decretum illud factum sit.

πρόγνωσις in Scriptura quomodo accipiatur.

Act. 15. v. 18. illud quoque ut ordine naturæ antecedens præsupponit. Nec prævidere Deus potuit fidem in quoquam, nisi postquam eam quibusdam donare decrevit; quia non arbitrii humani effectum, sed ipsius est donum *Eph.* 2. v. 8.

Ex natura *Prædicati:*

Quia decretum Electionis factum sit in Christo & fide.

Absolutum est, quod non est factum in alio. Decretum Electionis factum est in alio, Christo scilicet & Fide. Ergo. *Minor* probatur de utroque: De *Christo.* I. Quia Deus elegit nos in Christo *Eph.* 1. vers. 2. II. Quia elegit nos placatus per Christum. III. Quia propter Christum nos justificat & salvat in tempore. Ergo & elegit. De *Fide.* I. Quia per fidem sumus in Christo. Ergo etiam sic electi. II. Quia 2. *Thess.* 2. v. 13. electi dicimur per fidem. III. Quia nos Deus in tempore per fidem servat. *Resp.* Negatur *Minor,* si sensus sit qui esse debet ad concludendam controversiam; Decretum Electionis factum esse *in Christo,* id est, propter ipsius meritum, & *in fide,* id est, per eam tanquam causam instrumentalem. *Rationes* certè pro utroque membro allatæ id non evincunt. *Non illæ de Christo.* I. Quia electi sumus in Christo, *ut* medio subordinato per quod nos Deus ad salutem adducere constituit. II. Quia elegit nos Deus non placatus; nam elegit filios iræ, *Eph.* 2. peccatores, inimicos suos *Rom.* 5. sed misericors hoc est, pro gratuitâ misericordiâ suâ, placandus tamen per Christum, quem in placamentum ad justitiæ suæ demonstrationem præstituit *Rom.* 3. v. 25. 26. III. Quia pluris causæ sunt justificationis & salutis, quàm Electionis. In causâ supremâ, quæ est gratuita Dei misericordia, conveniunt. In inferioribus non conveniunt; ut quæ causæ quidem sunt Justificationis & salutis, at effecta Electionis. *Vide Rom.* 8. v. 29. 30. *Non alteræ Fide.* I. Quia per fidem sumus in Christo, non tanquam per causam Electionis, sed ut per medium ad Electos Christo inserendos præordinatum, & ex æterno Electionis decreto dependens. II. Quia 2. *Thess.* 2. v. 13. verba illa *per fidem* non cum verbo *elegit,* sed cum his *ad salutem* proximè cohærent: quasi dicat, elegit nos ad salutem per fidem obtinendam, ut loquitur Apostolus v. 14. *sequente;* alioquin etiam per sanctificationem electi dicemur, cum vox illa non modò conjungatur cum fide, sed etiam ei præponatur. III. Quia servat nos Deus

Quomodo dicamur electi in Christo.

Quomodo electi per fidem.

Explicatio dicti 2. *Thess.* 2. v. 13.

Deus in tempore per fidem ut causam non Electionis, sed salutis; medium verò Electione ad salutem præordinatum *Act.* 13. v. 48.

TERTIA: An decretum Reprobationis sit absolutem ex Dei Reprobationis εὐδοκίᾳ, ut causâ, pendens? Lutherani negant, *Eckardus fasc. Contr, cap.* 15. *quæst.* 13. Nos affirmamus.

Quinta: Lutheranorum. *An decretum Reprobationis sit absolutum?*

Ut de Sententiâ nostrâ pleniùs constet, in Reprobatione distinctè consideramus *Præteritionem* quorundam in præparatione gratiæ & gloriæ; juxta illud Matth. 24. v. 40. 41. *Unus assumetur, & alter relinquetur,* & *Præordinationem* ad pœnam, quam alii *Prædamnationem* vocant. *Posterioris* caussam esse peccatum libenter fatemur. Nam ex ordine justitiæ divinæ quæ non absoluta, sed respectiva virtus est, pœna propter peccatum tantùm infligitur, neque ullus ad eam præordinatur nisi ob peccatum, aut admissum jam, aut saltem prævisum. *Prioris* verò non alia caussa est quam εὐδοκία sive beneplacitum Dei; cujus respectu ipsum Reprobationis decretum absolutum dicimus.

Status Controversiæ.

Rationes nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

Quod ex solâ Dei Reprobantis εὐδοκίᾳ ut caussa pendet, id absolutum est ab aliis caussis extra Deum. Decretum Reprobationis, sive præteritionis in præparatione gratiæ & gloriæ, ex solâ Dei Reprobantis εὐδοκίᾳ ut caussa pendet. Ergo. *Minor* confirmatur dictis Scripturæ *Rom.* 9. v. 11. *Nondum natis pueris cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei firmum maneret.* v. 18. *Quem vult indurat.* v. 21. *An non habet potestatem figulus in lutum, ut ex eâdem massâ faciat aliud quidem vas ad decus, aliud ad dedecus? Matt.* 11. v. 25. 26. *Gloriam tibi tribuo Pater, quod hæc occultaveris sapientibus. Etiam Pater, quia ita libuit tibi. Cap.* 20. vers. 15. *Annon licet mihi quod volo facere in rebus meis. Ephes.* 1. v. 11. *Omnia agit ex consilio voluntatis suæ.*

Quia ex solâ Dei εὐδοκίᾳ dependet.

Ex

Ex Natura *Prædicati :*

Quia non dependet à peccato ceu causâ.

Quod à peccato, ut caussâ sua, non dependet; id à peccato, ut caussâ, recte absolutum dicitur. Decretum Reprobationis sive Præteritionis à peccato, ut caussâ suâ, non dependet. Ergo. *Minor* probatur: Si peccatum caussa esset decreti Reprobationis, à quâ illud penderet, tum omnes universim homines reprobati essent: *Ratio*; quia omnes universim homines sunt peccatores, *Rom.* 3. v. 23. & iræ filii *Ephes.* 2. v. 3. Consequens absurdum. Ergo & antecedens. *Excipiunt.* I. Non omne peccatum, sed illud quod admittitur adversus Euangelium, incredulitatis, caussam esse Reprobationis. II. Et ne hoc quidem simpliciter, sed tum demum si finale sit. *Resp.* Ad *Prius.* Si id verum est, tum is qui infidelis contumax adversus Euangelium non est, reprobus quoque non est. Atqui nullus eorum, quos Deus præteritis ætatibus sivit suis ipsorum viis ingredi, *Actor.* 14. v. 16. nullus item eorum, quibus tempore Novi Testamenti nunquam prædicatum fuit Euangelium, infidelis contumax fuit adversus Euangelium. Ergo nullus quoque eorum reprobus fuit. Sed falsum hoc Consequens. Ergo & istud Antecedens. Ad *Posterius.* Quod infidelitas in aliis finalis est, in aliis non finalis, id aut ab Homine est, aut à Deo. Si ab *Homine*; fides per quam pellitur infidelitas est ex nobis, homo fidelis seipsum discernit ab infideli, quod est contra Apostolum. *Ephes.* 2. v. 8. 1. *Cor.* 4. v. 7. Si à *Deo*, ut docet Christus *Matth.* 13. v. 11. *Vobis datum est, illis non est datum*; quæritur quid caussæ sit quod alios Deus in finali infidelitate relinquat, alios data ipsis fide non relinquat? Hîc certè responderi aliter non potest, quam Christus respondet *Matth.* 11. v. 26. *Etiam Pater, quia ita libuit tibi*; atque ita ad beneplacitum Dei ut caussam primam necessariò reditur.

Negantes Heterodoxæ.

Rationes Lutheranorum.

Ex natura *Subjecti :*

Quia factum sit secundum prævisionem incredulitatis.

I. Quod factum est secundum incredulitatis prævisionem; id absolutum non est. Decretum Reprobationis factum est secundum incredulitatis prævisionem: *Ratio*, quia Electio facta est

est secundum fidei prævisionem. Ergo. *Resp. Minor* ejusque probatio falsa est & contra Apostolum: *Nondum natis pueris cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei firmum maneret Romanor.* 9. vers. 11.

II. Propter quod actu quis reprobatur in tempore; propter id quoque reprobandi ab æterno factum est decretum. Propter incredulitatem Judæi in tempore actu reprobantur *Rom.* 11. v. 20. 21. 23. Ergo. *Resp.* Conceditur totum de decreto Reprobationis, quatenus præordinatio est ad pœnam, tum hujus vitæ, qualis est exclusio è populo Dei, tum vitæ futuræ, quæ est abjectio in gehennam ignis. De Præteritione verò in præparatione gratiæ ejusque collatione *Minor* falsa est. Nam indurat quem vult, *Rom.* 9. v. 18. non retegit mysteria salutis sapientibus, quia ita lubet, *Matth.* 11. v. 25. 26. atque ita quatuor termini exsistunt. Nam in Majore Reprobatio accipitur pro utroque actu; in Minore pro actu posteriore, qui cum propter alia, tum propter incredulitatem exercetur. Quod exemplo Judæorum Apostolus comprobat.

Quia propter incredulitatem actu reprobentur in tempore.

QUARTA: An certus sit apud Deum ac immutabilis Electorum & Reproborum numerus? Lutherani negant, *Eckardus fasc. Contr. cap.* 15. *quæst.* 14. Nos affirmamus.

Sexta: Lutheranorum. An certus sit apud Deum Electorum & Reproborum numerus?

Rationes nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa.*

Ex natura *Subjecti:*

Qui alios novit pro Electis, alios non novit; alios novit pro suis, alios non novit; alios præcognovit, alios non præcognovit, & quidem immutabiliter: apud eum certus est ac immutabilis Electorum & reproborum numerus. Atqui Deus ita novit: *Johann.* 13. v. 18. *Ego scio quos elegerim.* 2. *Tim.* 2. v. 19. *Dominus novit qui sunt sui. Matth.* 7. v. 23. *Nunquam novi vos, discedite à me. Rom.* 8. v. 29. *Quos præcognovit, hos prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit. Cap.* 11. v. 2. *Non abjecit Deus populum illum suum, quem præcognovit.* v. 29. *Dona illa & vocatio Dei ejusmodi sunt, ut eorum ipsum pœnitere non possit &c.* Ergo.

Quia Deus omnes distinctè novit.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quia immutabili Dei decreto ad vitam vel mortem prædestinati sunt.

Qui certo ac immutabili decreto Dei, singulariter prædestinati sunt ad vitam vel mortem; illorum certus est ac immutabilis apud Deum numerus. Atqui omnes Electi & Reprobi certo ac immutabili decreto Dei, singulariter prædestinati sunt illi ad vitam, isti ad mortem. Ergo. *Minoris* veritas ostenditur testimoniis Scripturæ *Rom.* 9. v. 11. *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei firmum maneret. Cap.* 11. v. 1. 2. *Num abjecit Deus populum suum? Absit. nam & ego Israëlita sum? Non abjecit Deus populum illum suum, quem præcognovit.* v. 7. *Electi assequuti sunt, reliqui occalluerunt.* 2 *Tim.* 2. v. 19. *Solidum stat Dei fundamentum, habens sigillum hoc, novit Dominus eos qui sunt sui. Act.* 1. v. 25. *Ab Apostolatu aberravit Iudas, ut abiret in locum suum. Ioh.* 10. v. 14. 3. *Agnosco oves meas; voco eas nominatim. Luc.* 10. v. 20. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. Cap.* 12. v. 7. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt, ne igitur metuite.*

Negantes Heterodoxa.

Rationes Lutheranorum.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quia Deus velit omnes homines salvos fieri.

I. Qui vult omnes homines salvos fieri; apud eum non est certus ac immutabilis Electorum & Reproborum numerus. Deus vult omnes homines salvos fieri 1. *Tim.* 2. v. 4. Ergo. *Resp.* Admittitur Elenchus quatuor terminorum. In *Majore* intelliguntur singula generum, ex mente adversariorum. In *Minore* genera singulorum, ex mente Apostoli, ut ante ostendimus.

Quia Electi queant fieri Reprobi, & vicissim.

II. Ubi Electi possunt fieri Reprobi, & Reprobi Electi; ibi non est certus ac immutabilis Electorum & Reproborum numerus. Atqui apud Deum Electi possunt fieri reprobi; ut de se testatur Paulus, 1. *Cor.* 9. v. 27. & vicissim Reprobi Electi; ut Christus testatur de Tyriis & Sidoniis, *Matth.* 11. v. 21. & Paulus de Judæis *Rom.* 11. v. 23. Ergo. *Resp. Minor* falsa est. 1. *Cor.* 9. v. 27. ἀδόκιμος *reprobus* non opponitur Electo ad vitam æternam, sed τῷ δοκίμῳ *puro*, inculpato, irreprehensibili, qui quod alios docet ipse facit; quomodo Apostolus declarat dicens, *ne cum aliis prædicarim &c. Matth.* 11. vers. 21. loquitur

Vindicantur dicta 1. *Cor.* 9. v. 27.

Matt. 11. v. 21

Christus de mediis conversionis externis, puta concionibus suis & miraculis; ad quæ majorem fuisse conqueritur pervicaciam Galilæorum; quàm fuisset Tyriorum aut Sidoniorum. Quid verò hoc ad Electionem? *Multi sunt vocati, pauci Electi Matth. 20. v. 16. Roman. 11. v. 23.* testatur Apostolus, Judæos si non permanserint in infidelitate, posse iterum inseri oleæ, id est, Ecclesiæ, imo tandem inserendos esse v. 25. 26. An verò qui inserentur, non tantùm quoad externam, verùm inprimis quoad internam communionem, unquam fuerunt reprobi? Contrarium docet Apostolus, insitionem illam ex æterna Dei electione deducens. *Quod ad Euangelium attinet*, ait v. 28. *sunt inimici propter vos, quoad Electionem autem dilecti propter Patres.* Rom. 11. v. 23.

LOCUS QUINTUS
De
CREATIONE.

Controversiæ de Creatione *sunt vel* Samosatenianorum, *vel* Pontificiorum.

Samosatenianorum duæ:

I. An Adamus integer habuerit justitiam aliquam Originalem?

II. An idem naturâ fuerit mortalis?

Pontificiorum una:

An justitia Originalis & Immortalitas primi hominis fuerint dona non naturalia, sed supernaturalia?

EXEGESIS.



Ontroversiæ hujus loci præcipuæ facilè sunt, quas in theorematis proposuimus. Quæ etsi à diversis procedunt, sententiisque contrariæ videri possunt; in principiis tamen & rationibus ita conveniunt, ut re vera subordinatæ sint non contrariæ; sicut ex earundem explicatione liquebit.

Samosatenianorum *est:*

Prima: Samosatenianorum An Adamus integer habuerit justitiam originalem?

PRIMA: An Adamus integer habuerit justitiam aliquam Originalem? Samosateniani negant, *Ostorodius Institution. Religion. Christian. cap.* 33. Nos affirmamus.

Rationes

Rationes nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa.*

Ex Natura *Subjecti:*

Quia Adamus integer valde bonus fuit creatus.

Qui integer & valde bonus creatus fuit, eum justitiam aliquam Originalem habuisse necessum est. Adamus integer & valde bonus creatus fuit. Ergo. *Major* per se patet; quia integritas & perfecta bonitas homini conveniens absque justitia esse nequit; & quod ex creatione ipsi inest, id inest ab origine, eoque Originale est. *Minor* probatur. I. Testimoniis Scripturæ: *Eccles.* 7. v. 29. *Deus fecit hominem rectum. Genes.* 1. v. 31. *Deus vidit ea quæ fecit, & erant omnia valde bona. Cap.* 2. v. 25. *Erant illi ambo nudi, Adam & Eva, & non erubescebant.* II. Ratione, à fine Creationis: Quem condidit Deus ut creatorem suum rectè agnosceret & coleret; & cui id lege Naturæ imperavit; ei quoque sapientiam & justitiam ad id præstandum in creatione contulit: *Ratio*; quia omnes res creatas viribus idoneis ad edendas operationes suas instruxit. Atqui Adamum eo fine Deus condidit. Ergo.

Ex natura *Prædicati:*

Quia ex creatione habuit imaginem Dei.

Qui habuit ex creatione Imaginem Dei, in sapientiâ, justitiâ, ac sanctitate consistentem; idem habuit justitiam Originalem. Adamus integer habuit ex creatione talem Dei imaginem. Ergo. *Minor* probatur secundum utrumque membrum. Habuit *Imaginem Dei*; quia Deus creavit hominem ad imaginem suam, sive in imagine suâ secundum similitudinem suam *Genes.* 1. v. 26. 27. *cap.* 5. v. 1. Habuit imaginem *in sapientia, justitia & sanctitate consistentem*; quia quam Dei Imaginem Christus in nobis reparat & renovat, in ea Adamus creatus fuit *Coloss.* 3. v. 10. Atqui reparat & renovat in nobis Imaginem Dei, quæ in sapientiâ, justitiâ & sanctitate consistit *Ephes.* 4. v. 24. *Coloss.* 3. v. 10. 1. *Cor.* 1. v. 30. 2. *Cor.* 3. v. 18. Ergo.

Rationes Samosatenianorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia potuerit peccare & mori.

Qui peccare & mori potest, is conditus non est ad imagi-

nem Dei in justitia & immortalitate. Ratio, quia Deus neutrum potest. Adamus integer peccare & mori potuit, ut docuit eventus. Ergo. *Resp.* *Major* falsa est. *Ratio* nihil probat; quia Imago Dei, quum creaturis tribuitur, non est æqualitas cum Deo, ex communicatione essentiæ (quo modo unigenitus ille filius est imago Patris,) sed quædam cum ipso similitudo, per communicationem effectorum; sicut *similitudinis* voce declaratur à Mose, *Genes.* 1. v. 26. *cap.* 5. v. 1. eaque consistit in analogiâ & relatione creaturæ ad creatorem, effectus ad suam caussam, quâ ipsam suo modo refert. Ut ergo simile non est idem, ita nec propter imaginem Dei creatura immortalis, impeccabilis est simpliciter, quia creator talis est.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quia justitia Orig. non fuerit impotentia peccandi, neque non peccare antequam peccasset.

I. Si Originalem justitiam habuit Adamus integer; ea fuit aut impotentia peccandi, qualis est angelorum; aut fuit Adamum non peccare antequam peccasset. Non *illud*; quia peccavit. Nec *istud*; quia ridiculum aliquem non peccare antequam peccasset. Ergo. *Resp.* 1. Est insufficiens enumeratio in propositione. Tertium addimus; aut fuit potentia non peccandi ex concreato habitu, quem habitum justitiam originalem dicimus. II. Posterius falsum est. Neque enim nisi hæreticis est ridiculum, Adamum ante delictum primum non peccasse.

Quia justitia Adæ fuerit actualis.

II. Justitia actualis non est Originalis. Justitia Adæ integri fuit actualis. Ergo. *Resp.* Si tantùm actualis fuisse dicatur, *Minor* falsa est. Nam actus Justitiæ, quos exercuit integer, ex Justitia Originali concreatâ processerunt.

Quia imago Dei non constat in justitia Orig.

III. Quod primò ac præcipuè consistit in dominio in creaturas, deinde verò in ratione, sine cujus usu nemo rebus creatis dominari potest, non autem in justitia originali; ex eo Adamus integer justitiam Originalem habere nequivit. Atqui Imago Dei in illis tantùm, non etiam in justitia originali consistit. Ergo. *Minorem* probant. I. Dicto *Genes.* 1. v. 26. II. Ratione. In illis consistit imago Dei, quæ homo etiam post lapsum habet. *Ratio*; quia post lapsum etiam factus dicitur ad imaginem Dei *Genes.* 9. v. 6. *Iacob.* 3. v. 9. Atqui post lapsum non habet justitiam Originalem, sed tantùm dominium in creaturas &

& rationis usum. Ergo. *Resp.* *Minor* syllogismi principalis contradicit Apostolo *Coloss.* 3. v. 10. *Ephes.* 4. v. 24. Nam *tum* in dominio, & rationis usu, *tum* in justitia originali posita erat, non in illis absque hac. *Genes.* 1. v. 26. exclusiva non reperitur. Et ad legitimum ac salutare dominii illius exercitium, omnino opus fuit moderamine sapientiæ & justitiæ. In *ratione* quam subjungunt est fallacia à dicto secundum quid. Ex parte in illis consistit, quæ post lapsum homini reliqua sunt, non in totum. Ideoque post lapsum ex parte homo Dei imago est, ex parte non est.

SECUNDA: An Adamus integer fuerit naturâ mortalis; certò moriturus, propter naturæ suæ conditionem, etiamsi nunquam peccasset? Samosateniani affirmant, *Ostorodius Instit. Relig. Christ. cap.* 33. Nos Negamus.

Secunda: Samosatenianorum. An Adamus integer fuerit natura mortalis?

Rationes nostræ.

Rationis Negantes Orthodoxæ.

Ex natura *Subjecti*:

Quod Adamus ex peccato suo demum contraxit, id ei in naturâ integrâ naturale non fuit. Atqui mortem tam temporalem, quam æternam ex peccato suo demum contraxit. Ergo. *Minor* his argumentis confirmari potest: I. Quod Deus homini integro in pœnam peccati comminatus est, id ipse ex peccato suo demum contraxit. Atqui mortem non æternam modò, verùm etiam temporalem ipsi fuit comminatus; ut tum historia testatur, tum phraseologia Dei, *morte morieris*; quæ de quavis morte tam temporali, *Genes.* 26. v. 11. *Exod.* 21. v. 16. 2. *Sam.* 12. v. 14. quàm æterna in Scripturâ usurpatur. Ergo. II. Quam pœnam Deus Adamo post peccatum jam admissum, & propter illud sententiâ judiciali denunciavit; ea certe fuit peccati ipsius pœna. Atqui mortem temporalem ei denunciavit *Genes.* 3. v. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ergo. III. Quam mortem Scriptura ut stipendium peccati proponit, ea est peccati pœna. Atque mortem, etiam temporalem, ut stipendium peccati proponit, *Romanor.* 6. vers. 23. & infinitis aliis locis, illud-

Quia Adamus mortem peccato contraxit.

que

que exemplo infantum confirmat, *Romanor*. 5. verſ. 12, 13, 14 Ergo.

Ex natura *Prædicati*:

Quia mors temporalis eſt contra hominis naturam.

Quod non ſecundum, ſed contra, hominis naturam eſt; eamque deſtruit, non verò ornat aut perficit; id ei propriè ac per ſe naturale non eſt. Atqui mors temporalis non ſecundum, ſed contra hominis naturam eſt; utpote à quâ ipſe maximè abhorret; eandemque naturam deſtruit, non ornat, aut perficit; quia tum animam à corpore ſeparat, tum ipſum corpus in cineres redigit. Ergo.

Affirmantes Heterodoxæ.

Rationes Samoſatenianorum.

Ex natura *Subjecti*:

Quia Adamus integer fuerit morti obnoxius.

Cui Adamus etiam integer obnoxius fuit, id naturâ habuit. Morti temporali etiam integer obnoxius fuit. Ergo. *Minor* probatur: Quod non eſt pœna peccati, ei Adamus etiam integer obnoxius fuit. Mors temporalis non eſt pœna peccati. I. Quia eam mortem admiſſo peccato non ſtatim inflixit Deus, prout de morte, quæ peccati pœna eſt fecit ſecundum veritatem comminationis ſuæ *Geneſ*. 2. v. 17. II. Quia à morte illâ Chriſtus fideles ſuos non liberat, cum tamen liberet eos ab omni pœnâ peccati. Ergò. *Reſp*. *Minor* negatur tum Proſyllogiſmi, tum Epiſyllogiſmi; cujus etiam ambæ probationes deficiunt. *Prima*; quia etſi poſt nongentos demum annos mortuus fuit Adamus, eodem tamen die, quo peccavit, mortis factus eſt reus, impoſita ei moriendi neceſſitas, atque etiam initia mortis temporalis inflicta.

Explicatur dictum *Gen*. 2. v. 17.

Comminatio *Geneſ*. 2. v. 17. indefinitè loquitur de omnis generis mortibus, quas ſuo ordine Deus, juxta conſilium voluntatis ſuæ, peccatori irrogavit. Conſilium verò illud fuit, propagare ante per ipſum Genus Humanum, quàm morte tolleretur. *Secunda*; quia liberat Chriſtus fideles ſuos etiam à morte temporali, quatenus illa pœnæ rationem habet.

Quomodo Chriſtus fideles liberet à morte temporali.

Etenim mors fidelium non eſt amplius maledicta, ſicut maledictio eſt omnis pœna peccati, *Deut*. 27. & 28. *capp*. ſed beata, *Apoc*. 14. v. 13. precioſa in oculis Jehovæ, *Pſal*. 116. v. 15. cujus dies melior eſt homini quàm dies

dies ortus *Ecclesiast.* 7. verf. 1. Et quemadmodum aliæ vitæ hujus calamitates, quæ infidelibus pœnæ, fidelibus probationes funt, vel caftigationes, ne cum mundo damnentur, 1. *Corint.* 11. verf. 32. ita mors temporalis, quæ infidelibus pœna, fidelibus eft abolitio peccati, & tranfitus in Vitam Æternam, ut *Catechefis* noftra loquitur. Unde non modo Paulus fidelis diffolvi defiderat, & cum Chrifto effe, *Philip.* 1. verf. 23. fed etiam infidelis Bileamus mori exoptat morte juftorum, *Num.* 23. v. 14. nunquam id facturus, fi pœnam peccati, maledictionem Dei, in eâ fpectaffet.

Ex naturâ *Prædicati*.

Qui gignit liberos, utitur cibis, corpus habet animale & pulvereum; is naturâ fuâ mortalis eft: cum immortali nihil horum conveniat *Luc* 20. v. 35. 36. 1. *Cor.* 6. v. 13. 14. 1. *Cor.* 15. v. 44. *& feq.* At qui Adamus integer geniturus fuiffet liberos, *Gen.* 1. v. 28. ufus eft cibis, v. 29. corpus habuit animale & pulvereum 1. *Cor.* 15. v. 45. 47. 48. Ergo *Refp.* Peccatur ignoratione Elenchi, & quidem duplici. I. Quia non de mortalitate hominis integri fimpliciter, fed id quæritur, an moriturus fuiffet etiamfi non peccaffet? II. Quia immortalitas non corpori in fe, fed toti compofito, adeoque corpori propter animam immortalem, fanctam, juftam tribuitur. Patet ergo ambiguum effe prædicatum *Majoris.* Si naturâ mortalem effe fignificat poffe mori, datur. Sin autem effe certo moriturum, negatur de naturâ integra. Atqui, *ajunt,* immortali nihil iftorum quæ in Subjecto enumerantur, convenit. Agnofcimus equidem fi *immortalitas vitæ futuræ* attendatur, de quâ agunt allegata Scripturæ teftimonia. Hic verò *immortalitatem* intelligimus *ftatus primi.* Illa erit impotentia moriendi; ifta fuit potentia non moriendi. Illa potentiam fimul & actum moriendi abolebit; ifta actum quidem impedivit, at potentiam non fuftulit.

*Quia Adamus integer liberos geniturus, cibis ufurus fuerit, corpus animale habuerit.

Pontificiorum est:

Tertia: Pontificiorum. *An justitia Originalis & Immortalitas fuerint dona supernaturalia*

An justitia Originalis & Immortalitas primi hominis fuerint dona non naturalia, sed supernaturalia? Pontificii affirmant, *Bellarm. Tomi* IV *controversia* 1 *generali de gratia primi hominis capp.* 5 6.7.9. Nos negamus, rectè explicatis terminis, ut *Naturale* sit, quod primus homo cum ipsa natura in creatione accepit; *Supernaturale* autem, quod est supra naturam integram, ejusque conditionem.

Rationes Nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

Quia justitia Orig. cum ipsa natura primo homini fuit communicata

I. Quod cum ipsa naturâ primo homini communicatum fuit, ita quidem ut non ante naturam, quàm istud habuerit; id naturale non supernaturale fuit. Atqui justitia Orignalis cum ipsâ naturâ primo homini conmmunicata fuit, ita quidem ut non ante naturam, quam ipsam habuerit. Ergo. *Major* per se claret: Nam quod supernaturale est, cum natura non communicatur, sed supra conditionem ejus ad ipsam accedit. *Minor* probatur. I. Qui in imagine Dei creatus fuit; ei cum ipsa natura justitia Originalis communicata est. Ratio; quia justitia Originalis pars fuit illius imaginis *Eph.* 4. v. 24. *Coloss.* 3. v. 10. Primus homo in imagine Dei creatus fuit *Gen.* 1. v. 26. 27. Ergo. II. Quem Deus fecit rectum & valde bonum, ei cum ipsa naturâ justitiam originalem communicavit. Ratio; quia rectitudo illa & bonitas, qua moralis, sunt ipsissima Originalis justitia. Atqui Deus primum hominem fecit rectum, *Ecclesf.* 7. v. 29. & valde bonum *Gen.* 1. v. 31. Ergo.

Quia immortalitas ex intrinsecis naturæ principiis fluxit.

II. Quod ex intrinsecis, naturæ integræ principiis fluxit, primumque hominem perfecit & ornavit; id ei naturale non supernaturale fuit. Immortalitas ex intrinsecis naturę integræ principiis fluxit; quia anima, quæ vitæ spiritus est, naturaliter justa,

sancta

sancta, bona, vivificavit corpus, ac salutarem humorum & spirituum harmoniam in eâ conservavit; insuper primum hominem perfecit & ornavit, ut est in confesso apud omnes. Ergo.

III. Supernaturalia à parentibus in liberos non propagantur. Justitia Originalis & Immortalitas à primis parentibus in liberos propagatæ fuissent, nisi peccassent. Ergo. De *Majoris* veritate constat *partim* ex etymologia vocis. Nam supernaturale est, quod est supra conditionem naturę; *partim* ex illis donis supernaturalibus, quæ in statu regenerationis divinitus conferuntur. *Minor* probatur. I. Adamus integer eam naturam propagare debuit, quam habuit; secundum illud *Gen.* 1. v. 27. 28. Atqui habuit naturam ex creatione justam & immortalem. Ergo. II. Corruptus propagavit naturam injustam & mortalem, *Gen.* 5. v. 3. *Rom.* 5. v. 12. *& seq.* 1. *Cor.* 15. v. 22. Ergo integer propagasset naturam justam & immortalem. Quia justitia orig. & immortalitas fuisset propaganda in liberos.

Affirmantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Subjecti*.

I. Homo primus pulvis fuit *Gen.* 3. v. 19. Ergo non justus & immortalis naturaliter. *Resp.* Negatur sequela; quia pulvis fuit secundum corpus; justus secundum animam; immortalis secundum utrumque, etiam secundum corpus: non propter pulveream corporis naturam, sed propter hypostaticam ejus unionem cum anima naturaliter justa. Quia primus homo fuerit pulvis.

II. Per quod primi parentes naturali pugnâ carnis & spiritus caruerunt; id fuit supernaturale donum. Atqui per justitiam Originalem primi parentes naturali pugnâ carnis & Spiritus caruerunt. Ergo. *Resp.* *Minor* falsa est ob falsam hypothesin; quâ statuitur in primis parentibus integris fuisse pugnam & rebellionem carnis adversus Spiritum, quæ fræno justitiæ originalis sit coercita. Condidit Deus naturam humanam integram absque rebellione, fecit hominem rectum; & cupiditas carnis non est à Patre 1. *Joh.* 2. v. 16. Propensiones verò carnis & spiritus, quæ nunc con- Quia per justitiam Orig. naturali pugnâ carnis & Spiritus caruerit.

contrariæ sunt, tunc diversæ tantùm fuerunt, & illæ his subordinatæ.

Quia per immortalitatem mortale corpus fuerit à corruptione conservatum.

III. Per quod corpus mortale, ex contrariis elementis & humoribus naturaliter constans, à corruptione vindicatum fuit; id fuit supernaturale. Atqui per immortalitatem id factum fuit. Ergo. *Resp.* negando *Majorem.* Nam factum illud per animam naturaliter justam ex creatione; qualis non magis supernaturalis fuit homini integro, quam supernaturalis est homini corrupto anima injusta ex peccato.

LOCUS

LOCUS SEXTUS.

De

PROVIDENTIA.

De hoc capite doctrinæ Controversia unica est, sed generalis, per calumniam Ecclesiis nostris à Samosatenianis, Pontificiis, *&* Lutheranis *mota; nimirum.*

An ex nostrâ de Providentiâ doctrina bona ac necessaria consequentia deduci possit, Deum esse auctorẽ peccati? *Illi omnes* affirmant; Samosateniani, *Ostorod. Inst. Relig. Christ. cap* 35. Pontificii, *Bellarm. tomo IV controv. gener. II de amissione gratiæ & statu peccati lib. 2. cap. 2. & multis seq.* Lutherani, *Eckardus fasciculi controv. cap.* 10. *quæst.* 2. Nos Negamus.

An ex nostra de Providentia doctrina sequatur Deum esse autorem peccati?

EXEGESIS.

Rationes Nostræ.

Ex natura *Subjecti:*

Rationes Negantes Orthodoxæ.

QUÆ doctrina circa gubernationem peccati id Deo tribuit quod ipse sibi in Scriptura vendicat, ea ipsum peccati auctorem non facit. Atqui nostra doctrina circa gubernationem peccati id Deo tribuit, quod ipse sibi in Scriptura vendicat. Ergo. *Major* extra controversiam est. *Minorem* explicavimus & confirmavimus in didactica loci hujus tractatione. Quod verò ex truncatis, & ab ipsorum mente calumniosè detortis nostrorum dictis, adversarii contrarium probare nituntur, id quantum valeat, omnes non apertè iniqui controversiarum judices norunt. Quamvis si quid fortè duriusculè dictum uni aut alteri excidit, ne illud

Quia Deo circa gubernationem peccati idem tribuit, quod Scriptura.

illud quidem Ecclesiarum nostrarum orthodoxiæ præjudicare potest, ut quæ non in ullius hominis sed in solius Dei verba jurarunt.

Ex natura *Predicati*:

Quia Deus peccatum nec facit, nec præcipit, nec ad id impellit.

Qui actor est peccati; is aut facit peccatum aut præcipit illud, aut infundit, aut deniq; ad id impellit. Atqui Deus secundum nostram doctrinam peccatum, qua peccatum, nec facit, quia odit; nec præcipit aut infundit, quia vetat & punit; nec denique ad id impellit, quia neminem tentat ad malum. Ergo Deus secundum nostram doctrinam peccati autor non est. Motus quidem inclinationis & actionis, quę materiale sunt peccati, itemque judicii, quod sæpe per accidens cum peccato cohæret, auctor rectè dicitur; ἀνομίας vero nullo modo ut quæ à solâ creatura peccante proficiscitur.

Rationes Adversariorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia Deus velit fieri peccata.

I. Qui non solum permittit, sed etiam vult fieri quęcunque fiunt ab hominibus peccata; is auctor est peccati. Atqui *Deus* ex doctrina Calvinistarum hoc facit. Ergo. *Resp. Major* vera est de eo, qui non solum permittit non impediendo, sed etiam fieri vult efficiendo & approbando; falsa de eo, qui vult fieri permittendo & ordinando, quæ nostra sententia est.

Quia ab æterno decrevit ut fierent peccata.

II. Qui ab omni æternitate decrevit ut fierent quæcunque fiunt ab hominibus peccata, idque non prævisa determinatione voluntatis humanæ; is auctor est peccati. Atqui Deus ex sententia Calvinistarum sic decrevit. Ergo. *Resp.* Datur *Major* de decreto approbante aut efficiente; de permittente aut ordinante falsa est. Similiter falsum in *Minore*, Deum ex sententiâ nostrâ tale quid decrevisse non prævisa determinatione voluntatis humanę. Nam determinationem voluntatum decrevit ut efficere in bonis, ita permittere in malis. Alioquin incertum foret, & per determinationem voluntas humanæ mutabile ipsius decretum.

Quia impios ad peccata inclinet & cogat.

III. Qui Satanæ & hominibus improbis imperat ut concipiant maleficia, eosque ad hoc inclinat, impellit, & cogit; is auctor est peccati. Atqui Deus ex sententia Calvinistarum ita agit. Ergo. *Resp.* Iterum conceditur *Major* de maleficiis culpæ & sceleris, item de incitatione & impulsione propriè dicta. At de maleficiis pœnæ & af-

& afflictionis; de impulsione item, qua voluntates, sponte ad malum ruentes, justo Dei judicio efficaciter moventur, negatur. Exemplum vide. 2. *Sam*. 24. v. 1. alia aliis locis.

IV. Qui ipse operatur in mentibus hominum impiorum, & per eos, ut per sua organa ac instrumenta, ipse tanquam causa prima facit ea omnia, quæ respectu hominum dicuntur & sunt verè peccata, is auctor est peccati. Atqui Deus ex sententia Calvinistarum ita operatur. Ergo. *Resp*. *Major* falsa est, si per causam primam intelligatur causa rerum, ut nostri volunt; non scelerum, ut volunt adversarii. Etenim docet Scriptura, Deum operari in mentibus impiorum, *Exod*. 4. v. 21. 1. *Reg*. 22. v. 23. impios esse Dei instrumenta *Esa*. 10. v. 5. 15. & quę illi agunt ipsum tanquam causam primam facere, quatenus scilicet vel motus sunt & actiones, *Act*. 17. v. 28. vel justa judicia, *Gen*. 45. v. 7. *Cap*. 50. v. 20. 2. *Sam*. 12. v. 11. & tamen ipsum causam peccati esse apertissimè negat *Psal*. 5. v. 5. 6. *Psal*. 45. v. 8. Nulla ergo est Majoris consequentia.

Quia operetur in mentibus hominum, quę eorum respectu sunt peccata.

LOCUS

LOCUS SEPTIMUS

DE

LEGE.

Controversiæ de Lege *sunt, vel* Samoſatenianorum *&* Anabaptiſtarum *communiter, vel* Samoſatenianorum *&* Pontificiorum ſingulariter.

Communiter *illorum hæc eſt:*

An Legem Moralem à Moſe latam Chriſtus non modo ut imperfectam compleverit, ſed etiam ut doctrinæ ſuæ contrariam correxerit?

Singulariter,

Samoſatenianorum de Lege Cerimoniali:

An ſacrificia propitiatoria V.T. adumbrarint unicum illud Chriſti ſacrificiũ pro peccatis noſtris oblatũ.

Pontificiorum de Lege Morali,

I. An creaturarum, atq; etiam Dei & Sacroſanctæ Trinitatis imagines religionis ergo facere, locis ſacris collocare, cultuque religioſo afficere jus fas ſit?

II. An angeli ſanctique defuncti ſint invocandi?

III. An vota, quę vocant Monaſtica, perpetuæ continentiæ, voluntarię paupertatis, & obedientiæ regularis licita ſint?

EXEGESIS.

Cum Lutheranis quæ controverſa ſint.

IN Elencho controverſiarum hujus loci omittimus controverſias, quæ nobis cum *Lutheranis* intercedunt, & ab *Eckardo falſciculi controv. c. XI.* explicantur, de *diſtributione* nimirum *Decalogi*, nec non de *factura imaginum locis ſacris collocandarum.* Etenim *Prior* non ita magni momenti eſt, modò

De diſtinctione Decalogi

præce-

præceptum ſecundum, quod ipſi conjungunt cum primo, non expungatur, ſicque idololatriæ in Eccleſias Euangelicas reducendæ occaſio præbeatur. *Poſterior* verò cum controverſiâ primâ Pontificiorum coincidit; è quorum corruptelis odio primum Carolſtadii, inde Orthodoxorum, imagines in templis Lutheranorum, etſi non omnium, relictæ ſunt. Proinde quæ contra illos quoad facturam imaginum, etiam contra hos valebunt. Verùm antè controverſias *Samoſatenianorum* & *Anabaptiſtarum* cognoſcamus.

de factura imaginum.

PRIMA. An Legem Moralem à Moſe latam Chriſtus non modò ut imperfectam compleverit, ſed etiam ut doctrinæ ſuæ contrariam correxerit? Samoſateniani & Anabaptiſtæ affirmant; *Illi, Oſtorodius Inſt. relig. Chriſt. cap. 22.23. & aliquot ſequentibus.* Iſti, *colloq. Francothal. articulo* 1.10.11. & *Emdani artic.* 11. 12.13. Nos negamus.

Prima: Samoſatenianorum, & Anabaptiſtarum. *An Chriſtus Legem Moralem compleverit, & correxerit?*

Rationes noſtræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

I. Qui non venit ut diſſolveret, ſed ut præſtaret Legem Moralem à Moſe latam; is eam ut doctrinæ ſuæ contrariam non correxit. Chriſtus venit non ut diſſolveret, ſed ut præſtaret Legem Moralem à Moſe latam. Ergo. *Major* ſuâ luce claret. Nam quid eſt corrigere Legem, quàm aliquâ parte, quâ minus bene habet, eam diſſolvere? De *Minore* conſtat ipſius Chriſti teſtimonio *Matt.* 5. v.17. *Non veni, ut diſſolvam Legem aut Prophetas, ſed ut impleam*; ubi *implere* non eſt aut imperfectum complere, aut contrarium corrigere, ſed, phraſi Hebræa, id quod præceptum eſt præſtare ac facere; ſicut colligitur ex v. 19. & aliis locis.

Quia Chriſtus non venit, ut diſſolveret legem.

Explicatur dictum *Matt. 5.v.17.*

II. Qui in N. Teſt. ſummam perfectionem à ſuis exigit, nec tamen aliam ejus normam aut regulam præſcribit, quàm Legem in V.T. à Moſe latam; is Legem illam neque ut imperfectam complet, neque ut doctrinæ ſuæ contrariam corrigit. Atqui Chriſtus in N.T. ſummam perfectionem à ſuis exigit; quia perfectos eſſe vult ſicut pater cæleſtis perfectus eſt, *Matt.* 5. v.48. & orare jubet, ut fiat voluntas Dei in terra, ſicut in cælo fit à ſanctis angelis, *cap.*6.

Quia Legem ceu ſummæ perfectionis normam ſuis præſcribit.

v.10. nec tamen aliam ejus normam aut regulam præscribit, quàm Legem in V.T. à Mose latam; utpote cujus summam ipsius Mosis verbis *Deut.* 6.v.5. *Lev.* 19.v.18. repetit, & inculcat *Matt.* 22.v. 37. *& seq.* *Luc.* 10.v.27. Ergo.

Ex natura *Prædicati*:

Quia Lex Moralis omnimode perfecta est.

I. Quod omnimodè perfectum est, id ullâ ratione imperfectum dici, aut, ut tale, compleri nequit. Lex Moralis, prout in V.T. à Mose lata est, omnimodè perfecta est. Ergo. *Minor* probatur I. Quod omnibus partibus gradibusque perfectum est, id omnimodè perfectum est. Lex Moralis à Mose lata ita perfecta est. Ergò. *Omnibus partibus*, tum *essentialibus*; quia materiam suam habet in verbis divinis, formam in sententiis divinis, justis, sanctis & bonis, *Rom.* 7.v.12. tum *integralibus*; quia decem præceptis constat, quæ officia Deo ac proximo debita adæquatè complectuntur. *Omnibus etiam gradibus*; quia dilectionem Dei ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus; dilectionem insuper proximi perfectissimam requirit *Matt.* 22.v.37. *& seq.* II. Cui nihil addi, nihil detrahi potest, id perfectum est omnimodè. Legi Morali à Mose latæ nihil addi, nihil detrahi potest *Deut.* 4.v.1.2. *Cap.* 12.v.32. Ergò. III. Quod in utroque Testamento vitæ regula est æqualiter, id in utroque Testamento æqualiter est perfectum. Lex Moralis in utroque Testamento vitæ regula est æqualiter; sicut clarissima utriusq; testimonia evincunt *Esa.* 8.v.20. *Ezech.* 20.v.19.20. *Matt.* 5.v.17. *Luc.* 16.v.29. Ergò. Atque hæc omnia suffragio suo comprobat Apostolus Jacobus, eam *Legem perfectam libertatis* nuncupans *cap.* 1.v.25.

Quia Lex una eademque in V.& N.T.

II. Quæ Lex una ac eadem est in utroque Testamento, ea non est sibi contraria. Lex Moralis Mosis in Veteri, & Christi in Novo Testamento una ac eadem est. Ergo. Probatur *Minor.* I. Lex Moralis vetus & nova eadem est, ex sententia Scripturæ. Atqui Lex Moralis Mosis vetus, Christi nova est. Ergo. De *Majore* constat testimonio Johannis 1. *Epist.* 2.v.7,8. qui præceptum obedientiæ ac charitatis erga Deum & proximum, vetus simul ac novum appellat. De *Minore* constat ex testimonio Christi *Ioh.* 13.v. 34. *Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis.* II. Cujus Legis eadem præcepta sunt, eadem quoque summa est in utroque Testamen-

ſtamento; illa utrobique una ac eadem eſt. Atqui Legis Moralis Moſis in Vetere, & Chriſti in Novo Teſtamento *eadem præcepta ſunt*; quia Paulus Legis Chriſti *Galat.* 6. v. 2. non alia præcepta recenſet *Rom.* 13. v. 9. quàm quæ in Lege Moſis habentur *Exod.* 20. *Deut.* 5. Deinde *eadem* quoque *ſumma* eſt, ut antè oſtendimus ex *Deut.* 6. v. 5. *Lev.* 19. v. 18. collatis cum *Matth.* 22. v. 37. *& ſeqq.* quo loco teſtatur Chriſtus, à duobus mandatis totam Legem & Prophetas pendere. Ergo.

Rationes Samoſatenianorum, & Anabaptiſtarum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex natura *Prædicati*:

I. Quæ Lex doctrinæ Chriſti opponitur, ei contraria eſt. Lex Moralis Moſis doctrinæ Chriſti opponitur. Ergo. *Minor* probatur ipſius Chriſti verbis *Matth.* 5. v. 21. 27. 31. 33. 38. 43. *Audiſtis dictum fuiſſe antiquis* &c. *Ego verò dico vobis*: ubi antitheſis maniſeſtiſſima eſt inter Moſen & Chriſtum, inter doctrinam illius & doctrinam hujus. *Reſp.* Admittitur Elenchus oppoſitorum ex ambiguitate phraſeos. Etenim dicta ſua non opponit Chriſtus dictis aut ſcriptis Moſis, ſed dictis ſcribarum & Phariſæorum, prout ſe illa ab antiquis Doctoribus accepiſſe jactitabant, eoque nomine populo commendabant. Docent hoc variæ hujus loci circumſtantiæ. I. Propoſitio Chriſti v. 20. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum ac Phariſæorum*; Ergo contra juſtitiam Phariſaicam, non contra juſtitiam Lege Moſis imperatam, diſſerere inſtituit. II. Phraſeologia. Non ait: Scriptum in Lege Moſis, aut Moſes dixit vobis, ſed *audiſtis*, ex Scribis ſc. & Phariſæis, *dictum fuiſſe ab antiquis*. Proinde traditiones ſeniorum *Matt.* 15. v. 2. 3. non Legem Moſis refellit. III. Exemplum v. 43. propoſitum: A quibus dictum, *Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum*, iis dicta ſua Chriſtus opponit. Id verò non dictum à Moſe, qui etiam contrarium præcipit, *Lev.* 19. v. 18. *Ex.* 23. v. 4. 5. & ex ipſo Salomo, *Prov.* 25. v. 21. 22. ſed ab antiquis & majoribus Phariſæorum. Ergo. IV. Factum Chriſti: Quorum dictis dicta ſua Chriſtus opponit, illorum dicta corrigit aut rejicit. Dicta Moſis moralia non corrigit aut rejicit; quia veniſſe ſe teſtatur non ut ſolvat Moſen & Prophetas, ſed ut impleat, v. 17. Ergo.

Quia Lex moralis Moſis opponatur doctrinæ Chriſti.

Vindicantur dicta Matth. 5. v. 21. 27. 31. 33 38. 43.

II. Lex perfectiorem exigens charitatem, perfectior eſt. Lex

Quia Lex Chriſti perfectiorem exigat Charitatem.

Christi perfectiorem exigit charitatem quàm Lex Mosis. Ergo. *Minor* probatur ex objecto & modo exercendæ charitatis. *Ex Objecto* sic: Quæ Lex charitatem exigit erga cujusvis ordinis aut conditionis homines, etiam inimicos, perfectior est eâ, quæ odium inimicorum imperat. Lex Christi prius exigit, Mosis posterius imperat, ut est *Matt.* 5. v. 43. Nam etsi verba illa, *odio habebis inimicum tuum*, nunc non reperiantur in Lege, tamen dubio procul olim exiterunt; sicut & illa *Matth.* 2. v. 23. *Nazarenus vocabitur*. Salomo verò *Prov.* 25. v. 21. 22. de cibando inimico non mandatum sed hortamentum proponit. Ergo. *Ex modo* sic: Quæ Lex proximum diligi vult *primo* universaliter non restrictivè, *deinde* plus etiam quam nos ipsos; omnino perfectior est illa, quæ ipsum diligi vult 1. restrictivè, 2. ut nos ipsos. Atqui Lex Christi proximum diligi vult, *primo* universaliter; quia dilectionem proximi nusquam restringit, *deinde* plus quam nos ipsos; quia vult nos animam pro ipso lubentes ponere *Ioh* 15. v. 13. Contrà Lex Mosis ipsum diligi vult 1. restrictivè, quia nihilominus oculum pro oculo, dentem pro dente postulat. 2. ut nos ipsos, sicut verba *Lev.* 19. v. 18. sonant, nec uspiam de vita pro ipso ponenda præceptum habet. Ergo. *Resp. Minor* falsa est, quia tam Moses quàm Christus dilectionem præcipit ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione, ex omnibus viribus. Probationes ab *Objecto* ejus & *Modo* ductæ, quibus distingui ajunt charitatem Legalem & Euangelicam, nihil plus veritatis habent. In *Primâ* negamus *Minorem*. Vt additamentum illud nunc non exstat in Lege, ita nec fuit olim: Ratio: quia contrarium ejus Lex imperat *Lev.* 19. v. 18. *Exod.* 23. v. 4. 5. Exemplum, *Matth.* 2. v. 23. dissimile est, tum quia nihil ei contrarium reperitur in Prophetis, tum quia ab ipsis, licet obscurius & metaphoricè prædictum, *Esa.* 11. v. 1. *Cap.* 60. v. 21. *Zach.* 6. v. 12. reque ipsa in N. T. completum fuit. *Salomonis* illud de cibando inimico si hortamentum esse detur, contradicere tamen haud potest præcepto Legis: cum verbum Dei non sit Etiam & Non 2. *Cor.* 1. v. 19. Sed mandatum esse ex textu apparet & allegatione ejus *Rom.* 12. v. 20. In *Secundâ* similiter negamus *Minorem*. Etenim præceptum dilectionis non minus universale est in Veteri quam in Novo Testamento. Vt à Mose dictum *diliges proximum tuum sicut te ipsum*, *Lev.* 19. v. 18. sic idem dicitur à Christo *Matth.* 22. v. 38. Nec restringi putandum est per pœnam talionis.

Matt. 2. v. 23. ubi exstet in V. T.

Prov. 25. v. 21. 22. explicatur.

Dilectio proximi qualis, & quo usque se extendat.

lionis. Ea siquidem Magistratus cum sit, tam ex Mosis quam Christi doctrina, dilectionis privatæ officiis nihil derogat. Præterea præceptum de vitâ ponendâ pro proximo, novum dilectionis non mandatum, sed exemplum est. Declarat Christus quænam vera sit ac sincera charitas; illa nimirum quæ mortem etiam non detrectat pro proximo. Ubi verò docet eam Lege Mosis non requiri? Quod Ethnicis dictavit Lex naturæ obscura, imperfecta, idne ex Lege Mosis clarâ, perfectâ, Israëlitæ ignorassent? Quid ergo Moses exitio suo redimere voluit populi salutem? *Exod.* 33. Quid pro Absalone David, 2. *Sam.* 19. pro Davide tres heroes mori *cap.* 23? At, *inquiunt*, Lex id tantùm flagitat, ut diligamus proximum sicut nos ipsos, non supra nos, quod fit cum vita ponitur pro ipso. *Resp.* Nota Comparationis *Sicut*, non regulam exhibet dilectionis proximi, sed exemplum, *Matth.* 7. v. 12. quod ex nobis petitur; quia ad nos ipsos diligendos naturâ sumus propensi. *Nemo enim odit carnem suam Ephes.* 5. v. 29. Alioquin omnia dilectionis officia complectitur, *Matth.* 22. v. 38. quæ inter istud quoque à Christo censetur *Ioh.* 15. v. 13.

III. Quæ Lex præceptis quibusdam corrigitur, imperfecta est. Lex Moralis Mosis præceptis quibusdam corrigitur à Christo. Ergo. *Minor* ostenditur Inductione. *Primò* corrigitur præcepto *Tertio:* Nam Moses etiam præcepit juramenta; at Christus ea simpliciter vetat *Matth.* 5. v. 33. 34. Moses prohibuit mendaciter & falsò jurare; *Exod.* 23. v. 1. *Deut.* 5. v. 20. Christus insuper prohibet temere & sine caussa jurare. *Deinde* corrigitur præcepto *Sexto:* Quia Moses privatam tantùm vindictam interdixit; Christus eam quoque quæ à Magistratu exercetur, *Matth.* 5. v. 38. *& seqq.* & Paulus lites omnes seculares coram Magistratu Politico institutas 1. *Cor.* 6. v. 1. *& seqq. Denique* corrigitur præcepto *Septimo:* I. Quia nusquam Moses aspectum uxoris alienæ adulterii nomine damnat; Christus damnat *Matt.* 5. v. 28. II. Quia Moses permittit divortium; Christus non permittit nisi ob scortationem v. 22. III. Moses præter uxorem, legitimam etiam concubinas concedit; id enim nuspiam prohibet, quin & exempla refert, qui habuerunt nec tamen propterea puniti fuerunt; Christus non concedit 1. *Cor.* 7. v. 2. 4. IV. Moses permisit polygamiam; Christus non permittit. *Resp. Minor* falsa est. Ad exempla correctionum à

Quia Lex moralis corrigatur quo ad præceptum Tertium.

Sextum.

Septimum.

 Chri-

Christo factarum supra diximus generatim, dirigi illa non adversus Mosen, sed adversus Scribas ac Pharisæos, qui verba Mosis tum additamentis, tum glossematis ab antiquis acceptis depravabant. Id nunc sigillatim in tribus illis, quæ adducta fuerunt, exemplis demonstrandum est. *Primò: Tertium* præceptum restringebant ad perjurium illius, qui jurasset per nomen Dei. *Falsò* jurare, dummodo non per nomen Dei, sed per nomen alicujus creaturæ; itemque *Temere* & leviter jurare, nullam nominis divini profanationem ducebant. Utrumque Christus acriter redarguit v. 34. *& seqq.* ostendens, & *illo* offendi Deum, utpote quod nihilominus in ipsius ignominiam redundet; & *isto* cum juramenta hujusmodi temeraria sint à Diabolo; & velit Deus nos in vita familiari simplici rerum verarum affirmatione, falsarum negatione contentos esse. Quibus omnibus nihil equidem doctrinæ Mosis adversum traditur. Etenim *Exod.* 20. v. 7. *Deut.* 5. v. 11. nomen Dei sumi vetat לַשָּׁוְא *secundum vanitatem*, id est, vane, leviter; & *Levit.* 19. v. 12. vetat jurare per nomen Dei (intellige quocunque modo, directè vel obliquè) לַשָּׁקֶר *secundum falsitatem*, id est falso. Quod verò Christus insuper dicit; ὅλως jurandum non esse, de juramenti formâ ac modo, non de ejus substantiâ intelligendum est; Non quasi simpliciter jurandum non sit, (nam & ipse hoc capite jurat, v. 18. prout non venit ad solvendum Mosen, v. 17. & juravit Paulus, 2. *Cor.* 1. v. 23. estque jusjurandum ad confirmationem adhibitum inter homines omnis controversiæ terminus, *Hebr.* 6. vers. 16.) sed quod jurandum non sit temerè, fallaciter, & per ullam rem creatam, quemadmodum subjectâ exegesi declarat. *Deinde* quod *Sextum* præceptum attinet, falsum est Christum omnem vindictam abolere, nolle ut malo ullatenus resistatur. Nam ipse quâ Deus, ordinavit Magistratum, eumque gladio armavit ad terrorem ac pœnam malorum, *Rom.* 13. *cap.* ipse percussus in maxillam unam, non præbuit alteram, sed malo restitit innocentiam suam tuendo, & injustitiam adversariorum redarguendo *Iohann.* 18. v. 23. Quod & Paulum imitatum legimus *Actor.* 23. v. 3. Quid ergo? Refellit glossam Pharisæorum, quâ quod de vindictâ publicâ Magistratus Lege Mosis statutum erat, ad vindictam privatam trahebant. Ab hâc tam longè suos abesse vult, ut

[Margin notes: Explicatio præcepti Tertii. — Quousque Christus interdicat juramentis. — Qualem vindictam vetet Christus.]

ut malle debeant duplicari sibi injurias, quàm ipsimet eas vindicare. Mosis non alia mens est, *Lev.* 19. v. 18. his verbis evidenter expressa: *Ne ulciscitor, neque iram asservato in populares tuos, sed diliges proximum tuum sicut teipsum*, nimirum quia Domini ultio & retributio est, ut alibi *Deut.* 32. v. 35. loquitur. Jam. 1. *Cor.* 6. v. 1. *& seqq.* damnat Paulus lites seculares, quod sub Magistratu infideli instituerentur adversus fratres fideles; idque de caussis levioribus, non sine maximo probro Euangelii. Damnat igitur κατά τι, non simpliciter. Subjicit enim v. 5. *Itane non est inter vos sapiens, ne unus quidem qui possit dijudicare inter fratres suos?* Quæ verba etsi de arbitriis domesticis, non de judiciis forensibus accipienda sint, illud tamen quod intendimus evidenter evincunt. Sicut eò quoque facit quod caussam suam ipsemet egit adversus Judæos sub Felice Festoque præsidibus, & ab iis ad Cæsarem provocavit, *Actor.* 24. 25. *capp.* *Denique* nec præcepto *Septimo* emendationis aut mutationis quicquam accidit. Moses *aspectum impudicum* uxoris alienæ non vocat quidem adulterium, interim adulterii nomine designari per synecdochen metonymicam docet præcepto decimo, *Non concupisces uxorem proximi tui.* Nam concupiscentia cordis accenditur, alitur, & exercetur etiam per aspectum oculorum. *Divortium* permisit Lege non Morali quæ immutabilis, sed judiciali, quæ mutabilis est; non absolutè & simpliciter, sed καθ' ὑπόθεσιν propter τὴν σκληροκαρδίαν Judæorum, Christo Interprete *Matth.* 19. v. 8. 9. Nihil ergo ad quæstionem facit, quæ tota est de Lege Morali. Et dum conjugium Christus ad primævam institutionem in Paradiso factam revocat, quid quæso novum à Mose non ante traditum sancit? *Concubinatum* vero & *Polygamiam* licet non reprehendat, aut punita fuisse ostendat in Patribus, non tamen propterea approbat aut concedit; quia aliud est factum narrare, aliud jus ejus exponere. Ita narrat incestum concubitum Lothi cum filiabus, *Gen.* 19. incestas nuptias Jacobi cum duabus sororibus Lea & Rachele, *cap.* 29. quorum tamen neutrum approbasse aut concessisse certo certius est.

1. *Cor.* 6. v. 1, *seqq.* vindicatur.

Explicatio præcepti septimi.

Divortium quatenus in V.T. permissum.

Quatenus item Polygamia.

SECVN-

Secunda: Samosatenianorum. An sacrificia propitiatoria V. T. fuerint typi sacrificii Christi.

SECVNDA: *An sacrificia propitiatoria Veteris Testamenti, adumbrarint unicum illud Christi sacrificium pro peccatis nostris oblatum?* Samosateniani negant, *Socinus lib. 2. de Servatore cap.* 10. 11. Nos affirmamus.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia ea Christus ut umbras sui sacrificii in N. T. abrogavit.

Quæ Christus ut umbras Sacrificii sui in Novo Testamento abrogavit, illa ipsius Sacrificium in Veteri Testamento adumbrarunt. Sacrificia propitiatoria Veteris Testamenti, ut umbras sui sacrificii in Novo Testamento Christus abrogavit. Ergo. *Major* per se patet. *Minorem* operosè confirmat Apostolus *capp.* 8. 9. 10. *ad Hebræos*, quibus de abrogatione Cerimoniarum Legis, ut umbrarum, disserit; eamque ex adventu Christi, qui veri illius tabernaculi minister est, potissimum concludit. Quæ ejus collectio aut nulla aut infirma est, nisi habeant se sacrificia legalia ad sacrificium Christi, ut umbræ ad corpus; quandoquidem illæ per hoc necessariò tolluntur: imperfectius autem sacrificium per id, quod perfectius est, tolli non fuit necesse, quod in diversis sacerdotiis simul stare possent.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia fuerunt umbræ, typi sacrificii Christi.

Umbræ, typi rerum ipsas res adumbrant. Sacrificia propitiatoria Veteris Testamenti fuerunt umbræ, typi sacrificii Christi. Ergo. De *Majore* constat ex notatione. *Minor* probatur. I. Totus cultus legalis fuit umbra. Ergo ipsa quoque sacrificia propitiatoria. *Consequentia* evidens est. *Antecedentis* veritas apertis Scripturæ testimoniis nititur: *Coloss.* 2. v. 17. *Quæ sunt umbra rerum futurarum Hebr.* 10. v. 1. *Lex umbram obtinens futurorum bonorum. Cap.* 8. v. 5. *Vt qui exemplari & umbræ deserviunt rerum cœlestium. Cap.* 9. v. 9. *Quod erat exemplar pro tempore præsenti &* vers. 24. *quod sit exemplar vero sacrario respondens.* II. Christus est veritas typis Mosaicis respondens, *Iohann.* 1. v. 17. *Cap.* 14. v. 6. est veri illius tabernaculi minister, *Hebr.* 8. v. 2. est corpus umbrarum

Coloss.

Coloss. 2. vers. 17. Ergo ex naturâ relatorum, per illa fuit adumbratus.

Rationes Samosatenianorum.

Negantes Heterodoxæ

Ex naturâ *Subjecti.*

Quæ verè, & re ipsa expiarunt peccata secundum ordinationem Dei, Sacrificium Christi expiatorium non adumbrarunt. Sacrificia propitiatoria Veteris Testamenti, verè & re ipsâ expiarunt peccata, secundum ordinationem Dei; sicut passim in Levitico eis expiatio tribuitur. Ergo. *Resp. Minor* contradicit Scripturæ, quæ I. negat sacrificia illa expiândorum peccatorum vim habuisse: *Hebr.* 10. vers. 4. *Non potest sanguis taurorum & hircorum auferre peccata. Cap.* 9. v. 9. *Sacrificia non possunt in conscientiâ consummare cultorem.* II. affirmat umbras, typos, exemplaria fuisse sacrificii Christi tanquam corporis, veritatis, archetypi *Hebr.* 8. vers. 5. *Cap.* 9. vers. 9. *Cap.* 10. vers. 1. Vnde conficitur, expiationem illis tribui non propriè, sed impropriè, per metonymiam subjecti, quâ quod signati est de signo enunciatur.

Quia sacrificia V. T. vere expiarint peccata.

Ex naturâ *Prædicati*:

Inter quæ nulla est analogia, eorum unum non est adumbratio alterius. Inter Sacrificia propitiatoria Veteris Testamenti & Sacrificium Christi nulla est analogia. Ergo. *Minor* probatur I. quia ex vestrâ sententia, *inquiunt*, in Sacrificiis illis nulla fuit satisfactio; in Christi sacrificio est satisfactio. II. quiâ sacrificia V.T. pro ignorantiis solum & peccatis levioribus instituta fuerunt, *Hebr.* 9. v. 7. Christi verò sacrificium secundum vos valet pro omnibus peccatis. *Resp. Minor* falsa est cum utrâque sui probatione. Etsi enim in sacrificiis illis non fuit satisfactio vera, realis; fuit tamen cerimonialis & sacramentalis, *Levit.* 1. v. 4. *Cap.* 4. v. 26. *Cap.* 17. v. 11. quâ ipsâ satisfactionem Christi adumbrarunt. Præterea non minus pro gravibus, quàm pro levibus peccatis instituta fuerunt, *Lev.* 5. v. 20. & *seqq.* adeòque ab omnibus peccatis suis populum expiarunt. *cap.* 16. v. 16. 21. *Hebr.* 9. v. 7. ἀγνοημάτων quidem meminit Apostolus verùm non exclusivè; &

Quia inter ea & sacrificium Christi nulla sit analogia.

tam latè patet ea vox, quàm altera ἀμαρτιῶν cap. 7. v. 27. ut collatio docet.

Controversiæ Pontificiorum:

Tertia: Pontificiorum. *An imagines Dei & creaturarum facere ac religiose colere liceat?*

PRIMA: An creaturarum, atque etiam Dei & SS. Trinitatis imagines religionis ergò facere, locis Sacris collocare, cultuque religioso afficere jus fas sit? Pontificii affirmant, *Bellarm. Tom. II. Controv. generali IV. lib. 2. de reliquiis & imaginibus Sanctorum à cap. 5. usque ad finem.* Nos negamus.

In Subjecto quæstionis controversæ conjunguntur Imagines creaturarum & creatoris Dei, qui est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; non quod absolutè & simpliciter par sit utrarumque ratio, (nam Imagines *creaturarum* in vitâ civili per se licitæ sunt & sæpe utiles, *Creatoris* per se illicitæ & semper noxiæ:) verum quia religionis caussa non magis illas quam istas facere, Deumque nec per illas nec per istas colere fas est ex sententia Orthodoxorum, quam nunc confirmatum imus.

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia Dei nulla est repræsentatio.

Cujus nulla est repræsentatio, ejusdem nulla imago. Dei nulla est repræsentatio. Ergo. *Major* patet; quia Imago est repræsentatio sui prototypi. *Minor* probatur. I. Cujus imaginem nullus vidit, ejus nulla est repræsentatio. Dei imaginem nullus vidit. Ergo. *Vtraque Propositio* Mosis est *Deuter. 4. cap.* Minor v. 12. 16. *Non animadvertistis ullam similitudinem, quo die loquutus est vobis Iehova.* Major v. 15. *& seqq. Quamobrem cavebitis vobis valde, ut non faciatis vobis sculptile, similitudinem ullius simulacri, &c.* II. Qui immensus & infinitus est, ejus nulla est repræsentatio. Deus immensus est, & infinitus. Ergo. *Præmissarum utramque* tradit Esaias, *cap.* 40. ubi assertâ infinitâ Dei majestate sic infert v. 18. *Cui ergò assimilabitis Deum & quam similitudinem comparabitis ei?*

III. Cu-

III. Cujus repræsentatio omnis per imagines & sculptilia nihil est nisi ignominiosa mutatio, ejus representatio nulla est. Dei repræsentatio omnis per imagines & sculptilia nihil est nisi ignominiosa mutatio. Ergo, *Major* certa est; quia imago mutans suum prototypum, ipsum non refert, adeoque æquivocè tantum imago dicitur. *Minor* est Apostoli *Roman.* 1. v.23. *Mutarunt* (scil: Idololatræ) *gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis.* Atque hinc Imagines illę *mendacia & falsitates, Esa.* 44. v. 18 *& seqq. eruditio vanitatum, Ierem.* 10. v. 8. *Doctores falsi, Habac.* 2. v 18. & denique *nihil*, 1. *Corinth.* 8. vers. 4. vocantur.

Excipiunt Pontificii. I. Pingi Deum, ad naturam ejus non perfectè, sed aliquâ similitudine exprimendam; nec non ad referendas ejus historias. II. *Esa.* 40. Non agi de imagine Dei, sed de simulacris Deorum. III. Idola Ethnicorum esse Doctores mendacii; quia videri volunt dii, cum non sint. At imagines Christianorum esse Doctores veritatis. *Resp.* ad *Primum*: Hoc non minus vetitum. Est namque Vniversale interdictum. *Non facietis ullam similitudinem; quia nullam vidistis Deuter.* 4. An verò prius etiam non faciant, qui Deum formâ viri tricorporis aut tricipitis; item formâ senis & juvenis cum columbâ supervolante depingunt, ipsi viderint. Ad *Secundum*: *Esa.* 40. Verba Prophetæ evidentiora sunt, quàm ut corruptelam hujusmodi ullatenus admittant. Et discrimen, quod fingitur *inter* Imaginem & simulacrum sive idolum, *inter* verum Deum & falsos deos, idololatriæ culpa ipsos non liberat. Non *prius*; quia nominale est, à Scriptoribus Sacris & profanis, etiam Pontificiis, ut *Cajetano*, *Fonseca*, *Valentiano*, *Pererio*, repudiatum, neque in versione Latinâ, quæ tamen ipsis authentica est, observatum. Non *posterius*; quia etsi gravior idololatria est, quum falsi dii coluntur per imagines, quàm quum verus Deus, ut constat exemplo Achabi, 1. *Reg.* 16. v. 32. 33. & ratione; quia *illa* peccat in Objecto & modo simul, *hæc* in modo tantùm; attamen & posterius idololatria est, Lege vetita, *Deut.* 4. v. 12. *& seqq.* & in populo Dei severè punita *Exod.* 32. 1. *Reg.* 12. *& seqq. capp.* Ad *Tertium*: Enunciata illa Prophetarum universalia sunt. Ergo non minus de Christianorum quam Ethnicorum imaginibus vera. *Ad hæc*: Qui falsum docet, doctor falsi meritò dicitur. Imagines

Exceptiones Adversariæ confutantur

Vanę sunt distinctiones inter

1. Imaginem & simulacrum

2. Cultum Dei veri & falsorum per imagines.

An imagines doctores sint, & quales.

gines omnes ad Deum repræsentandum adhibitæ falsum de Deo docent, prout ante ostendimus. Ergo. *Postremo:* Doctores veritatis in Ecclesia divinitus ordinatos esse oportet; ut de Christo testatur Nicodemus, *Iohann.* 3. de aliis Paulus: *Rom.* 10. *Eph.* 4. Imagines non sunt divinitus ordinati Doctores; quia Deus Ecclesiam suam non mutis simulacris, sed vivâ prædicatione verbi sui vult erudiri *Rom.* 1. v. 16. 2. *Pet.* 1. v. 19. Ergo.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quia imagines istiusmodi Deus vetuit.

I. Quod Deus expressè vetuit, nefas est. Imagines creaturarum aut Creatoris, religionis ergo facere, cultuque religioso afficere, Deus expressè vetuit. Ergo. *Minor* traditur præcepto secundo decalogi, *Exod.* 20. v. 4.5.6. *Deut.* 5. v. 7.8.9. quod recepto glossemate ad falsorum deorum imagines restringi non potest. I. quia dicitur; *non facies tibi sculptile aut ullam imaginem*, scil. religionis caussâ. II. quia de Deo non repræsentando per ipsum Mosen luculenter exponitur *Deutr.* 4. v. 12. & *seqq.* III. quia Israelitæ, Deum imagine vituli repræsentantes, graviter reprehensi & puniti fuerunt *Exod.* 32. IV. quia pii Reges & magistratus, non minus Iudæorum, quàm Ethnicorum, idola sustulerunt, sicut populo suo utrumque præcepit Deus; ut & altaria Cananæorum demoliretur, statuas frangeret, *Exod.* 34. v. 13. & ipse sibi deos fusiles non faceret v. 17.

Quia non pertinent ad Dei cultum, sunt periculosæ & offensioni.

II. Quod ad cultum Dei non pertinet, & cum idololatriæ periculo, justoque aliorum offendiculo conjunctum est; id à locis Sacris abesse debet. *Ratio*; quia loca sacra publici cultus caussâ constituta sunt; & quia dictum, *Non tentabis Dominum Deum tuum Matth.* 4. v. 7. item, *væ homini per quem offendiculum evenit cap.* 18. v. 7. Atqui Imagines creaturarum ac Creatoris Dei in locis Sacris. I. *ad cultum Dei non pertinent*; quia Deus à sui cultu eas Lege submovit, sicut nec verbi, nec Sacramentorum, nec Precum, nec hymnorum pars sunt. II. *cum idololatriæ periculo conjunctæ sunt*; quia homines, maximè plebji, ad superstitionem naturâ proni, ad cultum earum, ipsâ loci reverentia moventur, experientiâ teste. III. *conjunctæ* insuper *sunt cum justo offendiculo aliorum*; quia multi Christiani infirmi, ut & Iudæi

dæi ac Mahumetani, nostro ministerio convertendi, templa imaginibus instructa, ut idolæa, adversantur. Ergo.

Quia cultus religiosus imaginum est Idololatria; & earum cultores idololatræ.

III. Idololatria omnis illicita est, & idololatræ omnes exosi Deo. Omnis cultus religiosus imaginum, etiam quibus verus Deus repræsentatur, est idololatria; & omnes earum cultores idololatræ. Ergo. De *Majore* constat sententiâ Legis *Exod.* 20. item ex pronunciato Apostoli 1. *Corint.* 6. v. 10. *Nullum idololatram hæreditatem regni Dei possessurum.* *Minor* bimembris est. *Prius de cultu Imaginum* sic ostenditur: I. Incurvatio, adoratio, & omnis generis veneratio sculptilibus & simulacris præstita, idololatria est. Cultus Imaginum est incurvatio, adoratio, & omnis generis veneratio sculptilibus & simulacris præstita. Ergo. *Major* procedit à definitione ad definitum, & Legis auctoritate nititur *Exod.* 20. *Minor* patet ex praxi Pontificiorum, qui cultum Imaginum his quasi partibus absolvunt. II. Cultus Divinus rei, quæ non est Deus, idololatria est. Cultus religiosus imaginum est cultus divinus rei, quæ non est Deus. Ergo. *Majorem* habemus ex sententiâ præcepti primi: *Non habebis Deos alienos in conspectu meo.* *Minor* confirmatur. I. ex. *Doctrinâ Pontificiorum*, quæ est, imagines religiose colendas esse, tum *impropriè* propter aliud, ipsum scil. prototypum, tum *propriè & per se* propter sacram illam significationem, quæ ipsis inhæret; & *priore* quidem respectu deberi ipsis eundem cum prototypis cultum, puta Imaginibus Dei & Christi cultum λατρείας, Sanctorum δουλείας: *Posteriore* autem deberi cultum inferiorem, nimirum δουλείας, qui tamen analogicè & reductivè pertineat ad eam cultus speciem, quæ prototypi est. II. Ex *Praxi Pontificiorum*; quia adorant imagines etiam proprie & in se; venerantur eas sacrificiis, suffitibus, cereis, tripudiis; tribuunt eis affectus gratiæ, iræ, exauditionem, patrationem miraculorum & alia, quæ uni Deo ex præscripto verbi debentur. *Posterius de cultoribus Imaginum* demonstramus ab exemplis: Iudæi & Gentes nonnullæ, quæ verum Deum per imagines repræsentarunt & coluerunt, fuerunt idololatræ. Ergo omnes earum cultores sunt idololatræ. *Antecedens* probatur. De *Iudæis*: I. ex cultu aurei Vituli, *Exod.* 32. v. 4. 5. de quo dicitur: *Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt ex Ægypto*; & de quo, structo altari, proclamavit Aaron, *Festum Iehovæ cras esto.* II. ex cultu duorum aureorum

Qualem cultum Pontificii imaginibus deferant.

Vitulorum à Ieroboamo erectorum in Dan & Bethel, 1. *Reg.* 12. v. 28. de quibus eadem verba usurpantur; Nam cultum falsorum deorum per imagines Achabus postmodum introduxit, 1. *Reg.* 16. v. 32. 33. III. ex cultu Idoli Michæ, quod Iehovæ fuit sanctificatum, *Iudic.* 17 v. 3. & cujus sacerdos describitur ut sacerdos Iehovæ *cap.* 17. & 18. De *Gentibus nonnullis*, iis maximè, quæ prudentiores fuerunt, I. quia imagines habebant tantùm pro signis deorum, ut *Cicero* desertè loquitur. II. quia *Dio, Maximus Tyrius*, alii asseverant summum primum & maximum Deum, creatorem omnium & conservatorem, à se in simulacris, ex auro, argento & ebore factis, coli; & *Severus*, Imp. imaginem Christi cum aliis idolis coluit. III. Idem testantur *Lactantius*, *Arnobius*, *Clemens Alexandrinus*, *Augustinus* in *Psalm.* 113. qui tamen hunc Gentilium cultum ut Idololatriam damnant.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex natura *Subjecti:*

Quia Deus visus fueret spicie corporea.

I. Qui visus est specie corporea, & tali specie nobis describitur in Scripturâ; is potest repræsentari per imagines. Deus visus est specie corporeâ, Adæ in Paradiso ambulans, *Genes.* 3. Iacobo scalæ innitens *cap.* 28. Mosi quoad posteriora, *Exod.* 33. Michæ in solio: 1. *Reg.* 22. Danieli in throno *cap.* 7. sedens, præterea tali specie nobis describitur in Scripturâ, ut quæ membra, situm, actiones humanas ipsi tribuit. Ergo. *Resp. Major* non est vera universaliter, adeoque de Deo inconsequens dupliciter. I. Quia species illæ corporeæ visiones fuerunt, non essentiam Dei aut personas, sed opera, externamve gloriam aliquatenus adumbrantes; & quidem extraordinariæ, non ordinariæ; temporariæ, non perpetuæ; non palàm propositæ, sed huic vel illi, maximè in spiritu, oblatæ. Nihil ergo cum Imaginibus commune habent. II. Quia aliud est metaphoricè loqui de Deo ad captus nostri modulum, aliud speciem ejus visibilem, quasi veram & propriam pingere aut fingere, ac omnium oculis publicè subjicere.

Quia Angeli incorporei pingi possint.

II. Angeli, quantumvis incorporei & invisibiles, pingi possunt; virtutes etiam ut fœminæ pingi solent. Ergo potest & Deus.

Deus. *Resp.* I. Nulla est *consequentia* à finito ad infinitum, à creaturis ad creatorem. II. *Antecedens* falsum est; quia Angeli in naturâ suâ spirituali depingi non possunt, licet possint ex revelationibus & operibus. In picturis Virtutum licentiam pictoriam omnes agnoscunt.

Ex natura *Predicati*:

I. Quod ipse Deus fecit, nobis illicitum non est. Atqui ipse Deus repræsentavit se per imagines, ut modo ostensum Ergo. *Resp.* Vtraque propositio falsa est. *Major*; quia Deus est absolutæ potestatis Dominus, faciens quicquid vult; Nos potestati ejus subjecti, facere debentes quæ nobis mandat, omittere quæ vetat. *Minor*; quia nunquam se repræsentavit per sculptile aliquod aut simulacrum: quo significatu nisi accipiatur vox Imaginis, aliud est in Conclusione quàm in Pręmissis.

Quia Deus se repræsentarit per imagines.

II. Quod Dei jussu in templo Salomonis constitutum fuit, & templorum conditioni maximè convenit; nefas non est. Imagines Cherubinorum in templo Salomonis Dei jussu constitutæ fuerunt, & conditioni templorum maximè conveniunt, cum sint signa sacra ac ornamenta, & hominum mentes contineant ne vagentur. Ergo. *Resp.* Per limitationem *Majoris*: Non est nefas si I. idem sit mandatum. II. & conditioni templorum conveniat ex institutione Dei. Iam *Cherubinorum* quidem imagines in templo Salomonis constitutæ fuerunt Dei mandato, idque in Sancto Sanctorum extra populi conspectum: ubi vero in Novo Test. nobis simile quid mandavit Deus de statuis suis & Sanctorum faciendis, publiceque ad cultum proponendis? Deinde negamus imagines templorum conditioni convenire ex institutione Dei, aut etiam proprii finis respectu. Sacra signa non sunt Imagines sed sacramenta? ornamenta templorum Verbi pura prædicatio, Sacramentorum legitima administratio, & sanctitas disciplinæ; media denique mentium in attentione retinendarum, ipsius Dei præsentia, ac mysteriorum divinorum majestas, difficultas atque utilitas.

Quia Dei jussu imagines in tẽplo fuerint collocatę; & alias templorum conditioni conveniant.

III. Quod Dei mandato & probatis Sanctorum exemplis nititur, licitum est. Cultus Imaginum nititur Dei mandato, *Psalm.* 99. v. 5. *adorate scabellum pedum ejus*; & probatis Sanctorum

Quia imaginum cultus nitatur Dei mandato, & sanctorum exemplo.

rum exemplis; quia in Veteri testamento adorarunt Cherubinos. *Exod.* 25. coluerunt serpentem æneum, *Num.* 21. tanquam eximium Christi typum *Ioh.* 3. Ergo. *Resp. Minor* falsa est, *Psal.* 99. v. 5. jubentur fideles Vet. Test. *incurvare se ad scabellum pedum ejus*, id est, arcam versus, non autem ipsum scabellum adorare, non magis certe quam ipsum templum, versus quod se etiam incurvabant *Psal.* 5. v. 8. *Dan.* 6. v. 11. Inde verò ne incurvatio quidem ad statuas rectè concluditur; quia nec mandatum habemus, nec promissionem gratiosæ præsentiæ Dei, prout veteres illi habuerunt. *Exod.* 25. v. 22. pollicetur Deus responsurum se Mosi è medio Cherubinorum, ut eos adoret non præcipit. *Serpens æneus* tantùm abest ut religiosè coli debuerit, ut etiam dejectus sit ab Ezechia Rege, cum facere illud Iudęi inciperent 2. *Reg.* 18. v. 4. Prisci illi Israelitę sanati fuerunt non cultu religioso hujus serpentis, sed ejusdem aspectu secundum Dei voluntatem facto.

Vindicatio dictorum *Psal.* 99. v. 5.

Exod. 25. v. 22.

Quarta: Pontificiorum. *An Angeli Sanctiq, defuncti sint invocandi?*

SECVNDA: *An Angeli, sanctique defuncti sint invocandi?* Pontificii affirmant, *Bellarm. tom.* II. *controv: gen.* IV. *lib.* I. *de beatitudine Sanctorum cap.* II. *& seqq.* Nos Negamus.

Status Controversiæ.

Quibus tribuant Invocationem.

Et qualem.

Quò *Status Controversiæ* rectius intelligatur, termini ejus breviter explicandi sunt. *Subjectum* sunt *Angeli, sanctique defuncti.* Et Angeli quidem non omnes, sed boni & beati; nec Sancti omnes, etiam ii, qui in hac vita sanctificantur sanguine & Spiritu Christi (nam his nomen illud contra stylum Scripturę plerique Pontificiorum detrahunt,) verùm defuncti, quos ipsi ex Canonizatione Pontificis æstimant, usque adeo ut non Canonizatos publicè coli non permittant; nos ęstimamus ex perseverantia in fide & charitate usque ad finem. *Prædicatum* est *Invocandi*, scil. ut Mediatores & Intercessores nostri apud Deum. Vbi Invocatio universum eorum cultum designat, qui consistit *intus* partim in *judicio de ipsis*, quod necessitates nostras norint, nobisque possint opitulari, partim in *fiducia in ipsis*, quod etiam velint opitulari; *foris* autem in sacrificiis, incurvationibus, &c.

&c. Nos quidem Sanctos defunctos suo modo honorandos esse non negamus, conservando honorificam ipsorum memoriam, *Luc.* 1. v. 48. *Marc.* 14. v. 9. virtutesque imitando, *Rom.* 4. v. 12. *Hebr.* 12. v. 1. at invocandos aut religiosè colendos esse pernegamus.

Rationes nostræ.

Rationes Negantes Orthodoxæ.

Ex natura *Subjecti*:

I. Qui non est omniscius & omnipotens, non est objectum invocationis nostræ religiosæ. Angeli Sanctique defuncti non sunt omniscii, aut omnipotentes. Ergo. *Major* traditur in numeris Scripturæ locis, *Esa.* 55. v. 6. *Psal.* 145. v. 10. 11. *Psal.* 4. v. 2. *Psal.* 30. v. 8. ipsaque ratione. Nam omnium ubique necessitates nosse nemo potest nisi omniscius, nec succurrere iis nisi omnipotens. Qui ergo talis non est, ad eum frustra instituitur invocatio, ut olim ad Baalem, 1. *Reg.* 18. v. 28. is non est objectum δεκτικὸν adorationis religiosæ. De *Minore* inde constat, quod omniscientia & omnipotentia sunt proprietates Dei creaturis incommunicabiles, *Esa.* 42. v. 8. item quod omniscientiam Scriptura utrisque apertè derogat: Angelis, *Ephes.* 3. v. 10. *ut nota nunc fiat per Ecclesiam imperiis & potestatibus, quæ in cœlis sunt, multiformis illa sapientia Dei.* 1. *Petr.* 1. v. 12. *In quæ cupiunt Angeli introspicere.* Sanctis defunctis: *Esa.* 63. v. 16. *Etiamsi Abraham nesciat nos, Israel, ignoret nos tu tamen Iehova Pater noster. Eccl.* 9. v. 7. *Mortui nihil sciunt.* 2. *Reg.* 22. v. 20. *Ponetur in sepulchro suo in pace, ne videat malum, quod Deus facturus est Ierusalem.* Quæ autem de *speculo cœlesti* fabulantur adversarii, in quo videant omnia, item de revelatione Dei aut relatione Angelorum, ex quâ preces nostras cognoscant, in iis ne sibi ipsis quidem constant, tantum abest ut certum aliquod sententiæ suæ fundamentum afferre possint.

Quia Angeli & Sancti non sunt omniscii, nec omnipotentes.

Speculum cœleste fabulosum est.

II. Quem honorem Angeli & Sancti vivi non admiserunt, is Angelis Sanctisque defunctis deferendus non est. Honorem religiosæ invocationis Angeli, sanctique vivi non admiserunt. Non *Angeli*; quia Johanni adoraturo, dicit unus, *Ne facias, conservus enim tuus sum, Deum adora Apoc.* 19. v. 10. *Cap.* 22. v. 9.

Quia Angeli & sancti vivi respuerunt invocationem.

Non *Sancti vivi*; quia & Petrus Cornelio, *Actor*. 10. v. 25. 26. & Paulus Lystrensibus, *cap*. 14. vers. 12. *& seqq*. idem interdixit. Ergò.

Quia non sunt mediatores nostri apud Deum.

III. Qui non sunt Mediatores & Intercessores nostri apud Deum; eo quoque nomine invocandi non sunt. Angeli Sanctique defuncti non sunt Mediatores & Intercessores nostri apud Deum. Ergo. *Major* nititur veritate axiomatis Logici: Sublatâ caussâ tollitur effectus. *Minor* probatur. I. Qui solum Christum Mediatorem habent, alios præter ipsum non habent. Nos solum Christum Mediatorem habemus 1. *Tim*. 2. v. 5. *Vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*. Ergo. II. Qui non est mortuus pro nobis, nec factus est propitiatio pro nostris peccatis, is Mediator noster apud Deum non est; teste Paulo, *Rom*. 8. v. 34. & Johanne, 1. *Epist*. 2. v. 1. 2. Angeli Sanctique defuncti non sunt mortui pro nobis, non facti sunt propitiatio pro peccatis nostris 1. *Cor*. 1. v. 13. *Num Paulus crucifixus est pro vobis?* Ergò. Quo ipso funditus convellitur futilis illa distinctio inter *Mediatorum redemtionis* Christum, & *Mediatores intercessionis* Sanctos; quam tamen ipsimet imprudentes evertunt, dum suos non minus meritis, quàm precibus Sanctorum juvari asserunt.

Distinctio Mediatorum Redemtionis & Intercessionis.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia horum invocatio non nititur Dei mandato vel piorum exemplo.

I. Omnis vera ac religiosa Invocatio nititur expresso Dei mandato, promissione, & probatis piorum exemplis. Invocatio religiosa Angelorum & Sanctorum defunctorum non nititur expresso Dei mandato, promissione, aut exemplis piorum. Ergo. *Minoris* membra priora duo habemus ex confessione *Bellarmini*, qui *cap*. 20. *lib*. 1. *de beatitudine Sanctorum*, cum reliquis Pontificiis fatetur: Nullum mandatum requiri quando necessitas nos impellat, & promissionem minimè desiderari, cum innumerabilia signa ac prodigia ad Invocationem Sanctorum facta testentur Deum audire. De posteriore infra videbitur.

Quia eam invocationem Scriptura damnat.

II. Quam invocationem Scriptura damnat; ea non religiosa, sed superstitiosa est. Invocationem Angelorum Sanctorumque defunctorum Scriptura damnat: *Coloss*. 2. v. 18. *Nemo adversum vos rectoris partes ultro sibi sumat in submissione animi & religioso*

so cultu Angelorum. Esa. 8. v. 19. *Nonne populus Deum suum consulturus est? pro viventibus mortuos consulit.* Ergo.

III. Religiosa invocatio soli Deo convenit. Juxta illud: *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies. Deuter.* 6. v. 13. *Matth.* 4. v. 10. Angeli Sanctique defuncti non sunt Deus Ergo. Hîc quidem ad commentitiam distinctionem inter λατρείαν & δουλείαν confugiunt, quarum *illam* soli Deo, *istam* Sanctis deberi contendunt: Verùm tueri eam nullâ veritatis specie possunt. Etenim λατρεία & δουλεία, λατρεύειν & δουλεύειν promiscuè usurpantur in Novo Test. *Matth.* 4. v. 10. *Cap.* 6. v. 24. *Rom.* 1. v. 9. *Actor.* 20. v. 19. *Galat.* 4. v. 8. *Coloss.* 3. v. 22. 1. *Thessal.* 1. v. 9. Et verbum Hebræum עבד nunc per δουλεύειν, *Exod.* 23. v. 33. *Iud.* 2. v. 7. modò *per* λατρεύειν, *Exod.* 20. v. 5. reddiderunt LXX. Quod si ex ipsis vocibus per se eruendum aliquod discrimen esset, jam creatura honore extolleretur supra creatorem; quia δουλεύειν est esse alterius, eique se totum mancipare, λατρεύειν verò propriè est signo externo reverentiam exhibere.

Quia religiosa invocatio soli Deo convenit.

Distinctio inter λατρείαν & δουλείαν nulla est.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti:*

I. Propter quos Deus populo suo propitius est, ii sunt invocandi. Propter Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Davidem defunctos, Deus fuit populo suo propitius; ut est *Exod.* 32. 1. *Reg.* 15. 2. *Reg.* 19. Ergo. *Resp. Major* non est universalis. De meritis datur; de precibus, ut caussâ antecedente secundum voluntatem Dei, negatur. *Minor* verò falsa est. Neque propter merita ut vult, *Bellarminus cap.* 19. neque propter preces patrum illorum defunctorum, sed propter gratuitam misericordiam suam in Christo ipsis ac semini eorum federaliter promissam fuit Deus populo propitius. Præterea Patrum illorum, & aliorum omnium ex Veteri Test. exempla impertinentia sunt. Nam qui ipsi, ex sententiâ Pontificiorum, in limbo erant, statumque posterorum suorum ignorabant, quomodo intercedere pro eis apud Deum potuerunt?

Quia propter defunctos Deus populo suo sit propitius.

II. Qui orant pro nobis invocandi sunt. Angeli Sanctique defuncti orant pro nobis. Ergo. *Resp.* In *Majore* est fallacia

Quia Angeli & Sancti defuncti pro nobis orent.

non

non caussæ. Oratio pro altero non est justa caussa religiosæ invocationis. Romani etiam orare jubentur pro Paulo, *cap.* 15. sicut & alii. An verò propterea ipsos adoravit? Deinde in *Minore* est fallacia tum plurium Interrogationum, tum Homonymiæ. Nam alia ratio Angelorum in cœlo, qui ministerii caussa subinde emittuntur, propter eos qui hæredes salutis futuri sunt, *Hebr.* 1. v. 14. alia animarum, quæ non emittuntur. Ex quo sequitur, quod illi quidem, quoties ita emittuntur, necessitates nostras distinctè cognoscere, & pro nobis orare possint, isti non possint; etsi alioquin vota generalia pro salute Ecclesiæ in terrâ militantis concipiant *Apoc.* 6. v. 9. 10.

Quia Sanctos vivos liceat invocare.

III. Sanctos viventes invocare licet, prout amici Jobum invocarunt, ut pro ipsis deprecaretur Deum, *Iob.* 42. & Israëlitæ Samuëlem 1. *Sam.* 7. Ergo etiam defunctos. *Resp.* I. falsum est *Antecedens*, voce *Invocationis* de cultu religioso, prout ante declarata est, acceptâ. Amici illi Jobum, Israëlitæ Samuëlem rogarunt, ut fratres, conservos, prophetas, non invocarunt ut Mediatores. II. negatur *Consequentia*. Prius mandato & promissione Dei, laudatis Sanctorum Veteris Novique T. exemplis nititur, posterius non. Inter vivos mutua est officiorum communio, inter vivos & mortuos nulla *Eccl.* 9. v. 6. 7. *Esa.* 63. v. 16. Sed consequentiam *statuminat Bellarminus* argumento hoc, quod ait nos nunquam solvere posse: Si nunc non licet invocare sanctos, id fit vel I. *quia* nolunt invocari, vel II. *quia* non possunt, vel III. *quia* non sciunt quid oremus, vel IV. *quia* id cum Dei Christique injuria conjunctum foret. Non *primum*; quia nunc sunt majore charitate prædIti quàm ante, de suâ immortalitate securi, de nostrâ incolumitate solliciti. Non *secundum*; quia si poterant peregrini, multo magis nunc in patriâ. Non *tertium*; quia unde conversionem peccatorum angeli, *Luc.* 15. inde & sancti sciunt. Non *quartum*; quia sic ne viventes quidem invocare liceret. Ergo. *Resp.* *Assumtum* petitionem principii habet in omnibus membris, & nullo negotio retorquetur in suum auctorem. Nam *primò* quia majore Dei proximique charitate præditi sunt, invocari nolunt; multo minus certè quàm in hâc vitâ id permiserunt, *Actor.* 10. & 14. *capp.* ut qui longè nunc perfectus didicerunt honorem illum uni Deo deberi. *Deinde* peregrini à patriâ cælesti, compellari à nobis poterant sive voce, sive epistolâ; quia inquilini nobiscum erant

Instantia Bellarm.

Refellitur.

erant in patriâ terrenâ; nunc inquilini illius compellari non possunt, quia ab ista longissimis spaciis distant. *Tertiò* de angelis disertè affirmatur, quod speciatim gaudeant hujus, illius peccatoris conversione, de sanctis non affirmatur: Angeli subinde emittuntur ad eos, Sancti non emittuntur. *Quartò*; quia viventes religiosè invocare non licet, nec fieri potest absque summa Dei injuria, qui dixit, *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli servies Matt.* 4. v. 10.

Ex naturâ *Prædicati*:

Invocatio religiosa, probatis sanctorum exemplis confirmata licita est. Invocatio religiosa Angelorum, sanctorumque defunctorum, probatis sanctorum exemplis est confirmata: Iacobi, *Gen.* 48. qui invocavit Angelum, & prædixit se olim à posteris invocatum iri: deinde amicorum Iobi, consulentium ipsi, ut aliquem ex sanctus defunctis invocet *cap.* 5. quorum consilio obsequutus videtur, sic inclamans *cap.* 19. *Miseremini mei, ô amici mei.* Ergo. Quia istæc invocatio confirmetur exemplis Sanctorum.

Resp. Negatur *Minor. Gen.* 48. Angelus non est spiritus creatus, sed increatus, Christus videlicet, angelus ille federis, prout appellatur, *Mal.* 3. v. 1. Nec prædicit Iacobus se à posteris suis invocatum iri, sed filios Iosephi Ephraimum & Menassem, à se & majoribus suis denominandos, non minùs quàm filios suos. *Iob.* 5. vers. 1. non sancti defuncti, sed viventes intelliguntur, ut antithesis docet, & contextus series. *Cap.* 19. v. 21. autem amicos sibi præsentes Iobus compellat, utpote quos v. 22. conqueritur convitiis & injuriis adversus innocuum satiari non posse. Vindiciæ loci *Gen.* 48. v. 16. *Iob.* 5. v. 1. *Cap.* 19. v. 21.

TERTIA: An vota, quæ vocant Monastica, perpetuæ continentiæ, voluntariæ paupertatis, & obedientiæ regularis licita sint? Pontificii affirmant, *Bellarminus tom. II. controvers. general. II. lib. 2. de Monachis cap. 20. & seqq.* Nos negamus. *Quinta:* Pontificiorum. *An vota, quæ vocant Monastica, sint licita?*

Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti & Prædicati* simul:

Quia non sunt conformia voluntati Dei.

I. Votum legitimum conforme esse debet voluntati Dei. Vota illa Monastica non sunt conformia voluntati Dei. Ergo. *Minoris* veritas ostenditur de singulis. Non votum *perpetuæ continentiæ*; quia testatur Christus donum illud non esse cujusvis, *Matth.* 19. v. 11. eoque per Apostolum præcipit, ut qui se non continet, matrimonium contrahat, quod melius sit nubere quàm uri 1. *Cor.* 7. v. 9. Nec *voluntariæ paupertatis*; quia nemo sine speciali vocatione aut necessitate facultates suas debet abjicere, *Matth.* 19. v. 21. 28. ne tentet Deum, *Matth.* 4. v. 7. aut charitatem erga proximum negligere cogatur, *Eph.* 4. v. 28. item: quia summa cum hypocrisi conjunctum est, cum plus acquirant ita voventes, quâm perdant: atque etiam otiosi ferè vitam transigant, contra præceptum Apostoli 2. *Thess.* 3. v. 10. Nec denique *obedientiæ regularis*; quia repugnat libertati in qua nos Christus constituit, *Gal.* 5. v. 1. & ἐθελοθρησκείας verbo Dei gravissimè damnatas, *Matth.* 15. *Coloss.* 2. in Ecclesiam introducit.

Quia quæ in iis voventur non sunt in potestate voventis.

II. Res quæ voventur esse debent in potestate voventis. *Perpetua continentia* non est in potestate voventium; quia est donum Dei speciale, *Matth.* 19. v. 11. & sæpe quidem temporale tantum, non perpetuum. Vnde Apostolus non nisi viduas sexagenarias ad Diaconissarum collegium admitti vult 1. *Tim.* 5. v. 9. Sic *obedientiam regularem* vovere non est in potestate liberorum parentibus subditorum ex Lege, & tamen invitis parentibus hos ad votum illud nuncupandum sæpe numero inducunt. Ergo.

Quia præstantur peculiaris cultus & meriti opinione.

III. Quæ vota peculiaris alicujus cultus & meriti opinione præstantur, illegitima sunt: *Ratio*; quia in N. T. non sunt pars aliqua cultus per se, & neque in Veteri, neque in Novo T. fuerunt meritoria. Quod cum de omnibus, tum de iis, quæ circa τὰ βιωτικὰ nuncupantur, verum est. Nam *corporalis exercitatio ad pauca utilis est*, 1. *Tim.* 4. v. 8. & *regnum Dei non consistit in cibo & potu Rom.* 14. v. 17. Jam verò supra dicta vota universa ac singula præstantur peculiaris alicujus cultus, & meriti opinione, quemadmodum ipsi Pontificii rotundis & claris verbis fatentur. Ergo.

Rationes Pontificiorem *uno syllogismo generali comprehensæ:*

Affirmantes Heterodoxa.

Quæ vota à Christo imperata, & à Sanctis nuncupata fuerunt, legitima sunt. Vota Monastica à Christo imperata & à Sanctis nuncupata fuerunt. Ergo *Minor* probatur per partes. *Primo* votum *perpetuæ continentiæ* imperatum est à Christo *Mat.* 19. v. 12. *Qui potest capere capiat*; *à* Paulo 1. *Cor.* 7. v. 7. *Velim omnes esse, ut & ipse sum*, id est, cælibes; nuncupatum à Maria, *Luc.* 1. v. 34. *Quomodo fiet istud, cum virum non cognoscam*, id est, cognitura non sim ex voto. *Deinde*: Votum *voluntariæ paupertatis* est imperatum à Christo *Matth.* 19. v. 21. *Si vis perfectus esse, abi, vende quæ habes, & da pauperibus*; & *cap.* 5. v. 3. *beatos prædicat pauperes spiritu*, id est, qui propter regnum Dei paupertatem eligunt; nuncupatum à primis illis Christianis *Actor.* 4. 5. *capp. Denique* Votum *obedientiæ regularis* imperatum est à Christo *Matth.* 16. v. 24. *Si quis vult meus esse discipulus, abneget se ipsum*; à Paulo *Heb.* 13. v. 17. *Obedite præpositis vestris*; nuncupatum à Rechabitis *Ierem.* 35. *Resp. Minorem* non probant allegata testimonia aut exempla, ob perpetuos Elenchos petitionis principii, ambiguitatis, ignorationis & alios. Ad singula tamen aliquid dicemus. Primò: *Votum continentiæ perpetuæ* non præcepit Christus, *Matth.* 19. sed tantùm monet, ut qui capere potest castrationem sui propter regnum cœlorum, id est, cœlibatum voluntarium ex dono continentiæ sibi divinitus concesso, v. 11. capiat, id est, cœlebs maneat. Quod etiam optat Paulus 1. *Cor.* 7. nimirum; quia vita cælebs inde à lapsu expeditior est ad promovendum regnum Dei, & afflictiones propter illud tolerandus. Maria *Luc.* 1. nullius voti meminit, sed, cum verba Angeli in præsenti acciperet, quærit; quomodo concipiam filium cum virum non cognosca m? Nam alioqui norat se viro jam desponsam esse *Luc.* 1. v. 27. Deinde: *Paupertatem*, non votum aliquod ejus præcepit Christus juveni illi speciatim; non tanquam singularem aliquem cultum, sed ut hypocrisin ejus detegeret, ac gloriationem impletæ Legis ipsi adimeret. Id verò cum voto paupertatis Monastico quid quæso commune habet? *Matth.* 5. v. 3. beatos prædicat pauperes, non absolutè, sed spiritu, quæ limitatio paupertatem non corporalem,

Quia à Christo imperata & Sanctis nuncupata fuerint.

Vindicantur dicta. Matt. 19. v. 22.

1. *Cor.* 7. v. 7.

Luc. 1. v. 34.

Matt. 19. v. 21.

Matt. 5. v. 3.

ralem, verum spiritualem, in agnitione & deploratione peccati consistentem, insinuat. Nec voto sed libera voluntate bona sua in medium contulisse primos Christianos testis est Petrus *Actor.* 5. vers. 4. Denique *abnegatio sui* aut *obedientia* erga præpositos non est obedientia regularis Monachorum, sed *illa* quidem mortificatio veteris & vivificatio novi hominis: *ista* obsequium & honos ministerio Ecclesiastico secundum Dei verbum debitus. Rechabitarum verò exemplum nihil facit pro Monachis, ut quorum diversissima instituta, mores fines fuerunt.

Matth. 16. v. 24. *Heb.* 13. v. 17.

LOCUS OCTAVUS

De

PECCATO & LIBERO ARBITRIO.

Controversiæ de Peccato, Liberoque Arbitrio *in statu peccati, aliæ* Samosatenianorum *sunt, aliæ* Pontificiorum.

De Peccato Originali

Samosatenianorum:

An sit peccatum Originale, sive an Natura humana lapsu Adæ corrupta ac vitiata sit?

Pontificiorum:

An concupiscentia prava, inprimis quæ in justificatis remanet, pars sit peccati Originalis, aut etiam peccatum propriè dictum?

De Peccato Actuali

Pontificiorum:

An quædam peccata per se ac suâ naturâ venialia sint?

De Libero arbitrio

Samosatenianorum:

An in homine non regenito reliquæ sint vires ad bonum, quæ ope Dei excitandæ tantùm & confirmandæ, non restaurandæ aut renovandæ?

Pontificiorum:

I. An homo non renatus in civilibus particularibus arbi-

arbitrium habeat à speciali Dei motione, & à servitute peccati liberum?

II. An idem solis naturæ viribus, sine speciali Dei auxilio, bonum morale absque peccato præstare possit?

EXEGESIS.

IN recensione Controversiarum hujus loci, *Anabaptistarum* aut *Lutheranorum* nulla mentio fit. Etenim hi, si absit cavillandi aut calumniandi studium, nobiscum sentiunt. De illorum sententia quoad peccatum Originale non satis constat. *Hutterani* in Moraviâ id agnoscunt & confitentur. Idem fecere, qui *Colloquio Emdano* interfuerunt Anabaptistæ. Contrà alii, & nominatim *Collocutores Francothalenses* negarunt, asserentes quicquid per Adamum primum invectum fuit peccati damnabilis, id omne per secundum sublatum esse, eoque infantes ab omni contagio exitiali nunc esse immunes. *Videatur Colloquium Francothalense articulo* IV. Horum tamen errorem seorsim referre noluimus, quòd magnâ parte coincidit cum controversia *Samosatenianorum*, discrimine manente in eo, quod *isti* ab Adamo nunquam propagatum, *ipsi* verò à Christo sublatum fuisse contendunt, promissione in Veteri, re ipsa in Novo Testamento. Cæterum nec *Samosatenianorum* aut *Pontificiorum* Quæstiones omnes hîc proposuimus; quia *alia* pertinent ad Locum de Vocatione Interna, ordine Decimum tertium; *alia* leviores sunt, ut in transitu quasi à nobis expediri possint; *nonnulla* etiam per calumniam Ecclesiis nostris affinguntur. De *Primo* genere infra agendum erit. *Secundi* generis sunt: *Cœperitne peccatum primum ab infidelitate, an verò à superbia? An animas singulorum immediatè creari à Deo, non generando propagari, sit dogma certum, Catholicum, nobis necessariò credendum? An Virgo Maria absque peccato Originali concepta sit, nec peccatum ullum Actuale unquam admiserit? An liberum arbitrium in statu corruptionis rectè dicatur servum?* Tertii generis sunt: *An omnia peccata Prædestinatorum venialia, Reproborum mortalia sint? An Filii Sanctorum nascantur absque peccato Originis? An arbitrium humanum à sola coactionis necessitate sit liberum?*

Anabaptistarum dissensus quoad peccatum Originis.

Ad

Ad hasce quæstiones, quæ à *Pontificiis* moventur omnes, ordine, sed breviter, respondebimus.

Prima nec necessaria est, cum Scriptura peccatum Adæ terminis generalibus *transgressionis, delicti, inobedientiæ* exprimat, *Rom.* 5. neque utilis. Ex serie tamen historiæ, ipsâque ratione, colligere est, Infidelitatem Superbiâ priorem fuisse. Nam ante solicitavit mulierem Satanas ad contemtum mandati Dei, quam ad affectationem Deitatis; & nisi Deo fidem derogasset, Satanæ habuisset, nunquam eò Superbiæ processisset.

Infidelitas Superbiâ prior fuit in peccato primo.

Secunda Physica magis est, quàm Theologica, de quâ in utramque partem probabiliter disputatur ex Scripturâ & ratione. Etsi verò probabilior sit sententia de immediatâ animarum creatione; tamen non est ita certæ veritatis, ut inde dogma Catholicum, nobis necessariò credendum, ullo pacto exstrui possit.

De Origine animarum non est dogma Catholicum.

Tertia affirmatio falsa, negatio vera est, & Scripturæ consentanea. Docet quippe illa, solum Christum eximi à labe Originali, *Hebr.* 2. 4. 7. *capp.* cæteros omnes, quales quales sint, sine discrimine eidem esse obnoxios *Roman.* 5. v. 12. *Cap.* 3. v. 10. & *seqq.* 1. *Cor.* 15. v. 22. *Iob.* 14. vers. 4. Commemorat insuper peccata quædam *Mariæ actualia*; negligentiam ipsius, *Luc.* 2. v. 43. importunitatem ac imprudentiam, *Iohan.* 2. v. 4. ob quam etiam à Christo reprehensa fuit. Et *Bellarminus* non modò opinionem hanc incertam, inexploratam esse, sed & illud fatetur, ipsam Christi sanguine redemtam fuisse: cujus certè redemtionis indigi non sunt, nisi originaliter vel actualiter peccatores.

Maria Virgo fuit peccatrix originaliter & actualiter.

Quartam comprobamus evidente asseveratione ipsius Scripturæ *Iohan.* 8. v. 34. *Quisquis operam dat peccato, servus est peccati. Rom.* 6. v. 20. *Quum servi eratis peccati, liberi eratis justitiæ*; nec non consequentiâ Apostolicâ: Ubi non est Spiritus Domini, illic nec libertas est, sed turpis servitus, 2. *Cor.* 3. v. 17. In non renatis non est Spiritus Domini; quia mundus non potest eum recipere, *Ioh.* 14. v. 17. Ergo.

Liberum Arbitrium in statu peccati est servum.

Ad *Quintam* dicimus, omnia peccata per se & suâ naturâ esse mortalia, sive ab Electis, sive à Reprobis; sive à piis, sive ab impiis patrentur. Nam *stipendium peccati mors est, Rom.* 6. v. 23. *qui faciunt illud, digni sunt morte, cap.* 1. v. 32. & *naturâ sumus filii iræ,*

Omnia peccata per se sunt mortalia: Electorum venialia ex eventu.

iræ, sicut & cæteri. Ephes. 2. v. 3. Electorum tamen peccata qualiacunque venialia dici possunt ab eventu; quia veniam consequuntur, & *nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Roman.* 8. vers. 1.

Liberi Sanctorum Sancti sunt non naturâ, sed ex fœdere.

Sextam simpliciter negamus. *Quis enim dabit mundum de immundo? Iob.* 14. v. 4. Eo tamen non obstante, *Sanctos* pronunciamus cum Apostolo 1. *Cor.* 7. v. 14. fidelium liberos; quia nascuntur in fœdere.

Arbitrium humanum liberum est à necessitate coactionis & Physicâ.

Septimam itidem negamus. Etenim voluntati humanæ, absolutè & in se consideratæ, tribuimus non solam libertatem *à necessitate coactionis*, verùm alteram insuper *à necessitate Physica*; quâ à brutis homo distinguitur tanquam agens ἐκ προαιρέσεως. His ita expeditis ad ipsarum Controversiarum explicationem progredimur.

DE PECCATO ORIGINALI.

Prima: Samosatenianorum. *An sit Peccatum Originale.*

PRIMA: An sit peccatum Originale, sive, An Natura Humana lapsu Adæ corrupta ac vitiata sit? Samosateniani negant, *Ostorrodius cap. 33. Instit. religion. Christ.* Nos affirmamus.

Sententia Samosatenianorum.

Cum de nostrâ circa controversiam primam sententiâ abundè constet ex *Theologia Didactica*, sententiam Samosatenianorum verbis *Socini*, à quo sua omnia mutuatus est *Ostorrodius*, breviter subjiciam. *In homine*, inquit, *dum nascitur, propter lapsum Adæ nulla sive culpa sive pœna locum habere potest. Est quidem in omnibus ad peccandum possibilitas; quia nimirum Deus voluntatem liberam & ad bonum & ad malum dedit; est etiam in plerisque mala cupiditas, & ad peccandum pronitas; verùm hæc non ex peccato illo primi parentis manat, sed ex eo, quod Genus Humanum frequentibus peccatorum actibus habitum peccandi contraxit, & se ipsum corrupit; quæ corruptio per propagationem in posteros transfunditur. Concludimus igitur nullum, impropriè etiam loquendo, peccatum Originale esse.* Ex quibus omnibus Sole meridiano clarius apparet, quod peccatum Originale secundum partem utramque negent. Nam

Prælect. Theol. cap. 4.

primò negant transgressionem posterorum Adæ in lumbis ejus. *Deinde* negant corruptionem naturæ inde sequutam, & cum ipsa natura in omnes universim, solo Christo excepto, carnali generatione propagatam. Proinde utraque in quæstione An sit, distinctè nobis confirmanda incumbit.

Rationes nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Pro *Primâ parte:*

I. Qui peccarunt in Adamo, Legem in ipso transgressi fuerunt; quia peccatum est Legis transgressio. Omnes universim homines præter Christum peccarunt in Adamo. *Rom.* 5. v. 12. *In quo omnes peccarunt.* Ergo. *Samosateniani* quidem illud ἐφ' ᾧ, quo utitur Apostolus, significare ajunt non *In quo*, sed *eo quod* vel *quatenus*; verùm id sententiam nostram adeo non debilitat, ut etiam confirmet. Nam sic caussa redditur, cur mors in omnes homines, ipsos etiam infantes v. 14. pervaserit, nimirum, quia omnes peccarunt, peccato scil. illo quod per unum hominem introiit in mundum. Jam non peccarunt peccato illo in suâ personâ, quia non exstiterunt. Ergo. peccarunt in Adamo, quemadmodum Levi decimatus fuit in Abrahamo *Hebr.* 7. vers. 9. 10.

Quia omnes in Adamo peccarunt. *Rom.* 5. v. 12 explicatur.

II. Qui per inobedientiam Adæ peccatores constituti sunt, transgressionem ejus participant. Omnes homines præter Christum per inobedientiam Adæ peccatores constituti sunt. *Rom.* 5. v. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi,* &. v. 18. *per unius lapsum reatus venit in omnes homines ad condemnationem.* Ergo.

Quia omnes per inobedientiam Adæ peccatores constituti sunt.

III. Qui mortui sunt in Adamo, peccarunt in Adamo: *Ratio*; quia stipendium peccati mors est. Omnes homines, præter Christum, mortui sunt in Adamo 1. *Cor.* 15. v. 22. *In Adamo omnes moriuntur.* Ergo.

Quia omnes in Adamo sunt mortui.

Pro *secunda parte*; cujus tria membra sunt.

1. *Corruptionem naturæ esse ex peccato Adæ.* II. *Corruptionem illam per ipsum carnali generatione esse propagatam.* III. *Corruptionem illam in omnes universim homines præter Christum esse propagatam.* Singula singulis rationibus astruentur.

Quia à transgressione Adæ omnium hominum peccatum fluit.

I. A quo omnium hominum peccatum fluit, ab eo est naturæ humanæ corruptio. A transgressione Adæ omnium hominum peccatum fluit. Ergo. *Major* per se patet; quia peccatum illud est corruptio naturæ; non Physica, generationi opposita, sed Theologica. *Minor* perspicuè traditur ab Apostolo, *Rom.* 5. v. 12. *& seqq.* nec potest ex universâ Scripturâ alia ejus caussa dari.

Quia Adamus corruptus genuit corruptum.

II. Qui corruptus genuit sibi similem, id est, corruptum; is corruptionem carnali generatione propagavit. Adamus corruptus genuit sibi similem, id est, corruptum. Ergo. *Minor* probatur ex Scripturâ & Ratione. Ex *illâ:* I. In hypothesi: *Adamus genuit filium in imagine suâ, secundum similitudinem suam* *Gen.* 5. v. 3. At imago, similitudo ejus post lapsum corrupta erat. 1. quia opponitur imagini Dei, v. 1. ad quam post lapsum renovamur *Ephes.* 4. v. 24 II. quia mente stultus, voluntate pravus factus est *Genes.* 3. Ergo. II. In Thesi hoc modo: Nullus corruptus gignit aut gignere potest integrum *Iob.* 14. v. 4. *Ioh.* 3. v. 6. *Matth.* 7. v. 18. Ergo nec Adamus corruptus integrum gignere potuit. Ex *istâ*: Omne gignens generat sibi simile: *Ratio*; quia generatio est communicatio non modò essentiæ, verum etiam accidentium speciei propriorum. Atqui Adamus post lapsum corruptus genuit. Ergo corruptum genuit.

Quia omnes naturâ sunt filii iræ, transgressores, &c.

III. Qui naturâ sunt filii iræ, concepti in peccato, transgressores ab utero, proni ad malum omni tempore inde à pueritia; in eos corruptio generatione carnali propagata est. Atqui omnes universim homines, præter Christum, naturâ tales sunt, nec quisquam præterea excipitur. Ergo. *Majoris* evidens est consequentia. *Minorem* confirmant testimonia Scripturæ: *Ephes.* 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ, ut etiam reliqui.* *Psal.* 51. v. 7. *In iniquitate conceptus sum, & in peccato fovit me mater mea.* *Esa.* 48. v. 8. *Transgressorem ab utero vocavi te.* *Genes.* 6. v. 5. *Figmentum ac cogitationes cordis humani tantummodò malum sunt, omni tempore.* *Cap.* 8. v. 21. *Figmentum cordis humani malum est à pueritia ipsius* *Iob.* 14. v. 4. *Quis edat mundum ex immundo? ne unus quidem.* *Rom.* 3. v. 10. *Non est Iustus, ne unus quidem.* v. 12. *Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum.*

Excipiunt contra hæc Adversarii:

Vindiciæ dictorum.

Primò: Ephes. 2. v. 3. dici nos *filios iræ*, quod geniti simus ex Adamo, cum jam filius iræ propter peccatum suum factus esset. *Resp.* Imo sic appellamur; quia peccatores sumus natura, inde à nativitate, ut est vers. 1. 2. 3. Nam peccatum iræ illius caussa est. *Ephes.* 2. v. 3.

Secundò: *Psal.* 51. v. 7. sermonem esse figuratum hyperbolicum; & Davidem ita de se, non de aliis loqui. *Resp.* Sermo Davidis proprius est, non hyperbolicus, cum plus justo neque exaggeret, neque extenuet peccata sua, verum ea ingenuè confiteatur; tam *Originale* in quo conceptus erat, quàm *Actualia* quæ patrarat. Deinde quod hîc testatur de se, alibi testatur Sriptura de omnibus: *Sumus naturâ filii iræ, ut etiam reliqui. Ephes.* 2. v. 3. Quinimo si David, vir secundum cor Dei, in peccato conceptus, natus fuit, quantò magis alii. *Psal.* 51. v. 7.

Tertiò: *Genes.* 8. v. 21. non agi de peccato Originali, sed Actuali; quod sic probant; De illo peccato agitur, quod moverat Deum ad genus humanum diluvio perdendum. Istud verò non Originale, sed actuale fuit; quia I. vocatur figmentum cordis, *Genes.* 6. v. 5. II. opponitur ei actualis Justitia Noachi v. 9. Ergo. *Resp.* *Minor* falsa est. Utrumque movit Deum ad immittendum diluvium. Nam peccatum Originale regnabat per peccata Actualia *Rom.* 6. v. 12. *& seqq.* Ex eo pravæ cogitationes, figmenta, veluti ex impuro fonte, secundùm doctrinam Christi *Matth.* 15. v. 19. manabant. Noachus cum suâ Justitiâ opponitur injustis illis, non quod à labe Originali jam tum fuisset prorsus immunis, sed quod justus esset, partim *justitiâ imputatâ* fidei, *Hebr.* 11. v. 7. partim *justitiâ inhærente* inchoatæ regenerationis, *Genes.* 6. v. 9. quarum *illa* damnationem, *ista* dominium culpæ Originali adimit. *Gen.* 8. v. 21.

Rationes Samosatenianorum.

Negantes Heterodoxæ, Quia nulla datur caussa corruptæ naturæ ob transgressionem Adæ.

I. Cujus nulla caussa afferri potest, id nobis credendum non est. Atqui quod propter transgressionem Adæ tota Natura humana corrumpi debuerit, ejus nulla caussa afferri potest. Ergo.

Resp.

Resp. Utraque propositio falsa est. *Major*; quia in rebus divinis credimus, non propter rationes aut exempla, sed propter Dei, mentiri nescii, testificationem. *Minor*; quia caussam habemus tum in Justitiâ Dei, abusum donorum suorum sic jure merito punientis, tum in veritate, quia dixerat, *Quocunque die comederis, morte morieris Genes.* 2. v. 17.

Quia unus actus non inducat habitum.

II. Unus actus non inducit habitum. Transgressio Adæ fuit unus actus. Ergo habitum corruptionis sive injustitiæ non induxit. *Resp.* per limitationem *Majoris.* Unus actus non inducit habitum effectu, aut productione, & quidem secundum consuetum naturæ ordinem; potest verò inducere habitum merito, secundum peculiarem judicii divini dispositionem; prout hîc factum agnoscimus.

Quia hanc pœnam Deus non sit minatus.

III. Quam pœnam Deus primis parentibus comminatus non est, nec eam ipsis propter transgressionem irrogavit. Corruptionem naturæ ipsis comminatus non est. Ergo. *Resp. Minor* falsa est. Nam comminatus fuit quicquid mortis nomine in Scriptura designatur. Id verò præ cæteris est corruptio naturæ, à quâ in peccatis nostris mortui dicimur *Ephes.* 2. v. 1.

Secunda: Pontificiorum. An Concupiscentia prava in justificatis sit pars Peccati Orig. aut etiam peccatum?

SECUNDA: An concupiscentia prava, inprimis quæ in justificatis remanet, pars sit peccati Originalis, aut etiam peccatum propriè dictum? Pontificii negant, *Bellarminus Tom.* IV. *Controv. gener.* II. *de amiss. gratiæ & statu peccati lib.* 5. *cap.* 5. *& seqq. usque ad* 15. Nos affirmamus.

Status Controversiæ.

Statum hujus *Controversiæ* Sophisticè proponit *Bellarminus: Sitne Concupiscentia in justificatis manens propriè peccatum Originis?* Nos propriè peccatum esse agnoscimus; peccatum Originis esse negamus. Nam aliquando Concupiscentia *actum* notat inordinatum, cujus gradus sunt suggestio, delectatio, consensus; & ad peccatum actuale pertinet; aliquando verò notat *potentiam seu facultatem* inordinatam, & ita non totum peccatum originale, sed quædam duntaxat ejus pars est. Quo sensu sententiam affirmantem ut veram, orthodoxam. propugnabimus.

Concupiscentia notat actum vel facultatem.

Rationes

Rationes nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

I. Quod peccatum in justificatis manet, peccati nomen retinet, ipsos peccare facit, eoque ab ipsis edomandum est; id propriè peccatum est, & ad Originale pertinet. *Ratio prioris* per se patet: *Posterioris* est; quia inordinatio est ipsarum facultatum, à quâ actus inordinati procedunt. Atqui Concupiscentia prava in justificatis manet: *Rom.* 7. v. 17. *Peccatum quod in me manet, habitat.* v. 23. *Sentio aliam legem in membris meis.* Peccati nomen retinet: *Rom.* 7. v. 7. *Nam etiam concupiscentiam non novissem esse peccatum, nisi Lex dixisset: Non concupisces; &* v. 13. 18. 19 *& seqq. peccatum peccans, manens, habitans, malum adjacens, lex membrorum* appellatur. Ipsos peccare facit: *Rom.* 7. v. 17. *Peccatum, quod in me habitat, malum perpetrat. Gal.* 5. v. 17. *Caro concupiscit adversus Spiritum. Iac.* 1. v. 14. *Vnusquisque à propriâ concupiscentiâ abstrahitur.* Eoque ab ipsis edomanda est: *Rom.* 6. v. 12. *Ne regnato peccatum in mortali vestro corpore, ut serviatis ei in cupiditatibus corporis,* Ergo.

Quia ea in justificatis manet, nomen peccati habet & eos peccare facit.

Excipiunt

Vindiciæ dictorum. *Rom.* 7. v. 7. *& seqq.*

Primò: Rom. 7. v. 7. *& seqq.* Concupiscentia non accipitur pro fomite, sed pro actu voluntario contra Legem. *Resp. Prius* datur; quia fomitem à Sophistis excogitatum non agnoscimus. *Posterius* exclusivè sumtum non datur: Nam Apostolus non solos actus voluntarios aut involuntarios, *ex* v. 19. sed ipsum etiam Concupiscentiæ habitum intelligit. Nam vers. 8. hunc ab istis apertè distinguit, dicens, *peccatum genuit in me omnem cupiditatem,* & vers. 13. hoc *peccatum summè peccans* esse testatur.

Secundò: Galat. 5. v. 17. Concupiscentia non est propriè peccatum; quia in carne residet, quæ sedes peccati non est. *Resp.* Est propriissimè peccatum; quia spiritui, id est, parti regeneratæ contraria est, ejusque opera sunt scortatio, adulterium, &c. *Caro* verò hîc non solam sensualitatem, sed veterem hominem, sive corruptionem in Sanctis reliquam designat *Ioh.* 3. v. 6.

Gal. 5. v. 17.

3. v. 6. Præterea falsum est in sensualitate non esse peccatum, ut alibi ostendimus.

Rom. 6. v. 12. *Tertiò*: *Rom.* 6. v. 12. ut etiam *cap.* 7. Concupiscentia dicitur peccatum metonymicè. *Resp.* Negatur. Nam idem peccatum vocat Apostolus, *Veterem hominem crucifixum cum Christo*, v. 6. *injustitiam*, v. 13. *peccatum ad mortem*, v. 16. cujus *stipendium mors est* v. 23. Quæ epitheta non nisi peccato propriè dicto conveniunt.

Quia non à Deo sed à Diabolo est. II. Quod non à Deo, sed à Diabolo est; id, in quibuscunque etiam sit, peccatum est. Concupiscentia prava non est à Deo, sed à. Diabolo: 1. *Iohan.* 2. vers. 16. *Cupiditas carnis, libido oculorum, & fastus vitæ non est ex Patre, sed ex mundo. Iohann.* 8. vers. 44. *Vos ex Patre Diabolo estis, & cupiditates Patris vestri vultis explere.* Ergo. Jam verò Concupiscentia prava est in justificatis, adversariorum etiam confessione. Ergo in ipsis quoque peccatum est.

Ex natura *Prædicati:*

Quia est ἀνομία. Omnis ἀνομία peccatum est 1. *Iohann.* 3. vers. 4. Omnis prava concupiscentia est ἀνομία. Ergo. *Minor* probatur: Quicquid Lege Dei vetatur, ἀνομία est. Omnis prava Concupiscentia Lege Dei vetatur. I. Quia præcepto decimo, *Non concupisces*, vetatur universaliter, & absolutè *Exod.* 20. vers. 17. *Deuter.* 5. vers. 27. II. Quia Concupiscentia prava, Originalis & Actualis; Voluntaria & Involuntaria vetatur. Ergo omnis prava Concupiscentia vetatur. De *Originali* testatur Paulus *Roman.* 7. vers. 7. 8. quod peccatum Consupiscentiæ gignat omnem cupiditatem, sit peccatum summè peccans vers. 13. De *Actuali Involuntariâ* idem ait: *Non quod volo hoc ago, sed quod odi hoc facio* vers. 15. *Non facio bonum quod volo, sed malum quod nolo, hoc ago* v. 19. De *Voluntariâ* Pontificii consentiunt. Ergò.

Negantes Heterodoxæ.

Rationes Pontificiorum.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia gignat peccatum nec tamen peccatum vocetur. I. Quod gignit peccatum, nec peccatum vocatur, peccatum non est. Concupiscentia prava gignit peccatum, nec peccatum vocatur: *Iac.* 1. v. 14. 15. *Vnusquisque tentatur, dum à propriâ cupiditate*

tate abstrahitur & inescatur; deinde cupiditas postquam concepit, parit peccatum, peccatum verò peractum gignit mortem. Ergo. *Resp.* ad *Majorem.* Quod gignit peccatum non per se, sed per accidens, nec ullibi in Scripturâ peccatum vocatur, aut ut tale damnatur; id peccatum non est. Verum sic *Minor* falsa est. Nam Concupiscentia prava per se & formaliter gignit peccatum: *Rom.* 7. v. 8. *peccatum*, scilicet concupiscentiæ ex v. 7. *genuit in me omnem cupiditatem. Matth.* 15. v. 19. *Ex corde egrediuntur malæ cogitationes, cædes, adulteria, &c.* In Scripturâ vocatur *peccatum*, *Rom.* 7. v. 7. 8. 13. *& seqq.* ac ut tale damnatur *Exod.* 20. v. 17. *Non concupisces.* Locus *Iacobi* I. universaliter loquitur de omnibus; v. 13. *Nemo quum tentatur*, v. 14. *Vnusquisque tentatur*, non de solis justificatis. Si ergo concupiscenta peccatum non est, in nullo peccatum est. II. distinguit peccatum gignens à genito, *concupiscentia*, inquit, *parit peccatum*, scilicet actuale, peccatum esse non negat, imo apertè significat, dum eam tentatricem ad malum, genitricem peccati, nominat.

Iac. 2. v. 14. 15. vindicatur.

II. Primi motus concupiscentiæ, quibus mens resistit, peccatum non sunt. Ergo multo minus ipsa concupiscibilitas. *Resp.* Negatur *Antecedens*: habent enim ἀταξίαν Lege damnatam; Et Apostolus *Rom.* 7. etiam hos motus *peccati* nomine complectitur.

Quia primi motus non sint peccatum.

III. In quibus nulla est damnatio, in iis concupiscentia prava non est peccatum propriè dictum damnabile. In justificatis nulla est damnatio, teste Apostolo *Rom.* 8. v. 1. Ergo. *Resp.* *Major* datur de iis, in quibus nulla est damnatio per se. At in justificatis, de quibus agit *Minor*, non est per se, sed per gratiam remissionis. Præterea in prædicato *Majoris* latius patet peccatum propriè dictum, quam damnabile; quia non omne peccatum propriè dictum est damnabile, sed quoddam non damnabile per gratiam. Potest ergo concupiscentia prava in aliquo esse peccatum propriè dictum, in quo tamen damnabilis non sit. Quæ verò hic *Bellarminus* contra reatum peccati formale, ejusque à peccato separationem disserit, alibi explicata sunt.

Quia in justificatis nulla sit damnatio.

Ex natura *Prædicati:*

Pœna & Effectus peccati Originalis, non est ipsum peccatum Originale. Concupiscentia prava est pœna & effectus peccati Originalis.

Quia sit pœna & effectum peccati Originalis.

 rigi-

riginalis. Ergo. *Minorem* probant: Mors est pœna & effectus peccati Originalis *Rom.* 5. v. 12. Ergo & Concupiscentia; quia in his corruptio naturæ consistit. *Resp.* Non concluditur quæstio. Nec enim dicimus, concupiscentiam esse peccatum Originale, sed partem quandam ejus. Deinde *Minor* ambigua est. *Vera*, sed præterrem, de concupiscentia actuali; *Falsa* de Originali; hæc siquidem pars est peccati Originalis, effectum autem peccati primi Adæ. In probatione *Minoris* ambigua sunt Antecedens, & ratio consequentiæ. Mors est pœna & effectus peccati Originalis, sed secundariò, *Rom.* 6. v. 23. primariò verò est pœna & effectus peccati primi, utpote per quod, secundum Apostolum. *Rom.* 5. v. 12. intravit in mundum. Præterea Mors & Concupiscentia duæ partes sunt corruptionis Physicæ, non Moralis, ut quæ naturam corruptam non modò deficere, sed etiam Legi Dei repugnare facit.

DE PECCATO ACTVALI.

Tertia: Pontificiorum. An quædam peccata sint per se venialia.

AN quædam peccata per se ac suâ naturâ venialia sint? Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom. IV. controv. general. II. de amiss. grat. & statu peccati lib.* 1. *capp.* 3. 9. 10. *& seqq.* Nos negamus.

Peccatum veniale triplex Pontificiis.

Bellarminus triplex facit peccatum veniale, à Causâ, ab Eventu, ex Natura & Ratione peccati, *A causâ*; quod ex ignorantia & infirmitate admittitur. *Ab eventu*; quod per pœnitentiam expiatur. *Ex naturâ suâ*; quod non est contrarium charitati Dei & proximi, & hoc in varias species distinguit. Nos peccata venialia ab *eventu* agnoscimus, quibus veniam Deus clementer indulget, non propter pœnitentiam peccatoris, sed propter satisfactionem & intercessionem Christi Mediatoris. At à *causa* & ex *natura sua* nulla peccata venialia agnoscimus in judicio Dei; etsi comparatè peccata ignorantiæ, & infirmitatis, minus sint mortalia, quàm quæ contra scientiam & conscientiam fiunt. Quia verò de posteriore tantum genere *Bellarminus* disputat; contra illa & Nos argumenta nostra dirigemus.

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Ex natura *Subjecti:*

I. Quod hominem totius Legis transgressorem facit, dici veniale non potest. Quodvis peccatum hominem totius Legis transgressorem facit. *Iac.* 2. v. 10. *Quisquis totam Legem servaverit, impegerit autem in uno; reus factus est omnium.* Vbi non de solis criminibus, sed de peccatis indefinitè loqui Apostolum, testantur verba ejus, *quisquis impegerit in uno*; nec non προσωποληψίας, quod adducit, exemplum. Ergo.

Quia quodvis peccatum facit transgressorem totius Legis.

II. Nulla Dei dedecoratio venialis est: utpote cujus infinita est ac sacrosancta majestas. Omnis Legis transgressio, quantumvis parva, est Dei dedecoratio. *Rom.* 2. v. 23. *Per Legis transgressionem Deum dedecoras.* Ergo.

Quia quodvis est dedecoratio Dei.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quod exclusionem è cœlo, maledictionem, ac mortis temporalis & æternæ reatum meretur, veniale non est. Omne peccatum, etiam minimum, meretur exclusionem è cœlo, maledictionem, ac mortis temporalis & æternæ reatum. Ergo. *Minorem* habemus apertissimis Scripturæ testimoniis confirmatam: *Matth.* 5. v. 19. *Quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis,* id est, quæ talia videri possint, *minimus vocabitur in regno cælorum,* id est, nullus erit. *Deut.* 27. v. 26. *Maledictus, qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis. Ezech.* 18. v. 20. *Anima, quæ peccaverit, morietur. Rom.* 6. v. 23. *Stipendium peccati mors est.*

Quia quodvis meretur mortem temporalem & æternam.

Excipiunt

Primò: *Matth.* 5. v. 19. sermo est de falsâ Legis interpretatione. *Resp.* Ita est; sed ut illâ solvitur Lex, sic etiam vitâ quoquo modo exorbitante solvitur. Nam *implere & solvere* Legem opponuntur, v. 17. At implere est non modò doctrinâ, verum vitâ quoque implere, ut exemplo Christi, & aliis Scripturæ locis constat. Ergo & solvere. Vt igitur qui doctrinâ solvit, dignus est qui excludatur; ita etiam qui viâ.

Vindiciæ dictorum *Matth.* 5. v. 19.

Deut.27.v.26. Ezech.18.v.20.

Secundo: Deut. 27. v. 26. *Ezech.* 18. v. 20. agitur tantum de peccatis gravioribus, eoque mortalibus. *Resp. Priore* loco particula universalis omnia complectitur; & pronomen *hujus* referendum est ad Legem totius Decalogi, ut patet partim ex v. 8. partim ex allegatione Apostoli *Gal.* 3. v. 10. *Posteriore* autem atrociora quidem recensentur in descriptione justi & injusti, sic tamen ut leviora nullatenus excludantur. Iudæi quoque de peccatis majorum suorum indefinitè querebantur.

Rom.6.v.23.

Tertiò: Rom. 6. v. 23. Apostolus disserit de peccato pugnante cum gratiâ, & cum justitiâ non consistente. *Resp.* Est petitio principii. Disserit de quovis peccato, etiam de reliquiis peccatorum in regeneratis, ut exemplo suo comprobat *cap.* 7. exclamans sub finem: *Miser ego homo, quis me eripiet ex isto corpore mortis.*

Affirmantes Heterodoxæ.

Rationes Pontificiorum.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia peccata multa neque gratiam Dei neque charitatem exstinguant.

I. Quod neque gratiam Dei, neque charitatem exstinguit, veniale est. Multa peccata justorum, qui septies in die cadunt, & resurgunt, non exstinguunt gratiam Dei, aut charitatem. Ergo. *Resp.* Sunt quatuor termini ex paralogismo accidentis. *Major* loquitur de eo, quod per se non exstinguit, cæteroquin falsa est. *Minor* de eo, quod non exstinguit per accidens, propter succedaneam remissionis gratiam. Si verò propterea peccata verè justorum mortalia esse desinunt, jam nulla ipsorum peccata mortalia sunt, ut quorum nulla gratiam totaliter & finaliter exstinguunt.

Quia peccata venialia sint imperfecte peccata.

II. Quod non perfectè, sed imperfectè peccatum est; ei pœna perfecta, hoc est, æterna non debetur. Peccata venialia non sunt perfectè, sed imperfectè peccata. Ergo. *Minor* probatur: Quod in formali ratione peccati deficit, ut non sit vel perfectè ἐκούσιον, vel perfectè ἄνομον; id non est perfectè peccatum. Peccata venialia non sunt vel perfectè ἐκούσια, vel perfectè ἄνομα. Ergo. *Minor* constat ex diversis speciebus peccatorum venialium. Nam alia æstimantur ex *subreptione*, ut desiderium rei illicitæ non deliberatum; alia ex *parvitate materiæ*, ut furtum oboli; alia ex *suo genere*, ut verbum otiosum. *Resp.* Syllogismi principalis utraque propositio falsa est. *Major*; quia Scriptura omnibus omnino peccatis maledictio-

ctionem comminatur *Deut.* 27.v.26. *Minor*; quia nulla peccata suâ naturâ venialia sunt; omnia verò quia ἀνομίαν habent, eo ipso perfectè peccata sunt, etsi gradibus multum inter se differentia. Quod usque adeo verum est, ut affirmet Iacobus, in uno peccato transgressionem esse totius Legis *cap.* 2. v. 10. In *probatione Minoris* iterum laborat *Major*, asserens τὸ ἑκούσιον tam esse de formali ratione peccati, quam est τὸ ἄνομον. Atqui Apostolus istud apertè redarguit, peccatum suum appellans, quod nolebat, oderat *Rom.* 7. vers. 15. 19. *Malum quod nolo*, inquit, *hoc ago.* Insuper deficit *ratio Minoris* à diversis peccatorum venialium speciebus ducta. Etenim negato genere negantur omnes ejus species. Iam verò genus ipsum peccati venialis negat Scriptura, ut ostendimus. Ergo & omnes ejus species negat. Sic negat *primam* speciem; quia dicit, *Non concupisces.* Negat *secundam*; quia dicit, *Non concupisces quicquam quæ sunt proximi tui.* Negat *tertiam*; quia dicit, *de unoquoque verbo otioso reddendam esse rationem.*

τὸ ἑκούσιον non est de formali ratione peccati.

Ex natura *Prædicati*:

Peccata non merentia gehennam ignis, non generantia mortem, non excludentia è regno cœlorum, venialia sunt. Quædam peccata non merentur gehennam ignis, non generant mortem, non excludunt è regno cælorum. Ergo. *Minoris* veritas ostenditur testimoniis Scripturæ. *Matt.* 5. v. 22. *Qui irascitur &c.* ubi tribus iracundiæ speciebus propositis, tertia adjudicatur gehennæ ignis. *Iac.* 1. v. 14. *Concupiscentia parit peccatum, peccatum verò peractum gignit mortem*; hîc mors peccato, non concupiscentiæ tribuitur. *Eph.* 5. v. 4. 5. *Fornicatio, & omnis immundicies* &c. quibus verbis docet Apostolus, tria vitia excludere è regno cœlorum, *Fornicationem*, *Immundiciem*, *Avaritiam*; tria non excludere, etsi alioquin à sanctis esse debeant aliena, *Turpitudinem, Sultiloquium, Scurrilitatem*; quæ proinde venialia sunt. *Resp.* Majore missa, propositionem *Minorem* falsam esse, nec testimoniis allegatis confirmari contendimus. *Matt.* 5. v. 22. inæqualitas tum peccatorum, tum pœnarum exponitur allusione ad pœnas civiles, easque inæquales, quarum ratio Iudæis nota erat. Gehenna ignis adjudicatur quidem iracundiæ cum convitio, quæ tertia ejus species est, sed non exclusivè; non quasi species reliquæ mortales non sint coram Deo (sunt enim toti-

Quia quædam peccata non mereantur mortem æternam.

Vindicantur dicta. *Matt.* 5. v. 22.

totidem homicidia, in ejus judicio) verum quia illa ut culpâ cæteris gravior fuit, ita pœnâ quoque suo tempore futura est. *Iac.* 1. v. 14. Mors tribuitur peccato peracto, non exclusivè, verum ut causæ proximæ; at concupiscentiæ convenit ut causæ remotæ. Sicut ergo quod est causa causæ, est causa causati; ita quia concupiscentia peccati actualis mortem generantis, causa est, ipsius etiam mortis causa meritò habetur. *Eph.* 5. v. 4. 5. non disjungit Apostolus vitia priora tria, tanquam mortalia, à posterioribus quasi venialibus, sed potius omnia, ut homogenea, particulâ copulativâ conjungit, quæ etiam ab eodem verbo in constructione dependent. Nam ad universa pertinet quod dicitur v. 6. *propter hæc venit ira Dei in filios contumaciæ*; universa memorantur inter opera carnis *Gal.* 5. v. 19. Quod verò v. 5. tantum tria priora ut excludentia nominantur, inde est, quod cæteris illa graviora sunt.

Iac. 1. v. 14.

Eph. 5. v. 4. 5.

DE LIBERO ARBITRIO.

PRIMA: *An in homine non regenito reliquæ sint vires ad bonum; quæ ope Dei excitandæ tantum & confirmandæ, non restaurandæ aut renovandæ?* Samosateniani affirmant, *Ostorrodius Instit. relig. Christ. cap.* 34. Nos negamus.

Quarta: Samosatenianorum. *An in homine non regenito reliquæ sint vires ad bonum?*

Sententiam *Samosatenianorum*, quam verbis *Ostorrodii* concepimus, *Socinus* paulo luculentius declarat. *Concedimus*, inquit, *in plerisque hominibus, non quidem propter peccatum primi parentis, sed propterea quia homines paulatim degenerarunt, & seipsos corruperunt, innatam quodammodo esse magnam ad peccandum proclivitatem, & pravitatem quandam. Idcirco dicimus in plerisque hominibus naturaliter exiguas esse vires ad ea præstanda, quæ Dei lex jubet; ea autem præstandi voluntatem in omnibus naturâ esse posse, atque adeo in plerisque esse, nisi peccandi assuetudine factum sit, ut quis ipso peccato atque iniquitate delectetur. Porro vires non ita exiguæ sunt, ut homo Dei ope accedente* (quod in promissis, minisque divinis, positum esse docet) *si sibi ipsi vim facere velit, Legi divinæ parere non possit. Opem autem suam nemini eorum denegat Deus, quibus Legem tulit, &c.* Quæ omnia

Sententia Samosatenianorum. *Prælect. Theolog. cap.* 5.

omnia nihil aliud, quàm purum putum Pelagianismum produnt.

Rationes nostræ.

Rationes Negantes Orthodoxæ

Ex natura *Subjecti* :

I. Qui mortuus est in peccatis suis, alienatus à Deo ac vitâ ejus, filius iræ naturâ, hostis ac inimicus Dei; in eo nullæ vires ad bonum, morale scilicet & Spirituale, reliquæ sunt. Homo non regenitus mortuus est in peccatis suis, alienatus à Deo ac vita ejus, filius iræ naturâ, hostis ac inimicus Deo. Ergo. *Majoris* necessaria est consequentia. Nam mors spiritualis est totalis vitæ spiritualis, viriumque in quibus ea consistit, privatio; alioquin non mors, sed morbus, ægritudo dicenda. Sic alienatum esse à vitâ Dei, esse ei inimicum, esse filium iræ naturâ, quid aliud est, quàm hujusmodi viribus carere, eoque iræ ipsius obnoxium esse? *Minor* confirmatur auctoritate Scripturarum: *Eph.* 2. v. 1. *Mortui in offensis & peccatis. Col.* 2. v. 13. *Vos mortuos in peccatis vivificavit. Ioh.* 5. v. 25. *Mortui audient vocem filii Dei Eph.* 4. v. 17. 18. *Alienati à vita Dei cap.* 2. v. 12. *Vos illo tempore fuistis absque Christo, alieni à republ. Israelis, & extranei à pactis promissionis, spem non habentes & Dei expertes in mundo Col.* 1. v. 21. *Vos quondam ab alienatos & hostes reconciliavit. Eph.* 2. v. 3. *sumus naturâ filii iræ, sicut & reliqui Rom.* 5. v. 10. *Cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo.*

Quia non regenitus mortuus est in peccatis, &c.

II. Qui prorsus mente cœcus, voluntate pravus, affectibus rebellis, corpore etiam, omnibusque ejus membris servus est peccati; is nullas ad bonum vires habet. Homo non regenitus talis est. Ergo. *Major* patet. Nam vires ad bonum morale & spirituale contrariis illorum subjectorum qualitatibus consistunt. *Minor* probatur per partes. Est mente cœcus: *Eph.* 5. v. 8. *Eratis olim tenebræ. Ioh.* 1. v. 5. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* 1. *Cor.* 2. v. 14. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei, sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere.* 2. *Cor.* 3. v. 5. *Non sumus idonei ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus, id ex Deo est.* Voluntate pravus: *Ier.* 17. v. 9. *Fraudulentum est cor ipsum supra omnia, & mortiferum Genes.* 6. v. 5. *Capit.* 1. vers. 21. *Figmentum cordis humani tantum modo ad malum est omni tempore, inde à pueritia Actor.* 7. v. 51. *Duri cervice & incircumcisi corde. Matt.* 15. v. 19. *Ex corde egrediuntur &c.* Affectibus

Quia idem mente cœcus est, voluntate pravus, &c.

rebellis *Tit.3.v.3. Eramus quondam & nos rebelles, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis. Rom.7.v.5. Cum essemus in carne, affectus peccatorum vigebant in membris nostris ad fructum ferendum morti.* Corpore etiam omnibusque ejus membris servus peccati. *Rom.6. v.12. Ne regnato peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis ei in cupiditatibus corporis v.19. Stitistis membra vestra serva impuritati & iniquitati; ad patrandam iniquitatem; item v. 20. Quum servieratis peccati, liberi eratis justitia.* Atque horum omnium universos reos peragit Apostolus *Rom. 3.v.9.10.& seq.*

Ex natura *Prædicati:*

Quia in sui conversione vivificatur &c.

I. Qui vivificatur, resuscitatur, regeneratur, & de novo creatur; is nullas ad bonum morale & spirituale vires habet: eoque non excitatione aut confirmatione, sed restauratione & renovatione eget. Homo non regenitus in sui conversione vivificatur, resuscitatur, & de novo creatur. Ergo. *Major* suâ luce claret. *Minorem* astruimus testimoniis Scripturæ: *Col. 2.v.13. Eph.3.v.15. Vos mortuos in peccatis vivificavit. Ioh.5.v.25. Mortui audient vocem filii Dei, & qui audient vivent. Cap.3.v.3.5.7. Oportet vos renasci. Nam nisi quis regenitus sit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Eph. 2.v.10. Ipsius sumus opus, conditi in Christo Iesu ad bona opera. 2. Cor. 5.v. 16. Si quis est in Christo, nova res condita est: est nova creatura Gal 6. v. 15.*

Quia tunc illuminatur, renovatur &c.

II. Qui illuminatur & renovatur mente, convertitur, circumciditur, mutatur corde & affectibus, adeoque fit planè novus homo; is nullas ad bonum vires habet, nec excitari tantum, aut confirmari dicendus est. Atqui homo non regenitus in sui conversione sic se habet. Ergo. *Minor* iterum confirmatur testimoniis Scripturæ: *Ephes.1.v.17.18. Illuminatis oculis mentis vestra, &c. Rom.16.v.2. Transformate vos per renovationem mentis vestra. Eph. 4.v.23. Renovamini spiritu mentis vestra. Ierem.31.v.6. Converte me ut convertar. Deut.30.v.6. Circumcidet Iehova animum tuum ad diligendum Iehovam Deum tuum Ezech.36.v.26.27. Dabo vobis cor novum, & spiritum novum, & amovens cor lapideum, indam vobis cor carneum. 2.Cor. 5.v.17. Nova facta sunt omnia Ephes. 4.v.24. Induite novum illum hominem &c.*

Ratio-

Rationes Samosatenianorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex natura *Subjecti:*

Quod arbitrium ante lapsum habuit Adamus, illud ipsum homo etiamnum habet: *Ratio*; quia nulla causa est cur propter lapsum eo privari debuerit, cum nec rei ipsius natura id postulet, nec Dei justitia patiatur. Atqui ante lapsum habuit Adamos liberum arbitrium ad bonum. Ergo. *Resp. Major* falsa est, unà cum ratione sua: siquidem argumentis invictis ostensum ante, lapsu Adæ universam Naturam Humanam corruptam esse, sicque liberum ad bonum morale & spirituale arbitrium deperditum. Quod etiam postulabat *tum* lapsus ipsius natura: quia erat infinite majestatis divinæ universalis quędam offensio: *tum* Dei justitia ex qua digni sunt morte qui talia faciunt, *Rom.* 1. v. 32. Adamus verò peculiariter dignus tali morte, ut quam ipsi Deus peculiariter comminatus erat *Gen.* 2. v. 17.

Quia ante lapsum Adamus habuerit Lib. Arb. ad bonum.

Ex naturâ *Prædicati:*

Vires ad vitam assequendam sufficientes sunt etiam sufficientes ad præitandum bonum, absque quo vitam assequi nemo potest: juxta illud, *Fac hoc & vives.* In homine post lapsum sunt vires ad vitam assequendam sufficientes: *Ratio*; quia post lapsum Lex ei ad vitam data est *Rom.* 7. v. 10. Ergo. *Resp. Minoris* falsitatem jam in controversię hujus κατασκευῇ redarguimus. *Ratio* ejus similiter falsa est. Nam docet Apostolus introiisse Legem ut augeretur peccati agnitio, *Rom.* 5. v. 20. ut esset nobis pędagogus ad Christum, *Gal.* 3. v. 24. qui ejus finis dicitur *Rom.* 10. v. 4. Si etiam eo fine data fuisset, data fuisset ad impossibile, *Rom.* 8. v. 3. ad irritam faciendam promissionem Euangelii: quod diserte negatur *Rom.* 4. v. 13. 14. *Gal.* 3. v. 17. 21. 22. Apostolus verò *Rom.* 7. v. 10. legem ad vitam esse affirmans, non finem Dei, decalogum in monte Sinai repetentis, sed Legis ipsius vim & naturam respicit, quæ vitam sub conditione perfectæ obedientiæ monstrat ac pollicetur.

Quia post lapsum supersint vires sufficientes ad assequendam salutem.

Quinta: Pontificiorum. *An homo non renatus in civilibus habeat arbitrium à speciali Dei motione et servitute peccati liberum.*

SECVNDA: *An homo non renatus, in civilibus particularibus arbitrium habeat à speciali Dei motione,& à servitute peccati liberum?* Pontificii ajunt, *Bellarminus Tom. IV. controv. gen. III. de Grat.& lib. arbit. lib.4. cap.7. & seq.* Nos negamus.

Tota hæc controversia est de actionibus civilibus: quæ in genere suo indifferentes, in particulari bonæ vel malæ sunt, prout electione & intentione agentis ad hanc vel illam speciem determinantur. Quod ipsum ad statum intelligendum satis est.

Rationes *Negantes Orthodoxæ*.

Rationes Nostræ.

Ex natura *Prædicati:*

Quia Scriptura subjicit liber. Arb. speciali Dei motioni.

I. Cui Scriptura sacra hominis arbitrium in civilibus particularibus subjicit, ab eo liberum non est. Atqui subjicit, speciali Dei motioni sive auxilio. Ergo. *Minor* Dictis simul & Exemplis astruitur. *Dicta* sunt *Prov. 21. v. 1. Cor regis in manu Domini ut rivus aquarum, quocunque vult inclinat illud. Cap. 20. v. 24. A Domino diriguntur gressus viri; quis autem hominum potest intelligere viam suam? Cap. 16. v. 9. Cor hominis cogitat viam suam, at Dominus dirigit gressus ejus. Ier. 10. v. 23. Scio Domine, quod non est hominis via ejus, nec viri ut dirigat gressus suos. Exempla* sunt: Jacobi, *Gen.* 43. v. 14. Israelitarum, *Exod.* 12. v. 36. *Ps.* 106. v. 46. filiorum Heli, 1. *Sam.* 2. v. 25. exercitus Saulis, 1. *Sam.* 10. v. 26. Absolomi, 2. *Sam.* 17. v. 14. Roboami, 1. *Reg.* 12. v. 15. & aliorum. *Exceptiones Bellarmini* contra hæc, quia vel frivolæ sunt, vel opinioni ipsius contrariæ, studio brevitatis omittimus.

Quia ibidem servituti peccati est obnoxias.

II. Qui in civilibus particularibus servituti peccati obnoxius est, is arbitrium ab ea liberum non habet. Homo non regenitus in civilibus particularibus servituti peccati obnoxius est, teste Scriptura cum aliis, tum his locis: *Rom.* 1. v. 29. 30. 31. *Ierem.* 9. v. 2. 3. *& seqq. Esa.* 5. v. 8. 9. *& seqq.* Ergo.

Quia generale tantum auxilium nihil magis in hominibus quam in brutis efficerat.

III. Qui in civilibus particularibus tantum ab auxilio Dei generali pendent; circa illorum actiones civiles nihil magis operatur Deus, quam circa actiones naturales brutorum: *Ratio;* quia

quia ſic ad utraſque idem concurrit Dei auxilium, quo vivunt, moventur, & ut omnia: quod omnibus dat vitam, halitum & omnia *Actor*. 17. v. 25. 28. Atqui poſterius eſt contra Scripturam, & particularem providentiam inde exſtructam. Ergo & prius.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex natura *Subjecti*:

I. Cui libera eſt rerum diverſarum electio; & qui poteſt facere, quæ non facit; contra non facere, quæ facit; is arbitrium habet à ſpeciali Dei motione, & à ſervitute peccati liberum. Homini non renato libera eſt rerum diverſarum electio, &c. Juxta dicta *Num*. 30. v. 14. *Ioſ*. 24. v. 15. 2. *Sam*. 24. v. 12. 1. *Reg*. 3. v. 5. 11. *Actor*. 5. v. 4. 1. *Cor*. 9. v. 1. Ergo. *Reſp*. Limitando *Majorem*: Cui libera eſt electio ſcil. univerſaliter, rerum diverſarum cujuſcunque generis; itemque abſolute ab omni neceſſitate; ejus arbitrium eo modo liberum recte dicitur. Verum ſic falſa *Minor*. Eſt quidem homini non renato libera electio & actio; Verum nec in omnibus, quia civilia particularia, moralia, ſpiritualia excipiuntur; nec ab omni neceſſitate, etiam dependentiæ & corruptionis, ſed coactionis & naturæ tantum. Contrarium quoque allata Scripturæ teſtimonia non evincunt; quorum tamen quædam de moralibus loquuntur, ſicque impertinentia ſunt.

Quia homini libera ſit electio.

II. Sine libertate arbitrii nemo peccat; quia nemo peccat in eo quod neceſſitare facit. At homines peccare evidens eſt. Ergo. *Reſp*. De libertate à neceſſitate coactionis & naturæ, datur totum; De libertate à dependentia & ſervitute peccati, Major una cum ſua ratione falſa eſt.

Quia ſine lib. Arb. nemo peccet.

III. Qui in alia fertur neceſſario, in alia contingenter; habet libertatem arbitrii. Homo etiam non renatus in alia fertur neceſſario, puta in finem & media, cum eo neceſſario connexa; in alia contingenter. Ergo. *Reſp*. Nihil probat ratio, quàm arbitrium eſſe à coactionis & naturæ neceſſitate liberum; id quod nemo negat.

Quia in alia neceſſariò in alia contingenter ſervatur.

Sexta: Pontificiorum. *An homo naturalis bonum morale perfectum sine speciali Dei auxilio queat præstare?*

TERTIA: An homo non renatus solis naturæ viribus, sine speciali Dei auxilio, bonum morale absque peccato præstare possit? Pontificii affirmant, *Bellarminus tom.* IV. *Controv. gener.* III. *de Gratia & lib. arbitr. lib.* 5. *cap.* 4. 9. *& seqq.* Nos negamus.

Opus Morale quale hic intelligatur.

Opus Morale, de quo quæritur, non est opus aliquod externum absolutè consideratum, ut abstinentia ab alienis bonis, obedientia erga magistratum, (tale quippe viribus naturæ sine speciali Dei auxilio, citra excellentiam tamen, à non renatis præstari posse fatemur:) verùm est opus morale perfectum, peccati omnis expers, eoque simpliciter bonum. Hoc *Nos* negamus: *Pontificii* affirmant eo, quo dictum modo, ab ipso præstari posse. *Bellarminus* limitationem quidem adjicit, si nulla tentatio urgeat. Sed id frustra est; nam tentatio Diaboli, mundi & maximè carnis nunquam non urget. Aut ergo non renatus bonum Morale absque peccato nunquam potest præstare, aut etiam cum tentatione præstare.

Rationes Nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ* Quia ad tale opus nullæ homini sunt vires.

Ex Naturâ *Subjecti*:

Cui ad præstandum opus Morale perfectè bonum nullæ vires sunt, ab eo istud viribus naturæ præstari nequit. Homini non renato ad præstandum opus Morale perfectè bonum nullæ vires sunt. Ergo. *Minor* probatur. I. Qui mortuus est in peccatis; ei nullæ vires sunt ad prӕstandum opus Morale perfectè bonum. Homo non renatus mortuus est in peccatis *Ephes.* 2. v. 1. 5. *Coloss.* 2. v. 13. Ergo. II. Cujus facultates omnes interiores & exteriores peccato originali prorsus sunt corruptę, quoad bonum verè morale & spirituale; ei nullę vires ad opus morale perfectè bonum supersunt. Hominis nondum renati facultates omnes interiores & exteriores ita corruptæ sunt, prout ante demonstravimns. Ergo.

Ex

Ex Natura *Prædicati* :

I. Quod in boni operis Moralis tum essentiâ tum conditionibus essentialibus deficit ; id opus Morale perfectè bonum non est. Omne bonum opus Morale hominis non renati, tum in essentia deficit; quia formam, quæ est interna cordis purificati obedientia, non habet, *Tit.*1.v.15. *Matt.*15.v.8. tum in conditionibus essentialibus; quales sunt respectu Efficientis fides, *Rom.* 14. v.22. 1.*Tim.*1.v.5. *Hebr.*11.v.6. respectu Finis gloria Dei 1.*Cor.* 10.v.31. *Matth.*5.v.16. Ergo.

Quia def cit tum in essentiâ, tum in conditionibus essentialibus boni moralis.

II. Quod opus Scriptura viribus hominis non renati adimit ; & speciali Dei auxilio tribuit ; id ipse solis naturæ suæ viribus absque speciali Dei auxilio perficere nequit. Opus morale bonum Scriptura viribus hominis non renati adimit : *Ierem.*13. v. 23. *Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus maculas suas, etiam vos potestis benefacere, cum sitis mali. Matth.*7.v.18. *Cap.* 11. v.33. *Non potest arbor mala bonos fructus ferre. Rom.*3.v.12. *Non est qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum.* Contra id speciali Dei auxilio tribuit: 2.*Corinth.*3.v.5. *Quod idonei sumus ex Deo est. Ephes.*2.v.9.10. *Non ex nobis &c. Ipsius opus sumus, conditi in Christo Iesu ad bona opera.* Ergo.

Quia Scriptura id viribus hominis adimit.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex Natura *Subjecti*:

I. Quod Scriptura de non renatis testatur, id verum est. Atqui testatur ipsos aliqua bona opera facere posse : *Matth.*5. v. 47. *Si complexi fueritis fratres vestros &c. Rom.*2.v.14. *Gentes, quæ legem non habent, naturâ quæ Legis sunt faciunt.* Ergo. *Resp.* Non concluditur quæstio de opere Morali perfectè bono. Nam *Matth.* 5. salutationis officium in publicanis laudatum, externum opus est. Sic *Rom.* 2. nihil aliud vult Apostolus quàm Gentes quædam Lege imperata fecisse, puta externo honestatis actu, ut ex scopo, circumstantiis textus, & disputationis totius conclusione colligere est, *Cap.*3. v.9.10. *& seq.* ubi sic ait: *Non est, qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum.*

Quia Scriptura testatur homines hæc præstare posse.

Matth. 5. v. 47.

*Rom.*2.v. 14.

II. Si nullum opus bonum facere potest non renatus, melius

Quia sic melius ab omni bono opere abstineret.

melius ei esset opera bona non facere; quia faciendo peccat; non faciendo non peccaret. Consequens est absurdum. Ergo & Antecedens. *Resp.* Negatur *Consequentia* ob fallaciam accidentis. Quod faciendo bonum opus peccat, per accidens fit; quia cum defectu facit, propter quem ipsum opus non omittendum, sed corrigendum est. Non faciendo autem peccaret per se; quia peccatum omissionis est peccatum per se.

Ex natura *Predicati*;

Quia Deus remuneretur bona opera.

I. Quæ opera Deus remuneratur, bonâ opera sunt, non peccata. Opera non renatorum Deus remuneratur: Obstetricum, *Exod.* 1.v.21. Nebucadnezaris, *Ezech.* 29. vers. 18. cui propterea auctor est Daniel, ut peccata sua eleemosynis redimat. *cap.* 4.v.24. Ergo. *Resp.* I. Limitamus *Majorem*: Quæ opera remuneratur Deus sunt bona, nempe per se & suo genere, etsi peccata esse possint per accidens. Universaliter accepta falsa est. II. In *Minore* admittitur Elenchus parium. Nam obstetrices illæ, quia à timore Jehovæ laudantur, fideles fuisse videntur. Nebucadnezar autem infidelis quod bellum gessit, opus non Morale, sed Civile præstitit. Nec legitur dedisse eleemosynas, etsi Daniel ad id ipsum fuerit hortatus. Verum demus omnia illa opera fuisse non renatorum, fuisse Moralia, fuisse bona; necdum tamen id conficitur, quod in quęstione est, bona fuisse simpliciter absque omni peccato.

Quia nulla caussa cur debeant esse peccata.

II. Si opera facta sine fide & speciali Dei auxilio semper essent peccata, id accideret, vel *quia* deest illis circumstantia finis, vel *quia* fiunt à peccatore, vel *quia* proportionem non habent cum naturæ nostrę viribus, vel *quia* nimis difficilia sunt ob carnis rebellionem, Dęmonisque tyrannidem. Atqui non *primum*; quia etiam Ethnici agnoscunt Deum & Providentiam. non *secundum*; quia opera illa procedunt ex bono naturæ, non ex adjunctâ malitiâ. non *tertium*; quia licet natura sit facta deterior per peccatum, non tamen infirmior est quàm si fuisset in puris naturalibus, non *quartum*; quia hîc non agitur nisi de rebus facilibus, & naturæ valde consentaneis. Ergo. *Resp.* In hoc argumento peccatur tripliciter. I. *Ignoratione Elenchi.* Probandum erat opera non renatorum esse nullo modo peccata; Adversarius

versarius verò probat non semper esse peccata. II. *Insufficiente enumeratione*. Nam est & alia caussa, ob quam peccata sunt, nimirum quia absque fide fiunt *Roman.* 14. v. 23. III. *Falsitate secundum omnia membra*. Nam *primò* etsi agnoverunt Deum Ethnici, tamen ut Deum non glorificaverunt, neque gratias ei egerunt *Rom.* 1. v. 21. *Secundò*; quia procedunt à bono naturæ corrupto, sicque à caussâ suâ inquinantur *Tit.* 1. v. 15. *Tertiò*; quia nulla proportio est inter vires hominis non renati, & opus bonum, quod sit absque peccato; quia tale opus vires requirit ab omni vitio liberas. Quod de puris naturalibus dicitur commentitium est. *Quartò*; quia bona opera absque peccato facere, non renato non tantùm difficile, sed etiam impossibile est. *Non potest arbor mala bonos fructus ferre* *Matth.* 7. v. 18. *Non potestis bene facere, cum sitis mali*, *Ierem.* 13. v. 23. & id naturæ corruptæ non consentaneum, sed prorsus adversum est & inimicum *Roman.* 8. vers. 7.

LOCVS NONVS

De

POENA PECCATI.

Controversiæ de Pœna peccati *sunt tum* Samosatenianorum, *tum* Pontificiorum.

Samosatenianorum:

An Mors corporalis sit pœna peccati? *Hanc supra* Loco V. de Creatione *expedivimus*.

Pontificiorum:

Pontificiorum. *An Infantes fidelium sine Baptismo decedentes, in peculiari limbo damnentur.*

AN Infantes fidelium sine Baptismo decedentes mortem æternam necessariò subeant; & tamen in peculiari limbo damni, non sensus, vel saltem exigui sensus, pœnam experiantur? *Pontificii* affirmant, *Bellarminus tom.* IV. *Controv. gener.* II. *de amissione gratiæ & statu peccati lib.* 6. *cap.* 2. *& seqq.* Nos negamus.

EXEGESIS.

Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia ad eos pertinet promissio gratiæ.

I. AD quos pertinet promissio gratiæ, quique sancti sunt ab utero, non damnantur. Ad infantes fidelium pertinet promissio gratiæ, *Genes.* 17. vers. 7. *Actor.* 2. vers. 39. & illi sancti sunt ab utero *Rom.* 11. v. 16. 1. *Cor.* 7. v. 14. Ergo.

Quia à Baptismo non dependet salus.

II. A quo salus non dependet, ejus privatio non damnat. A Baptismo salus non dependet; quia quidam servati sunt absque Baptismo, ut Latro, *Luc.* 23. quidam damnati cum Baptismo, ut Simon Magus *Actor.* 8. Ergo.

III. In-

III. Infantes fidelium Veteris Testamenti non damnabantur, si ante circumcisionem, die demum octavo ex Lege administrandam, decederent. Ergo nec damnantur infantes fidelium Nov. Testamenti, siquidem ante perceptionem Baptismi decedant. *Consequentia* probatur; quia amplior est gratia Novi Test. quam Veteris. Quia infantes Vet. Test. ante octavum diem decedentes non damnabantur.

IV. Si infantes damnantur propter privationem Baptismi, damnantur propter culpam simpliciter alienam. Consequens est contra Scripturam *Ezech.* 18. v. 20. Ergo & Antecedens. Quia sic damnarentur propter culpam simpliciter alienam.

Ex naturâ *Prædicati:*

I. Non entis nulla sunt accidentia. Limbus puerorum non est: *Ratio;* quia Scriptura duo tantùm animarum separatarum receptacula commemorat, cœlum & infernum, *Luc.* 16. v. 22. 23. *& seqq.* & duplicem tantùm post hanc vitam hominum statum in alterutro *Matth.* 25. v. 34. *& seqq.* Ergo. Quia nullus ejusmodi Limbus est.

II. Quæ Scriptura inseparabiliter conjungit, divellenda non sunt. Damnum & sensum in morte æternâ inseparabiliter conjungit *Esa.* 66. v. 24. *Matth.* 7. v. 23. *cap.* 8. v. 12. *Cap.* 25. v. 41. Ergo divellenda non sunt damnum & sensus: & per consequens, aut utrumque experiuntur infantes fidelium non Baptizati, quod negant Pontificii; aut neutrum, quæ nostra sententia est. Quia Scriptura damnum & sensum in morte æternâ conjungit.

Rationes Pontificiorum. *Affirmantes Heterodoxa.*

Ex natura *Subjecti* :

I. Qui non regenerantur, damnantur. Infantes fidelium, qui sine Baptismo decedunt, non regenerantur: *Ratio;* quia in Baptismo peragitur regeneratio *Ioh.* 3. v. 5. Ergo. *Resp. Minor* falsa est. *Ioh.* 3. *aqua* non Sacramentum Baptismi, sed virtutem Spiritus Sancti designat. Et si maximè illud, declarandum tamen esset ex altero Christi *Marc.* 16. v. 16. Quia Infantes illi non regenerentur.

II. Qui sine perceptâ Christi gratiâ decedunt, sub potestate Satanæ manent, eoque damnantur. Infantes fidelium qui sine Baptismo decedunt, sine perceptâ Christi gratiâ decedunt. Ergo. *Resp.* Iterum falsa est *Minor.* Percipiunt Christi gratiam, Quia decedant non perceptâ Christi gratiâ.

non quidem internâ cordis apprehensione, aut externâ Baptismi obsignatione, sed ineffabili Spiritus Sancti applicatione; secundum promissionem ipsis ac parentibus in federe factam *Genes.* 17, vers. 7.

Ex natura *Prædicati*:

Quia non fuerint in deliciis.

I. Qui non fuerunt in deliciis, non debent sentire tormentum *Apoc.* 18. v. 7. Infantes sine Baptismo decedentes non fuerunt in deliciis. Ergo. *Resp.* Hinc rectè inferas, nullâ prorsus pœnâ afficiendos esse. Sed *Ratio* est planè impertinens; quia dicitur illud non de infantibus, sed de Meretrice Babylonicâ; nec de futuræ, sed de præsentis vitæ pœnis.

Quia peccatũ Orig. tollat tantum ordinem supernaturalem ad Deum.

II. Quod non tollit in homine ordinem naturalem ad Deum, sed supernaturalem tantùm; pœnam damni non sensus meretur. Peccatum Originale, quocum decedunt infantes non Baptizati, non tollit in homine ordinem naturalem ad Deum, sed supernaturalem tantùm. Ergo. *Resp.* Utraque Propositio falsa est. *Major*; quia *stipendium peccati mors est Rom.* 6. v. 23. *Minor*; quia peccatum Originale, ut naturæ integræ destructio, sic ordinis naturalis ad Deum turbatio ac sublatio est.

LOCUS

LOCUS DECIMUS

De

PERSONA & OFFICIO CHRISTI.

Controversiæ de Christo *partim ejus* Personam, *partim* Officium *concernunt.*

De PERSONA *Controversiæ sunt*

Samosatenianorum :

An Filius Dei Naturam Humanam assumserit in Personæ suæ Unitatem, ut sic Christus Deus & Homo sit in una Persona?

Anabaptistarum :

An Christus carnem & sanguinem ex substantiâ virginis Mariæ assumserit?

Pontificiorum :

An anima Christi ab ipsâ sui creatione ita repleta fuerit scientiâ & gratiâ, ut nihil unquam didicerit, neque ullam tristitiam, aut perturbationem senserit?

Lutheranorum :

An Naturæ Humanæ Christi per unionem personalem communicatæ sint essentiales Dei proprietates, Omnipræsentia, Omniscientia, Omnipotentia, & Vis vivificandi?

De OFFICIO *Controversiæ sunt*

Samosatenianorum :

I. An Christus propter officium Propheticum & Regium dicatur Deus, Filius Dei, & Servator noster?

II. An Christus passionibus, sanguine, ac morte suâ Deo Patri pro peccatis nostris satisfecerit, remissionem illorum nobis acquisiverit, sicque λύτρῳ sui interventu nos verè ac propriè redemerit?

Pontificiorum:

I. *A*n Christus secundum utramque naturam sit noster Mediator?

II. *A*n Christus in cruce mortuus secundum animam suam ad loca infernalia, limbum Patrum, limbum infantum, purgatorium & gehennam, verè, propriè ac re ipsâ descenderit?

III. *A*n idem Patres omnes Vet. Testamenti ex limbo, alios nonnullos etiam ex purgatorio, infantes verò ac damnatos nullos ex limbo & gehennâ liberarit?

Lutheranorum:

*A*n satisfactio Christi sit universalis?

EXEGESIS.

HOc caput Doctrinæ, quod luculentissimum, totiusque Christianismi fundamentum est, in controversiam vocatur ab omnibus nostris adversariis: *Samosatenianis*, *Anabaptistis*, *Pontificiis*, & *Lutheranis*. Quos inter etsi primi gravissimè errant, cæterorum tamen non leves sunt aut contemnendi errores; ut contra universos præmuniendi sint animi, ne ipsorum fallaciis à veri tramite abducti deficiant. Recensuimus verò in Elencho controversias non omnes, sed principales, rejectis tum iis quæ apertam calumniam habent, tum aliis quæ principalibus subordinatæ sunt. Reperiuntur etiam, quæ ad alia loca pertinent. *An præter Christum Angeli, Sanctique defuncti sint mediatores Intercessionis apud Deum? An præter eundem in Novo Test. sint alii propriè dicti, sed secundarii Sacerdotes? An caro Christi quicquam prosit?* Et quæ sunt hujus generis plures.

Christus sibi nihil meritus est propriè.

Quæstionem: *An Christus sibi aliquid meruerit?* quam post Scholasticos renovavit *Bellarminus*, ut ambiguam distinguimus.

De *merito* propriè dicto omnino neganda est. Nam quâ *Deus*, quid opus ut sibi aliquid mereretur? aut quæ Deitati per meritum fieri potuit accessio? quâ *Homo*, quid mereri potuit creatura de creatore? *Luc.* 17. vers. 10. quomodo etiam mereri is, qui confessione Pontificiorum his in terris non viator, sed comprehensor erat? De *Præmio* autem, Passiones ipsius secundum œconomiam decreti divini consequuto, & ab ipso Christo in peragendo redemtionis negotio, non primariò, *Matth.* 20. vers. 28. *Galat.* 4. v. 4. 5. sed secundariò, *Ioh.* 17. v. 1. 5. spectato affirmatur, & testimoniis Scripturarum, *Philip.* 2. v. 8. *& seqq.* *Luc.* 24. v. 26. *Apoc.* 5. v. 9. confirmatur.

Sunt etiam quæstiones quædã *Lutheranorum* huc pertinentes, similiter ambiguæ, quas verbo attigisse, explicasse haud abs re fuerit.

Prima: An in Christo sit duplex unio hypostatica? Resp. Duplex quidem unio est, animæ & corporis in naturâ, & naturæ Divinæ ac Humanæ in personâ; at non duplex sed unica unio hypostatica, quemadmodum una tantùm est Christi Persona. Nec aliud Nostri sentiunt aut docent.

In Christo unica tantum est unio hypostatica.

Secunda: An Λόγος sit extra carnem assumtam? Resp. Si extra carnem esse, est separatum exsistere à carne, negatur. Sin, non esse commensuratum aut inclusum carni, affirmatur. Atque hoc vult *Catechesis* dum ait; *Divinitatem quæ comprehendi nequit, & omni loco præsens est, esse etiam extra naturam Humanam, & nihilominus ei personaliter unitam permanere.*

Λόγος extra carnem etiam citra separationem.

Tertia: An communicatio Idiomatum sit verbalis? sit tropus? Resp. Communicatio Idiomatum aliquando accipitur pro *communione proprietatum* in Persona Christi; aliquando pro *Phraseologia Scripturæ*, quâ communionem illam nobis declarat: quam veteres κοινωνίαν ὀνομάτων *communionem nominum*, τρόπον ἀντιδόσεως *modum mutuæ Prædicationis* propriè; Scholastici, maximè recentiores κοινωνίαν ἰδιωμάτων *communicationem idiomatum*, impropriè & καταχρηστικῶς dixerunt. *Prior* verè realis est, ex ipsarum naturarum unione, adeoque totius & partium condicione fluens. *Posterior* verbalis est, sed in rei veritate fundata, sicut dici de aliquo requirit inesse. *Prior* tropica non est; quia tropus est schema λέξεως, communis illa affectio rei, id est, naturarum personaliter unitarum. *Posterior* autem est tropus, quia est Synecdoche ad naturam totius vel partis pertinens.

Quatenus communicatio Idiomatum sit verbalis vel realis: tropus vel non.

Quarta:

Communicationis idiomatum strictè est genus unum:

Quarta: *An sint distincta genera communicationis Idiomatum?* Resp. *Strictè* & cum Veteribus loquendo unum tantùm genus est communicationis idiomatum, sive communionis nominum; quo Personæ, ab unâ naturâ voce concretâ denominatæ, tribuuntur proprietates alterius naturæ propter unitatem Personæ. ut Ioh. 3. v. 13. *Filius hominis descendit de cœlo*; *Filius hominis*, in terra loquens, *est in cœlis*. *Galat*. 4. v. 4. *Filius Dei factus est ex muliere*. *Latè* verò acceptâ voce, plura ejus genera dari possunt. I. Quum proprietates alterius naturæ, prædicantur de Personâ denominatâ ab utrâque naturâ; ut *Matth*. 16. v. 16. *Iesus Christus est Filius Dei viventis*. *Philipp*. 2. v. 5. 6. *Christus Iesus est in forma Dei*. *Roman*. 8. v. 33. *Christus est mortuus, resuscitatus*. II. Quum Personæ ab alterâ naturâ denominatæ, tribuitur ἀποτέλεσμα utriusque naturæ; ut *Actor*. 20. v. 28. *Deus redemit Ecclesiam proprio sanguine*. Rom. 5. v. 19. *Per unum hominem justi constituentur multi*. III. Quum ἀποτέλεσμα ab utriusque naturæ operationibus dependens, tribuitur Naturæ Humanæ; ut 1. *Ioh*. 1. v. 7. *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato*. De quibus attributionis modis alibi dictum.

Latè genera plura.

Qualis sit prædicatio in propositionibus *Deus est Homo*. &c.

Quinta: *An sit prædicatio Synonymica aut Tropica in Propositionibus, Deus est Homo, Homo est Deus?* Resp. Consideratione *Logicâ*, est Prædicatio Synonymica vel Paronymica; *Rhetoricâ* verò, prædicatio Tropica. *Synonymica*; quum subjectum & prædicatum sumuntur concretivè propter unitatem Personæ, ut sensus sit: Persona, quæ Deus, etiam Homo est; sic enim species infima prædicatur de individuo extraordinario & singulari. *Paronymica*; quum subjectum quidem concretivè, at prædicatum abstractivè sive partialiter sumitur, ut sensus sit: Persona, quæ Deus, habet humanitatem. nam ita pars prædicatur de toto. *Tropica* denique; quia subjectum & prædicatum eandem quidem designant Personam, verùm κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, illud quoad Deitatem, istud quoad Humanitatem & vicissim; ubi Synecdoche totius pro parte, eoque tropica prædicatio, negari nequit. Verum quidem est, neutram naturam esse de alterius essentiâ, eoque nec prædicari de alterâ in quæstione quid sit; interim utraque est de substantia Personæ θεανθρώπου, & prædicatur de Christo in quæstione quid sit. Sic, etsi Deus non habet rationem generis aut speciei propriè, habet tamen Analogicè; nec disparatum est ad hominem Christum, sed unum personale

cum

cum eo. *Tropica* Prædicatio *Deus est Homo*, & *Homo est Deus* non resolvitur in hanc propriam, *Deitas est Deus*, *Humanitas est Homo*; verùm in istam: *Christus Deus secundum Deitatem*, *est Homo secundum Humanitatem; & vicißim*. Quomodo etiam quoad subjectum alteram resolvimus, *Deus est passus*, id est Christus, qui Deus est secundum Deitatem, passus est, at non Deitate, verùm carne, ut Petrus docet 1. *Epist*. 4. v. 1. Atque has prædicationes propter materiã, sive subjectum, *Insitatas* dicendas, non modò ultrò concedimus, verùm etiam ipsi urgemus. Est namque illud inusitatum, extraordinarium, singulariter admirabile, & admirabiliter singulare, cujus non est aliud exemplum in totâ rerum naturâ, ut *Melanchthon* loquitur. Interim forma sive modus attributionis tam est usitatus quàm usitatum est speciem de individuo, partem de toto enunciari. Hæc παρελεγομένως. Nunc ad rem.

Controversiæ de PERSONA *Christi*.

De *Persona*:

Samosatenianorum:

Prima: Samosatenianorum. *An Filius N. Humanam assumserit in unitatem Personæ?*

An Filius Dei Naturam Humanam assumserit in Personæ suæ unitatem; ut sic Christus Deus & Homo sit in unâ Persona? Samosateniani negant, *Ostorodius Institut. Relig. Christ. cap.* 17. Nos affirmamus.

Non quæritur hoc loco, de veritate Naturæ Humanæ; ea siquidem utrinque in confesso est, nec etiam de veritate naturæ aut hypostaseως Filii Dei; quia Controversia illa *Loco* III. *de Deo* prolixè explicata est: Verùm agitur de Incarnatione Filii Dei, de duabus in Christo naturis, deque Naturæ Humanæ subsistentia; nimirum, *An Filius Dei sit incarnatus? An in Christo sint duæ naturæ? An Natura ejus Humana sit ἀνυπόστατος in se, ἐνυπόστατος in λόγῳ?* Quæ tria capita unica hæc controversia complectitur. Nos sicut sententiam affirmantem de singulis tenemus, ita sigillatim confirmabimus.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti & Prædicati*:

I, Pro *Primo membro.*

Quod Filius Dei sit incarnatus.

Qui assumsit semen Abrahæ, particeps factus carnis & sanguinis, similis factus hominibus per omnia excepto peccato, qui exsistens in forma Dei accepit formam servi, factus est caro, manifestatus est in carne, & in eâ cum omni Deitatis suæ plenitudine personaliter habitat, is incarnatus est; sive, is Naturam Humanam assumsit, sibique personaliter univit. Atqui Filius Dei assumsit semen Abrahæ &c. Ergo. *Majoris* evidens est ac necessaria consequentia. *Minorem* probant apertissima Scripturæ testimonia. *Hebr.* 2. v. 16. *Non Angelos, sed semen Abraha assumsit.* v. 14. *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoque consimiliter particeps factus est eorundem.* v. 17. *Debuit per omnia fratribus similis fieri excepto peccato,* cap. 4. v. 15. *Phil.* 2. v. 6. 7. 8. *Christus quum esset in formâ Dei, ipse se exinanivit, acceptâ formâ servi, similis hominibus factus, & habitu inventus ut Homo. Iohann.* 1. v. 14. *Verbum caro factum est.* 1. *Tim.* 3. v. 16. *Deus manifestus factus est in carne.* Coloss. 2. v. 9. *In Christo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter,* id est, substantialiter sive personaliter.

Exceptiones Samosatenianorum.

Dictum *Hebr.* 2. v. 16. depravatum

Hebr. 2. v. 16. Verbum ἐπιλαμβάνεσθαι hoc loco assumtionem non in unitatem Personæ, sed in curam ac patrocinium significat: *Ratio prioris* est; quia alioquin Filius Dei totum semen Abrahæ assumsisset, cum vox illa collectiva sit, & multitudinis nota, ut antithesis docet. *Ratio posterioris* est, quia per *semen Abraha* intelliguntur credentes, *Rom.* 4. v. 16. *Gal.* 3. v. 29. quos in cœlum receptus curâ singulari complectitur. *Resp.* Ἐπιλαμβάνεσθαι semen Abrahæ, est participem fieri carnis & sanguinis, ex v. 14. est fieri fratribus in naturâ & affectionibus, excepto peccato, per omnia similem ex v. 17. *Semen Abraha* dicitur quidem nonnunqam *collectivè*, sive de fidelibus & infidelibus, i. e. filiis carnis & promissionis simul, *Gen.* 12 v. 7. *Rom.* 9. v. 7. sive de fidelibus

Explicatur:

Semen Abrahæ hîc individuum notat.

fidelibus tantum *Rom.* 4. *v.* 16. *Gal.* 3. *v.* 29. At non semper. Nam etiam *singulariter* de uno aliquo individuo usurpatur; de Jismaële, *Gen.* 21. *v.* 13. de Christo, *cap.* 22. *v.* 18. *cap.* 26. *v.* 4. collatis cum *Act.* 3. *v.* 25. *Gal.* 3. *v.* 16. Hoc significatu vocem accipit Apostolus *Hebr.* 2. *v.* 16. Etenim doctrinam de Incarnatione & fine ejus confirmat auctoritate Scripturæ, passim testificantis, Christum secundum promissiones Naturam Humanam ex semine i. e. posteris Abrahæ, ac nominatim ex Mariâ virgine assumsisse. Nec enim Naturam Humanam assumsit ἐν τῷ εἴδει, verùm ἐν ἀτόμῳ; cum non illo, sed isto modo factus sit particeps carnis & sanguinis. Dum igitur negatur assumsisse Angelos, vi oppositionis negatur assumsisse Naturam Angelicam, quæ est in Angelis, & quam assumturus fuisset ἐν ἀτόμῳ, siquidem in suâ Personâ redimere Angelos debuisset. Ita vindicata est orthodoxa loci hujus expositio. *Hæretica depravatio* de assumtione in curam non uno modo refellitur. I. Verbum ἐπιλαμβάνεσθαι eo sensu nec reperitur usquam, nec ad rem facit. II. A curâ illâ excluduntur Angeli, antithesi disparatorum. A curâ Christi capitis, in munere suo exaltati, Angeli boni non excluduntur; ut qui Ecclesiæ triumphantis membra sunt *Hebr.* 12. v. 22. Ergo. III. Christus semen Abrahæ assumsit in terris, ut antecedentium & consequentium collatio docet. Ergo non demum in cœlis; ut habet sententia Samosatenianorum. Vindicatur.

Phil. 2. vers. 6. 7. 8. *Primò:* Non loquitur Apostolus de Incarnatione, quæ vulgo Mysterium habetur, sed de humilitate Christi nobis imitanda, ut est v. 5. *Secundò:* *Forma Dei* non denotat essentiam divinam, sed figuram, speciem, apparentiam. I. Quia Apostolus non usus est vocabulo illo Philosophicè. II. Quia in antithesi, v. 7. 8. & *Marc.* 16. v. 12. sic usurpatur. III. Quia forma illa declaratur per æqualitatem, sive similitudinem cum Deo, non absolutam sed qualemcunque, positam *tum* in potentiâ ac virtute divinâ, quâ præsens absens miracula patravit, universis cum effectu imperavit; *tum* in honore, quod propter illam potentiam ubique aliquos habuit, qui ad ipsum confugerent, ipsum supplices adorarent, colerent. IV. Quia de Deo nulla ratione dici potest, quod divinam suam naturam sive essentiam non sit rapinam arbitratus. *Tertiò:* *Forma servi* ser- Dictum *Phil.* 2. v. 6. *& seqq.* depravatum.

vilem & abjectissimam Christi condicionem, non Humanam ejus Naturam significat. I. quia acceptâ formâ servi factus dicitur *sicut homo*, non autem factus homo. II. quia dicitur *habitu compertus ut homo*; quod non de interiore formâ, sed de exteriore vitæ actionumque figurâ intelligendum est. *Resp.* Antequam his textus Apostolici corruptelis respondeatur, quid sit *forma Dei*, quid *forma servi*, necessariò declarandum & demonstrandum est. *Forma Dei*, μορφὴ τοῦ θεοῦ, est natura sive essentia Dei, non nuda, verùm proprietatibus suis ac gloria quasi vestita. *Forma servi*, μορφὴ δούλου, est natura sive essentia humana, non nuda, sed partim cum proprietatibus suis essentialibus & naturalibus, partim cum servili & abjectâ conditione conjuncta. Utraque expositio non aliunde, quàm ex ipsis loci hujus circumstantiis eruitur. *Prior de forma Dei.*

Explicatur.

Forma Dei quid.

I. Christus jam substitit in formâ Dei, cum acciperet formam servi, hominibus similis fieret, & habitu ut homo comperiretur. Ergo forma Dei non est species sive apparentia Humanæ Naturæ gloriosa, sed essentia Divina. II. Christus subsistens in forma Dei, aut substitit in formâ substantiali aut accidentali. Non in accidentali: quia nemo subsistit in suis accidentibus, ut quæ per inhærentiam insunt. Ergo in substantiali. Sed forma Dei substantialis est ipsa Dei essentia, ut quæ ex materia & forma composita non est. III. Per quod Christus est par Deo; id ipsa Dei essentia est, non aliquod accidens. Per formam Dei Christus est par Deo. Ergo. IV. Forma accidentalis Humanæ in Christo naturæ, nec est ὑφιστάμενον, nec sola agit: *Ratio*; quia actiones sunt suppositorum. Atqui Christus in formâ Dei est ὑφιστάμενον, & solus agit, ut de quo dicitur *ipse se exinanivit acceptâ formâ servi*. Ergo. Rectè igitur concludimus formam Dei esse essentiam Dei. Eam tamen non nudè, sed cum proprietatibus suis ac gloriâ concipimus. Est siquidem perfecta cum Deo æqualitas, quæ opponitur formæ servi: Et exinanitio in forma servi præsupponit summam gloriam in forma Dei. *Posterior de formâ servi.* I. Forma Dei notat essentiam divinam cum gloriâ, ut demonstratum est. Ergo forma servi, in quâ similis hominibus factus est, notat essentiam humanam cum ignominiâ. Consequentiæ vis est in antithesi & exinanitione Christi. II. Nemo nisi substantialis formæ ratione dici potest ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος: *Ratio*; quia similitudo illa ipsam Naturæ Humanæ conformationem & veritatem notat *Gen.* 5. v. 3.

Forma servi quid.

Atqui

Atqui Christus acceptâ forma servi ita factus est, ut tum hîc, tum *Rom.*8.v.3.*Heb.*2.v.11.14.16.17. docetur. Ergo. III. Cuicunque tribuuntur propria,& conditiones soli Naturæ Humanæ propriæ; eidem & naturæ veritas tribuitur. Atqui formæ servi in Christo tribuuntur: Habitu enim compertus est ut homo. Ergo. go. Hæc ad *κατασκευὴν veri* sufficiunt. Superest *ἀνασκευὴ falsi* in censurâ exceptionum. *Prima* inconsequens est: Agit Apostolus de humilitate Christi nobis imitandâ. Ergo non de incarnationis mysterio. Etenim argumentum hortationis petit ab exemplo Christi,qui cum esset in forma Dei, æqualis Deo, tamen propter nostram salutem se sponte exinanivit, acceptâ formâ servi. Sensus est: Si in Christo talis affectus fuit, multo magis in nobis esse debet. *Secunda* multiplici principii petitione, falsitate, & ambiguitate laborat. I. Sensus ille vocis *μορφῆς*, quem dedimus, hîc philosophicus non est. Et ut maximè esset,quid tum? An non aliis etiam philosophorum terminis Scriptura de Deo utitur? *φύσεως*, *Gal.*4.v.8.*ὑποστάσεως*,*Heb.*1.v.3.*τοῦ ὄντος* *Apoc.*1.v.4.vel,An non æquè philosophicum est per *μορφὴν* intelligere *τὸ εἶδος*, figuram seu speciem externam? II. *Phil.*2.v.7. *μορφὴ δούλου* est Natura Humana,non species aut figura. *Marc.*16. v.12. quidem accipitur pro specie verâ,ut alibi derivatum *μόρφωσις* pro specie fictâ,*Rom.* 2. v.20.2.*Tim.*3.v.5.sed à particulari ad universale non valet consequentia. III. *Forma Dei* declaratur sanè per æqualitatem cum Deo,sed per æqualitatem essentiæ, per similitudinem non accidentalem,quæ in Deum non cadit, sed essentialem: per æqualitatem absolutam & naturalem, non restrictam & voluntariam. Etenim in forma Dei Christus dicitur esse,par Deo sine restrictione,*Phil.* 2. v.6. & paritas illa ad proprietates,opera,& honorem refertur *Ioh.* 5.v.18.*& seq.Cap.*10.v.28.29.30. Qui verò par Deo est proprietatibus,operibus,& honore,eidem absolutè & simpliciter par est. Aliter si esset,Christum parem Deo dicere blasphemum foret. *Quis* enim *par Iehovæ Deo nostro? Psal.*113.v.5. *Quis Deus par tibi? Mich.* 7. v.18. Excellentia potentiæ & honoris Christi, ex nostrâ quidem doctrinâ, argumentum est invictum æqualitatis ejus cum Patre, prout ipsemet Christus testatum reliquit,*Ioh.*5.*&* 10.*capp.*verum ex sententiâ adversariorum cum merè accidentalis sit, quâ fronte *ἰσότης* Christi cum Patre in eâ collocatur? An ergo Apostoli quoque pares fuerunt Deo,substiterunt in formâ Dei, quia multa stupenda

Vindicatur.

miracula patrarunt? Apagete blasphemiam. Quod verò ajunt Deum pro voluntatis suæ arbitrio posse sibi parem facere, etsi imperfectè, id simpliciter negamus, abominamur. Etenim paritas illa, vel in *essentiâ* & proprietatibus essentialibus, vel in *operationibus*, vel in *honore*, tanquam tertio, in quo comparantur extrema, consistet. At nullo horum modorum Deus sibi parem facere potest. Non *primo* modo; quia non potest negare se ipsum, quod sit unus, & quod non sit alius præter se 2.*Tim*.2.v.13 *Deut*.6.v.4.*Cap*.4.v.35. Non *secundo*; quia facit mirabilia solus, *Psal* 72.v.18. & ad operationes divinas requiritur potentia divina, quæ ab essentiâ simplicissimâ, ejusque proprietatibus inseparabilis est. Non *tertio*; quia gloriam suam alteri non dat *Esa*.42. v.8. Ergo. IV. Quod affirmat de Deo Apostolus, dici de eo potest. Divinam Naturam non arbitrari rapinam, de Deo affirmat Apostolus; quia de Christo subsistente in formâ Dei, pari cum Deo, id affirmat. Ergo. Diversa quidem horum verborum explicatio est. Verum *sive* intelligantur Christum, etsi sciverit non se per rapinam sed per naturam esse æqualem Deo, eoque gloria Deitatis suæ fruendo nulli facere injuriam; nihilominus tamen jure suo cessisse, acceptâ forma servi: *sive* alio modo, nimirum Christum, quamvis esset in formâ Dei æqualis Deo, non tamen ostentasse æqualitatem illam, sicut rapinas, spolia, in triumphis ostentare solent victores, sed occultasse in formâ servi; utrovis, inquam, modo intelligantur, nihil afferunt, quod naturæ Christi, & scopo ac dictioni Apostoli consentaneum non sit.

Quid per *rapinam* intelligatur *Phil*.2. v.6.

Tertia Exceptio conjungenda disjungit, Naturam Humanam, & servilem ejus conditionem. *Prima* ejus ratio peccat phrasi. Ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος *in similitudinem hominum factus*, est similem hominibus factum esse tam naturæ veritate, quàm status conditione. Sicut veritatem Naturæ Humanæ id porrò comprobat, quod habitu ut homo compertus fuit: Et *Heb*.2. similitudo hæc ad Naturam ipsam, proprietates ejus essentiales & naturales, adeoque etiam infirmitates, sine peccato tamen, extenditur. In *altera*, habitus quidem non est forma interior: at omne id quo agnitus & compertus fuit verus homo. Hoc verò non est sola figura vitæ & actionum, sed etiam figura sive forma externa corporis verè humani.

Dictum *Ioh*.1. v.14. depravatum,

Ioh.1.v.14. *Primò*: Verbum ἐγένετο reddendum per *erat* vel *fuit*, non per factus est. I. Quia alibi eo sensu usurpatum reperitur, *Ioh*.1.v.6. *Marc*.1.v.6. *Luc*.1.v.5. II. Quia id requirunt antecedentia,

cedentia, in quibus jam affirmatum est Christum esse hominem. *Praeterea*: *Caro* hic non simpliciter hominem, sed hominem vilem, abjectum, infirmum significat. Quæ causa fuit, ut à populo suo non reciperetur. *Denique*: si admittatur versio recepta, *Sermo factus est caro*; nihil tamen aliud sequitur, quàm eum, qui potens erat sermonibus & operibus, *Luc*.24.v.19. & propter potentiam miracula patrandi Deo quasi par, *Phil*.2.v.6. aliis hominibus, etiam peccatoribus, similem factum esse, eo quod se omnibus calamitatibus ipsique crucis morti subjecit, *argumento locorum Gal*.3. v.13. *Rom*.8.v.3. 2.*Cor*.5.v.21. *Resp*. *Prima exceptio* glossa est textui contraria. Etenim Iohannes apertè distinguit esse τῦ λόγυ, ab esse carnis; id quod erat Christus ab æterno, ab eo quod in tempore factus fuit. *Prius* significat verbo ἦν, sine omni principii ortusve notatione; quia jam in principio erat sermo, erat apud Deum, erat Deus *Ioh*.1.v.1. *Posterius* significat verbo ἐγένετο, quod principii ac ortus connotationem habet; quia in plenitudine temporis emisit Deus filium suum *Gal*.4.v.4. Ex quo est, quod participialiter dicitur γενόμενος ἐκ σπέρματος Δαβίδ, *Rom*.1.v.3. γενόμενος ἐκ γυναικὸς *Gal*.4.v.4. Quod alibi sensu diverso usurpetur, non negamus: Nec enim una vox in eodem semper accipitur significatu. Sed & hujus significationis varia exempla occurrunt, *Ioh*.2.v.9. *Rom*.7.v.13. 1.*Cor*.1. v.30. *Gal*.3. v.13. & aliis locis; ubi verbum γίνομαι pone sequitur nomen substantivum. *Ratio* ab Antecedentibus ducta nulla est. In illis siquidem Humanæ Christi Naturæ aut nulla mentio est, aut implicita mentio; quæ post explicitè distinctèque proponitur v. 14. Et si esset, tamen quæ sequuntur de incarnatione τῦ λόγυ, per ὑστερολογίαν in Scripturis usitatissimam, commodè subjicerentur. Ad *secundam* dicimus, omnino *carnis* vocabulo denotari Naturam Humanam cum infirmitatibus summaque abjectione, *Esa*.40.v.6. *Act*.2. v.31. 1.*Pet*.4.v.1. Sermonemque, dum factus est caro, hominem vilem, abjectum, miserum factum esse. Verum ita essentia denotatur cū suis accidentibus, quæ λόγος simul assumsit, quod est contra ipsos. Vel si per carnem sola accidentia intelligunt, elenchum admittunt oppositorum, & positis accidentibus ad tollendam substantiam vitiosissimè argumentantur. Dum etiam carnem illam prædicant de λόγῳ, ipsum infirmitatum & miseriarum illarum subjectum faciunt: id quod contra simplicem, immutabilem, ac immortalem ejus naturam est, ut alibi ostendimus. *Tertia*, *Exceptio* Vindicatur.
pura

pura puta principii petitio est, indeque refellitur apertissimè, quod λόγος factus dicitur caro ante illos sermones, opera, & potentiæ demonstrationem, ut connexio docet. Loca allegata tanquam impertinentia, & sententiæ adversariorum nihil patrocinantia mittimus.

II. *Pro Secundo membro:*

Quia in Christo sunt Duæ naturæ.

Cui tribuuntur in Scriptura Nomina, Attributa, & Opera Divina ac Humana, adeóque ea quæ contradictoria videntur, in persona verò ejus ad Divinam vel Humanam Naturam restringuntur; in illo sunt duæ Naturæ, Divina & Humana: is est Deus & Homo, in unâ personâ. Atqui Christo tribuuntur in Scriptura &c. Ergo. *Major* probationem non requirit. *Minor* demonstratur per partes. I. Tribuuntur Christo *Nomina* Divina & Humana; quia dicitur *Immanuel*, id est, θεάνθρωπος, *Matth.* 1. v. 23. *Deus*, 1. *Tim.* 3. v. 16. *Actor.* 20. v. 28. *Filius Dei*, *Luc.* 1. v. 35. *Matth.* 16. v. 16. *Homo*, 1. *Tim.* 2. v. 5. *Filius Hominis*, *Ioh.* 3. v. 13. *Filius Abrahæ*, *Davidis*, *Matth.* 1. v. 1. *Cap.* 22. v. 42. *Mariæ*, *Marc.* 6. v. 3. II. *Attributa* Divina; ut Æternitas, *Iohann.* 1. vers. 1. Omnipræsentia, *Matt.* 18. v. 20. *Cap.* 28. v. 20. Omniscientia, *Ioh.* 16. v. 30. *cap.* 21. v. 17. Omnipotentia *Ioh.* 5. v. 19. *Apoc.* 1. v. 8. Humana; ut finitio in loco, *Matth.* 28. v. 6. *Ioh.* 11. v. 15. in tempore, *Luc.* 2. v. 42. *Cap.* 3. vers. 23. corporea quantitas, *Luc.* 24. v. 39. 1. *Ioh.* 1. v. 1. figura, *Philipp.* 2. v. 8. III. *Opera* Divina, ut remissio peccatorum, *Matth.* 9. v. 2. patratio miraculorum, *cap.* 11. v. 5. resuscitatio mortuorum *Ioh.* 5. v. 28. 29. Humana, ut profectus in sapientia & statura, *Luc.* 2. v. 52. comestio & bibitio, *Matth.* 11. v. 19. lacrymæ, *Iohann.* 11. v. 35. *Luc.* 19. v. 41. delassatio ex itinere *Iohann.* 4. vers. 6. IV. Quæ *Contradictoria* videntur, ut esse filium Abrahæ, & tamen ante eum fuisse, *Ioh.* 8. v. 58. esse filium & dominum Davidis, *Matth.* 22. v. 42. 43. esse in cœlo & in terra, *Ioh.* 3. v. 13. habere gloriam priusquam mundus esset, & glorificationem petere, *Ioh.* 17. v. 5. scire omnia, & non scire diem judicii *Iohan.* 16. v. 30. *Marc.* 13. vers. 32. V. In Personâ Christi ad Divinam vel Humanam Naturam *restringuntur*: *Marc.* 2. v. 8. *Iesus cognovit cogitationes spiritu.* *Rom.* 1. v. 3. 4. *Ortus ex semine Davidis secundum carnem, declaratus*

tus filius Dei potenter secundum spiritum sanctificationis. Cap. 9. vers. 5. Christus est ex Patribus, quod ad carnem attinet, qui est supra omnes Deus benedictus in secula. 1. Petr. 3. v. 18. Morte quidem affectus carne, vivificatus autem spiritu. Cap. 4. vers. 1. Christus passus est pro nobis carne.

Contra hæc quæ *excipiunt Samosateniani* Divinam Christi Naturam concernentia, jam ante refutata sunt.

III. Pro *tertio membro* duplex est:

Prima: Qui ὑπάρχων exsistens in forma Dei, accepit formam servi, similis hominibus factus; accepit semen Abrahæ similis factus fratribus per omnia excepto peccato; in eo Natura Humana per se ἀνυπόστατος est. Atqui Christus ὑπάρχων in forma Dei &c. Ergò. *Minor* traditur *Philip.* 2. v. 6. 7. *Hebr.* 2. v. 16. 17. *Major* probatur; quia accipiens formam servi, assumens semen Abrahæ jam erat Persona; ut qui ὕπαρξιν suam habuit in formâ Dei, & operationes suppositorum proprias exercuit: acceptũ verò sive assumtum non persona, sed natura; sicut appellatur non homo, sed *caro, Ioh.* 1. v. 14. non servus, sed *forma servi, Phil.* 2. v. 7. *semen Abrahæ Heb.* 2. v. 16. *Secunda*: Cum una sit Christi personalitas, sicut unus Christus est, 1. *Tim.* 2. v. 5. *Eph.* 4. v. 5. illa vel à Naturâ *Divinâ*, vel à Naturâ *Humanâ*, vel ab *utrâque* dependet. Atqui *non* dependet *à Naturâ Humanâ*. I. quia λόγος jam erat in principio, *Ioh.* 1. v. 1. Christus exsistebat in forma Dei antequam carnem assumeret *Phil.* 2. v. 6. 7. II. quia Ignobilius, inferius, non est subsistentia nobilioris & superioris. Natura Humana inferior, ignobilior est Divinâ. Ergo. *Non* etiam dependet *ab utrâque*. I. quia sic imperfecta fuisset personalitas τοῦ λόγου ante Incarnationem. II. quia Natura Divina & Humana coivissent in tertiam aliquam personalitatem, prout in hominibus fit, quorum anima & corpus in naturam simul & personam uniuntur. At hoc non fit. I. quia λόγος non venit in compositionem propriè dictam. II. quia caro non in personam, sed in personâ λόγῳ unita fuit, secundum receptam sententiam. Sequitur ergò personalitatem, *à Naturâ Divinâ*, quæ persona simul & natura est, dependere: Humanam Naturam verò propriâ personalitate destitutam, & in λόγῳ subsistentem, rectè sui respectu ἀνυπόστατον, τοῦ λόγου autem

Quod Humana N. Christi sit ἀνυπόστατος in se, ἐνυπόστατος autem in λόγῳ.

consideratione, in quo subsistit, ἐνυπόστατον, inexsistentem dici.

Negantes Heterodoxa.

Rationes Samosatenianorum.

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia Christus sit unus.

I. Deus & Homo non sunt unus. Christus est unus. Ergo Christus non est Deus & Homo. *Minor* est Scripturæ 1. *Tim.* 2. v. 5. *Ephes.* 4. v. 5. *Major* patet; quia Deus & Homo sunt disparata. Disparata autem non sunt unum numero. Nec valet exceptio de Christo: Is enim verus ac perfectus homo cum sit, personalitate humanâ carere nequit. *Resp. Major* ut & *probatio* ejus absolutè & Physicè vera; restrictè & Theologicè in supposito illo extraordinario falsa est. Nec verò carentia propriæ personalitatis, Humanæ Naturæ Christi sive *veritati*, sive *perfectioni* quicquam derogat. Non *illi*; quia veritatem Naturæ Humanæ ex materia, forma, & proprietatibus, non ex personalitate metimur; quod usque adeo verum est, ut alia sit Naturæ, alia Personalitatis definitio. Non *isti*; quia Personalitas non pars sed terminus quasi naturæ est; quem quia in subsistentiâ non creatâ, verum increatâ sortitur, eo ipso longè perfectior est, quàm si à λόγῳ separata per se subsisteret.

Quia à Patre unctus, & Spiritu S. inde ab utero repletus fuerit.

II. Qui unctus à Patre, & Spiritu Sancto inde ab utero repletus fuit; is Deus & Homo in unâ Personâ non est. Atqui Christus à Patre unctus, & Spiritu Sancto inde ab utero repletus fuit. Ergo. *Minoris* veritas, nititur testimoniis Scripturæ. Consequentia *Majoris* hâc ratione; quod qui ipse Deus est, unctione & donis alterius minimè eget. *Resp.* Consequentia *Majoris*, quæ nulla est, subjectâ ratione haudquaquam firmatur: I. quia alter ille, sive Deus Pater, sive Deus Spiritus Sanctus non essentiâ divinâ, sed solâ ὑποστάσει à Deo Filio diversus est, eoquè quicquid ita facit, id Filius, pro naturâ operationum ad extra, similiter facit. II. quia non eget unctione illâ absolutè, sed relatè, quoad munus mediatorium secundum dispositionem consilii divini; neque donis Spiritus Sancti eget in Naturâ Divinâ, verùm in solâ Humanâ.

Ex natura *Prædicati:*

I. Qui ut Deus & Homo nec promiſſus in Veteri, nec in Novo Teſtamento exhibitus eſt; is talis non eſt. Atqui Chriſtus ut Deus & Homo nec promiſſus in Veteri, nec in Novo Teſtamento exhibitus eſt. Ergo. *Minor* probatur: *Non promiſſus in Veteri Teſt.* quia promiſſiones non de Deo, ſed de ſemine mulieris, *Geneſ.* 3. v. 15. de ſemine Abrahæ, *cap.* 22. v. 18. de Propheta, *Deut.* 18. v. 18. de filio virginis, *Eſa.* 7. v. 14. germine Davidis, *Ierem.* 23. verſ. 5. loquuntur. *Non exhibitus in Novo Teſtamento;* I. quia nihil de conceptione ejus, qui Deus & Homo futurus eſſet, Mariæ aut Joſepho nunciavit Angelus. II. quia Euangeliſtæ in deſcribendâ Chriſti nativitate hujus non meminerunt. III. quia Chriſtus nuſpiam ſe Deum vocat. IV. quia Apoſtoli Chriſtum hominem tantùm eſſe docuerunt *Actor.* 2. 3. 4. 5. *& ſeqq. capp.* *Reſp. Minor* falſa eſt utroque membro. *Probatio prioris* ex Scripturâ Veteris Teſtamenti deducta, inconſequentiâ multiplici laborat; I. quia procedit à particulari ad univerſale: Illis locis expreſſa mentio Deitatis non habetur. Ergo nec aliis. Atqui alibi idem Chriſtus *Iehova*, *Hoſ.* 1. v. 7. *Iehova juſtitia noſtra*, *Ier.* 23. v. 6. *Deus*, *Pſal.* 45. v. 8. *Deus fortis*, *Eſa.* 9. v. 6. *Dominus*, *Pſalm.* 110. v. 1. appellatur. II. conjuncta divellit: Nam qui, *Eſa.* 7. v. 14. dicitur *filius virginis*, etiam *Immanuel* vocatur; qui *Ierem.* 23. v. 5. *germen Davidis*, etiam *Iehova juſtitia noſtra.* III. Ἀποτελέσματα quæ Semini mulieris, Abrahæ, quæ Prophetæ illi tribuuntur, Divinæ ejus Naturæ documenta ſunt. *Probatio poſterioris* ex Scripturâ Novi Teſtamenti, quot partes tot mendacia habet; nam I. Cujus conceptionem & nativitatem initio Mariæ, inde Joſepho nunciat Angelus, eundem *Filium Dei* vocat *Luc.* 1. verſ. 35. II. Euangeliſtæ in deſcribendâ Chriſti nativitate hujus disertè meminerunt: *Matthæus*, qui Chriſtum *Immanuelem*, id eſt, θεάνθρωπον nominat *cap.* 1. v. 23. *Marcus*, qui hiſtoriam Euangelicam ſic orditur *Principium Euangelii Ieſu Chriſti Filii Dei* *cap.* 1. v. 1. *Lucas*, qui naſciturum ex Maria ſimiliter vocat *Filium Dei*, *cap.* 1. v. 35. *Altiſſimum*, v. 76. *Dominum, ibid.* *Iohannes*, qui λόγον carnem factum eſſe teſtatur *cap.* 1. v. 14. III. Chriſtus ſe quoque *Deum* appellavit; quia multoties profeſſus eſt, eſſe ſe

Quia ut Deus & Homo nec in V. T. promiſſus, nec in N. exhibitus fuerit.

Filium Dei unigenitum, unum cum Deo, parem ei proprietatibus, operibus, honore, gloriâ jam ante conditum mundum habitâ. *Iohann.* 3. v. 16. *Matth.* 16. v. 16. 17. *Cap.* 26. v. 64. *Ioh.* 5. v. 18. 19. *& seqq.* *Cap.* 10. v. 28. 29. 30. *Cap.* 17. v. 5. Quod verò non semper id fecit, inde est, quod gloriam Deitatis suæ per exinanitionem occultavit in formâ servi, factus Patri obediens usque ad mortem *Phil.* 2. v. 7. 8. IV. Quia Apostoli Christum Jesum ut Deum & Hominem, ut Deum manifestatum in carne, ut eum qui ortus est ex Patribus secundum carnem, declaratus Filius Dei secundum Spiritum Sanctificationis; non autem ut nudum hominem prædicarunt: quod tam acta ipsorum, quàm epistolæ testantur.

Quia propter gloriam exaltationis Deus vocetur.

II. Qui propter Naturam Humanam Homo, propter gloriam exaltationis verò Deus vocatur; is Deus & Homo non est in unâ Personâ. Atqui Christus propter Naturam Humanam Homo, propter gloriam exaltationis Deus vocatur *Actor.* 2. v. 36. *Phil.* 2. v. 9. 10. Ergò. *Resp.* *Minor* altero membro Prædicati falsa est: Nam Deus vocatur; quia Pater ipsi Naturam Divinam generando communicavit, ut alibi docuimus. Propter exaltationis verò gloriam dicitur Dominus, Princeps, Servator, sc. in munere mediatorio exaltatus *Actor.* 5. v. 31. & alibi. *Act.* 2. & *Phil.* 2. nomen Dei ipsi non tribuitur, sed priore loco *nomen Domini* & *Christi*; posteriore *nomen supra omne nomen*, id est, summa gloria.

Anabaptistarum.

Secunda: Anabaptistarum. An Christus Carnem & sanguinem ex substantia virginis Mariæ assumserit?

An Christus carnem & sanguinem ex substantiâ virginis Mariæ assumserit? Anabaptistæ negant, *Colloquii Francothal. artic.* 3. *& Emdani artic.* 4. Nos affirmamus.

Status Controversiæ.

Anabaptistarum inter se dissensus.

In sententiâ *negativâ*, Quod Christus carnem & sanguinem non assumserit ex substantia Mariæ virginis, prout nos affirmamus, nec ex substantiâ Spiritus Sancti, neque etiam per Mariam tanquam per canalem transierit; *Anabaptistæ Germani* & *Belgæ* probè consentiunt: In *affirmativâ* verò, unde igitur

igitur assumserit, dissentiunt. Etenim *Germani* id se ignorare, nihilque de eo certi habere fatentur, ut qui simpliciter acquiescant in articulo II. Symboli Apostolici, *conceptus ex Spiritu Sancto, natus ex Mariâ virgine*; *Mennonitarum* etiam ea de re sententiam apertis verbis rejiciunt & damnant. *Belgæ* autem etsi & ipsi circa affirmativam non parum tergiversantur; tamen scriptis Doctorum suorum testimoniis convicti profitentur, carnem Christi esse ex sermone vitæ, ex sermone æterno, ex semine Patris: quod semen sit verbum Dei, sicut declaratur *Luc.* 8. v. 11. 1. *Petr.* 1. v. 23. Quæ cum ita sint, de utrâque Anabaptistarum sententia distinctè nobis agendum est, & negatæ quidem veritas, affirmatæ autem falsitas solidè demonstranda.

Rationes nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa.*

Ex naturâ *Prædicati*.

Contra *sententiam Negatam*:

I. Quam carnis Christi originem ostendit nobis Scriptura in promissione Veteris, & complemento Novi Testamenti; ea & non alia ejus origo est; inde, non aliunde carnem & sanguinem Christus assumsit. Atqui ostendit nobis originem carnis Christi ex semine mulieris, Abrahami, Judæ, Davidis per virginem, quæ vera Christi mater sit. Ergo. *Minoris* veritas confirmatur per partes: I. *Ex semine mulieris.* Promissio; *Gen* 3. v. 15. *Semen mulieris conculcabit caput serpentis.* Complementum; *Heb.* 2. v. 14. *Particeps factus est carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habet imperium, id est, Diabolum.* II. *Ex semine Abrahami.* Promissio; *Genes.* 12. v. 3. *Cap.* 22. v. 18. *Benedictæ erunt in te, id est, semine tuo omnes gentes terræ.* Complementum; *Matth.* 1. v. 1. *Iesus Christus filius Abrahami. Actor.* 3. vers. 25. ubi iisdem verbis de Christo exponitur, sicut etiam *Galat.* 3. v. 16. *Hebr.* 2. v. 16. *Non Angelos sed semen Abrahæ assumsit.* III. *Ex semine Iudæ.* Promissio; *Genes.* 49. v. 10. *Non desistet tribus à Iuda, neque Legislator è medio pedum ejus, usque dum venerit filius ejus*; Heb. שִׁלֹה *secundæ ejus*, id est Christus, secundis Virginis de tribu Juda continendus, per metonymiam adjuncti. Complementum; *Heb.* 7.

Quia eam Originem Carnis Christi ostendit Scriptura.

v. 14. *Palam est è Iuda exortum esse Dominum nostrum. Apoc.* 5. v. 5. *Vicit Leo ille ex tribu Iuda.* IV. *Ex semine Davidis.* Promissio; 2. *Sam.* 7. v. 12. 13. 14. *Excitaturus sum semen post te, quod prodibit è visceribus tuis, & stabiliturus sum regnum ejus, & stabiliam solium regni ejus usque in seculum. Ego ero ei Pater, & ipse erit mihi filius. Psal.* 89. v. 37. *Semen Davidis in seculum erit. Psal.* 132. v. 11. *Iuravit Iehova Davidi, dicens: De fructu ventris tui ponam in solio tuo. Esa.* 11. v. 1. *Prodibit virgula è trunco succiso Isai, & surculus è radicibus ejus efflorescet. Ierem.* 23. v. 5. *Excitabo Davidi germen justum*, quod non modò v. 6. *Iehova Iustitia nostra*, verùm etiam *Ezech.* 37. v. 24. *David* appellatur. Complementum; *Matth.* 1. v. 1. *Iesus Christus filius Davidis. Luc.* 1. vers. 32. *Dabit ei Dominus Deus sedem Davidis Patris ipsius. Actor.* 2. v. 30. *David Propheta cum esset, & sciret Deum jurejurando sibi jurasse, fore ut ex fructu lumbi ipsius, quod ad carnem attinet, Christum illum suscitaret* &c. *Cap.* 13. v. 23. *E semine Davidis secundum promißionem excitavit Israëli servatorem Iesum* &c. *Rom.* 1. v. 3. *Filius Dei factus ex semine Davidis secundum carnem.* V. *Per Virginem*, quæ vera Christi mater est. Promissio; *Esa.* 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Complementum; *Matth.* 1. v. 22. 23. *Totum hoc factum est, ut impleretur, quod ait Dominus per Prophetam, Ecce Virgo* &c. *Luc.* 1. v. 31. *concipies in utero, & paries filium:* v. 42. *Benedictus fructus uteri tui. Gal.* 4. v. 4. *In plenitudine temporis emisit Deus filium suum factum ex muliere.*

Vindiciæ locorum.

Exceptiones Anabaptistarum.

Gen. 3. v. 15.

Genes. 3. v. 15. Sermo est non de *naturali* semine mulieris, sed de *spirituali* semine promissionis. Utrumique probant. *Prius* I. quia alioquin omnes Evæ posteri usque ad Christum fuissent semen illud promissum. II. quia sic omnes ex ipsâ geniti Christi fratres forent. *Posterius*; quia ut Serpens alius externus fuit, alius internus & spiritualis, *Apoc.* 12. v. 9. semen quoque serpentis aliud externum, aliud internum, *Iohann.* 8. v. 44. sic Mulier alia externa Eva, alia interna Ecclesia, *Apoc.* 12. v. 1. & *seqq.* & Semen ejus aliud externum, Filii Adæ, aliud internum, Christus *Resp.* Glossa opponit subordinata. Nam *semen mulieris*, quod materiæ respectu naturale dicimus, est semen promissionis. Patet; quia verba illa, v. 15. sunt promissionis; semen quoque non

non naturæ, sed promiſſionis vi in utero virginis conceptum fuit *Eſa.* 7. v. 14. *Matth.* 1. v. 23. *Luc.* 1. v. 31. Abſurdum *primum* nos non ferit: Nec enim omnes, qui ſemen Evæ fuerunt uſque ad Chriſtum, etiam fuerunt ſemen ſingularis hujus promiſſionis, à ſingulari apoteleſmate deſcriptum. *Alterum* abſurdum non eſt: Nam inter quos naturæ communio eſt inde ab uno parente, inter eos rectè ſtatuitur fraternitas. Inter omnes ex Eva genitos, atque ita inter Chriſtum (cujus etiam ortus eò reducitur, *Luc.* 3.) & alios eſt hujuſmodi naturæ communio *Hebr.* 2. v. 14. Ergo. Interim Scriptura duplices potiſſimum fratres Chriſto tribuit; alios *carnales*, ex propiore ſanguinis conjunctione, quos inde cognatos appellamus, *Matth.* 13. v. 55. *Marc.* 6. v. 3. alios *ſpirituales*, per gratiam adoptionis ipſi unigenito ac primogenito à Patre adjunctos, *Rom.* 8. v. 29. *Heb.* 2. v. 11. *& ſeqq.* è quorum numero infideles, etſi filios Abrahami ſecundum carnem eoque fratres ſuos, Chriſtus excludit *Ioh.* 8. v. 37. *& ſepq.* Allegoria pro *ſemine ſpirituali ex muliere ſpirituali*, hoc eſt, Eccleſiâ, pugnat, I. cum ipſo textu, qui articulo demonſtrativo non aliam quàm Evam, & pronomine relativo non aliud quam ipſius ſemen deſignat. II. cum aliis locis, quæ ſemen mulieris vocant ſemen Abrahami, Davidis; item fructum lumborum ejus, ut modò oſtendetur. III. cum ſeminis ſpiritualis & Eccleſiæ, prout nobis in Scripturâ deſcribuntur, conditione. Etenim *Semen ſpirituale*, aut eſt *Verbum Dei* metaphoricè, *Luc.* 8. v. 11. 1. *Petr.* 1. v. 23. aut *populus fidelis*, per metonymiam metaphoricam *Rom.* 4. v. 16. *Cap.* 9. v. 8. Si *primo* modo Chriſtus dicitur Semen, eſt ſecundum Naturam Humanam verbum Dei externum, προφορικὸν, quod prædicatur, 1. *Petr.* 1. v. 25. eſt accidens, non ſubſtantia. Sin *altero*, eſt regenitus, teſte Petro, eſt ſemen ſpirituale ut nos. Adhæc: Si Eva mulierem externam & internam adumbrat, ſicut externa mater eſt ſeminis naturalis & illud ejus filius; ita interna, id eſt, Eccleſia mater erit ſeminis ſpiritualis Chriſti, illeque viciſſim Filius hujus. Conſequens eſt contra Scripturam. I. quia ſolam Mariam vocat matrem Chriſti. At illa Eccleſia non eſt. II. quia Chriſtum vocat filium hominis, filium Mariæ, non filium Eccleſiæ. III. quia Chriſtum eſſe docet caput, fundamentum Eccleſiæ, 1. *Cor.* 3. *Epheſ.* 1. 2. 4. cui ipſa gignitur per prædicationem Euangelii *Pſal.* 110. v. 3. 1. *Cor.* 4. v. 15. Ergo

Allegoria confutatur.

Ergo mater Christi non est. Quod verò *Matth.* 12. v. 49. mater Christi dicuntur, qui præstant voluntatem Patris; id non magis Ecclesiam quàm singulos fideles matres facit. Christus autem nihil aliud significat, quàm tales sibi matris, fratrum instar charos futuros. Sic *Esa.* 9. v. 6. tantùm dicitur Filius datus Ecclesiæ, non etiam ex ea genitus fuisse. Locus *Apoc.* 12. describit quidem Ecclesiam typo mulieris, sed quæ de partu ejus propriè sumto memorat, accipienda sunt non absolutè, sed limitatè secundum membrum quoddam ejus, videlicet Mariam virginem; quum aliàs cum veritate historiæ Euangelicæ conciliari non possit. Hæc ergo est mulier illa benedicta, ex qua Filius Dei factus est homo *Luc.* 1. v. 28. *Gal.* 4. v. 4.

Heb. 2. v. 14. *Hebr.* 2. v. 14. Dictum illud non est complementum promissionis, *Genes.* 3. v. 15. & exponitur per alia dicta *Ioh.* 1. v. 14. *Hebr.* 2. v. 17. *Cap.* 4. v. 15. *Resp.* *Primum* falsum est, ut ex promissionis subjecto pariter & prædicato ostenditur. Ex *Subjecto*; quia phrasi in Scripturis usitata, quam hîc valere demonstravimus, esse hominis semen est participem esse carnis & sanguinis ejus. Ex *Prædicato*; quia conculcare caput serpentis est abolere Diabolum. Cui igitur tribuitur ἀποτέλεσμα semini mulieris proprium, is est semen illud mulieris. Christo participi facto carnis & sanguinis tribuitur. Ergo. *Alterum* pro nobis facit: Si enim carnis & sanguinis ita factus est particeps, ut factus sit caro; factus sit similis fratribus per omnia excepto peccato; equidem Naturam Humanam ex semine spirituali matris spiritualis assumere nequivit.

Gen. 12. v. 3. & *Cap.* 22. v. 18. *Genes.* 12. v. 3. *Cap.* 22. v. 18. quæ literaliter dicuntur de Abrahamo & Isaaco, jam tum in ipsis impleta fuerunt: & allegoricè intelligenda sunt de Deo Patre, qui est Abrahamus spiritualis, & de filio ejus Christo, qui est Isaacus spiritualis. Id *probant.* I. ex *Gal.* 4. v. 22. 23. 24. ubi restatur Apostolus, aliud per filios illos, eorumque matres adumbratum fuisse. II. ex *Esa.* 51. v. 1. 2. Quem vocat Propheta rupem, Patrem Israëlitarum, & cujus ipsos filios facit, eundem vocat Abrahamum. Atqui non Abrahamum naturalem, sed Deum Patrem ita vocat; I. quia non Abrahamus, sed Deus rupes est, *cap.* 26. v. 4. *Iehova rupes seculorum*: II. quia non Abrahamus sed Deus est Pater Israëlitarum, *cap.* 63. v. 16. *Quamvis Abraham nesciat nos, tu tamen Iehova*

hova Pater noster. III. quia filii Abrahæ dicuntur filii Dei *Luc.* 19. v. 9. *Rom.* 9. v. 7. 8. Ergo Deum Patrem vocat Abrahamum. *Resp.* Exceptionis ut duæ distinctæ partes sunt, *una* de complemento promissionum jam tum præstito, *altera* de allegoricâ expositione; ita distinctè de iis est agendum. *Prior* hoc argumento refellitur: Cujus promissionis complementum in tempus usque Novi Testamenti dilatum fuit, id præstitum non est in Testamento Veteri. Complementum promissionis de Semine benedicto in tempus usque Novi Testamenti dilatum fuit; I quia ita testatur Scriptura Novi Testamenti, *Luc.* 1. v. 55. 73. *Actor.* 3. v. 25. *Cap.* 13. v. 32. *Galat.* 3. vers. 14. 16. quibus locis docet Christum esse semen illud promissum Abrahæ, id est, ex ipso secundum carnem ortum. II. quia eadem testatur fideles omnes Veteris Testamenti, atque ita Abrahamum quoque, promissum non obtinuisse *Hebr.* 11. v. 39. Unde factum; ut, quamvis nato Isaaco, promissio tamen eadem Abrahamo, *Gen.* 22. v. 18. Isaaco, *Cap.* 26. v. 4. Jacobo, *cap.* 28. v. 14. Judæ, *cap.* 49. v. 10. aliis repeteretur. Ergo id præstitum non est in T. Veteri. *Posterior* de allegoria multis cum absurditatibus conflictatur. Etenim, si Deus est Abrahamus figuratus per alterum naturalem; sibi ipsi dixit promissiones, secum fœdus icit, sibi juravit, se patrem constituit multarum gentium: & in repetitione ejusdem promissionis ad Isaacum fuit Isaac; ad Jacobum Jacob; ad Judam Juda; quæ omnia absurdissima sunt: denique uno saltem non controverso Scripturæ loco Abraham vocatur. Frustra verò tam vanæ allegoriæ fundamentum locis citatis quæritur. Etenim *Galat.* 4. Apostolus allegoricè inducit non Abrahamum & Isaacum ad adumbrandum Deum Patrem & Filium, sed Isaacum & Ismaëlem, uti etiam utriusque matrem Saram & Hagaram, idque ad adumbrandam naturam fœderis Legalis & Euangelici; nec non ad repræsentandam conditionem illorum, qui sub alterutro constituti sunt. *Esa.* 51. v. 1. de Abrahamo literaliter per Prophetam loquitur Deus, non mysticè de se; utpote cui uxorem adjungit Saram, quem vocasse se, multiplicasse, benedictione sua ornasse ait v. 2. Nec verò quia Deus alibi *rupes*, *Pater Israëlitarum* vocatur, & ipsi ejus filii esse dicuntur, Abrahamus hîc nomine rupis, item Patris appellari nequit. Id namque significatu diversissimo fit: *Deus* passim rupes vocatur

Gal. 4. v. 22. *seqq.* explicatur.

Esa. 51. v. 1. explicatur.

tur ob immotam suam subsistentiam, & firmissimum quod piis præstat præsidium; *Abrahamus* hîc rupes propter emortuum ad generationem corpus *Rom.* 4. v. 19. *Deus*, Pater Israëlitarum per creationem, conservationem, & redemtionem; *Abrahamus*, Pater per generationem aliorum secundum carnem, aliorum secundum promissionem; quorum, quotquot in terris versabantur, conditionem, etsi ignoraret in cœlis, tamen propterea Pater ipsorum esse non desiit *Luc.* 16. v. 24. Ita pro naturâ relatorum etiam filii diversimodè ab utroque denominantur. Nunquam verò filii Abrahami dicuntur Filii Dei, quasi Abrahamus sit Deus; sed quia à Deo ex gratia adoptati sunt in filios, idque secundum promissionem Abrahæ divinitus factam.

Heb. 2. v. 16. *Hebr.* 2. v. 16. *Non assumsit Angelos, sed semen Abrahæ*, id est, credentes, *Galat.* 3. v. 29. & quidem non in unitatem personæ, sed in patrocinium, quibus succurrat, opituletur, ex declaratione Apostoli, *Rom.* 15. v. 7. præcipientis, ut Christi exemplo etiam nos alii alios assumamus. *Resp.* Locum hunc vindicavimus ab iisdem corruptelis *controversiâ superiore contra Samosatenianos.* Nunc unum addimus; malè tanquam locos parallelos conjungi, *Roman.* 15. *Hebr.* 2. qui phrasi & sententiâ dissimillimi sunt. Etenim *illic* Christus nos dicitur assumere in gloriam; *istic* assumere semen Abrahæ: *illic* assumere est nos participes facere gloriæ cœlestis; *istic* per assumtionem seminis Abrahæ participem fieri carnis & sanguinis, fieri fratribus similem per omnia: *illic* de imitando assumtionis exemplo; *istic* de admirando assumtionis mysterio disseritur. Inspiciatur etiam *cap.* 14. v. 1. 3. *ad Rom.* ex quo phrasis *cap.* 15. v. 7. amplius declaratur.

2. *Sam.* 7. v. 12 *seq.* 2. *Sam* 7. v. 12. 13. 14. Quæ promissa Davidi, in Salomone filio ejus impleta fuerunt 2. *Chron.* 6. v. 9. 10. Sed Salomon typus fuit Christi, & David typus Dei Patris, super cujus solio sessurus dicitur, *Esa.* 9. v. 7. non autem super solio Davidis terreni, quod jam tum corruerat, & terrenum fuerat. *Resp.* Hîc vera falsis miscentur. Promissionem illam in Salomone impletam fuisse, itemque ipsum typum Christi gessisse, *verum* est. At in solo Salomone sive omnimode in ipso impletam fuisse, ac ut Salomon Christi, ita Davidem Dei Patris, typum gessisse *falsum* est. *Primò* enim promissio illa est ex genere vaticiniorum, quæ *typica composita* appellantur, & de typo & antitypo simul, etsi non

non semper in omnibus, loquuntur; eoque duplex complementum habet, *Historicum* in typo, *Mysticum* in antitypo. Nam & de *Salomone* sermo est, utpote cujus nomen exprimitur, 1.*Chron.* 22. vers. 12.13. ac conditio, in corruptione peccati virgâ patris corrigendâ; & de *Christo*, ut constat ex allegatione Apostoli, *Hebr.* 1. v. 5. ex conditione regni æterni, & ejusdem promissionis repetitione diu post obitum Salomonis per Prophetas factâ. Quæ etiam in promissione dicuntur de pace, de ædificatione domus, de filio excitando è semine Davidis, cui Deus sit Pater futurus, *utrique*, etsi modo diverso, conveniunt; ut de Salomone testatur historia ejus, de Christo aliæ Scripturæ *Esa.* 9. v. 6.7. *Hebr.* 3. v. 3.4.6. *Matth.* 1. v. 1. *Rom.* 1. v. 3. *Hebr.* 1. v. 5. *Deinde* nuspiam aut David inducitur, ut typus Dei Patris, aut Deus Pater David appellatur. Contrà David passim inducitur, & ut Pater sive progenitor Christi secundum Humanam Naturam, & ut typus ejus, ratione officii; Prophetici quidem & Regii propter Prophetiam & Regnum, Sacerdotalis verò non propter sacerdotium aliquod externum (id enim tribus Levi erat,) sed propter varias actiones & passiones, quibus Christi Sacerdotis conditio adumbrabatur. A quo progenitore & typo suo Christus, *germen Davidis* & antitypum, etiam in Veteri Testamento *David*, appellatus fuit *Ezech.* 34. v. 23. *Cap.* 37. v. 24. Esaiæ Prophetæ *cap.* 9. v. 7. non melior interpres est, quàm Angelus apud Lucam, *cap.* 1. v. 32.33. qui dum ait, Dominum Deum Christo daturum solium Patris Davidis, ut æternùm regnet in domo Jacobi; equidem Deum Patrem à Davide apertissimè distinguit. Non ergo David Deus Pater esse potest. Sanè solium Davidis terrenum fuit, jam tum collapsum; sed quod regnum cœleste & spirituale Christi præfiguravit: atque hoc quia Deus Christo contulit, regnum Davidis, id est, Davidi Patri ipsius in hoc filio promissum, terrenoque ejusdem regno in populum Dei adumbratum, ei contulisse dicitur.

Esa. 11. v. 1. qui esse dicitur *de radice Isai*, v. 10. & *Rom.* 15. v. 12. *radix Isai* sive Jesse, *Apoc.* 5. vers. 5. *radix Davidis* vocatur. Nihil ergo hinc ad rem concluditur. *Resp.* negatur. Nam qui est de radice, esse dicitur ipsa radix per metonymiam metaphoricam; ut qui est ex semine Davidis secundum carnem, *Rom.* 1. v. 3. David vocatur *Ezech.* 34. vers. 23. Mutato itaque genere *Esa.* 11. v. 1.

prædi-

prædicationis non valet consequentia; & argumentum nostrum invictum stat: Virga trunco, surculus radici consubstantialis est. Atqui Christus secundum carnem est virga de trunco, surculus de radice Davidis, filii Isai. Ergo.

Act.2.v.30. *Actor*. 2. v. 30. Fructus lumborum Davidis literaliter non Christus sed Salomon est, secundum promissionem, 2. *Sam*. 7. & circumstantias ejus. Quod si Christus est ex lumbis Davidis sensu literali, etiam sedebit super solio ipsius sensu literali. Consequens est contra Scripturam. Ergo & Antecedens. *Resp*. Atqui Petrus promissionem illam de Christo secundum carnem disertè interpretatur. Est ergo fructus lumborum Davidis non mysticè, sed literaliter. Nec tamen sequitur sensu literali etiam sedere super solio Davidis; quia quod ad carnem attinet David non typus sed Pater Christi fuit, ex cujus semine ipse ortus esse dicitur, *Roman*. 1. v. 3. quod ad regnum verò typus non Pater; prout modò declaravimus.

Esa.7.v.14. *Esa*. 7. v. 14. Virgo concepit non ex se sive suum semen, sed ex Spiritu Sancto, testibus Euangelistis *Matth*. 1. *Luc*. 1. *Resp*. Imo concepit suum semen, sive concepit Filium quoad carnem ex suo semine, etsi virtute miraculosâ Spiritus Sancti, *Luc*. 1. v. 35. quia Filius Dei dicitur factus ex muliere, *Gal*. 4. v. 4. ortus ex semine Davidis secundum carnem *Rom*. 1. v. 3.

Luc.1.v.42. *Luc*. 1. v. 42. appellatur *fructus uteri Mariæ*, non quasi fuerit ex substantiâ sive semine ejus, verùm quia in utero Mariæ conceptus fuit. Id *probant*. I. testimoniis; *Matt*. 1. v. 20. *Quod in eâ genitum est, ex Spiritu Sancto est*. *Luc*. 2. v. 21. *Nomen vocatum fuerat ab Angelo, priusquam in utero matris conciperetur*. II. quia Elizabeth nominat eum, quem gestabat Maria, *Dominum*. Ergo ex substantia Mariæ non erat: nam Deus gloriam suam alteri non dat *Esa*. 42. III. Qui est super omnia & per quem sunt omnia, is secundũ carnem originem suam ex substantia creaturæ non habet. Christus est super omnia & per ipsum omnia creata sunt *Ioh*. 1. 3. *capp*. &c. Ergo. *Resp*. Fructus est de substantia fructificantis, ut surculus de substantia radicis, virga de substantia trunci. Christus secundum carnem fructus est uteri Mariæ. Ergo est de substantia ejus. Non igitur sic dicitur, quod in utero tantùm conceptus, gestatus fuit. Quod si verum esset, nihil utique haberet ex Mariâ, ob quod fructus uteri ejus vocaretur. Rectè etiam diceretur

tur per Mariam ut canalem transiisse, quod tamen negare videri volunt. Dicta illa, *Matth.* 1. *Luc.* 2. non tantùm locum conceptus generationis, sed etiam materiam insinuant, prout declarantur *Galat.* 4. v. 4. *Rom.* 1. v. 3. Sicut alterum ex Spiritu Sancto, apud Matthæum caussam Efficientem notat, quæ opponitur Efficienti falsæ, qualem sibi Josephus mysterii hujus ignarus fingebat. Et quæ ratio consecutionis: Fructus, sive Filius Mariæ appellatur Dominus; est supra omnia, & per eum sunt omnia. Ergo non est de substantia sive semine Mariæ? Quasi verò Filius Mariæ non sit etiam Filius Dei, *Luc.* 1. v. 35. Dominus è cœlo, 1. *Corint.* 15. v. 47. λόγος ille æternus per quem facta sunt omnia *Iohan.* 1. v. 3? Aut quasi, qui Mediator est secundum utramque naturam, etiam non sit Dominus secundum utramque naturam?

II. Qui ex hominibus ducit originem, qui factus est ex muliere, factus homo, similis aliis hominibus per omnia excepto peccato; is carnem & sanguinem ex substantia hominis mulieris assumsit. Christus secundum carnem ducit originem ex hominibus; quia genealogiam ipsius inde ab Adamo, Abrahamo, Davide Euangelistæ describunt; *Matth.* 1. *Luc.* 3. factus est ex muliere, *Galat.* 4. v. 4. factus est homo, *Iohann.* 1. v. 14. *Philipp.* 2. v. 7. similis aliis hominibus per omnia, excepto peccato *Hebr.* 2. v. 17. *Cap.* 4. v. 15. *Philipp.* 2. v. 7. 8. *Rom.* 8. v. 3. Ergo.

Quia ex hominibus, ex muliere est, &c.

Excipiunt: Matth 1. v. 1. *Luc.* 3. v. 31. 34. Christum vocari Filium Abrahami & Davidis, quod ipsis promissus, non quod ex ipsis genitus fuerit. *Probant* hoc modo: Ita dicitur filius Abrahami, Davidis, ut Josephi. At Josephi filius non dicitur propter generationem ex ipso; quia testatur Euangelista, tantùm opinione aliorum habitum fuisse pro filio. Ergo. *Resp.* Imo *Matt.* 1. v. 1. singulariter vocatur filius Abrahami, Davidis, quod tum ipsis promissus, tum ex ipsis genitus fuit. Nam promissio sonat de Christo ex semine Abrahæ, ex fructu lumborum Davidis excitando *Actor.* 3. v. 25. *Cap.* 2. v. 30. *Probationis* quam contra afferunt, *Major* propositio falsa est. Etenim Christus dicitur *filius Abrahami*, *Davidis*, propriè & univocè, ut qui ex Patribus, ex semine Davidis secundum carnem ortus fuit *Roman.* 9. vers. 5. *Cap.* 1. v. 3. *Filius* verò *Iosephi* æquivocè; quia opinione aliorum

Matt. 1. v. 1. *Luc.* 3. v. 31. 34. vindicantur.

& impropriè, *partim* ratione matris, cujus maritus erat Josephus, *partim* ratione educationis, in qua Patris officium Christo præstabat. Atque hoc apertè indicat Lucas dum ait: *Iesus filius (ut existimabatur) Iosephi.*

Contra *sententiam Affirmatam*:

Quia Scriptura non docet ex semine Patris carnem Christi esse ortam.

I. Quam carnis Christi originem non docet Scriptura, ea nobis credenda non est. Atqui non docet originem carnis Christi vel ex semine Patris, vel ex Sermone illo æterno. Ergo.

Quia non est ex semine Patris tanquã materiâ.

II. In his propositionibus: *esse ex semine Patris*, *esse ex Sermone æterno*, particula *Ex* aut caussam *Efficientem*, aut *Materialem* notat. Si *illam*, ut cum dicitur esse ex Spiritu Sancto, *Matth.* 1. v. 18. 20. sensus quidem sanus est, carnem Christi potente verbo Patris & Filii creatam esse; verum I. non solvitur quæstio, unde sive ex quâ materiâ creata sit? II. nec Phrasi Scripturæ efficientia carnis declaratur. Sin *istam*; Semen Patris, Sermo æternus sunt materia corporea, vel incorporea. Non *corporea*; quis enim id affirmabit de Spiritu *Iohann.* 4. v. 24. Non *incorporea*; quis enim affirmabit corpus materiatum ex materia incorporea productum esse? Redarguetur certè ab ipso Christo, *Luc.* 24. v. 39. dicente: *Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me conspicitis habere.* Ergo.

Quia neque ex externo neque ex interno sermone orta est.

III. Semen Dei vel *externum* est, verbum sc. prædicatum, *Luc.* 8. v. 11. 1. *Petr.* 2. vers. 23. 25. vel *internum*, Spiritus Sanctus 1. *Iohann.* 3. v. 9. Ex neutro, tanquam ex materia, caro Christi esse potest. Non ex *priore*; quia est accidens, quod substantiæ corporeæ materia esse nequit: Non ex *posteriore*; quia caro Christi non est ex Spiritu Sancto tanquam materiâ, quod ipsi fatentur. Ergo.

Quia plura absurda inde sequuntur.

IV. Si caro Christi est ex Sermone illo æterno; I. Sermo non factus est caro, sed ex Sermone facta est caro. II. Sermo fuit in potentiâ, ac mutationem passus est. III. Caro Christi, ex Sermone illo decisa, Deus est; cum materiatum referat naturam suæ materiæ. Consequens est contra universam Scripturam, & omnem rationem. Ergo & Antecedens.

Ratio-

Rationes Anabaptistarum.

Negantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti :*

I. Qui est è cœlo, descendit de cœlo, venit superne, non est ex hoc mundo; is carnem & sanguinem ex substantia virginis Mariæ non assumsit. Atqui Christus est è cœlo, descendit de cœlo, venit superne, non est ex hoc mundo, juxta dicta *Ioh*.3.v.13.31.*Cap*.6.v.33.*Cap*.8.v.23.1.*Cor*.15.v.47.*Eph*.4.v.9.10. Ergo. *Resp.* per limitationem *Majoris*: Qui è cœlo descendit, scilicet carnem inde secum ferens, non assumsit carnem ex Maria. Ita datur Major. Sed negatur *Minor*. Nam Christus descendendo non carnem inde secum attulit, verum in carne se manifestavit, ex muliere factus caro; prout declaratur ejus descensus 1. *Tim*. 3. v.16. *Gal*.4. v.4. *Ioh*.1.v. 14. Nec descendit secundum Naturam Humanam, verum secundum Naturam Divinam, secundum quam etiam Dominus è cœlo vocatur 1.*Cor*.15.v.47. In hanc sententiam accipienda sunt dicta in Minore allegata. Antithesis, quæ *Ioh* 3.v.31.*Cap*.8.v.23. reperitur, nudos homines tantum è terra oriundos Christo opponit. *Ioh*. 6.v.33. panis qui è cœlo descendit, per Manna olim adumbratus, non significat Naturam Humanam in abstracto, sed personam in concreto, prout v.33.35.38.39.40.48.50.51. videre est. *Quia Christus è cœlo sit &c*

II. Filius Dei viventis non est ex Maria. Christus est Filius Dei viventis *Matt*.16.v.16. Ergo. *Resp.* *Major* falsa est, contraria asseverationi Angelicæ ad Mariam: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei Luc*.1.v.35. Non est quidem ex Maria secundum id, quo est Filius Dei; interim quia Naturam Humanam ex ea assumsit in unitatem personæ suæ, rectè & verè filius Dei viventis ex Maria esse affirmatur. *Quia sit Filius Dei viventis.*

III. Qui nunquam profitetur nomen Adæ sed Patris cœlestis, quin etiam Adamo opponitur; ex ipso per Mariam ortus non est. Atqui Christus &c. 1.*Cor*.15.v.47.*Rom*.5.v.14.*& seq*. Ergo. *Resp*. *Major* vera est, si secundum Naturam Humanam profiteatur nomen Patris cœlestis, tanquam ex ipso genitus; opponatur etiam Adamo, ut homini absolutè. At sic *Minor* falsa est. Nam secundum Naturam Humanam passim se profitetur non filium Dei, sed filium hominis, eoque filium Adæ, ut ex quo uno omnes homines conditi dicuntur *Act*.17.v.26. Et Lucas *cap* 3. genus Christi ad *Quia non profiteatur nomē Adæ.*

ipsum

ipsum Adamum refert. Opponitur quoque Adamo, verum ut Dominus è cœlo, homini nudo animali; ut auctor justitiæ & vitæ, auctori peccati & mortis.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quia non sit semen Davidis naturale.

I. Qui non est semen naturale Davidis, ille ex semine Davidis per Mariam ortus non est, Christus non est semen naturale Davidis *Matt.* 22. v. 42. 43. Ergo. *Resp.* *Minor* non traditur *Matt.* 22. Neque enim ibi negat Christus, quod Pharisæi confessi fuerant; verum porro quærit, quomodo simul filius & Dominus Davidis esse possit? quo ita qui capere Christum in sermone studebant, proditâ crassissimâ ignorantiâ confunderentur. Responsio autem expedita est ex Paulo *Rom.* 1. v. 3. 4. esse *filium Davidis secundum carnem, Dominum secundum Spiritum sanctificationis.*

Quia non sit conceptus in peccato.

II. Si ex sanguine Mariæ genitus est Christus, in peccato conceptus est. Consequens falsum. Ergo. *Resp.* negando *consequentiam*: quia sanguis Mariæ sanctificatus est per Spiritum Sanctum, unde quod ex ipsa genitum est *sanctum* dicitur *Luc.* 1. v. 35.

Tertia: Pontificiorum. *An anima Christi ita perfecta fuerit, ut nunquam scientia profecerit aut perturbationem senserit?*

Pontificiorum:

An anima Christi ab ipsâ sui creatione ita repleta fuerit scientiâ & gratiâ, ut nihil unquam didicerit, neque ullam tristitiam aut perturbationem senserit? Pontificii affirmant, *Bellarm. tomo I. controv. gener. II. de Christo lib. 4. de anima ipsius cap.* 1. 2. 3. 4. 5. Nos negamus.

Status Controversiæ.

Quæritur hoc loco non modò de scientiâ *acquisitâ sive experimentali*; An Christus experiundo aliquid didicerit quod ante ignorabat? verum etiam de scientiâ *infusâ*; An illa statim ab ipsâ Christi conceptione partibus omnibus gradibusque perfecta fuerit? Sic etiam non quæritur de *tristitia* simpliciter, sed de tali tristitia & *perturbatione*, ex quâ factum ut Christus se ipsum quasi represserit, & ante dicta revocarit quodammodo atque correxerit? Ex quibus de sententiâ nostra & Pontificiorum plenius constare potest.

Ra-

Rationes Nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ*.

Ex natura *Subjecti*:

Qui nobis ſimilis eſt per omnia, tam in infirmitatibus naturæ, quàm in naturâ ipſa & proprietatibus ejus, ſolo peccato excepto; is ſecundum animam ignorantiæ, triſtitiæ, perturbationi, perinde ut nos fuit obnoxius. Atqui Chriſtus ſecundum Naturam Humanam ita nobis factus eſt ſimilis. Ergo. *Minorem* tradit Apoſtolus *Heb*.2. v. 14.16.17.*Cap*.4. v. 15. *Majoris* conſequentia firma ac evidens eſt. Nam infirmitates naturæ ſunt toti ſpeciei communes: & dum ſolum peccatum excipitur, ignorantia ſimplex, quam & negativam vocant, itemque triſtitia & perturbatio, quę peccata non ſunt, etiam confeſſione Bellarmini, non excipiuntur. Verum *regerit*: Si per omnia nobis debuit ſimilis fieri, ſolo peccato excepto; non debuit concipi ex Spiritu Sancto, naſci ex virgine &c. contra debuit laborare rebellione partis inferioris, febri, podagra, &c. Atqui hoc abſurdum. Ergo & illud; & per conſequens apparet illud, *per omnia*, reſtringendum *tum* ad perfectionem naturæ, *tum* ad eas infirmitates, quæ ad redemtionem conducunt, quales non ſunt ignorantia, perturbatio, &c. *Reſp*. *Per omnia* intelligimus ex declaratione Apoſtoli *Heb*.2.v.14.15.16.17. naturam, proprietates & infirmitates naturales; *non* peccatum, ut eſt rebellio partis inferioris adverſus ſuperiorem; *non* miraculoſam conceptionem ex virgine, quæ cauſam Efficientem Naturæ Humanæ ſpectat; *non* febrim, podagram, quæ ſunt infirmitates perſonales à cauſis particularibus profectæ. *Reſtrictio* illa adverſatur ſcopo & verbis Apoſtoli, ac falſa nititur hypotheſi, quaſi in nobis ſit aliquid ad redemtionem conducens, in quo Chriſtum nobis aſſimilari oportuerit.

Quia Chriſtus etiam in infirmitatibus nobis ſimilis factus eſt.

Heb.2.v.14. *ſeq*.*Cap*.4.v. 15. explicantur.

Ex naturâ *Prædicati*:

I. Qui creſcit, corroboratur ſpiritu, impletur ſapientiâ, eaque unà cum ætate ac ſtaturâ proficit; is majorem indies ſapientiam ac gratiam conſequitur. Atqui Chriſtus crevit, corroboratus fuit, &c. juxta teſtimonium Lucæ *cap*. 2.v.40. 52. Ergo.

Quia crevit ſapientiâ.

Excipit Bellarminus: *Luc*. 2.v.40. πληρέμενο idem eſt quod πλήρης

Luc.2.v.40. & 52. vindicatur.

ρης; vel si passivé accipiatur, replebatur magis magisque in organis corporis ad patranda excellentia opera. Dici quoque potest repletum esse scientiâ experimentali, quâ quæ sciebat theoricè, cognovit practicè. *Resp.* participium πληρούμενος omnino accipiendum est *passive*, secundum regulas Grammaticas & circumstantias textus. Passivè autem repletus fuit non in corpore, quod scientiæ subjectum non est, sed in animâ; ut qui spiritu fuit corroboratus, non effectivé (etsi effectus sequuti sint) sed habitualiter. Si vero de scientia experimentali explicatur, jam unâ parte dantur manus. Nam qui scientiâ experimentali augetur, utique scientia augetur. Sed de infusâ quoque scientiâ intelligendum esse, tum phrasis Euangelistæ, tum effectus cum suâ causa connexio evincit. Præterea *excipit* vers.42. profecisse sapientia, scilicet opinione hominum, quibus magis aperiebat sapientiam. *Resp.* Contra est. I. Quod profecit sapientia ac statura: hac in corpore, illâ in anima. At staturâ non profecit opinione. Ergo. II. Profecit sapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines: nam tria illa dependent ab uno verbo. At apud Deum non profecit opinione, nec apud homines staturâ profecit opinione. Ergo. Absurdum verò non est, Christum in Natura Humana profecisse sapientiâ apud Deum. Nam simili phrasi ait Apostolus *sapientiam mundi stultitiam esse apud Deum* 1.*Cor*.3.v.19.

Quia aliqua ignoravit.

II. Qui ignoravit an ficus essent in arbore, ignoravit diem judicii; in eo fuit ignorantia. Christus secundum Humanam Naturam ignoravit an ficus essent in arbore, *Marc*.11.v.13. ignoravit diem judicii *cap*.13.v.32. Ubi non valet *glossa Bellarmini*. Non sciebat ad dicendum aliis, & quia eos nescientes faciebat. Nam ita nec Pater scivit, ut qui aliis etiam non revelavit *Act*.1.v.7. Sed aliud indicat Marcus, qui uno verbo hujus rei notitiam hominibus, angelis, atque ipsi Filio derogat. Ergò.

Quia aliqua didicit.

III. Qui docetur & discit, qui de rebus non satis cognitis seriò inquirit, & cognitas admiratur; is non novit omnia, sed scientiâ proficit. Christus secundum Naturam Humanam doctus est à Patre, *Ioh*.8.v.28. *prout me docuit Pater, ita loquor*; didicit, *Heb*.5.v.8. *Ex iis quæ passus est didicit obedientiam*; seriò inquisivit de sanato dæmoniaco, *Marc*.9.v.21. de numero panum, *Marc*.6.v.38. de loco sepulturæ Lazari, *Ioh*.11.v.34. ita admiratur μεγαλοπιστίαν centurionis gentilis *Matth*.8.v.10. Ergo.

IV. Quæ

IV. Quæ infirmitatum humanarum exempla in Christo ſecundum Naturam Humanam nobis poponit Scriptura; ea deneganda de ipſo non ſunt. Atqui proponit exempla triſtitiæ; *Matt.26.v.38. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Marc.14.v.33. Cœpit expaveſcere & graviſſimè angi.* Perturbationis; *Ioh.11.v.38. Ieſus infremuit Spiritu & turbavit ſe ipſum. Cap.12.v.27. Nunc anima mea turbata eſt.* Correctionis; *Ioh.12.v.27. Pater libera me ab hac hora: ſed propterea veni in horam hanc. Matt.26.v.39. Pater, ſi poſſibile, tranſeat à me poculum iſtud, veruntamen non ut ego volo, ſed ut tu vis.* Ergo. Quia ejuſmodi infirmitatum exempla Scriptura proponit.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex Natura *Subjecti*:

I. Cujus anima ab ipſâ creatione ſapientia fuit pleniſſima, in eâ, non fuit ulla ignorantia. Atqui Chriſti anima &c. teſtimonio *Eſa.*11.v.2. Ergo. *Reſp.* 1. *Major* datur de ignorantia privativâ earum rerum, quas ex officio quis ſcire debet, atque etiam poteſt; non autem de ignorantiâ negativâ ſimpliciter. II. *Minor* ambigua eſt; falſa, ſi ita plena fuiſſe ſtatuatur ſcientia infuſa, nihil ut poſtmodum profecerit *Luc.*2.v.40.52. Dictum *Eſaiæ* non definit tempus unctionis, ſed perſonam tum ungendam, tum ungentem. Allegatio verò ejus in N. Teſtamento *Luc.*4.v.18. illud de Chriſto adulto, munuſque ſuum jam auſpicante exponit: ſuper quo etiam Spiritus Sanctus forma columbæ quievit *Matt.*3.v.16. Interim minimè negamus in conceptione quoque ſuo modo per effuſionem donorum Spiritus Sancti unctum fuiſſe. Quia anima Chriſti fuerit ab ipſa creatione pleniſſima ſapientia.

II. Qui in ipſa conceptione accepit Spiritum ſapientiæ ſine menſurâ, & in quo omnes theſauri ſapientiæ reconditi ſunt; in eo ignorantia non eſt. Chriſtus ſecundum Naturam Humanam in ipſa conceptione accepit Spiritum ſine menſurâ, prout dicitur *Ioh.*3.v.34. in ipſo reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ *Col.*2.v.3. Ergo. *Reſp.* Admittitur fallacia à dicto ſecundum quid. Chriſtus unctus eſt ſine menſurâ ſupra conſortes, tum in ipſa conceptione, tum poſt ætate creſcens, idque pro muneris ſui conditione, non verò in conceptione tantum. Contrarium ex teſtimonio *Iohannis* non elicitur. Locus *Col.*2.v.3. huc non facit, ut paulo poſt oſtendetur. Quia in conceptione Spiritum S. ſine menſurâ acceperit

Quia in incarnatione λόγος sit factus homo

III. In incarnatione λόγος factus est homo. Ergo statim in Naturam Humanam dona omnia, quorum capax erat, effudit; atque ita in animam sapientiam perfectissimam: *Ratio*; quia alioqui anima Dei aliquando fuisset insipiens. *Resp.* negatur *consequentia*, cum ea ratio non sit gratiarum habitualium, quæ *gratiæ Eminentiæ*, ut vocant. Nec tamen sequitur animam aliquando insipientem fuisse; nam insipientia est ab ignorantiâ privativâ, non negativâ.

Quia sapientia Christo fuerit naturalis.

IV. Sapientia sive scientia Christo naturalis fuit, fluens ex intrinseco principio per modum naturæ. Ergo non post incarnationem demum eam accepit. *Resp.* I. Non dicimus in incarnatione simpliciter non fuisse, sed non fuisse secundum omnes partes ac gradus. II. Fuit naturalis Christo secundum Humanam Naturam quatenus in illo jam cum ipsâ animâ exsistere cœpit; fluxit quoque ex intrinseco principio non Naturæ Humanæ, sed Naturæ Divinæ τοῦ λόγου, ei personaliter unitæ.

Quia Christus in incarnatione cœperit esse hæres Dei.

V. Christus homo in incarnatione cœpit esse filius & hæres Dei. Ergo tunc omnibus donis repleri debuit. *Resp.* negando *Consequentiam*. Alioquin etiam debuisset statim subvehi in cœlum ubi Dei sedes est, introire in gloriam Patris. Debuit sanè repleri omnibus donis ad muneris mediatorii administrationem necessariis, verùm suo ordine ac gradu secundum œconomiam voluntatis Divinæ.

Quia tum factus sit caput Angelorum & hominum.

VI. Christus in incarnatione factus est caput Angelorum & hominum. Ergo statim repleri debuit perfectissimâ scientiâ, ne minus sapiens esset quàm sunt membra. *Resp.* Factus est caput destinatione non re ipsâ sive reali usurpatione. Nam id post resurrectionem factum fuisse testatur Apostolus. *Ephes.* 1. vers. 20. 21. 22.

Quia Adamus primus fuerit conditus sapientissimus.

VII. Adamus primus sapientissimus creatus fuit. Ergo etiam secundus. *Resp.* Conditus etiam fuit corpore perfectissimo & quale est hominis adulti. An ergo & Christus? Non igitur firma consequentia à creatione primi Adami ad conceptionem secundi. Sed concedimus totum rectè intellectum. Adamus primus sapientissimus creatus fuit, non simpliciter; quia & ipse tanquam viator proficere potuit atque etiam debuit, verum absque ignorantiâ privativâ sive insipientiâ. Ita Christus, Adamus secun-

dus, ſapientiſſimus fuit abſque omni defectu vitioſo: ſic tamen ut proficere amplius potuerit, atque etiam profecerit.

Lutheranorum.

Quarta: Lutheranorum. An Humanæ N. Christi communicata ſiat eſſentiales Dei proprietates potiſſimum quatuor?

An Humanæ Naturæ Chriſti per unionem perſonalem communicatæ ſint eſſentiales Dei Proprietatis, Omnipræſentia, Omniſcientia, Omnipotentia, & vis vivificandi? Lutherani affirmant, *Eckardus faſcic. controv. cap. 6. de communicatione Idiomatum quæſt. 9. & multis ſequentibus*. Nos Negamus.

Status Controverſiæ.

Ex ſtatu quæſtionis prout ipſorum Lutheranorum verbis formatus proponitur liquido apparet, controverſiam eſſe non de *communicatione proprietatum* in concreto, ſed *in abſtracto*; non in perſona, ſed *in natura*. Etenim per unionem perſonalem Naturæ Divinæ & Humanę, earum proprietates perſonæ verè & realiter communicatas eſſe agnoſcimus & profitemur. At proprietates Naturæ Divinæ communicatas, id eſt, tributas, impertitas, inditas fuiſſe Naturæ Humanæ per eandem unionem, id vero eſt quod diffitemur. Proinde novam hanc ſpeciem communicationis idiomatum, quam ipſi *naturæ ad naturam*, idemque *Majeſtatis* appellare conſueverunt, ut commentitiam & Scripturis ſacris contrariam rejicimus. De qua tamen *Lutheranis* modernis cum anteceſſoribus ſuis ac præceptoribus non per omnia convenit. Nam *Brentius* & *Smidlinus*, ille pater, iſte Apoſtolus Vbiquitatis in hac proprietatum eſſentialium communicatione formam unionis perſonalis ſtatuerunt. *Ipſi* contra formam eſſe negant; effectum verò ſive conſequens eſſe affirmant, conſtanterque propugnant. Atquæ hæc ſententia deinceps nobis examinanda & refutanda eſt.

Lutheranorum diſſenſus à ſe invicem.

Rationes *Negantes Orthodoxa*

Rationes Nostræ in Genere.

Contra *Communicationem proprietatum Dei.*

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia proprietates Dei essentiales sunt solius Dei propriæ.

I. Quod est solius Dei, oppositè ad omnes creaturas, id nulli creaturæ est communicabile. Proprietates essentiales Divinæ sunt solius Dei, oppositè ad omnes creaturas. Ergo nulli creaturæ sunt communicabiles. *Minoris* veritas confirmatur cum aliis, tum iis testimoniis, quibus proprietates illæ Deo tribuuntur exclusivè. *Rom* 16.v.27. *Soli sapienti Deo gloria*. 1. *Tim*. 1.v.17. *Regi æterno, incorruptibili, invisibili, soli sapienti Deo honor Cap*.6.v.15.19. *Ille beatus & solus Princeps, Rex ille regum & Dominus dominorum, qui solus habet Immortalitatem &c. Iud*. v.25. *Soli sapienti Deo servatori nostro gloria. Matt*. 19.v.17. *Nemo bonus est nisi unus, nempe Deus. Esa*.42. v.8. *Gloriam meam alteri non dabo*. Et quemadmodum quum dicitur Deus esse *solus Deus, Deut*.32.v.39. *Ioh*.17.v.3. à Deitate excluduntur omnes creaturæ: ita quum dicitur solus Omnipræsens, solus Omniscius, solus Omnipotens, ab omnipræsentia, omniscientiâ, omnipotentiâ similiter excluduntur.

Excipiunt. 1. Naturæ Humanæ Christi diversam rationem esse, quàm aliarum creaturarum, ut quarum nulla unam personam constituat cum λόγῳ. II. Proprietates illas nihilominus esse solius Dei, cum soli ipsi conveniant per naturam, Humanæ Naturæ verò per gratiam tantum. *Resp*. Utraque exceptio principium petit. Hæc ζητούμενα sunt: An Humana Natura Christi proprietatibus Dei essentialibus ipsi communicatis distinguatur ab aliis creaturis? An proprietates illæ per gratiam ei communicatę sint? Assumtione in λόγον, excellentiâ donorum, dignitate muneris ab aliis distinguitur, non communicatione proprietatum Dei. Et cum quæstio, An sit, necessario præcedat alteram. Quid, vel Quomodo sit; primò ostendant nobis talem communicationem verè factam esse, & post de communicationis modo facilè conveniet.

Quia essentia Dei nequit communicari creaturæ.

II. Essentia Divina rei creatæ communicari nequit: *Ratio*; quia res creata non potest fieri increata, nec natura humana natura Divina. Proprietates Dei essentiales sunt essentia Divina; utpote à quâ ratione tantū & nostro concipiendi modo differunt. Ergo.

Luthe-

Lutherani negant *Majorem* I. quia hypostasis τῦ λόγυ est essentia divina relatè considerata. Ea tamen rei creatæ N. Humanæ communicata est. II. In regeneratione communicatur nobis Spiritus Sanctus, qui est essentia Divina 2.*Cor*.13.v.13. III. Nisi Deitas sive essentia Divina sese communicasset Naturæ Humanæ, quomodo veræ esse possent propositiones: Verbum caro factum est, Homo est Deus, Deus est Homo. *Resp*. *Major* instantiis illis non infringitur aut læditur; ut quę nec de unione, nec de effectus alicujus productione, sed de ipsius essentię Divinæ participatione loquitur. Nam I. Subsistentia τῦ λόγυ communicata est Humanę Naturę assumtione carnis in personam, non transfusione subsistentiæ in carnem. De quo argumento, tanquam palmario ipsorum, infra ex professo. II. In regeneratione communicatur nobis Spiritus Sanctus subsistens in essentia Divina. At non secundum essentiam, verum secundum gratiam; alioquin qui ex Spiritu, ex Deo gignuntur, *Joh*.3.v.5.6.*Cap*.1.v.13. ex essentia Spiritus & Dei gignerentur, quod ἄτοπον, ἀθεόλογον. III. Veræ sunt propositiones illæ, non propter communicationem proprietatum in abstracto, sed propter unionem personalem duarum naturarum, ex quâ Christus Deus & Homo est in unâ personâ.

III. Aut omnes, aut aliquæ, aut nullæ proprietates Dei Humanæ Naturæ Christi communicatæ sunt. *Non omnes*; nam sic esset spiritualis, simplex, æterna, immortalis. *Non aliqua*; quia proprietates tum ab essentiâ, tum à se invicem inseparabiles sunt. Ergo nullæ. Quia nec omnes, nec aliquæ proprietates communicantur.

Lutherani ajunt, & *aliquas*, & *omnes* proprietates communicatas esse; eoque non esse verum disjunctum: *Aliquas* quoniam I. communicatio idiomatum non est physica quædam transfusio, sed libera εὐδοκίας Divinæ dispensatio. II. Attendenda hîc non ratio sed Scriptura, quæ differentiam inter idiomata Divina ostendit, & quorundam communicationem expressè docet. III. Unio & communicatio facta est propter officium mediatorium; ad quod cum æqualis non sit omnium idiomatum respectus, est etiam in communicatione differentia. IV. Idiomata intra essentiam divinam considerata sunt ἀδιαιρέτως; distincta tamen eorum consideratio doctrina & enunciatione, distinctæ etiam eorum ἐνέργειαι. V. Ipsorum quoque ingens differentia est, cum alia sint ἐνεργητικὰ quæ peculiaribus operationibus ad extra se proferunt,

quæ-

quædam non. De diversis autem non idem judicium. VI. Anima corpori vitam communicat, nec tamen immaterialitatem aut immortalitatem; ignis ferro calorem & lucem, nec tamen levitatem. Ergo. *Omnes*; quia Natura Humana per unionem venit in totius hypostaseos divinæ κοινωνίαν. Ergo etiam in κοινωνίαν omnium ac singulorum idiomatum. Atque hoc est quod ait Apostolus *Col.* 2. v. 9. *In Christo habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter.* *Resp.* Disjunctum verissimum est. Habet siquidem tum sufficientem partium enumerationem, tum justam earundem oppositionem; ut in quo opponuntur universalis affirmans & particularis affirmans, universalis affirmans & universalis negans, particularis affirmans & universalis negans. *Lutheranorum* verò Exceptio asserit contradictoria: Non omnes sed aliquas proprietates communicatas esse, & iterum, omnes esse communicatas. Quæ cum simul vera esse non possint, vel prior vel posterior exceptionis pars ex hypothesi ipsorum falsa est. Utramque tamen breviter considerabimus. *Prior* sex rationibus confirmatur. *Prima* petit principium, controversum præsupponens pro concesso. Unio naturarum facta est secundum εὐδοκίαν Dei; communicatio etiam gratiarum habitualium hyperphysica *Col.* 1. v. 19. At communicatio proprietatum essentialium in abstracto quia nulla est, neque per transfusionem, neque per dispensationem facta verè dicitur: nam, nonentis nulla sunt accidentia, nulli modi. *Secunda* eodem vitio laborat. Ostendit sanè scriptura differentiam inter idiomata Dei; sed nostri respectu, non in se. Minimè verò ostendit talem differentiam, per quam unum communicari possit absque altero, neq; etiam quorundam communicationem Naturę Humanę factam esse docet. *Tertia* nititur falsâ hypothesi, talem communicationem non minus quàm ipsarum Naturarum unionem propter officium factam esse. Nos negamus. Officium mediatorium requirebat personam θεάνθρωπον non illam κοινωνίαν; quæ si fuisset, patiendo, moriendo peragi nequivisset. Quod etiam idiomatum inæqualis sit ad illud respectus quoad nos verum, quoad idiomata in se considerata falsum est, teste Apostolo *Col.* 2. v. 9. *Quarta* nihil ad rem. Nec enim idiomata in doctrinâ, aut enunciatione, aut operationibus considerantur, cum Naturæ Humanæ communicata esse dicuntur. *Quinta* idem repetit. ἐνεργητικὰ dicuntur alia, alia non, respectu effectorum & nostri, non in se; ut inter quæ nulla est talis diffe-

differentia, propter ſummam eſſentiæ ſimplicitatem. *Sexta* impertinens eſt, tum quia comparantur diſſimilia tanquam ſimilia; tum quia vita & ſenſus in compoſito, animę rationalis, calor & lux in ferro, ignis effecta ſunt, non proprietates. Proinde communicatio hîc pro effectione, ſenſu à quæſtione alieno, ſumitur. *Poſterior* affirmat quidem (quod ex ſententia Lutheranorum ſequitur neceſſariò) omnes proprietates Dei Naturæ Humanæ communicatas eſſe; verum ad objectum non reſpondet, quomodo ergo non ſit ſpiritualis, ſimplex, æterna, immortalis, quemadmodum eſſe ajunt omnipræſentem, omniſciam, omnipotentem. Hic Rhodus, hic ſaltus. Apoſtolus *Col.* 2. *v.* 9. nihil hujus, ſolummodo autem perſonalem Naturæ Humanæ cum tota Deitatis plenitudine unionem docet. De quo loco infra pluribus.

I V. Propria non communicantur ſubjecto realiter diverſo. Proprietates Dei eſſentiales ſunt ejus propria. Ergo ſubjecto realiter diverſo, videlicet Naturæ Humanæ, non communicantur. *Major* probatur: I. Quod tollit naturam proprii non convenit proprio. Communicatio ſive communitas tollit naturam proprii: *Ratio*; quia illud facit non proprium, id eſt, commune. Ergo. I I. Quorum non eſt communis eſſentia, illorum etiam propria communia non ſunt: *Ratio*; quia propria ab eſſentia, ut cauſa proxima, neceſſariò procedunt, nec eam unquam egrediuntur. Subjectorum realiter diverſorum non eſt communis eſſentia. Ergo. I I I. Quo ſubjecta realiter diverſa diſtinguuntur, id eis commune non eſt. Atqui propriis diſtinguuntur. Ergo.

Quia propria ſubjecto realiter diſtincto communicari nequeunt.

Concedunt argumentum *Lutherani* de ſubjectis ἀσυνδυάστοις, non de συνδεδυασμένοις; item de modo communicationis qui fit per μετέκβασιν, non qui fit per συνδύασιν. Ita enim anima proprietates atque operationes ſuas corpori, ignis ferro propter mutuam περιχώρησιν et συνδύασιν communicat, nec tamen vel anima vel ignis proprietatum ſuarum ἔκπτωσιν ullam patitur. Sic ὑπόστασις τοῦ λόγου Naturæ Humanæ communicata, nihilominus ei propria manet. Tum demum ergo proprium Naturam ſuam amittit, non ſi quocunque modo communicetur, ſed ſi è proprio ſuo ſubjecto excidit, & in aliud tranſmovetur. *Reſp.* 1. De ſubjectis συνδεδυασμένοις, id eſt, copulatis ſive unitis non minus verum eſt, ſiquidem fiat unio ſalvis & diſtinctis manentibus ipſis naturis earumque proprietatibus. I I. In modo communicationis

per κατέκβασιν sive μετάβασιν, proprietates non modo non propriæ, sed nec communes quidem manent: Quod enim subjectum suum egreditur, deserit, quomodo manet in eo? Verum ἀφιλόσοφον, migrationem statuere unius proprii de subjecto in subjectum, utpote quod ab ipso subjecto denominationem accipit. Quod etiam modus communicationis per συνδύασιν Lutheranam non tollat proprium, pura puta principii petitio est.
III. Ad exempla de animâ & igne ante responsum est. Hypostasis λόγου communicatur Naturæ Humanæ, sic ut assumta in eâ subsistat, non autem ut in abstractio subsistentiam habeat, aut subsistens dici possit.

Ex natura *Prædicati:*

Quia Humana N. non est Divina.

I. Quæ natura Divina non est, divinas quoque proprietates non habet. Humana Christi natura non est Divina. Ergo.

Quia proprietatum divinarum Humana N. non est capax.

II. Quarum rerum Humana Christi Natura capax non est, eæ ipsi communicatæ non sunt. Proprietatum Dei essentialium non est capax. Ergo. *Minor* probatur: Creata finitaque essentia non est capax essentiæ increatæ & infinitæ. Humana Christi N. est creata finitaque essentia; proprietates Dei essentiales essentia increata & infinita. Ergò.

Lutherani negant *Minorem* datâ ἐνστάσει, quod in Natura Humana habitet tota plenitudo Deitatis; quodque proinde illius capax sit. *Resp.* Ab unione personali ad communicationem Lutheranam non valet consequentia. *Habitat corporaliter*, id est, personaliter unita est Naturæ Humanæ tota plenitudo Deitatis; non autem transfundit in eam suas proprietates, neque illa per essentiæ suæ finitudinem esse potest subjectum earum δεκτικόν.

Quia tum proprietates contrariæ in idem subjectum cadetent.

III. Proprietates contrariæ, incompossibiles; in unum idemque subjectum non cadunt. Proprietates Divinæ & Humanæ, ceu esse creatum, & increatum, simplex & compositum, finitum & infinitum, ubique & non ubique &c. sunt proprietates contrariæ, & incompossibiles. Ergo in unum idemque subjectum, N. Humanam, non cadunt.

Ex natura *Subjecti* & *Prædicati* simul:

Quia unio facta est salvis naturis & earum proprietatibus.

Quæ unio facta est salvis & distinctis manentibus naturis ipsis, earumque proprietatibus; in eâ facta non est communicatio proprietatum. Unio personalis duarum in Christo naturarum, facta est salvis & distinctis manentibus ipsis naturis, earumque proprietatibus. Ergo. *Majoris* consequentia evidens est. Nam quod communicatur, non servatur, aut salvum est uni; quod commune fit, non manet proprium. *Minor* probatur partim ab Immutabilitate Naturæ Divinæ, partim à conditione Personæ post unionem hoc modo: Quæ Persona distinguitur seu limitatur secundum naturas in eâ unitas ac proprietates earum; in illa unio salvis & distinctis manentibus ipsis naturis, earumque proprietatibus facta est. Persona Christi ita distinguitur seu limitatur, &c. ut patet ex omnibus locis restrictivis. Ergo.

Lutherani Negant *Majorem*. Nam per communicationem, inquiunt, *salvæ* manent proprietates, ut quæ conveniunt Naturæ Humanæ non in sese, neque ex sese & naturæ suæ proprietate, sed in hypostasi τȣ̃ Λόγȣ, in quam assumta, & in Dextrâ Dei, ad quam evecta est. Manent etiam *distinctæ*; quia Divinæ Naturæ ἰδίως & per naturam conveniunt, Humanæ per Gratiam. *Resp.* Si in sese non conveniunt Naturæ Humanæ: ergo in concreto Personæ conveniunt. Nulla igitur est communicatio in abstracto. Non etiam Humana Natura rectè dicitur omnipræsens, omniscia, omnipotens. Cætera habent apertam principii petitionem; & ex parte supra refutata sunt.

Rationes nostræ in Specie.

H.N. non est omnipræsens

Contra *Omnipræsentiam*.

Quia id illi non convenit vel in exinanitionis, vel exaltationis statu.

I. Quod Humanæ Naturæ Christi neque in statu Exinanitionis, neque in statu Exaltationis communicatum est: id ei non est communicatum. Omnipræsentia neque in statu Exinanitionis, neque in statu Exaltationis Humanæ Naturæ Christi communicata est. Ergo. *Major* per se patet; quia status Personæ Christi non esse plures tum asseveratione Apostolicâ, *Philipp.* 2. tum Theologorum consensu constat. *Minor* confirmatur per

partes. *Non in statu Exinanitionis*; quia jam alicubi fuit, jam non fuit; item de loco in locum se variè transportavit. Testimonia sunt: *Ioh.6.v.24. Cum videßet turba Iesum illic non eße. Cap.*11.*v.*15. *Gaudeo me illic non fuiße. Marc.*6.*v.*6. *Circuibat vicos in orbem.* v.56. *Quocunque introiißet in vicos, aut urbes, aut agros. Actor.*10. v.38.*Iesus obambulavit.*&c.*Neque etiam in statu Exaltationis*; quia si tum communicata fuit Naturæ Humanæ, communicata aut ambulanti in hac terra, aut supra eam evectæ. *Non primum*, juxta dicta: *Matth.* 28. v. 5.6. *Scio vos Iesum crucifixum quærere; non est hic: resurrexit enim; adeste videte locum, ubi jacebat Dominus. Luc.* 24.v.39.40.*Videte manus meas & pedes meos, ego ipse sum: contrectate & videte me. Nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut conspicitis me habere. Actor.* 1.v.3. *Per dies quadraginta conspectus est ab eis. Non secundum.* I.quia prædixit se ex hoc mundo migraturum, atque ita non amplius corpore suo fore præsentem. Dicta sunt: *Matt.*26.v.11. *Pauperes semper vobiscum habebitis, me verò non semper habebitis. Ioh.* 16. v.28. *Prodii à Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum, & proficiscor ad Patrem. Iohann.* 17. vers. 11. *Non amplius sum*, id est, paulò post ero *in mundo, sed isti sunt in mundo; ego ad te venio.* II. quia re verâ ex hoc mundo migravit. *Luc.* 24.v.51.*Factum est dum ipse benediceret eis, ut disjunctus ab eis sursum ferretur in cœlum.* Sic *Actor.* 1. & alibi. III. quia nunc in cœlo degit. *Actor.*3.v.21.*Quem oportet cœli suscipiant usque ad tempora restitutionis omnium. Hebr.* 8.v.4. *Si eßet in terrâ, ne sacerdos quidem esset.* v. 1. *Talem habemus pontificem qui consedit ad dextram throni majestatis in cœlis.* IV. quia novissimo die è cœlo est rediturus. *Matth.* 24.v.30.*Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli.* 1.*Thessal.*4.v.16.17.*Dominus cum voce Archangeli descendet è cœlo.* Sic *Phil.* 3.v. 20. dicimur exspectare Christum è cœlo: & 2. *Cor.*5.v.7.8. peregrè ab eo abesse.

Exceptiones Lutheranorum.

Vindiciæ locorum *Ioh.*11.*v.*15.

Iohann. 11. v. 15. loquitur Christus. I. Adhuc constitutus in statu voluntariæ exinanitionis. II. & de præsentiâ Physicâ locali, pro ratione illius status sibi consuetâ atque ordinatâ. III. non tamen omnimodè abfuisse patet ex *vers.* 11. *Resp.* Loquitur sanè quoad statum exinanitus, interim quoad Naturam Humanam

nam finitus & circumscriptus. *Modus* quoque *præsentiæ* localis non arbitrarius sed naturalis fuit; non ad statum illum peculiariter ordinatus, sed ipsi naturæ inseparabiliter proportionatus. *Versu* 11. quæ innuitur præsentia personæ est secundum Deitatem, non secundum Humanitatem.

Matth. 28. v.6. I. Loquitur Angelus ad sensum mulierum de hujusmodi præsentiâ, qualem illæ corpus mortuum in sepulchro quærentes cogitabant. II. & nondum Christus ad dextram Patris exaltatus erat. *Resp.* Angelus loquitur ad rei ipsius veritatem, non ad mulierum sensum. Nam resurrexisse Christum inde probat, quod non amplius esset illic, id est, in sepulchro. Imo loquitur contra illarum sensum, ut quæ persuasæ erant Christum adhuc in sepulchro detineri, cujus contrarium argumento à loco, ejusque oculari inspectione asserit. Præterea, cum Omniprӕsentia secundum Lutheranos consequens sit Unionis Personalis, quomodo non fuit omnipræsens etiam ante exaltationem? Si Omnipræsentem fuisse dicant in Exinanitione *actu primo*, in Exaltatione *actu secundo* (qui mos ipsorum,) præterquam quod principium petunt, & periculosè actus cum potentiâ conjunctos de Deo enunciant, nihil ad rem suam afferunt: Etenim Qui alicubi suo modo præsens est, ejus præsentia non negatur absolutè sed restrictè. Angelus autem absolutè negat corpus Christi esse in sepulchro, sicut Christus absolutè negat de Natura Humana, quod secundum eam fuerit Bethaniæ cum moreretur Lazarus. Ergo. *Matth.* 28. v. 6

Matth. 26. v. 11. I. accipiendum κατά τι de miserâ & egenâ specie, ut à nobis ungatur & beneficiis afficiatur. II. aliud est præsentem esse, aliud prӕsentem habere. *Resp.* Glossa est contraria textui. Christus ita concludit: Me non semper habebitis præsentem, ut pauperes habituri estis. Ergo nunc mihi prӕ illis benefacite. Proinde dictum non tantum de miserâ & egenâ specie, verùm etiam de corporali præsentia, paulo post desiturâ, accipiendum est. Distinctio inter præsentem esse & præsentem habere hic non quadrat; quia illa hoc loco prorsus æquipollent. Et cum diverso sunt, alio longe significatu sumuntur. *Matt.* 26. v. 11.

Iohann. 16. vers. 28. I. Reliquit mundum quoad visibilem hujus mundi, & familiarem suorum conversationem, nec non *Ioh.* 16. v. 28.

 servi-

ſervilem conditionem. II. realem vero & ſubſtantialem præſentiam inde non everti manifeſtum evadit; I. Ex oppoſito, quod eſt exire à Patre & venire in mundum. Filius autem exiens à Patre eum non reliquit, ſed cum illo manſit. Ergo. II. Ex phraſibus, *Luc*.24. v. 44. *Ioh.* 17. v. 11. quæ de familiari converſatione ab ipſiſmet adverſariis explicantur. *Reſp.* Utroque modo Chriſtus mundum reliquit, tum reali ſive ſubſtantiali corporis præſentia, tum viſibili hujus mundi & familiari ſuorum converſatione, nec non ſervili conditione. Et *viſibilis* quidem *converſatio* deſit, quia ſubſtantialis corporis ſive Naturæ Humanæ præſentia deſiit *Act.* 1. *Familiaris* verò *converſatio* etſi cum eâ ſimiliter deſiit; jam inde tamen à reſurrectione deſinere cœpit, ut apparitiones Chriſti docent, *Ioh.* 20. 21. & Lucas *cap.* 24. v. 44. *Servilis* autem *conditio* ſtatim ceſſavit cum reſurrectione, etiam tum cum adhuc viſibiliter verſaretur in terris. Hoc loco primò & principaliter de *priore* relictione Chriſtus agit: ſicut colligere eſt *partim* ex antitheſi terminorum à quo & ad quem: *Relinquo*, inquit, *mundum*, id eſt, terram, *& proficiſcor ad Patrem*, id eſt, aſcendo in cœlum; *partim* ex antitheſi adventus & abitus: *Prodii à Patre*, emiſſus ſcil. in plenitudine temporis; & *veni in mundum*, factus ibi ex muliere caro, *Ioh.* 1. v. 14. *Gal.* 4. v. 4. ſive manifeſtatus in carne, 1. *Timot.* 3. v. 16. *iterum relinquo mundum*, quoad carnem ſcil. *Ioh.* 6. v. 62. 63. *& proficiſcor ad Patrem*. In oppoſitione *Lutherana* eſt Elenchus ſimilium. Non ſunt loquutiones ſimiles: exire à Patre, relinquere Patrem, (quod tamen hic non legitur) & exire è mundo, relinquere mundum. Nam *prius* metaphoricè dicitur de λόγῳ, non minus quàm eum Deus *Geneſ.* 11. v. 7. aut filius hominis *Iohan.* 3. v. 13. dicitur deſcendiſſe è cœlo: *poſterius* de Natura Humana propriè, juxta hiſtoriæ Euangelicæ declarationem *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Actor.* 1. Dictum *Ioh.* 17. v. 11. ſeipſum declarat his verbis, *Ego ad te venio*. Antecedentia igitur, *Non ſum amplius in mundo*, intelligenda ſunt per enallagen præſentis pro futuro, paulo poſt non ero. Alterum *Luc.* 24. v. 44. de familiari ac ordinariâ Chriſti cum diſcipulis præſentiâ, quæ jam tum definebat, ita loquitur, ut alteram corporalem in terrâ non diu poſt deſituram eſſe indicet, quin & iſtius cauſſam ſtatuat.

Quomodo Chriſtus mundum reliquerit.

Act. 3. v. 21.

Actor. 3. v. 21. In expoſitione hujus dicti. I. pervertitur ordo

do constructionis, & prædicatum transponitur in locum Subjecti. II. Vox οὐρανὸς hic non angelum, basin, aut circumferentiam, sed regnum & gloriam cœlestem significat. III. Vocabulum δέξασθαι non intelligendum de locali inclusione contenti in continente, sed de regia, potenti & gloriosâ regni Christi occupatione. *Resp.* I. Ordo constructionis non pervertitur, sed à transpositione quadam, Petro alibi quoque usitata, 1. *Epist.* 3. v. 21. 2. *Epist.* 1. v. 19. ex scopo & verbis ipsius in ordinem revocatur. Sic nec transponitur Prædicatum in locum Subjecti; sed quod in enunciatione Logicâ subjectum sit, nullo alioquin articulo hic indigitatum, è Grammaticâ verborum dispositione cognoscitur. Quamvis si verbum δέξασθαι explicetur cum Nazianzeno passivè per δεχθῆναι ὑπ' οὐρανοῦ, id quod ipsi Subjectum esse volunt, videlicet Christum, manet. II. Vox οὐρανὸς Paradisum cœlestem, cœlum tertium, cœlum beatorum, ubi Christus sedens ad dextram Patris gloriosè regnat, secundum alia Scripturæ loca & hujus quoque circumstantias significat. Ergo locum rei locatæ spacium significat: quomodo & Christus vocat *Ioh.* 14. vers. 3. III. Verbum δέξασθαι omnino notat localem inclusionem, non qualis est captivi in carcere, sed qualis locati in loco; non exclusâ interim regni administratione, quam è cœlo Christus gloriosè exercet. Etenim tum nativa verbi hujus significatio, tum sequentia, *Vsque ad tempora restitutionis omnium*, expositionem hanc apertè confirmant; pulcherrimeque convenit cum articulo de reditu Christi è cœlo ad judicium.

Hebr. 8. v. 4. ἐπὶ γῆς hîc non *in*, sed *de terra* significat; quasi dicat: Christus non est terrenus sive Leviticus Sacerdos. I. quia alias sacerdos noster non fuisset, adhuc in terra exsistens. II. ab æquipollentibus *Ioh.* 17. v. 14. *Cap* 15. v. 19. *Resp.* Verum quidem est, Christum non esse terrennum sive Leviticum sacerdotem; verum etiam ἐπὶ τῆς γῆς idem quandoque esse quod ἐπίγειον, ut constat ex collatione *Coloss.* 3. v. 2. & *Phil.* 3. v. 19. At hic aliud significatur, Nam I. ἐπὶ γῆς vers. 4. opponitur alteri, ἐν τοῖς οὐρανοῖς vers. 1. At hoc locum notat. Ergo & illud, II. Idem ex scopo colligitur, qui est demonstrare excellentiam sacerdotii Christi supra Leviticum, quod pro sanctuario, tabernaculo, habet non terram sed cœlum. III. Etiam ex consequentibus; Si adhuc in terrâ esset, non esset sacerdos. Cur? quia Sacerdotes Levitici Heb. 8. v. 4.

vitici manerent; utpote quorum ſacerdotium abrogari nequivit; niſi Chriſto in Sanctuarium cœleſte evecto, ſacerdotioque ſuo plenè fungente. *Ratio* exponitur à fine, v. 5. quia umbræ rerum cœleſtium durant ex inſtitutione Dei, uſquedum ipſæ exhibeantur. Quæ vero contra objiciunt, jam dicta non attingunt. Nam I. Etſi in terrâ non fuit ſacerdos quantum ad ἐμφανισμὸν apud Patrem, *Hebr.* 9. v. 24. interpellando pro nobis, *Rom.* 8. v. 34. *Hebr.* 7. v. 25. vigore ſacrificii peracti, *Hebr.* 10. v. 12. 14. fuit tamen ſacerdos quantum ad ἱλασμὸν, 1. *Ioh.* 2. verſ. 2. ſive προσφορὰν, *Hebr.* 10. v. 14. II. Æquipollentia non ſunt ἐκ τοῦ κόσμου, *Ioh.* 17. v. 14. *Cap.* 15. v. 19. & ἐπὶ γῆς, *Hebr.* 8. v. 4. Nec *mundus* illis locis terram, ſed turbam impiorum deſignat.

Quia evertit aliquot fidei articulos

II. Quæ doctrina fidei articulos de Chriſto evertit, dubio procul erronea eſt. Doctrina Lutheranornm de Humanæ Naturæ, ſive carnis Chriſti omnipræſentiâ, fidei articulos de Chriſto evertit. Ergo. *Minor* probatur inductione articulorum *Tertii*, *Quarti*, *Quinti*, *Sexti*, *Septimi*; hoc modo: Si corpus Chriſti omnipræſens eſt vi unionis perſonalis; Non potuit *Concipi* vel geſtari in utero Mariæ virginis, utpote quod per omnipræſentiam ſuam aliarum etiam mulierum, adeoque virorum uteris geſtabatur: Non *Naſci*; quia jam ante extra uterum omnipræſens erat, & editum in lucem in utero tamen manebat: Non *Pati* Hieroſolymis ſub Pontio Pilato; quia aliis orbis locis non patiebatur: Non *Mori*; quia anima non potuit ſeparì à corpore localiter: Non *Sepeliri*; quia jam in ſepulchro erat: Non *Reſurgere*; quia etiam extra ſepulchrum degebat: Non *Aſcendere in cœlum*: quia jam ibi erat: Non *Sedere ad dextram Patris in cœlo*; quia extra cœlum: Non *Deſcendere è cœlo ad judicium*; utpote etiam ante in terris præſens. Atqui hæc articulos fidei de Chriſto manifeſtiſſimè evertunt. Ergo doctrina Lutheranorum de omnipræſentiâ carnis Chriſti, articulos fidei de Chriſto manifeſtiſſimè evertit.

Tertium.

Exceptiones Lutheranorum, negantium ullum fidei articulum per carnis Omnipræſentiam everti. Non *Tertium* de *Incarnatione*: I. quia in ſtatu exinanitionis communicatum ſibi Majeſtatem caro Chriſti non exſeruit, ſed localitati aliiſque conditionibus hujus ſeculi ſe ſubjecit. II. Aliud eſt extra uterum Mariæ eſſe, aliud verò extra uterum Mariæ concipi & geſtari. *Reſp.* *Prius* petit

petit principium. Ostendant nobis illam Majestatis, sive Omnipræsentiæ communicationem, quam volunt non exseruisse. Ostendant etiam, quod sicut Christus se aliis vitæ hujus conditionibus, ita etiam localitati ad tempus voluntariè subjecerit. Omnipræsentem esse, actum notat non potentiam: Omnipræsentia exseri vel inhiberi, dilatari vel coarctari nequit: Localitas etiam ex necessitate Naturæ Humanæ, non ex libertate voluntatis dependet. *Posterius* ridiculum est, & absurdum. Etenim dum caro Christi in utero Mariæ concipiebatur & gestabatur, inibi formabatur & ad maturitatem partui convenientem perducebatur. Erat ergo in fieri, ut loquuntur Scholæ. Extra uterum verò si tum fuit, aut etiam fuit in fieri, aut in factum esse. Si *illo* modo; concipiebatur, gestabatur etiam extra uterum, ac proinde discrimen illud nullum est. Sin *isto*; non fuit eadem numero caro in utero & extra uterum; quandoquidem eadem caro utroque statu & conditione simul esse nequit. Non *Quartum* de *Morte*. I. propter extremum Exinanitionis gradum, in quo tempore mortis caro Christi constituta erat. II. quia duplex unio, animæ & corporis in naturâ humanâ, & Naturæ Humanæ ac Divinæ in Personâ. Ideoque etsi anima à carne naturaliter separata; utraque tamen personaliter cum λόγῳ colligata permansit. *Resp.* *Primum* est crambe recocta, aliquoties jam à nobis rejecta. *Alterum* nodum non attingit, multo minus solvit: Nec enim quæritur, An Natura Humana per mortem separata fuerit à λόγῳ; sed, An Natura Humana, Omnipræsens secundum Lutheranos, mori potuerit, id est, anima separari à corpore? Nos negamus stante illâ hypothesi. Nam, quorum utrumque ubique, omnipræsens est; illorum unum ab altero separari nequit. At secundum Lutheranos tum anima, tum caro Christi est ubique, omnipræsens; quia tota Humana Natura est omnipræsens. Ergo. Non *Quintum* de *Ascensione*; quia per eam familiaris tantùm convictus & terrena conversatio, nequaquam realis & invisibilis præsentia sublata est, quam nobis confirmat. I. solennis Christi promissio, II. ascensionem immediatè subsequuta ad omnipræsentem Dei Patris dextram consessio. *Resp.* Imo per ascensionem tam realis corporis in terra præsentia, quàm familiaris conversatio sublata est. Nam ascendit in cœlum terræ oppositum *Psalm.* 115. vers. 16. *Esa.* 66. v. 1.

Quartum.

Quintum.

Matth. 5. v. 34. 35. Ergo terram corpore ſuo reliquit: prout ſe mundum relinquere ait *Iohan* 16. v. 28. Et aſcenſionis hiſtoria non à convictus aut converſationis intermiſſione, verùm à corporis è terra in cœlum, ex loco inferiore in ſuperiorem translatione nobis deſcribitur *Marc.* 16. *Luc.* 24. *Actor.* 1. *capp.* Inviſibilem corporis præſentiam viſibili ſucceſſuram, nec Chriſtus promiſit, nec ſeſſio ejus ad dexteram Patris confirmat, prout ſuo loco dicetur. Non *Sextum* de *Seßione*; quia dextra Dei, ad quam Chriſtus conſedit, totam rerum univerſitatem, id eſt, mundum tum ſuperiorem tum inferiorem comprehendit. Ergo per hanc homo Chriſtus ab hoc mundo inferiore non excluditur. *Reſp.* negando *conſequentiam.* Nam docet Scriptura Chriſtum non ubique, in mundo inferiore & ſuperiore ſimul, verùm in cœlis, *Epheſ.* 1. v. 20. *Hebr.* 8. v. 1, in excelſis, *Hebr.* 1. v. 3. ſedere ad dexteram Dei. Præterea per ſeſſionem hanc in cœlis non excluditur à mundo inferiore Homo Chriſtus, ſed Humana hominis Chriſti natura. Non *Septimum* de *Reditu*; quia viſibilis reditus inviſibilis præſentiæ promiſſionem non evertit. *Reſp.* At promiſſio talis nulla eſt, ſed gratiæ, virtutis, ſecundum Naturam Divinam Omnipræſentem exſerendæ. Ergo etiam inviſibilis corporis præſentia nulla.

Sextum.

Septimum.

Quia corpus Chriſti retinet in unione corporis humani naturam.

III. Corpus Chriſti aut retinet in ipſa Uunione corporis humani naturam, aut non. *Si non*; nec amplius erit corpus humanum, neque Unio ſine omni naturarum mutatione aut confuſione facta dicetur. *Sin retinet*; nullo modo poteſt eſſe omnipræſens. *Probatur.* I. Quod circumſcriptum eſt ſuis dimenſionibus, longitudine, latitudine, & profunditate; id non poteſt eſſe omnipræſens. Opponuntur ſiquidem dimenſum & immenſum. Atqui corpus Chriſti his dimenſionibus eſt circumſcriptum *Luc.* 2. v. 52. *Ieſus proficiebat ſtatura. Cap.* 24. v. 39. *Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut conſpicitis me habere.* Ergo. II. Quicquid partes habet extra partes, id locale eſt, non omnipræſens. Corpus Chriſti habet partes extra partes. *Luc.* 24. v. 39. *Videte manus meas & pedes meos. Iohann.* 20. v. 27. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & profer manum tuam, & immitte in latus meum.* Ergo. III. Quod per ſe viſibile ac palpabile eſt, id non eſt omnipræſens. Corpus Chriſti per ſe viſibile ac palpabile eſt: *Luc.* 24. v. 39. *Contrectate me, & videte, nam ego ipſe ſum.* 1. *Ioh.* 1. v. 1.

Quod

Quod vidimus oculis nostris, quod spectavimus, & manus nostræ contrectarunt. Ergo.

Exceptiones Lutheranorum.

Primò: Dantur argumenta de corporibus merè Physicis, & qua Physica sunt, ac potestate Physicâ aliquid habent. Corpus Christi autem non est corpus merè Physicum, sed in Personâ τȣ λόγȣ super naturæ leges exaltatum, & multis prærogativis hyperphysicis donatum; non nudi hominis sed Dei corpus, qui est Dominus naturæ, &c. *Deinde*: Omnipræsens non est Physicè potestate Physica naturali, & modo naturæ cognito, sed modo hyperphysico & inscrutabili. Alioquin si talia argumenta procederent, quidni ita argumentari liceret? Nullum corpus Physicum, quantum, & dimensum potest intrare clausis foribus, penetrare conclave aut sepulchrum obseratum, ambulare super aquas, concipi sine virili semine, jejunare quadraginta dies, sedere ad dextram Dei & fieri invisibile. At corpus Christi est corpus Physicum, quantum, & dimensum. Ergo. *Resp.* Multum loquentiæ, sapientiæ nihil in tam vanis principii petitionibus. I. Corpus Christi est merè Physicum ratione materiæ, formæ & proprietatum. Habet verò & hyperphysica multa, respectu unionis personalis cum λόγῳ: sed illa naturam corporis Physici non mutant, nec proprietates ejus abolent. Unio non tollit naturam unitorum. II. *Omnipræsens* non est modo sive Physico sive hyperphysico, quia simpliciter non est omnipræsens. Modus ergo frustra objicitur, ubi res non agnoscitur. III. Instantia peccat fallaciâ triplici, plurium interrogationum, petitionis principii, & ambiguitatis. *Illâ*: quia diversissima sunt, quæ in Majore conjunguntur; & alia verè negantur de omni corpore Physico, alia falsò. *Verè*, ingressus per fores clausas, sepulchri obserati penetratio, & invisibilitas sensu Lutherano accepta; ut quæ nulli corpori conveniunt. *Falsò*, conceptus sine virili semine, ambulatio super aquas, jejunium quadraginta dierum, sessio ad dextram Dei; quæ alicui conveniunt. *Istâ*: quia tacitè per deductionem ad absurdum tanquam διδόμενον præsupponit, quod in quæstione est, Christum nimirum corpore suo per fores clausas, per sepulchrum obseratum, sine ulla utriusque cessione

 ne

ne penetrasse: corpore quoque invisibilem factum esse. Hæc denique: quia attributa illa conceptus, ambulationis, jejunii, sessionis considerantur vel ut attributa ordinaria & communia; & rectè negantur de omni corpore Physico: vel ut attributa extraordinaria & singularia; & rectè affirmantur de aliquo corpore Physico.

Secundò: Localitas non est proprium corporis quarto modo. Ergo ex illius affirmatione non inferenda negatio Omnipræsentiæ in corpore Christi. Probatur *Antecedens*: Proprium quarto modo est, quod omni, soli, & semper convenit. At Localitas non convenit omni corpori, quia non convenit cœlo, quod loco non circumscribitur: nec corpori Christi, quod exsistens in λόγῳ exsistit in non loco. Ergo. *Resp. Minor probationis* falsa est. Nam cœlum supremum, etsi non est in loco eo modo, quo alia ei subjecta, quæ corpore extrinsecus ambiente circumscribuntur: est tamen in loco, quatenus certum spacium locale occupat, & est locus, quatenus aliis locatis spacium præbet, sicut disertè vocatur à Christo *Ioh*. 14. v. 3. Sic & *corpus* Christi in loco est, non quatenus exsistit in λόγῳ, qui loci rationem non habet; sed quatenus olim terræ aut maris, nunc verò cœli certam aliquam partem tenet, quantitati corporis respondentem.

Tertiò: Corpus Christi sæpe factum est ἄφαντον, ἀόρατον etiam in statu Exinanitionis *Marc*. 16. v. 12. *Luc*. 24. v. 31. *Cap*. 4. v. 30. *Ioh*. 8. v. 59. Ergo visibilitas separabilis est à corpore, & omnipræsentiam non impedit. *Resp*. negatur *Consequentia* ob fallaciam à dicto secundum quid. Factum est tale non per separationem visibilitatis à corpore, sed partim per miraculosam evasionem sive subductionem, quemadmodum etiam Elias suis, 1. *Reg*. 18. v. 12. 2. *Reg*. 2. v. 16. & Philippus Eunucho subductus fuit, *Actor*. 8 v. 39. partim per retentionem oculorum ne agnosceretur, ut docet Lucas, *cap*. 24. v. 16. quâ retentione opus non fuisset, siquidem Christus formam à nativâ diversam suscepisset. Ita nec Syri Elisæum aut Samariam, 2. *Reg*. 6. v. 18. 19. nec Sodomitæ domum Lothi, *Genes*. 19. agnoverunt; non quod aliquid illorum factum esset invisibile, sed quod oculi ipsorum scotomate percussi ea non cernerent.

Contra

Contra *Omniſcientiam*.

H.N.non eſt omniſcia.

I. In quem cadit ignorantia,inquiſitio,cognitio, admiratio rerum; is omniſcius non eſt. Atqui in Chriſtum cecidit ſecundum Naturam Humanam,ut contra Pontificios oſtendimus. Ergo.

Quia in eam cadit ignorantia.

I I. Quæ ſcientia certis gradibus provecta perfectaque fuit; ea non eſt omniſcientia per unionem perſonalem communicata, Scientia Chriſti ſecundum Naturam Humanam certis gradibus provecta perfectaque fuit,ut oſtendimus. Ergo.

Quia ſcientia ejus paulatim aucta eſt.

I I I. Quod deſtruit intellectus humani naturam, non eſt tribuendum Chriſto ſecundum Humanam Naturam.Omniſcientia Dei Humanæ Naturæ Chriſti indita atque infuſa deſtruit intellectus humani naturam in Chriſto. Ergo. Probatur *Minor*. I. Finitum non eſt capax infiniti citra ſui deſtructionem. Intellectus humanus finitus eſt, Omniſcientia Dei infinita. Ergo. II. Quod tollit diſcurſum intellectus humani ab uno ad aliud, à noto ad ignotum; id ejus naturam deſtruit. Omniſcientia tollit diſcurſum intellectus humani &c.qui enim Omniſcius eſt ſcientia Dei, ei omnia æque nota ſunt, nihil is cognoſcit ſucceſſivè &c. Ergo.

Quia Omniſcientia deſtruit naturam intellectus humani.

Excipiunt hîc Lutherani præter ea quæ cum Pontificiis communia habent; Si cauſa omniſcientiæ ſemper eſt in actu, ſcientia quoque ipſa,maximè in ſtatu Exaltationis,ſemper in actu ſit oportet: & ſi illa ſucceſſionis intervalla non admittit, hæc quoque diſtinctis & ſucceſſivis actibus obnoxia non erit. *Reſp.* Quæ verò cauſa omniſcientiæ? Communicatio,inquiunt,& revelatio τȣ̃ λόγȣ. At revelatio illa non eſt proprietas Dei eſſentialis. Ergo etiam ſcientia Chriſto ſecundum Humanam Naturam communicata non eſt proprietas Dei eſſentialis. Iterum: Si cauſa omniſcientiæ ſemper eſt cauſa in actu, non poteſt eſſe cauſa illa aſſumtio carnis in λόγον; ut quæ ſemel tantum facta eſt, & ex quo facta ſemper manet. Item. Si cauſa omniſcientiæ ſemper eſt & fuit in actu;ipſa quoque omniſcientia ſemper fuit in actu. Ergo non minus in ſtatu Exinanitionis quàm exaltationis, tam actu ſecundo in illo, quàm in hoc. Vbi igitur manet diſtinctio proprietatum reſpectu duplicis ſtatus? *Alterum* de ſucceſſionis intervallis,ex iis quæ dicta ſunt corruit. Nullum effectum Dei,propriè dictum,eſt ipſi æquale. Sci-

le. Scientia Christi secundum Humanam Naturam est effectum Dei revelantis. Ergo ipsi Deo, quoad simplicem & indivisum sciendi actum, æqualis non est. *Item*: Quæ causa successivè & per intervalla operatur; ejus effectum successivis actibus obnoxium est. At revelatio Dei, quæ est opus ad Extra, Humanæ Christi Naturæ facta causa est, quæ ejus scientiam successivè & per intervalla operata fuit *Matth*.3.v.16.*collat.cum Esa*.11.v.2. *Luc*.2.v.40.52. *Apoc*.5.*&* 6.*capp*. Ergo.

H.N. non est Omnipotens.

Contra *Omnipotentiam*:

Quia Christus secundum eam alium potentiorem agnoscit.

I. Qui alium agnoscit se potentiorem, is omnipotens non est. Christus secundum Humanam Naturam alium agnoscit se potentiorem. Ergo. Probatur M*inor*. I. quia petiit sustentari se in passione, patrique multis modis se commendavit *Psal*.16.*&* 22. *Ioh*.12.*&* 17.*Matt*.26.*Luc*.23.*Heb*.5.v.7. II. Quia miracula editurus invocavit Patrem *Ioh*.11.v.41. & alibi, quem etiam dixit se majorem esse. III. Quia humillimè semper agnovit, agnoscitq; se sustentari à λόγῳ, nec per se subsistere posse. Ergo eo ipso agnovit, agnoscitque se non esse omnipotentem.

Excipiunt. Fecit illa Christus non ἁπλῶς, ex necessitate aut indigentia, quod propriæ auxiliandi facultatis inops esset; sed κατ' οἰκονομίαν, certo quodam respectu, quod nimirum missus à Patre in mundum exinanivisset se in forma servi, sub schemate servili potentiam suam occultaret, & ad instar aliorum hominum se gereret. *Resp*. Fecit illa Christus non ἁπλῶς quoad utramque naturam, verum quoad alteram, Humanam: Nam secundum illam simpliciter eguit auxilio, sustentatione Dei; pro conservatione sui oravit &c. Secundum Naturam Divinam verò, idem Christus propter exinanitionem occultavit potentiam suam & gloriam; quievit ut caro assumta mori posset, idque κατ' οἰκονομίαν consilii divini. Qua de re locus est insignis *Phil*.2.*cap*. Admittitur etiam ignoratio Elenchi. Nam argumentum nostrum, de Humanâ Natura Christi *abstractivè*, Exceptio adversariorum de Christo *concretivè* loquitur.

Quia in eam cadit potentia passiva.

II. In quem cadit potentia passiva; in eum cadere nequit omnipotentia Dei. In Humanam Christi Naturam cadit potentia passiva. Ergo. Utriusque propositionis veritas evidens est; *Majoris*;

joris; quia Omnipotentia Dei summam arguit perfectionem, ac proinde omnem imperfectionem, sive patiendi aliquid aut recipiendi facultatem, cujusmodi est potentia passiva, excludit. *Minoris*; quia Humana Natura Christi creatura est; multis infirmitatibus subjecta, multa passa fuit, dotes quoque innumeras Vnionis beneficio accepit. Quæ omnia certissima potentiæ passivæ indicia & argumenta. Brevius sic: Qui Omnipotens, idem impassibilis est & immortalis. Humana Christi Natura post unionem non fuit impassibilis & immortalis. Ergo.

Lutherani ajunt esse impassibilem, immortalem, si potentiam illam infinitam exserat atque usurpet. Quod quo minus fecerit Christus tempore passionis & mortis, in causa erat status exinanitionis & finis missionis. *Resp.* Imo qui Omnipotens est Omnipotentia Dei simpliciter est impassibilis & immortalis: opponuntur enim Omnipotens, & passibilitate, mortalitate impotens. Divina quidem Natura infinitam potentiam non exseruit, ut caro mori posset, sicque Mediator finem missionis sui assequeretur; non autem Natura Humana, ut quæ eam potentiam nunquam habuit.

III. Si Omnipotentia Dei Humanæ Naturæ Christi communicata est; aut ipsissima Dei, aut alia ab ea diversa communicata est. Si *alia*; duæ erunt Omnipotentiæ, duo Omnipotētes. Sin *ipsa Dei*. I. Natura H est principium formale operationum divinarum: *Ratio*; quia Omnipotentia Dei est illatum principium. Consequens absurdum. Ergo. II. Est etiam Deus: Quisquis enim eâdem potentiâ operatur qua Pater, Deus est, ex doctrina Christi *Ioh.* 5. Humana Natura Christi non est Deus. Ergo.

Quia nec Dei, nec alia omnipotentia ei est communicata.

Exceptio. Esset Deus, scilicet si Omnipotens esset ex se, & naturæ suæ proprietate essentiali. *Resp.* Reditur ergo ad petitionem principii, quod Deitas Christi Omnipotens sit ex se & proprietate naturæ, Humanitas verò per gratiam Vnionis. Nos contra asserimus Deum esse quicunque verè & propriè Omnipotens est, sive talis ex se esse dicatur, sive aliunde. *Etenim* Nullus in Scriptura Omnipotens vocatur, nisi solus Deus: quisquis igitur Omnipotens est secundum Scripturam, Deus est secundum Scripturam. Omnipotentia est ipsa Dei essentia: ut ergo qui essentiâ divinâ præditus est, Deus est; ita etiam qui Omnipotentia. *Et*, an non passim apud Prophetas Deus ab iis, qui naturâ non sunt Dii, se hoc argumento

mento distinguit, quod Omnipotentiâ suâ creavit, sustentat universa? *Postremò*: In Novo T. ubi persona Christi secundum naturas in ea unitas distinguitur, Omnipotentia N. Divinæ oppositè ad Humanam tribuitur: *Rom.* 1. v. 4. *Declaratus filius Dei* ἐν δυνάμει, *in potentia*, id est, Omnipotentia *secundum spiritum sanctificationis*. 1. *Pet.* 3. v. 18. *Mortificatus carne, vivificatus autem Spiritu*, id est, virtute Omnipotente Deitatis suæ.

H.N. non habet vim Vivificandi.

Contra *Vim Vivificandi* sive *Vitam* Dei, quâ statuitur Natura Christi Humana prædita esse, eoque etiam nos efficaci divinâ virtute vivificare.

Quia non est Deus.

I. Quisquis vitam, sive illam vivificandi vim in se ipso habet, Deus est. Humana Christi Natura non est Deus. Ergo. Probatur: *Major*. I. testimonio Christi *Ioh.* 5 v. 26. *Sicut Pater habet vitam in se ipso, sic dedit & Filio habere vitam in se ipso.* item v. 21. *Sicut Pater vivificat, ita & Filius quos vult vivificat*: ubi habere vitam in se ipso, vivificare, est Deum esse per se viventem & vivificantem. II. ratione: Vita Dei est ipsa viva & actuosa ejus essentia. Ergo cui illa communicatur, eidem communicatur essentia Dei sive ipsa Deitas.

Quia est effectum Dei illa vita.

II. Nullum Dei effectum est ejus proprietas. Vita supernaturalis, per quam vivifica sit Humana Christi Natura, est effectum Dei. Ergo. *Minor* confirmatur: I. Quæ natura vivificatur à Deitate, ejus vita Deitatis vivificantis effectum est. Humana Christi Natura vivificatur à Deitate, tanquam à principio interno sibi personaliter unito: *Ratio*; quia illa *est fons vitæ Psal.* 36. v. 10. ex quo quicquid est vitæ & virtutis vivificæ, naturalis aut supernaturalis, in creaturas manat. Item; *Spiritus est id quod vivificat Ioh.* 6. v. 63. quod analogicè etiam ad Deitatem Christi, quæ *sanctificationis Spiritus* dicitur *Rom.* 1. v. 4. humanam naturam personaliter sibi unitam vivificantem, referri potest. Ego. II. *A Simili*: Vita quâ vivit corpus, vitæ animæ effectum est, non vero ipsa animæ vita. Ergo vita qua vivit Humana Christi Natura, effectum est Deitatis, non autem vita ipsius Deitatis. *Consequentia* valet etiam ex hypothesi Lutheranorum, qui Deitatem cum animâ, Humanitatem cum corpore eo usque comparant.

III. *Si*

III. Si Natura Humana vitam illam & vivificandi vim in se habet, aut mortua est revera, aut non. *Si non*; historia passionis, mortis ad δόκησιν Marcioniticam trahitur. *Sin mortua*; aut exstincta una cum Natura Humana vita illa, aut ante mortis tempus ab eâ fuit separata. Non *Primum*; quia ut Deus semper vivit, nunquam moritur vel exstinguitur; ita nec vita illa, qua vivit, exstinguitur. Non *secundum*; quia soluta non fuit unio personalis duarum Naturarum, per quam eam Naturæ Humanæ communicatam fuisse ajunt. Concludimus ergo Naturam Humanam vitam illam & vivificandi vim nunquam in se habuisse. Quia præsente illâ vitâ mori nequivisset.

Exceptiones Lutheranorum.

Primò: Vita Christi naturalis per mortem exstincta est, non supernaturalis & hyperphysica, quę ab unione personali dependet. *Resp.* Sic ergo Natura Humana Christi (de qua agitur, non de Christo absolutè) mortua fuit, quoad vitam naturalem, non mortua quoad vitam supernaturalem, hyperphysicam, composito ex anima & corpore communem. Corpus in cruce pendens, in sepulchro jacens, mortuum propter vitæ naturalis privationem, vivum nihilominus propter vitę supernaturalis communicationem; atque ita simul mortuum & non mortuum, vivum & non vivum. Quas contradictiones sibi habeant.

Secundò: In morte facta est actus secundi vitæ hujus libera & voluntaria abdicatio. *Resp.* Atqui vita Dei est viva & actuosa Dei essentia; purus actus, non potentia actui permixta. Λόγος quidem inhibuit potentiam suam & vim divinam effectivè, ut caro mori posset: juxta dictum *Irenæi*, at non etiam Natura Humana, ut quæ talem potentiam nunquam habuit.

Rationes Lutheranorum in Genere.

Pro *Communicatione Proprietatum Dei.*

Affirmantes Heterodoxæ.

I. Cui communicatur hypostasis divina & infinita, eidem idiomata etiam divina & dona infinita communicantur. Humanæ Christi Naturæ communicatur hypostasis divina & infinita. Ergo. *Assumtio* probatur: Humana Christi Natura aut est αὐτοϋπόστατος aut ἐνυπόστατος, hoc est, subsistit hypostasi vel propria Quia Humanæ N. communicata fuerit hypostasis divina.

priâ, vel à λόγῳ communicatâ. Non propria; sic enim persona assumsisset personam. Ergo. *Resp.* Si communicatio accipitur pro Unione, ut sensus sit: Qui unitur λόγῳ in hypostasi Divinâ & infinita, ei uniuntur etiam idomata Divina, datur totum. Secus *Minor* falsa est. Etenim non aliter λόγος communicavit carni suam hypostasin, quam accepit sive assumsit carnem in suam hypostasin. Atqui accepit sive assumsit carnem in suam hypostasin, uniendo eam sibi in hypostasi. Ergo sic quoque hypostasin ei communicavit, Proinde caro Christi est ἑτερυπόστατος vel potius ἐνυπόστατος; quia personalitate humanâ carens, assumta est in hypostasin τοῦ λόγου, & in ea subsistit. Cæterum cum argumentum hoc adversarii semper ferè jactabundi in ore habeant, & velut clypeum Ajacis Homerici ubique objectent, est nobis disserendum de eo paulò fusius. Phrasis, *communicare hypostasin*, non Scripturæ est, sed Scholasticorum ac Patrum quorundam. Nam Scriptura aliis verborum formulis mysterium Unionis declarat; ut quum ait: λόγον *factum esse carnem*, *Ioh.* 1. v. 14. *factum ex muliere*, *Gal.* 4. v. 4. *factũ participem carnis & sanguinis*, *Heb.* 2. v. 14. *accepisse formam servi*, *Phil.* 2. v. 7. *assumsisse semen Abrahæ*, *Heb.* 2. v. 16. Est etiã vox *communicationis* significatu ambigua, sensu generalis. *Ambigua*; quia usu *communi* accipitur *vel* pro effectione rei diversæ, *vel* pro reali traditione rei ejusdem quæ subjectis diversis fit, ex quâ communis ejus possessio sive participatio est. Usu *singulari* verò Theologorum accipitur pro Unione personali duarum in Christo naturarum. *Generalis*; quia cum varii sint communicationis modi, communicatio peculiaris termino quoque peculiari & specifico explicanda est, qualem in hoc mysterio nobis suggerit Scriptura, dum modum unionis per λαβὼν τῆς μορφῆς δούλου, *Phil.* 2. v. 7. per ἐπίληψιν σπέρματος Ἀβραάμ, *Heb.* 2. v. 16. declarat. Igitur pro triplici verbi *communicandi* significatu, triplex esse potest phraseos sensus; nimirum quod λόγος carni communicarit hypostasin *vel* efficiendo in eâ aliam numero hypostasin, *vel* suam hypostasin in carnem transfundendo, *vel* carnem in hypostasi sibi uniendo. *Primo modo* phrasis est ἑτερόδοξα & Nestoriana. Nam si effecit λόγος aliam numero hypostasin in carne, duæ sunt hypostases, duæ personæ, una increata altera creata; atque ita non unus Mediator, non unus Dominus, non unus Christus, 1. *Tim.* 2. v. 5. *Eph.* 4. v. 4. 1. *Cor.* 8. v. 5. 6. *Gal.* 3. v. 16. *Secundo modò* similiter hæretica est: *partim* propter dualitatem personarum; quia caro

Communicare hypostasin quid

Vocis *Communicationis* ambiguitas.

Triplici modo dicitur communicari hypostasis.

caro non minus persona esset quàm λόγος: *partim* propter ὑποστάσεως sive personalitatis τοῦ λόγου conditionem. Etenim personalitas ejus est æterna ejus generatio à Patre, per quam habet τὸ εἶναι personale, & distinctam à Patre & Spiritu Sancto subsistentiam. Proprietates personales sunt simpliciter incommunicabiles, non modò rebus creatis, sed ipsis etiam personis Deitatis. Ergo hypostasin sive personalitatem τοῦ λόγου carni communicatam dicere, est incommunicabile absolutè facere communicabile; est carnem ab æterno genitam, ex Patre per divinę essentiæ communicationem genitam pronunciare. *Tertio modo* phrasis est Orthodoxa, sed generalis, declaranda per phraseologiam specialiorem Schripturæ, quod λόγος communicarit suam hypostasin carni, accipiendo sive assumendo eam in hypostaseos suæ unitatem, ut ita caro ejus sit non hypostasis, sed ἐνυπόστατος; non seperatim exsistens, sed in λόγῳ exsistens, tanquam instrumentum ei personaliter conjunctum ad peragendum opus redemtionis nostræ. Hinc autem *pro* communicatione idiomatum in abstracto nihil concluditur. Nam ita λόγος communicavit carni Idiomata, ut communicavit hypostasin. Atqui istam communicavit uniendo. Ergo & illa communicavit uniendo. *Contra* communicationem idiomatum verò sic concluditur: Si communicata est carni hypostasis Divina, ut communicata esse ajunt idiomata divina; sequitur quod sicut propter communicationem idiomatum secundum ipsos rectè dicitur, caro est Omnipræsens, Omniscia, Omnipotens; caro habet Omnipræsentiam, Omniscientiam, Omnipotentiam: ita propter communicationem hypostaseos rectè dicatur, caro est hypostasis, caro habet hypostasin sive personalitatem. Consequens falsum est. Ergo & Antecedens. *Præterea* illud quoque inde conficitur quod communicatio Idiomatum non sit effectum Unionis personalis, prout tamen sentire videri volunt. Etenim Forma Unionis non potest esse ejus effectum; quia nihil potest se ipso esse prius & posterius. Communicatio Idiomatum, stante illa sententia de communicatione hypostaseos, est forma Unionis Personalis. Ergo. Probatur *Minor*: Si hypostasis τοῦ λόγου nihil est aliud, quàm essentia divina cum peculiari subsistendi modo, quo in communitate sua restringitur, & ab aliis personis incõmunicabiliter distinguitur; necessario sequitur, quod communicatio subsistentię Divinę sit communicatio proprietatum divinarum sic modificatarum: & cujus forma est communicatio subsistentiæ,

Orthodoxus sensus.

ejusdem forma sit communicatio proprietatum modificatarum per subsistentiam: Verum Antecedens; ipsorummet etiam confessione. Ergo.

Quia Humanæ N. tota Deitatis plenitudo sit communicata.

II. Cui se communicavit tota Deitatis plenitudo; ille non accepit gratiam duntaxat particularem & finitam, sed universam & infinitam. Humanæ Christi Naturæ sese communicavit tota Deitatis plenitudo, *Colloss.* 2. v. 9. & *in eo habitat* omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Ergò. *Resp. Minor.* falsa est. Nam Apostolus non ait in Naturâ Humanâ, sed *in Christo* habitare totam Deitatis plenitudinem, ut qui personam ejus nobis describit, & ab aliis distinguit. Phrasis itaque metaphorica ad propriam revocata hunc sensum habet: Christus est verus Deus & verus homo. *Deinde* si maximè ita loqueretur de Natura Humana, tanquam templo Deitatis, *Ioh.* 2. v. 19. aliud tamen est *habitare* sensu Apostolico, aliud *communicare* sensu Lutherano. *Habitare corporaliter* Apostolo significat, totam Deitatis plenitudinem unitam esse Naturæ Humanæ, non umbraticè, effectivè, & separabiliter, ut in typis Veteris Testamenti, prophetis, sacerdotibus &c. verum *personaliter*; quemadmodum corpus umbræ opponitur, v. 17. & Veteres ὑφιςάμενον sive personam σῶμα dixerunt, propter veram & substantialem naturæ singularis exsistentiam. *Communicare* autem *realiter* Lutheranis significat, dare, indere Humanitati totam Deitatis plenitudinem. Quod ipsum planè diversum est à priore; nec in personali, sed in ea unione fit, ubi per conversionē aut commixtionem partes coeunt in unum. Alioquin & anima rationalis totam essentiæ suæ plenitudinem communicaret corpori in quo personaliter habitat. Sed vertamus dictum Apostolicum in ipsos ejus depravatores: Cui tota Deitatis plenitudo communicata est, ei ipsa Deitas, ipsa essentia Divina communicata est. Humanæ Naturæ Christi tota Deitatis plenitudo communicata est. Ergo & ipsa Deitas, & per consequens Humana Natura est ipsa Deitas, ipsa Divina essentia. *Item*: Cui omnis Deitatis plenitudo communicata est; ei æternitas, simplicitas, immutabilitas, immortalitas quoque communicatæ sunt. *Ratio*; quia plenitudine illa citra controversiam continentur. Humanæ Naturæ Christi communicata est, &c. Ergo.

Col. 2 v. 9. explicatur.

Habitare corporaliter quid.

Communicare realiter quid.

Quia gloria H. Naturæ sit eadem cum eâ quam ante creationem Christus habuit.

III. Gloria quam habuit Christus apud Patrem, priusquam mundus hic fieret, est gloria divina, æterna, increata & infinita.

Gloria

Gloria quâ Christus secundum Humanam Naturam glorificatus est in tempore, est eadem illa gloria quam habuit &c. *Ioh.* 17. v. 5. Ergò. *Resp. Minor* falsa est. Nam eâ gloriâ glorificatus est non secundum Naturam Humanam, verùm Divinam. Secundum Naturam Humanam autem glorificatus est gloriâ creatâ; præordinatâ quidem ante conditum mundum, at in tempore per resurrectionem, ascensionem, sessionem ad dextram Patris ei collatâ. Est igitur duplex Christi glorificatio, & duplex gloria. Utramque in peccatione suâ conjungit. Quod si gloriam illam beneficio unionis jam inde ab utro obtinuisset in Natura Humana, nihil certè caussæ fuisset, ut mortem adiens eam peteret à Patre. Sed *instant*: Natura Divina non potest glorificari, ut quæ semper æquè gloriosa est. Ergo nec petiit ejus glorificationem. *Resp.* Non potest glorificari accessione, potest verò manifestatione gloriæ in forma servi ad tempus occultatæ *Phil.* 2. v. 5. 6. *& seqq.* Quomodo & Pater filium, *Ioh.* 12. v. 28. & Filius seipsum, *Ioh.* 2. v. 11. item Filius Patrem, *cap.* 17. v. 4. 6. & nos Patrem glorificare dicimur *Matth.* 5. v. 16.

Rationes Lutheranorum in Specie.

Naturam Humanam esse Omnipræsentem.

Pro *Omnipræsentia.*

I. Si caro Christi ita λόγῳ unita est, ut totus λόγος in illa habitet, & caro in infinita & indivisa ejus hypostasi subsistat, ac inter λόγον & carnem nullum χώρισμα aut διάστημα intercedat; necessariò sequitur, ut ubicunq; est λόγος, ibi præsentem sibi habeat carnem. Verum Primum. Ergo & Secundum. *Resp. Consequens* ambiguum est. Si *hoc* sensu capitur, quod λόγος ubique sibi habeat carnem personaliter unitam, datur totum. Sin *alio*, quod quibus locis presens est λόγος, iisdem locis etiam caro sit presens, ad cavendum sc. χώρισμα aut διάστημα, negatur *consequentia. Ratio* evidens est; quia ad illud cavendum satis est, quod caro alicubi simul est cum λόγῳ, & quod λόγος per essentiæ suæ infinitatem & simplicitatem nunquam deserit carnem, aut discedit ab eâ. *Alii sic proponunt:* Quodcunque in eo toto est, quod totum ubique est; illud etiam ubique sit necessum est. Humana Natura est in toto λόγῳ, qui ubique est. Ergo. *Resp.* Iterum negatur *sequela.* Valet de eo

Quia totus λόγος in eâ habitet

quod est in toto Omnipræsente per exæquationem; sive de tali unione, quæ est rerum pariter infinitarum: non autem ubi natura finita unitur infinitæ, retentia sua finitudine. Et si caro, quia subsistit in Omnipræsente, est omnipræsens; quidni æterna, simplex, immortalis sit, cum in tali non minus subsistat? *Item*: Extra quod, is qui ubique est, nullibi est; id ubique sit necesse est. At λόγος, qui ubique est, extra carnem nullibi est. Ergo. *Resp.* Est fallacia quatuor terminorum ex ambiguitate præpositionis. *Extra.* Nam in *Majore* negativè notat inclusionem, in *Minore* separationem. Est ergo λόγος & *non extra carnem*; quia non est separatus à carne: & *extra carnem*; quia non est inclusus carni. Verum *Lutherani* probant, λόγον simpliciter non esse extra carnem, vel si sit, non manere ei personaliter unitum. *Prius* ostendunt his argumentis: I. Si λόγος est extra carnem; aut totus, aut ex parte. *Non ex parte*; quia ἀμέριστος. *Nec totus*; quia solveretur unio, per quam totus habitat in carne, *Coloss.* 2. v. 9. Ergo. *Resp.* negatur membrum *posterius assumti*; quod totus non sit extra carnem. Nec tamen solvitur Unio; quia qui totus est in carne, etsi non inclusus carni, totus etiam est extra carnem, sed non separatus ab ea; idque propter essentiæ suæ infinitatem & simplicitatem. II. Si λόγος alicubi est extra Humanitatem, alicubi non erit Homo. At λόγος nuspiam non est homo. Ergo *Resp.* limitando *Majorum*: Non erit homo alicubi, si alicubi ab humanitate sua separetur. At nuspiam separatur. III. Si λόγος aliquibus in locis est extra carnem; habebimus duplicem λόγον, ἔνσαρκον & ἄσαρκον: sunt enim contraria in carne esse & extra carnem esse, 2. *Cor.* 12. v. 3. At non habemus nisi unum λόγον semper & ubique ἔνσαρκον. Ergo. *Resp.* Recurrit eadem fallacia. Esset duplex λόγος: si alicubi separatus esset à carne. Id verò constanter negamus. In *Probatione* est Elenchus Parium: Non enim si paulus finitus esse simul nequevit in carne & extra carnem, etiam λόγος Infinitus esse nequit: Alioquin nec simul esse posset in cœlo & in terrâ, quia Paulus utrobique simul esse nequit. Sed produnt hic πρῶτον ψεῦδος suum, quod perpetuò comparant finitum & infinitum, compositum & simplex, creaturam & creatorem, tanquam paria, quæ maximè sunt disparia. IV. Quod semper & ubique in carne σωματικῶς habitat, illud extra carnem nunquam & nuspiam est. λογος semper & ubique in carne

ne σωματικῶς habitat. Ergo. *Resp.* Per limitationem *Majoris*. Quod semper & ubique in carne σωματικῶς habitat, id est, ei personaliter unitum est; illud non est extra carnem, sive separatum à carne. Ita *Major* vera est, & conceditur totum. Aliter si accipiatur prædicatum Majoris, ut sensus sit: illud est inclusum carni, seu non patet latius quam caro, negatur *Consequentia* ob rationem ante dictam. *Posterius* adstruunt ex loco Apostoli *Col.* 2. v. 9. totidem argumentis: I. Qui versatur extra οἶκον; ille quatenus versatur extra, non habitat ἐν οἴκῳ. λόγος quatenus in hâc terrâ versatur secundum Calvinistas, versatur extra οἶκον suum. Ergo. *Resp.* *Minor*. non universaliter de omnibus inhabitantibus, sed de iis tantum loquitur, qui sunt finitæ & divisibilis essentiæ. II. *Minor* falsa est, quod secundum nos λόγος ita versetur extra οἶκον suum, Humanam Naturam, ut non maneat ei personaliter unitus. Contrarium *Cathechesis* nostra apertis & rotundis verbis testatur. II. Qui extra κατοικίαν suam agit, ille non actu κατοικεῖ. Λόγος in hâc terrâ extra κατοικίαν suam agit. Ergo. *Resp.* Datur *Major*. de eo qui agit separatus; non autem qui agit unitus, etsi non inclusus. III. Ubicunque λόγος extra carnem est, ibi non est πᾶν πλήρωμα λόγου in carne. λόγος in hâc terrâ extra carnem. Ergo. *Responsio* eadem est cum priore. IV. Ubicunque λόγος tantum est θεικῶς, ibi non est σωματικῶς. At λόγος in terra tantum est θεικῶς. Ergo ibi non est σωματικῶς. *Porro*: ubi λόγος non est σωματικῶς, ibi cessat unio; quia cessat σωμάτωσις: Uniri enim & σωματοῦσθαι, ἢ σωματικῶς κατοικεῖν, æquipollent. In terra λόγος non est σωματικῶς. Ergo in terra cessat unio. *Resp.* In *Majore* est Elenchus oppositorum. θεικῶς & σωματικῶς non opponitur respectu unius ejusdemque, sed respectu diversorum. Proinde falsa est *Major*: ubicunque λόγος tantum est θεικῶς, scil. Præsens aliis per essentiam aut gratiam; ibi non est σωματικῶς, scil. inhabitans carnem suam tanquam templum. Sin autem oppositio fiat ad idem, conceditur totum; quia in quo λόγος tantum habitu τεικως, per essentiam aut gratiam, in eo non habitat σωματικῶς per unionem personalem. Atqui ita in terrâ in nullo habitat σωματικῶς; quia nulli in terra exsistenti σωματικῶς est unitus. Ex his *Porisma Lutheranorum* suapte sponte corruit: Ubi λόγος non est σωματικῶς, scil. habitans in carne sua, ibi cessat unio scil. cum carne. *Hoc sensu* vera est propositio. Nam

Explicatio & Vindicatio dicti *Col.* 2. v. 9

Adver-

adverbium illud verbo κατοικεῖν junctum, *Coloss.* 2. v. 9. peculiarem inhabitationis in Christo modum designat. *Altero sensu*, quem poscit illatio: Ubi λόγος non est σωματικῶς, alii scil. inibi exsistenti unitus; ibi cessat unio; apertè inconsequens & falsa est.

Quia Ecclesię suæ ubicunque præsentiam suam promiserit, & præstet.

II. Qui singulis fidelium cœtibus ubicunque congregatis præsentiam suam promisit; verè & præsentissimè Ecclesiæ suæ in terris congregatæ adest. Christus Homo singulis fidelium cœtibus ubicunque congregatis præsentiam suam promisit. Ergo. *Minorem* probant verbis promissionis, *Matth.* 18. v. 20. *Cap.* 28. v. 20. ubi pronomen *Ego*, significare ajunt personam secundum utramque naturam; I. quia Christus homo visus est ambulare in medio Ecclesiarum. *Apoc.* 1. v. 13. *Cap.* 2. v. 1. astitit Paulo in castris confirmans eum, *Actor.* 23. v. 11. atque ita complevit promissionem. II. quia secundum utramque naturam in Ecclesia operatur; per operationem autem præsentia declaratur *Marc.* 16. v. 20. III. quia præsentia in Ecclesia est apotelesma officii utrique naturæ communis. IV. quia nulla est caussa, quæ *in* dulcissima hac promissione Naturam Humanam à Divina nos cogat separare. V. quia totus Christus in terris præsens est. VI. quia secundum utramque naturam est caput Ecclesiæ in terrâ militantis, à quâ tanquam à corpore suo, citra vitæ, quam ex ipso haurit, jactuaram abesse nequit. *Resp.* In *Minore* non sunt termini æquipollentes; Christus homo, & Christus secundum Humanam Naturam. Nam *prior* dividit personam, *Posterior* limitat eam secundum alteram naturam. Quod si & *prior* sensu non distributivo, sed limitativo sumatur, fit tamen illud καταχρηστικῶς. Verùm *Minor*, prout à Lutheranis de carnis sive Humanæ Naturæ præsentiâ declaratur, falsissima est. Nuspiam talem præsentiam pollicetur Christus, quin contra testatur eam nobis non expedire, *Ioh.* 16. v. 7. Loca *Matth.* 18. &. 28. agunt de præsentiâ non corporis, verùm gratiæ & spiritus. Quippe solatur presbyteros, Apostolos, eorumque successores adversus molestias vocationis, argumento gratiosæ præsentiæ, quam etiam ipsis veraciter præstitit, Marco teste *cap.* 16. v. 20. Sanè præsentia gratiæ Christi præsentiam personæ ejus præsupponit: verum secundum eam naturam cujus propria est omnipræsentia. Proinde pronomen *Ego*, quod personam notat, ad Naturam Divinam

vinam omnipræsentem restringuimus: planè sicut restringendum est ad eandem naturam in dicto Christi; *Antequam Abraham esset, Ego sum Ioh.* 1.v.58. Ubi non valet effugium sermonem esse de Personâ Christi simplice, ἀσυνθέτῳ, qualis ante incarnationem erat. Nam is designatur pronomine *Ego*, qui disserabat cum Judæis Christus incarnatus disserebat cum Judæis. Ergo. *Præterea:* Ostendit dicto illo non hominem tantùm, prout opinabantur Judæi, sed & Deum esse. Ergo de Personâ suâ loquitur, prout erat post incarnationem. *Denique*: Is notatur pronomine illo, cujus diem videre gestivit Abraham. Christi incarnati, tanquam seminis sibi promissi, diem videre gestivit Abraham *Luc.* 10. vers. 24. Ergo. Nunc *Rationes* adversariorum ordine inspiciamus: I. *Apoc.* 1.v.13. *Cap.* 2. v. 1. vidit Johannes Filium hominis ambulantem inter septem candelabra, non visione oculari in terrâ, sed visione mentali, sive in Spiritu, *cap.* 1.v.10. id est in ecstasi, *Act.* 10. v. 10. quomodo & Paulus sibi adstantem conspexit *Act.* 23. v.11. II. Operatur Christus secundum utramque naturam, dona conferens in Ecclesiam, sed ita ut virtus omnipotens procedat à Naturâ Divinâ omnipræsente. Ad quas operationes satis est personam esse omnipræsentem, licet non secundum utramque naturam. III. Præsentia gratiæ est apolesma officii, non fictitia præsentia corporis: quæ si esset, certè ab unione non esset. IV. In promissione non separamus Naturam Humanam à Divinâ, sed naturas distinguimus in Personâ: à qua promissionis complementum est. V. Totus Christus in terris præsens est, sed non absolutè secundum utramque naturam, verum limitatè secundum alteram, Divinam. VI. Etsi caput, Christus videlicet, corpore abest ab Ecclesiâ in terris militante, tamen non abest simpliciter, quia ei ut corpori mystico, vinculo spiritus conjunctissimum manet.

III. Qui ascendit longè supra omnes cœlos, & implet omnia; ille transcedit omnem locum, est omnipræsens, nuspiam excluditur. Christus homo longè ascendit supra omnes cœlos, implet omnia, teste Apostolo *Ephes.* 4. vers. 10. Ergo. Atque hoc dictum, non de Deitate, sed Humanitate accipiendum esse contextus ostendit; *Ascendit, ut impleret omnia.* Quid enim absurdius quam dicere quod Humanitas ascenderit, ut Deitati impletio omnium impetraretur? quasi verò Humanitas Dei- *Quia omnia impleat.*

tati aliquid consequatur, aut Deitas non ante omnia impleverit; *Resp.* Aut est fallacia quatuor terminorum, aut si verba *adscendit* & *implet* eodem modo sumuntur in Majore & Minore juxta mentem Apostoli, Major simpliciter, Minor secundum quid falsa est. *Major*; quia *ascendere supra omnes cœlos*, non est transcendere omnem locum, sed ascendere supra omnes cœlos aspectabiles, & in cœlum supremum ut locum supremum, *Ioh.* 14. v.3. transferri. Nam ita dicitur *ascendisse supra omnes cœlos, Eph.* 4. v.10. ut nihilominus esse dicatur in cœlo *cap.* 1. v.20. Sic, *implere omnia* non est corpore omnipræsente loca omni replere, sed membra omnia Ecclesiæ implere donis Spiritus Sancti. Etenim implere illud, vers.8. *antecedente* vocat dona dare hominibus; in sequentibus verò modum ejus declarat per donationem Apostolorum, Prophetarum, Pastorum &c. ad ædificationem corporis Christi v.11.12.13. *Minor*; quia secundum solam Naturam Humanam ascendit quidem in cœlum; at secundum eam solam non implet omnia donis: Nam impletio est apotelesma officii utrique naturæ communis. Absurdum nectit adversarius ex suo cerebro, non ex nostrâ doctrinâ. Non dicimus Humanitatem ascendisse, ut Deitati aliquid impetraret, sed ut cum Deitate suâ, quamvis modo diverso, exaltatâ & glorificatâ daret dona hominibus, effuso cœlitus in eos Spiritu Sancto. Quod si Humanitas ascendit ut corpore impleret omnia, quomodo inde à conceptu per unionem personalem dicitur fuisse omnipræsens?

Eph 4.v.10. vindicatur.

IV. Quod ad totam Dei dextram sedet; cum eâ ubivis præsto est. Humanitas Christi ad totam Dei dextram sedet; quia dextra Dei non est in partes dividua. Ergo. *Resp.* I. negatur consequentia *Majoris* universaliter sumtæ, idque duplici de causa. *Prima* est; quia sessio ad dextram Dei est dignitas officii, quod Christus cœlitus exercet, gloriosè dominando in medio inimicorum suorum: Apostolo 1.*Cor.* 15.v.25. ita verba illa ex *Psal.* 110. v.1. interpretante. Ubiquitas autem est essentialis Dei proprietas, ipsa Dei essentia Omnipræsens. *Altera* est, quod docet Scriptura, Christum non ubique, sed in cœlis sedere ad dextram Dei, *Ephes.* 1.v.20. *Hebr.* 8.v.1. atque hujus rei gratia etiam in cœlum ascendisse. Ubi certè phrasis illa (*in cœlis*,) determinatio loci, non gloriæ cœlestis significatio est propriè; siquidem Chri-

Quia sedeat ad totam Dei dextram.

Christus *locum*, *Iohann.* 14.v. 3. *ubi, cap.* 17.v.14. vocat; promitttit Spiritum ex alto, *Luc.* 24.v. 49. & gloria ipsa præcedente Sessionis vocabulo significanter exprimitur. II. *Minor* sensu Lutherano falsa est, nimirum solam humanitatem, sive Christum secundum solam Humanam Naturam sedere ad dextram Dei; cum tamen personæ sit secundum utramque naturam, tanquam officium Mediatoris exaltati, in gubernatione & defensione Ecclesiæ occupatum. Quod qui negat non modo innumeris Scripturæ locis *Psal.* 110. *Luc.* 22. 1.*Cor.* 15. &c. contradicit; verum etiam Deitatem Christi à muneris mediatorii administratione cum Pontificiis in totum excludit: quandoquidem hoc Christi statu munus illud extra Sessionem ad dextram nullum est.

Pro *Omniscientia*.

Naturam Humanam esse Omniscientem.

I. Qui unctus est Spiritu sapientiæ & scientiæ ultra consortes, non ad mensuram, ita ut ex ejus plenitudine omnes participemus; ille præditus est scientia infinita. Christus secundum Naturam Humanam ita unctus est *Esa.* 11.v.2. *Psalm.*45. v. 8. *Iohan.* 3. v. 34. *Cap.* 1. v. 16 Ergo. *Resp.* negatur consequentia *Majoris*; quia spiritus sapientiæ & scientiæ est donum sapientiæ & scientiæ à Spiritu Sancto effectum. Quod donum esse nequit infinita & essentialis scientia Dei. *Præterea* non dat Deus Spiritum Christo ad mensuram; quia sine numero & gradu dona Spiritus ipsi largitur: ita quidem ut quę in aliis disjuncta sunt, in ipso reperiantur conjuncta; quę in aliis imperfecta, in ipso sint perfectissima; alii quoque ex redundante ipsius plenitudine dona sua accipiant. Propterea tamen dona illa creata esse non desinunt; dicunturque *non ad mensura data*, non absolutè, quasi simpliciter immensa sint, ut simpliciter immensa est sapientia, scientia Dei; verum comparatè quoad nos, & omnia Christi membra, quæ ex ejus tanquam capitis sui plenitudine accipiunt gratiam pro gratia; quam comparationem Scriptura *Iohann.* 3. vers. 34. implicitè; *Psalm.* 45. vers.8. *Hebr.*1. vers. 9. explicitè proponit.

Quia Spiritu Sancto uncta sit abundantissime.

II. In quo reconditi sunt omnes Thesauri sapientię; ille universali, plenâ, & perfectâ præditus est scientia. In Christi humanitate

Quia in eâ reconditi sint omnes thesauri sapientiæ.

manitate reconditi sunt omnis Thesauri sapientiæ *Coloß*.2. v. 3. Ergo. *Resp*. I. ad *Majorem*: Aliud est universalis, plena, & perfecta sapientia, aliud omniscientia essentials Dei. Potest & talis sapientia esse sapientia creata. II. In *Minore* duplex Phraseos fallacia admittitur. *Vna*, quod illud *In quo*, exponitur de humanitate Christi, cum tamen vel de mysterio Euangelii, vel de Christo concretivè ex mente Apostoli accipiendum sit. *Altera*, quia thesauri sapientiæ & cognitionis non significant omniscientiam Humanæ Naturæ Christi communicatam, sed salutarem Dei Patris cognitionem in Christo, quâ sapientes redimur ad salutem.

Quia sit καρδιογνώστης, judex mundi.

III. Qui est καρδιογνώστης, & judex futurus totius mundi; is præditus est omniscientia essentiali Dei. Christus secundum Humanam Naturam est καρδιογνώστης, *Iohann*. 2. v. 24. 25. *Marc*. 2. v. 8. *Matth*. 9. v. 2. &c. est Judex futurus totius mundi; quia *dedit ipsi Pater auctoritatem judicium exercendi*, *quatenus Filius hominis est Ioh*. 5. v. 27. Ergo. *Resp*. I. In Subjecto *Majoris* non eadem ratio καρδιογνωσίας, & Judicii, ad omniscientiam. *Illa* immediatè eam arguit, non hoc. II. *Minor* partim vera partim falsa est. *Vera*, quod Christus secundum Naturam Humanam sit futurus judex. *Falsa* 1. quod secundum Naturam Humanam sit καρδιογνώστης verè scil. & propriè, ut Deus. Nam *Marc*.2.v.8. ad Deitatem ejus id apertè refertur, quæ revelavit Naturæ Humanæ, quoties arcana cordium cognovit. II. quod Christus secundum solam Naturam Humanam sit futurus judex totius mundi. Nam Judicium Universale est Apotelesma officii secundum utramque naturam, non secundum alteram tantùm. Distinctæ ergo operationes utriusque naturæ ad illud concurrunt; Divinæ per omniscientiam & omnipotentiam, Humanæ per reditum ad judicium, & actus judicii visibiles *Matt*. 25. descriptos.

Ioh.5.v.27. explicatur.

Iohann. 5.v.27. particula ὅτι aut limitativa est, aut causalis. Si limitativa, significans *quatenus*, docet Christum non tantùm quatenus Deus, sed etiam quatenus homo, judicii exercendi auctoritatem accepisse à Patre, ut ex sententiarum cohærentia, vers. 26. 27. colligitur. Sin causalis, *quia* significans, causam ostendit collatæ Filio hujus auctoritatis; nimirum quod exsistens in formâ Dei se exinanivit acceptâ formâ servi, factus filius hominis, prout illud *Phil*. 2. v.6.7.8.9. Apostolus declarat.

IV. Qui

IV. Qui adoratur, omniſcius eſt. Humanitas Chriſti adoratur in perſona ejus. Ergo. *Reſp.* I. ad *Majorem*: Qui adoratur adoratione religioſâ, per ſe ſcil. & ſuâ naturâ, is eſt omniſcius; ſimpliciter vera non eſt. II. ad *Minorem*. Adoratio Perſonæ eſt non Humanitatis. Scriptura docet Chriſtum eſſe adorandum, nuſpiam dicit Humanitatem ſive carnem ejus eſſe adorandam, quam tamen ab orationis objecto non excludimus, quia Dei caro eſt, τῷ λόγῳ perſonaliter unita. Quia adoretur.

Pro *Omnipotentia*.

Humanam Naturam eſſe Omnipotentem. Quia ipſi data ſit omnis poteſtas.

I. Cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terrâ, ei data eſt Omnipotentia Divina & infinita. Chriſto ſecundum Humanam Naturam data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: quemadmodum ipſe poſitetur *Matth.* 28. v. 18. Ergo. Utramque propoſitionem probant: *Majorem*; quia ἐξουσία eſt δύναμις, ut quæ per δύναμιν, κράτος &c. explicatur, *Apoc.* 5. verſ. 12. 13. & tum iſtic tum alibi, *Luc.* 4. v. 36. *Cap.* 9. v. 1. vocabula illa promiſcuè uſurpantur. πᾶσα ἐξουσία verò eſt πᾶσα δύναμις, omnipotentia Divina & infinita; quod conſtat. I. Ex additâ notatione, in cœlo & in terra, *Matth.* 28. verſ. 18. quæ poteſtatis infinitatem notat *Pſal.* 135. v. 6. II. ex epithetis Scripturæ, quod ſit poteſtas æterna, *Dan.* 7. v. 14. abſque fine *Luc.* 1. v. 33. III. ex objectis; quia eſt poteſtas omnis carnis, *Iohann.* 17. v. 2. omnis populi, tribus, & linguæ, *Dan.* 7. omnis creaturæ, *Apoc.* 5. terminorum terræ, *Pſal.* 2. omnium operum Dei, *Pſal.* 8. inimicorum etiam, Diaboli, mortis & inferni *Pſal.* 110. & 1. *Corinth.* 15. IV. ex deſcriptionibus, quod ſit dominatio in medio inimicorum, ſubjectio rerum omnium ſub pedes, exaltatio ſupra omnem principatum &c. V. ex effectis, quæ ſunt mundatio à peccatis, vivificatio, reſuſcitatio &c. *Minorem*. 1. quia data ei naturæ, cui aliquid dari poteſt, quæ eam ante non habuit: II. quia data dicitur filio hominis, *Dan.* 7. v. 14. agno occiſo *Apoc.* 5. verſ. 12. *Reſp.* Argumentum hoc non concludit quæſtionem. Quæritur an Omnipotentia Dei communicata ſit Naturæ Humanæ à λόγῳ in unione perſonali? Argumentum oſtendit non quid Humanæ Naturæ à λόγῳ, ſed quid Chriſto à Deo Patre datum ſit: non in unione, ſed poſt reſurrectionem. Etenim Pater

 dedit

dedit filio potestatem in omnem carnem, *Iohann.* 17. v. 2. potestatem judicium exercendi, *cap.* 5. v. 27. & filius omnia sibi à Patre tradita esse fatetur *Matth.* 11. v. 27. Sic potestas illa, saltem quoad Naturam Humanam, data est Christo non in unione, sed demum post resurrectionem, ut *Philip.* 2. v. 7. 8. 9. Apostolus docet. Quia tamen adversarii multum in eo præsidii positum putant, breviter utramque ejus propositionem, cum annexis rationibus considerabimus. *Major*, quæ ex loco *Matth.* 28. exstruitur, falsa est: Nam ut ἐξουσία non est δύναμις, ita nec πᾶσα ἐξουσία est πᾶσα δύναμις, hoc est, ut ipsi interpretantur, Divina & infinita potentia, sive omnipotentia essentialis Dei. *Ratio* in promtu est; quia ἐξουσία est rei alicujus faciendæ jus, potestas, auctoritas; δύναμις illius faciendæ facultas & potentia, quæ duo non modo distincta sunt, verum quandoque ita disjuncta, ut qui ἐξουσίαν habet; careat δυνάμει, & contra. Ἐξουσία igitur non est δύναμις absolutè. Neque etiam hoc loco esse potest. I. quia est auctoritas mandandi & judicandi. Si enim infert Christus: *Data est mihi* πᾶσα ἐξουσία: *Euntes ergo* &c. hoc est, mando igitur vobis ut Euangelium, ante non prædicatum, nunc prædicetis omnibus gentibus. *Data est mihi* πᾶσα ἐξουσία, quisquis igitur crediderit &c. id est, Ergo salutem credentibus Euangelio, damnationem incredulis adjudicabo *Marc.* 16. vers. 16. At mandandi, judicandi auctoritas est illa agendi jus atque potestas. II. quia locis similibus de potestate, auctoritate citra controversiam accipitur, cujusmodi sunt *Ioh.* 17. v. 2. *Cap.* 5. v. 27. *Matt.* 7. v. 29. *Marc.* 1. v. 27. *Objiciunt* contra alia loca *Apoc.* 5. v. 12. 13. *Luc.* 4. v. 36. *cap.* 9. v. 1. Sed *primo* ne vox quidem ἐξουσίας reperitur, verùm Agno, id est, Christo exaltato laus virtutis, divitiarum, sapientiæ, fortitudinis &c. tribuitur. *Secundo* & *tertio* reperitur quidem juncta voci δυνάμεως: ad non ad ostendendam earum synonymiam, verùm ad significandum in Christo & Apostolis tum jus & autoritatem edendorum miraculorum, tum etiam virtutem ac potentiam fuisse. Diversa igitur sunt. Præter hanc est & alia caussa inconsequentiæ in *Majore.* Πᾶσα ἐξουσία est apotelesma personale mediatoris, *Actor.* 2. v. 36. 1. *Cor.* 15. vers. 25. πᾶσα δύναμις sive omnipotentia proprietas essentialis Dei. *Illa* potestati superioris Dei subordinata est, 1. *Cor.* 15. v. 27. qui Jesum fecit Dominum & Christum *Actor.* 2. v. 36. *Cap.* 5. v. 31. *Hoc* nullius poten-

ἐξουσία & δύναμις quid differant.

Mat. 28. v. 18. vindicatur.

potentiæ ſubordinatur. *Illa* finem habitura eſt, cum tradet Chriſtus regnum Patri, 1.*Cor.* 15. v. 24. ut is ſolus ſine Mediatore ſit omnia in omnibus v. 28. *Hac* ut principii ſic finis omnis expers eſt; Quia duplici reſponſione *Major* infirmata corruit, *rationibus* adjunctis haud quicquam eam ſuffulcientibus. Nam *Prima, Tertia* & *Quarta*, quæ ab objecto hujus poteſtatis ducuntur, petunt principium, ita concludentes: Chriſto Mediatori data eſt omnis poteſtas tum in Angelos cœli, tum in homines terræ. Ergo data ei omnipotentia eſſentialis Dei. *Secunda* fallaciam habet à dicto ſecundum quid. Eſt poteſtas æterna & ſine fine; quia duratura eſt uſque ad conſummationem ſeculi, antequam non erit ejus finis. At poſt erit finis, quum tradet regnum Patri, ut Apoſtolus loquitur 1.*Cor.*15.v.24. De *Quinta* mox dicetur ad controverſiam ſequentem. Succedit *Minor*, quæ cum excluſivè intelligatur ab adverſariis de ſola Humanitate, ſimiliter falſa eſt. Nam Pronomen *Mihi*, non in abſtracto Naturam Humanam, ſed in concreto Perſonam deſignat. Et quia poteſtas illa officii regii pars eſt, vel etiam ipſum officium regium, tam verè Chriſto ſecundum utramque naturam convenit, quàm vere rex noſter eſt ſecundum utramque naturam. Deitati quidem nihil dari poteſt ratione eſſentiæ, at poteſt ratione officii, ut illud de voluntate Patris ſuſpiciat atque exſequatur. Habuit jam ante omnem poteſtatem: ſed ut gloriam Deitatis occultatam in forma ſervi glorificata à Patre recepit, *Ioh.* 17. ita & poteſtatem reſtitutam quaſi recepit. Filius hominis etiam dicitur qui de cœlo deſcendit, *Ioh.* 3. v. 13. & agnus occiſus tollens peccata mundi *Iohann.*1.v.29. Deus ſanguine ſuo acquirens Eccleſiam, *Actor.*20. v. 28. Dominus gloriæ crucifixus, 1.*Cor.* 2. verſ. 8. appellatur. Undè patet utrumqne Perſonæ non alterius naturæ nomen eſſe.

II. Ratio ducitur à totâ Deitatis plenitudine, quæ in Chriſto habitat. Et III. à Seſſione ad dextram Dei Patris Omnipotentis. De quibus cum ante ſat dictum, hic illorum repetitione meritò ſuperſedemus.

Pro-

Naturam Humanam habere vim vivificandi.

Pro *Virtute Vivificandi.*

Quia λόγῳ omnia vivificanti personaliter unita sit &c.

I. Si caro Christi τῷ λόγῳ omnia vivificanti personaliter unita est, & hic se ipsum totum carni assumtæ communicavit, ut in vitæ & salutis nostræ negocio perficiendo eam sibi haberet cooperatricem; non potest assumtę carni facultas vivificandi deesse. Verum prius. Ergo & posterius. *Resp.* Si Consequens intelligitur de virtute vivificandi omnipotente, sive de vita Dei; ut intelligi necesse est ad concludendam quæstionem, negatur *consequentia*. *Ratio* est; quia caro unita est λόγῳ omnia vivificanti, salvâ naturâ suâ & proprietatibus; λόγος etiam se totum carni communicavit, non per transfusionem proprietatum suarum in carnem, sed per unionem cum carne in suâ persona; & quidem hoc fine, ut in vitæ & salutis nostræ negocio perficiendo eam sibi haberet cooperatricem: verùm operante carne quæ Humanitatis sunt, & λόγῳ quæ Deitatis, conjunctim quidem propter apotelesmata θεανδρικά, attamen distinctè.

Quia nos cibet & potet de vitam Æternam.

II. Quicquid nos cibat & potat ad Vitam Æternam, illud verè & ἐνεργητικῶς est vivificum. Caro Christi nos cibat, & sanguis ejus potat ad Vitam Æternam *Iohan. 6. v. 56. 57. & seqq.* Ergo. *Resp.* Duplex admittitur fallacia. *Ignorationis Elenchi* & *à dicto secundum quid*; quarum utraque nascitur ex divisione componendorum. *Illa*; quia non quæritur, An caro Christi sit vivifica, id enim ipsi docemus, confirmamus ex v. 51. ubi danda dicitur pro mundi vita; sed, An vivifica sit per communicatam sibi vitam Dei in unione personali, quam deinceps in vivificatione nostri omnipotenter exserat? *Ista*; quia caro nos cibat, sanguis nos potat non simpliciter, sed quatenus manducatur, bibitur, hoc est, fide percipitur, ut multoties ibidem inculcatur. Unde sic concludimus: Quicquid nos cibat & potat ad Vitam Æternam, illud verè & ἐνεργητικῶς est vivificum. Caro Christi data pro mundi vita & fide manducata nos cibat, sanguis ejus effusus in Remissionem peccatorum fide perceptus nos potat ad Vitam Æternam. Ergo sic verè & ἐνεργητικῶς vivifica sunt. Sed quid hoc pro Lutheranis?

Quia sanguis Christi emundet ab omni peccato.

III. Quod emundat ab omni peccato, purgat conscientias ab operibus mortuis, quis acquisita est Ecclesia; id prædi-

tum

tum est virtute vivificandi. Sanguis Christi emundat ab omni peccato, 1.*Joh.* 1. v. 7. purgat conscientias ab operibus mortuis, *Heb*.9.v.14.& est id quo acquisita est Ecclesia *Act*.20.v.28.Ergo. *Resp*.1. ad *Majorem*: quod emundat,purgat virtute vivificâ Dei; illud præditum est eâ virtute. Quod emundat purgat merito suo & applicatione fidei; id illis modis vivificum censetur. II.ad *Minorem* Sanguis Christi mundat purgat, an virtute vivificâ Dei, carni in unione communicatâ; Minimè verò sed facit illud *partim* merito; quia effusus est in remissionem peccatorum,id est,ad eam nobis acquirendam,*Matt*.26.v.28. *partim* sui applicatione per fidem, quâ corda purgantur *Act*.15.v.9. *Præterea* & hoc tenendum est, locutiones illas esse synecdochicas, quibus apotelesmata personæ secundum utramque naturam, tribuuntur sanguini per synecdochen partis. Quam tamen loca ipsa manifestè indigitant & declarant. Nam 1.*Joh*.1.v.7. dicitur sanguis filii Dei.*Heb*.9.v. 14. sanguis ejus qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum Deo: & *Act*.20.vers. 28. acquisitio Ecclesiæ per sanguinem hunc facta Deo asscribitur.

Controversia de OFFICIO *Christi;* Samosatenianorum.

De *Officio*.

Prima: Samosatenianorum. *An Christus propter officium Propheticum & Regium dicatur Deus, Servator*,

PRIMA: *An Christus propter officium Propheticum & Regium dicatur Deus, filius Dei, & Servator noster*? Samosateniani affirmant, *Ostorodius Inst.Rel. Christi. cap*. 20.37. 40. Nos propter utrumque officium Deum aut Filium Dei dici, vel etiam propter utrumque tantum Servatorem appellari negamus.

Succedunt ex ordine *Controversiæ de Officio Christi*,quod nos triplex, *Samosateniani* duplex esse asserunt,*Propheticum & Regium*;*illud* in manifestatione voluntatis Divinæ, *istud* in administratione sive exsecutione ejusdem voluntatis positum.*Sacerdotale*,quod loco intermedio consistit,& officium ipsum triplex facit, non agnoscunt tanquam partem peculiarem muneris mediatorii,verum esse ajunt

Socinianis *Sacerdotium* Christi est officii Regii administratio.

ajunt *ipsam officii regii administrationem*, quę figuratè *Sacerdotium* dicatur, ut hâc ratione significetur Christum non tantum ut potentē Dominum credentibus in ipsum in omnibus miseriis succurrere posse, sed etiam ut misericordem, & similiter absq; peccato tamen tentatum, succurrere velle. Hoc ipsorum commentum tali argumento refellimus: Cui convenit definitum, & definitio sacerdotis propriè dicti; is est sacerdos propriè dictus, & officium sacerdotale propriè dictum gerit. At Christo convenit definitum & definitio sacerdotis propriè dicti. Ergo. Definitum *Ps.* 110. v. 4. *Iuravit Iehova & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Heb.* 5. v. 5. 6. *Christus non sibi tribuit hunc honorem ut Pontifex fieret, sed is qui dixit ei, filius meus es, Ego hodie genui te; sicut & in alio psalmo dicit, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* quę Christi appellatio *cap.* 7. 8. 9. 10. frequenter recurrit. Definitio; quia Sacerdos est qui offert victimas pro peccatis, & interpellat pro peccatoribus; definiente Apostolo *Heb.* 5. v. 1. *Cap.* 7. v. 25. Christus utrumq; pręstitit: *Heb.* 10. v. 12. *Hic* scilicet Sacerdos *una pro peccatis oblata victima in perpetuum sedet ad dextram Dei. Cap.* 7. v. 25. *semper vivens ut interpellet &c. Rom.* 8. v. 34. *Christus is est, qui mortuus est, qui interpellat pro nobis.* 1. *Ioh.* 2. v. 1. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum justum; Et ipse est propitiatio pro nostris peccatis &c. Samosateniani* sententiæ hujus suæ has *Rationes* afferunt: I. Quod factus sit demum sacerdos postquam resuscitatus à mortuis ascendit in cœlum. II. Quod illius sacerdotii rara mentio sit in N. T. exceptâ *Epistola ad Hebræos*. III. Quod regni Christi & Sacerdotii eadem ratio sit, idemque modus & effectus. Nam *purgatio à peccatis*, est liberatio à morte & ærumnis; *interpellatio* est potestas liberationis, quæ apud Patrem fieri dicitur, quandoquidem illam à Patre dono acceptam obtinet. *Resp* 1. Apertè falsa est, & Scripturę contraria, quę docet Christum oblatâ in terris victimâ, *Heb.* 10. v. 12. purgatione peccatorum per se ipsum factâ, *cap.* 1. v. 3. sedisse ad dextram Dei; adeoque jam in ara crucis redemtionis negocium consummasse *Ioh.* 19. v. 30. In cœlis quidem factus est sacerdos quoad ἐμφανισμὸν, *Heb.* 9. v. 24. sed in terris jam fuerat quoad ἱλασμὸν 1. *Ioh.* 2. v. 2. *Rom.* 3. v. 25. Est etiam consequens; quia in cœlo degit & ut sacerdos interpellando pro nobis, *Heb.* 7. v. 25. & ut rex dominando in medio inimicorum suorum 1. *Cor.* 15. v. 25. II. Iterum inconsequens est: Rara mentio sit sacerdotii. Ergo acci-

Confutantur

accipitur pro regno. Antecedente insuper falsa, quia historia Evangelica & epistolæ Apostolorum actuum & functionum sacerdotii Christi, etsi non iisdem nominibus, frequentissimè meminerunt. III. Similiter falsa est. Nam sacerdotium consistit in oblatione & interpellatione; Regnum in gubernatione & defensione: illud antecedens est, hoc consequens. *Purgatio à peccatis, Heb.* 1. v. 3. est eorundem expiatio, quam liberatio à morte & ærumnis sequitur 1. *Cor.* 15. v. 54. *Rom.* 8. v. 23. *Interpellatio*, non est potestas liberationis propriè, sed apparitio coram Patre, *Heb.* 9. v. 24. cum passione & morte, propter quam vult nos recipi in gratiam, & in ea conservari, &c.

His ita præmissis, de *controversia* ipsâ agendum est, Prædicata tria sunt: *dici Deum, dici Filium Dei, dici servatorem*. De *Primo & Secundo* vidimus jam *loco tertio de Deo*, ostendimusque Christum non propter officium mediatorium, verum propter essentiam Divinam *Deum*: propter communicationem essentiæ, in æternâ illâ generatione à Patre factam, *Filium Dei* vocari. *Tertium* de *Servatore* hic in disquisitionem venit. *Samosateniani* Christum triplici modo & esse, & dici ajunt nostrum *Servatorem*: Annunciatione, Confirmatione, & Communicatione. *Annunciatione*; quia, inquiunt, annunciavit nobis arcanam voluntatem Dei, quod is supplicium Mortis Æternæ nobis pro ineffabili suâ bonitate, nullâ prorsus interveniente satisfactione, condonare, ejusque loco præmium Vitæ Æternæ donare velit; dummodo resipiscamus, & abnegata omni impietate vitę innocentię ac sanctimoniæ deinceps studeamus. *Confirmatione*; quia id omne confirmavit vitæ inculpatæ exemplo, patratione miraculorum, passionibus, sanguinisque effusione, tandem etiam resurrectione à mortuis. *Communicatione*; quia omnibus id credentibus pro datâ sibi potestate Vitam Æternam confert atque communicat. *Nos* vero, Christum triplici illo modo servatorem nostrum dici posse non negamus quidem; interim negamus triplici illo modo tantum esse aut dici nostrum Servatorem, contendimusque vel maximè isthoc nomine appellari *propter Satisfactionem* mortisque meritum, nimirum quod pro peccatis nostris Deo satisfecit, nobisque Remissionem peccatorum, justitiam, & Vitam Æternam acquisivit.

Status Controversiæ.

Cur Christus dicatur *Servator* ex sententiâ Socinianorum.

Vera causa istius appellationis.

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Quia propterea Jesus dictus, quod servaturus esset suos à peccatis.

I. Propter quod Deus Christo nomen *Iesu*, hoc est, servatoris per Angelum indi jussit; propter id noster Servator est. Atqui indi jussit propterea, *quod servaturus esset populum suum à peccatis ipsius*, *Matt*.1.v.21. merito & efficacia. *Merito*; dando nimirum animam suam in redemtionis pretium pro multis, *Matt*.20.v.28. effundendo sanguinem suum in remissionem peccatorum pro multis, *Cap*.26.v.28. tollendo peccata mundi, *Ioh*. 1. v. 29. purgationem peccatorum per se ipsum faciendo, *Heb*.1.v. 3. sicque Ecclesiam proprio suo sanguine acquirendo; *Act*.20.v.28. *Efficacia* dando resipiscentiam & remissionem peccatorum, *Act*.5.v.31. effundendo Spiritum Sanctum, *cap*.2.v.33. donando salutem corpori, *Eph*.5.v.23. vitam æternam ovibus suis *Ioh*. 10.v.28.29. *Merito*, ut sacerdos *Heb*.10.v.12. *Efficacia*, ut Rex *Actor*.2.v.36. *Cap*.5.v. 31. Ergo.

Exceptiones adversariorum ad dicta quædam Controversiâ sequente refutabuntur.

Quia inde Servator dictus, quo Solus servator est.

II. Eo modo Christus propriè noster servator est, quo modo solus noster servator est. Annunciatione, Confirmatione, non est solus noster servator, verum satisfactione, merito &c. Ergo. *Major* patet, quia *non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari Actor*. 4. vers. 12. Mediator etiam inter Deum & homines, & Dominus Ecclesiæ non nisi unus est 1.*Tim*.2.vers.5.6.*Eph*.4.v.5. 1.*Cor* 8. vers. 5.6. *Minor* probatur: *Annunciatione* & *Confirmatione* non est solus servator, quia Prophetæ in Veteri & Apostoli in Novo Testamento eandem cum Christo salutis viam annunciarunt, *Ioh*.5.v.39.46. *Actor*.10.vers. 43.*Cap*.16.v.17. confirmarunt eam vitæ sanctitate, in quâ etiam imitatores ipsorum esse jubemur, *Heb*.13.v.7. 1.*Cor*.11.v.1. 1.*Thess*.1.v.6. patratione miraculorum, *Exod*. 7.8.9.*capp*. 1.*Reg*.18.v.38. 2.*Reg*.2.3.4.*capp*. *Act*.3.v.6. *Cap*.5.v.12.*&* *seq*. passionibus & morte *Heb*.11. v. 36.*&* *seq*. 2.*Cor*. 1.vers.5.6.*Col*.1. v.24. 2.*Tim*.2. vers. 10. *Satisfactione* autem & Merito est solus Servator. Nam torcular calcavit solus *Esa*.63.v.3. Unus pro omnibus mortuus est, 2.*Cor*. 5. v. 15. per Unius obedienti-

entiam (quâ factus est patri obediens usque ad mortem crucis, *Phil.* 2.v.8.) justi constituuntur multi *Rom.* 5.v.19.

Excipiunt.

Primò: Prophetæ tantum prædixerunt Christum venturum esse 1.*Pet.*1.v.10.11. idque obscurè sub typis. Ergo viam salutis per ipsum non annunciarunt. *Ratio*; quia annunciatio est rei præsentis ad eam pertinentis cui annunciatur. *Resp.* negatur *Consequentia*. Nam annunciando prædixerunt & prædicendo annunciarunt, *Psal.*40.v.10. & 147.v.19. *Esa.*52.v.7. & aliis locis. *Ratio* ejus nititur falsâ hypothesi geminâ. I. Quod annunciatio sit rei tantum præsentis. Atqui Jacobus filiis annunciasse dicitur ventura, *Gen.*49. v.1. Deus indicare futura, *Esa.*44.v. 2. Spiritus Sanctus ventura renunciare *Ioh.*16. v. 13. II. Quod prophetia de Christo ad Patres V. Testamenti nihil pertinuerit. Contrarium dicta Prophetarum, *Esa.*53. *Psal.*32. & exempla Patrum, *Rom.* 4. *Heb.* 11. atque etiam Apostolorum testimonia *Act.*10.v.43. *Cap.* 15. v.10. 11. ostendunt.

Annunciatio communis Christo cum Prophetis & Apostolis.

Secundò: Apostoli annunciarunt quidem eandem cum Christo salutis viam, sed impropriè, ut qui non primi eam annunciarunt: & secundario, delecti scilicet ad id à Christo, & nomine ac vice illius annunciantes. Ergo licet suo modo servarunt alios, propterea tamen servatores non dicuntur, sed solus Christus. *Resp.* Falsum est *Antecedens*. Nam Apostoli quamvis missi à Christo, & legatione pro ipso functi sint, propriè tamen nuncii fuerunt, propriè viam salutis annunciarunt; nec distinguuntur à Christo ut nuncii secundarii à primario, sed ut servi à Domino, ut nuncii salutis ab ejus auctore 1.*Cor.* 3. v.5. *Cap.*4.v.1. Præterea si valet illatio contra Apostolos, valebit quoque contra ipsum Christum, qui non venit à se ipso, sed missus à Patre, *Ioh.*7.v.28. 29. qui non loquutus est à se ipso, *Ioh.*14.v.10. sed à Patre, & Pater per ipsum, *Heb.*1.v.1. qui in annuncianda salutis doctrina fuit servus Patris *Esa.*42.v.1. eoque doctrinam illam non suam sed Patris esse professus est *Ioh.* 7. v. 16.

III. Ita Christus noster servator est, ut est mediator. Atqui Mediator est Deum offensum & homines offendentes reducendo in novum fœdus, & istos illi reconciliando sanguine ac morte sua,

Quia mediator est satisfactione.

te suâ, tanquam placamento & redemtionis precio. Ergo. *Major* plana est. Nam *Mediatio* totum Christi Servatoris officium complectitur; ut à servando solus dicitur servator, *Actor*. 4.v.12. ita à mediatione solus mediator 1.*Tim*.2.v.5. *Minoris* veritas his dictis nititur: 1.*Tim*.2.v.5.6. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus qui se ipsum dedit redemtionis principium pro quibusvis. Heb*. 9.v.15. *Itaque ob id novi pacti mediator est, ut morte intercedente ad redemtionem &c. Rom*.5.v.10. *Cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus &c. Quem proposuit, placamentum per fidem in sanguine ipsius cap*.3.v.25. *Qui est propitiatio pro nostris peccatis* 1. *Ioh*.2.v.2. Videantur etiam de reconciliatione loca 2.*Cor*.5.v.18. *& seq. Eph*.2.v.16. *Col*.1.v.20.&c.

Exceptiones Samosatenianorum.

Primò: Mediator est internuncius, interpres, ut Moses *Gal*.3.v. 19.20. non satisfactor aut reconciliator. *Resp*. Ex particulari malè concluditur universale: illic est, Ergo ubique est. Atqui aliis locis, pro satisfactore, reconciliatore apertè sumitur. 1.*Tim*.2.v.5. 6. dicitur, quod ut Mediator dederit se in ἀντίλυτρον pro quibusvis; Ἀντίλυτρον precium est quo satisfit pro debito. *Heb*.8.v.6. Christus Mediator vacatur pacti melioris, illis videlicet, quod est in sanguine ipsius in Remissionem peccatorum effuso, *Luc*. 22.v.20. *Matt*.26.v.28. cujus etiam sponsor factus erat *Heb*.7.v.22. Eadem nominis ratio *cap*.9.v.15. *cap*.12.v.24. ut ex circumstantiis planum est; quicquid etiam in speciem oggranniant Hæretici.

Secundò: Christus nos reconciliavit Deo, non Deum iratum nobis placando, sed significando esse ipsum nobis propitium, remittere peccata, modo resipiscamus. *Ratio* est; quia nuspiam docet Scriptura, quod Christus reconciliarit nobis Deum, sed quod nos reconciliarit Deo, sive quod Deus nos sibi reconciliarit in Christo. Nec opus fuit eum nobis reconciliari per Christum, qui nos jam ante Christum dilexit, & dilectione illa inductus Christum nobis donavit. *Resp*. Exceptio disertè contrariatur Scripturæ, affirmanti Christum esse *placamentum*, id est, placatorē *Rom*. 3.v.25. esse *propitiationem*, id est, propitiatorem 1.*Ioh*.2.v.2. Apud quem vero? Certè non apud nos, sed apud Deum, qui irascitur omni iniquitati *Psal*.5.v.6.7. *Psal*.11.v.5.6. *Prov*.11.v.20. cujus

Quomodo Christus nos Deo reconciliarit.

ira

ira se ostendit è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, *Rom.* 1. v. 18. cujus iræ omnes naturâ obnoxii sunt, *Eph.* 2. v. 3. *Rom.* 3. 19. à cujus ira per Christum servamur *Rom.* 5. v. 9. 1. *Theß.* 1. v. 10. Idem ex officio Christi Mediatorio colligere est. Christus Mediator est inter Deum & homines 1. *Tim.* 2. v. 5. Cur? qui Deus & homo dissidebant propter peccatum, quo homo Deum offenderat, Deus ab homine offensus erat. *Iniquitates*, inquit Esaias *cap.* 59. v. 2. *disterminant inter vos & Deum vestrum; & peccata vestra faciunt, ut occultet faciem à vobis, ne exaudiat.* Christus ergo medians Deum offensum placat, dando se ἀντίλυτρον, redemtionis, satisfactionis precium 1. *Tim.* 2. v. 6. atque ita hominem offendentem Deo offenso reconciliat. At, *inquiunt*, non dicit Scriptura, quod Christus nobis Deum reconciliarit. Nimirum, quia offendens reconciliatur offenso, reducitur apud ipsum in gratiam; Homo autem offendens est non Deus. Interim quia factum id est per ἱλαστήριον in sanguine Christi, *Rom.* 3. v. 25. per ἱλασμὸν, 1. *Ioh.* 2. v. 2. quæ Deum placandum, propitiandum, eoque iratum præsupponunt; alterum quod Christus nobis reconciliarit Deum, phrasi illâ, ut & aliâ quod Deus nos sibi reconciliarit in Christo, tanquam placamento, ut quem fecit pro nobis peccatum, 2. *Cor.* 5. v. 21. haud obscure continetur. Quam reconciliationem non evertit Dei erga nos dilectio; quia non diligit nos simpliciter ut sanctos angelos qui nunquam peccarunt, sed ut electos in Christo Redemtore & Satisfactore, qui pro peccatis nostris, propter quę filii iræ vocamur. *Eph.* 2. v. 3. & Deo exosi sumus *Psal.* 5. v. 6. satisfecit. Diligit ergo cum conditione satisfactionis, non diligit quoad peccata.

I V. Qui servationis modus externus tantum est, per se absque conversione interna (quam Samosateniani negant) inutilis & inefficax; illo Christus propriè Servator noster non est. Modus servationis per annunciationem & confirmationem externus tantum est, per se absque conversione interna inutilis & efficax. Ergo. Utraque propositio certa est. *Major*; quia Christus non est frustra mortuus, *Gal.* 2. v. 21. est servator, salutem dans corpori *Eph.* 5. v. 23. *Minor*; quia annunciatio & confirmatio illa externa tantum sunt salutis media; item quia homo totus corruptus est, mortuus in peccatis, cœcus, incredulus, voluntati Dei subjici nescius. At tali inutiliter & sine fructu ostenditur ac confirmatur via salutis, Doctrina Legis homini corrupto ad salutē inutilis, inefficax est

Quia Christus non est servator modo tantum externo, inefficaci.

Rom.

*Rom.*8.verſ.3. quia oſtendit tantum & confirmat viam ſalutis per merita operum, vires ingrediendi eam non confert. Ergo & hic ſervandi modus inutilis & inefficax, ut qui etiam oſtendit tantum & confirmat viam, vires autem ingrediendi nullas largitur.

Rationes Samoſatenianorum.

Affirmantes Heterodoxæ. Quia Scriptura triplicem illum modum proponat.

I. Quem ſervationis Chriſti modum nobis proponit Scriptura, eo ipſe noſter Servator eſt. Atqui talem modum proponit, qui in *Annunciatione, Confirmatione, Communicatione* conſiſtit. Ergo. *Minor* demonſtratur per partes: conſiſtit in *Annunciatione*; I. Si Apoſtoli aliique annunciando viam ſalutis ſervare dicuntur, *Rom.*11.v.14. 1.*Tim.*4.v. 16. multo magis Chriſtus eo modo ſervator eſt. II. Chriſtus mortem abolevit, vitam & incorruptibilitatem produxit per Euangelium 2.*Tim.*1.v.9.10. Ergo.III. Chriſtus manifeſtavit nomen Patris hominibus, dedit ipſis ſermonem ejus *Ioh.*17.v.6.8.14. *Confirmatione*; I. Quia in mundum ſe veniſſe ait ut teſtimonium det veritati, *Ioh.*18.v.37.tanquam fidus teſtis, *Apoc.*1.v.5.*Cap.*3. v. 14. & teſtimonium illud ſuis temporibus 1. *Tim.*2.v.6. II. Edidit varia miracula huc facientia,de quibus *Ioh.* 5.v.36. III. Sanguinem ſuum effudit, qui inde ſanguis æterni fœderis,*Heb.*13.v. 20. novi fœderis, *Marc.*14.v.24. vocatur.IV. Quin etiam à mortuis reſurrexit, ne quid de viâ ſalutis ab ipſo oſtenſâ dubitaremus. Quæ cauſa eſt, quod Apoſtoli toties reſurrectionis ejus meminerunt. *Communicatione*; Quia tandem nobis vitam Æternam daturus eſt,ſicut utrique in confeſſo. *Reſp. Minor* negatur,ut quæ duplici nomine falſa eſt. I. quia modos illos accipiunt excluſive, nimirum quod Chriſtus tantum Annunciatione, confirmatione, & communicatione noſter ſervator ſit: cum tamen Scriptura præter modos illos rectè intellectos alium,eumq; principalem,proponat in *ſatisfactione* Chriſti.*Tit.*2.v.13.14.*Exſpectantes illuſtrem adventum magni illius Dei & Servatoris,qui dedit ſemetipſum pro nobis,ut redimeret nos ab omni iniquitate &c.Mat.*1.v. 21.*Ipſe ſervabit populum ſuum à peccatis ipſius.*II. quia eoſdem modos accipiunt oppoſitè ad Satisfactionẽ;cum tamẽ Chriſtus annunciarit viã ſalutis,quę eſt per ipſũ ut mediatorẽ, redemtorem, ſatisfactorem; eam & non aliam viam confirmarit teſtimonio ſuo,miraculis,ſangnine, reſurrectione,ſed non tantũ,vel præcipuè confirma-

marit, verum inprimis sanguine, passione, morte salutem ipsam acquisiverit, resurrectione autem demonstrarit & applicarit; denique etiam communicet nobis Vitam Æternam: non quam Deus citra satisfactionem donat, sed quam Christus satisfactione ac morte suâ nobis promeruit, ut est *Ioh.*6.v.51. Ex quibus ea, quæ ad partium singularum probationem afferuntur, dijudicanda & explicanda sunt.

II. Qui vitâ & morte exemplaris tantum servator, est is servator non est per modum satisfactionis, aut meriti. Atqui Christus vita & morte exemplaris tantum servator fuit. Ergo. *Minorum* probant dicto Petri 1. *Epist.* 2. v.21. *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut subsequeremini vestigia ejus*: nec non illis locis, quibus imitari Christum jubemur: *Resp.* Nec dictum *Petri*, nec alia loca habent exclusivam. Christus passus est etiam illo fine, sed non tantum; quia alii fines indicantur: neque etiam principaliter; quia satisfactio pro peccatis nostris, eorumque expiatio, & per eam reconciliatio nostri cum Deo, ut finis principalior in Scriptura proponitur. Quod de *Imitatione Christi* ajunt, illa *propria* est in virtutibus moralibus utriusque tabulæ decalogi, *analogica* in actibus mediationis triplicis Christi muneris; sicut offerre dicimur hostias spirituales 1. *Pet.* 2. v. 5. sacrificium laudis, *Hebr.*13. v.15. sistere corpora nostra hostiam vivam, sanctam, *Rom.*12. v.1. &c: *nulla* denique in miraculis. Sed neque illa, neque ista causa est meritoria salutis, verum utraque causa sine quâ non, sive, ut loquitur Apostolus, via quam præparavit Deus, ut in eâ ambulemus *Ephes.* 2. vers. 10.

Quia vita & morte exemplaris tantum sit servator.

Imitatio Christi qualis.

SECVNDA: *An Christus passionibus, sanguine ac morte suâ Deo Patri pro peccatis nostris satisfecerit, Remissionem illorum nobis acquisiverit, sicque λύτρου sui interventu nos verè ac propriè redemerit?* Samosateniani negant, *Ostorodius Instit. Relig. Christ. cap.* 37. Nos affirmamus.

Secunda: Samosatenianorum. *An Christus morte sua pro peccatis nostris satisfecerit, nosque verè redemerit?*

Prædicata quæstionis à nobis affirmatæ tria sunt: *Quod Christus satisfecerit pro peccatis nostris. Quod Remissionem peccatorum nobis*

acquisiverit. Quod λύτρον *sui interventu nos verè ac propriè redemerit.* Quæ etsi cohærent necessariò, immo suo modo coincidunt, majoris tamen perspicuitatis gratiâ sigillatim & distinctè in κατασκευῇ & ἀνασκευῇ consideranda sunt.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa.*

Rationes nostræ.

Pro Christi Satisfactione:

Quia justus, innocens pro peccatoribus mortuus est.

I. Qui justus pro injustis, innocens pro peccatoribus passus ac mortuus fuit, ut eos ab injustitiæ ac peccatorum pœnâ liberaret; is patiendo moriendo pro ipsis satisfecit. Atqui Christus &c. Ergo. *Majoris* consequentia evidens est. Nam ita pati & mori pro alio, est ejus loco ac vice pati & mori; eoque quod ipse nocens debebat innocentem solvere. Hoc verò quid aliud est, quàm innocentem solvere pro nocente? *Item*: Omnis pœna propriè dicta est satisfactio pro peccato; pro alio igitur pati pœnam, est pro ipso satisfacere. *Minor* confirmatur testimoniis Scripturarum: 1. *Pet.* 3. v. 18. *Christus semel pro peccatis passus fuit, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret. Rom.* 5. v. 6. 9. *Christus pro impiis, pro peccatoribus mortuus fuit.* 2. *Cor.* 5. v. 15. *Si unus pro omnibus mortuus fuit, nempe isti omnes fuerunt mortui.* v. 21. *Fecit eum, qui non novit peccatum pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in eo. Gal.* 3. v. 13. *Christus nos redemit ab exsecratione Legis, dum pro nobis factus est exsecratio; Factus Legi subjectus, ut eos qui legi subjecti erant, redimeret Gal.* 4. v. 4. 5. *Tit.* 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate. Heb.* 2. v. 9. *pro omnibus mortem gustavit.* Similia loca sunt *Ioh.* 10. v. 11. 15. *Cap.* 11. v. 50. 51. 1. *Cor.* 15. v. 3. *Gal.* 1. v. 4. *Cap.* 2. v. 20. *Eph.* 5. v. 2. 1. *Pet.* 4. v. 1.

Pro aliquo Mori.

Excipiunt: *Pro nobis mori* non est loco & vice nostra mori, sed propter nos, nostro bono. *Rationes* sunt. I. Quia etiam pro peccatis Christus mortuus dicitur, 1. *Cor.* 15. v. 3. *Gal.* 1. v. 4. nec tamen mortuus est loco, sed causâ, occasione peccatorum, sive propter ea. II. Quia nos similiter mori jubemur pro fratribus, 1. *Ioh.* 3. 16. quemadmodum & Paulus passus est pro Colossensibus, *cap.* 1. v. 24. nec tamen loco ipsorum justitiæ Dei satisfacere quimus, sicut nec Paulus quivit. III. Si Christus loco, vice nostrâ mortuus est; cur ergo

ergo & nos morimur, & non minus quam ipse Christus ad animam nostram effundendam parati esse debemus? *Luc.* 9. *vers.* 24. *Resp.* Phrasis hæc, *Mori pro aliquo*, licet non ubique aut semper, locis tamen supra allegatis utrumque connotat. Nam & nostro *loco* mortuus est Christus; quia unus pro omnibus mortuus est, 2. *Cor.* 5. v. 15. & nostro *bono*; quia nos mortui censemur in ipso, ut nobis moriendum non sit, *ibidem*. Unde & explicitè conjunguntur *Ioh.* 11. v. 50. 51. 2. *Cor.* 5. v. 21. *Gal.* 3. v. 13. *Tit.* 2. v. 14. Alia verò ratio est, quum Christus mortuus dicitur *pro peccatis*. Nam peccata non moriuntur, non patiuntur pœnas; sed peccatores moriuntur, patiuntur pœnas: Proinde *pro peccatis* mori tantùm est propter peccata mori, ut loquitur Apostolus, *Rom.* 4. v. 25. *pro peccatoribus* autem mori, sic videlicet ne illi mori necessum habeant, est non tantùm propter ipsos, verùm etiam ipsorum loco mori. Pro *peccatis* mortuus est Christus ut ea expiaret tolleret; pro *peccatoribus* mortuus est ut eos à morte redimeret ac servaret. Nos verò *pro Fratribus mori* jubemur, sicut ipse, 1. *Ioh.* 3. v. 16. non simpliciter, verum ita ut non dubitemus vitam nostram ipsorum bono vel etiam loco profundere; quemadmodum Christus non recusavit animam suam dare redemtionis precium pro multis, *Matth.* 20. v. 28. quod ipsi soli proprium, 1. *Tim.* 2. v. 5. 6. nostrûm nullus potest. Paulus igitur passus est pro Colossensibus non redimendis, sed ædificandis tantùm, nec etiam loco, sed bono ipsorum. Denique *fideles* non *moriuntur* morte maledictâ exsecrabili, quâ Christus pro ipsis mortuus est, *Gal.* 3. v. 13. nec parati esse debent ad illam mortem verùm ad eam, quæ martyrium est doctrinæ Euangelicæ, ac beatus transitus in Vitam Æternam.

Quid significet.

Mors fidelium qualis.

II. Cui sponsionis jure omnia peccata Electorum imposita fuerunt, & qui ut sponsor illa portavit, bajulavit, pertulit, propter illa percussus, afflictus, vulneratus fuit; is pro peccatis Electorum satisfecit. Atqui Christo sponsionis jure imposita fuerunt, ipse ut sponsor ea pertulit. Ergo. *Majoris* ratio duplex est: *Prima*; quia omnis sponsor subit in locum debitoris, & pro ipso satisfacit, vel saltem satisfacere tenetur *Proverb.* 6. v. 1. 2. *Cap.* 11. v. 15. *Secunda*; quia portare, ferre peccata alterius, phrasi Scripturæ, *Ezech.* 18. v. 20. *Thren.* 5. v. 7. est pœnas peccatis illius debitas persolvere. Pœnas verò tales persolvere

Quia sponsionis jure omnia fidelium peccata ipsi fuerunt imposita.

 re

re est satisfacere pro peccatis per pœnas. *Minor* demonstratur per partes. I. Christus sponsor est pro Electis; quia est sponsor melioris pacti, *Heb.* 7. v. 22. sive novi pacti ad redemtionem transgressionum per mortem suam, *cap.* 9. v. 15. quia voluntariè spopondit pro ipsis, *cap.* 10. v. 5. 6. 7. eâque sponsoris sui voluntate sanctificari dicuntur per oblationem corporis ejus semel factam. v. 10. Et cum, quæ non rapuit, rependere teneatur ut est *Ps.* 69. v. 5. aut jure tenetur aut injuriâ. Si *injuriâ*; certè non de voluntate Patris, quod tamen ipse passim testatur. Sin *jure*, non alio sanè quàm sponsionis jure, quandoquidem non rapuisse se apertè profitetur. II. Hoc sponsionis jure omnia peccata Electorum ipsi imposita fuerunt. *Esa.* 53. v. 10. *Iehova delectatus conterere ipsum morbo affecit, quandoquidem exponebat se ipse sacrificium pro reatu.* v. 6. *Iehova facit ut incurrat in eum iniquitas omnium nostrûm.* v. 5. *Exigitur pœna, & ipse affligitur, dolore afficitur propter defectiones nostras, atteritur propter iniquitates nostras, castigatio pacis nostræ imponitur ei* &c. 2. *Cor.* 5. vers. 21. *Fecit Deus eum qui non novit peccatum pro nobis peccatum. Heb.* 10. v. 5. 6. *Sacrificium & holocautomata pro peccato noluisti, corpus autem aptasti mihi,* &c. III. Eodem jure peccata Electorum portavit bajulavit. *Esa.* 53. v. 4. *Morbos nostros ipse pertulit, & dolores nostros ipse bajulavit; plagâ affectus, percussus, afflictus à Deo,* & quæ aliquot versibus sequuntur. 1. *Petr.* 2. v. 24. *Peccata nostra ipsemet pertulit in corpore suo super lignum, Iohann.* 1. v. 29. *Agnus ille Dei qui tollit peccatum mundi. Rom.* 4. v. 25. *Traditus in mortem propter lapsus nostros.* 1. *Cor.* 15. vers. 3. *Christus mortuus est pro peccatis secundum Scripturas.* 1. *Iohann.* 2. v. 2. *Est propitiatio pro nostris peccatis,* &c.

Excipiunt: Ferre, portare peccata est ea auferre per sublationem pœnæ, non per ejus perpessionem; ut locum Esaiæ declarat Matthæus *cap.* 8. v. 17. *Resp.* Alicubi est, non ubique; Hîc certè non est; prout ex Subjecto, Caussâ, & Modo evidentissimè colligitur. Etenim *Subjectum* est ipse Christus, qui morbos nostros pertulit, qui percussus, afflictus fuit, qui pertulit in corpore suo, 1. *Petr.* 2. v. 24. qui passus est carne *cap.* 4. v. 1. *Caussa* fuit, quod Deus conjecit in ipsum iniquitates omnium nostrûm. *Esa.* 53. v. 6. fecit ipsum pro nobis peccatum, 2. *Cor.* 5. v. 21. *Modus* denique, quod propter iniquitates illas dolore affectus, percussus, attritus, atque è terrâ viventium excisus fuit. v. 4. 5. 8.

Sustu-

Sustulit igitur pœnas nostras, dum eas pertulit, perpessus est. Locus *Matthæi* errori ipsorum nihil patrocinatur: Nam docet quomodo morbos, effecta peccatorum, tulerit Christus; non quomodo caussas ipsas, peccata. Deus conjecit in Christum iniquitates omnium nostrûm, *Esa.* 53. v. 6. fecit ipsum peccatum, 2. *Cor.* 5. v. 21. maledictionem, *Galat.* 3. v. 13. morbos corporales in ipsum non conjecit, nec fecit ipsum cæcum, mutum, dæmoniacum. Non ergo morbos nostros eo modo, quo peccata tulit.

III. Quale sacrificium Christi sacrificia propitiatoria Veteris Testamenti præfigurarunt; tale esse ipsum necesse est. Atqui præfigurarunt illud ut verè satisfactorium, ut tale quod veram habet satisfactionem pro peccatis. Ergo. *Majoris* Ratio est; quia sacrificium Christi est sacrificiorum illorum typicorum veritas, *Ioh.* 1. *v.* 17. *cap.* 14. *v.* 6. umbratilium corpus *Col.* 2. *v.* 17. *Hebr.* 10. *v.* 1. *Minor* probatur I. ex analogiâ typi & antitypi: Quæ ipsa, ut typi, satisfactionem cerimonialem habuerunt ex institutione Dei; ea satisfactionem veram in antitypo præfigurarunt. Sacrificia propitiatoria Veteris Testamentis satisfactionem cerimonialem, ut typi habuerunt ex institutione Dei; ut ex *Exodo* & *Levitico* constat. Ergo. II. Quicquid in antitypo cum typis suis collato esse ostenditur, id in ipso per typos præfiguratum fuit. Atqui in antitypo, sacrificio Christi, collato cum typis, hoc est sacrificiis propitiatoriis Veteris Testamenti, esse ostenditur vera & propria satisfactio pro peccatis, quemadmodum in ipsis fuit satisfactio cerimonialis. Ergo. *Minoris* veritatem asserimus ex Epistola ad Hebræos, quæ eam prolixè explicat atque confirmat, & varias adversariorum exceptiones, quas hîc præterimus, clarissimè refellit.

Quia satisfactionem ejus sacrificia V. T. adumbrarunt.

Pro *remissionis peccatorum Acquisitione.*

I. Quod Christus sanguine, passione, ac morte suâ promeruit; illud ipsum iis acquisivit. Remissionem peccatorum sanguine, passione, ac morte suâ promeruit. Ergo. *Major* firma est ex æquipollentiâ phrasium. *Minor* confirmatur Scripturæ testimoniis: *Matth.* 26. v. 28. *Sanguis qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* *Iohann.* 6. v. 51. *Caro quam ego dabo pro mundi vita*; item: *Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, non esuriet*

Quia R. P. sanguine, & morte suâ promeruit.

unquam, hoc est habebit remissionem peccatorum suorum. *Roman.* 3. v. 25. *Quem proposuit Deus placamentum in sanguine. Cap.* 5. v. 9. *Iustificati sanguine ejus. Ephes.* 1. v. 7. *Coloss.* 1. v. 14. *In quo habemus redemtionem per sanguinem ejus*, id est, *remissionem peccatorum. Hebr.* 9. v. 22. *Absque sanguinis effusione non fit remissio.* 1. *Petr.* 1. v. 19. *Redemti precioso sanguine* &c.

Quia sanguine Christi lavamur à peccatis.

II. Quo lavamur, purgamur, mundamur à peccatis nostris, tanquam caussâ meritoria illius lotionis & purgationis; eo ipso illorum remissio nobis acquisita est. Atqui sanguine Christi lavamur, purgamur. Ergo. *Major* suâ luce claret. *Minor* his dictis adstruitur: 1. *Ioh.* 1. v. 7. *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato. Apoc.* 1. v. 5. *Lavit nos à peccatis per sanguinem suum. Hebr.* 1. v. 3. *Purgationem peccatorum per se ipsum fecit.* 1. *Cor.* 6. v. 11. *Abluti estis, justificati estis in nomine Iesu.*

Excipiunt: Purgationem sanguini tribui, non quod arcana quædam vis purgandi lateat in sanguine, sed quia effusio sanguinis caussa est potestatis illius, per quam nos purgat à peccatis, id est, liberat à morte æterna. *Præterea* ajunt verba purgare, mundare, non semper significare rem, sive purgationem ipsam, sed quandam ejus declarationem & demonstrationem. Igitur sanguis Christi nos purgat, quatenus promissam remissionem peccatorum nobis declarat & obsignat. *Resp.* Nec nos *purgationem* sanguini tribuimus per se, sive propter arcanam quandam vim in ipso latentem, sed ideo quia est preciosus sanguis. I. Ipsius Dei, *Actor.* 20. v. 28. Filii Dei, 1. *Iohann.* 1. v. 7. II. Agni inculpati & incontaminati 1. *Pet.* 1. v. 19. III. Ejus qui se voluntariè ad effusionem illam obtulit *Hebr.* 10. v. 10. Quam verò ipsi caussam afferunt, non est vera caussa. Nam purgatione peccatorum jam factâ per se ipsum consedit ad dextram Dei, *Hebr.* 1. v. 3. potestatem summam adeptus *Phil.* 2. v. 9. Purgatio igitur potestatem illam antecessit. *Altera* Exceptio procedit ex puris particularibus, & phrasi fallit. Etenim purgat nos sanguis Christi, quatenus juxta declarationem Matthæi, *cap.* 26. v. 28. effusus est pro nobis in remissionem peccatorum, hoc est, ad impetrandam nobis remissionem peccatorum; cujus promissio quia Novi Testamenti, sive novi fœderis est, *Ierem.* 31. v. 31. *& seqq. Hebr.* 8. v. 8. *& seqq.* inde *sanguis Novi Fœderis* illud confirmans, ad differentiam sanguinis pecuini Veteris Fœderis, de quo est *Exod.* 24. appellatur.

Pro

Pro verâ ac propriâ Redemtione.

I. Redimere aliquem propriè, est captivum è manibus illius, à quo detinetur, soluto precio liberare. Christus nos captivos, reos iræ Dei propter peccata, & Satanæ mancipatos, soluto precio liberavit. Ergo. *Majorem* concedunt ipsi adversarii. *Minorem* tradit Scriptura. *Matth.* 20. v. 28. *Filius hominis venit, ut daret animam suam redemtionis precium pro multis.* 1. *Tim.* 2. v. 6. *Dedit seipsum ἀντίλυτρον, redemtionis precium pro quibusvis.* 1. *Pet.* 1. v. 19. *Redemti estis precioso sanguine Christi,* tanquam *precio* 1. *Cor.* 6. v. 20. Nam precium vocatur confessione adversariorum, quicquid omnino pro captivo solvitur.

Quia Christus nos Satanæ mancipatos soluto pretio liberavit.

II. Ubi sunt omnia & singula veræ ac propriè dictæ Redemtionis criteria; ibidem vera ac propriè dicta redemtio est. In redemtione per Christum factâ sunt omnia & singula vera & propriè dictæ Redemtionis criteria. Ergo. *Major* probationis non eget. *Minor* confirmatur enumeratione ac demonstratione omnium & singulorum criteriorum utrinque requisitorum: In quâ redemtione est *Redimens*, sunt *Redimendi*, est *Precium Redemtionis*, & *Is qui precium accipit*; illa vera ac propriè dicta redemtio est. In Redemtione Christi, sive quam ipse præstitit est Redimens: *Galat.* 3. v. 13. *Christus nos redimit. Tit.* 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret*; sunt Redimendi homines: *impii, Rom.* 5. v. 6. *peccatores*, v. 8. *inimici*, v. 10. qui *redemti* & *emti* dicuntur. 1. *Petr.* 1. v. 18. *Redemti estis non auro nec argento* 1. *Corint.* 6. v. 20. *Emti estis precio*; est Precium redemtionis: *Matth.* 20. v. 28. *Dedit animam suam λύτρον.* 1. *Tim.* 2. v. 6. *Dedit se ipsum ἀντίλυτρον.* 1. *Pet.* 1. v. 19. *Redemti estis precioso sanguine*; est denique qui precium illud accipit *Deus*: *Apoc.* 5. vers. 9. *Redemisti nos Deo per sanguinem tuum Hebr.* 9. v. 14. *Per Spiritum æternum seipsum obtulit inculpatum Deo. Roman.* 5. vers. 10 *Reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus. Hebr.* 10. v. 5. *& seqq. Sacrificium & holocautomata pro peccato noluisti, corpus autem aptasti mihi*, &c. Ergo.

Quia in redemtione Christi omnia veræ Redemtionis criteria adsunt.

Rationes

Rationes Samosatenianorum.

Negantes. Heterodoxa.

Contra *Christi Satisfactionem:*

Quia Satisfactionis nulla mentio fiat in Scriptura.

I. Cujus doctrinæ nulla mentio fit in Scripturâ, illa credenda nobis non est. Doctrinæ de Satisfactione Christi nulla mentio fit in Scripturâ. Ergo. *Resp.* Non est credendum id, cujus nulla mentio fit in Scripturâ simpliciter: *Satisfactionis* verò etsi ἀυτολεξεὶ, vocabulo illo forensi non meminit; meminit tamen tum per æquipollentiam in aliis vocibus, ceu sunt λύτρον, ἀντίλυτρον, λύτρωσις, ἀπολύτρωσις, tum per evidentissimas & firmissimas consequentias; cujusmodi aliquot in κατασκευῇ attulimus.

Quia Deus citra satisfactionem peccata remittere & potuerit, & voluerit.

II. Quibus Deus & potuit, & voluit remittere peccata, sine ullâ Satisfactione; pro iis nullam veram satisfactionem accepit. Atqui nobis & potuit & voluit ita remittere. Ergo. *Minor* probatur; *Potuit.* I. Absolutæ potestatis Dominus de jure suo quantum vult remittere potest. Deus est absolutæ potestatis Dominus. Ergo. II. Creditor remittere potest debita debitori. Deus est creditor, homo dibitor, cujus peccata debita nominantur. Ergo. III. In quo non residet ulla Justitia Satisfactionem requirens; is remittere peccata sine satisfactione potest. In Deo non residet ulla justitia satisfactionem requirens. Ergò. *Minorem* probant; quia justitia puniens, & misericordia parcens ei opposita, est effectum voluntatis Dei. *Voluit.* I. quia in Veteri Testamento remisit peccata citra satisfactionem. Quod constat *partim* exemplis Abelis, Enochi, primi Mundi, (cui parsurus fuisset Deus modò resipuisset 1. *Petr.* 3. v. 20.) Ezechiæ, Ninevitarum &c. *partim* dictis, quibus Deus misericordiam & delictorum veniam populo pollicetur *Deut.* 4. & 30. *Ezech.* 18. & 33. *Ierem.* 18. *Psalm.* 32. II. quia etiam in Novo Testamento citra satisfactionem remisit. probatur. I. A *comparatis*: Si in Veteri Testamento sic remisit, multo magis in Novo Testamento. *Ratio*; quia hoc tempus gratiæ, illud iræ. II. Ex *promissione fœderali*, *Ierem.* 31. *Hebr.* 8. quâ pollicetur se fore nobis propitium, & in quâ inscriptio Legis in cordibus remissionem peccatorum antecedit. III. Ex *nuncio Angelico*, quo divinam benevolentiam absolutè celebrant. IV. Ex *prædicatione Iohannis*, qui prædicavit

cavit

cavit Baptismum resipiscentiæ in remissionem peccatorum, nullius Satisfactionis interventu obtinendam. *Resp. Minor* argumenti hujus altero membro redundat. Si enim evincatur ex Scriptura, voluisse Deum absque Christi Satisfactione nobis remittere peccata, nemo erit qui id potuisse negaturus sit. Nam *Deus noster in cœlis est, quicquid voluit, fecit Psal.* 115. v. 3. Sed alterum astutè præmittunt adversarii, quod argumento potentiæ Dei fucum se imperitis facere posse putent. Nos negamus membrum *Posterius*, voluisse citra satisfactionem remittere peccata: Etenim testatur Scriptura, quod *placuerit Patri, ut pace per sanguinem crucis Christi factâ per eum sibi reconciliaret omnia, Coloss.* 1. v. 20. 21. quod *sacrificium & holocautomata pro peccato noluerit, oblationem verò corporis Christi voluerit Hebr.* 10. v. 5. *& seqq. Caussas* quoque hujusce voluntatis ostendit, *tum* in Justitia Dei, quâ digni sunt morte peccatores, *Rom.* 1. v. 32. *tum* in veritate, quâ ipsis mortis pœnam comminatus est *Genes.* 2. v. 17. De *Potentiâ Dei* nihil dicimus in præsentia; de quâ tamen id nobis persuasissimum est, quod se ipsam non neget: 2. *Tim.* 2. v. 13. Justitiam Dei, quâ omne peccatum odit exsecratur naturaliter, *Psal.* 5. v. 5. 6. 7. & 11. v. 5. & 45. v. 8. *Proverb.* 17 v. 15. non aboleat, nec majestatem ipsius irrideri patiatur *Gal.* 6. v. 7. Videamus ergo quid pro astruendâ hâc *Dei voluntate* afferant. Ex *Veteri Testamento* exempla promunt & dicta. In utrisque licet non ita expressa Christi mentio sit; est tamen implicita pro temporis illius conditione. Nam per gratiam Jesu Christi non minus ipsi quam nos servati dicuntur *Actor.* 15. v. 10. 11. *Heb.* 9. v. 15. Per Christum omnes reconciliantur Deo, *Coloss.* 1. v. 20. nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum, *Ioh.* 14. v. 6. denique in ipso omnes promissiones sunt Etiam & Amen 2. *Cor.* 1. v. 29. De Abele, Enocho contrarium colligimus ex *Heb.* 11. De Ezechia ex *Luc.* 10. *Illi* siquidem ut exempla fidelium Justificatorum per fidem Jesu subjiciuntur axiomati Prophetico simul & Apostolico, justus ex fide vivet. *Heb.* 10. v. 38. Non minus quàm Abraham Pater ille credentium *Roman.* 4. *Iste* ex Regibus est, qui diem Christi videre desiderarunt. Hinc jam corruit argumentum *primum* pro Novo Testamento, quia eadem est gratia salutis in Testamento utroque *Actor.* 15. v. 11. *Hebr.* 13. v. 8. Tempus autem Veteris Testamenti, *iræ* vocatur alia de caussa, videlicet tum propter latam legem, *Gal.* 3. 4. tum propter gentium

An Deus voluerit remittere peccata citra satisfactionem.

à republ. Iſraëlis ſecluſionem *Epheſ.* 2. *Alterum* pro nobis facit; quia promiſſio fœderalis in ſanguine Chriſti, quo peccata tranſgreſſorum omnium, etiam ſub priore fœdere, expiantur, fundata eſt *Hebr.* 8. v. 6. *& ſeqq. Cap.* 9. v. 15. *Matth.* 26. v. 28. Et inſcriptio Legis in cordibus antecedit remiſſionem peccatorum, non ſimpliciter, *Rom.* 8. v. 29. 30. verùm in progreſſu ab effecto ad cauſſam, Scripturis perquam uſitato, ut connexio docet. *Tertium* de Angelis falſum eſt; quia εὐδοκίαν Dei celebrant, vel in Chriſto nato Servatore, *Luc.* 2. v. 11. vel in hominibus εὐδοκίας, quos pro εὐδοκίᾳ ſua in Chriſto elegit *Epheſ.* 1. v. 4. 5. Similiter falſum & *Quartum* de Baptiſta. Is ſiquidem baptizavit in fidem Jeſu Chriſti venturi, *Actor.* 19. v. 4. quinimo digito monſtravit agnum Dei tollentem peccatum mundi *Ioh.* 1. v. 29.

Quia Satisfactio pro peccatis noſtris ſit ſimpliciter impoſſibilis.

III. Quod ſimpliciter impoſſibile eſt, à nullo præſtari poteſt. Satisfactio pro noſtris peccatis ſimpliciter eſt impoſſibilis. Ergo. *Minorem* probant. I. Quia pœna capitalis non poteſt transferri ab uno alterum; neque id Lege ullâ aut conſuetudine receptum eſt. II. Quia Deus, *Ezech.* 18. disertè teſtatur non puniturum ſe unum pro altero, innocentem pro nocente. III. Quia unius morte vita omnium redimi nequit. IV. Quia pœna peccati eſt mors æterna; quam Chriſtus pro nobis non ſubivit; 1. quia tertio die reſurrexit à mortuis. 11. quia non deſperavit, nec fremuit adverſus Deum. *Reſp. Minor* falſa eſt, contraria aſſeverationi Apoſtolicæ *Rom.* 8. v. 3. *Quod Legi erat impoſſibile, id Deus fecit in filio ſuo, condemnato peccato in carne. Rationes* partim falſæ, partim alienæ. *Primò* enim etſi lege aut conſuetudine communi non transferatur pœna capitalis ab uno in alterum, poteſt tamen transferri, ut exempla docent: vel *jure*, interveniente vadimonio cum aſſenſu judicis, vel *injuria*, per tyrannidem. In Chriſtum verò pœna noſtra tranſlata eſt mandato ſpeciali Patris, & voluntariâ ſponſione Filii ei obſequentis *Iohan.* 10. v. 18. *Cap.* 14. v. 31. *Phil.* 2. v. 7. 8. *Hebr.* 10. v. 5. 6. Quod ipſum non Natura, non Lex, ſed Euangelium nobis revelat, *Roman.* 3. v. 21. *Secundò* dictum *Ezechielis* oſtendit, quid faciat Deus ſecundum Legem ſive ordinariè, quid item nos facere velit; non verò quid in negotio redemtionis ſecundum Euangelium facere conſtituerit. *Tertiò*, Effatum hoc *Unius morte redimi non poſſe vitam omnium aut multorum*, ne Politicè quidem verum eſt (nam pro uno captivo

ptivo Duce aut Rege omnes sæpe captivi dimittuntur) multo minus Theologicè. Quid ergo ait Apostolus? *Si Vnus pro omnibus mortuus est, illi omnes censentur mortui.* 2.Cor.5.v.15. vel annon mors Dei, *Actor.* 20.v.28. Domini gloriæ, 1.*Cor.* 2.v.8. λύτρον sufficiens esset pro vita omnium? *Quartò* pœna peccati est mors æterna, quoad *immensitatem* angorum & cruciatuum simpliciter, quos etiam Christum sustinuisse alibi luculenter ostendimus, quoad *durationem* in omnem æternitatem tum demum, quum non vincitur. Christus autem vicit eam, quod impossibile esset, ut ab eâ detineretur is, qui plenè jam satisfecerat atque etiam omnipotens erat *Actor.* 2.v.24. *Fremitus & desperatio* cum pœnâ hâc *non* cohærent ratione *Efficientis* sive Judicis Dei, irrogantis pœnam; *verùm* ratione *Subjecti corrupti*, quod odio Dei, impatientiâ laborans fremit adversus ipsum, & exitum non cernens desperat. Quorum nihil in Christo fuit, qui etiam in cruce amavit Patrem, pœnam patientissimè tulit, & de glorioso exitu persuasissimus fuit.

Contra *Acquisitionem Remissionis peccatorum.*

Quibus Remissio peccatorum ex mera gratia obtingit; iis nullo satisfactionis aut passionis merito acquiritur. Nobis obtingit Remissio peccatorum ex merâ gratia. Ergo. *Minorem* probant. I. Quia χαρίζεσθαι est gratificari, sive gratis donare sine Satisfactione; exemplo Regis *Matth.* 18. II. Quia *si ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia Rom.* 11.v.6. III. Remissio duas partes habet. 1. quod debitor per eam obligatione solvitur. 11. quod creditor sive satisfieri non vult. Utravis harum partium desit remissio nulla est. *Resp.* Ambiguitas est in termino *meræ gratiæ*, quæ tamen cum non nostræ modò, verùm etiam ipsius Christi Satisfactioni opponatur, negamus *Minorem.* Paulus enim cum aliis locis, tum *Rom.* 3.v.24.25. gratiæ Dei justificantis subordinat Christum placatorem per sanguinem, idque ad ἔνδειξιν justitiæ propter dissimulationem sive tolerantiam peccatorum antegressorum. Quomodo verò subordinatur gratiæ, sic excluditur, evertitur à gratia? aut quæ in justificatione est ἔνδειξις justitiæ, si etiam quoad Christum merè gratuita est? *Probationes* Minorem quo sensu negata est non fir-

Quia R.P. ex merâ gratiâ obtingat.

 mant.

mant. Non *Prima*; quia Deus Justificans quoad *nos* dicitur χαρίζεσθαι, *Luc.* 7. v. 42. *Ephes.* 1 v. 6. 7. (quod etiam parabola docet, *Matth.* 18. & ad mutuam remissionem exercendam satis est :) quoad *Christum*, justificare nos ipsius sanguine, *Rom.* 5. v. 9. justos nos constituere ipsius obedientiâ v. 19. Non *Secunda*; quia *Rom.* 11. *gratia* & *opus* opponuntur nostri respectu, ut disputationes Paulinæ *Rom.* 3. 4. 5. *Galat.* 2. 3. docent: non vero etiam respectu Christi, quomodo subordinantur. Non *Tertia*; quia duæ illæ partes tantùm in sunt remissioni absolutæ; non autem conditionatæ, in quâ Creditor misericordiam simul & justitiam demonstrare volens, debitorem obligatione solvit ex misericordia, satisfieri verò sibi vult à sponsore ejus ex justitiâ: quem tamen sponsorem Deus nobis ipsemet dedit.

Contra *Redemtionem propriè dictam.*

Quia redemtio Christi sit metaphorica.

Redemtio metaphorica non est redemtio propriè dicta. Redemtio Christi est redemtio Metaphorica. Ergo. *Minorem* probant. I. Quia verbum *redimere* sæpe & plerumque apud auctores sacros accipitur pro liberare, quomodo Deus redimit populum suum ex Ægypto, *Exod.* 15. v. 13. per Mosen redemtorem, *Act.* 7. v. 35. & ipse Christus à Deo redemtus est *Ps.* 31. v. 6. II. Quia redemti dicimur non à Deo, sed ab exsecratione Legis, *Gal.* 3. v. 13. ab iniquitatibus nostris *Tit.* 2. v. 14. Quibus ipsis tamen precium nullum fuit persolutum. *Resp.* negando *Minorem*. *Ratio prima* concludit ex puris particularibus: Alicubi sanè est simpliciter liberare, ut *Ex.* 15. *Ps.* 31. quatenus de Christo loquitur; at non ubique, neque etiam illis locis, quæ de Christi ἀπολυτρώσει agunt, ut quæ λύτρον ipsum simul indicant. *Secunda* ambiguitate fallit. Non redemti sumus *à Deo* per alienationem, sed redemti sumus *Deo*, *Apoc.* 5. v. 9. per reconciliationem *Rom.* 5. v. 9. Redemti autem ab exsecratione Legis tanquam pœna; ab iniquitatibus tanquam laqueis, quibus constricti eramus à Deo judice, ut principaliter detinente. Quapropter non illis, sed huic precium solvendum fuit.

Pontifi-

Pontificiorum.

Tertia: Pontificiorum. An Christus secundum utramque naturam sit noster Mediator?

PRIMA: *An Christus secundum utramque Naturam sit noster Mediator?* Pontificii negant, *Bellarminus tom.* I. *Controv. gener.* II. *de Christo Lib.* 5. *de Mediatore cap.* 3. *& seqq. usque ad* 9. Nos affirmamus.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex Natura *Subjecti:*

Quia ἀποτελέσματα Christi Mediatoris sunt θεανδρικά.

I. Quæ Christi ἀποτελέσματα θεανδρικὰ sunt; ab utrâque ejus naturâ ut principio formali procedunt, non ab alterâ, Humanâ, tantùm. ἀποτελέσματα Christi Mediatoris sunt θεανδρικά. Ergo. *Major* patet; quia Principiata referunt naturam suorum principiorum; & Nullius operationis divinæ principium formale potest esse Natura Humana; nullus enim effectus esse potest toto genere melior suâ caussâ. *Minorem* probamus inductione ἀποτελεσμάτων, quæ Christo Mediatori *Bellarminus* tribuit *lib.* 5. *cap.* 1. Arbitrum esse inter Deum homines, discernendo & dijudicando caussam; internuncium agere, referendo pacta & conditiones; orare & supplicare uni parti pro alterâ; satisfacere denique uni pro alterâ, ἀποτελέσματα sunt Mediatoris. Atqui sunt ἀποτελέσματα θεανδρικά. *Primum*; quia arbitrium illud sive judicium, quo statuit Mediator posse fieri pacem, si Deus homini reconciliaretur, homo offendere Deum deinceps caveret, supra humanitatem est; ut in quo ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ θεοῦ posita est *Ephes.* 3. v. 10. *Secundum*; quia Internuncii partes principaliter unigenito illi filio, qui est in sinu Patris, transscribuntur *Iohann.* 1. v. 18. *Cap.* 3. v. 13. *Tertium*; justè & sufficienter intercedere actio est, ad quam Natura Christi Divina requiritur necessariò; utpote secundum quam mentem Patris penitissimè novit, eique charissimus est. *Quartum*; quia Satisfactio illa Deo, *Actor.* 20. v. 28. Domino gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. Filio Dei, 1. *Ioh.* 1. v. 7. tribuitur. Ergò.

Quia Divina N. in opere Mediationis aliquid agit.

II. Divina Natura in opere Mediationis aut aliquid agit, aut nihil. Si *nihil*; quid opus ut Filius Dei assumeret Naturam

Humanam? ut Mediator inter Deum & Homines esset θεάνθρωπος? cur etiam Christum Mediatorem secundum utramque Naturam ut principium operans nominant? Si *aliquid* agit; quo modo non est Mediator secundum utramque naturam ut principium formale? cum omne operans operetur per suam formam, ex qua operationes fluunt.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quia Christus secundum utramque N. partes dissidentes reconciliat.

I. A *definitione:* Mediator est qui inter partes dissidentes medius, eas reconciliat. Christus secundum utramque naturam medius est inter partes dissidentes, easque reconciliat. Ergo. *Minor* probatur; quia Naturam Divinam cum Deo, Humanam cum hominibus communem habens, à *Deo* differt per exinanitionem & œconomiam voluntariam, *Phil.* 2.v.6.7. *& seqq.* ab *hominibus* differt per gratiam unionis cum λόγῳ, *Ioh.* 1.v.14. & immunitatem à peccato 1.*Petr.* 2.v.22. Deinde etiam eosdem reconciliavit, *Rom.* 5.v.10. *Ephes.* 1.v.18. *& seqq. Col.* 1.v.20. quibus locis reconciliatio per Christum facta, facta dicitur per mortem Filii Dei, per eum in quo habitat tota plenitudo Deitatis, id est, qui Deus est.

Quia Christus secundum utramque N. est Propheta, Sacerdos, ac Rex noster.

II. A *distributione:* Secundum quam Naturam Christus est Propheta, Sacerdos, ac Rex noster; secundum eandem noster mediator est. Atqui secundum utramque Naturam est Propheta, Sacerdos, ac Rex noster. Ergo. *Minor* inde confirmatur, quod munus Propheticum, Sacerdotale, & Regium Christo non modò secundum Naturam humanam, verum etiam secundum Naturam Divinam tribuuntur. Propheticum: *Matth.* 11.v. 27. *Patrem nemo novit nisi Filius, & cui filius voluerit revelare. Ioh.* 1.v.18. *Filius ille unigenitus, qui est en sinu Patris, ipse nobis revelavit.* Sic *Ioh.* 3.v.13. *Hebr.* 1.v.1. Sacerdotale: *Hebr.* 9.vers. 14. *Per Spiritum Æternum se ipsum obtulit in culpatum Deo. Act.* 20. vers. 28. *Deus acquisivit Ecclesiam proprio sanguine.* Sic *Ioh.* 10.v. 17.18. *Rom.* 5.v.10. &c. Regium: *Ioh.* 3.v.35. *Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manus. Luc.* 1.v.32.33. *Filius altissimi vocabitur, regnabitque in domo Iacobi in æternum & regni ejus non erit finis.* Sic *Ephes.* 1.v.20. *Phil.* 2.v.9. &c.

Rationes Pontificiorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex naturâ *Subjecti*:

I. Qui tantùm ut homo Mediator est, is secundum solam Naturam Humanum Mediator est. Christus tantùm ut homo Mediator est. Ergo. *Minorem* probant dicto Apostoli 1.*Tim*.2.v.5.*Vnus est Deus, & unus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus*; ubi *homo* tantùm notat Naturam Humanam, quia eâ solâ à Deo distinguitur. *Resp*. *Minor* non confirmatur dicto Apostoli: Nam vox *homo* concretiva est, non abstractiva; personam notans, non Naturam Humanam. Quod manifestum fit ex Logicâ hujus sententiæ dispositione: Homo Jesus Christus est mediator Dei & hominum. Ubi prius, *Homo*, non potest esse restrictivum; quia est nomen speciei, sed posterius, *Iesus Christus*, quia individuale etiam restrictivum est. Nec enim quivis homo, verùm ille mediator est, qui ab Angelo Jesus nominatur. *Adhæc* falsum est Christum solâ Naturâ Humanâ distingui à Deo; Etenim œconomiâ officii similiter distinguitur, ut tum ex hoc loco, tum ex aliis, 1.*Cor*. 8.v.5.6. *Ephes*. 4.v.4.5. planum est.

Quia tantum ut Homo sit Mediator.

II. Qui neque secundum utramque naturam conjunctim, neque secundum utramque seorsim acceptas Mediator est; ille secundum utramque Naturam non est mediator. Atqui Christus &c. Ergo. *Minorem* probant per partes: *Non secundum utramque Naturam conjunctim*; quia ita distat quidem ab aliis hominibus, atque etiam à Deo Patre & Spiritu Sancto, at non distat à Deo Filio, nec personâ nec naturâ: à quo tamen distare debet ut pars offensa, ad cujus placationem Mediatore opus. *Nec secundum utramque seorsim*; quia non secundum Naturam Divinam seorsim, cum illa sit pars offensa, & nihil distet à Deo. Ergo secundum solam Naturam Humanam. *Resp*. Negamus *prius*, Christum videlicet secundum utramque naturam conjunctim non esse Mediatorem. Negamus quoque non *distare Deum Filium Mediatorem à Deo Filio*: Etsi enim non distat ab eo vel personâ vel naturâ in se & absolutè spectatis, distat tamen οἰκονομίᾳ & relatione muneris mediatorii. Nam aliud est Deum Filium esse, aliud Mediatorem

Quia secundum utramque N. nec conjunctim. nec seorsim sit mediator.

torem esse; aliud offensum esse ut Deum, aliud Mediatorem ageret ut θεάνθρωπον. Nec absurdum Mediatorem esse sui ipsius; quia quod apud alios agit ut persona ab ipsis diversa, id apud se agit modo & relatione muneris à se diversus. Cujusmodi mediationis exempla alibi proposuimus.

Quia sic omnes Deitatis personæ forent Mediatores.

III. Si Christus Mediator est secundum Naturam Divinam, omnes Deitatis Personæ Mediatores sunt: *Ratio*; quia Natura Divina omnibus est communis. Consequens absurdum. Ergo. *Resp.* Si hoc argumentum valet ad mediationem communem efficiendam, etiam valebit ad Incarnationem. Sed ludit ambiguitate vocum. Nam Natura Divina in propositione significat Naturam Divinam singulariter in Personâ Filii Dei; in probatione Naturam Divinam communiter in essentia Dei.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quia Sacrificare, interpellare, &c. Christo secundum Humanam N. tantum conveniant.

Sacrificare & sacrificando satisfacere, interpellare pro nobis, advocatum nostrum esse, dare semetipsum redemtionem pro nobis, conveniunt Christo tantùm secundum Naturam Humanam, & non secundum Divinam. At illa sunt propria officia Christi Mediatoris. Ergo. *Majorem* probant hac ratione; quod Divinitatem Filii facere Sacerdotem apertissimus sit Arrianismus, cum omnis sacerdos minor sit eo, cujus est sacerdos. *Resp. Majorem*, quam negamus, abundè confutavimus in antecedentibus illis Scripturæ locis, quæ opera ista Christo etiam secundum Naturam Divinam vendicant *Actor*. 20. v. 28. *Rom*. 5. v. 10. 1. *Cor*. 2. v. 8. *Hebr*. 9. v. 14. 1. *Ioh*. 1. v. 7. *Ratio* ejus tum *impertinens* est; quia non Deitatem Christi in abstracto, sed Christum secundum utramque Naturam conjunctim facimus Sacerdotem: tum *falsa*; quia non quovis modo filium facere minorem Patre Arrianum est, sed facere minorem naturâ, Deitate. Nos minorem facimus in formâ servi, in quâ se ad tempus exinanivit, *Phil*. 2. juxta illud *Ioh*. 14. v. 28. *Pater major me est*.

SECVN-

Quarta: Pontificiorum. An Christus in cruce mortuus verè & propriè ad loca infernalia descenderit?

SECVNDA: *An Christus in cruce mortuus secundum animam suam ad loca infernalia, limbum Patrum, limbum infantum, purgatorium & gehennam verè propriè & re ipsâ descenderit?* Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom. I. Controv. gener. II. de Christo lib. 4. de anima ipsius cap. 12. & seqq.* Nos negamus.

Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Rationes nostræ.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia secundum animam statim à morte receptus est in cœlum.

Qui secundum animam suam statim à morte receptus est in cœlum, secundum eam non descendit in loca infernalia. Christus secundum animam suam statim à morte receptus est in cœlum. Ergò. *Major* patet; quia cœlum & loca infernalia sibi diametraliter opposita sunt; ascendere etiam & descendere motus contrarii. De *Minore* constat ex dictis Christi pendentis in cruce, & jam morituri: *Luc.* 23. v. 43. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* vers. 46. *Pater in manus tuas depono Spiritum meum.*

Ex natura *Prædicati:*

Quia loca illa infernalia tria non sunt.

I. Quod non est; ad id nullus datur descensus: *Ratio*; quia non-entis nulla sunt accidentia. Loca tria infernalia, quæ præter gehennam recensentur, non sunt, ut alibi ostendimus. Ergo.

Quia descensus illius nulla fuit causa.

II. Si secundum animam Christus verè & propriè ad inferos descendit, *aut* descendit ut aliquid ibi pateretur, *aut* ut Patres liberaret, *aut* ut victoriam suam triumphans ostentaret. Non *primum*; quia in cruce consummavit omnia *Iohan.* 19. v. 30. *Vnicâ illâ oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur Heb.* 10. v. 14. Non *secundum*; quia jam in cœlo degebant, ut controversiâ sequente demonstrabitur. Non *tertium*; quia descensum ad inferos passim nobis describit Scriptura, ut infimum exinanitionis gradum exaltationi oppositum *Actor.* 2. *Roman.* 10. *Ephes.* 4. Ergo.

Affirmantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Subjecti* & *Prædicati* simul:

Quia secundum animam fuerit in corde terræ.

I. Qui fuit in corde terræ, fuit in locis infernalibus, adeoque ad illa descendit. Anima Christi à corpore separata fuit in corde terræ *Matt.* 12. v. 40. Ergo. *Resp.* I. negatur consequentia, *Majoris* ob fallaciam phraseos. *Cor terræ* phrasi Hebræa nihil significat, quàm quod intra terram est; & *in corde terræ esse* nihil, quàm intra terram esse; sive illud superficiei ejus propius, sive remotius sit. II. *Minor* falsa est. Nam *Matth.* 12. Filius hominis dicitur futurus in corde terræ, non sanè secundum animam, sed secundum corpus; utpote quo in sepulchro, quod intra terram erat, *Marc.* 16. *Ioh.* 20. in tertium usque diem requievit.

Quia id asseratur *Act.* 2. v. 27.

II. *Actor.* 2. v. 27. docetur, quod Christus ut corpore in sepulchro, sic animâ in inferno fuerit. Nam ψυχὴ *animam*, & quidem solam, ut quâ à carne distinguitur; ᾅδης *infernum* propriè significat, nec pro sepulchro uspiam accipitur. Ergo secundum animam ad inferos descendit. *Resp.* Antecedens peccat fallacia divisionis, & dictionis: *Illâ*; quia sententias æquipollentes, *Non relinques animam meam in Inferno, nec sines Sanctum tuum videre corruptionem*, distrahit tanquam sensu diversas. *Istâ*; Nam ψυχὴ per Synecdochen membri Hebraicam *ipsum Christum*, & iterum per Synecdochen integri *corpus ejus* designat: Quomodo etiam vox Hebræa נֶפֶשׁ pro *cadavere*, *Levit.* 21. v. 1. 11. & Græca ψυχὴ pro *corpore Luc.* 6. v. 9. sumitur. Probatur. I. Ex connexione: *Caro*, inquit, *mea commorabitur* scil. in sepulchro *sub spe*, *quoniam non derelinques* &c. II. Ex Epexegesi: *Non sines Sanctum tuum*, id est me, *videre corruptionem*, scil. in corpore, quam alioquin istud in sepulchro relictum sentiret. Sic alterum ᾅδης respondens voci שְׁאוֹל secundum interpretationem LXX. non semper *infernum* propriè, sed sæpe etiam *sepulchrum* notat 1. *Reg.* 2. v. 6. *Iob.* 14. v. 13. *Cap.* 17. v. 13. *Psal.* 6. v. 5. *Esa.* 38. v. 10. Quo significatu hîc accipi, v. 31. & *cap.* 13. v. 34. 35. collatio evincit.

III. Qui

III. Qui descendit in abyssum, in inferiores partes terræ; is descendit in loca infernalia. Christus descendit in abyssum, *Rom.* 10. v. 7. in inferiores partes terræ *Ephes.* 4. v. 9. Ergo. *Resp.* Iterum peccatur ambiguitate phraseos. *Rom.* 10. non dicitur Christus descendisse *in abyssum*; sed verba cordis dubitantis de redemtione Christi per mimesin recitantur. *Ephes.* 4. autem *descensus in inferiores partes terræ* non est motus localis, sed exinanitio & patefactio Christi in carne, quam in terrâ assumsit. Et *partes inferiores* dicuntur respectu partium superiorum, non terræ, sed mundi, id est, cœlorum: ut sensus sit, descendit in terram; quæ inferior mundi pars est.

Quia descenderit in abyssum.

TERTIA: An Christus descensu illo Patres omnes Veteris Testamenti ex limbo, alios nonnullos etiam ex purgatorio; Infantes verò ac damnatos nullos ex limbo & gehennâ liberarit? Pontificii affirmant, *Bellarminus tom.* 1. *Contr. gener.* 11. *de Christo, lib.* 4. *de anima ejus cap.* 11. 15. 16. Nos negamus.

Quinta: Pontificiorum. *An Christus suo descensu Patres V. T. ex limbo, alios ex purgatorio liberarit?*

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Prædicati:*

I. Qui statim à morte recepti fuerunt in cœlum, non detrusi sunt in limbum aliquem infernalem; eoque nec descensu animæ Christi postmodum inde liberati. Patres Veteris Testamenti in fide mortui, secundum animam statim recepti fuerunt in cœlum, *Eccles.* 12. v. 7. *Luc.* 16. v. 22. *& seqq.* *Hebr.* 11. *per totum*; Enochus & Elias etiam secundum corpus *Genes.* 5. v. 24. 2. *Reg.* 2. v. 5. 9. 11. Ergo.

Quia Patres V. Test. post mortem statim recepti sunt in cœlum.

II. Idem est fidelium post mortem status in utroque Testamento: *Ratio*; quia eadem utrobique mortis Christi efficacia, *Hebr.* 13. v. 8. *Apoc.* 13. v. 8. eadem fides & via salutis, *Ehes.* 4. v. 5. *Rom.* 4. v. 5. 11. 16. *Actor.* 15. vers. 11. Atqui fideles Novi Testamenti statim à morte recipiuntur in cœlum; quod de universis docet Scriptura, & *Bellarminus* de iis, qui sine peccato veniali decedunt, confitetur. Ergo.

Quia idem fidelium status est in V. & N. T.

Quia nec ob originale peccatum detenti, nec cœlum ipsis clausum fuit.

III. Si Patres in limbo illo infernali ad Christi usque descensum detenti fuerunt; aut ideo detenti, quod reatu peccati originalis adhuc tenerentur; aut quod cœlum eo usque ipsis clausum esset. Non *illud*; quia sanguis Christi tam ipsos, quàm nos mundavit ab omni peccato, 1.*Ioh*.1.v. 7. *Tit*.2.v.14. tanquam sanguis agni mactati à jacto mundi fundamento *Apoc*.13.v.8. Nec *istud*; quia non fuit clausum Abrahamo & Lazaro, *Luc*. 16. qui cum in loco quietis, gaudii, solatii fuerint, in cœlo certè, non in limbo fuerunt, ut qui secundum Pontificios, pœnæ damni locus est. Ergo.

De *Infantibus* eorumque post hanc vitam conditione alibi dictum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Subjecti*:

Quia Patrum animas eduxerit ex lacu.

Christus animas Patrum sanguine Testamenti eduxit è lacu, in quo non erat aqua, *Zach*.9.v. 11. Ergo ex limbo eas liberavit. *Resp*. *Antecedens Zach*. 2. non habetur; quia ibi non de animabus Patrum defunctorum, sed de Ecclesia Israëlitica in terris degente; nec de liberatione ex limbo, sed liberatione ex captivitate Babylonicâ in quâ nihil erat solatii, agitur, ut textus docet.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia animæ Patrum fuerint in inferno.

Animæ Patrum ante Christi ascensionem non fuerunt in cœlo; quia fuerunt in inferno, *Genes*. 37. v. 35. in eâdem cum damnatis voragine, hiatu tantùm interjecto, *Luc*. 16.v. 26. in carcere, 1.*Pet*. 3.v. 19. quod patefacta nondum esset via ad sacrarium priore tabernaculo adhuc consistente *Hebr*. 9.v. 8. Ergo descensu animæ Christi inde liberatæ, atque ita demum in cœlum traductæ fuerunt. *Resp*. Falsum est *Antecedens* unà cum probationibus, *Genes*. 37. descendere ad inferos est mori. *Luc*. 16. non dicitur Lazarum & Epulonem in eâdem fuisse voragine, sed potius contrarium, non fuisse; quandoquidem hiatus ingens interjectus ipsos disterminavit. 1.*Petr*. 3. Per *Spiritus in carcere* non intelliguntur animæ Patrum in fide mortuorum, verùm ex declaratione v. 20. animæ immorigerorum illorum, qui ad prædicationem Noachi non resipuerunt, ac proinde inobedientiam suam in *carcere*, id est, inferno, *Apoc*.20. v. 7. nunc luunt.

Vindiciæ Locorum. *Gen*. 37.v.35. *Luc*. 16.v.26. 1.*Pet*. 3.v.19.

Deni-

Denique *Hebr.* 9. patefieri non est reserari, aperiri, sed manifestari, palàm annunciari, prædicari, ut docet verbum Græcum πεφανερῶσθαι. Patefacta igitur veteribus non fuit via ad sacrarium, quatenus non fuit ipsis annunciata, prædicata, ut nobis in Novo Testamento 1. *Tim.* 3. v. 16. *Heb.* 9. v. 8.

Lutheranorum. *Sexta*: Lutheranorum. *An Satisfactio Christi sit universalis?*

An Satisfactio Christi sit Universalis? sive: *An Christus pro hominibus universis ac singulis, quotquot unquam fuerunt, sunt, & erunt nemine excepto, mortuus sit; eos omnes sanguine suo redemerit, reconciliarit Deo; adeóque ipsis remissionem peccatorum, justitiam, & Vitam Æternam acquisiverit?* Lutherani affirmant, *Eckardus fasciculi controversiarum cap.* 15. *de Prædestinatione quæstione* 6. Nos negamus.

Rationes nostræ: Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti & Prædicati* simul:

I. Qui mortuus est pro populo suo, pro Ecclesia, pro ovibus; ille non est mortuus pro omnibus & singulis. Christus mortuus est pro populo suo, pro Ecclesia, pro ovibus. Ergo. *Major* firma est: Nam populus Dei ipsi proprius & peculiaris est, 1. *Pet.* 2. v. 9. *Tit.* 2. v. 14. è multis selectus, ut canunt Seniores *Apoc.* 5. v. 9. *Redemisti nos Deo per sanguinem tuum, ex omni tribui linguâ; & natione* &c. Ecclesia non omnium sed vocatorum est cætus, & quidem vocatorum secundum propositum Dei *Rom.* 8. v. 28. Oves etiam, non universi & singuli (nam Christus ait, *vos non estis ex ovibus meis Ioh.* 10. v. 26.) sed quotquot ei à Patre dati fuere *Ioh.* 10. v. 29. *Minoris* veritas demonstratur per partes. Pro populo: *Matth.* 1. v. 21. *Ipse servabit populum suum à peccatis ipsius. Luc.* 1. v. 68. 69. *Invisit & redemit populum suum, & erexit cornu salutis in domo Davidis. Cap.* 2. v. 10. *Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit toti populo. Tit.* 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi peculiarem populum, accensum studio bonorum operum.* Pro Ecclesia: *Ephes.* 5. v. 23. *Quia Christus mortuus est pro populo suo, &c.*

Christus est caput Ecclesiæ,& is qui salutem dat corpori: v.25. *Dilexit Ecclesiam,& semetipsum exposuit pro ea. Act.* 20.v.28. *Deus acquisivit Ecclesiam proprio sanguine &c.* Pro ovibus: *Ioh.* 10.v.11. *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus.* v.15. *Ego animam meam depono pro ovibus, Cap.* 11.v.51.52. *Prophetavit fore ut Iesus moreretur pro gente: nec tantum pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos congregaret in unum.*

Quia mortuus est pro omnibus restrictive & indefinite sumtis.

II. Qui mortuus est pro omnibus, restrictivè & indefinitè sumtis; ille non est mortuus pro omnibus simpliciter & absolutè. Christus mortuus est pro omnibus restrictivè & indefinitè sumtis. Ergo. *Minor* probatur dupliciter. I. Quia dicitur mortuus pro omnibus credentibus, obedientibus, convertendis; pro omnibus membris Ecclesiæ; pro cujusvis ordinis ac conditionis hominibus. Ergo restrictivè & indefinitè pro omnibus dicitur mortuus. Pro omnibus credentibus: *Rom.* 3. v. 22. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt.* Sic *Ioh.*3.v.15.16. & *alibi.* Pro omnibus Obedientibus: *Heb.*5.v.9. *Factus est auctor salutis æternæ omnibus qui ei obediunt.* Pro omnibus Convertendis: *Ioh.* 12.v.32. *Sublatus è terra, omnes traham ad me.* Pro omnibus Membris Ecclesiæ: *Rom.*8.v.31.32. *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Is quidem qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Pro cujusvis ordinis ac conditionis hominibus, *Act.* 10.v.34.35. *Verè deprehendo Deum non respicere ad personam; sed in quavis gente acceptum ei esse quemvis, qui eum timeat, &c.* II. Quia sic mortuus est pro omnibus, ut etiam mortuus dicatur pro multis. *Esa.*53.v.11. *Servus meus justus cognitione sui justificabit multos, quorum iniquitates ipse bajulavit,* v.12. *ipse peccatum multorum pertulit. Matt.*20.v.28. *Filius hominis venit, ut det animam suam* λύτρον *pro multis, Cap.* 26.v.28. *Sanguis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum, Heb.* 9.v.28. *Christus semel oblatus, ut tolleret peccata multorum.* Proinde universalitas illa non absoluta, sed restrictiva est; non omnium simpliciter, sed omnium illius ordinis ac multitudinis.

Excipiunt Lutherani.

Ioh.12.v.32. explicatur.

Primò: Ioh. 12.v. 32. Christus sine restrictione loquitur. *Resp.* Hoc falsum est. Ad eos restringit sermonem quos se tracturum esse

per conversionem & fidem promittit, & ex veraci promissione trahit. At non omnes absolutè, sed omnes convertendos, electos trahit, ex Judæis & gentibus; quemadmodum nec Pater omnes absolutè, sed omnes Electos ad Christum trahit *Ioh.* 6.v.44. Ergo.

Multi quomodo accipiatur.

Secundò: Vox *multi* totam sæpe Vniversitatem significat, ac omnes & singulos notat *Dan.* 12.v.2. *Rom.* 5.v.19. *Resp.* Proceditur ex puris particularibus. Alicubi ejusdem significationis est. Ergo. hîc. Locus etiam *Rom.* 5. impertinens est, de universalitate restrictivâ Electorum & credentium agens, pro quibus omnibus dum mortuus est Christus, equidem pro multis est mortuus; quia illi in se spectati verè multi sunt, *Matth.* 8. v. 11. *Hebr.* 2. v. 10. Ab Oriente & Occidente, ex omni natione & linguâ per totum mundum collecti *Matt.* 8. v. 11. *Cap.* 28.v.19. *Apoc.* 5. v.9. *Ioh.* 11. v. 52. licet pauci omnino, reproborum & incredulorum respectu *Matt.* 7. v.14. *Cap.* 20. 16. *Luc.* 12. 32.

Universalitas Scripturæ consentanea.

Tertiò: Hoc modo universalitas illa, quam passim inculcat Scriptura, enervatur & in particularitem convertitur. *Resp.* negamus. Nam restringitur tantum secundum Scripturam ad eam speciem, cujus propria est; eoque universalitas quædam specialis credentium, alteri incredulorum opposita, constituitur: sicut τὸ καθόλου tam speciei convenit respectu individuorum, quam generi respectu specierum. Et Ecclesia quam Deus proprio sanguine acquisivit, *Act.* 20. v. 28. rectè *Cotholica* universalis vocatur, etiamsi genera tantum singulorum, non singula generum complectatur.

Quia pro universis & singulis non oravit.

III. Pro quibus Christus oblaturus se ipsum non oravit, neque etiamnum intercedit apud Patrem in cœlis; pro iis quoque mortuus non est. Pro universis & singulis neque oblaturus se ipsum oravit, neque etiamnum intercedit. Ergo. *Majoris* Consequentia patescit *partim* ex eo, quod duo illa Summi Sacerdotis officia, offerre & orare pro populo, individuo nexu cohærent in typo, *Lev.* 16. & antitypo *Heb.* 5.8.9.10. *capp.* *Rom.* 8.v.34. 1. *Ioh.* 2.v.1.2. *partim*; quia minus est orare pro aliquo, quam mori: *partim* etiam quia adversaretur sibi, si pro quibus mori decreverat, orare nollet. *Minor* bimembris est. *Prius* confirmatur dicto Christi *Ioh.* 17.v.9. *Pro iis rogo, non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt.* *Posterius* dictis Apostolicis: *Rom.* 8.v.34. *Christus est qui mortuus est, qui interpellat pro nobis*, scilicet Electis Dei ex v. 33. quos nihil potest separare ab ejus charitate v. 35. *& seq.* *Heb.* 7.v.24.25.

Pro-

Propterea quod in æternum manet perpetuum habet sacerdotium: Unde & perfecte servare potest eos, qui per ipsum accedunt ad Deum, semper vivens, ut interpellet pro eis; accedentibus scilicet per ipsum ad Deum. 1. *Ioh.* 2. v. 1. 2. *Filioli, si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum. Et ipse est propitiatio, &c.*

Quomodo Christus pro inimicis suis oraverit.

Excipiunt: Christus oravit etiam pro inimicis transgressoribus *Luc.* 23. v. 34. *Esa.* 53. v. 12. Apud *Iohannem* verò loquitur non de generali istâ, sed speciali precatione, quâ Electos sibi tanquam in peculium à Patre datos peculiariter æterno Patri commendat. *Resp.* Sic etiam pro inimicis transgressoribus mortuus est *Rom.* 5. v. 6. 8. 9. An pro omnibus promiscuè? Minimè verò, sed pro Electis ex mundo & convertendis. Eundem ergo in modum pro inimicis convertendis oravit *Ioh.* 17. v. 20. Loca *Luc.* 23. *Esa.* 53. agunt de militibus qui Christum crucifixerant, non odio, quo Scribarum & Pharisæorum multi ipsum tradiderant, & ad mortem depoposcerant, sed ignorantiâ. Pro iis igitur orat Christus indefinitè, quia nonnullos ex ipsis convertendos esse norat: quod ipsum eventu mox cumprobatum fuit in centurione, *Luc.* 23. v. 47. & milite *Ioh.* 19. v. 34. 35. Similiter & Stephanus pro lapidantibus se oravit indefinitè, *Act.* 7. v. 60. futurum sperans, ut aliqui saltem ex ipsis converterentur, atque ita ex charitatis lege eos pro Electis habens.

Vindicatur locus *Ioh.* 17. v. 9.

In *expositione loci Ioh.* 17. *primò* contradicunt gregalibus suis, qui Reprobos voce mundi non simpliciter, verum eatenus excludi ajunt, quatenus ignorant Deum, & Electos ejus oderunt. *Deinde*. Si peculiariter, sive singulari modo oravit pro Electis, peculiariter etiam pro ipsis est mortuus: *Ratio*; quia non pro mundo sed pro datis sibi à Patre seipsum sanctificavit, id est, obtulit in sanctam victimam, v. 9. *Heb.* 10. v. 10. Quis verò modus ille mortem Christi in se modificans? aut quo pacto modus hic peculiaris cum absolutâ Redemtionis Universalitate consistet?

Quia beneficia mortis Christi non redeunt ad singulos.

IV. Ad quos non redeunt beneficia mortis Christi; ad eos quoque ejus satisfactio non pertinet. Atqui non redeunt ad universos & singulos. Ergo. Utraque propositio probatur. *Major*: quia beneficiorum illorum acquirendorum, &, quibus acquisita sunt, conferendorum gratiâ, satisfactio à Christo præstita fuit. *Act.* 20. v. 28. *Cap.* 5. v. 31. *Gal.* 3. v. 13. 14. *Eph.* 4. v. 9. 10. *& seq. Cap.* 5. v. 23. 25. 26. 27. *Minor* inductione: Remissio peccatorum non est universorum & singulorum, *Rom.* 3. v. 22. *Act.* 10. 43. nec Spiritus Sanctus.

Ioh.

*Ioh.*14.v.16.17. nec Fides 2.*Theſſ*. 3.v.2. *Tit.*1.v.1. nec Regeneratio, *Act.* 5. v. 31. nec denique Vita Æterna *Matt.* 25. v. 34.

Excipiunt: Negando conſequentiam *Majoris*; quod duplex ſit beneficiorum Chriſti conſideratio, nimirum *vel* ut habentur in Chriſto acquiſita, *vel* ut ab homine poſſidentur & tenentur applicata. Priorem eſſe poſſe abſque poſteriore probant dictis, *Rom.* 5.verſ.18. 2.*Cor*. 5.verſ.19.20.& exemplo Pauli, qui morte quidem Chriſti redemtus fuit, nec tamen, quamdiu perſecutor Eccleſiæ, abſolutus à peccatis, & Deo actû reconciliatus fuit. *Reſp.* Diſtinctio illa conſequentiam *Majoris* non infringit aut ſolvit. Omnino differt *applicatio* beneficiorum Chriſti ab eorundem *acquiſitione*. *Illa* effectum eſt, *hæc* cauſa; *illa omnium* temporum in Veteri & Novo Teſt. *hæc* unius; *illa* per Spiritum Sanctum, fidem, verbum & ſacramenta quotidie fit, *hæc* per ſanguinem Chriſti ſemel facta eſt *Actor*. 20. v.28. Hinc vero nondum conficitur ita differre, ut cui à Chriſto acquiſita ſunt beneficia, ei nunquam applicentur: Nec hoc vel dicta (de quibus poſtea) volunt, vel Pauli exemplum evincit. Annon *Paulo* tandem converſo applicata ſunt? Quam certum eſt Chriſtum traditum in mortem propter lapſus noſtros & reſuſcitatum ad noſtri juſtificationem, *Rom.* 4. v. 25. exaltatum eſſe ad dexteram Dei, ut daret Iſraëli reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum, *Act*.5.v.31. intercedere pro iis pro quibus mortuus eſt, *Rom.* 8. v. 34. & ſalutem dare Eccleſiæ pro quâ ſe expoſuit, *Eph*.5.v.23.25. tam certum eſt beneficia ejus quibus acquiſita ſunt, iiſdem etiam applicari, etſi diverſis temporum intervallis, pro diverſis vocationis momentis *Matt*.20.

Rationes Lutheranorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Quia Satisfactio Christi omnibus & pro omnibus præſtita ſit.

I. Quod omnibus, & pro omnibus præſtitum eſt; id verè eſt & dici debet Vniverſale. Satisfactio Chriſti omnibus, & pro omnibus præſtita eſt. Ergo. *Minorem* probant dictis, *Rom*.5.v.18.1.*Cor*. 15.v.22. ubi antitheſin urgent Adami primi & ſecundi; & illud, quod beneficium Chriſti non contractius, ſed abundantius ſit maleficio Adæ, & aliis locis 1.*Tim*.2.6. 2.*Cor*.5. 15. *Heb*.2.v.9. *Reſp.* Admittitur Elenchus quatuor terminorũ. Nam *Major* de Vniverſalitate abſolutâ ſecundum Lutheranos, *Minor* de Vniverſalitate reſtrictivâ ſecundum Scripturas loquitur. Nec enim ubicunq; *nota eſt*

ta est *universalis*, semper universalitas *absoluta* notatur, sed talis qualem subjectæ materiæ natura fert; alioquin Deus absolutè esset omnia in omnibus; absolutè citra exceptionem operaretur omnia in omnibus; omnia nova facta essent; omnes absolute quæ sui sunt quærerent: quod nemo sanus affirmabit. Sed universalitatem *restrictivam* illam in testimoniis citatis ostendamus. *Rom.* 5. v. 18. *Omnes* homines in quos redundasse dicitur beneficium Christi, non sunt omnes homines absolutè, sed omnes ad ipsum pertinentes, id est, Electi & fideles. Etenim confert Christum Apostolus cum Adamo, tanquam stirpem cum stirpe; ostenditque sicut hic, Adamus primus, omnibus suis communicavit peccatum & mortem, ita istum, secundum Adamum, suis omnibus communicasse justitiam & vitam: Ideoque v. 19. eandem sententiam repetens, illud *omnes* per *multos*, & quidem addito articulo, qui vim habet ἀναφορικὴν, declarat. Aliter si esset, doctrinam de justificatione solorum credentium, *capp.* 3. & 4. propositam ipsemet refelleret, sibique apertè contradiceret. Nihil ergo præsidii adversaris in antithesi. Nec plus in eâ, quæ prædicatur, *gratiæ Christi* supra peccatum *exuberantiâ*. Hæc siquidem non in numero, per quem tantum foret æqualitas, sed in præstantia effectus, itemque efficacia illâ, quâ tum peccatum Adæ, tum omnia inde orta peccata delentur, consistit. 1. *Cor.* 15. vers. 22. sermo est de vivificatione, id est, de resuscitatione ad vitam æternam; quæ cum non omnium simpliciter, sed omnium credentium sit, *Iohann.* 5. 6. *capp.* absoluta Redemtionis Vniversalitas nullâ rationis specie inde deducitur. Locum 1. *Timoth.* 2. alibi vindicavimus. 2. *Corinth.* 5. vers. 15. docet Apostolus *unum* Christum *mortuum esse pro omnibus*: quibus omnibus? iis, 1. quibus imputatur ejus mors, hoc est, qui propter mortem Christi, quam pro ipsis subiit, ipsi censentur mortui. II. qui resipiscunt, id est, cum ante indulgerent cupiditatibus carnis, jam iisdem renunciant, atque ex voluntate Christi, inque ejus honorem vitam instituunt. Vtrumque de solis Electis & credentibus verum est, *Heb.* 2. v. 9. *Pro omnibus gustare mortem*, est gustare eam pro omnibus Electis & credentibus. Etenim hi *omnes*, v. 10. *filii multi in gloriam adducendi*, v. 11. *sanctificati*, v. 11. 12. *fratres Christi*, v. 13. *pueri à Deo ipsi dati* vocantur. Quæ totidem verè fidelium elogia sunt.

Vindicantur dicta *Rom.* 5. v. 18.

1. *Cor.* 15. v. 22

2. *Cor.* 5. v. 15.

Quia reconciliatio ad totum mundum se diffundat.

II. Quod ad mundum, & quidem totum se diffundit; ad fidelium paucitatem contrahi non debet. Reconciliatio & propitiatio

tiatio per Christum facta ad mundum, & quidem totum se diffundit 2.*Cor*.5.v.19. 1.*Ioh*.2.v.2. Ergo. *Resp*. Est fallacia quatuor terminorum ex ambiguitate vocis *Mundi*, quæ in *Majore* fidelium & infidelium, in *Minore* solorum fidelium mundum significat. 2.*Cor*. 5.v.19. illi vocabulo *mundi* intelliguntur, qui reconciliantur Deo per Christum, quibus Deus non imputat, sed remittit peccata, qui justitia Dei in Christo, eoque beati sunt: *Ratio*; quia illo modo mundus describitur 2. *Cor*. 5. v. 19. 21. & descriptionis membra declarantur *Rom*.4.5.6.7.8. *capp*. Hujusmodi verò sunt soli credentes. Ergo. Alter locus 1.*Ioh*.2.v.2. haud rectius explicantur, quàm ex *Euangelio Iohannis cap*. 11. v. 51.52. ubi ait, Christum non tantum moriturum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. Mundus ergo sunt filii Dei per totum mundum dispersi. Idem ex scopo colligere est. Etenim vers. 1.2. consolationem proponit quâ se erigant filii Dei tam ex gentibus, quàm ex Iudæis adversus conscientiam peccati, ab Intercessione & Satisfactione Christi. Consolatio autem non ex iis quæ credentibus & incredulis communia, verum quæ his, servandis, propria sunt, ducitur. Nec emphasis aliqua latet in voce vel *mundi*, vel *totius*, ad probandam universalitatem absolutam; quemadmodum adversariis persuasum est. Nam & *Mundus* Christum dicitur secutus, *Iohann*. 12. vers. 19. cum tamen non universi, & singuli; verum multi sequuti fuerunt. Sic *totum* mundum, ait Iohannes 1. *Epist*. 5. v. 19. jacere in malo; *totam* terram sequi bestiam *Apoc*. 13.v.3. nec tamen id de universis simpliciter, sed de quam plurimis, de parte majori, intelligitur.

Mundus aliquando solorum fidelium est. 2. *Cor*.5.v.19. vindicatur.

1. *Ioh*. 2.v.3. vindicatur.

III. Christus etiam pro iis mortuus est qui pereunt 1.*Cor*. 8. vers. 11. *Rom*. 14. vers. 15. 2.*Petr*.2. vers.1.2.3. At illi qui pereunt non sunt Electi, sed Reprobi. Ergo Christus non tantum pro Electis, sed etiam pro Reprobis mortuus est; *Resp*. Loci qui in *Majore* adducuntur dissimiles sunt. 1. *Cor*. 8. *Rom*. 14. non dicitur perire infirmos illos pro quibus Christus est mortuus, sed quo minus pereant non stare per eos qui ipsis scandala præbent. 2. *Pet*.2. autem Pseudoprophetas legimus abnegare Dominum, qui ipsos mercatus erat; scilicet quoad externæ professionis gloriationem, *Matt*. 7. v.22. atque etiam aliorum opinionem, qui ipsos, quamdiu inter fideles precioso sanguine redemtos, 1.*Pet*. 1. v. 19. acquisitos, *Act*.20.v.28. versabantur, pro talibus habebant.

Quia Christus etiam mortuus sit pro iis qui pereunt.

LOCUS UNDECIMUS

De

ECCLESIA.

Controversiæ de ECCLESIA *quatuor numero sunt,* Pontificiorum *omnes*:

I. An præter Electos vocatos, etiam Reprobi infideles, sive occulti sive manifesti peccatores, veræ Christi Ecclesiæ membra sint?

II. An vera Christi Ecclesia sit & rectè dicatur invisibilis?

III. An eadem Ecclesia errare possit in fide?

IV. An Notæ externæ hujus Ecclesiæ sint verbum Dei, & Sacramenta; an verò Nomen Catholicum, Antiquitas, Duratio continua, Amplitudo sive varia multitudo credentium, Successio Episcoporum, Conspiratio in doctrina cum Ecclesiâ antiquâ, Unio membrorum inter se & cum capite, Sanctitas doctrina, ejusdem Efficacia, vitæ sanctimonia, Gloria miraculorum, Lumen Propheticum, Confessio adversariorum, infelix exitus persecutorum Ecclesiæ, & contra eorum, qui ipsam defenderunt, temporaria felicitas?

EXEGESIS.



Ihil hic controversum nobis est cum *Lutheranis*; nihil etiam cum *Samosatenianis* & *Anabaptistis*, quod quidem hujus propriè loci sit. Nam quæ de *Infantibus*, deque *Veteris & Novæ Ecclesiæ diversitate* quoad doctrinam

nam disputant, alio pertinent. Cum solis *Pontificiis* certamen superest, quorum sententiam libris duobus explicavit & propugnavit *Bellarminus*: ita tamen ut neque vocabulum Ecclesiæ homonymum distinxerit, neque definitionem definito suo adæquatam tradiderit, utpote quo partim latior, partim angustior est. Utrumque studio sophistices factum. Nos non de alia, quàm de *verâ Christi Ecclesiâ, in terris militante*, loquimur, quæ foris per Verbum, intus per Spiritum vocatur ad salutis æternæ participationem; eoque significatu quæstionibus omnibus controversis vocem accipimus.

Ecclesia vocabulum quomodo h.l. accipiatur.

PRIMA: An præter Electos vocatos etiam Reprobi, Infideles, sive occulti sive manifesti peccatores, veræ Christi Ecclesiæ membra sint? Pontificii affirmant, *Bellarmin. tom. II. controv. gener. I. Lib. 3. de Ecclesiâ militante, c.2.7.9.10.* Nos negamus.

Prima: Pontificiorum. *An etiam reprobi, infideles sint veræ Ecclesiæ membra?*

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

I. Qui nec Spiritum Sanctum, nec fidem habent; veræ Christi Ecclesiæ membra non sunt: *Ratio*; quia illa per unum Spiritum, per unam fidem, in unum corpus conjunguntur 1.*Cor.* 12.v.13. *Eph.*4.v.4.5. Reprobi, infideles nec Spiritum Sanctum habent, quem mundus non potest percipere *Ioh.*14.v.16.17. neque fidem, quæ Electorum est *Tit.*1.v.1. *Act.*13.v.48. Ergo.

Quia reprobi nec Sp. S. nec fidem habent.

II. Qui non sunt ex, sive de Ecclesiâ; non sunt vera ejus membra: *Ratio*; quia membrum est pars totius, eoque de toto. Reprobi, infideles non sunt ex, sive de verâ Ecclesiâ 1.*Ioh.*2.v.19. *Egressi sunt ex nobis*, scilicet quoad externam professionem, *sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique* nobiscum, &c. Ergo.

Quia non sunt ex, vel de Ecclesiâ.

III. Qui sunt membra Diaboli, non sunt membra veræ Ecclesiæ: *Ratio*; quia nulla communio luci cum tenebris, Christo cum Belial, fideli cum infideli 2.*Cor.*6.v.14.15.16. 1. *Ioh.* 1.v.5. 7.6. Reprobi, infideles sunt membra Diaboli. *Iohann.* 8. vers.44.

Quia sunt membra Diaboli.

Vos ex Patre Diabolo estis & cupiditatis Patris vestri vultis implere, &c. Ergo.

Ex naturâ *Prædicati :*

Quia non vocantur secundum propositum Dei.

I. Omnia membra veræ Ecclesiæ vocantur secundum propositum Dei : *Ratio* ; quia vera Ecclesia est cætus vocatorum secundum propositum Dei, *Rom.* 8. vers. 28. cætus Electorum sive vocatorum secundum præcognitionem ejus 1.*Pet.*1.v.2. Reprobi, Infideles non ita vocantur quia ex eorum numero sunt, de quibus dicitur, *Multi vocati, &c. Matt.* 20. v. 16. Ergo.

Quia non sunt membra Christi

II. Omnia membra veræ Ecclesiæ, sunt membra Christi : *Ratio* ; quia Ecclesia est ipsius corpus, ipse ejus caput *Ephes.*5.v.23. *Col.* 1. v. 18. Reprobi non sunt membra Christi ; quia Spiritum ejus non habent. Qui verò Spiritum Christi non habet, non est ejus *Rom.* 8.v.9. Ergo.

Quia non sunt oves Christi.

III. Omnia membra veræ Ecclesiæ sunt oves Christi, agnoscunt, audiunt, sequuntur ipsum ; & vicissim ab ipso agnoscuntur, ducuntur, beantur. Hæc descriptio extstat *Ioh.*10. Reprobi, Infideles non sunt oves Christi : *Ioh.* 10. v. 26. *Vos non estis ex ovibus meis* ; non agnoscunt, audiunt, sequuntur ipsum : *Ioh.* 8.v. 47. *Vos non auditis.Cap.*10.v. 26. *non creditis*; neque etiam à Christo agnoscuntur, ducuntur, beantur : *Matth.* 7.v.23. *Nunquam novi vos. Cap.* 25. v. 32. 33. 41. *Discedite à me hadi maledicti in ignem æternum*, &c. Ergo.

Rationes Pontificiorum.

Affirantmes Heterodoxa.

Ex naturâ *Prædicati :*

Quia Ecclesia sit area, sagena.

I. Quæ ratio est areæ, sagenæ, convivii nuptialis, magnæ domus; ea quoque ratio est Ecclesiæ, ut quæ cum illis omnibus comparatur *Matth.*3.13.22. *capp.* 2.*Tim.*2. Atqui talis ratio est, ut in areâ tam palea, quam triticum ; in sagenâ tam mali, quam boni pisces ; in convivio nuptiali convivæ tam absque quam cum veste nuptiali reperiantur ; in magnâ quoque domo tam sint vasa fictilia ac lignea ad ignominiam, quam aurea ac argentea ad gloriam. Ergo Ecclesiæ quoque ea ratio est, ut reperiantur in eâ tam mali quam boni, tam Reprobi quam Electi. *Resp.* Datur totum

tum. Sunt in Ecclesiâ, sive in cœtu Electorum vocatorum, quamdiu hîc malis permixtus degit, Reprobi, Infideles; sed an etiam de istâ Ecclesiâ, sive vera ejus membra sunt? Negat Christus *Ioh.* 10. v. 26. *Vos non estis ex ovibus meis.* Negat Johannes 1. *Epist.* 2. v. 19. *Egressi sunt ex nobis, sed non erant ex nobis.* Et sicut *non omnes qui ex Israële, sunt Israël*, teste Apostolo, *Rom.* 9. v. 6. ita nec omnes qui sunt in Ecclesiâ, sunt ex, sive de Ecclesiâ. Proinde aberrat argumentum ignoratione Elenchi, & propositum non concludit.

II. Omnes baptizati veræ Ecclesiæ membra sunt: *Ratio*; quia baptizantur omnes in unum corpus, 1. *Cor.* 12. v. 13. Christumque in baptismo induunt *Gal.* 3. v. 27. Reprobi, Infideles, quotquot versantur in Ecclesiâ, sunt baptizati. Ergò. *Resp.* Est fallacia quatuor terminorum ex ambiguitate vocis *Baptismi*, quæ in *Majore* baptismum fidelium, qui est depositio sordium carnis & animæ, 1. *Pet.* 3. v. 21. in *Minore* baptismum infidelium, qui sordium carnis tantùm est depositio, eoque non salvat, designat. Pro fidelibus autem ex charitatis lege habentur, quotquot omnino baptismum suscipiunt, nec se infideles declarant. Quia omnes baptizati sint veræ Ecclesiæ membra.

III. Qui Ecclesiæ Apostolicæ membra fuerunt; ii etiamnum sunt membra veræ Ecclesiæ. Reprobi, Infideles, manifesti peccatores, fuerunt membra Ecclesiæ Apostolicæ; quemadmodum ex Apostolorum Epistolis constat. Ergo. *Resp.* *Ecclesia Apostolica* dicitur ambiguè, *aut* ratione vocationis externæ seorsim, *aut* ratione vocationis externæ & internæ conjunctim. *Primo* modo Reprobi, Infideles fidem professi, fuerunt membra Ecclesiæ Apostolicæ; sed id ad quæstionem non facit. *Altero* modo non fuerunt membra etsi versarentur inter membra. Et sic *Minor* falsa est. Quia reprobi fuerint membra Ecclesiæ Apostolicæ.

IV. Veræ Ecclesiæ membra non facit sola Prædestinatio sive Electio. Ergo etiam Reprobi, & non soli Electi, veræ Ecclesiæ membra sunt. *Antecedens* probant ab absurdo duplici: I. quia alioquin Judæi, Mahumedani, Hæretici, modo Prædestinati, essent membra Ecclesiæ. II. quia omnia incerta forent, nec Pastor oves, nec oves Pastorem, non etiam frater fratrem nosset. *Resp.* negatur *Consequentia.* Etsi membra non facit sola Electio, tamen soli Electi membra sunt. Nam vocatio efficax, per quam formaliter actu ipso membra constituuntur, ex Electione est. Electorum Quia non sola Electio faciat membra Ecclesiæ.

lectorum propria est *Rom.* 8. v. 28. 1. *Cor.* 1. v. 26. 27. *Ephes.* 1. v. 5. Hinc corruit absurdum *primum.* Non sunt membra actu, quamdiu non vocantur efficaciter, licet destinatione membra dici possint, quomodo gentes nondum vocatas, *oves*, *Ioh.* 10. v. 16. & *Dei Filios*, *cap.* 12. vers. 52. Scriptura nominat. *Alterum* negatur; quia etsi non agnoscunt se invicem à priori, ut Deus, 2. *Tim.* 2. v. 19. noverunt tamen ex fructibus fidei & charitatis à posteriore *Ioh.* 13. v. 35. 1. *Epist.* 3. v. 9. 10. 1. *Thess.* 1. v. 2. 3. Deinde aliud est agnoscere aliquem Pastorem, aliud agnoscere prædestinatum; aliud agnoscere ovem communiter, aliud prædestinatam singulariter.

Secunda: Pontificiorum. *An vera Ecclesia Christi sit Invisibilis?*

SECUNDA: An vera Christi Ecclesia sit & rectè dicatur Invisibilis? Pontificii negant, *Bellarm. tom. II. Controv. gener. I. Lib. 3. de Ecclesiâ militante cap.* 12. Nos affirmamus; sic tamen ut simul etiam *visibilem* esse, ratione materiæ, formæque externæ asseramus.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia est corpus mysticum domus spiritualis.

I. Quod est corpus mysticum per Spiritum & fidem coadunatum, domus item spiritualis; id est & rectè dicitur Invisibile. Vera Ecclesia est corpus mysticum, *Ephes.* 5. v. 23. 32. per spiritum & fidem coadunatum, 1. *Cor.* 12. v. 13. *Eph.* 4. v. 4. 5. domus item Spiritualis 1. *Petr.* 2. v. 5. Ergo.

Quia omnia ejus membra sunt invisibilia.

II. Cujus membra omnia sunt invisibilia; id ipsum est invisibile. Veræ Christi Ecclesiæ, hîc in terra militantis, membra omnia sunt invisibilia. *Ratio,* I. quia Electio & Vocatio τῷ πνεύματι sub sensus non cadunt 2. *Tim.* 2. v. 19. 1. *Cor.* 2. v. 11. II. quia sunt milites spirituales, militiam spiritualem exercentes *Ephes.* 6. v. 12. Ergo.

Quia à forma interna potius, quam ab externâ subjectum denominandum.

III. In quo Subjecto duæ sunt formæ, una externa, altera interna; illud tam invisibile dicendum ratione formæ internæ, quàm visibile ratione externæ, imo potius ab illâ quàm ab hac denominandum est. Hæc Major est *Bellarmini* contra imputationem

tionem justitiæ *lib. 2. de justificatione cap. 7.* Atqui in vera Ecclesia, tanquam subjecto, duæ sunt formæ; una externa, *Vocatio per Verbum*; altera interna, *Vocatio per Spiritum*, ut alibi ostensum. Ergo.

Ex natura *Prædicati:*

I. Quod internum & in corde est, invisibile est. Vera Ecclesia ratione formæ est interna: *Luc. 17. v. 20.21. Regnum Dei non venit cum observatione: sed intus habetis. Psal. 45. v. 14. Tota pulchritudo filiæ Regis est intus*, nimirum; quia lex cordi ejus inscribitur *Jer. 31. v. 33.* Ergo. Quia interna & in corde est.

II. Quæ creduntur, videri nequeunt sed invisibilia sunt, teste Apostolo *Heb. 11. v. 1.* Ecclesia Catholica creditur in Symbolo. Ergo. Quia Ecclesia creditur.

Rationes Pontificiorum. *Negantes Heterodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

I. Nomen Ecclesiæ ubique in Scriptura Congregationem visibilem, nuspiam invisibilem, significat. Ergo ipsa visibilis est, non invisibilis. *Resp. Antecedens* cum aliis, tum his exemplis infringitur: *Matt. 16. v. 18. Ephes. 5. v. 23. 32. Hebr. 12. v. 23.* Quæ excipit *Bellarminus* contra locum *Matthæi*, apertam principii petitionem habent. Quia nomen Ecclesiæ nunquam invisibilem congregationem notet.

II. Ecclesia describitur ut cætus visibilis, omnium hominum sensibus expositus, *Psal. 19. v. 5. Esa. 2. v. 1. & seqq. Mich. 4. v. 1. & seqq. Dan. 2. v. 35. Matth. 5. v. 15.* & alibi in parabolis. Ergo est visibilis. *Resp.* Et quis negat? Ipsi visibilem esse asserimus, cum materiæ tum formæ externæ respectu. An verò tantùm visibilis, & non etiam invisibilis ratione formæ internæ? Loca allegata certè id minimè evincunt; quorum alia ne agunt quidem de Ecclesia; alia sic agunt, ut invisibilitatem connotent, vel saltem non negent. Quia describatur ut cœtus visibilis.

III. Ab ortu & progressu Ecclesiæ in utroque Testamento. Ecclesia in Veteri & Novo Testamento conspicuâ quâdam ratione cœpit & propagata est, ut historia sacra testatur. Ergo etiam visibilis est. *Respondetur* id quod prius. Ortus verò ejus atque Quia perspicuâ ratione cœperit & propagata sit

lectorum propria est *Rom.* 8. v. 28. 1. *Cor.* 1. v. 26. 27. *Ephes.* 1. v. 5. Hinc corruit absurdum *primum.* Non sunt membra actu, quamdiu non vocantur efficaciter, licet destinatione membra dici possint, quomodo gentes nondum vocatas, *oves, Ioh.* 10. v. 16. & *Dei Filios, cap.* 12. vers. 52. Scriptura nominat. *Alterum* negatur; quia etsi non agnoscunt se invicem à priori, ut Deus, 2. *Tim.* 2. v. 19. noverunt tamen ex fructibus fidei & charitatis à posteriore *Ioh.* 13. v. 35. 1. *Epist.* 3. v. 9. 10. 1. *Thess.* 1. v. 23. Deinde aliud est agnoscere aliquem Pastorem, aliud agnoscere prædestinatum; aliud agnoscere ovem communiter, aliud prædestinatam singulariter.

Secunda: Pontificiorum. An vera Ecclesia Christi sit Invisibilis?

SECVNDA: An vera Christi Ecclesia sit & rectè dicatur Invisibilis? Pontificii negant, *Bellarm. tom. II. Controv. gener. I. Lib.* 3. *de Ecclesiâ militante cap.* 12. Nos affirmamus; sic tamen ut simul etiam *visibilem* esse, ratione materiæ, formæque externæ asseramus.

Rationes Affirmantes Orthodoxæ.

Rationes nostræ.

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia est corpus mysticum domus spiritualis.

I. Quod est corpus mysticum per Spiritum & fidem coadunatum, domus item spiritualis; id est & rectè dicitur Invisibile. Vera Ecclesia est corpus mysticum, *Ephes.* 5. v. 23. 32. per spiritum & fidem coadunatum, 1. *Cor.* 12. v. 13. *Eph.* 4. v. 4. 5. domus item Spiritualis 1. *Petr.* 2. v. 5. Ergo.

Quia omnia ejus membra sunt invisibilia.

II. Cujus membra omnia sunt invisibilia; id ipsum est invisibile. Veræ Christi Ecclesiæ, hîc in terra militantis, membra omnia sunt invisibilia. *Ratio,* I. quia Electio & Vocatio τῶ ἔσω sub sensus non cadunt 2. *Tim.* 2. v. 19. 1. *Cor.* 2. v. 11. II. quia sunt milites spirituales, militiam spiritualem exercentes *Ephes.* 6. v. 12. Ergo.

Quia à forma interna potius, quam ab externâ subjectum denominandum.

III. In quo Subjecto duæ sunt formæ, una externa, altera interna; illud tam invisibile dicendum ratione formæ internæ, quàm visibile ratione externæ, imo potius ab illâ quàm ab hac denominandum est. Hæc Major est *Bellarmini* contra imputationem

tionem juſtitiæ *lib. 2. de juſtificatione cap. 7.* Atqui in vera Eccleſia, tanquam ſubjecto, duæ ſunt formæ; una externa, *Vocatio per Verbum*; altera interna, *Vocatio per Spiritum*, ut alibi oſtenſum. Ergo.

Ex natura *Prædicati*:

Quia interna & in corde; eſt.

I. Quod internum & in corde eſt, inviſibile eſt. Vera Eccleſia ratione formæ eſt interna: *Luc. 17. v. 20. 21. Regnum Dei non venit cum obſervatione: ſed intus habetis. Pſal. 45. v. 14. Tota pulchritudo filiæ Regis eſt intus*, nimirum; quia lex cordi ejus inſcribitur *Ier. 31. v. 33.* Ergo.

Quia Eccleſia creditur.

II. Quæ creduntur, videri nequeunt ſed inviſibilia ſunt, teſte Apoſtolo *Heb. 11. v. 1.* Eccleſia Catholica creditur in Symbolo. Ergo.

Rationes Pontificiorum.

Negantes Heterodoxæ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia nomen Eccleſiæ nunquam inviſibilem congregationem notet.

I. Nomen Eccleſiæ ubique in Scriptura Congregationem viſibilem, nuſpiam inviſibilem, ſignificat. Ergo ipſa viſibilis eſt, non inviſibilis. *Reſp. Antecedens* cum aliis, tum his exemplis infringitur: *Matt. 16. v. 18. Epheſ. 5. v. 23. 32. Hebr. 12. v. 23.* Quæ excipit *Bellarminus* contra locum *Matthæi*, apertam principii petitionem habent.

Quia deſcribatur ut cœtus viſibilis.

II. Eccleſia deſcribitur ut cætus viſibilis, omnium hominum ſenſibus expoſitus, *Pſal. 19. v. 5. Eſa. 2. v. 1. & ſeqq. Mich. 4. v. 1. & ſeqq. Dan. 2. v. 35. Matth. 5. v. 15.* & alibi in parabolis. Ergo eſt viſibilis. *Reſp.* Et quis negat? Ipſi viſibilem eſſe aſſerimus, cum materiæ tum formæ externæ reſpectu. An verò tantùm viſibilis, & non etiam inviſibilis ratione formæ internæ? Loca allegata certè id minimè evincunt; quorum alia ne agunt quidem de Eccleſia; alia ſic agunt, ut inviſibilitatem connotent, vel ſaltem non negent.

Quia perſpicuâ ratione cœperit & propagata ſit

III. Ab ortu & progreſſu Eccleſiæ in utroque Teſtamento. Eccleſia in Veteri & Novo Teſtamento conſpicuâ quâdam ratione cœpit & propagata eſt, ut hiſtoria ſacra teſtatur. Ergo etiam viſibilis eſt. *Reſpondetur* id quod prius. Ortus verò ejus at-

que progressus secundum conditionem internam cujusmodi sit, docet Christus *Luc.* 17. v. 20. 21.

Quia omnis Societas in visibilibus signis consistat.

IV. Societas hominum in externis & visibilibus signis consistit, ex quibus se mutuo socii agnoscunt, eoque etiam visibilis est. Ecclesia est societas hominum, non Angelorum. Ergo. *Resp.* *Major* exclusivè accepta non est universalis. Datur de societate naturali, Ecclesiastica; de Spirituali verè credentium falsa est, quæ cum tam in internis, invisibilibus, quàm in externis visibilibus consistat, æque invisibilis quàm visibilis est.

Quia sub periculo æternæ mortis nos veræ Ecclesiæ adjungere teneamur.

V. Cui Ecclesiæ sub æternæ mortis periculo nos adjungere tenemur, eam visibilem esse oportet. Veræ Ecclesiæ sub æternæ mortis periculo nos adjungere tenemur. Ergo. *Resp.* I. Concedimus totum. II. Distinguimus *Minorem*. Tenemur adjungere nos veræ Ecclesiæ sub æternæ mortis periculo, sed quoad internam communionem simpliciter; quia Christus corporis tantùm sui Servator est, *Ephes.* 5. v. 23. quoad communionem verò externam secundum quid, quatenus nimirum per temporis, aliarumque circumstantiarum rationem id fieri potest.

Tertia: Pontificiorum. *An vera Ecclesia possit errare in fide?*

TERTIA: *An vera Christi Ecclesia errare possit in fide?*

Pontificii negant, *Bellarminus Tom. II. Controv. gener. I. Lib.* 3. *de Ecclesiâ militante cap.* 14. Nos affirmamus.

Pontificii veram Christi Ecclesiam in fide errare posse simpliciter negant, sive, inquiunt, proponat quæ habentur in Scripturis, sive dogmata extra Scripturam. *Nos* verò etsi negamus errare posse exitialiter, affirmamus tamen, quamdiu hîc militat, errori esse obnoxiam: Ecclesias autem *particulares*, quæ communionis internæ expertes, externam solùm professionem habent, dicimus etiam exitialiter errare, totaliterque ab agnitâ veritate deficere posse. De quibus tamen in præsentia non agemus.

Rationes nostræ.

Ex Natura *Subjecti*:

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

I. Cujus ſcientia eſt imperfecta, is poteſt errare. Scientia veræ Eccleſiæ, quamdiu hîc militat, eſt imperfecta: 1. *Cor.* 13. v. 9. *Ex parte cognoſcimus, ex parte Prophetamus. Pſalm.* 19. v. 13. *Errores quis intelligit?* Et Chriſtus nobis ignorantibus & errantibus ſuccurrere dicitur, *Hebr.* 5. v. 2. Ergo.

Quia ejus ſcientia eſt imperfecta.

II. Qui peccare poteſt, atque etiam ſolet; idem poteſt errare. Vera Eccleſia militans peccare poteſt, atque etiam ſolet. Ergo. *Minor* certa eſt; quia in multis labimur omnes, *Iac.* 3. v. 2. nec eſt Juſtus in terrâ qui non peccet, *Eccleſ.* 7. v. 20. 1. *Reg.* 8. v. 46. Unde peccatorum ſuorum remiſſionem quotidie univerſi petere jubentur *Matth.* 6. v. 12. *Majoris* quoque veritas evidens eſt; *partim* quia gravius eſt peccare voluntate, quàm errare ſive hallucinari mente; *partim* quia tam imperfecta eſt illuminatio mentis, quàm renovatio voluntatis.

Quia poteſt peccare.

III. Ex *hypotheſi Pontificiorum*: Eccleſia quæ poteſt conſtare ex infidelibus, ſceleratis, reprobis, quæ carere poteſt omnibus virtutibus internis, Fide, Spe, & Charitate; eadem poteſt errare. Eccleſia vera, prout eam deſcribit *Bellarminus*, poteſt ex talibus conſtare, poteſt etiam omnibus illis virtutibus internis carere. Ergo. *Major* luce meridiana clarior eſt. *Minor* eſt *Bellarmini lib.* 3. *de Eccleſiâ cap.* 2. *Sect. Atque hoc intereſt.* Ubi non juvat ipſum, quod ait credere ſe omnes virtutes inveniri in Eccleſiâ; quia ſimul, de neceſſitate ejus non eſſe, deſertis verbis profitetur.

Quia Pontificii ejus membra faciunt reprobos.

Ex natura *Prædicati*:

Vera Eccleſia, quæ fuit ante Legem, ſub Lege, & ſub Euangelio, erravit. Ergo potuit errare. *Conſequentia* firma eſt ab actu ad potentiam. *Antecedens* probatur. *Ante Legem*: exemplis primorum parentum *Geneſ.* 3. Tharæ, Abrahæ, *Ioſ.* 24. *Geneſ.* 15. 17. Iſraëlitarum in Ægypto *Ezech.* 20. *Sub Lege*: exemplis Iſraëlitarum in deſerto & Chananæa, Judicum, Ducum, & Regum ſuorum tempore. *Sub Euangelio*: exemplis Apoſtolorum Chriſti, maximè

Quia erravit ea quæ ante Legem, ſub Lege, & ſub Euangelio fuit.

maximè ante effusionem Spiritus Sancti, *Matt.*16. *Luc.*18. *Act.* 1. nec non Conciliorum quorundam Christianorum, tam generalium, quàm particularium.

Negantes Orthodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis.

I. Ecclesia est columna & firmamentum veritatis 1. *Tim.* 3. v. 15. Ergo errare nequit. *Resp.* negatur *Consequentia.* Nam *columna, firmamentum* vocatur non simpliciter, ratione infallibilitatis inhærentis; verùm *secundum quid*, officii idhærentis respectu, quod in custodiendâ, discernandâ, promulgandâ & interpretandâ veritate Scripturarum positum est; quodque ita obit, ut non nunquam tamen etiam à veritate deviet. Exemplo esto Ecclesia Ephesina, quam hocce elogio Apostolus exornat.

Quia regatur à Christo, & Sp. S.

II. Ecclesia quæ gubernatur à Christo tanquam capite & sponso, & à Spiritu Sancto tanquam ab animâ, errare non potest. Vera Ecclesia ita gubernatur *Ephes.* 1. 4. 5. *capp. Iohann.* 16. v. 13. Ergo ipsa non potest errare; vel si errat, error iste Christo aut Spiritui Sancto tribuetur, *Resp.* limitando *Majorem*: Ecclesiæ quæ gubernatur à Christo, à Spiritu Sancto; non errat, scil. si tantùm, si semper gubernetur. At Ecclesia militans gubernatur etiam à carne, quæ concupiscit adversus Spiritum *Galat.* 5. v. 17. Nec semper gubernatur à Spiritu Sancto, utpote qui inhibet quandoque efficacem virtutem, ut infirmitatem suam penitus cognoscat Ecclesia, & ardentiùs oret.

Quia vocetur Sancta.

III. Ecclesia à professione dogmatum propriè Sancta vocatur. Ergo nihil nisi Sanctum continet, id est, verum quoad doctrinam fidei, & justum quoad præcepta morum; adeoque infallibilis est. *Resp.* I. negatur *consequentia*; quia Sancta dicitur Sanctitate inhærente inchoatâ, non perfecta aut consummatâ. II. Falsum quoque *Antecedens*: Nam ita vocatur propriè, vel saltem præcipuè à Sanctitate imputatâ & inhærente, quod sanctificata est sanguine & Spiritu Christi 1. *Cor.* 6. v. 11.

Ex naturâ *Prædicati:*

Cui in omnibus sub pœnâ anathematis credere obligamur, is non potest errare. Ecclesiæ in omnibus sub pœna anathematis credere obligamur, *Matt.* 18. vers. 17. Ergo. *Resp. Minor* juxta declarationem *Pontificiorum*, quod absolute Ecclesiæ credere obligemur, falsa est. Etenim ut Christus pastoribus præcepit docere, quæ ipse mandavit, *Matth.* 28. vers. 20. sic ovibus eadem præcepit credere, non alia. Quod tam est certum, ut non dubitet Paulus anathema denunciare aliud Euangelium prædicanti *Galat.* 1. vers. 19. In illis igitur omnibus credere obligamur Ecclesiæ sub pœnâ anathematis, non in omnibus simpliciter.

Quia Ecclesiæ in omnibus sub pœnâ anathematis credere teneamur.

QVARTA: An Notæ externæ veræ Ecclesiæ sint Verbum Dei & Sacramenta; an verò Nomen Catholicum, Antiquitas, Duratio continua, Amplitudo sive varia multitudo credentium, successio Episcoporum, Conspiratio in doctrina cum Ecclesiâ antiquâ, unio membrorum inter se & cum capite, Sanctitas doctrinæ, ejusdem Efficacia, Vitæ sanctimonia, Gloria miraculorum, Lumen Propheticum, Confessio adversariorum, infelix exitus persecutorum Ecclesiæ, & contra eorum qui ipsam defenderunt temporaria Felicitas? Posteriores Pontificii ajunt esse notas, *Bellarminus tom. II. controv. gener. I. lib.* 4. *de notis Ecclesiæ, per totum.* Priores esse, nos asseveramus.

Quarta: Pontificiorum. *An Verbum Dei & Sacramenta sint veræ Ecclesiæ notæ externæ an vero quindecim illæ à Bellarm. laudatæ?*

Rationes nostræ.

Rationes pro *Prioribus Orthodoxæ?* Quia per eas Ecclesiæ visibilis agnoscitur.

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

I. Per quod Ecclesia visibilis agnoscitur & habetur Ecclesia; id

sia; id vera ac propria ejus nota est. Per Verbum Dei rectè prædicatum & agnitum, per Sacramenta item legitimè administrata & usurpata, agnoscitur & habetur Ecclesia. Quid enim formæ externæ respectu aliud est, quàm cœtus fidelium, veram Christi fidem ipsis prædicatam profitentium, ac Sacramentis legitimè administratis utentium? Ergo.

Quia soli Ecclesiæ conveniunt & visibiles sunt.

II. Quod soli Ecclesiæ convenit, ac sensibus percipi potest; vera propriaque ejus nota est. Verbum & Sacramenta soli Ecclesiæ conveniunt, sensibusque percipi possunt; quia sola Ecclesia est domus Dei, columna & stabilimentum veritatis, 1.*Tim.*3.v.15. sola Christo à Prophetis & Apostolis superstructa est, *Eph.* 2.v.19.20. sola habet sigilla federis, *Gen.*17. *Matt.*26.28. *Act.* 2.v.42. & utrorumque, id est, Verbi ac Sacramentorum dispensatio divinitus ordinata in sensus incurrit. Ergo.

Quia sunt notæ singulorum fidelium.

III. Quæ singulorum fidelium notæ sunt, notæ quoque sunt totius Ecclesiæ ex iis adunatæ. Verbum & Sacramenta singulorum fidelium notæ sunt: testimonio Davidis, *Psal.*1.v.1.2.3. Christi, *Joh.*8.v.47.31. *Cap.*10.v.27. *Matt.*28.v.19.20. Petri, *Act.* 2.v.39.40. *& seqq.* Ergo.

Pro *Posterioribus Heterodoxa?*

Rationes Pontificiorum.

Ex naturâ *Prædicati:*

Quia notæ debeant esse propriæ.

I. Notæ debent esse propriæ non communes. Vestræ, inquiunt, sunt communes, utpote quas omnes hæretici sibi tribuunt: Nostræ contrà propriæ, necessariæ, ut sigillatim demonstrari potest. Ergo. *Resp.* negando *Minorem.* Nostræ notæ propriæ sunt, non communes; ut quæ rem notatam infallibiliter & sensibiliter designant. Nec refert quod hæretici quoque suis conventiculis eas arrogant; nam id facti est, non juris. Ostendant habere se ex verbo Dei, & vel ipsi hæretici esse desinent, vel notæ nostræ propriæ notæ. Sed in *Notas Pontificiorum* inquiramus, an propriæ, necessariæ, sensibiles sint? Non est hujusmodi nota *Nomen Catholicum,* I. quia nihil valet sine re, sine Catholica doctrina; & magis sæpe opinione vulgi quàm certâ ratione tribuitur. II. quia nec cœpit cum Ecclesia, quæ initio universalis non fuit; nec ei proprium est,

Notæ Pontificiorum non sunt notæ, prima.

cum & olim, & nunc etiam in Oriente, illud usurpent hæretici. Nec *Antiquitas*. I. quia Ecclesia nascens non fuit antiqua. II. non est nunc sola; cum antiqua etiam sit antiqui illius serpentis synagoga. III. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Nec *Duratio continua*; quia cum priore coincidit. Nec *Amplitudo*, I. quia in principio ampla non fuit, nec erit in fine *Luc*. 18. v. 8. II. quia major semper infidelium numerus, quibuscum collata parvus grex vocatur *cap*. 12. v. 32. Nec *successio Episcoporum* I. quia fuit absque eâ Ecclesia in Veteri & Novo Test. Et Christus ejusque Apostoli nulli successerunt. II. etiam in Synagoga Satanæ reperitur. III. nulla prorsus est absq; successione doctrinæ & fidei. *Conspiratio in doctrinâ cum Ecclesiâ antiquâ* si intelligitur de consensu Verbi Divini, vera quidem sed nostra nota est; Ecclesiæ Pontificiæ non conveniens. Non *unio cum capite & inter se* I. quia non incurrit in sensus, fit enim mediante Spiritu & fide; & Ecclesiæ, quâ invisibilis, non qua visibilis, nota est. II. quia est separabilis; nam possunt Ecclesiæ in nonnullis dissidere *Act*. 11. v. 2. III. quia impiorum major sæpe unio est, quàm piorum; ut Israëlitarum in defectione, Baalitarum, Iudæorum in conspiratione contra Christum; ac proinde nulla est extra veritatem doctrinæ. *Sanctitas doctrinæ*, uti quoque *ejusdem efficacia* cum notâ Sextâ coincidit. Non *Vitæ Sanctimonia in primis auctoribus* I. quia nota est non Ecclesiæ, sed personarum singularium. II. nec hodie Ecclesiam notat. Non *gloria Miraculorum*. I. quia illa nec omni Ecclesiæ, nec semper conveniunt. II. quia veritas eorum ex doctrina æstimanda est. III. etiam Synagoga Antichristi sua habet miracula 2. *Thess*. 2. Nec *Lumen Propheticum* iisdem de causis. Non denique vel *Confessio adversariorum*, vel *Infelix exitus persecutorum*, vel *temporaria Felicitas defensorum Ecclesiæ*. I. quia contingentes incertæ. II. quia piis & impiis communes. III. quia temporaria felicitas ut plurimum Ecclesiæ adversatur, cujus conditio crux.

secunda. tertia. quarta. quinta. sexta. septima. octava & nona. decima. undecima. duodecima. decima tertia, decima quarta, & decima quinta.

II. Notæ debent esse notiores eâ re cujus sunt: alioqui non sunt notæ sed ignotæ. Verbum Dei & Sacramenta non sunt notiora Ecclesiâ; ut quæ per ipsam cognoscuntur. Ergo. *Resp. Minor* falsa est. Cum enim ex verbo nascatur, 1. *Pet*. 1. v. 23. & cognoscatur *Ioh*. 8. v. 47. 31. Ecclesia: equidem ea notius est, si non semper tempore, saltem ordine naturæ. Interim tamen & Ecclesia verbum notificat, sicut effectus causam suam manifestat.

Quia debeant esse notiores re notificandâ

III. No-

Quia debant esse inseparabiles.

III. Notæ debent esse inseparabiles ab Ecclesia. Sincera Verbi prædicatio est separabilis, ut Paulus de Ecclesiis Corinthiorum, Galatarum conqueritur. Ergo. *Resp.* negatur *Minor.* Nam adeo est inseparabilis, ut cum eâ oriatur, aut occidat, integra aut corrupta habeatur Ecclesia, quemadmodum Ecclesiarum particularium exempla docent. Sunt tamen etiam *gradus sinceritatis & puritatis*; nec statim cessat Ecclesia, ubi secundum gradus aliquot cessat puritas, modò non in totum cesset.

LOCUS

LOCUS DUODECIMUS

De

SACRAMENTIS.

Controversiæ de SACRAMENTIS aliæ Generales sunt, aliæ Speciales.

Generales *de* Sacramentis *in genere.*

Pontificiorum & Lutheranorum communiter:

I. An Sacramenta Novi Testamenti tantùm signa sint ac sigilla gratiæ; an verò eam reipsa in se contineant, & hominibus Sacramenta usurpantibus verè conferant?

II. An differentia Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti in eo consistat, quod illa adumbrarint gratiam, hæc contineant; illa figuram, hæc ipsum corpus habeant?

Pontificiorum singulariter:

An duo tantum sint Novi Testamenti Sacramenta, Baptismus & Cœna? an verò præter illa quinque alia: Confirmatio, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordinatio Matrimonium?

Speciales *de BAPTISMO:*

Pontificiorum & Lutheranorum,

Sitne aquæ Baptismus ad salutem simpliciter necessarius?

Anabaptistarum,

An Infantes fidelium sint baptizandi?

De COENA DOMINICA:

Pontificiorum:

I. An panis & vinum vi verborum consecrationis (*Hoc est enim corpus meum*; *Hic est enim calix sanguinis mei Novi Testamenti*) in ipsum corpus & sanguinem Christi verè transsubstantientur, externis tantum speciebus panis & vini remanentibus?

II. An communio sub utraque specie Laicis non modo non necessaria, sed etiam illicita sit?

III. An in Cœnâ peragatur verum, externum, & reale sacrificium (Missæ vulgo:) quo Christus sub speciebus panis & vini, modo incruento, offertur Deo Patri in victimam pro peccatis viventium & mortuorum?

Lutheranorum.

An in, cum, sub pane & vino corporaliter adsint & exhibeantur corpus & sanguis Christi; atque ab omnibus communicantibus, fidelibus & infidelibus, oraliter percipiantur?

EXEGESIS.



Mittimus hoc loco controversias de *Vocatione Externa per Verbum Dei*, partim quia secundariæ sunt, aliis quæstionibus subordinatæ, partim quia *loco Quarto de prædestinatione*, aliquatenus saltem, fuerunt explicatæ. In *Controversiis* verò de *Sacramentis* brevitatis studio prætermimus. I. Omnes eas quæ de cerimoniis agunt. II. Nonnullas quæ capita doctrinæ hujus minus principalia complectuntur. *Samosatenianorum* etiam nulla peculiaris mentio fit, quia ab Anabaptistis nihil hic diversum tenent.

Controversiæ de *SACRAMENTIS in genere.* Pontificiorum & Lutheranorum.

De SACRAMENTIS. *Prima:* Pontif. & Luther. *An Sacramenta N. T. tantum sint signa & sigilla gratiæ, non autem eam reapse in se contineant.*

PRIMA; An Sacramenta Novi Test. tantum sint signa ac sigilla gratiæ; an verò eam re ipsâ in se contineant & hominibus Sacramenta usurpantibus verè conferant? Posterius volunt Pontificii & Lutherani; illi, *Bellarminus tom. III. controv. gener. I. de Sacramentis in genere lib. 1. cap. 9. & seqq. & lib. 2. cap. 1. 2. 3. & seqq.* Isti, *Eckardus fasciculi controversiarum cap. 18. de Sacramentis; Quæstione* 3. Prius Nos asserimus.

Rationes nostræ.

Rationes: *Affirmantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

Quia tantum declarant & obsignant gratiam.

I. Quod tantum declarat & obsignat gratiam, id eam in se non continet, neque insita sibi vi communicat. Omnia sacramenta tam Novi quam Veteris Testam. tantum declarant & obsignant gratiam. Ergo. *Major* plana est. *Minor* probatur. I. quia sacramenta nuspiàm vehicula aut receptacula gratiæ, passim verò signa ejus ac sigilla appellantur. Circumcisio, *Gen.* 17. v. 10. 11. *Rom.* 4. v. 11. Agnus Paschalis. *Ex.* 13. v. 9. 16. Sacrificia, *Lev.* 4. v. 14. *Heb.* 10. v. 1. 4. Baptismus, 1. *Pet.* 3. v. 21. Cœna Domini *Luc.* 22. v. 19. 1. *Cor.* 11. v. 23. 24. 25. II. Sigilla federis conditiones & beneficia federalia non continent, nec operantur, sed tantum obsignant. Omnia Sacramenta tam Novi quam Veteris Test. sunt sigilla federis *Gen.* 17. v. 10. 11. *Matt.* 26. v. 28. *Luc.* 22. vers. 20. 1. *Pet.* 3. v. 21. Ergo. III. De similibus idem est judicium. Atqui alia signa sacra Sacramentis analoga vim tantum obsignandi habent, non operandi aut conferendi gratiam. Iris, *Gen.* 9. Vellus Gideonis, *Jud.* 6. horologium Ezechiæ 2. *Reg.* 20. Ergo.

Quia gratiam in subjecto præsupponunt.

II. Quicquid Sacramenta secundum institutionem Dei, & exempla sanctorum in subjecto præsupponunt, aut præexigunt; id in eo non operantur, nec ei insitâ sibi vi conferunt. Atqui gratiam justificantem in subjecto præsupponunt aut præexigunt se-

cundum institutionem Dei & exempla sanctorum. Etenim *Deus* Sacramenta non adultis promiscuè, sed iis qui antè instituti credunt, & per fidem participes sunt gratiæ; nec infantibus promiscuè sed infantibus fidelium, 1. *Cor*. 7. v. 14. conferri vult *Matt*. 28. v. 19. 20. *Marc*. 16. v. 16. *Act*. 2. v. 39. 40. 41. *Sanctis* etiam in Veteri & N. T. confirmarunt & obsignarunt gratiam Sacramenta, quam fide jam ante perceperant. Abrahamus *signum accepit circumcisionis, sigillum justitiæ fide receptæ in præputio Rom*. 4. v. 11. Eunuchus, *Act*. 8. v. 37. 38. Paulus, *cap*. 9. v. 11. 17. 18. Cornelius, *cap*. 10. v. 34. 35. 47. alii cum jam credidissent, & per fidem remissionem peccatorum accepissent, *Act*. 26. vers. 18. baptizati sunt in remissionem peccatorum, hoc est, ut divinum ejus testimonium consequerentur *Actor*. 2. v. 38. Ergo.

Quia verbum visibile non confert gratiam.

III. Quod in se non continet, neque insitâ vi confert verbum audibile; id etiam non continet, nec insita vi confert verbum visibile, Sacramentum. Gratiam justificantem in se non continet, neque insitâ vi confert verbum audibile. Ergo. Vtraque Propositio probatur: *Major*; quia Sacramentum per verbum mandati & promissionis constituitur, juxta Apostolum, *Eph*. 5. v. 26. & tritum illud Augustini; *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Minor*; quia non prodest sermo auditus, nisi fide contemperetur *Heb*. 4. vers. 2. Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, *Rom*. 1. v. 16. non credenti autem odor mortis ad mortem 2. *Cor*. 2. vers. 16.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia gratia iis alligata non est.

Quod gratiam in se continet ac insitâ virtute confert, ei ipsa alligata est. Sacramentis non est alligata gratia. Ergo. *Minor* his rationibus ostenditur. I. Deus est agens liberrimum. Ergo se suamque gratiam non alligat sacramentis. II. Quod Dei proprium est, creaturis non communicatur. Conferre gratiam justificantem insitâ virtute, Dei proprium est. Ergo. III. Sine gratiâ justificante nullus potest servari, vel cum eâ damnari. Sine sacramentis etiam N. T est. potest quispiam servari, ut Latro in cruce, *Luc*. 23. & cum iis potest quispiam damnari ut Judas, *Act*. 1. Simon Magus *c*. 8. Ergo. IV. Quod separatum est à Sacramentis, id eis alligatum non est. Gratia justificans separata est à Sacramentis, quoties nimirum

mirùm verâ fide non accipiuntur, quum circumcisio redditur præputium, *Rom.*2.v.25. Baptismus non stipulatio bonæ conscientiæ, sed tantum sordium carnis depositio est. 1.*Pet.*3.v.21. Ergo.

Rationes Pontificiorum & Lutheranorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti*:

I. Scriptura ubique describit Sacramenta, ut instrumenta & causas efficientes justificationis; non ut sigilla ejus ac testimonia. Ergo. *Resp.* negando *Antecedens*. Contrarium supra probatum est. Et quæ de causalitate eorum prædicantur metonymicè, de testificatione, obsignatione explicanda sunt propriè.

Quia Scriptura ea describat ut instrumenta & efficientes causas justificationis.

II. Signum & sigillum promissionis gratiæ, ipso promissionis verbo notius & efficacius esse oportet. Sacramenta non sunt notiora & efficaciora verbo promissionis, utpote ex quo cognoscuntur & probantur. Ergo. *Resp.* Aliud est notius, efficacius in se; aliud nobis. Verbum etsi absolutè & in se notius est Sacramentis, nobis tamen notius non est, qui spiritualia sub rerum terrenarum symbolis rectius percipimus quàm si nudè proponantur, Christo teste *Ioh.*3.v.12. Eadem plane efficaciæ ratio est. Magis nos confirmat promissio sigillo roborata, quam verbis tantum prolata. Vnde præter symbola etiam juramenta promissionibus suis Deus adhibuit, non quod certior illis quam his insit veritas, sed quia nobis inesse videtur *Heb.* 6.v.17.18.

Quia efficaciora debeant esse verbo.

III. Sacramenta à Deo instituta sunt, & à Christi passione dependent. Ergo gratiam salutis continent. *Resp.* I. Argumentum inconsequens est; quia Deus non instituit ea, ut vehicula gratiæ justificantis, quam ipsis non indidit, sed ut signa ejus ac sigilla *Rom.*4.v.11. II. Sacramenta pendent à morte Christi, non propriè tanquam à causâ, verum ut ab objecto, cum mortem ejus nobis repræsentent & obsignent *Gal.*3.v.1. *Matt.*26.v.26.27.28.

Quia à Deo sint instituta, &c.

Ex natura *Prædicati*:

I. Quod remittit peccata, quod nos regenerat ac servat; id gratiam salutis in se continet & verè confert. Sacramenta Novi Test. &c. juxta scripturam, *Act.*2.v.38. *Cap.*22.v.16. *Eph.*5.v.26. *Tit.*3.v.5. & alibi Ergo. *Resp.* *Major* datur de eo quod propriâ ac internâ vi re-

Quia remittant peccata, nos regenerent.

vi remittit peccata, regenerat, servat. At sic *Minor* falsa est, vel existunt quatuor termini. Baptismo tribuuntur beneficia illa non propriè, sed impropriè & sacramentaliter; quia instrumentum est visibile, quo ea Deus animis credentium tum declarat, tum obsignat. Aliter si esset, jam ablutio sordium carnis esset stipulatio bonæ conscientiæ, & quicunque baptizaretur: servaretur; contrà quàm Petrus 1. *Epist.* 3. vers. 21. *Act.* 8. vers. 20. 21. & experientia testatur.

Quia etiam infantibus, furiosis, &c. conferantur.

II. Sacramenta etiam infantibus, amentibus, furiosis, hypocritis conferuntur. Ergo gratiam justificantem iis communicant, non obsignant: *Ratio*; quia tales actu non credunt. *Resp.* I. Admittitur fallacia plurium interrogationum in *Antecedente*. *Alia* ratio est infantum atque etiam hypocritarum (qui quamdiu latent pro fidelibus habentur;) *alia* amentium & furiosorum. Hos quàm rectè baptizent Pontificii, ipsi viderint II. negatur *consequentia*. *Infantibus* obsignatur promissio gratiæ, quæ dicta ipsis in fœdere, *Gen.* 17. v. 7. non quæ fide ab ipsis accepta *Rom.* 4. v. 11. *Hypocritis* ut nihil communicatur, (nec enim ea Sacramentorum efficientia est;) ita nihil obsignatur, cum obsignatio fiat sub conditione fidei.

Secunda: Pontif. & Luth. *An Sacramenta N. T. contineant gratiam, quam Sacramenta V. T. adumbrarint?*

SECUNDA: An differentia Sacramentorum & Veteris & N. Testamenti in eo consistat, quod illa adumbrarint gratiam, hæc contineant; illa figuram, hæc ipsum corpus habeant; sive, An sacramenta Veteris & Novi Testamenti re signatâ & effectu differant? Pontificii & Lutherani affirmant; Illi, *Bellarminus tom. III. controv. gener. 1. de sacramentis in genere lib. 2. cap. 12. & seqq.* Isti, *Eckardus fasciculi controversiarum cap. 18. de Sacramentis quæstione 4.* Nos negamus, & utraque significasse & obsignasse gratiam docemus, etsi quoad signa & circumstantias diversimode; de quâ diversitate alibi dictum.

Ratio-

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Ex natura *Prædicati* ;

I. Quæ re signatâ & effectu conveniunt, iis non distinguuntur; quia distinctio secundum propria fit, non secundum communia. Sacramenta Veteris & Novi Testamenti re signatâ & effectu conveniunt. Ergo. *Minor* probatur auctoritate Apostoli, 1. *Cor.* 10. v. 1.2.3.4. qui veteribus Baptismum & Cœnam nostram suo modo tribuit, docetque ipsis id significasse nubem, & transitum per mare, quod nobis Baptismus, item, id Mannam, & aquam Petræ, quod nobis S. Cœna. *Bellarminus* quidem variis exceptionibus torquet locum in alium sensum, sed ita ut partim ex scopo Apostoli, partim dictione ejus manifestè refellatur. *Præterea* Sacramenta tam Veteris, *Rom.* 4. v. 11. quam N. Testamenti, *Act.* 2. v. 38. principaliter obsignarunt justitiam fidei. Ergo effectu principali utraque conveniunt. Quia re signata & effectu conveniant.

II. Scriptura fidelibus Veteris Testam. tribuit Sacramenta Novi Test. 1. *Cor.* 10. v. 1. 2. 3. 4. *Eph.* 4. v. 5. & vicissim fidelibus Novi Test. tribuit Sacramenta Veteris Test. *Col.* 2. v. 11. 1. *Cor.* 5. v. 7. Id fit aut ratione signi, aut signati. Non ratione signi; quia signa diversa sunt; unde circumcisio dicitur ἀχειροποίητος *Col.* 2. v. 11. Ergo signati: Et per consequens re signatâ conveniunt. Quia Scriptura fidelibus V. T. tribuit Sacramenta N. T. & vicissim.

III. Quæ Sacramenta verbo promissionis conveniunt; re signatâ conveniunt. Sacramenta Veteris ac Novi Test. verbo promissionis conveniunt *Gen.* 17. v. 7. *Act.* 2. v. 38. 39. *Rom.* 4. v. 10. 11. 23. *Gal.* 3. v. 29. Ergo. Quia conveniunt verbo promissionis

Rationes Pontificiorum & Lutheranorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex natura *Prædicati* :

I. Sacramenta Novi Testamenti expiant peccata *Act.* 2. v. 38. *Cap.* 22. 16. Sacramenta Veteris Test. non expiarunt peccata *Psal.* 40. 50. *Esa.* 1. *Heb.* 9. 10. Ergo effectu principali differunt. *Resp.* Est fallacia quatuor terminorum. Nam *Major* de expiatione sacramentali, *Minor* de expiatione propriâ loquitur. Alioquin expiationem sacramentalem etiam habuere Sacramenta Veteris Test. Quia Sacramenta N. T. expient peccata, non quæ N. T.

Lev.

Lev. 1. v. 4. *Cap.* 4 v. 26. *Cap.* 17. v. 11. Et expiationem propriam non magis habent Sacramenta Novi Test. quam Veteris, ut est 1. *Pet.* 3. v. 21. 1. *Ioh.* 1. v. 7.

Quia Sacram, V.T. dicantur nihil esse.

II. Sacramenta Veteris Test. dicuntur nihil esse, 1. *Cor.* 7. v. 19. nihil valere, *Gal.* 6. v. 15. esse infirma & egena elementa mundi *cap.* 4. v. 9. Ergo à Sacramentis Novi Testamenti re signatâ differunt. *Resp.* negatur consequentia ob fallaciam à dicto secundum quid. Ita appellantur, partim quod per Christum jam abrogata essent, partim quod Pseudapostoli errore exitiali gratiam ipsis affingerent.

Quia Sacr. V.T. fuerint umbra, Novi sint corpus.

III. Umbra & corpus differunt essentiâ. Sacramenta Veteris Test. fuerunt umbra; Sacramenta Novi Testam. sunt corpus *Col.* 2. v. 17. *Heb.* 10. v. 1. Ergo. *Resp.* *Minor* membro posteriore falsa est. Non enim Sacramenta Novi Test. sunt corpus, sed Christus, qui veritas, *Ioh.* 1. v. 17. *Cap.* 14. v. 6. etiam corpus est. Proinde peccatur Elencho comparatorum, quatenus pro Christo ejusque sacrificio, Novi Test. Sacramenta ponuntur. Petrus 1. *Epist.* 3. v. 21. Sacramenta nova appellat antitypa veterum, nimirum quia typi sunt illis respondentes, atque etiam surrogati. Typus autem non est ipsum corpus, nec signum ipsum signatum.

Tertia: Pontificiorum. *An Sacramenta N.T. duo tantum sint, non vero septem?*

Pontificiorum:

AN duo tantum sint Novi Testamenti Sacramenta, Baptismus & Cœna; an verò præter illa quinque alia: Confirmatio, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordinatio, & Matrimonium? Nos duo priora tantum, Pontificii insuper quinque posteriora, atque ita septem numero Sacramenta agnoscunt, *Bellarminus tom. III. controv. gener.* I. *Lib.* 2. *de effectu Sacramentorum cap.* 24. *& seq.*

Rationes *Affirmantes Orthodoxa.* Quia duobus solummodo convenit Sacramenti definitio.

Rationes nostræ.

Pro numero *Binario*:

I. Quibus solis in Novo Test. convenit definitio Sacramenti; iisdem solis etiam definitum convenit. Baptismo & Cœnæ, solis in

lis in Novo Test. convenit definitio Sacramenti : *Ratio* ; quia sola illa declarant & obsignant nobis justitiam fidei ex institutione Christi. Ergo.

II. Quorum Sacramentorum Apostolus tantum in eorum enumeratione meminit ; illa sola Novi Test. Sacramenta sunt. Atqui tantum meminit Baptismi & Cœnæ 1. *Cor*. 10. v. 1. 2. 3. *Cap*. 12. v. 13. Ergo.

Quia Duo tantum enumerat Apostolus.

III. Omnium Sacramentorum Novi Test. Christus consors factus est: *Ratio*; quia omnia in suâ personâ sanctificare debuit, ut communionem suam cum populo Novi Testamenti profiteretur. Quinque illorum falsò dictorum Sacramentorum non est factus consors, sed duorum tantum Baptismi, *Matt*. 3. & Cœnæ *cap*. 26. Ergo.

Quia Christus duorum tantum factus est particeps.

Rationes Pontificiorum.

Negantes Heterodoxa.

Pro numero *Septenario* ;

I. Quicquid habet requisita omnia Sacramenti propriè dicti ; id est Sacramentum propriè dictum. Septem illa supra enumerata Sacramenta habent requisita omnia Sacramenti propriè dicti. Ergò. *Minorem* probant inductione ; Baptismus habet. *Matt*. 28. *Marc*. 16. Cœna, *Matt*. 26. 1. *Cor*. 11. Confirmatio, *Act*. 8. v. 15. *Cap*. 19. v. 6. Pœnitentia, *Joh*. 20. v. 23. Extrema Unctio, *Iac*. 5. v. 14. Ordinatio, 2. *Tim*. 1. v. 6. Matrimonium *Eph*. 5. v. 32. *Resp*. de Baptismo & Cœna datur *Minor*, de aliis quinque negatur: Nec enim illa vel requisita omnia veri Sacramenti, vel conditiones obtinent. Non *Confirmatio* I. quia caret institutione II. caret ritu illo quo hodie utuntur Pontificii in oleo, balsamo, Chrismate. III. caret promissione gratiæ. IV. fuit etiam impositio illa manuum miraculosa & extraordinaria, non ordinaria ut est omne Sacramentum. Non *Pœnitentia*. I. quia absolutio à peccatis est gratiæ divinæ communicatio, eoque ipsa Euangelii promissio, quæ cum signo externo confundenda non est. II. signum divinitus institutum nullum habet. Non *extrema Vnctio*. I. quia ordinatione divina in Sacramentum destituitur. II. quia fuit χάρισμα miraculosum & temporarium Ecclesiæ primitivæ singulariter concessum. Non *Ordinatio*. I. quia deest institutio divina de

Quia septem illa habeant omnia requisita Sacramentorum.

qua *Eph.*4.nihil habetur. II. de sunt ritus qui per patinam, baculum pastoralem, unctionem, rasuram, solenniumque verborum pronunciationem usitatè exercentur. III. significatio nuda etsi aliqua sit, non tamen ea quæ in Sacramentis requiritur. IV. communis etiam omnibus fidelibus non est. Non *Matrimonium.* I. quia institutione Sacramenti caret, cum ante lapsum non obsignandæ justitiæ fidei, sed generi humano propagando institutum sit, *Gen.*I. II. nec signum habet, neque signatum. III. *Eph.*5. mystica quædam adumbratio, non Sacramentalis significatio aut obsignatio in eo ostenditur. IV. Gentibus denique Lege naturæ commune est, cum tamen omnia Sacramenta Ecclesiæ propria sint.

Quia id rationi congruum sit.

II. Rationi congruum omnino est tot esse sacramenta, quot sunt necessaria vitæ spiritualis adminicula; quot sunt morbi spirituales; quot item virtutes morales Cardinales recensentur. Atqui in his omnibus septem species inveniuntur. Ergo. *Resp. Majoris* nulla est consequentia; quia numerus Sacramentorum non ex congruentia rationis sed ex institutione Dei pendet. Et si congruentia illa quicquam valeret, certè pro numero binario sacramentorum valeret, ut qui omnia, quæ ad vitam spiritualem necessaria sunt, in generatione & perpetua nutritione, sufficienter complectitur & perfectè adumbrat.

De Baptismo.

Speciales de *BAPTISMO.*

Pontificiorum & Lutheranorum:

Prima : Pontif. & Luther. *Sitne Baptismus aquæ ad salutem simpliciter necessarius?*

Sitne aquæ Baptismus ad salutem simpliciter necessarius? Pontificii & Lutherani affirmant? Illi, *Bellarminus tom. III. controv. gener. II. de Baptismo lib.* I. *cap.* 4. 5. Isti, *Eckardus fasciculi controversiarum cap.* 19. *de Baptismo quæst.* 14. Nos negamus.

Status Controversiæ.

Distinguunt Scholæ inter necessitatem præcepti & Medii. *Præcepti* eorum est, quorum usus nobis necessarius propter mandatum & ordinationem Dei. *Medii* eorum, quorum insuper efficax ad salutem operatio est; cujusmodi sunt respectu servandorum

dorum universè justificatio & sanctificatio, respectu adultorum fides & nova obedientia. *Hæc* ad salutem necessaria dicuntur absolutè, præcisè, simpliciter, eorumque sola privatio damnat. *Ista* verò secundum quid ac ratione mandati divini, eorumque non privatio sed contemtus damnat. Utrâque necessitate, ad salutem Baptismum requiri ajunt *Pontificii & Lutherani*; alterâ Præcepti *Nos*. Sed *Pontificii* sententiam suam duplici limitatione restringunt, dum nimirum non semper, sed demum post mortem Christi, inde à die Pentecostes eam necessitatem fuisse; & aquæ Baptismum per martyrium in parvulis & adultis, per pænitentiam autem in solis adultis suppleri posse contendunt: quarum prior unitate Baptismi Christi ante & post ejus passionem, posterior absolutâ baptismi aquæ necessitate refellitur.

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ*.

Ex naturâ *Subjecti*:

I. Nullum Sacramentum ad salutem simpliciter est necessarium. Baptismus aquæ est Sacramentum. Ergo. *Major* probatur: Quod gratiam salutis non operatur aut confert insitâ sibi vi, sed tantùm eam declarat & obsignat; id ad salutem simpliciter necessarium non est. Nullum Sacramentum gratiam salutis operatur aut confert insitâ sibi vi; prout supra ostensum. Ergo.

Quia nullum Sacramentum ad salutem simpliciter necessarium.

II. Cujus sine fide, vel internâ Spiritus Sancti operatione, nulla est ad salutem efficacia; id ad salutem simpliciter necessarium non est. Baptismi aquæ, sine fide vel interna Spiritus Sancti operatione, nulla est ad salutem efficacia. Ergo. *Major* suâ luce claret. *Minor* nititur dicto Christi, *Marc.*16.v.16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit servabitur; qui verò non crediderit, damnabitur*: & altero Petri 1. *Epist.* 3. v.21. *Baptismus nos servat, non depositio sordium carnis, sed stipulatio sive interrogatio bonæ conscientiæ apud Deum.* Confirmatur etiam ab analogia Circumcisionis cui successit, *Col.*2. v.11.12. Circumcisionis sine observatione Legis nulla fuit efficacia, *Roman.* 2. v.25.26. Ergo nec Baptismi aquæ sine fide & Spiritu Sancto.

Quia Baptismi sine fide & Sp.S. operatione nulla est efficacia.

Ex naturâ *Prædicati*;

Quia aliqui ſine bapiſmo ſervati, cum eo damnati fuerunt.

I. Sine quo poteſt aliquis ſervari, & quocum damnari; id ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium non eſt. Sine Baptiſmo aquæ poteſt aliquis ſervari, & cum eo damnari. Ergo. *Major* iterum plana eſt. *Minor* oſtenditur exemplis eorum qui ſub Novo Teſtamento ita ſervati, vel damnati fuerunt. *Primi* Ordinis ſunt Zacharias, Elizabetha, Simeon, Anna, Latro in cruce. *Secundi* Judas, Simon Magus, apoſtatæ & seductores multi, de quibus paſſim.

Quia ſic omnes infantes ſine eo decedentes damnarentur.

II. Si Baptiſmus aquæ ad ſalutem ſimpliciter neceſſarius eſt; omnes infantes quotquot ſine eo decedunt, ſalute excidunt. Conſequens abſurdum. I. quia ſic exciderent propter culpam eorum, à quibus baptiſmo oblati non fuerunt. II. quia major quoque eſſet baptiſmi quàm fœderis efficacia, quo pollicetur Deus propitium ſe fore non parentibus modo fidelibus, ſed & ſemini ipſorum in milleſimam generationem *Geneſ.* 17. *Exod.* 20. *Act.* 2. Ergo & abſurdum Antecedens.

Affirmantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum & Lutheranorum.

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia Baptiſmus tollat reatum peccati Orig.

I. Quod tollit reatum peccati Originalis, ad ſalutem ſimpliciter eſt neceſſarium. Baptiſmus aquæ tollit. Ergo. *Reſp.* Eſt Elenchus quatuor terminorum. *Major* de verâ, reali, *Minor* de Sacramentali ablutione ſonat: ſecus falſa eſt. *Præterea* Baptiſmus omnium univerſim peccatorum, non ſolius peccati Originalis reatum tollit; ſicut baptizari dicimur in remiſſionem peccatorum abſolutè, non in remiſſionem peccati Originalis *Actor.* 2. verſ. 38.

Quia Circumciſio fuerit abſolute neceſſaria.

II. Sacramentum Circumciſionis in Veteri Teſtamento, ita fuit neceſſarium, ut cujus maſculi caro non præcidebatur, anima ejus de populo & Eccleſia Dei exſtirparetur, fœderiſque exſors cenſeretur *Geneſ.* 17. verſ. 14. Ergo Sacramentum baptiſmi itidem eſt neceſſarium. *Reſp.* I. Nihil concluditur ad rem. Ipſi fatemur ita neceſſarium, ut abſque diſpendio ſalutis negligi aut contemni non poſſit, de quo contemtu etiam agitur *Geneſ.* 17.

At

At alia longè ratio est involuntariæ privationis ac carentiæ. II. negatur *Consequentia* ob dissimillimam gubernationem populi Veteris & Novi. Contemtus Circumcisionis pœnâ capitali in illo vindicabatur ex Lege; an hodie etiam contemtus Baptismi in nobis?

III. Si fides necessaria est ad salutem, etiam Baptismus. Atqui fides necessaria est ad salutem. Ergo. *Consequentia* patet. I. quia Christus in ordinatione mediorum ad salutem, fidem & Baptismum conjungit *Marc.* 16. II. quia sese mutuo habent ut relata, quorum posito uno necessariò ponitur alterum. Fidei enim objectum est promissio gratiæ, quam Deus in Baptismo ut medio offerente quæri vult & apprehendi. *Resp.* negatur Consequentia *Majoris* de pari necessitatis gradu intellectæ. Certè *Marc.* 16. fidem & Baptismum non ita conjungit Christus, ut vel sola antithesis ostendit. *Ratio* à naturâ relatorum triplicitur deficit. I. quia quæ se mutuo habent ut relata, non ejusdem semper necessitatis sunt. II. Baptismus & Fides propriè relata non sunt, sed baptismus aquæ ut signum, & verbum promissionis ut signatum. III. Quærenda est promissio gratiæ in Baptismo quoad obsignationem, *Actor.* 2. v. 38. non quoad inclusionem aut collationem, insitâ aquæ virtute faciendam.

Quia fides sit necessaria ad salutem.

Ex natura *Prædicati*:

Sine quo nullo modo introitus patet in regnum cœlorum; id ad salutem simpliciter necessarium est. Sine Baptismo aquæ nullo modo introitus patet in regnum cœlorum. Ergo. *Minor* traditur ab ipso Christo, *Ioh.* 3. *v.* 5. *Amen, amen dico vobis, nisi quis regenitus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum.* Ubi *aqua* non Spiritum Sanctum ejusve effectum, sed Baptismum notat. I. Quia Spiritus Sanctus nudè & simpliciter non vocatur aqua. II. Sic ubique liceret per aquam Spiritum Sanctum intelligere, atque ita Baptismum abolere. III. Aqua præponitur Spiritui. Ergo ejus effectum non declarat: Nam absurdum declarationem anteponi rei declarandæ. IV. Si aqua effectum Spiritus Sancti declarat, malè conjungitur cum verbo renascendi; quia aqua non gignit, sed lavat, refrigerat. *Resp.* *Minor* falsa est, nec *Johann.* 3. habetur, si vel maximè vox *aqua* de

Quia sine eo non pateat ingressus in regnum cœlorum.

Ioh. 3. *v.* 5. explicatur & vindicatur.

Baptiſmo accipiatur: Explicat enim ipſe Chriſtus neceſſitatis diſparitatem *Marc.* 16. v. 16. Et ſi, quæ tanquam media ad unum finem conjunguntur, ejuſdem ſemper neceſſitatis ſunt; etiam fides & confeſſio æque fuerint neceſſariæ, quæ & ipſæ ſic conjunguntur, *Rom.* 10. v. 9. 10. Sed *Baptiſmum* non intelligi, verùm Spiritus Sancti regenerantis virtutem, tum ipſa *verſus* 5. ſententia, tum conſequentium collatio, in quibus ſolius Spiritus abſque aqua mentio occurrit, tum etiam locorum aliorum & exemplorum comparatio evincit. *Rationes* contrariæ parum roboris habent. *Prima* refellitur dicto Chriſti, *Iohann.* 4. v. 14. & Eſaiæ, *cap.* 43. v. 18. *Secunda* inconſequens eſt; quia hîc expoſitionem illam exigunt loci circumſtantiæ, alibi non exigunt aut admittunt. *Tertia* itidem inconſequens. Quid uſitatius quàm ex effectu arguere cauſſam? quàm ex illo iſtam declarare ac demonſtrare? Declarationem verò rei declarandæ per anticipationem anteponi, nec abſurdum eſt, nec novum in Scriptura. Hîc tamen ei poſtponitur uti quoque *Iohann.* 7. v. 37. 38. 39. Nam Spiritus eſt aqua illa ex quâ renaſci oportet omnes ſervandos. *Quarta* iterum inconſequens, & *Ratio* ejus falſa eſt, ſive in theſi accipiatur, quod nulla aqua gignat; ſive in hypotheſi, quod aqua illa, quæ eſt Spiritus Sanctus, non gignat. Gignit quippe lavando, purgando nos à peccatis, non ut materia materiatum, ſed ut Efficiens effectum ſuum producit.

Secunda: Anabaptiſtarum. An Infantes fidelium ſint baptizandi?

Anabaptiſtarum.

An Infantes fidelium baptizandi ſint? Anabaptiſtæ negant, *Colloq. Francothalenſis articulo* 12. *& Emdani articulo* 9. Nos affirmamus.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Rationes noſtræ.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia ſunt in fœdere, in Eccleſiâ.

I. Qui ſunt in fœdere Dei, in Eccleſiâ, baptizandi ſunt. Infantes fidelium ſunt in fœdere Dei, in Eccleſiâ. Ergo. Utraque Propoſitio probatur. *Major*; quia Deus fœderatos ſuos ſigno fœderis ab aliis diſcerni vult, *Geneſ.* 17. v. 10. quod ſignum in

in Novo Testamento est Baptismus, circumcisioni surrogatus *Coloss.* 2. v. 11. 12. Item; quia Baptismus toti Ecclesiæ datus est, *Matth.* 28. v. 19. 20. quo omnia ejus membra baptizantur in unum corpus 1. *Cor.* 12. v. 13. *Minor* quoad *Prius* membrum; quia Deus non minus infantum, quàm parentum Deus est, *Genes.* 17. v. 7. Quoad *Posterius*. I. Quia Infantum est regnum cœlorum, *Matt.* 19. v. 14. Ergo Ecclesiæ membra sunt. II. Christus corporis tantum sui Servator est *Ephes.* 5. v. 23. Atqui est Servator Infantum *Matth.* 19. v. 14. *Actor.* 4. v. 12. Ergo. III. Qui fuerunt in Ecclesiâ Veteri, etiam sunt in Nova: *Ratio*; quia confessione Anabaptistarum, utraque Ecclesia una est, & amplior hujus quàm illius conditio, gratia. Infantes fidelium fuerunt in Ecclesia Veteri *Ioel.* 2. vers. 15. 16. 2. *Chron.* 20. vers. 3. 4. 13. Ergo.

II. Quibus facta est promissio, iisdem Sacramento Baptismi obsignanda est. Infantibus fidelium facta est promissio. Ergo. *Majorem* proponit Petrus, *Actor.* 2. v. 38. 39. his verbis: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomen Iesu Christi. Vobis enim facta est promissio & liberis vestris, & omnibus longè post futuris. Minorem* iisdem verbis tradit. — Quia ipsis facta promissio.

III. Ad quos pertinent beneficia remissionis peccatorum, regenerationis, Spiritus Sancti, & Vitæ æternæ; ad eosdem etiam Baptismus pertinet. Atqui pertinent ad infantes fidelium. Ergo. Consequentia *Majoris* nititur dicto modo allegato, *Actor.* 2. v. 38. 39. & altero ejusdem Apostoli *cap.* 10. v. 47. *Num quis potest aquam prohibere, quo minus baptizentur isti, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?* Probatur etiam evidenti *ratione*: Quibus enim debentur res significatæ, iis etiam symbolum debetur, nisi aliqua obstet conditio in Persona vel usu. De *Minore* constat testimoniis Scripturæ, quæ Infantibus fidelium remissionem peccatorum, *Actor.* 2. v. 38. 39. regenerationem, *Eph.* 5. v. 25. 26. 27. Spiritum Sanctum, 1. *Cor.* 7. v. 14. & vitam æternam, *Matt.* 19. v. 14. tribuunt. — Quia ad ipsos pertinet R. P. regeneratio, Sp. S. & V. Æ.

Ex naturâ *Prædicati*:

I. In quibus est nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti; ii baptizandi sunt: *Ratio*; quia Baptismus in horum nomen admini- — Quia in ipsis est nomen Patris, Filii & Sp. S.

ministratur. In infantibus fidelium est nomen Patris, Filii & Spiritus Sancti. Patris; quia est Deus ipsorum *Genes.* 17. v. 7. *Act.* 2. v. 39. Filii; quia est Servator, *Ephes.* 5. v. 23. & *Math.* 19. v. 14. *collato cum Actor.* 4. v. 12. Spiritus Sancti; quia est Sanctificator *Ioh.* 3. v. 5. 6. *Ephes.* 5. v. 26. 27. Ergo.

Quia circumcidebantur in V. T.

II. Qui in Veteri Testamento circumcidebantur, in Novo Baptizandi sunt. Infantes fidelium in Veteri Testamento circumcidebantur. Ergo. De *Minore* constat ex *Genes.* 17. *Major* probatur. I. Quia Baptismus circumcisioni successit, ut Sacramentum novum Sacramento Veteri, quemadmodum testatur Apostolus, *Coloss.* 2. v. 11. 12. & Sacramenti utriusque fines, sive usus ostendunt. Nam sicut olim circumcidebantur, ut obsignaretur ipsis receptio in fœdus, *Genes.* 17. v. 14. remissio peccatorum, *Rom.* 4. v. 11. & regeneratio, *Deuter.* 10. v. 16. *Cap.* 30. v. 6. ita iisdem de causis hodie baptizamur 1. *Cor.* 12. v. 13. *Actor.* 2. v. 38. *Tit.* 3. v. 5. II. Ab absurdo consequente; quia alioquin angustior esset gratia Novi Testamenti, gratiâ Testamenti Veteris: saltem quoad declarationem & obsignationem, cum tamen & hoc modo latiorem esse vel solo mulierum baptismo constet *Actor.* 8. & 16. *capp.* 1. *Cor.* 1.

Neganter Heterodoxæ.

Rationes Anabaptistarum.

Ex natura *Subjecti*:

Quia non resipiscant, nec credant.

I. Qui non resipiscunt, nec credunt; baptizandi quoque non sunt. Infantes fidelium nec resipiscunt, nec credunt. Ergo. *Major* patet; quia Baptismus est Sacramentum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum, *Marc.* 1. v. 4. & qui crediderit ac baptizatus fuerit servabitur *cap.* 16. v. 16. De *Minore* etiam constat; quia fides est ex auditu *Rom.* 10. v. 17. *Resp.* *Major* vera est de *adultis*; in his resipiscentia ac fides, vel saltem utriusque professio præcedere debet Baptismum. De *infantibus* negatur, quibus satis est si ex parentibus fidelibus nati sint 1. *Cor.* 7. v. 14. Quemadmodum in Veteri Testamento Proselyti quidem ante circumcisionem profitebantur fidem Judaicam at infantes ipsorum absque præcedanea professione circumcidebantur.

Quia nihil intelligant.

II. Signum nihil significat nisi intelligenti. Infantes nihil intelligunt *Deut.* 1. vers. 39. *Ion.* 4. v. 11. Ergo; & per consequens

quens, frustra iis signum Baptismi tribuitur. *Resp.* Si hæc valet illatio, frustra olim in Veteri Testamento tributum infantibus signum circumcisionis, quod non magis intellexerunt. *Major* ergo universaliter accepta falsa est. Signum Baptismi significat, obsignat gratiam Dei non intelligentibus & intelligentibus: Illis datam tantùm, his insuper fide acceptam *Rom.* 4.v.11.

Ex natura *Prædicati*:

I. Cujus nec mandatum, nec exemplum in Sacris Literis reperitur; id vel illicitum, vel saltem non necessarium est. Baptismi infantum nec mandatum, nec exemplum in Sacris Literis reperitur. Ergo. *Resp.* negatur *Minor*. Nam & *mandatum* extat de omnibus Ecclesiæ membris baptizandis. *Matth.* 28. vers. 19. & *exempla* inveniuntur integrarum familiarum baptizatarum, à quibus infantes excludi nequeunt *Actor.* 16.v.15.33. 1.*Cor.* 1.v.16. Petunt quidem ipsi mandatum speciale, & generali illo infantes contineri negant, ut qui doceri non possunt; At utrumque contra rationem faciunt. Nam qui generale proponit, speciale complectitur: Et quod perpetui juris est in Ecclesiâ semel sancitum, nimirum ut fœdus Dei in fœderatis obsignetur, nihil opus fuit repeti de certo aliquo fœderatorum ordine. Mandatum docendi baptizandos accommodatum est Ecclesiæ primitivæ, quæ ex gentibus adultis colligebatur; circa tales certè id observandum. Infantum verò, qui conditionem parentum sequuntur, alia ratio.

Quia nec mandatum, nec exemplum Pædobaptismi in Scripturâ reperitur.

II. Infantes fidelium non admittuntur ad Cœnam. Ergo nec ad Baptismum admittendi sunt. *Resp.* negatur *Consequentia*. Nam conditio probationis & commemorationis Domini, Cœnæ annexa, ipsos à communione illa excludit; à Baptismo autem nihil excludit. Baptismus est instar lactis utpote regenerationis Sacramentum; at Cœna Sacramentum illud nutritionis, est cibus solidus solis adultis conveniens.

Quia non admittantur ad S. Cœnam.

De S. *Cœna.*

Controversiæ de COENA *Domini.*

Prima: Pontificiorum. *An panis & vinum vi verborum institutionis transsubstantientur?*

Pontificiorum:

PRIMA: An: panis & vinum vi verborum consecrationis, Hoc est enim corpus meum, Hic est enim calix sanguis mei Novi Testamenti, *in ipsum corpus & sanguinem Christi verè transsubstantientur, externis tantùm speciebus panis & vini remanentibus?* Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom.* III. *Controv. gener.* III. *Lib.* 3. *de Eucharistia cap.* 18. *& seqq. & Lib.* 1. *cap.* 3. *& seqq. de præsentiâ corporis Christi in Eucharistiâ.* Nos negamus.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti:*

Quia & ante & post consecrationem manet verus panis & verum vinum.

I. Quod ante Consecrationem est, & post eam manet verus panis, verum item vinum; id vi verborum Consecrationis non desinit esse panis aut vinum; nec in corpus aut sanguinem Christi mutatur. Atqui panis & vinum in Sacra Cœna &c. Ergo. *Major* plana est. *Minoris* posterius membrum confirmatur testimoniis Scripturæ: 1.*Cor.*10.v.16.17.*Panis quem frangimus nonne communio corporis Christi est? Omnes sumus unus panis & unum corpus, qui de uno pane participamus. Matth.*26.v.29.*Non bibam ab hoc tempore ex hoc genimine vitis* &c.1.*Corinth.*11.v.26.27.*Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate;* item: *Quisquis ederit panem hunc vel poculum Domini biberit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

Quia aqua Baptismi non transsubstantiatur.

II. Aqua Baptismi non transsubstantiatur sive convertitur in sanguinem Christi. Ergo nec panis Cœnæ in corpus Christi, nec vinum in sanguinem ejus. *Antecedens* extra controversiam est. *Consequentiam* evidenter probat analogia Baptismi & Cœnæ, de quâ ita Apostolus: *Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus & Iudæi & Græci, & servi & liberi, & omnes potati sumus in unum Spiritum.*

Ex naturâ *Prædicati:*

Contra *vim verborum Consecrationis.*

I. Purum accidens non habet vim convertendi unam substantiam in aliam. At Consecratio, sive recitatio verborum est purum accidens. Ergo. *Minor* suâ luce claret. *Major* nititur veritate axiomatum Logicorum: Effectus esse nequit toto genere melior sua caussâ. item: Effectus non excedit caussæ suæ virtutem. Quia consecratio est purum accidens.

II. Momentanea ac supernaturalis unius substantiæ in aliam conversio est virtutis omnipotentis. Verba Consecrationis, à Missifico prolata, non sunt virtutis omnipotentis, non magis quàm verba prædicationis. Ergo. Quia transsubstantiatio est virtutis omnipotentis.

Contra *Transsubstantiationem.*

I. Quæ doctrina cum institutione Cœnæ, articulis fidei, & secum ipsa pugnat, erronea est. Doctrina Transsubstantiationis Pontificia &c. Ergo. *Minor* probatur per partes. Pugnat *cum institutione Cœnæ*; quia nec cum circumstantiis ejus, nec cum factis quæ Christus exercuit, nec cum dictis quæ usurpavit, nec cum fine quem spectavit, ullo modo convenit aut conciliari potest. *Cum articulis Fidei*; quia articulum de Conceptione ac Nativitate Christi, de Resurrectione, Asscensione, Sessione ad dextram Patris in cœlis, Reditu ad Judicium, nec non de Sanctorum communione destruit. *Secum ipsa de nique*; quia contradictoria statuit, substantiam signorum prorsus aboleri, & tamen eam non annihilari; conversionem fieri signorum & ne materiam quidem illorum remanere; Conversionem fieri vi quinque verborum & tamen non fieri successivè: & quæ sunt hujus generis alia. Quia transsubstantiatio institutioni Cœnæ, articulis fidei, & sibi repugnat.

II. Quod Cœnæ Dominicæ essentiam destruit, consistere cum eâ nequit. Transsubstantiatio destruit. Ergo. *Minor* ostenditur inductione. Destruit signum, signatum, & analogiam Sacramentalem: *Signum*; quia panis & vini substantiam abolet relictis speciebus, quæ absque proprio subjecto spectra potius unt fallacia, quàm rerum divinarum infallibilia testimonia. *Signatum*; Quia destruit essentiam Cœnæ.

gnatum; quia corpus Christi suâ quantitate, suis dimensionibus spoliat, & pro uno multiplex inducit. *Analogiam etiam Sacramentalem*; quia relationis Sacramentalis fundamentum tollit: & ubi signum in signatum convertitur, omnis inter illa similitudo desinit.

Quia nec Physica est, nec Hyperphysica.

III. Omnis vera transsubstantiatio aut Physica est, aut Hyperphysica. Transsubstantiatio Pontificia neutra est. Non *Physica*; quia illa naturæ est opus, corruptione & generatione constans. Nec *Hyperphysica*; quia hæc est opus solius Dei, & annihilatione ac creatione perficitur, quas tamen actus agnoscere renuunt. Ergo.

Contra *remanentiam specierum seu accidentium.*

Quia accidentia non possunt esse sine subjectis.

I. Accidentia non possunt esse sine Subjectis, ad quæ determinantur. Color, Odor, Sapor sunt accidentia panis & vini. Ergo sine iis esse non possunt. Aut igitur panis & vinum non destruuntur in Cœnâ; aut accidentia illa simul destruuntur. *Minor* controversiâ caret. *Major* est certæ veritatis. Nam accidentium esse est inesse, usque adeo ut quod absque subjecto inhærentiæ subsistit, accidens esse desinat.

Quia mera accidentia panis & vini nequeunt corrumpi.

II. Corrumpi, devorari ab animalculis, vim item nutriendi ac inebriandi habere, non est accidentium. Atqui est Panis & Vini in S. Cœna, si vel asserventur, vel copiosius sumantur, experientia teste. Ergo.

Affirmantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex naturâ *Prædicati*:

Quia verba institutionis transmutationem inferant.

I. Verba Cœnæ, *Hoc enim est corpus meum*, mutationem aliquam necessariò inferunt. Illa aut *vera* est & substantialis, panis in corpus; aut *metaphorica*, quoad significationem quam ante non habebat: Tertia non datur. Atqui non est metaphorica. Ergo. *Minor* probatur: Panis non est figura corporis Christi. Ergo nec mutatio ejus figurata sive Metaphorica esse potest. *Antecedens* inde confirmant, quod verba Institutionis propriè, non figurate explicanda sint. I. Quia sunt verba Sacramenti, Testamenti, pacti sive fœderis, legis seu præcepti, item dogmatis; quæ

quæ omnia propriam non figuratam locutionem requirunt. II. Quia dicta sunt Apostolis rudibus adhuc & simplicibus, quibus Christus vel clarissimè omnia proposuit, vel quæ obscura erant continuò exposuit. At hæc nec ipse exposuit, nec Euangelistarum quispiam. III. Quia proprius verborum sensus deserendus non est, nisi cogente vel aliâ aliquâ Scripturâ, vel fidei articulo. Neutrum verò hîc cogit. Ergo. *Resp.* *Assumtum* prosyllogismi falsum est. Nam mutatio signorum, quæ in Sacramento Cœnæ fit, fit secundum eorum significationem, usum atque effectum, 1. *Cor.* 11. v. 24. 25. *Cap.* 10. v. 16. 17. non secundum substantiam, eoque Sacramentalis est, non substantialis. Falsum etiam *Antecedens* Enthymematis unà cum probatione, quod verba Institutionis propriè non figuratè accipienda sint; Contrarium infra demonstrabitur. Et ipsi à sensu proprio longissimè discedunt, dum non panem, sed id quod sub speciebus ejus transsubstantiatum continetur, corpus Christi esse asserunt. *Ratio. Prima* pro τῷ ῥητῷ infringitur innumeris exemplis, Sacramentorum, *Genes.* 17. v. 10. *Exod.* 12. v. 11. *Tit.* 3. v. 5. Testamentorum, *Genes.* 49. *Deuter.* 33. 2. *Sam.* 23. 1. *Reg.* 2. Pactorum sive fœderum, *Genes.* 17. *Cap.* 21. v. 23. *& seqq.* Legum sive præceptorum, *Esa.* 1. v. 16. *Ierem.* 4. v. 3. *Ioel.* 2. v. 13. *Ephes.* 4. v. 2. Dogmatum, *Deut.* 30. v. 6. *Ioh.* 3. v. 3. 5. *Cap.* 6. *per totum ferè. Cap.* 15. v. 1. In quibus locutiones figuratæ reperiuntur; eæque non obscuritatis, sed lucis majoris caussa adhiberi solent. *Secunda* inconsequens est. Etsi enim rudes adhuc essent Apostoli, tamen Phrases Sacramentales, figuratas rectè intellexerunt, ut quas Sermone familiari ipsi usurparunt dicentes Christo; *Vbi vis paremus tibi Pascha?* Nec quia clarissimè hanc doctrinam Christus proposuit, verbis propriis proposuit. *Tertiæ* rationis *Minor* neganda est. Imo cogunt nos tum alia Scripturæ loca, tum plurimi fidei articuli, à proprio verborum sensu discedere ad figuratum.

II. Si corpus Christi in cœnâ sub speciebus panis verè & realiter præsens est; omnino panem in corpus, remanentibus speciebus, transsubstantiari oportet. Verum Antecedens. Ergo & Consequens. *Antecedens* probant. I. A *figuris Veteris Test.* ceu sunt panis & vinum Melchizedechi, panis propositionis, agnus Paschalis, Manna, hoc modo: Figuratum figuris suis

Quia corpus Christi sub speciebus elementorum verè & realiter præsens sit.

præstantius est *Col.*2. *Heb.*10. Sacra Cœna est figuratum, cætera figuræ. Ergo istis præstantior est. At non est præstantior significatione; quia sic vel inferior, vel saltem æqualis. Ergo transsubstantiatione & corporali Christi sub speciebus ejus præsentiâ. II. A *Promissionibus Christi*: Quod Christus *Ioh.* 6. daturum se promisit; id in cœnâ dedit. At promisit se daturum panem vitæ, qui sit corpus sive caro sua. Ergo. *Majorem* inde confirmant quod quæ *Iohann.*6. in futuro, *Luc.* 22. in præsenti enunciat, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*. Et nisi promissio illa ad Cœnam referatur, solus Johannes de augustissimo ejus mysterio nihil scripsit, quod absurdum. III. A *fine seu fructu hujus Sacramenti* ex 1.*Corinth.*10.v.16.*Cap.*11.v.29.hac forma: Panis est communio corporis Christi. Ergo sub speciebus panis corpus Christi nobis communicatur. *Item*: Qui manducando panem rei fiunt corporis Christi; illud sub speciebus panis præsens habent. Indignè communicantes manducando panem rei fiunt corporis Christi. Ergo. *Resp.* Missâ Prosyllogismi propositione, de qua Consubstantiatores litigant, negatur *Antecedens*, quod veram ac realem corporis Christi sub speciebus panis præsentiam asserit. *Epilogismi* tres ei firmando adjuncti non uno modo deficiunt. *Primus* principium petit in *Minore*; Nec enim figuræ veteres S. Cœnam propriè, sed ipsum Christum ejusque mortem ac beneficia adumbrarunt, ut qui typorum veritas, *Ioh.*1. vers.17. ac umbrarum corpus, *Coloss.*2. v.17. vocatur. *Deinde* institutâ comparatione Sacramentorum veterum cum novis, horum quidem, atque ita S. Cœnæ, major præstantia est, sed quæ ex dignitate atque efficacia Novi Fœderis, non ex corporali Christi sub speciebus panis & vini præsentiâ dependet. Illorum significatio crassior, horum clarior est. *Secundus* *Majore* fallit; quia carnem suam non dedit Christus pro mundi vitâ in Cœnâ, verum in cruce. *Luc.* 22. enallage est præsentis pro futuro usitatissima Scripturæ, (vide *Iohann.*10. 16. 17. *capp* & alibi:) quæ ad designandam rei futuræ certitudinem sæpe adhibetur. Licet etiam Johannes de signo S. Cœnæ nihil, de signato tamen, tanquam parte ejus potiore, luculenter scripsit. *Bellarmini* verò commentum, quod à v. 32. *ad* 51. de sola spirituali manducatione, inde autem in sequentibus etiam de Sacramentali agat, ut nullâ ratione solida nititur, ita ab aliis Pontificiis rejicitur. In *Tertio* utrobique

que evidens inconsequentia est ex petitione principii. *Communio panis* est communio corporis Symbolica, Sacramentalis; non substantialis; quemadmodum qui idolis immolant communionem habent cum dæmoniis, quippe quam communione Sacrorum testatam faciunt. Quod etiam *indignè manducantes panem Cœnæ rei fiunt corporis Christi*, non ex reali ejus præsentiâ, sed ex Symboli Sacri profanatione fit. Unde non corpus sed panem indignè manducari ait Paulus. De corpore aliud testatur Christus, *Iohann.* 6. nimirum quod omnis illud manducans habeat vitam æternam: Ex quo sequitur à nullo ad Judicium, ad mortem manducari posse.

III. Convenientia rationis postulat, ut in Sacrâ Cœnâ substantia panis recedat, & accidentia remaneant. Ergo id ita accidit. *Prius* patet; quia alioquin periculum, ne & panis adoraretur à simplicioribus. Conjungerentur etiam cibus ventris & mentis, panis terrenus & cœlestis. *Posterius*; nam aliàs signum nullum sensibile foret, item horror esset carnem humanam in propria specie manducare. *Resp.* Et *consequentia* Enthymematis nulla est, & *Antecedens* cum probationibus ubique ponit tanquam certum, quod est controversum. Omnia illa deliria ex monstroso corporalis præsentiæ dogmate nascuntur, quo destructo & illa corruunt.

Quia id postulet Convenientia rationis.

SECVNDA: An communio sub utrâque specie, sive Symbolo, Laicis, quos vocant, non modo, non necessaria, sed etiam illicita sit? Pontificii affirmant, Praxi saltem ac constanti observatione, etsi verbo sæpe communionem illam adiaphoram facere videri velint. *Bellarminus Tom.* III. *Contr. gener.* III. *de Eucharistia, lib.* 4. *cap.* 20. & *seqq.* Nos negamus.

Secunda: Pontificiorum. *An communio sub utraque specie Laicis illicita sit?*

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ*.

Ex natura *Subjecti*:

I. Quod ad integritatem Sacræ Cœnæ requiritur, in ea necessarium est. Communio sub utroque Symbolo ad integritatem

Quia ad integritatem S. Cœnæ requiritur.

tatem Sacræ Cœnæ requiritur. Ergo. *Minor* probatur. I. Quod ad communionem corporis & sanguinis Christi requiritur, ad integritatem S. Cœnæ requiritur. *Ratio*; quia Cœna utriusque communio est 1. *Cor.* 10. v. 16. Atqui communio sub utroque Symbolo, hoc est panis & vini, ad communionem corporis & sanguinis Christi requiritur, teste Apostolo *eodem loco*. Ergo. II. Quod ad materiam, formam ac finem Sacræ Cœnæ pertinet; ad integritatem ejus requiritur. Utrumque Symbolum & utriusque communio ad materiam, formam, & finem Sacræ Cœnæ pertinet. Ad *Materiam*; quia vinum est pars integrans. Ad *Fromam*; quia poculum est communio sanguinis Christi. Ad *Finem*; quia est commemoratio sanguinis pro nobis effusi in remissionem peccatorum, atque etiam perfectæ nutritionis confirmatio. Ergo.

Quia plus fructus percipitur ex utroque Symbolo.

II. Ex utroque Symbolo aut plus fructus redit ad fideles quam ex uno, aut non. Si *redit*, quo jure altero privantur Laici? quomodo illud necessarium ipsis non est? Si *non redit*, inutiliter certè alterum Christus adhibuit.

Ex natura *Prædicati*:

Quia Christus præcepit, & Apostoli adhibuerunt communionem sub utraque specie.

Quicquid in Sacrâ Cœnâ & Christus præcepit, & Apostoli reliquique Christiani observarunt; id non illicitum, sed licitum; necessarium item, non arbitrarium est. Communionem sub utroque Symbolo, sive panis & vini, in Sacrâ Cœnâ Christus præcepit. Dixit enim *Accipite, Edite, Bibite, hoc facite*, *Marc.* 14. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11. quin Omnes bibere jussit, ut est, *Matth.* 26. v. 27. *Bibite ex eo omnes*. Deinde Apostoli reliquique Christiani eam observarunt. Illi siquidem non solùm ederunt sed etiam biberunt omnes de poculo, teste Marco *cap.* 14. v. 23. Isti verò idem in more habuerunt, quemadmodum ex 1. *Cor.* 10. & 11: *capp.* manifestum est. Ergo. *Exceptio Pontificiorum*, quod in primâ Cœnâ Apostoli Christi Sacerdotus non discipuli fuerint, dupliciter falsa est. I. Quia Novum Testamentum præter Christum Sacerdotem propriè dictum nullum habet. II. Quia illo in actu, & aliàs Christi respectu non Pastorum aut Doctorum, sed ovium & discipulorum personam gesserunt.

Rationes

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia Christus totus sub unâ specie percipiatur.

Quia totus sub unâ specie percipitur, ejus communio sub utrâque necessaria non est. Christus totus sub unâ specie percipitur; propter naturalem partium ejus concomitantiam, quæ solvi per mortem amplius nequeunt *Rom.* 6. Ergo. *Resp.* Argumentum hoc æque militat contra Clericos, quam contra Laicos. Deinde principium bis petit, quatenus asserit. I. Christum corporaliter sub specie panis latentem percipi. II. Corpus & Sanguinem percipi conjunctim, cum tamen in cœnâ ut res in cruce separatæ nobis offerantur, atque hoc sine Symbolis separatis adumbrentur.

Ex natura *Predicati*:

Quia unam speciem adhibuerit Christus, & Apostoli.

I. Christus ipse solius Panis meminit, *Joh.* 6. & Emmaunti Cœnam in unâ specie duobus discipulis *Luc.* 24. præbuit Ecclesia quoque Apostolica eam simili modo Laicis administravit *Act.* 2. *& alibi*. Ergo. *Resp. Johann.* 6. Christus de *communione* Sacramentali non loquitur, verùm de *Spirituali*; Et manducationem spiritualem sic urget, ut bibitionem minimè excludat, sed alteri vel tacitè includat per synecdochen, vel expresse addat v. 35. 53. 54. 55. 56. *Cœna Emmauntica Luc.* 24. communis fuit, non Sacramentalis; nisi fortè Christum Sacrilegii reum peragere velint, qui panem absque vino (quod ex Canonibus ipsorum grande nefas) consecravit, utpote in panis fractione agnitus ac statim sublatus. In locis verò illis, quibus Cœna *fractio panis* appellatur, synecdoche membri appertissima est, ex Hebrææ linguæ idiotismo nata, quæ fractione panis quodvis convivium notare solet.

Quia omnibus præberi nequeat utraque Species.

II. Quod omnibus tam Laicis quam Clericis præberi nequit; omnibus etiam necessarium non est. Communio sub utrâque specie omnibus præberi nequit. I. Quia reverentia Sacramenti sic extenuaretur. II. Facilè vini aliquid effunderetur. III. Quidam abstemii sunt. IV. Alicubi etiam vini copia non est &c. Ergo. *Resp. Priora duo* incommoda ex superstitione sunt.

& Transſubſtantiationis opinione. *Poſteriora* particularia, quæ Chriſti inſtitutionem non tollunt: Nam utrumque prævidit, & tamen poculum omnibus promiſcuè exhiberi juſſit. Detur ergo abſtemiis & iis qui vino carent alius potus ipſis conſuetus, cæteris vinum, utriſque jus ſuum in duo illa Symbola, divinitus conceſſum, integrum relinquatur.

Tertia: Pontificiorum. *An in S. Cœnâ peragatur verum Sacrificium pro peccatis viventium et mortuorum?*

TERTIA: An in Cœna peragatur verum, externum & reale Sacrificium, Miſsæ *vulgo, quo Chriſtus ſub ſpeciebus panis & vini modo incruento offertur* Deo Pa*tri in victimam pro peccatis viventium & mortuorum?* Pontificii Affirmant, *Bellarminus Tom. III. Controv. gener. III. de Euchriſtia, Lib. 5. qui eſt primus de Miſſa cap. 5. & ſeqq.* Nos negamus.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Rationes noſtræ.

Ex natura *Subjecti & prædicati:*

Quia S. Cœna & Miſſa ſunt pugnantia.

I. Pugnantia de ſe invicem non affirmantur, ſed negantur, Cœna Dominica & Sacrificium Miſſæ ſunt pugnantia. Ergo. *Minor* multarum partium collatione oſtenditur. I. In *Cœnâ* Deus dat, fideles accipiunt; in *Miſſâ* ſacerdos dat, Deus accipit. II. Chriſtus non in Cœnâ, ſed in cruce ſe obtulit; in *Cœnâ* autem oblationis ſui monumentum fixit; in *Miſſâ* Chriſtum Deo offert Sacerdos, & quidem in victimam pro peccatis. III. *Chriſtus* dixit *Hoc facite*, id eſt, edite, bibite; Pontificii Hoc facite, id eſt, Sacrificate. IV. *Chriſtus* dedit diſcipulis, ut ederent, biberent; *Sacerdos* nihil dat populo, ſed ſolus omnia deglutit. V. *Chriſtus* verba hæc, *Hoc eſt corpus meum*, non demurmuravit ſuper panem, ſed clarè diſtinctè pronunciavit; *Pontificii* demurmurant. VI. *Cœna* obſignat credentibus perfectam remiſſionem peccatorum propter Satisfactionem Chriſti; *Miſſa* applicat eam ex opere operato, non ſolùm vivis ſed etiam mortuis. VII. *Cœna* Chriſti abſentis & in cœlo ad dextram Patris ſedentis commemoratio; *Miſſa* ejuſdem ſub ſpeciebus panis & vini latentis immolatio eſt. VIII. *Cœna* in ſolius Chriſti memoriam & pro iis inſtituta eſt, qui mortem ejus annunciare poſſunt; *Miſſa*

Missa verò etiam in Sanctorum memoriam & pro mortuis celebratur, qui certè facere id nequeunt, quod Christus requirit.

II. Verum & reale Sacrificium, veram & realem mortem aut destructionem rei immolatæ desiderat. In Sacrâ Cœnâ non est vera & realis mors aut destructio rei alicujus immolatæ. Ergo. *Major* est *Bellarmini* totidem verbis enunciata, *lib.* 1. *de Missa cap.* 27. & ante explicata, *cap.* 2. *ejusdem libri. Minor* probatur. Res immolata in Sacrâ Cœnâ aut signum est, aut signatum. Non *signum*; quia victima peccati expiatoria non est. Quis enim dicat pane & vino expiari peccata? Nec *signatum*; quia corpus Christi per mortem non destruitur. Nam ipse semel mortuus non amplius moritur *Rom.* 6. v. 9. Ergo. Quia in Cœna non est vera destructio rei immolatæ.

III. Omne Sacrificium externum, hostiam externam & visibilem habet. Sacra Cœna non habet hostiam externam & visibilem. Ergo. *Major* utrinque in confesso est. *Minorem* volentes nolentes concedere coguntur, ut qui corpus Christi invisibiliter adesse docent. Quia non habet hostiam visibilem.

IV. Quæ oblatio una numero, & perfectissima est; ea neque multiplicanda neque iteranda est. *Ratio*: quia multiplicatio unitati, iteratio perfectioni repugnat: Est siquidem imperfectionis argumentum. Unde oblationum Leviticarum imperfectionem ex earundem iteratione Apostolus concludit *Hebr.* 9. & 10. *capp.* Atqui oblatio Christi est *Una* numero, *Hebr.* 7. v. 26. 27. *Cap.* 9. v. 25. 26. 27. 28. *Cap.* 10. v. 10. 12. 14. quemadmodum ejus mors una *Rom.* 6. v. 9. Deinde etiam *perfectissima* est merito & efficacia: Merito; quia *per Spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum Deo, æternum redemtionem nactus Heb.* 9. v. 12. 14. Efficaciâ; quia *unicâ oblatione consummavit in perpetuum eos qui Sanctificantur Hebr.* 10. v. 14. Ergo. Quia oblatio Christi perfectissima est, non iteranda

V. Qui non amplius in terris, sed in cœlis est; nec meretur amplius, sed apparet, intercedit pro nobis apud Patrem; is in Cœna non offertur in victimam expiatoriam peccati: *Ratio*; quia ad oblationem victimæ requiritur præsentia: & quæ verè expiatoria est peccati, meritoria est remissionis. Atqui Christus non in terris amplius, sed in cœlis est *Hebr.* 8. v. 4. *Si in terra esset, ne Sacerdos quidem esset*; nec meretur amplius, sed apparet intercedit pro nobis apud Patrem, *Hebr.* 1. v. 3. *Expiatione peccato-* Quia Christus jam in cœlis est, & pro nobis intercedit

rum nostrorum per se ipsum factâ, sedit ad dextram majestatis illius in locis excelsissimis. Cap. 10. v. 12. *Hic unâ pro peccatis oblatâ in perpetuum victima consedit ad dextram Dei Cap.*9. v. 24. *Comparet apud faciem Dei pro nobis* &c. Ergo.

Quia Sacrificium Missæ non est idem cum Sacrificio Christi.

VI. Sacrificium Missæ aut idem est cum Sacrificio Christi, aut diversum ab eo. *Si idem*; eundem Sacerdotem, eandem victimam, easdem etiam illius actiones, hujus passiones esse oportet. At nihil horum ostendi potest. Ergo. *Deinde*: si idem, est aut continuatione Sacrificii in cruce cœpti, aut iteratione. Utroque modo imperfectionis insimulatur. *Illo*: quia quod inchoatum continuatur, imperfectum est. *Isto*: quia iterationem ut imperfectionis argumentum Apostolus allegat *Hebr.* 7. v. 27. *Cap.* 9. v. 26. *Cap.* 10. v. 11. 12. Sin *diversum*; Christus certè in victimam expiatoriam peccati offerri nequit, prout Missæ definitio sonat. Ergò.

Excipiunt Pontificii. Sacrificium Christi rei immolatæ substantia idem esse, diversum modo; illic *cruentum*, hic *incruentum*. *Oblationem* ejus, aliam *primariam* esse, aliam *secundariam*. In cruce *immolatam* victimam in Missa *repræsentari* & *applicari*. Sacrificium denique illud peragi in Christi Persona, cujus *Sacerdos instrumentum* est. *Resp.* Omnes illæ *distinctiones* petunt principium, & tum Scripturis, tum sibi ipsis non uno modo contradicunt. Demonstratur id de singulis. *Prima* Sacrificii cruenti & incruenti: I. Nullum Sacrificium in quo vinum transsubstantiatur in sanguinem, qui in remissionem peccatorum effunditur, dici potest incruentum. Sacrificium Missæ est tale Sacrificium &c. Ergo. II. Sacrificium Christi unicum est & unius generis, cruentum scil. *Heb.* 2. v. 25. 26. *Cap.* 10. v. 10. 12. 14. Ergo non duplex, cruentum unum, alterum incruentum. III. Absque sanguinis effusione nulla est remissio *Hebr.* 9. v. 22. Aut igitur Missa Sacrificium propitiatorium non est, aut cruentum est sacrificium. IV. Quoties offertur Christus, toties ipsum pati mori necessum est, ex hypothesi Apostoli *Hebr.* 9. vers. 26. Proinde in Missa vel non offertur vel Sacrificio cruento offertur. *Secunda* oblationis primariæ & secundariæ. I. Unica tantùm est Christi ut victimæ oblatio *Heb.* 10. v. 10. 12. 14. Ergo non alia primaria, alia secundaria. II. *Secundaria* fit per secundū Christi oblatio non fit per secundum; quia se ipsum per se ipsum obtulit: est Sacerdos simul

Nullæ sunt distinctiones.

Sacrificii cruenti & incruenti.

Oblationis primariæ & secundariæ.

ſimul & victima, & quidem Sacerdos æternus *Hebr.* 7. v. 23. 24. Ergo. III. Ubi *primaria* ſufficit ex ordinatione Dei, ſecundaria non requiritur. Ad expiationem peccatorum ea, quam primariam vocant, ſufficit; quia *unica oblatione conſummavit in perpetuum eos qui Sanctificantur. Hebr.* 10. v. 14. idque ex ordinatione Dei, cui *placuit ut pace per ſanguinem crucis Chriſti facta, per eum ſibi reconciliaret omnia Coloſſ.* 1. v. 20. Ergo. IV. Ubi eſt peccatorum remiſſio, non eſt amplius pro peccatis oblatio, inquit Apoſtolus *Hebr.* 10. v. 18. Poſt oblationem Chriſti, quam primariam vocant, eſt peccatorum remiſſio *Hebr.* 10. v. 14. *Epheſ.* 1. v. 7. 1. *Iohann.* 1. v. 7. Ergo non eſt amplius pro peccatis oblatio, eoque nec ſecundaria oblatio. *Tertia* immolationis in cruce, & repræſentationis atque applicationis in Miſſa: I. *Repræſentatio* rei non eſt ipſa res; differunt enim ut adjunctum & ſubjectum, illa præſens eſt aut futura, hæc præterita. Atqui ex ſententia Pontificiorum Sacrificium Miſſæ eſt ipſum Chriſti Sacrificium quoad ſubſtantiam. Ergo. II. Ubi Chriſtus offertur Deo in victimam pro peccatis, non applicatur: *Ratio*; quia applicatio non Deo ſed nobis fit. In Miſſa offertur Deo. Ergo. III. Applicationis inſtrumentum externum eſt Verbum cum Sacramentis, internum fides. Miſſa neque eſt Verbum Dei, neque Sacramentum Novi Teſtamenti, neque Fides. Ergo. *Quarta* offerri in Chriſti Perſonâ per Sacerdotem, ut inſtrumentum. I. Quia Canon Miſſæ docet non in Chriſti, ſed in Sacerdotis ac populi perſona fieri Sacrificium. Unde incipit: *Offerimus tibi* &c. Ergo ipſe Canon diſtinctionem refellit. II. Chriſtus ſemel ſeipſum per ſe ipſum obtulit, nec magis offerri iterum, quam mori poteſt *Heb.* 9. v. 25. 26. Ergo non offertur quotidie per Sacerdotem tanquam inſtrumentum. III. Actio cauſſæ inſtrumentalis revocatur ad principalem. Si igitur Sacerdos Chriſtum offert, & ipſe Chriſtus ſe offert. Si ille non pro populo tantum, ſed etiam pro ſe offert; Chriſtus quoque non modo pro populo, verum etiam pro ſe offert: Utrumque conſequens eſt contra Scripturam: Illud, *Hebr.* 9. verſ. 25. 26. Iſtud *cap.* 7. v. 27. Ergo & antecedens.

Immolationis, & repræſentationis.

Sacrificium peragi in Chriſti Perſonâ per Sacerdotem ceu inſtrumentum.

Rationes Pontificiorum.

Ex naturâ *Subjecti:*

Quia Melchisedech incruentam Christi oblationem adumbrarit.

I. Quod Melchisedech de Christo præfiguravit, in ipso completum fuit. Atqui præfiguravit incruentam ejus oblationem sub speciebus panis & vini, eamque perpetuam. Ergo. Probatur *Minor* I. quia obtulit Melchizedech panem & vinum incruentâ oblatione, tanquam sacerdos altissimi. II. quia alia quàm hæc oblationis similitudo inter utrumque dari nequit. Nam benedictio etiam aliorum est, qui non fuere sacerdotes. Eandem quoque sacerdotes Aaronici pronunciarunt, & decimas acceperunt. Sic successorem ne Abel quidem habuit. Et τὸ ἀγενεαλόγητον etiam in Jobo & Elia reperitur. *Resp. Minor* falsa est. Præfiguravit Christum Melchisedech in iis, in quibus similitudinem utriusque Apostolus collocat. Sunt verò illa: Persona *nec initium dierum nec finem habens*, Munus duplex *Sacerdotale & Regium*, & *Honos* propter personam & munus debitus, habitus. Incruenta oblatio si aut sola aut præcipua convenientiæ ipsorum pars est, Apostolus vel comparationem utriusque non exposuit, *Heb.* 7. vel saltem partem principalem omisit, quod affirmare blasphemum. *Rationes* duæ commentum Papale non verificant. *Prima* peccat fallacia phraseos, quę Abrahamo reficiendo aut honorando prolata fuerunt à Melchisedecho, Deo incruentâ oblatione immolata asserens: *Tum* etiam fallacia compositionis; nam appellatio sacerdotis non ad sacrificium aliquod tum oblatum, sed vel ad benedictionem, vel ad descriptionem personæ referenda est, ut sensus sit eum qui Rex, erat & Sacerdos, convivium Abrahamo fecisse. *Secunda* apertissimè contradicit Apostolo, *Heb.* 7. in tribus illis, non in oblatione aliquâ incruenta similitudinem monstranti. *Deinde* divisione fallit; Etsi enim illa divisim reperiuntur in aliis, in nullo tamen præter Melchizedechum conjuncti proponitur. *Tertiò* benedictio communis quam alii aliis debemus ex charitate, etiam non Sacerdotum est. Benedictio sacerdotalis & acceptio decimarum, Levitis quoq; conveniunt. At benedicere Abrahamo, patri omnium credentium & Levi, ab eoque decimas accipere, unius est Melchizedechi *Heb.* 7. *Quartò* falsum, Abelem non habuisse successorem: successit ipsi Sethus, quem Deus loco ipsius substituit, *Gen.* 4. v. 25. & alii usque ad Noachum

chum & Patriarchas sequentes. *Postremo* si comparatio Pontificia valet, sacerdotium Melchisedecianum nihil habuit supra Leviticum, in quo similiter fuit incruenta illa oblatio *Exod.* 29. *Lev.* 2. & 8. *capp.* non tantum ut pars quędam sacrificii alterius, verum etiam ut oblatio per se, *Lev.* 2.v.1. & *seqq.* imo infra Leviticum abjicitur, si quod illic partem tantum sacrificii, hic totum sacrificium constituit.

II. Celebratio agni paschalis, figura erat expressa celebrationis Eucharistiæ. At illa immolatio quædam erat victimæ Deo oblatæ. Ergo celebratio Eucharistiæ immolatio victimæ Deo oblatæ esse debet, ut figura figurato respondeat. Utramque Propositonem probant: *Majorem*. I. ex illo 1.*Cor.* 5.v.7. quod in Cœna impletum est; quia epulum sequitur immolationem. II. quia Eucharistia in locum agni paschalis successit. III. quia summa inter utramque analogia & convenientia est. *Minorum*. I. quia victima, sacrificium, oblatio vocatur. *Exod.* 12. *Num.* 9. II. quia immolabatur pascha, ut est. *Marc.* 14.v. 12. III. quia Christus est pascha nostrum pro nobis immolatum 1.*Cor.*5.v.7. Qui certè verum fuit sacrificium. *Resp.* *Major* falsa est. Nam agnus paschalis figura expressa fuit illius, qui vocatur agnus Dei tollens peccatum mundi, *Ioh.* 1.v.29. pascha nostrum pro nobis immolatum, 1.*Cor.* 5.v.7. cui os nullum fractum fuit *Ioh.* 19. vers. 36. Niturque falsâ hâc hypothesi, quod Sacramenta Veteris Test. Sacramenta Novi Test. tanquam figurata sua adumbrarint. Locus. 1.*Cor.*5.v.7. non agit de immolatione Christi incruentâ in Cœnâ, sed de cruentâ in cruce: Ait siquidem Apostolus pascha nostrum immolatum esse scilicet in cruce, non quotidie immolari. Epulum sanè sequitur immolationem, siquidem victimæ sit jam immolatæ: At olim epula sacra etiam sine immolatione erant. Et epulum in prima Cœna victimæ fuit non immolatæ ante, sed paulo post immolandæ. Præterea successit Eucharistia in locum agni paschalis, non ut figuratum figurę, aut sacrificium sacrificio, verum ut Sacramentum Sacramento, ut ritus novus ritui veteri: Quo sensu etiam antitypum agni paschalis dici potest, argumento loci 1. *Pet.*3.v.21. Est ergo hujusmodi quoque inter illa convenientia, non alia. *Minorum* alii admittunt, alii negant. Certum est sacrificium ἱλαστικὸν sive propitiatorium non fuisse: *Ratio* è multis hæc est; quod pascha pro peccato oblatum non fuit, neque vel in totum, vel ex parte immola-

Quia Pascha fuerit immolatio victimæ Deo oblatæ.

tum,

tum: Et Israelitæ quamvis pascha in Ægypto comederint, sacrificasse tamen inibi negantur *Exod*.8.v.25.26. Nomina קָרְבָּן *Korban*, זֶבַח *Zebach*, generalioris significatus sunt, quam sacrificii maximè propitiatorii. *Immolare Marc*.14.est mactare, prout verbum θύω redditur à melioribus interpretibus. Eodem sensu pascha dicitui ἐτύθη, id est, *mactatum* 1.*Cor*.5.v.7. Nec quicquid occurrit in sacrificio Christi per agnum paschalem adumbratum fuit. Sed retorqueamus argumentum in suos auctores: Figuratum figuræ suæ respondere debet. Figura agnus paschali: fuit sacrificium cruentum. Ergo & Eucharistiâ talis esse debet. *Item*: De figura nihil licuit asservare in crastinum. Ergo nec de figurato. A quibus aliisque sequelis argumentum vindicare irrito conatu laborant.

Quia Christus in Cœna sese obtulerit sub speciebus panis & vini.

III. Christus id in Cœnâ facere jussit, quod ipse prior fecerat. Atqui ipse se obtulit in victimam sub speciebus panis & vini. Ergo. *Minorem* probant. I. quia typum Melchizedechi implevit II. quia in præsenti ait, corpus suum pro nobis frangi, & sanguinem re vera jam tum effundi. III. docet Apostolus 1. *Cor*. 10.& 11.*capp*. corpus Christi pro nobis fractum distribui, At illud non in cruce, *Ioh*.19.v.36.sed tantum in specie panis fractum fuit. IV. Ipse etiam calix pro nobis effusus esse dicitur *Luc*.22.v.20. quod non nisi de sanguine Christi, calice illo contento, intelligi potest. *Resp*. negatur *Minor*: *Ratio prima* principium petit, & supra abundè refutata est. *Secunda* phrasi peccat. Nam præsens per Enallagen pro futuro ponitur, sicut & *Ioh*. 10.v.15. Unde versio vulgata per futurum verba illa exponit. *Tertia* mutat genus prædicationis & quod corpori, saltem metaphoricè, convenit, simpliciter ei derogat. Qualis verò illatio. Corpus Christi non est fractum fractione crurum, comminutione ossium. Ergo nec crucifixione & morte? Petitionem principii de fractione in specie panis indicasse satis sit. *Quarta* si participium ἐκχυνόμενον ad sanguinem Christi præcisè refert, casus anomaliam manifestam habet, quę librariorum incuria dubio procul in textum irrepsit, cum ex Basilio constet aliter locum illum à veteribus lectum fuisse; Sin verò ad poculum, pro sanguine Christi metonymicè usurpatum, (quomodo & *Bellarminus* accipit *lib*. 4. *de Eucharistia cap*. 19.) genus prædicationis mutatur & consequentia infirmatur.

Ex

Ex natura *Prædicati*:

I. Quod sacrificium in Veteri Test. promissum, in Novo autem institutum fuit; id verum Novi Test. sacrificium est. Sacrificium Missæ in Veteri Test. promissum, *Mal.* 1.v.11. in Novo autem institutum fuit *Ioh.* 4.v.23. Ergo. *Resp.* *Minor* falsa est. Nec promissionem sacrificii Missæ *Malachias*, nec complementum *Iohannes* habet: Verum *ille* quidem de spirituali cultu Dei, inter gentes, præconio Euangelii constituendo, vaticinatur sermone cultui legali accommodato. Vide *Rom.* 15.v. 16. *Iste* autem cultum Novi Test. spiritualem carnalibus Iudæorum sacrificiis, & veritatem umbris legalibus, eousque servatis, opponit. Quia sacrific. Missæ in V. T. promissum fuerit.

II. Nulla unquam religio fuit sine externo & visibili sacrificio. Ergò nec Christianâ religio sine hujusmodi sacrificio esse potest: Hoc verò non est aliud quam sacrificium Missæ; quia sacrificium Christi jam pridem desiit, & spiritualia Christianorum sacrificia interna sunt ac invisibilia. *Resp.* Enthymema quidem datur; at quod per πόρισμα inde deducitur, negatur Sacrificium aliquod est. Ergo Missa est. A genere ad speciem, maximè fictitiam, non valet consequentia affirmativè. Imo sacrificium illud esse dicimus sacrificium Christi, quod actu quidem oblationis cessavit, at efficacia virtutis durat perpetuò *Heb.* 10.v.12.14. nec propter impetratam jam remissionem peccatorum ullam amplius oblationem admittit. v.18. Quia nulla unquam fuerit religio sine visibili sacrificio.

Lutheranorum. *Quarta*: Lutheranorum.

AN in, cum, sub pane & vino corporaliter adsint & exhibeantur corpus & sanguis Christi, atque ab omnibus communicantibus, fidelibus & infidelibus, oraliter percipiantur? Lutherani affirmant, *Eckardus fasciculi controversiarum cap.* 20. *de Eucharistia per totum, maximè autem quæst.* 19.23.24. Nos negamus. *An in, cum, & sub pane & vino corporaliter adsint corpus & sanguis Christi & à singulis communicantibus oraliter percipiantur.*

Controversia *Lutheranorum* in doctrina de Sacrâ Cœnâ, quæ ut uan numero proponitur, quæstiones controversas tres continet, Controversia tripertita.

 & in

& in illas commodè resolvi potest. I. *An corpus & sanguis Christi in, cum, sub pane & vino S. Cœnæ præsentia sint?* II. *An eadem oraliter percipiantur?* III. *An ab omnibus communicantibus, fidelibus & infidelibus, percipiantur?* De quibus sententiam negantem distinctè confirmabimus, affirmantem autem confutabimus.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Contra *corporalem præsentiam*;

Quia Christus in primâ Cœnâ eo modo præsens non fuit.

I. Quo modo Christus in primâ Cœnâ præsens non fuit; eo ne nunc quidem præsens est. Atqui in primâ Cœnâ præsens, non fuit corpore in, cum, sub, pane; sanguine in, cum, sub vino. Ergo. *Major* controversia caret. *Minor* demonstratur ex Circumstantiis & Verbis Institutionis. Ex *Circumstantiis* I. quia corpore suo mensæ assedit. II. quia ipse de pane edit & de vino bibit, *Matt.* 26. v. 29. III. quia nondum traditus, crucifixus, mortuus erat. Ex *Verbis Institutionis*: I. Quia accepit panem è mensa, fregit eum ac distribuit; sic & poculum, ut verba sonant: at non corpus & sanguinem. II. Dixit *Hoc est corpus meum, sanguis meus*, non in, cum, sub pane aut vino sunt corpus & sanguis. Quæ propositiones verbis, dispositione, & sensu differunt; *Verbis*, ut patet. *Dispositione*; quia prædicatum unius est subjectum alterius. *Sensu*; quia prior indicat quid sint panis & vinum in hoc usu; posterior quid sit in pane & vino, seu ubi sint corpus & sanguis Christi. III. Dixit *Poculum esse Novum Test. in sanguine*. At illud non est in, cum, sub vino. IV. Dixit *panem esse corpus fractum, poculum esse sanguinem effusum*. At neque illud sub pane, nec hic sub vino fuit. V. Jussit celebrari Cœnam in sui recordationem, & quidem donec veniat *Luc.* 22. v. 19. 1. *Cor.* 11. vers. 24. 25. 26. Recordatio autem talis absentium est, non præsentium.

Quia nullum Sacramentum eo modo res signatas præsentes habet.

II. Nullum Sacramentum res signatas in, cum, sub signis præsentes habet. Sacra Cœna est Sacramentum. Ergo. *Major* inductione Sacramentorum Veteris & Novi Test. ostenditur: Fœdus Dei sive circumcisio cordis non fuit in, cum, sub amputatione præputii. Beneficium liberationis ex Ægypto & agnus Dei non fuere in, cum, sub paschate, sive agno Paschali. Cibus & potus spiritua-

ritualis non fuerunt in, cum, sub Manna & Aqua petræ; quæ sacramenta extraordinaria. Sic Remissio peccatorum, Regeneratio & Communio cum Christo non sunt in, cum, sub aquâ Baptismi.

Contra *oralem perceptionem*;

I. Qualis est cibus ac potus, talis est edendi ac bibendi modus. Corpus Christi cibus est non corporalis, sed spiritualis; sanguis item potus non corporalis, sed spiritualis. Ergo. *Major* plana est tum per se, tum ex verbis Christi, qui *Ioh.* 6. pro generibus ciborum perceptionis modos distinguit. *Minor* probatur. I. A *Definitione*; quia animæ nutrimentum sunt non corporis, *Ioh.* 6. & alibi. II. Ab *Instrumento Manducationis*; quod non corporis, *Matt.* 15.v.16. 1.*Cor.*6.v.13. sed fidei os est, *Ioh.* 6.v.47. & 54. item *v.*40. & 54. *inter se collatis.* III. *A Subjecto recipiente*; quod non est venter, 1.*Cor.* 6. v. 13. sed anima fidelis *Eph.*3. v. 17. IV. Ab *Effectis*; quæ sunt Remissio peccatorum, unio cum Christo, gloriosa Resurrectio, & Vita Æterna; *Ioh.*6. v.47.48. & *seq.* Quia corpus & sanguis Christi sunt cibus & potus spiritualis.

II. Cujus perceptio impossibilis & inutilis est; ejus perceptio nulla est. Oralis perceptio corporis & sanguinis Christi impossibilis & inutilis est. *Impossibilis*; quia corpus suum Christus in cœlum evexit: *Ioh.*6.v.62. *Quid si igitur spectaveritis Filium hominis ascendentem eo, ubi erat prius? Inutilis Ioh.*6.v.63. *Caro non prodest quicquam*, scilicet oraliter comesa, *spiritus est id quod vivificat*: *verba quæ loquor spiritus sunt*, &c. Ergo. Quæ contra excipiunt Lutherani distinguendo inter perceptionem Christi spiritualem & Sacramentalem; item inter manducationem oralem physicam & hyperphysicam; illa omnia aut argumenta nostra non attingunt, aut meras principii petitiones atque etiam contradictiones habent. Quia oralis perceptio corporis & sanguinis Christi impossibilis & inutilis est.

Contra *perceptionem corporis & sanguinis Christi quæ ab infidelibus fit.*

I. Quibus nihil promittit Euangelium, iis nihil obsignant Sacramenta. Infidelibus nihil promittit Euangelium. Ergo. *Major* certa est; quia Sacramenta sigilla sunt Euangelii sive N. Testam. tanquam diplomatis gratiæ *Matt.* 26. *Minor* probatur. I. quia pro- Quia infidelibus nihil promittit Euangelium.

promissiones Euangelii fiunt cum conditione fidei *Ioh.* 3. vers. 16. *Marc.* 16. v. 16. II. quia infidelibus minæ iræ Dei & damnationis proponuntur *ibid.*

Quia Corpus & sanguis Christi solâ fide percipiuntur.

II. Corpus & sanguis Christi solâ fide percipiuntur, ut modò ostensum. Infideles carent fide. Ergo.

Rationes Lutheranorum:

Affirmantes Heterodoxæ.

Pro *corporali præsentia*;

Quia in S. Cœna corpus suum accipere Christus jusserit.

I. Quod Christus in S. Cœnâ accipere jussit, in illa vere præsens est. Corpus suum accipere jussit; quia illud, quod accipere jussit, corpus suum vocavit. Ergo. *Resp.* ad *Minorem.* Accipere jussit panem Sacramentum corporis, non corpus in, cum, sub pane; alioquin duplex corpus habuisset.

Quia panis sit κοινωνία corporis Christi.

II. Si panis benedictus est κοινωνία corporis Christi, & calix benedictus est κοινωνία sanguinis ejus; non potest corpus & sanguis Christi à symbolis illis intervallo cæli & terræ abesse, sed præsentissimè adsint oportet. At verum prius. Ergo & posterius. *Resp.* negando *consequentiam*: *Ratio* est; quia non sunt κοινωνία corporis & sanguinis sub pane & vino latentium; sed symbola, tesseræ, pignora beatæ illius κοινωνίας, quam omnes fideles habent in corpore & sanguine Christi.

Quia per sanguinem sacramentalem Christus ad nos venerit.

III. Id per quod Christus ad nos venit, & quod in terrâ testatur; nobis in terra præsens sit necesse est. Per sanguinem sacramentalem Christus ad nos venit, & ille nobis in terra testatur. Ergo. *Minor* est 1. *Ioh.* 5. v. 6. 8. ubi sanguis sacramentalis testibus terrestribus annumeratur, cum tamen cœlestibus annumerandus esset, si non præsens sed absens testaretur in cœlo. *Resp.* negatur *Minor* ob fallaciam phraseos. Sanguis ille per quem Christus venit, & qui testatur in terrâ, non est sanguis latens in, cum, sub vino, non magis quam aqua illa, per quam venit & testatur, latet sub aliquo elemento; sed est vel sanguis qui ex latere Christi in cruce pendentis fluxit *Ioh.* 19. v. 34. 35. vel sacramentum Cœnæ per metonymicam & synecdochicam appellationem. Vtroque sensu sanguis ille in terra testatur.

Quia Christus in Cœna noluerit instituere repræsentationem corporis sui.

IV. Aut Christus in S. Cœnâ instituere voluit repræsentationem & figuram corporis sui, aut ejusdem realiter præsentis exhibitionem & participationem. Non prius. I. quia alioquin corpori exhibito superinduxisset novas figuras & umbras. II. Sacra-

cramenta Veteris Testamentis clariora & significantiora essent Sacramentis Novi Testamenti, ut in Agno Paschali videre est. Ergò. *Resp.* Imo prius verum, posterius falsum est. Quod autem corpori exhibito repræsentando, & beneficiis ejusdem nobis confirmandis novas figuras, nova Symbola superinduxit, quid quæso absurdi habet? Non sunt illæ figuræ Veteris Testamenti, sed antitypa earum 1. *Petr.* 3. vers. 21. Nec tamen hoc modo Sacramenta vetera novis clariora constituuntur; quia claritas eorum pendet ex verbo promissionis, quod clarius utique in Novo Testamento, quàm in Veteri. Et non quicquid crassius significavit in infantiâ Ecclesiæ Veteris etiam clarius significavit.

Pro *Orali perceptione*;

I. Qualis est manducatio, tale etiam est manducationis instrumentum. Manducatio in S. Cœna non est Spiritualis; quia fit distinctis actibus etiam ab indignis, & non tantùm ad salutem, verùm interdum ad damnationem. Ergo nec manducationis instrumentum Spirituale est, & per consequens orale. *Resp.* In *Minore* est fallacia à dicto secundum quid. In S. Cœnâ non est Spiritualis manducatio signorum, scil. panis & vini; at est rei signatæ corporis & sanguinis Christi. *Signa* distinctis actibus non à fidelibus modò, verùm etiam ab infidelibus, nec ad salutem tantùm, sed etiam ad exitium percipiuntur. *Res signata* verò percipitur uno actu fidei (qui jam manducatio, modò bibitio vocatur) à solis fidelibus, & quidem ad salutem tantùm. Quia manducatio non fit Spiritualis.

II. Quo instrumento percipiuntur panis & vinum, eodem etiam percipiuntur corpus & sanguis Christi. Instrumento corporis percipiuntur panis & vinum. Ergo. Probant *Major.* I. quia eodem in Sacramento, eâdemque in actione unita sunt Sacramentaliter. II. quia Christus accepto pane simpliciter dixit, Hoc esse corpus suum & edi jussit. III. quia nullam manducationis distinctionem adhibuit. *Resp.* *Major* falsissima est, quam *Iohann.*6. Christus ex professo refellit. *Ratio.* *Prima* principium petit. Hoc quæritur an ita unita sint in Cœnâ panis & corpus Christi, ut hoc sub illo contineatur? & an unio Sacramentalis Quia eodem instrumento percipiantur signum & res signata.

mentalis (quæ κατηχητικῶς sic appellatur) in hujusmodi signi & signati conjunctione consistat? *Secunda* inconsequens est: Simpliciter dixit, *edite, Hoc est corpus meum.* Ergo corpus eodem quo panem instrumento edi jussit. Imo edi jussit panem non in alimentum corporis nostri, sed in Sacramentum corporis sui. A quo fine corpus ejus dicitur metonymicè. *Tertia* datur. Christus manducare jubens, non adhibuit distinctionem manducationis, nimirum, quia de solo pane loquutus fuit. Nihil ergo illud contra nos, contra adversarios multum valet. Si enim de unâ eâdemque manducatione citra omnem distinctionem locutus est, equidem non præcepit ut panis Physicè, corpus sub pane Hyperphysicè comederetur.

Pro *perceptione corporis & sanguinis Christi, quæ ab infidelibus fit;*

Quia indignè manducantes rei sint corporis Christi.

I. Qui indignè manducando panem, rei sunt corporis Christi; ii manducando panem, corpus Christi percipiunt. Infideles indignè manducando panem rei sunt corporis Christi. Ergo. *Resp. Major* falsa est. Nam *caussa reatus Infidelium* non est perceptio corporis Christi, quæ omnibus percipientibus salutaris est; sed partim *ejus contemtus*, quod Christum sibi oblatum infidelitate respuunt, partim *signi ipsius profanatio* ac abusus, quod tanquam Sacramentum corporis Christi non accipiunt.

Quia indigni corpus Christi non dijudicent.

II. Quod indigni non dijudicant, id indignè manducant. Corpus Christi indigni non dijudicant. Ergo. *Resp.* I. *Major* de pane vera, de corpore Christi falsa est: *Ratio*; quia manducari illud indignè nequit. II. In *Minore* est fallacia Phraseos. *Corpus Christi non dijudicare*, non est carnem ejus pani inclusam non discernere à carne, sive cibo communi; sed non distinguere panem, corporis Christi Sacramentum, à pane communi, neque majore reverentiâ aut religione illum quàm hunc tractare. *Instant contrà*: Si discernere corpus Christi, hoc loco est discernere panem, ejus Sacramentum; ergo etiam reum fieri corporis est reum fieri panis, & edere corpus Christi erit edere panem. Consequens absurdum. Ergo & antecedens. *Resp.* Consequens nihil planè incommodi, nedum absurdi habet. I. quia reum fieri corporis Christi indignè manducando, est etiam reum fieri panis

Sacri

Sacri profanati, ficut reatus immediatè ex Sacramenti ipfius profanatione, mediatè ex Chrifti auctoris contemtu ac contumeliâ contrahitur. II. quia edere corpus Chrifti, ut verba Inftitutionis, *Edite, Hoc eft corpus meum*, fonant, nihil eft aliud quàm edere panem corporis Sacramentum.

III. Quod difcernendum eft, Apoftolus corpus Chrifti vocat. Quod manducatur in Sacra Cœna eft difcernendum. Ergo quod manducatur in Sacra Cœna eft corpus Chrifti. *Refp.* Conceditur totum. Eft corpus Chrifti fed Sacramentaliter, metonymicè; Et fic corpus Chrifti manducatur Sacramentaliter, metonymicè. Quia corpus Chrifti difcernendum manducatur.

LOCUS

LOCUS DECIMUS TERTIUS.

De
VOCATIONE INTERNA
ET
FIDE JUSTIFICANTE.

Controversiæ hujus loci, aliæ de Vocatione *sunt, aliæ de* Fide.

De VOCATIONE,

Samosatenianorum.

An omnibus, quibus annunciatur Euangelium, facultas credendi in Christum conferatur; & quod alii credunt, alii non credunt, id non ex singulari vocantis gartiâ, sed ex animi volentis probitate, nolentis malitiâ proficiscatur?

Pontificiorum.

An in Vocatione Interna, quum primum homo convertitur, voluntas ejus gratiæ Dei cooperetur?

De FIDE,

Samosatenianorum.

I. An Fides Justificans sit obedientia mandatorum Dei?

II. An forma ejus rectè statuatur fiducialis Christi ac Satisfactionis ejus apprehensio?

Pontificiorum.

I. An Fides assensus sit non notitia, rectiusque per ignorantiam quàm per notitiam definiatur?

II. An Fides sit fiducia?

III. An

III. An Fidei Justificantis objectum pręcipuum sit promissio specialis misericordię?

IV. An eadem semel accepta amitti possit?

EXEGESIS.

Controversiæ de VOCATIONE.

De Vocatione

Samosatenianorum.

Prima: Samosatenianorum *An omnibus, quibus prædicatur Euangelium conferatur facultas credendi; & quod alii credant alii non, à volentium probitate, nolentium malitià proficiscatur?*

*N omnibus quibus annunciatur Euangelium facultas credendi in Christum conferatur, & quod alii credunt, alii non credunt, id non, ex singulari vocantis gratia, sed ex animi volentis probitate, nolentis malitià proficiscatur?* Samosateniani affirmant, *Ostorodius Instit. Religion. Christianæ cap.34.& plenius Socinus in Prælectionibus & Lib. de Servatore.* Nos negamus.

Membra quæstionis tria sunt distinctè tractanda, I. *An omnibus per Euangelium vocatis conferatur facultas credendi?* II. *An qui credunt ex animi volentis probitate credant?* III. *An qui non credunt, tantum ex animi nolentis malitia non credant?*

Rationes Nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Contra membrum *Primum.*

I. Qui non possunt credere; iis facultas credendi data non est. Multi vocati per Euangelium non possunt credere, ut Christus de Judæis *Iohan.* 12. v. 39. Paulus de omni homine animali testatur 1. *Cor.*2.v.14. Ergo. — Quia multi vocati non possunt credere.

II. Quibus datum non est nosse salutariter mysteria regni cœlorum, quibus ea occultata sunt; iis non est data credendi facultas: Hæc enim æquipollent. Multis per Euangelium vocatis id datum non est, prout *Matth.*13.v.11.*Cap.* 11.v. 25. docetur. Ergo. — Quia multis vocatis non id datum est.

 III. Quod

Quia credendi facultas non est omnium.

III. Quod non est omnium vocatorum; id nec omnibus datum est. Facultas credendi non est omnium vocatorum. Ergo. *Minor* confirmatur. I. Quia *Fides* non est omnium 2. *Thess.* 3. v. 2. II. Quia Fides est Electorum *Tit.* 1. v. 1. *Actor.* 13. v. 48. At pauci Electi, etiamsi multi vocati sint. *Matth.* 20. vers. 16. Ergo.

Quia non idem in omnibus verbi effectus.

IV. Si per Euangelium omnibus datur credendi facultas; idem in omnibus verbi prædicati effectum est; Euangelium est omnibus potentia Dei ad salutem. Consequens est contra Testimonia: *Matth.* 13. v. 19. *& seqq. Roman.* 1. v. 16. 2. *Cor.* 2. v. 16. *Hebr.* 4. v. 2. & Exempla Scripturarum *Ioh.* 6. v. 8. 12. *Actor.* 2. 17. & 28. *capp.* Ergo & Antecedens.

Contra membrum *Secundum*:

Quia fides non est volentis.

I. Quod non est volentis, nec currentis, sed Dei singulariter miserentis; id non ex animi volentis probitate, sed ex singulari vocantis gratiâ proficiscitur. Fides, quoad potentiam & actum, *Matth.* 13. v. 11. *Phil.* 1. v. 29. non est volentis nec currentis. *Roman.* 9. v. 16. *& supra.* v. 11. *Nondum natis pueris* &c. Ergo.

Quia fides speciale Dei donum est.

II. Quod non ex nobis, sed speciale Dei donum est; id non est ex animi volentis probitate. Fides non est ex nobis, sed est speciale Dei donum *Ephes.* 2. v. 8. 1. *Cor.* 4. v. 7. Ergo.

Quia probitas animi est effectum fidei

III Nullum Effectum Efficientis sui caussa est. Probitas animi est effectum fidei, *Galat.* 5. v. 6. 1. *Tim.* 1. v. 5. ut quæ in animo per fidem purificato residet *Actor.* 15. v. 9. Ergo.

Contra membrum *Tertium*:

Quia infidelitatis caussæ reprobatio & excœcatio.

I. Cujus caussam proponit Scriptura partim in Reprobatione, partim in excœcatione Dei, tanquam liberrimi Domini & Justissimi Judicis; ejus caussa sive solitaria sive suprema non est animi nolentis malitia. Quod multi ex vocatis per Euangelium non credunt, hujus caussam proponit Scriptura partim in Reprobatione, partim in excœcatione Dei *Roman.* 11. v. 7. 8. *Matth.* 11. v. 25. *Ioh.* 12. v. 39. 40. Ergo.

Quia animi malitiâ omnibus naturalis.

II Quod omnibus æqualiter commune est, non est caussa solitaria aut suprema incredulitatis quorundam. Animi nolentis

lentis malitia omnibus naturâ, & ante conversionem æqualiter est communis *Rom.* 3. *Ephes.* 2. Ergo.

Adversarii ex testimoniis allegatis cum alia, tum tria hęc corrumpere conantur: 2. *Theß.* 3. v. 2. *Actor.* 14. v. 48. *Ephes.* 2. v. 8. 9. 10.

2. *Theß.* 3. v. 2. ajunt, *Fides non est omnium*; quia non omnes credunt, non autem quod facultas credendi omnibus data non sit. Patet I. ex Scopo. Nam hortatur Apostolus Thessalonicenses ut orent, ut currat verbum Dei, & ipse liberetur à malis hominibus; Ratione additâ quod fides non sit omnium, id est, quod non omnes ex animo assentiantur Euangelio. II. ex Antithesi v. 3. *Fidelis est Dominus*, scil. etsi non omnes fideles. *Resp.* Non est hæc expositio loci hujus sacri, sed violenta detorsio & manifestissima corruptela. Imo verò hic locus fidem multis non tantum quoad *actum*, sed etiam quoad *potentiam activam* sive facultatem adimit; & sensus est: Non omnibus datum est ut credant, prout Christus loquitur, *Matth.* 23. v. 11. & Moses, *Deut.* 29. v. 4. *Scopus* & *nexus* sermonis omnino hoc postulant, non alterum. Hortatur Apostolus ut orent pro propagatione Euangelii, & pro sui liberatione. A quibus verò? à protervis & sceleratis hominibus, qui omnibus modis impediebant propagationem. Ergo non fuerunt hypocritæ, falsi fratres, sed aperti hostes. Rationem subjicit ad amoliendum hoc scandalum, *Non enim omnium est Fides*, hoc est, Mirum non est, tam multis exosum esse Euangelium & tam scelerate oppugnari, cum fides non detur, non obtingat omnibus. *Antithesis*, qualem adversarii fingunt, v. 3. nulla est. Sed consolatio subjicitur pro Thessalonicensibus, futurum ut ipsi tamen stabiliantur & defendantur, quod Deus constans & verax sit.

Vindiciæ dictorum.

2 *Theß* 3. v. 2.

Actor. 13. v. 48. inquiunt. I. Non est προτεταγμένοι sed τεταγμένοι. Ergo nihil hic de Electione æterna. II. Non nominatur à quo ordinati sint ad vitam æternam. Ergo absolute accipiendum est; quod qui crediderunt, apti & accommodati fuerint ad vitam æternam. Tales autem sunt qui probitate præditi. III. Si tamen subintelligenda persona, à se ipsis ordinati fuisse dicendi sunt, quatenus se ipsos ad vitam æternam capessendam pararunt, dum probi esse voluerunt, quod verbum τάττομαι fert. IV. Quod si omnino à Deo ordinati; sensus est quod

Act. 13. v. 48.

Deus voluerit ipsos per Euangelium probos efficere, & si fidem Euangelio adjungerit, ad Vitam Æternam adducere. *Resp.* Est quidem hoc in loco vox simplex, sed quæ significationem habet compositæ ex collatione locorum 2. *Tim.* 1. v. 9. πρὸ χρόνων αἰωνίων, & *Eph.* 1.v.4. πρὸ καταβολῆς κόσμου. *Deinde*: Autor ordinationis hujus non nominantur quidem, sed subintelligitur tum ex v.47.48. tum ex aliis locis quibus illa Deo asscribitur, *Rom.* 8.v.28.29. *Ephes.* 1.v.4. *& seqq.* 1. *Thess.* 5.v.9. tum ex rei ipsius naturâ; quia ordinatio ad vitam æternam non ab alio quam à Deo esse potest. Ruit ergo glossa hæretica, crediderunt quotquot ordinati, id est, apti erant ad vitam æternam. Unde verò *aptitudo?* Certè non ex nobis, qui ne idonei quidem sumus ad cogitandum quicquam boni, 2. *Cor.* 3. v. 5. sed à Deo ordinante. Unde item aptitudo *major* in illis qui crediderunt, quàm qui non crediderunt? Si ex probitate animi dicant, manet quæstio; Sin ex ipsismet, contradicunt Apostolo, 1. *Cor.* 4. v. 7. *Quis te discrevit? Quid habes quod non acceperis?* Sic igitur nec à ipsis ordinati esse dici possunt, ut ratio *Tertia* vult. Licet enim etiam se ipsum quis ad finem aliquem ordinare possit, tamen ad finem illum supernaturalem nullus prorsus: Nec est volentis, aut currentis, sed miserentis *Rom.*9. v. 14. *Quarta* à Scopo Euangelistæ discedit, & vera falsis permiscet. *Scopus* est caussam explicare cur alii ex iis, quibus prædicabat Paulus, crediderint, alii non crediderint. Hîc caussa reddi non potest, quod Deus voluerit ipsos probos efficere; quia ex hypothesi adversariorum idem in omnibus efficere voluit, omnibus facultatem credendi largitus; Vera ergo caussa est quam subjicit, quod alii ordinati essent ad vitam æternam alii non. Ex quo fit ut Electi assequantur *Rom.* 11. v.7. Præterea verum est quod Deus velit nos per Euangelium probos efficere, & credentes ad vitam æternam adducere; est siquidem Euangelium concio fidei & pœnitentiæ *Marc.*1.v. 15. At falsum. 1. quod ante efficere voluerit probos quàm credentes, quod ex probitate sit fides & non ex fide probitas. 11. quod fidem Euangelio adjungere solius arbitrii humani opus sit.

Eph.2.v.8.9.10. *Ephes.*2.v.8.9.10. *Fides est Dei donum*; quia facultatem credendi omnibus vocatis Deus liberaliter citra omne meritum donavit, relictâ nihilominus ipsis potestate ut credant, si velint; vel

vel non credant, si nolint. Patet *Prius*; quia non ex nobis, sive ex operibus nostris, sed ex gratiâ est; *Posterius* ex *Phil.* 1. v. 29. quia sic datum credere, ut pati pro Christo. Sed hoc datum non quod jam paterentur; (hortatur enim eos ad patiendum,) sed ut pati possint. Ergo & datum credere, quia, ut credere possint, datum. *Resp.* Libenter damus Fidem Dei donum esse, quia credendi *facultas* nobis citra meritum ex mera Dei liberalitate confertur; sed non tantùm eo modo, verùm insuper quoad ipsum credendi *actum*. Nam gratis datum est nobis non tantum posse credere, sed etiam credere, *Phil.* 1. v. 29. Deus est qui efficit, καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν *cap.* 2. v. 13. Utroque etiam modo donum Dei ab Apostolo vocatur. De *Primo* ipsi fatentur. De *Secundo* inde constat quod Fides servare dicitur v. 8. At sola credendi facultas non servat, ut quæ secundum ipsos omnium vocatorum est, etiam damnandorum. Ergo nec sola intelligitur, sed cum ea actus. *Ratio* in contrarium, ex *Philipp.* 1. non procedit. I. quia non habet exclusivam. II. quia verba textus de actu, non de facultate loquuntur, etsi eam præsupponant, ut ex antecedentibus, atque etiam, ex vers. 27. 28. evidentissimè colligere est. III. quia *actu credere*, & *actu pati* dissimilia sunt. *Illud* omnis, temporis & status; *Istud* non omnis, cum pacem sæpe aut inducias ab hostibus, Ecclesiæ suæ Deus largiatur. Interim quod tempore pacis pati pro Christo parati sunt fideles, & tempore persecutionis actu patiuntur, id non minus à Deo est, quàm quod utroque tempore actu credunt. Nec etiam sequitur: Hortatur Thessalonicenses ad patiendum. Ergo actu tum nihil patiebantur. Quasi verò supervacanea sit hortatio ad constantiam in passionibus præsentibus, & fortitudinem Spiritualem in futuris. Videantur. v. 27. 28. *proximè præcedentes*.

Rationes Samosatenianorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Pro membro *Primo*:

Quia infideles gravius Sodomitis puniendi sint

I. Qui punientur à Deo in altera vita quod non crediderunt, & quidem gravius quàm ipsi Sodomitæ; illi facultatem credendi à Deo acceperunt. Infideles ita punientur. Ergo facultatem credendi à Deo acceperunt; Quod si illi, multo magis fideles

deles, atque ita omnes vocati. *Minor* traditur *Matth.* 10. v. 15. *Marc.* 6. v. 11. *Cap.* 16. v. 16. *Major* certa eſt; quia nemo juſtè punitur quod non præſtiterit, cujus præſtandi facultatem non habuit. *Reſp.* *Major* unà cum *probatione* falſa eſt, non modò in foro Divino, ſed etiam in *humano*, ubi ad carcerem, metalla, triremes juſtè damnatur debitor, etiamſi facultatem ſolvendi non tantum non habeat, ſed nec unquam habuerit. De foro *Divino* autem docet Chriſtus, quod in eo damnandi ſint etiam illi, qui non potuerunt credere *Iohan.* 12. v. 39. Satis verò eſt ad aſſerendam juſtitiam divinam, quod impotentiam illam propriâ culpâ ſibi attraxerunt; & quod ut non potuerunt, ita nec voluerunt credere, dicente Chriſto: *Quoties volui vos congregare & noluiſtis* *Matth.* 23. v. 37.

Quia donum Dei non excludat liberam vocatorum acceptionem.

II. Donum Dei liberam vocatorum acceptionem non excludit. Credendi facultas eſt donum Dei, *Epheſ.* 2. v. 8. & quidem vocatis omnibus commune: ut quæ per externa & communia media ingeneratur. Ergo. Et per conſequens vocati acceptâ illâ facultate credunt ſi velint, non credunt ſi nolint. *Reſp.* I. negatur *Major* univerſaliter & ſenſu Samoſateniano accepta, quod omne donum Dei, etiam veræ fidei, liberæ vocatorum acceptioni eo uſque relinquatur, ut acceptio illa tantùm pendeat à voluntate, non à gratia efficaciter movente voluntatem. Repugnat illud tum Scripturæ, *Iohann.* 6. v. 44. *Epheſ.* 1. v. 18. 19. tum ipſi gratiæ efficaci, cujus abſque certo effectu nulla dici poteſt efficacia, II. *Minor* falſa eſt tripliciter. *Primò*, quod ſola credendi facultas (quam *Epheſ.* 2. nomine *Fidei* notari ajunt,) Dei donum ſit, non autem ipſe actus, contra illud *Philipp.* 1. v. 29. *Secundo*, quod facultas illa externâ tantùm prædicatione, non internâ Spiritus Sancti operatione, in credentibus producatur, contra exemplum Lydiæ *Actor* 26. v. 14. *Tertiò*, quod facultas credendi vocatis omnibus communis ſit contra illud *Ioh.* 12. v. 39. *Non poterant credere.* Media quidem externa Verbum & Sacramenta iis communia ſunt, ſed ea abſque gratiâ internâ non ſufficiunt, propter totalem hominis corruptionem & mortem Spiritualem in peccatis. *Inſtant*: Niſi illa ſufficiant Chriſtum fruſtra mortuum; ut qui ideo mortuus, ut nos ipſi conſideremus & crederemus. *Reſp.* Mortuus eſt ut daret animam ſuam λύτρον *Matth.* 20. v. 28. ἀντίλυτρον, 1. *Tim.* 2. v. 6. pro peccatis noſtris,

ut

ut redimeret sibi Ecclesiam, *Act.*20.v.28. quam ad fidem nominis sui partim externâ prędicatione, *Matth.* 28.v. 18.19. partim internâ conversione, *Ezech.*36.v.26.27. *Actor.* 16.v.14. adducit.

Pro membro *Secundo* & *Tertio*:

Scriptura caussam fidei in animi volentis probitate, caussam incredulitatis in animi nolentis malitiâ proponit. Ergo ex his caussis fides & incredulitas proficiscuntur. *Consequentia* firma est. *Antecedens* probatur apertis testimoniis *Ioh.*8. v. 47. *Cap.* 7. v.16. *Cap.*3.v.19.21. *Resp.* *Antecedens* de Fide simpliciter negatur, de Incredulitate distinguitur. Ponit quidem caussam incredulitatis in animi nolentis malitia, ut *Matth.* 23. v. 47. *Rom.* 10. v.21. sed non tantum, quemadmodum Samosateniani faciunt, verùm ita ut alias insuper caussas in liberâ Dei Reprobatione & Justa Excœcatione, tanquam superiores commemoret *Matth.* 11. v.25.26. *Rom.* 11.v.7.8. *Ioh.* 12.v.39.40. Nunc loca Scripturæ inspiciamus. *Iohann.* 8.v.47. *Ex Deo esse*, non est probitate animi præditum esse, eâque impulsum Christum audire, in ipsum credere, sed natum esse ex Deo, *Ioh.* 1.v. 13. 1. *Ioh.* 3. v. 9. ac Spiritu ejus agi *Roman.*8. vers. 14. Non ex Deo esse, contrarium. *Caussa* ergo cur alii credant, alii non credant redditur, non quod alii probitate, alii malitiâ animi præditi, sed quod illi ex Deo, isti non ex Deo nati sint. Sic *Ioh.* 7. v. 16. 17. non docet Christus Fidem nasci ex probitate animi; (quomodo enim ex effectu caussa, ex fructibus arbor nasceretur? *Matth.*7.v. 17.) sed si quis facere velit Dei voluntatem, cogniturum de doctrinâ, utrum ex Deo sit. Quæ tamen voluntas non ex viribus nostris, sed ex gratia Dei procedit *Philipp.* 2.v. 13. Denique *Ioh.* 3.v. 19.21. si maximè amor tenebrarum caussa statuatur incredulitatis, non tamen statuitur solitaria vel etiam suprema caussa. At probitas animi nullo verbo statuitur caussa fidei, sed tantum dicitur, eum qui veritatem facit, ad lucem pervenire.

Quia Scriptura caussam fidei in animi volentis probitate, nolentis malitiâ proponat.

Pon-

Secunda: Pontificiorum. An in primâ Conversione voluntas hominis gratia Dei cooperetur.

Pontificiorum:

AN *in Vocatione Internâ, cum primum homo convertitur, voluntas ejus gratia Dei cooperetur?* Pontificii affirmant, *Bellarminus. Tom.* IV. *Controv. gener.* III. *de Gratiâ & Libero arbitrio Lib.*6. *cap.*9 *& seqq.*

Nos negamus.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia homo peccator mente cœcus est, &c.

I. Qui mente cœcus, voluntate pravus, affectibus rebellis, adeoque ad cognoscendum verum & faciendum bonum impotens, & in peccatis mortuus est; ejus voluntas in prima conversione gratiæ Dei non cooperatur: *Ratio*; quia cooperatio cooperandi principia præsupponit, ut actus secundus actum primum: qualia in hujusmodi subjecto nulla esse possunt. Atqui homo peccator, quum primum convertitur, talis est naturâ suâ, hoc est, mente cœcus, *Ephes.* 5. v. 8. voluntate pravus, *Genes.* 6. v. 5. *Cap.* 8. v. 21. affectibus rebellis, *Tit.* 3. v. 3. impotens ad cognoscendum verum, 1. *Cor.* 2. v. 14. 2. *Cor.* 3. v. 5. ad faciendum bonum, *Ierem.* 13. v. 23. *Matth.* 7. v. 18. in peccatis mortuus *Ephes.* 2. v. 1. *Coloß.* 2. v. 13. Ergo.

Quia in primâ conversione vivificatur.

II. Qui in primâ conversione vivificatur, resuscitatur, regeneratur, de novo creatur, trahitur; ejus voluntas non cooperatur: *Ratio*; quia illis Dei actionibus induuntur demum vires ad bonum, à quibus postmodum operationes fluunt, sicut dicitur *Ezech.* 36. v. 26. 27. Homo peccator in primâ conversione vivificatur & resuscitatur, *Ephes.* 2. v. 15. *Col.* 2. v. 13. *Iohan.* 5. v. 25. regeneratur, *Iohann.* 3. vers. 3. 5. 7. de novo creatur, *Psalm.* 51. v. 12. *Ephes.* 2. v. 10. 2. *Cor.* 5. v. 17. trahitur, *Ioh.* 6. v. 44. Ergo.

Ex

Ex naturâ *Prædicati :*

I. Qui cooperatur in primâ conversione ; coinchoat eam & vult. Voluntas hominis peccatoris non coinchoat eam, nec vult: *Ratio* ; quia Deus est qui inchoat bonum opus, *Phil.* 1. v. 6. & ipsum primum velle in peccatore operatur *cap.* 2. v. 13. Ergo.

Quia voluntas hominis conversionem primam non coinchoat.

II. Qui cooperatur in primâ conversione ; ab ejus cooperatione ipsâ, aliquatenus saltem, dependet. Atqui conversio nullatenus dependet ab hominis peccatoris cooperatione : *Ratio* ; quia Deus *fecit nos (non autem nos ipsi) populum suum & gregem pastus sui Psal.* 100. vers. 3. Idonei sumus non ex nobis, sed ex Deo 2. *Cor.* 3. v. 5. Fides etiam non ex nobis, sed Dei est donum *Ephes.* 2. v. 8. 9. Ergo.

Quia conversio nullatenus pendet à peccatoris cooperatione.

III. Qui in primâ conversione cooperatur, gratiæ prævenienti cooperatur : *Ratio* ; quia ab eâ prima conversio dependet. Homo peccator non cooperatur gratiæ prævenienti, ut quæ omnes ejus actus antecedit secundum illud *Esa.* 65. v. 1. *Rom.* 10. 20. *Inventus sum ab iis, qui me non quærebant ; manifestus factus sum iis, qui de me non interrogabant.* Ergo.

Quia homo non cooperatur gratiæ prævenienti.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex naturâ *Subjecti :*

I. Quod præcipitur & suadetur homini; id in ejus potestate est, in eo ipse Deo cooperatur ; secus stultè præciperetur, suaderetur. Opera pietatis & ipsa conversio præcipiuntur, suadentur homini *Zach.* 1. v. 3. *Ioel.* 2. v. 13. *Ezech.* 18. v. 31. *Coloss.* 3. 9. *Phil.* 2. 13. Ergo. *Resp.* I. *Conclusio* non tam Semipelagiana, quàm Pelagiana est. II. *Major* inconsequens, ex præcepto facultatem, ex officio vires colligens: Fallaciam quoque non causæ habet, quasi ideo præcipiatur quod possit homo Deo cooperari, cum id fiat partim ut officium suum, partim ut impotentiam agnoscat, atque etiam ut per præcepta Deus id quod præcipit in suis operetur *Rom.* 1. v. 16. 1. *Cor.* 4. v. 15. *Ratio Majoris* procederet siquidem homini liberum arbitrium absolute, hoc est, ipsa intelligendi ac volendi facultas negaretur, quod nostrorum nullus facit. III. *Testimonia* quæ in Minore

Quia conversio suadeatur homini.

Secunda: Pontificiorum.

Pontificiorum:

An in primâ Conversione voluntas hominis gratia Dei cooperetur.

AN *in Vocatione Internâ, cum primum homo convertitur, voluntas ejus gratia Dei cooperetur?* Pontificii affirmant, *Bellarminus. Tom.* IV. *Controv. gener.* III. *de Gratiâ & Libero arbitrio Lib.*6. *cap.*9 *& seqq.*

Nos negamus.

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Ex natura *Subjecti:*

Quia homo peccator mente cœcus est, &c.

I. Qui mente cœcus, voluntate pravus, affectibus rebellis, adeoque ad cognoscendum verum & faciendum bonum impotens, & in peccatis mortuus est; ejus voluntas in prima conversione gratiæ Dei non cooperatur: *Ratio*; quia cooperatio cooperandi principia præsupponit, ut actus secundus actum primum: qualia in hujusmodi subjecto nulla esse possunt. Atqui homo peccator, quum primum convertitur, talis est naturâ suâ, hoc est, mente cœcus, *Ephes.* 5. v. 8. voluntate pravus, *Genes.* 6.v.5. *Cap.*8. v. 21. affectibus rebellis, *Tit.* 3. v.3. impotens ad cognoscendum verum, 1.*Cor.*2.v.14.2. *Cor.* 3.v.5. ad faciendum bonum, *Ierem.*13.v.23.*Matth.*7.v.18. in peccatis mortuus *Ephes.* 2.v.1.*Coloß.*2.v.13. Ergo.

Quia in primâ conversione vivificatur.

II. Qui in primâ conversione vivificatur, resuscitatur, regeneratur, de novo creatur, trahitur; ejus voluntas non cooperatur: *Ratio*; quia illis Dei actionibus induntur demum vires ad bonum, à quibus postmodum operationes fluunt, sicut dicitur *Ezech.*36.v. 26.27. Homo peccator in primâ conversione vivificatur & resuscitatur, *Ephes.* 2.v. 15. *Col.* 2.v. 13. *Iohan.* 5.v. 25. regeneratur, *Iohann.* 3. vers. 3. 5. 7. de novo creatur, *Psalm.*51.v.12. *Ephes.*2.v.10.2. *Cor.* 5.v. 17. trahitur, *Ioh.* 6.v. 44. Ergo.

Ex

Ex naturâ *Prædicati:*

I. Qui cooperatur in primâ conversione; coinchoat eam & vult. Voluntas hominis peccatoris non coinchoat eam, nec vult: *Ratio*; quia Deus est qui inchoat bonum opus, *Phil.* I. v. 6. & ipsum primum velle in peccatore operatur *cap.* 2. v. 13. Ergo.

Quia voluntas hominis conversionem primam non coinchoat.

II. Qui cooperatur in primâ conversione; ab ejus cooperatione ipsâ, aliquatenus saltem, dependet. Atqui conversio nullatenus dependet ab hominis peccatoris cooperatione: *Ratio*; quia Deus *fecit nos (non autem nos ipsi) populum suum & gregem pastus sui Psal.* 100. vers. 3. Idonei sumus non ex nobis, sed ex Deo 2. *Cor.* 3. v. 5. Fides etiam non ex nobis, sed Dei est donum *Ephes.* 2. v. 8. 9. Ergo.

Quia conversio nullatenus pendet à peccatoris cooperatione.

III. Qui in primâ conversione cooperatur, gratiæ prævenienti cooperatur: *Ratio*; quia ab eâ prima conversio dependet. Homo peccator non cooperatur gratiæ prævenienti, ut quæ omnes ejus actus antecedit secundum illud *Esa.* 65. v. I. *Rom.* 10. 20. *Inventus sum ab iis, qui me non quærebant; manifestus factus sum iis, qui de me non interrogabant.* Ergo.

Quia homo non cooperatur gratiæ prævenienti.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex naturâ *Subjecti:*

I. Quod præcipitur & suadetur homini; id in ejus potestate est, in eo ipse Deo cooperatur; secus stultè præciperetur, suaderetur. Opera pietatis & ipsa conversio præcipiuntur, suadentur homini *Zach.* I. v. 3. *Ioel.* 2. v. 13. *Ezech.* 18. v. 31. *Coloss.* 3. 9. *Phil.* 2. 13. Ergo. *Resp.* I. *Conclusio* non tam Semipelagiana, quàm Pelagiana est. II. *Major* inconsequens, ex præcepto facultatem, ex officio vires colligens: Fallaciam quoque non causæ habet, quasi ideo præcipiatur quod possit homo Deo cooperari, cum id fiat partim ut officium suum, partim ut impotentiam agnoscat, atque etiam ut per præcepta Deus id quod præcipit in suis operetur *Rom.* I. v. 16. I. *Cor.* 4. v. 15. *Ratio Majoris* procederet siquidem homini liberum arbitrium absolute, hoc est, ipsa intelligendi ac volendi facultas negaretur, quod nostrorum nullus facit. III. *Testimonia* quæ in Mi-

Quia conversio suadeatur homini.

nore allegantur, impertinentia sunt, ut quæ non tam de primâ conversione non renatorum, quàm de conversione secundâ renatorum in peccata prolapsorum, nec non de progressu in conversione faciendo loquuntur.

Quia vocatus possit resistere.

II. Qui vocatus à Deo potest non venire, resistere; is habet Liberum arbitrium. Homo vocatus à Deo potest non venire, resistere *Matt.* 23.v.37. *Ioh.*6.v.67. *Act.*7.v.51. *Apoc.*3.v.20. Ergo. *Resp.* 1. Non concluditur quæstio. Nec enim quæritur de Libero Arbitrio absolutè à necessitate physicâ & coactionis, neque de Libero Arbitrio ad malum, sed de Libero Arbitrio ad bonum spirituale, & quidem in primâ conversione. II. *Major* ambigua est. Falsa, si vocatus per Euangelium Liberum Arbitrium non minus ad veniendum, ad non resistendum; quàm ad non veniendum, ad resistendum ex suis viribus habere intelligatur. De Arbitrio ad malum libero nimis vera est.

Quia tolleretur studium augendæ fidei & pietatis.

III. Si homo Liberi Arbitrii non esset in operibus pietatis in primâ conversione; tolleretur diligentia omnis atque industria in fide & pietate augendâ & excolendâ; nullum locum haberent præcepta, hortamenta, promissiones; non laudandi essent qui volunt resipiscere, credere; nec peccarent qui nolunt. Consequens absurdum, impium. Ergo & Antecedens. *Resp.* Valeret *Consequentia Propositionis*, si arbitrium hominis nullo modo liberum esset nec à coactione, nec à necessitate physicâ, neque ad malum: At cum triplici hoc modo liberum agnoscamus, nullius roboris est, id que non unâ de causâ. I. quia diligentia in augendâ fide, in colendâ pietate, non ex arbitrio hominis non renati, sed ex gratiâ regenerationis proficiscitur. Et qui non habet fidem, quomodo augeat eam & excolat? qui habet, quo titulo inter non renatos censeatur? II. quia præcepta, hortamenta etiam impotentes nos debiti officii admonent; & in Electis quidem ad conversionem, in Reprobis autem ad ἀναπολογίαν efficacia sunt. III. quia laudandi sunt qui volunt resipiscere, credere diligere, etiamsi voluntatem illam non ex arbitrio suo, sed ex Deo habeant, à quo velle & efficere *Phil.*2.v.13. Ita nos decet Apostolus *Rom.*2.v.10. & alibi Scriptura. IV. quia hominis non renati arbitrium ad malum quidem, at non etiam ad bonum, liberum est.

Pontificii consequentiam propositionis probant à contrario: Homines non peccant, quia non prophetant, linguis loquuntur, aut mira-

miracula faciunt; nec præmia merentur, quia prophetant, linguis loquuntur, aut miracula faciunt; nec præceptis, hortationibus ad id excitantur, nec industriam suam in eo quis ponit, ut in his excellat; quoniam non sunt hæc in potestate Liberi Arbitrii, quamvis ab hominibus, ut instrumentis Dei, per rationem & voluntatem, per linguam & manus exerceantur. Ergo opera pietatis, quia non faciendo ea peccamus, faciendo præmia meremur; quia ad ea præceptis, hortationibus excitamur, & in iis industriam ponimus; sunt in Arbitrii nostri potestate. *Resp.* I. Enthymema hoc aut quæstionem non attingit, aut non tam pro cooperatione liberi arbitrii, quàm pro omnimodâ ejus operatione facit. Nam contrariorum contraria ratio est. Si ergo verè contraria; ut χαρίσματα illa miraculosa simpliciter non sunt in potestate nostra, ita opera pietatis simpliciter sunt. Quod Pelagianum. II. *Consequentia* negatur, partim ob Elenchum contrariorum, non enim contraria sed diversa sunt opera miraculosa & opera pietatis; partim ob diversorum dissimilitudinem. Charismatum illorum facultatem nunquam habuimus, nec impotentiam ad illa nobis contraximus; ideoque nec Deus ea nobis imperat, nec nos illorum carentia aut omissione peccamus. At facultatem præstandi opera pietatis habuimus, & quâ nunc laboramus impotentiâ, *culpa* nostrâ laboramus. III. *Antecedens* geminam fallaciam habet à dicto secundum quid, & non causæ. *Illam* quia falsum non peccare qui non prophetant, aut linguis loquuntur, siquidem his donis præditi sint, prout fuere multi in Ecclesiâ Apostolicâ; falsum item non exstare ea de re præcepta & exhortationes. Vide *Rom.* 12. 1. *Cor.* 12. Quod verò præmia non mereantur sensu Pontificio libenter admittimus, sed in ipsosmet vertimus. Si enim excellentia illa & utilia opera nihil merentur, equidem nec alia quicquam merentur. *Istam*: quia quod præcepta, exhortationes ad nos de his non reperiuntur, & quod non faciendo ea nihil peccamus, causa non est quod non sunt in potestate arbitrii nostri, (etsi id verum,) sed quia Deus nullâ lege ea à nobis requirit. Vbi autem non est Lex, ibi nec Legis transgressio.

Ex natura *Prædicati*:

I. Qui sunt operarii, cooperarii, coadjutores Dei, ædificatores, &c. ii aliquid agunt, nec sunt mera instrumenta naturalia. Quia homines sint cooperarii Dei.

Homines sunt operarii, cooperarii &c. *Matt.* 20. 1. *& seq.* 1. *Cor.* 3. 5. 9. 10. *Marc.* 16. v. 20. *Rom.* 8. 28. Ergo. *Resp.* I. Argumentum peccat ignoratione Elenchi. Non negamus homines aliquid agere in operibus pietatis, nam conversi agunt; sed negamus in primâ conversione aliquid agere. Nec affirmamus esse ipsos mera Dei instrumenta naturalis, ligones, rastra, secures; nunquam enim sunt talia: in primâ etiam conversione ne instrumenta quidem sunt, quæ ad Efficientem pertinent; verum affirmamus esse subjecta in quibus vivificandis, resuscitandis regenerandis renovandis Deus operatur. II. *Minor* falsa est, si de operatione, cooperatione hominis in primâ conversione accipiatur. Allegata quidem Scripturæ de eâ non loquuntur. *Matt.* 20. parabola operariorum in vinea vocationem ipsorum præsupponit. Vocatio autem illa vel *efficax* est Electorum. 16. quæ ipsa conversio: vel *inefficax* multorum, qui veræ pietatis opera nulla edunt, eoque nec operantur, nec cooperantur. 1. *Cor.* 3. sermo est non de operibus pietatis per se, sed de laboribus ministerii, quibus cooperantur Deo præcones Euangelii. *Marc.* 16. 20. dicitur Dominus *cooperatus* fuisse ministerio Apostolorum addendo ei efficaciam ad conversionem gentium. *Rom.* 8. agitur non de cooperatione hominum cum Deo, sed de statu fidelium, qui talis, ut omnia ipsis cooperentur, cedant in salutis æternæ bonum.

Quia homines in operibus pietatis juventur.

II. Qui juvatur, laborat agendo & aliquid agit. Atqui nos in Scriptura in operibus pietatis juvari dicimur *Psal.* 27. v. 9. *Psal.* 60. v. 3. *Rom.* 8. v. 26. 1. *Cor.* 15. v. 10. Ergo. *Resp.* Datur argumentum de *conversis*. Hi in operibus pietatis aliquid agunt, & ceu bonæ arbores bonos fructus ferunt. De *convertendis Minor* falsa est. Loca *Psalmorum* explicanda sunt non de gratiâ præveniente primæ conversionis, sed de auxilio contra hostes & liberatione ex angustiis. *Rom.* 8. συναντιλαμβάνεσθαι non est adjuvare convertendos, sed sublevare infirmitates fidelium, orare sicut oportet nescientium 1. *Cor.* 15. autem Apostolus loquitur de ministerio suo, non de conversione, & effecta illius non ad vires suas, sed ad gratiam Dei refert. Quemadmodum vero gratia illa ipsum hostem & persecutorem Euangelii primo fecit idoneum 2. *Cor.* 3. v. 5. post corroboravit, 1. *Tim.* 1. v. 12. & per ipsum operata fuit, 1. *Cor.* 15. vers. 10. ipso cooperante; ita nos conversi, confirmati, acti à gratiâ agimus & cooperamur.

Con-

Controversiæ de FIDE IVSTIFICANTE.

De FIDE.

Samosatenianorum.

Prima: Samosatenianorum. An Fides Iustificans sit Obedientia mandatorum Dei.

PRIMA: An fides justificans sit obedientia mandatorum Dei: sic ut bona opera non fructus sint fidei, sed forma ejus? Samosateniani affirmant, *Ostorodius Instit. relig. Christianæ cap.* 2. Nos negamus.

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

Quia fides & Obedientia definitionibus differunt.

I. Quæ definitionibus differunt, idem non sunt. Fides & obedientia mandatorum definitionibus differunt. Ergo. *Minor* probatur. 1. *Fides est ὑπόστασις eorum quæ sperantur, & demonstratio rerum, quæ non videntur Heb.* 11. v. 1. Obedientia mandatorum, prout ab adversariis accipitur, est impletio Legis *Rom.* 13. v. 10. Atqui hæ sunt differentes definitiones. Ergo. 11. Quæ genere & forma differunt, definitionibus differunt. Fides & obedientia mandatorum sic differunt. *Genere*; quia Fides est habitus divinitus infusus: obedientia mandatorum, sive opera, Actiones. *Formâ*; quia illius forma est πληροφορία, πεποίθησις: hujus ἐννομία sive convenientia cum Lege. Ergo.

Quia fides causa obedientiæ.

II. Causa non est ipsum effectum, nec effectum ipsa causa. Fides est causa obedientiæ, bonorum operum, & illa hujus effecta 1. *Tim.* 1. v. 5. *Finis mandati est charitas ex mundo corde*, (quod ex fide *Act.* 15. v. 9.) *ex conscientiâ bonâ* (quæ itidem ex fide *Rom.* 5. v. 1.) *& fide minimè simulatâ*. Charitas autem est impletio Legis *Rom.* 13. v. 10. Ergo.

Quia fidei & obedientiæ non eadem sunt effecta.

III. Quorum non sunt eadem effecta, illorum unum non est forma alterius. Fidei & obedientiæ mandatorum non sunt eadem effecta. Ergo. *Minor* probatur: Justificatio, *Rom.* 3. 4. *capp. Gal.* 2. 3. *capp.* υἱοθεσία, *Ioh.* 1. v. 12. Vnio cum Christo, *Eph.* 3. v. 17. *Gal.* 2. v. 20. effecta fidei sunt, non obedientiæ aut operum. Ergo.

Quia eadem objectis distinguuntur.

IV. Quæ objectis distinguuntur, unum non sunt. Fides & obedientia mandatorum objectis distinguuntur: Nam Fidei objectum est Euangelium *Marc.* 1. 15. *Credite Euangelio.* Sic *Ioh.* 3. 16.

Cap. 6. v. 68. *Cap.* 17. verſ. 3. Obedientiæ & operum objectum Lex: *Matt.* 22. v. 37. 38. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum ſicut te ipſum. Ab his duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent. Rom.* 13. v. 8. 9. 10. *Qui diligit alterum, Legem implevit, &c. Charitas eſt impletio Legis.* Ergo.

Quia fides hujus tantum vitæ eſt, obedientia etiam futuræ.

V. Quorum unum cum hâc vitâ tranſit, alterum in futurâ permanet; eorum unum non eſt forma alterius. Fides tranſit cum hâc vitâ; Obedientia, Charitas in futura permanet, quemadmodum teſtatur Apoſtolus 1. *Cor.* 13. v. 12. 13. Ergo.

Quia ſunt diverſæ virtutes.

VI. Diverſarum virtutum diverſæ formæ ſunt, non una forma alterius. Fides & Charitas, quæ eſt obedientia mandatorum impletio Legis, ſunt diverſæ virtutes. 1. *Cor.* 13. v. 13. *Nunc verò manet Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maxima autem harum charitas.* 1. *Theſſ.* 1. v. 3. *Indeſinenter memoriâ repetentes efficacem veſtram fidem, laborioſam charitatem, & tolerantem ſpem.* Ergo.

Quia ſunt oppoſita.

VII. Oppoſita non ſunt unum. Fides juſtificans quâ juſtificans, & obedientia mandatorum, ſive opera, ſunt oppoſita *Rom.* 3. v. 28. *Colligimus fide juſtificari hominem abſque operibus Legis. Gal.* 2. v. 16. *Scientes non juſtificari hominem ex operibus Legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti.* Ergo.

Contra poſtremum hoc *excipiunt Samoſateniani*: In juſtificatione opponi fidem & opera, non quævis, ſed perfecta, Legi per omnia conſentanea; unde & opera Legis, à Moſe imperata vocentur. Fidem autem non eſſe opus perfectum, ſed à Deo haberi pro tali; nec Legis, ſed Euangelii, à Chriſto imperatum. *Reſp.* Vtrobique petunt principium. *Primo* enim fides operibus abſolutè & ſimpliciter opponitur, *Rom.* 3. v. 20. *& ſeq.* item. v. 27. 28. *Cap.* 4. v. 4. 5. 6. ſicut & gratia *cap.* 11. 6. *Tit.* 3. 5. 2. *Tim.* 1. 9. Nec κρινόμενον fuit an opera perfecta juſtificarent, id enim expeditum ex *Lev.* 18. v. 5. ſed an opera, quæ ſecundum Legem præſtabant Judæi, juſtificarent. Quæ opera rectè Legis dicuntur, à Moſe imperata; quia facta ſecundum Legem, licet ei ad amuſſim non reſpondeant. *Deinde* fides juſtificat, nec quâ opus perfectum, nec quâ imperfectum, ut quæ operibus in juſtificatione perpetuo opponitur: Neque etiam habetur à Deo pro perfecto opere; quia judicium ejus eſt ſecundum veritatem *Rom.* 2. 2. Et quatenus accipitur ut confidentia in Deo abſolutè, prout accipiunt adverſarii, non minùs opus Legis eſt, primo Decalogi præcepto imperatum, quàm alia opera.

Ratio-

Rationes Samosatenianorum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti* & *Prædicati* :

I. Quale est credere in Christum, talis est fides justificans. Atqui credere in Christum est ei obedire. Ergo. *Minorem* probant. I. Credere est facere quæ quis præcipit, suadet; non credere contra. Hoc autem est obedire. Ergo. II. Publicani & meretrices crediderunt Iohanni, Pharisæi autem non crediderunt ; quia illi resipuerunt, isti non resipuerunt *Matt.* 21. v. 32. Hoc autem est obedire vel non obedire. Ergo. *Resp.* Nec *Major*, nec *Minor* prosyllogismi simpliciter vera est. Non *illa*; quia credere in Christum etiam de iis dicitur, qui non credunt fide justificante *Ioh.* 2. v. 23. *Cap.* 12. v. 42. Non *Ista*; quia omne *credere* quidem est obedire, scilicet mandato credenti; at non vicissim omne obedire est credere. Nam *obedire* præstatur, vel fidem verbo, promissioni habendo, vel opera præcepta faciendo, interdicta omittendo. Differunt ergo ut genus & species : Epilogismus *primus Majore* universaliter intellecta, falsus est. Simon Magus credidit, *Act.* 8. 13. & dæmones credunt, *Iac.* 2. 19. neque tamen aut iste, aut hi, quod præcepit Deus fecerunt. Qui verè credunt, faciunt quod Deus præcepit ; sed actu fidei mandatum credendi, actu sanctæ vitæ mandatum operandi, quemadmodum voluntas Dei de utroque est *Ioh.* 6. 40. 1. *Thess.* 4. v. 3. Inde autem tantum sequiter, credere esse operari effectivè, non formaliter. *Secundus* in probatione *Majoris* deficit. Resipiscendo ostenderunt credidisse se Iohanni, id est, doctrinæ ejus, non autem formaliter crediderunt. Deinde doctrina ejus fuit de resipiscentia & fide *Marc.* 1. Vt igitur distinctum mandatum, sic distincta utriusque obedientia, & contra.

Quia credere in Christum sit ei obedire

II. Quæ fides nos justos reddit, ea justificans est. Fides quæ est obedientia mandatorum nos justos reddit : *Ratio* ; quia placuit Deo pro perfectè justis habere, qui ipsi confidunt, id est, ex animo obediunt & spem in ipso suam collocant. Ergo. *Resp.* datur *Major* sensu Scripturæ, non Samosateniano. At *Minor* falsa est. Sic enim ex Lege & operibus Legis esset justitia : sic etiam judicium Dei, quo justos nos pronunciat, non esset secundum veritatem. Imo placuit Deo justos nos constituere Vnius obedientiâ,

Quia fides, quæ obedientia est, nos justos reddat.

entiâ, quem proposuit placamentum per fidem in sanguine ipsius; placuit justificare eum qui est ex fide Jesu absque operibus, ut *Rom.* 3. & 5. docetur.

Quia fides & obedientia mandatorum inter se permutentur

III. Quæ Scriptura inter se commutat, & pro æquipollentibus usurpat; unum sunt. Fidem & obedientiam mandatorum inter se commutat &c. Ergo. *Resp.* ad *Minorem.* Commutatio illa terminorum non propriè, sed tropicè fit; *vel* per Synecdochen generis pro speciè, & vicissim; *vel* per metonymiam effecti pro causâ, & vicissim.

Quia per fidem, quæ obedientia, placeamus Deo.

IV. Per quam fidem placemus Deo; ea est fides justificans. Atqui per illam fidem, quæ est confidentia in ipso, & obedientia mandatis ejus præstita, placemus Deo. Ergo. *Minorem* probant. Quâ fide credimus non tantùm esse Deum, sed & remuneratorum exsistere iis, qui ipsum quærunt: per eam placemus Deo *Heb.* 11.v.6. Atqui eâ fide, quæ est confidentia in ipso, & obedientia mandatis ejus præstita, credimus non tantùm esse Deum, sed & remuneratorem ex sistere iis, qui ipsum quærunt: *Ratio*; quia *quærere Deum* nihil aliud est, quàm ipsum timere & ei obedire. Ergo. *Resp. Minor Epilogismi* pura puta principii petitio est. Confidentia illa & obedientia, quam intelligunt adversarii, non est ipsa fides, sed consequens, effectum ejus. Sic in *probatione Minoris* quærere Deum non tantùm est timere obedire, sed inprimis & ante omnia in ipsum credere, & per fidem accessum ad ipsum quærere.

Quia fides Abrahami fuerit obedientia.

V. Fides quâ Justificatus est Abrahamus fuit fides justificans. At fides illa fuit obedientia mandatorum Dei, non fides promissionis. Ergo. *Minorem* probant. I. quia promissio facta ipsi sub tacitâ conditione obedientiæ *Genes.* 17. v. 1. expressa. II. quia revera facta propterea, quod filium suum unigenitum offerre voluit *Genes.* 22. vers. 16. III. quia Jacobo teste *cap.* 2. tum demum verè justificatus est, quum Isaacum filium suum in arâ obtulit, & fides ipsius ex operibus consummata fuit. *Resp. Minor* falsa est. Nam promissionis fidem fuisse apertè docetur *Genes.* 15.v.5.6. *Roman.* 4.v.11.13.16.18.20. *Ambulatio coram Deo*, de qua *Genes.* 17. v.1. non est conditio justificationis fidei, sed effectum ejus. Neque etiam *oblatio filii* Isaaci, *Genes.* 22. caussa ejus dici potest. Nam qui ad minimum jam triginta annis ante fide justificatus fuit, *Genes.* 15.v. 5.6. quomodo tum operis

ris illius obedientia justificatus? Particula igitur *Quoniam*, sive *Quandoquidem*, consequentiæ non consequentis est nota. *Iac.* 2. *Iustificari* est ex operibus justum declarari & agnosci: per quæ opera consummatur fides, non ut formarum per suam formam, sed ut forma per suas operationes, actus primus per actum secundum. Quâ de re infra pluribus.

SECVNDA: *An forma fidei justificantis rectè statuatur fiducialis Christi ac Satisfactionis ejus apprehensio*? Samosateniani negant, *Ostorodius Instit. Relig. Christianæ cap.* 2. Nos affirmamus.

Secunda: Samosatenianorum *An forma fidei justificantis sit fiducialis Christi apprehensio?*

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Rationes Nostræ.

Ex natura *Subjecti* & *Prædicati*:

I. Per quod constituitur fides justificans, & ab aliis fidei speciebus distinguitur; id ejus forma est. Per fiducialem Christi ac Satisfactionis ejus apprehensionem constituitur: *Iohann.* 1. v. 12. *Quotquot eum receperunt, dedit eis hoc jus, ut Filii Dei sint facti, nempe iis qui credunt in nomen ejus. Actor.* 26. v. 18. *ut remissionem peccatorum accipiant per fidem quæ est in me*, scil. Christum. *Rom.* 3. v. 25. *Quem proposuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius. Cap.* 4. v. 24. 25. *Credunt in eum qui suscitavit Iesum Dominum nostrum à mortuis, traditum in mortem propter lapsus nostros, & resuscitatum ad nostri justificationem. Cap.* 5. v. 11. *Per ipsum, Christum, reconciliationem accepimus.* v. 17. *Donum justitiæ accipiunt* &c. Deinde etiam ab aliis fidei speciebus distinguitur. Ab Historicâ; quam solam qui habent contremiscunt *Iac.* 2. v. 19. A Temporaria; quæ radicem non habet in promissione gratiæ, *Matth.* 13. v. 21. Nec soliditatem *Coloss.* 2. v. 5. A Miraculorum, quæ aliud genus promissionis intuetur *Marc.* 16. v. 17. 18. Ergo.

Quia per hanc fiduciam constituitur fides.

II. Forma Fidei est ejus ad objectum suum relatio, & circa illud actus. At objectum fidei est Christus, *Esa.* 53. v. 11. à Patre in mundum missus, *Ioh.* 17. v. 3. in mortem datus. *cap.* 3. v. 16. traditus propter lapsus nostros *Rom.* 4. v. 25. Actus circa illud est ejus salutaris cognitio, *Esa.* 53. v. 11. *Ioh.* 17. v. 3. & fiducialis apprehensio *Ioh.* 1. v. 12. *Rom.* 5. v. 11. 17. Ergo.

Quia fidei relatio ad Christum, & actus circa Christum occupatur.

Quia idem objectum est Euangelii & fidei Justificantis.

III. Idem est Euangelii fidei Justificantis objectum; *Ratio*; quia credere jubemur Euangelio, *Marc.* 1. v. 15. & Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti *Rom.* 1. v. 16. Atqui objectum Euangelii est Christus, ejusque pro peccatis Satisfactio &c. 1. *Cor.* 1. v. 23. *Prædicamus Christum crucifixum. Ioh.* 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum Vnigenitum dant. Rom.* 10. v. 8. 9. *Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus.* Videantur loca similia. Ergo.

Negantes Heterodoxa.

Rationes Samosatenianorum.

Ex naturâ *Subjecti* & *Prædicati*:

Quia definitio fidei per fiduciam asserat pugnantia.

I. Quæ definitio pugnantia asserit, vera non est. Hæc definitio: *Quod fides sit fiducialis Christi ac Satisfactionis ejus apprehensio*, pugnantia asserit. Ergo. *Minorem* probant; I. quia asserit Deum nobis remissurum & deleturum esse peccata, si videlicet credamus illa per mortem Christi deleta esse. II. quia asserit fidem esse rei præteritæ, & tamen promissione, quæ futuri est, niti. *Resp.* negando *Minorem*. Nulla enim in utraque assertione pugnantia est, Non in *Primâ*; quia *deleta* dicuntur peccata nostra, quoad decretum Dei & mortem Christi ex decreto illo jam obitam; *deleri* vero quoad efficacem applicationem, tum ex parte Christi donantis remissionem peccatorum, *Actor.* 5. v. 31. tum ex parte credentium fide eam accipientium *cap.* 26. vers. 18. Ita absque omni pugnantia gentes nondum conversæ vocantur oves Christi, *Ioh.* 10. v. 16. & Filii Dei, *cap.* 11. v. 51. etsi postea demum factæ sint tales. Nimirum, erant jam quoad Prædestinationem, factæ sunt quoad vocationem. Non etiam in *Secunda*; quia fides præsentia, præterita, & futura simul respicit. Quod in ordine articulorum Symboli Apostolici clarè nobis proponitur, & ipsa fidei definitione, quæ est, *Heb.* 11. v. 1. confirmatur. Nam τὰ ἐλπιζόμενα futurorum sunt, οὐ βλεπόμενα præteritorum & præsentium. Fides vero, quia illorum ὑπόστασις, horum ἔλεγχος est, omnia credenti præsentia statuit per notitiam atque assensum in mente, & per fiduciam in corde. Promissio quidem futuri est, quum primum fit, sed ipsâ impletione præsens redditur.

II. De

Quia istiusmodi fidem nec prædicarit Christus, nec sciverint fideles V. & N. Test.

II De qua fide nec Christus prædicavit populo, nec fideles Veteris & Novi Testamenti quicquam sciverunt; illa non est vera fides. De fide Justificante, quæ sit apprehensio Satisfactionis Christi, nec Christus prædicavit populo; quia semel tantum seorsim dixit discipulis, se sanguinem suum effundere in remissionem peccatorum, *Matth.* 26. vers. 28. se animam dare λύτρον pro multis, *cap.* 20. v. 28. populo vero nihil dixit prҿterquam se bonum pastorem esse, qui animam poneret pro ovibus *Johann.* 10. v. 11. 15. Quæ verba modum per Satisfactionem non magis definiunt, quam illa Petri, *Joh.* 13. v. 37. aut Christi, *cap.* 15. v. 13. *Præterea* de hâc ipsâ fide nihil sciverunt fideles, *vel* Veteris Testamenti, ut ex *Hebr.* 11. *cap.* & exemplo Rachabæ v. 31. constat; *vel* Novi Testamenti, ut de Apostolis Christi Lucas testatur *cap.* 18. v. 32. 33. 34. *Resp. Minor* falsa est. *Primo* enim prædicavit Christus se esse Messiam Servatorem mundi, *Joh.* 4. v. 26. merito mortis, *Matth.* 20. v. 28. *Cap.* 26. v. 28. & efficaciâ Spiritus, *Johann.* 4. v. 14. *Cap.* 7. v. 37. & quidem Servatorem iis, qui credunt in nomen suum, prout *Johan.* 3. 4. 5. 6. *capp.* videre est. Quæ omnia non minus populo, quam discipulis suis, non semel, sed sæpius prædicavit, *Matt.* 12. v. 40. *Cap.* 16. v. 21 *Cap.* 20. v. 28. &c. ut hostibus quoque nota essent *Matth.* 27. v. 63. Etsi nec populo declararit multa quæ discipulis seorsin declaravit, *Matth.* 13. v. 11. *& seqq.* neque ita vel illi, vel istis illustrarit, ut postea eventu ipso & subsecutâ Spiritus Sancti missione illustrata fuerunt. Locus *Joh.* 10. modum Satisfactionis saltem implicite connotat, duobus aliis locis dissimillimus; quia hic anima ponitur tanquam λύτρον, *Matth.* 20. v. 28. non istic. Jam quod *fideles Veteris Testamenti* attinet, habuisse ipsos fidem Christi futuri Servatoris à peccatis, de Patriarchis, Regibus & Prophetis Christus & Apostoli testantur *Joh.* 8. v. 56. *Luc.* 10. v. 24. *Actor.* 10. v. 43. *Cap.* 15. v. 11. 1. *Petr.* 1. v. 10. 11. De cæteris ex Fidei ipsius unitate, quam nobiscum agnoscunt adversarii, pronunciamus. Interim ex ipsis alii majorem, alii minorem: alii explicitam in Objecto & circumstantiis, id est, Servatore & modo servationis; alii implicitam in promissione fœderis, *Ero Deus tuus, Gen* 17. v. 7. fidem habuerunt: Obscuram tamen omnes pro conditione Veteris Testamenti, *Rachabæ fides* quousque processerit, nostrum non est temerè definire. Satis est quod inter

Quomodo Christus satisfactionem suam proposuerit.

Fideles V. T. crediderunt in Christum futurum, & quomodo.

verè credentes numeratur ab Apostolo, quorum omnium una fides *Ephes.* 4. v. 4. Et quia credidit in Deum Israëlis, populo illi fœdere gratiæ peculiariter junctum, annon etiam in Christum mediate & implicite credidisse dicenda est; in quo fundatum illud fœdus, *Matth.* 26. *Heb.* 8. in quo omnes Dei promissiones sunt Etiam & Amen. 2. *Cor.* 1. v. 20. Modum, quo ad fidem illam adducta sit, ipse Dominus. *Esa.* 65. v. 1. edisserit: *Inventus sum ab iis, qui me non quærebant, manifestus factus sum iis, qui de me non interrogabant.* postremo; quod de *Apostolis* refert Lucas, nihil eorum intellexisse, quæ de Passione Christi ac morte dicebantur, aut de subitâ ipsorum *consternatione*, cujus & alibi exempla, *Matth.* 26. v. 22. 31. aut de *tarditate* in capiendis iis, quæ proponebantur à Christo, præconceptæ ipsorum opinioni contraria, accipiendum est. Quod posterius si sumant adversarii, nihil tamen contra nos obtinent: I. Quia postea id luculenter cognoverunt & firmiter crediderunt; ut ex *Actis* ipsorum, & *Epistolis* liquet. II. Quia alii id, etiam ante ipsorum vocationem, crediderunt, Zacharias, Simeon, Johannes Baptista; qui de Remissione Peccatorum per Christum, agnum illum Dei tollentem peccata mundi, locuti sunt *Luc.* 1. & 2. *capp. Joh.* 1. III. Quia Fides non ex Apostolorum infirmorum, doctrinam Christi quoad Servationis modum necdum intelligentium, exemplo, sed ex Verbo Dei informanda & dijudicanda est; quod hic longe clarissimum.

Apostolorum fides qualis.

Quia fides, quæ fiducia, faciat segnes in bonis operibus.

III. Quæ Fides cum bonis operibus adeo nihil commune habet, ut segnes etiam & supinos in eis reddat; ea non est vera fides. Atqui fides de deletis per Christum peccatis talis est: *Ratio*; quia cum deleta jam sint peccata, nihil opus de vitandis peccatis sollicitum esse. Ergo. *Resp. Minora* aperta calumnia est: quomodo enim fides illa quæ efficax est per charitatem, *Gal.* 5. v. 6. quæ absque operibus mortua est, *Iac.* 2. v. 26. cum operibus nihil commune habeat; Quomodo etiam segnes & supinos reddat ad bona opera, ad quæ incitat & impellit fideles *Rom.* 8. v. 14. 2. *Cor.* 5. v. 14. 15. *Probatio* consequentiam nectit Diabolicam, quam per suum *Absit* Apostolus dissolvit *Rom.* 6. v. 1. 2. Rationem ibi quidem à fidelium regeneratione; at *Tit.* 2. v. 14. à redemtionis fine reddit, dicens: *Dedit semetipsum, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.*

Ponti-

Pontificiorum. Tertia: Pontificiorum.

PRIMA: An fides assensus sit non notitia, rectiusque per ignorantiam quam per notitiam definiatur? Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom.* IV. *Controv. gener.* III. *parte secundâ de Iustificatione Lib.*1.*cap.* 7. Nos negamus. *An fides assensus sit non notitia?*

Rationes nostræ

Rationes Negantes Orthodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

I. Quod per notitiam definitur, & cujus actus est intelligere; id notitiam esse oportet, non assensum citra notitiam aut ignorantiam. Fides ita definitur, *Esa.* 53. v. 11. *Ioh.* 17. v. 3. ejusque actus est intelligere *Hebr.* 11.v. 3. Ergo. Quia per notitiam definitur.

II. Quod in fide requirit Scriptura, id in ea necessarium est. Notitiam in fide requirit *Deut.*4. v.6. *Psal.*32. v.9. *Dan.*9. v. 22. *Coloss.* 1.v.6. *Cap.* 2.v.2. 2.*Tim.* 3.v.7. Ergo. Quia notitia in fide requiritur.

III. Cujus confessio edenda, & ratio reddenda est, ejus notitia necessaria est. Atqui eorum quæ credimus confessio edenda, *Rom.* 10.v.10. & ratio reddenda est 1.*Petr.*3. vers. 15. Ergo. Quia confessio edenda est.

IV. Si fides melius definitur per ignorantiam, quam per notitiam; fides recte dicitur ignorantia. Consequens absurdum; quia sic ignorantia Justificaremur, cum Justificamur fide. Ergo. Quia non potest definiri per ignorantiam.

Rationes Ponticfiiorum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

I. Via & gradus ad notitiam, non est ipsa notitia. Fides est via & gradus ad notitiam *Esa.*7.v.9. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ergo. *Resp. Minor* falsa est sensu Pontificio, nec *Esa.*7. habetur, ubi verba Prophetæ, à Vetere interprete male reddita, hæc sunt; *Annon creditis*, scil. promissioni Dei de liberatione vestri ab hostibus, *quod non co firmamini?* Quia fides est via ad notitiam.

verè credentes numeratur ab Apostolo, quorum omnium una fides *Ephes.* 4. v. 4. Et quia credidit in Deum Israëlis, populo illi fœdere gratiæ peculiariter junctum, annon etiam in Christum mediate & implicite credidisse dicenda est; in quo fundatum illud fœdus, *Matth.* 26. *Heb.* 8. in quo omnes Dei promissiones sunt Etiam & Amen. 2.*Cor.* 1.v. 20. Modum, quo ad fidem illam adducta sit, ipse Dominus. *Esa.* 65.v.1. edisserit: *Inventus sum ab iis, qui me non quærebant, manifestus factus sum iis, qui de me non interrogabant.* postremo; quod de *Apostolis* refert Lucas, nihil eorum intellexisse, quæ de Passione Christi ac morte dicebantur, aut de subitâ ipsorum *consternatione*, cujus & alibi exempla, *Matth.* 26. v. 22.31. aut de *tarditate* in capiendis iis, quæ proponebantur à Christo, præconceptæ ipsorum opinioni contraria, accipiendum est. Quod posterius si sumant adversarii, nihil tamen contra nos obtinent: I. Quia postea id luculenter cognoverunt & firmiter crediderunt; ut ex *Actis* ipsorum, & *Epistolis* liquet. II. Quia alii id, etiam ante ipsorum vocationem, crediderunt, Zacharias, Simeon, Johannes Baptista; qui de Remissione Peccatorum per Christum, agnum illum Dei tollentem peccata mundi, locuti sunt *Luc.* 1.& .2.*capp.Ioh.*1. III. Quia Fides non ex Apostolorum infirmorum, doctrinam Christi quoad Servationis modum necdum intelligentium, exemplo, sed ex Verbo Dei informanda & dijudicanda est; quod hic longe clarissimum.

Apostolorum fides qualis.

III. Quæ Fides cum bonis operibus adeo nihil commune habet, ut segnes etiam & supinos in eis reddat; ea non est vera fides. Atqui fides de deletis per Christum peccatis talis est: *Ratio*; quia cum deleta jam sint peccata, nihil opus de vitandis peccatis sollicitum esse. Ergo. *Resp.* *Minora* aperta calumnia est: quomodo enim fides illa quæ efficax est per charitatem, *Gal.* 5. v. 6. quæ absque operibus mortua est, *Iac.* 2. v. 26. cum operibus nihil commune habeat; Quomodo etiam segnes & supinos reddat ad bona opera, ad quæ incitat & impellit fideles *Rom.* 8. v. 14. 2.*Cor.* 5.v.14.15. *Probatio* consequentiam nectit Diabolicam, quam per suum *Absit* Apostolus dissolvit *Rom.* 6.v. 1. 2. Rationem ibi quidem à fidelium regeneratione; at *Tit.* 2. v. 14. à redemtionis fine reddit, dicens: *Dedit semetipsum, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.*

Quia fides, quæ fiducia, faciat segnes in bonis operibus.

Ponti-

Pontificiorum.

Tertia: Pontificiorum.

PRIMA: *An fides assensus sit non notitia, rectiusque per ignorantiam quam per notitiam definiatur?* Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom.* IV. *Controv. gener.* III. *parte secunda de Iustificatione Lib.* I. *cap.* 7. Nos negamus.

An fides assensus sit, non notitia?

Rationes nostræ

Rationes Negantes Orthodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati*:

I. Quod per notitiam definitur, & cujus actus est intelligere; id notitiam esse oportet, non assensum citra notitiam aut ignorantiam. Fides ita definitur, *Esa.* 53. v. 11. *Ioh.* 17. v. 3. ejusque actus est intelligere *Hebr.* 11. v. 3. Ergo.

Quia per notitiam definitur.

II. Quod in fide requirit Scriptura, id in ea necessarium est. Notitiam in fide requirit *Deut.* 4. v. 6. *Psal.* 32. v. 9. *Dan.* 9. v. 22. *Coloss.* 1. v. 6. *Cap.* 2. v. 2. 2. *Tim.* 3. v. 7. Ergo.

Quia notitia in fide requiritur.

III. Cujus confessio edenda, & ratio reddenda est, ejus notitia necessaria est. Atqui eorum quæ credimus confessio edenda, *Rom.* 10. v. 10. & ratio reddenda est 1. *Petr.* 3. vers. 15. Ergo.

Quia confessio edenda est.

IV. Si fides melius definitur per ignorantiam, quam per notitiam; fides recte dicitur ignorantia. Consequens absurdum; quia sic ignorantia Justificaremur, cum Justificamur fide. Ergo.

Quia non potest definiri per ignorantiam.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati*:

I. Via & gradus ad notitiam, non est ipsa notitia. Fides est via & gradus ad notitiam *Esa.* 7. v. 9. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ergo. *Resp.* *Minor* falsa est sensu Pontificio, nec *Esa.* 7. habetur, ubi verba Prophetæ, à Vetere interprete male reddita, hæc sunt; *Annon creditis*, scil. promissioni Dei de liberatione vestri ab hostibus, *quod non confirmamini*?

Quia fides est via ad notitiam.

Quia distinguatur à notitia.

II. Quod à notitia distinguitur, non est ipsa notitia. Fides à notitia distinguitur 1.*Cor.*13.v.2. Ergo. *Resp.* Fides miraculorum & notitia, sive donum edendi miracula & donum interpretandi Scripturas distinguuntur ut diversa χαρίσματα; non autem fides justificans & notitia. Est igitur ambiguitatis fallacia.

Quia in eâ sit captivatio intellectus.

III. Ubi est captivatio intellectus; ibi non est notitia veritatis. In fide est captivatio intellectus in obedientiam Christi 2.*Cor.*10.v.5. Ergo. *Resp.* *Major* falsa est ob fallaciam phraseos, & dicti secundum quid. *Captivare intellectum* non est nihil intelligere de doctrina Christi, sed doctrinæ agnitæ fidem habere, eique se humiliter subjicere, licet absurda rationi videatur; exemplo Abrahæ *Rom.*4.v.20.

Quia nec Apprehensio nec Judicium fidei sit notitia.

IV. In eo qui credit duo sunt, Apprehensio, & Judicium sive assensus. At neutrum est notitia. Non *apprehensio.* I. Quia fidem præcedit. II. Quia etiam impii possunt apprehendere mysteria fidei. III. Quia apprehensio vel confusa est absque notitia, vel distinctæ quæ ad fidem non requiritur. Neque etiam *Judicium* sive *assensus*; quia ille aut rationem & evidentiam rei, aut auctoritatem sequitur: Prior notitia est, huc non pertinens; Posterior fides. Ergo. *Resp.* I. In *Majore* est insufficiens enumeratio; nam præter duo illa ad fidem justificantem *fiducia* gratiæ Dei, ut forma specifica, requiritur. II. De *Apprehensione* falsum, quod notitia esse non possit; quia præcedat fidem, formaliter sic dictam, ordine & gradu; quia etiam ab impiis, (in quos tamen fides historica cadit) fiat. Falsum item, quod apprehensio confusa, qualis est in sublimibus illis fidei mysteriis, non sit notitia. Est confusa notitia, prout ipsa apprehensio confusa. III. Datur quod *Assensus* propter auctoritatem loquentis Dei, non sit scientia ex demonstrationibus. At quod fides sit citra notitiam negatur. Assentimur & credimus Deo loquenti, ut, quæ dicit, notitionibus mentis apprehendamus, atque ita assentiamur.

SECUNDA

SECVNDA: *An fides fiducia?* Pontificii negant, *Bellarminus Tom.* IV. *Controversiæ generalis* III. *secunda parte, de Iustificatione Lib.* 1. *cap.* 5. 6. Nos affirmamus.

Quarta: Pontificiorum. An fides sit fiducia?

Rationes nostræ.

Rationes Affirmantes Orthodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati*:

I. Per quod definitur fides justificans; id rectè de ea prædicatur in quæstione quid sit. Per fiduciam definitur, & fides pro fiducia ponitur *Heb.* 2. v. 4. *Roman.* 1. v. 17. *Matth.* 8. v. 10. *Cap.* 15. v. 28. *Actor.* 3. v. 16. *Hebr.* 10. v. 22. 35. Ergo.

Quia per fiduciam definitur.

II. Remissio peccatorum, υἱοθεσία, accessus ad Deum, purificatio cordis, tranquillitas conscientiæ, esse nequeunt effecta nudi assensus. Atqui sunt effecta fidei Justificantis *Rom.* 3. v. 28. *Iohann.* 1. v. 12. *Ephes.* 3. v. 12. *Actor.* 15. v. 9. *Roman.* 5. vers. 1. Ergo.

Quia R. P. υἱοθεσία &c. sunt effecta fidei.

III. Plena persuasio, libertas, fiducia, forma, gloriatio, non sunt propria πάθη nudi assensus. Atqui sunt propria πάθη fidei justificantis *Rom.* 4. v. 21. *Cap.* 8. v. 38. *Ephes.* 3. v. 12. 1. *Ioh.* 2. v. 28. *Rom.* 5. v. 2. Ergo.

Quia plena persuasio &c. sunt propria πάθη fidei.

IV. Opponuntur fiduciæ diffidentia, hæsitatio, pusillanimitas, timor, metus. Atqui opponitur fidei justificanti *Matt.* 14. v. 31. *Cap.* 21. v. 21. *Luc.* 8. v. 25. *Cap.* 12. v. 28. 29. *Rom.* 4. v. 20. Ergo.

Quia fidei diffidentia, timor & opponuntur.

Rationes Pontificiorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati*:

I. Fides est substantia eorum quæ sperantur, & convictio rerum quæ non cernuntur *Hebr.* 12. v. 1. Atqui neque illa, neque ista fiducia est; quia utraque intellectus tantum assensus est, per quem & futura subsistunt, & non apparentia cernuntur. Ergo. *Resp. Minor* negatur: nam ὑπόστασιν per fiduciam Apostolus declarat *cap.* 3. v. 6. 14. *inter se collatis. Ratio* quoque ejus falsa est

Quia fidei tantum sit assensus ex Hebr. 11. v. 1.

est. *Subsistunt, cernuntur*, non tam per assensum in intellectu, quam per fiduciam in corde, ut exempla subjecta docent, quotquot fidem justificantem specificè declarant.

Quia fides Abrahæ non fuerit fiducia.

II. Fides Abrahæ fuit fides justificans. At non fuit fiducia; quia actus ejus fuerunt considerare, plenissimè scire *Rom.* 4. v. 19. 21. Ergo. *Resp. Minor* falsa est. *Ratio* opponit subordinata, & conjuncta divellit. *Consideravit, plenissime scivit*, sed non tantum verum insuper firmissimè confisus fuit, credidit contra spem sub spe, non hæsitavit incredulitate sive diffidentia, ut est v. 18. 20. Quæ omnia fiduciam fidei Abrahæ evidenter exprimunt.

Quia fiducia sit effectum fidei.

III. Effectum fidei non est ipsa fides. Fiducia est effectum fidei *Ephes.* 3. v. 12. Ergo. *Resp. fiducia* vel forma fidei est, vel effectum, pro diverso vocis significatu. *Forma*, quatenus certâ persuasione Christum amplectitur. *Effectum*, quatenus est conscientiæ tranquillitas, sive confidentia in eo, in quo fiducia collocata est.

Quia fidei objectum totum verbum Dei.

IV. Quod pro objecto habet totum verbum Dei; id non est fiducia: *Ratio*. I. quia fiducia solum respicit bona, ut futura. II. quia alioquin quicquid creditur, in eo fiducia poneretur; atque ita etiam in inferno, qui & ipse creditur. Atqui fides justificans pro objecto habet totum verbum Dei. Ergo. *Resp.* Per distinctionem *Majoris*: Quod pro objecto habet totum verbum Dei tam specificè, quam genericè; id non est fiducia. At *fides genericè* spectat totum verbum Dei, ut objectum commune; *specificè* autem promissiones gratiæ, ut objectum proprium. Quæ sub illud cadunt per assensum, quę sub hoc per assensum & fiduciam simul creduntur. Ratio *Majoris Prima* exclusivè sumta falsa est: respicit namque fiducia etiam bona præsentia, imo præterita quoque, ex quibus roboratur. *Altera* priore distinctione dissolvitur.

TERTIA

TERTIA: *An fidei justificantis objectum præcipuum, sive specificum, sit promissio specialis misericordiæ in Christo?* Pontificii negant, *Bellarminus Tom.* IV. *Controv. gener.* III. *parte secunda, de justificatione Lib.* 1. *cap.* 8. *& seqq.* Nos affirmamus.

Quinta: Pontificiorum. An specificum fidei objectum sit promissio specialis misericordiæ in Christo?

Rationes nostræ.

Rationes Affirmantes Orthodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

I. In quod speciatim fertur fides justificans; id specificum ejus objectum est. At speciatim fertur in Christum, *Ioh.* 17. v. 3. 1. *Cor.* 2. v. 2. in eum qui justificat impium, *Rom.* 4. v. 5. qui traditus est in mortem propter lapsus nostros, & resuscitatus ad nostri justificationem v. 25. Ergo.

Quia fides speciatim fertur in Christum.

II. Quod fides omnium Sanctorum præcipuè semper spectavit & respexit; id proprium fidei justificantis objectum est: *Ratio*; quia unumquodque proprium objectum præcipuè semper complectitur. At spectavit, respexit præcipuè promissionem specialis misericordiæ in Christo *Psal.* 32. vers. 5. *Psal.* 130. v. 4. *Dan.* 9. v. 17. *Hos.* 14. v. 3. *Luc.* 1. v. 71. *Cap.* 18. v. 13. *Actor.* 15. v. 11. *Cap.* 26. v. 18. Ergo.

Quia id fides omnium Sanctorum semper respexit.

III. Idem est Euangelii & fidei objectum *Marc.* 1. v. 15. *Rom.* 1. v. 16. Atqui Euangelii objectum est promissio specialis misericordiæ in Christo *Ioh.* 3. v. 16. *Cap.* 5. v. 24. &c. Ergo.

Quia idem objectum fidei & Euangelii.

Rationes Pontificiorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

I. Fides quam Christus exegit ab auditoribus suis, & miraculis confirmavit, non fuit specialis misericordiæ, sed tantum potentiæ divinæ, *Matt.* 9. v. 28. *Cap.* 8. v. 10. *Luc.* 7. v. 9. item *Matt.* 16. v. 16. *Ioh.* 6. v. 68. 69. Atqui fuit fides justificans. Ergo. *Resp. Aßumtione* missâ negatur *propositio*. Sic enim exegit fidem potentiæ suæ, ut simul exegerit fidem misericordiæ, prout ex singulorum locorum circumstantiis colligi & ostendi potest.

Quia fides quam Christus exegit fuerit tantum potentiæ.

Quia idem sit objectum fidei justificantis & miraculorum.

II. Fides justificans idem habet objectum ac fides miraculorum *Marc.*16.v.16. 17. At hæc non respicit promissionem specialis misericordię, sed omnipotentiam & Deitatem Christi. Ergo. *Resp. Major* de objecto communi quidem conceditur; at non de proprio, quod utrobique diversum. Nec Locus *Marc.* 16. id probat: nam non sequitur: Quidam credituri fide justificante edent miracula, sicut factum in Ecclesia Apostolica. Ergo idem fidei justificantis & fidei miraculorum objectum est.

Quia Abrahamus non amplexus fuerit promissionem gratię.

III. Quod fuit objectum fidei qua justificatus est Abrahamus; id nostræ fidei objectum est. At illud non fuit promissio gratiæ specialis, sed prolis numerosæ, cujus ipse Pater futurus erat *Rom.*4.v.18.Ergo. *Resp.Minor* parte affirmativa vera,negativâ falsa est. Quid ergo illud *Ero Deus tuus Genes.* 17.v.7? Quid istud quod fides ei ad justitiam dicitur imputata *Rom.* 4. vers. 3? Imo negativa in affirmativa continetur; quia promissio seminis numerosi fuit etiam promissio Christi, in quo benedicendæ omnes gentes terræ, *Galat.* 3. v. 16. cujus, tanquam seminis sibi promissi, diem Abrahamus videre desideravit *Ioh.*8.v.56.

Quia promissio specialis misericordiæ sit ignota Scripturis.

IV. Quod Verbo Dei non continetur; id nec fidei nostræ objectum est. Promissio specialis misericordiæ Verbo Dei non continetur, si paucos quosdam excipias; Paralyticum, *Matt.* 9. v.2. peccatricem, *Luc.* 7.v. 47. &c. Ergo. *Resp. Minor* falsa est. Etenim tum *expreße* in eo continentur, tum *implicite* & per consequentiam. *Expresse Psal.* 103. v. 3. *Esa.*43. v. 25. *Rom.* 10. v. 9. *Implicite*; quia promissio facta est omnibus credentibus in thesi *Ioh.*3.v.16. 36. *Marc.* 16. v.16. ergo & singulis in hypothesi. *Præterea* quemadmodum Christus paralytico, peccatrici, latroni, aliis, speciatim applicavit promissiones generales, ita etiamnum eas credentibus speciatim applicant Spiritus Sanctus, *Rom.* 8. v. 16. & Ministri Euangelii, *Ioh.* 20. v. 23. qui legatione pro Christo funguntur 2.*Cor.*5. v.20.

QVARTA

QVARTA: An fides Iustificans semel accepta amitti possit? Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom.* IV. *Controv. gener.* III. *parte secunda de Iustificatione Lib.3. cap.* 14. Nos autem, non quidem quoad mutabilitatem aut infirmitatem nostram, verum quoad immutabile Dei propositum, eam amitti posse negamus. *Sexta: Pontificiorum. An fides justificans possit amitti?*

Rationes nostræ. Rationes *Negantes Orthodoxa.*

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

I. In quo fideles ad finem usque per Dei gratiam perseverant; id non amittunt. In fide justificante perseverant, juxta dicta 1.*Ioh*.2.v.19.*Matth*.24.v.24. *Ierem*.32.v.40.1.*Ioh*.3.v.9. *Psal*.37.v.24.*Luc*.8.v.15.&c. Ergo. Quia in ea fideles perseverant.

II. Dona Dei ἀμεταμέλητα perseverant *Rom*.11. vers. 29. Fides est donum Dei ἀμεταμέλητον *Ephes*.2.v.8.*Tit*.1.v.1.*Act*.13. v.48.*Rom*.9.v.11. Ergo. Quia est donum Dei ἀμεταμέλητον.

III. Quicquid & Christus pro Sanctis, & ipsi pro se orant ex fide; accipiunt *Ioh*.11.v.42. *Cap*.16.v.23. Perseverantiam in fide & Christus pro Sanctis, *Luc*. 22. v.32.*Ioh*.17. v. 15.& ipsi pro se petunt ex fide *Matth*.6.v.13. Ergo. Quia hanc Perseverantiam petunt Christus pro Sanctis,& ipsi pro se.

IV. Qui virtutis Dei præsidio ad salutem custodiuntur, tandemque glorificantur; perseverant *Matth*. 10.v.22. Sancti fideles custodiuntur, 1.*Petr*.1.v.3.4.5. glorificantur *Rom*. 8. v. 29.30. Ergo. Quia custodiuntur virtute Dei.

Rationes Pontificiorum. *Affirmantes Heterodoxa.*

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

I. Scriptura docet multis in locis fidem justificantem amitti posse *Ezech*.18.v.24. *Luc*.8.vers. 13.*Ioh*.15.v.2. 1.*Tim*. 1. vers.19. *Hebr*.6.vers.4.5.6. &c. Ergo potest amitti. *Resp*. negatur *Antecedens*. De fide historicâ & temporaria, de justitia item apparente id docet, non de fide justificante, aut justitia vera. *Ezech*. Quia id Scriptura asserat.

18. *Iustus* est apparenter justus ut *Matth.* 9.v.13. quia in verè justum adversio hujusmodi non cadit *Psal.* 92.v. 13.*Psal.*37.v.24. *Luc.*8.*Fides* est fides temporaria, quæ radicem non habet, eoque nec soliditatem *Col.* 2. v. 5. De hac etiam *Hebr.*6. sermo est. *Ioh.* 15. *Palmites* alii infructuosi, alii fructuosi constituuntur. Illi sunt verè fideles hi hypocritæ, *Matth.*7.v.22. 1.*Tim.* 1. *Fides* à qua desciverunt Hymenæus & Philetus, est doctrina fidei, *cap.* 3.v.9. *Cap.* 4.v.1. *Galat.* 1.v.23. non fides justificans eam amplectens, argumento loci 2.*Tim.*2.v.18. 19.

Quia id exempla ostendant.

II. Quod Scriptura amissum esse exemplis ostendit; id omnino amitti potest. Fidem justificantem amissam esse exemplis ostendit, Angelorum, primorum Parentum, Saulis, Davidis, Salomonis, Judæ, Petri, Simonis Magi. Ergo. *Resp.* *Minor* falsa est: Exempla quæ ad eam confirmandam adducuntur, adducuntur vel *impertinenter*; ut Angelorum & primorum Parentum, qui fidem legalem; Saulis item, Judæ, Simonis Magi, qui fidem historicam aut temporariam amiserunt. Vel *falso*; ut Davidis, Salomonis, Petri, qui fidem justificantem non amiserunt *Ps.* 51. v.13. 2.*Sam.*7.14.15.*Luc.*22.v.32.

Quia faciens actum infidelitatis perdat habitum.

III. Qui facit actum infidelitatis; perdit habitum fidei. Fidelis potest facere actum infidelitatis: *Ratio*; quia habitus non impedit ex necessitate actum contrarium. Ergo. *Resp.* *Major* falsa est. Cum enim omne peccatum sit actus infidelitatis, quoties peccatum aliquod patraretur, toties habitus fidei perderetur: Quod non fieri & Scriptura testatur, & singulorum fidelium experientia. Sin autem per actum infidelitatis intelligitur actus destinatæ & pervicacis malitiæ, ut *Hebr.*10.v.29. falsitas ex Majore recidit in *Minorem*; nam talem actum verè fidelis facere nequit 1.*Ioh.*3.v.9. Ad hæc *ratio Minoris* non de omni, verum de imperfecto mutabilique habitu valet.

LOCUS

LOCUS DECIMUS QUARTUS.

De

JUSTIFICATIONE.

Controversiæ de IUSTIFICATIONE sunt Pontificiorum *numero quinque.*

I. An fides sola justificet?
II. An justitia nobis inhærens sit caussa formalis justificationis?
III. An justificatio constet sola remissione peccatorum?
IV. An justificatio consistat in imputatione justitiæ Christi?
V. An bona opera justificet coram Deo?

Exegesis.

In hoc capite doctrinæ *consensus* nobis est cum *Anabaptistis* & *Lutheranis*; cum *Samosatenianis* & *Pontificiis dissensus* gravis & fundamentalis. Docent quippe *Samosateniani* fieri Justificationem per absolutam peccatorum remissionem, non modo citra nostram, sed etiam citra ipsius Christi Satisfactionem: Interim & per Christum fieri, quatenus eam salutis consequendæ rationem hominibus tum annunciavit, tum confirmavit, atque etiam ipsam salutem tandem confert; sic tamen ut credant, hoc est, confidant, obediant præceptis ejus. Quod qui facit illum propter fidem, tanquam opus Euangelicum, gratum esse Deo, omniumque peccatorum suorum veniam consequi. *Pontificii* verò docent, Justificationem præcedere *præparationem* quandam, qua ad eam recipiendam partim gratia Spiritus Sancti,

Samosateniani quid de Justificatione statuant.

Quid item *Pontificii*.

cti, partim naturalis Arbitrii potentiâ peccator disponitur; cujus initium & fundamentum sit fides; actus ab eâ procedentes, timor, spes, dilectio, pœnitentia, propositum suscipiendi Sacramentum, & propositum novæ vitæ. Inde facta præparatione docent ipsam *Iustificationem* sequi, & quidem duplicem. *Primam* esse ajunt, quum ex malo fit bonus, ex injusto justus, eamque remissione peccatorum (quæ ipsis abolitio eorum,) ut privatione; & infusione justitiæ tanquam forma complectuntur. *Secundam*, qua ex bono melior, ex justo justior redditur, idque per merita operum, primæ beneficio editorum. Sed *Samosatenianorum* errores, qui ipsis proprii; *loco de Christo*, nec non *de fide justificante* confutati sunt: Qui cum Pontificiis communes, hic confutabuntur: ut eorum in Elencho controversiarum sigillatim meminisse non fuerit necesse.

Prima: Pontificiorum. *An fides sola justificet*:

PRIMA: *An fides sola justificet?* Pontificii negant quocunque sensu, *Bellarm tom.* IV.*contr.gen.* III.*parte secunda de justificatione lib.*1.*cap.*12.*& seqq.* Nos sensu *Paulino* quod justificet ut instrumentum, & quidem sola, simpliciter affirmamus; *Pontificio*, quod justificet per modum dispositionis, inchoando justificationem negamus.

Rationes *Affirmantes* Ortodoxa.

Rationes nostræ.

Ex naturâ *Subjecti*:

Quia peccator justificatur non operibus sed fide.

I. Qui justificatur non operibus sed fide, & non nisi fide; Ille justificatur sola fide. Homo peccator justificatur non operibus sed fide, & non nisi fide. Ergo. *Majoris* consequentia evidens est, *partim* ex immediata oppositione fidei & operum; cujus vi, uno negato solum alterum affirmatur: *partim* ex æquipollentia phrasium ἐὰν μὴ sive εἰ μὴ, *nisi fide* & *sola fide*; de qua vide *Apoc.* 21. v. 27. item *Marc.* 13. v. 22. *&* *Matt.* 24. v. 36. *inter se collatis*. *Minoris* veritas his dictis nititur: *Rom.* 3. v. 27. 28. *Cap.* 4. v. 2. *& seq.* *Gal.* 2. v. 16. *Eph.* 2. v. 8. *Tit.* 3. v. 5. *Phil.* 3. v. 9.

II. Quod

II. Quod Scriptura fidei & nullis operibus tribuit; id soli fidei convenit. Justificationem Scriptura fidei, & nullis operibus tribuit, ut est *Rom*.3.v.27.*Cap*.5.v.1.*Ioh*.3.v.16,*Cap*.1.v.12. & alibi Ergo.

Quia justificatio fidei & nullis operibus tribuitur.

III. Qui justificatur gratis Dei gratia; justificatur sola fide. Homo peccator justificatur gratis,Dei gratia.Ergo. *Minor* traditur his locis: *Actor*.15.v.11.*Rom*.3.v.24.*Cap*.4. v. 16. *Cap*. 5. v. 15. 17.21.*Gal*.2.v.21.*Eph*.1.v.5.6.7.*Cap*.2.v.8.*Tit*.3.v.7. *Major* probatur.Qui justificatur sine ullis operibus, justificatur sola fide: vi immediatæ oppositionis, de qua *Rom*.4.v.4. Qui justificatur gratis,justificatur sine ullis operibus: vi ejusdem oppositionis,de qua *Rom*.11.v.6.*Eph*.2.v.8.Ergo.

Quia peccator justificatur gratis, Dei gratia.

Exceptiones Pontificiorum.

Prima: Excludi à Justificatione opera legalia,ceremonialia, & moralia illa, quæ fidem præcedunt liberi Arbitrii viribus edita; non autem quæ ex fide fiunt; 1.quia ea excluduntur, quibus quod redditur merces est *Rom*.4. v.4. At illis quod redditur merces est; non quod his. 11.Quia Apostolus in epistolis *ad Romanos* & *Galatos* contra illa,non contra hæc operantes disputat.*Resp*.Glossa illa Pontificiis plus quam familiaris,non uno argumento refellitur. 1. Illa opera excluduntur quę fidei opponitur. Atqui omnia opera opponuntur fidei citra distinctionem: sicut operans credenti absolutè opponitur.Ergo omnia excludũtur. Etsi moralia sine fide facta sigillatim excludere non sit necessum: ut quæ tantũ peccata sint, sicut dicitur, *Rom*.14.v.23. Per peccata vero, quis unquam justificatus? 11.Opera fidelium nominatim excluduntur à justificatione. Opera fidelium sunt ex fide. Ergo. *Major* confirmatur partim testimoniis *Tit*.3.v.5.*Eph*.2.v.8.9.10. partim exemplis Abrahami & Davidis jam fidelium: prout ex collatione *Rom*.4. cum Historiâ ipsorum evidenter constat. 111.Quicquid homini relinquit gloriationis materiã,à justificatione excluditur *Rom*.3.v.23. 27.*Eph*.2. v.9.Opera quæ ex fide fiunt, relinquunt.Nam si gratia Dei ipsum justum tantum reddit,propria vero opera justorum, certè de quo glorietur habet.Ergo. Vide exemplum Pharisæi *Luc*.18.Iam quod *Rationes Pontificiorum* attinet, *Prima Minor* falsa est,& ipsorummet de meritis operum sententiæ contraria. *Altero* de scopo Apostoli in edi-

Omnia opera fidei opponuntur.

epistola *ad Galatas* simpliciter negatur. Nam ex professo disputat contra pseudapostolos, qui fidem & opera, gratiam Christi & merita sua in justificatione conjungebant. De Scopo in epistolo *ad Romanos* dari id quidem potest; quia disputat contra Judæos & gentes, quorum utrique justitiam extra Christum, illi in operibus Legis, isti in operibus Naturæ, quærebant. Interim & alia opera omnia inibi apostolus excludit, I. quia Opera omnia absolutè excludit *cap*. 3. II. *quia* excludit opera Abrahami & Davidis fidelium *cap*. 4. III. quia opera ex fide facta ex justificatione, tanquam effectus ex causa sua deducit *capp*. 6. 7. 8. Effectus vero justificationis quomodo causa ejus esse possunt?

Secundo: Solam fidem nominari quidem, non tamen solam justificare; quia interdum etiam aliis virtutibus solis tribuitur justificatio: Dilectioni, *Luc*. 7. v. 47. Spei, *Rom*. 8. v. 24. Sacramento, *Tit*. 3. v. 5. Fidei tamen frequentius; quod gratuitæ justificationis initium sit. *Resp*. Fides sic nominatur sola, ut per eam omnia opera sive aperta, sive tacita antithesi à justificatione removeantur. De locis quibus aliis virtutibus eam tribui putant, dicetur paulo post; ut quoque falsa hypothesi, quod fides ut initium dispositionis justificet.

Tertia: Gratiam opponi operibus sine Fide, non ex eâ, factis, ut quæ ipsa quoque ex gratia sint. *Resp*. Commentum hoc modo confutatum est. Iis opponitur, quibus fides opponitur; cum eadem sit utrobique oppositionis ratio. Fides omnibus universim operibus opponitur. Ergo. Opera quidem fidelium ex gratia sunt, sed propterea non justificant; alioquin quicquid ex gratia esset justificaret.

Ex natura *Prædicati*:

Quia fides justificat ut instrumentum.

I. Quod justificat ut instrumentum; non justificat per modum dispositionis. Fides justificat ut instrumentum. Ergo. *Major* extra controversiam est. *Minor* probatur: Quod justificat accipiendo remissionem peccatorum, donum justitiæ, promissionem gratiæ; illud ut instrumentum justificat. Fides ita justificat *Act*. 26. v. 18. *Rom*. 5. v. 17. *Gal*. 3. 22.

Quia fidei tota justificatio tribuitur.

II. Cui tota justificatio tribuitur, & quod ad totam justitiam imputatur; id non inchoat tantum justificationem, nec justitię initium

tium est. Fidei tribuitur tota justificatio, *Rom.* 3.v.28. *Cap.*5.v.1. *Gal.*2.v.16. fides ad totam justitiam imputatur, *Rom.*4. v.5.9.22. Ergo.

III. Quod in subjectum non introducitur, ad illud introducendum præcedaneæ dispositiones non requiruntur: *Ratio* evidens est; quia dispositiones subjectum, sive materiam præparant ad recipiendam formam. Justificatio in subjectum non introducitur: *Ratio*; quia non in qualitate inhærente, sed in remissione peccatorum sive justitiæ imputatione posita est *Rom.* 4. ut infra ostendetur. Ergo. Et ex consequenti nec fides per modum dispositionis justificat. Quia justificatio non introducitur in subjectum.

Rationes Pontificiorum.

Negantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti*:

I. Quod cum aliis ad justificationem concurrentibus dispositionibus justificat; id solum non justificat. Atqui Fides justificat cũ aliis ad justificationẽ concurrentibus virtutibus: ceu sunt Timor, isq; servilis, *Eccles.* 1.v.28. *Ps.*111.v.10. Spes, *Prov.*28.v.25. *Ps.*37. v.40. *Matt.*9.v.2. Dilectio, *Luc.*7.v.47. *Gal.*5.v.6. 1.*Ioh.*3.v.14. Pœnitentia, *Act.*11.v.18. 2.*Cor.*7.v.10. *Ezech.*18.v.27. Propositum suscipiendi Sacramentum, *Ioh.*3.v.5. *Cap.*20.v.23. Propositum novę vitę, *Ezech.*18.v.31. Ergo. *Resp.* *Minor* falsa est dupliciter. 1. quod fides cum aliis, quæ intra ipsum hominem sunt, concurrendo justificet. II. quod justificet per modum dispositionis, præparando peccatorem ad recipiendum justificationis habitum. De *Posteriore* infra agetur. *Prioris* falsitatem ostendemus in examine dictorum. Pro *Timore* loca afferuntur *Eccles.*1.v.28. *Ps.*111.v.10. sed *ille* non est canonicę autoritatis; nec in Gręco est: *Qui sine timore est non poterit justificari*, ut habet versio vetus, sed *non poterit vir iracundus ἀνὴρ θυμώδης, justificari*; neque etiam de justificatione coram Deo, verum corã Magistratu loquitur. *Alter* locus agit de *timore filiali*, non servili, qui initium Sapientiæ non justificationis vocatur. Quod si esset, jam fides esse non posset illud initium; quia inter dispositiones Pontificias timor fide posterior est. Loca tria, quæ pro *Spe* adducũtur, aut de justificatione nihil habent, aut fidei non spei meminerunt. Quod *Dilectionem* attinet, ea *Luc.*7. non causa remissionis peccatorum, sed effectum constituitur; ut parabola duorum debitorum

Quia fides cum aliis virtutibus concurrat.

Non concurrunt ad justificationem Timor.

Spes.

Dilectio.

torum Christus docet,& tum emphasis verbi χαρίζεσθαι v.42.tum sententia v.50.*Fides tua Te servavit*,evincunt.Ideoque particula ὅτι causam consequentiæ sive conclusionis, non consequentis notat. *Gal.*5.*fides* dicitur *per charitatem operans*, ut vera à falsa, ἀνυπόκριτος ab hypocritica,viva à mortua distinguatur.Et 1.*Ioh.*3.dilectio fratrum, ut ejusdem fidei indubitatum κριτήριον commendatur. Jam de *Pœnitentia* agunt quidem allegata; verum *primo* de ea, quæ est μετάνοια,conversio hominis ad Deum,non quæ tantum dolor est & detestatio peccati; deinde necessariam esse ajunt ad salutem, at neque justificare, neque ad justificationem disponere affirmant. *Desiderium suscipiendi Sacramenti*,de quo tamen *Iohan.*3.& 20.non agitur, debet sane esse in omnibus qui servari cupiunt; interim nullatenus justificat, ni & Simonem Magum, & alios hypocritas pro justificatis habere velint.Sacramenta etiam,quia ad obsignandam justitiam fidei conferuntur, ipsam justificationem ordine saltem naturæ præsupponunt.*Propositum novæ vitæ Ezech.*18.& aliis locis innumeris præcipitur, non ut causa justificationis aut dispositio ad eam, sed ut pars nostræ ad Deum conversionis.

Pœnitentiâ.

Desiderium Sacramenti.

Propositum novæ vitæ.

Quia fides ab aliis virtutibus separata non justificet

II. Quod à Spe, Dilectione, aliisque virtutibus separatum non justificat; id solum non justificat. Fides à Spe,Dilectione,aliisque virtutibus separata non justificat.Ergo *Resp.*negatur Consequentia *Propositionis*.Nam & oculus solus videt, & manus sola scribit, etsi neutrum possint separata à corpore; nimirum quia destructo subjecto sive organo simul destruitur ejus actus. Quamvis igitur fides ab aliis virtutibus separata non justificet,(non enim esset viva fides,)sola tamen justificat;ut quę remissionem peccatorũ,*Act.*26.v.18.donum justitiæ,*Rom.*5.v.17.sola accipit.*Idem Sophisma alia etiam forma proponitur.* Si tota vis justificandi inesset soli fidei ita ut aliæ virtutes etiam præsentes nihil ad eam conferrent;profecto tam istis absentibus quam præsentibus justificaret.At istis absentibus non justificat.Ergo nec pręsentibus;& sic vis justificandi nõ est in sola fide. *Resp.*Illatio ambigua est.Nam vis justificandi aut intelligitur de fidei ipsius *dignitate* ac merito,aut de *apprehensionis actu.Priore* sensu conceditur totum quia; sic nec sola nec cum aliis virtutibus conjuncta justificat,cũ ex operibus Legis nullo caro justificetur in conspecto ejus, *Rom.*3.v.20.*posteriore* falsa est propositio absentibus enim virtutibus fides mortua foret.At fidei mortuę quomodo actus vivificus,qualis est justificatio,potest convenire?

III. Fides

Quia fidem solam justificare verè dici nequeat.

III. Fides Sola justificat, aut quia expressè Scriptura id dicit, aut *quia* Deo placet donare justificationem cum solâ conditione fidei, aut *quoniam* ipsa sola id habet, ut apprehendat justificationem & nobis applicet ac nostram faciat. At nulla ex istis caussis de fide verè dici potest. Ergo. *Minorem* probant per partes. Non *Prima*; quia in Scripturâ non modo non habetur exclusiva *Sola*, verum etiam negatio ejus *Iac.*2.v.24. Ex *oppositione* etiam fidei & operum elici nequit. Nam particula *Sola*, aut omnia opera excludit, aut aliqua. Si *istud*; perperam sanè adhibetur. Sin *illud*; ipsam quoque fidem excludit quę opus vocatur *Ioh.*6.v.29. Non *secunda*; quia Scripturæ ad justificationem multo apertius exigunt conditionem pœnitentiæ & Sacramentorum, quàm fidei *Ezech.*18.*Luc.*13.*Ioh.*3. Non *tertia* I. quia apprehensio propriè non est fidei judicium & assensus. II. quia fides apprehendit justificationem, non ut re ipsa habeatur aut inhæreat, sed solum ut sit in mente per modum objecti. Hoc autem modo etiam amor & gaudium justificationem apprehendit. III. Quia Applicatio secundum vos fit per Sacramenta. Ergo non per fidem, vel saltem non per solam fidem. *Resp. propositio* vitio duplici laborat, insufficientis enumerationis, & oppositionis. Etenim membro primo omittit evidentis consequentias, per quas multa dicit, docet Scriptura; & in omnibus membris, quæ subordinata sunt, inter se opponit. Conjungimus omnia illa ad asserendam solius fidei justificationem, & ex disjuncto copulatum facimus: *Fides sola justificat*, & *quia* Scriptura id clarè docet, & *quia* placet Deo donare nobis justificationem cum conditione solius fidei eam accipientis, & *quia* ipsa Sola in homine id habet ut justificationem apprehendat. Ex quo apparet, *Assumtionem*, omnibus suis membris ita enumeratis, falsissimam esse; *Primo*; quia supra ostendimus evidenti ac necessaria consequentia, phrasin illam in Scriptura contineri: Negationem *Iac.*2.v.24. non contineri suo loco planum faciemus. Dilemma contra oppositionem fidei & operum, altero membro inconsequens, & sic irritum est; nam fides *Ioh.*6. non nostrum, sed Dei opus vocatur; nec Legis est, sed Euangelii. *Secundo*; quia Deus solam fidem ad accipiendam justificationem à nobis requirit *Act.*10.v.43. *Rom.*4. v.5. *Gal.* 2. v.16. non tanquam caussam disponentem, aut meritoriam, sed ut instrumentum. Ad conversionem autem & salutem requirit conditionem pœnitentiæ, Sacramentorum &c. etsi gradu dispari,

 Ter-

Tertium firmatur quidem rationibus, sed quæ non nisi Sophisticæ deceptiones sunt. *Prima* ambiguitate fallit. Fides non est apprehensio Physica, speculativa, at est apprehensio supernaturalis gratiæ, sive acceptio, applicatio remissionis peccatorum, *Actor.* 26. vers. 18. *Roman.* 5. v. 17. *Iohan.* 1. v. 12. 13. *Secunda* falsa veris miscet. *Verum* est quod fides non apprehendat justificationem, ut nobis inhæreat; *Falsum* quod non apprehendat, ut revera habeatur, contra illud *justificati fide pacem habemus Roman.* 5. v. 1. *Falsum* quod tantum in mente sit per apprehensionem; quia maximè in corde est per fiduciam *Rom.* 8. v. 33. *Gal.* 2. v. 20. *Falsum* denique quod justificationem apprehendant amor & gaudium: quæ eam ceu proprii effectus demum consequuntur *Rom.* 5. *Tertia* iterum ambiguitatem habet. Aliter *Sacramenta*, aliter *Fides* applicat: *illa* dando, *hac* accipiendo; *illa* foris, *hac* intus; *illa* alii, *hac* sibi. Atque hoc modo fidem solam applicare docemus.

Ex natura *Prædicati*:

Quia justificet ut prima motio in Deum, adeoque dispositive.

I. Quod justificat ut prima motio in Deum, ut initinm justitiæ; id disponendo, inchoando justificat. Atqui fides ita justificat. Ergo. *Minor* probatur. I. Testimoniis; *Hebr.* 11. v. 6. *Rom.* 10. v. 13. 14. *Ioh.* 1. v. 12. II. Ratione; in morbis corporalibus initium sanitatis est credere se esse ægrum, & medico fidem adhibere. Ergo in morbis spiritualibus fides justificans est initium justificationis, non tota sanitas. *Resp. Minor* falsa est. Nam fides justificat non ut prima, sed ut tota motio in Deum; nec ut initium justitiæ, sed ut integra justitia. Quod ipsum, *Hebr.* 11. v. 6. aperte docetur, non contrarium; sicut nec ullius præterea motionis mentio fit, nec motio fidei cum motionibus aliarum virtutum ullatenus comparatur. *Rom.* 10. ordo non justificationis, seu caussarum fidei describitur: & adversarii principium bis petunt, dum fidem hic pro prima dispositione, salutem pro justificatione formaliter sumta poni asserunt. *Ioh.* 1. dicitur Deus credentibus dedisse ἐξουσίαν, *potestatem ut Filii Dei sint facti*, non autem ut possint fieri Filii Dei, si pergant ultra, ut etiam sperare & diligere incipiant; quod hæreticum additamentum est. *Ratio à comparatis* non procedit; *partim* quia fides justificans est

proprie

propriè fides, & pro objecto habet infallibiles Dei promissiones; fides autem ægri non est propriè fides, sed sensus ægritudinis, & convalescentiæ à Medico procurandæ opinio, aut incerta spes; *partim* quia justificatio non se habet ut sanatio ægri, (ea quippe Sanctificationis ratio :) verum ut solutio captivi, & ut absolutio rei *Rom.*3. v.19.20.

Quia sit caussa formalis inchoativa justificationis.

II. Caussa formalis inchoata justificationis, non justificat sola, sed justificationem inchoat. Fides est caussa formalis inchoata justificationis. Ergo. *Minor* probatur. I. dicto Apostoli *Rom.* 4.v.5. II. quia fides est fundamentum 1.*Corinth.* 3.vers.11. Fundamentum autem est inchoatio ædificii. III. Puritas cordis est justitia. Fides purificat corda, *Actor.* 15.v.9. liberando scilicet hominem à sordibus errorum formaliter. Ergo. *Resp. Minor* duplici falsitate laborat. *Una* est quod Fides caussa formalis justificationis sit, cum tamen ad caussas efficientes tanquam instrumentum pertineat; *Altera* est quod sit caussa inchoata respectu aliarum caussarum, quæ præter unam fidem in homine nullæ sunt. Dictum *Rom.*4.v.5. metonymicum est, & *fidem imputari ad justitiam* Apostolo est justitiam imputari per fidem, ut exegeticè subjicit v.6. item vers. 23.24. In dicto *secundo.* 1.*Corint* 3. non Fides, sed Christus Jesus fundamentum vocatur, sicut verba Apostoli diserte testantur. Si igitur fundamentum hic rei inchoationem notat, Christus Jesus inchoatio tantum est nostræ salutis. In *Tertio* ex *Actor.*15. *purificare corda* est ea confirmare per fidem de purificatione per sanguinem Christi facta 1.*Ioh.* 1.v.7. In argumento quod inde exstruitur. I. Sunt quatuor termini. II. *Major* ambigua est, quæ de justitiâ vel imputata, vel inhærente intelligi potest. III. *Minor* falsa; nam purificatio cordis hic de justificatione, non de Sanctificatione intelligenda est, etsi hæc ex illa immediate & necessario consequatur.

Secunda: Pontificiorum. An justitia nobis inhærens sit causa formalis justificationis?

SECUNDA: An Iustitia nobis inhærens sit caussa formalis Iustificationis? Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom. IV. Controv. gener. III. parte secunda de Iustificatione Lib. 2. cap.* 3. Nos negamus.

Rationes Negantes Orthodoxæ.

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti* & *Prædicati*:

Quia inhærens non est justitia Dei, fidei, imputata.

I. Justitia, quæ caussa formalis est justificationis, sive per quam formaliter justi constituimur; est justitia Dei, justitia Fidei, justitia imputata. Justitia inhærens non est justitia Dei, justitia Fidei, justitia imputata. Ergo. *Major* patet ex epithetis illis, quibus justitiam, per quam justi sumus coram Deo, Scriptura nobis describit *Rom.* 3. v. 20. 22. *Cap.* 4. v. 5. 6. *Minor* demonstratur per partes: Justitia inhærens non est *Iustitia Dei*; quia ab ea distinguitur, *Philip.* 3. v. 9. nec consistere valet in ejus judicio *Psal.* 143. v. 2. Non *Iustitia Fidei*; quia non operanti, sed credenti Fides imputatur ad justitiam *Rom.* 4. v. 5. Non *Iustitia imputata*; quia quod est in homine, ei propriè loquendo non imputatur. Fides inhærens est in homine. Ergo.

Quia inhærens non est remissio peccatorum.

II. Justitia, per quam Justificamur, est remissio peccatorum. Justitia inhærens non est remissio peccatorum. Ergo. *Minor* extra controversiam est. *Majorem* tradit Apostolus, *Rom.* 4. v. 6. 7. 8. quem locum infra explicabimus & vindicabimus.

Quia inhærens non valet in conspectu Dei.

III. Justitia per quam justificamur valet in conspectu Dei *Rom.* 3. v. 20. 21. Justitia inhærens non valet in conspectu Dei *Psal.* 143. v. 2. *Ne ingrediaris in judicium cum servo tuo; nam non est justus coram te ullus vivens.* Ergo.

Quia non in credendo consistit.

IV. Justitia per quam justificamur, in credendo, non in operando consistit *Rom.* 4. v. 3. 4. 5. Justitia inhærens consistit non in credendo, sed in operando, vel partim in credendo, partim in operando. Ergo.

Quia est imperfecta.

V. Justitiam, per quam justificamur, perfectam esse necessum est: *Ratio*; quia Judicium Dei est secundum veritatem *Rom.* 2. v. 2. Justitia nobis hic inhærens non est perfecta: *Ratio*; quia nec actualis, nec habitualis perfecta dici potest. Non *actualis*;

lis; quia in multis impingimus omnes, *Iac*.3. vers. 2. & quis est qui non peccat? 1.*Reg*. 8. v. 46. Unde Justitiam inhærentem quoad actum perfectam non esse *Bellarminus* fatetur *Lib*.2. *de Iustificationem cap*. 16. Non *habitualis*. I. Quia imperfecta regeneratio *Rom*. 7. 1.*Cor*.13. *Gal*.5. II. Quia perfectio vel imperfectio actus, pendet à perfectione vel imperfectione habitus. Cum igitur actus Justitiæ inhærentis imperfecti sint habitum quoque talem esse oportet. Ergo.

VI. Quod fit gratis, ex gratia, absque operibus; id non fit propter justitiam inhærentem, *Ratio*; quia justitia inhærens sub operibus eorumque lege necessario continetur: Gratia autem & opera sibi immediate opponuntur *Rom*. 11. v. 6. *Ephes*. 2. vers. 8. 9. Justificatio fit gratis, ex gratiâ, absque operibus *Rom*. 3. 4. *capp*. *Gal*. 2. 3. *capp*. Ergo.

Quia justificatio fit gratis.

VII. Nullum effectum caussæ suæ forma est. Justitia inhærens est effectum Justificationis. Ergo. *Minor* probatur: Sanctificatio est effectum Justificationis *Rom*. 3. 4. 5. *capp*. *collatis cum*. *capp*. 6. 7. 8. *Gal*. 3. v. 13. 14. 1.*Tim*. 1. v. 5. Justitiæ inhærentis infusio est Sanctificatio. Ergo; & per consequens ipsa quoque inhærens justitia.

Quia inhærens est effectum justificationis.

VIII. In omnibus Justificatis eadem Justificationis forma est. At in quibusdam Justificatis Justitia inhærens non fuit forma Justificationis; ut in Abrahamo, *Rom*. 4. v. 2. Davidem, v. 6. 7. Publicano, *Luc*. 18. v. 14. Latrone, *Luc*. 23. vers. 42. 43. Paulo, *Phil*. 3. v. 9. Ergo.

Quia in omnibus fidelibus eadem est forma justificationis.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti*:

I. Per gratiam Dei, ut caussam formalem, Justificamur *Rom*. 3. v. 24. Justitia inhærens est illa gratia à Deo nobis donata atque infusa: nam quo minus gratuitus ejus favor intelligatur, obstat, I. vox antecedens δωρεὰν, *gratis*. II. Præpositio *per*, quæ favori Dei non recte accommodatur. III. Quia benevolentia Dei id bonum efficit, quod alicui vult: vult autem nobis bonum inhærentis justitiæ. IV. Quia alibi donum nobis inhærens gratia designat *Rom*. 5. v. 17. *Iohan*. 1. 17. *Ephes*. 4. v. 7. Ergo.

Quia inhærens sit gratia Dei formalis justificationis.

Resp.

Resp. Utraque propositio falsa est. *Major*; quia *Rom.* 3.v.24. *gratia* proponitur non ut caussa formalis justificationis, sed ut ejus efficiens; monstrat enim Apostolus fontem hujus beneficii in gratia Dei. *Minor*; quia gratia hæc est misericordia & φιλανθρωπία Dei, *Tit.* 3.v.4.5. data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia 2.*Tim.* 1.v.9. Justitia inhærens non est misericordia & φιλανθρωπία Dei, nec data est nobis ante tempora secularia. Ergo. *Rationes* in contrarium non magni momenti sunt. *Prima* inconsequens est: nam vox δωρεὰν, per alteram χάριτος declaratur, expresso tanti beneficii largitore. *Altera* falsum præsupponit; nam particula *per* in editione authentica Græca non reperitur; & si reperitur, non male tamen conveniret gratiæ Dei, argumento Loci, *Ephes.* 1.v.6. Nec enim semper caussam formalem, sed frequenter etiam efficientem notat *Rom.* 11.v.36. *Prov.* 8.v. 15. & alibi. *Tertia* peccat fallacia à dicto secundum quid. Efficit benevolentia Dei in hominibus εὐδοκίας id bonum, quod ipsis vult, verum distinctis actibus; bonum justitiæ imputatę actu Justificationis, inhærentis actu Sanctificationis; quemadmodum Christum Filium suum Deus nobis fecit & Justitiam & Sanctificationem 1.*Cor.* 1.v.30. *Quarta* concludit ex puris particularibus; quod ἐνστάσει locorum, *Ephes.* 1.v.6. 2.*Tim.* 1.vers. 9. *Tit.* 3. v.4.5. clarissime demonstratur.

Ex natura *Prædicati:*

Quia per inhærentem justificemur.

I. Per quod Justificamur: id est caussa formalis Justificationis. Per justitiam inhærentem justificamur. Ergo. *Minorem* probant dicto Apostoli *Rom.* 5.vers. 19. hoc modo: I. Justificari est justum constitui. At justi constituimur per justitiam inhærentem. II. Sicut per Adamum constitui sumus peccatores; ita per Christum constituimur justi. Atqui per Adamum constituti sumus peccatores, injustitia in nobis re ipsa inhærente. Ergo. *Resp.* *Minorem* negatam male confirmant dicto Apostolico. *Iustificari* est sane justum constitui, at non per justitiam inhærentem, sed per imputatam, ut *cap.* 4. v. 6. docetur, & ex oppositione condemnationis, v. 18. *antecedente* colligitur. Hic tamen justificatio non à forma, sed ab efficiente meritoria describitur; aliotio quin obedientia Christi esset caussa formalis justificationis. Atque

que hinc jam manifeſtum evadit, *comparationem Adami & Chriſti*, torqueri contra mentem comparantis ad formam ſive modum juſtificationis, quæ de cauſſis efficientibus oppoſitis juſtitiæ & injuſtitiæ tantum agit. Sicut enim *Adamus* eſt cauſſa efficiens injuſtitiæ per inobedientiam, ita *Chriſtus* efficiens eſt juſtitiæ per obedientiam: Et ut *ille* cauſſa eſt injuſtitiæ; imputatio; ita *hic* imputatæ juſtitiæ. Interim non negamus & *Adamum* carnali generatione in ſuos propagaſſe injuſtitiam inhærentem, & *Chriſtum* ſupernaturali regeneratione in ſuos transfundere juſtitiam inhærentem, ſed hoc per Sanctificationem, non per Juſtificationem effectum dat.

II. Juſtificatio eſt ablutio & ſanctificatio à peccatis: definiente Apoſtolo 1.*Cor*. 6. v. 11. At iſtæ juſtitiæ inhærentis infuſionem notant. Ergo & illa. *Reſp. Major* negatur: Apoſtolus loco citato definitionem juſtificationis non proponit, ſed ablutionem à peccatis tanquam genus per Juſtificationem & Sanctificationem, ut ſpecies ſive partes, declarat. *Abluit* ſiquidem nos Chriſtus à peccatis quoad *reatum* Juſtificando, quoad *pravitatem* Sanctificando, ut is qui venit per aquam & ſanguinem, non per aquam ſolum 1.*Ioh*.5.v.6. Quia juſtificatio ſit ablutio à peccatis

III. Juſtificatio eſt regeneratio & renovatio per lavacrum Baptiſmi, & effuſionem Spiritus Sancti. At iſtæ donum nobis inhærens notant. Ergo. Utramque propoſitionem probant ex loco Apoſtoli *Tit*.3.v.5.6.7. *Majorem*; quia dicit nos regeneratos, ut per regenerationem juſtificati, hæredes vitæ æternæ efficeremur. *Minorem*. I. Quia regeneratio eſt mutatio naturæ. II. Quia formalis ejus cauſſa eſt effuſio Spiritus Sancti; principale donum charitas. *Reſp. Minor* vera, *Major* falſa eſt. *Tit*.3. Apoſtolus de Juſtificatione, Sanctificatione & adoptione diſtinctè diſſerit; eaſque cauſſis ſuis externis & internis, principalibus & minus principalibus declarat. Cumque Juſtificationem gratiæ Dei tribuat, operibus juſtis adimat, equidem nullâ rationis ſpecie juſtitiæ ex regeneratione inhęrenti vindicatur. Proinde gloſſa eſt adverſarii nos per regenerationem juſtificari, non ſententia Apoſtoli, qui v. 7. id tantum vult, Spiritum Sanctum per regenerationem fidem nobis indere, quâ juſtificemur coram Deo, apprehensâ ejus in Chriſto gratia. Quia ſit regeneratio.

IV. Quo modo Chriſtus eſt juſtus, Abel & Noachus fuerunt Quia inhærente Chriſtus & Sancti ſint juſti.

erunt justi; eo modo & nos justificamur: *Ratio posterioris* plana est; *prioris* eo probatur quod imagini Christi conformamur *Rom.* 8. v. 29. 1. *Cor.* 15. v. 49. At Christus fuit justus per inhærentem justitiam, sic & Abel ac Noachus, ut qui opera justa fecerunt, quorum caussa est justitia inhærens, non imputata *Hebr.* 11. Ergo. *Resp. Major* quoad Christum inconsequens est. *Minor* quoad Abelem & Noachum falsa est. Etenim, impossibile est ut ii, qui sunt filii iræ naturâ, mortui in peccatis, justificentur eo modo, quo justificatus est qui non novit peccatum, in cujus ore non inventus est dolus. *Conformitas fidelium cum Christo* hic est afflictionum, in altera vita erit gloriæ, *Phil.* 3. v. 21. in cujus tamen partem veniet perfecta Sanctitas. *Abelus* & *Noachus* teste Apostolo *Hebr.* 11. justi fuerunt Justitia fidei; nam *ille* per fidem majoris pretii sacrificium obtulit, per fidem testimonium obtinuit quod justus esset, v. 4. *hic* justitiæ quæ per fidem est, factus est hæres v. 7. At justitia fidei est justitia quam Deus imputat per fidem *Roman.* 4. v. 5. 6. Ergo imputata, non inhærente justitia justi fuerunt. Quæ justitia imputata mediata caussa est operis justi, immediata autem ipsius inhærentis justitiæ, quemadmodum fidem per charitatem operari Apostolus docet *Gal.* 5. v. 6.

Tertia: Pontificiorum. *An justificatio constet sola remissione peccatorum?*

TERTIA: An Justificatio constet solâ remissione peccatorum? Pontificii negant, *Bellarminus Tom.* IV. *Controv. gener.* III. *parte secunda, de justificatione Lib.* 2. *cap.* 6. Nos affirmamus.

Rationes *Affirmantes Orthodoxa.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

Quia per R. P. definitur.

I. Justificatio eo solo constat, per quod ut per formam suam definitur. Atqui per solam remissionem peccatorum definitur. Ergo. *Major* plana est. *Minorem* habemus in definitione Apostoli, quam tradit *Rom.* 4. vers. 6. 7. 8. item *Actor.* 13. v. 38. 39.

Exceptio-

Exceptiones Pontificiorum.

Vindiciæ dictorum.

Rom 4.v.6. 7.8.

Rom. 4. v. 6. 7. 8. inquiunt, aut non est *integra justificationis definitio*, cum dictum Psalmum non alleget Apostolus ut eam definiat, sed ut Dei donum esse probet; aut *definitio implicita*, ex cujus una parte inferatur altera, *partim* quod remissio peccatorum fieri non possit nisi infundatur justitia, quomodo non fugantur tenebræ, nisi lumen succedat; *partim* quod Apostolus ex non imputatione peccatorum colligat imputationem justitiæ, v. 6. 7. quæ non imputatio peccatorum est eorum deletio atque abolitio. *Resp.* Justificationem integrè definiri ex Scopo Apostoli, & ipso sententiarum nexu liquet. *Scopus* est plene declarare modum quo homo justificamur coram Deo; eum hic definit imputatione justitiæ, sive remissione peccatorum, nec in tota loci hujus tractatione alium modum indicat. *Nexus* quoque id ostendit: Dixerat v. 6. Apostolus, *Beatum esse cui Deus imputat justitiam absque operibus.* Hoc v. 7. confirmat testimonio *Psalmi* 32. ubi David *beatum prædicat cui Deus remittit peccata.* Æquipollentia igitur sunt *imputatio justitiæ & remissio peccatorum.* Sed imputatio justitiæ est perfecta justificatio; quia est hominis μακαρισμός. Ergo & remissio peccatorum est perfecta justificatio; eoque integra hujus per illam definitio. Est vero insuper *definitio explicita*, sub quâ Justitiæ inhærentis infusio tanquam pars implicitè contineri nequit. Cum enim Justificatio duobus maximè terminis declaretur, remissionis peccatorum & imputationis justitiæ; omnino alterutrum esse oportet, siquidem ad justificationem referri debet. At neque est *remissio peccatorum*; quia remittere peccata, phrasi Scripturæ, est illa condonare, ignoscere, eis veniam dare, *Matt.* 18. v. 27. *& seqq. Cap.* 9. v. 2. *Cap.* 6. vers. 12. *Luc.* 7. v. 47. neque etiam *imputatio justitiæ*; quia quod infunditur non imputetur; justitia infusa in operando consistit, imputata in credendo *Rom.* 4. v. 5. 6. Ergo. Verum quidem est Deum nemini donare remissionem peccatorum, cui non infundat justitiam, sed id distinctis actibus sive beneficiis facit; illud Justificando, hoc Sanctificando 1. *Cor.* 1. vers. 30. Nec habet se remissio peccatorum ad infusionem justitiæ ut privatio ad formam, quomodo se habet successio luminis ad fugationem tenebrarum, sed ut caussa

ad suum effectum, ut antecedens ad suum consequens. Si nec diversa sunt *non imputatio peccatorum*, & *imputatio justitiæ*, quarum unam cum altera colligat Apostolus; sed æquipollentia quorum unum per alterum declarat. Non imputare verò peccata est ea tegere, ne in conspectum Dei veniant, gratiosè condonare &c. 1.*Petr*.4.v.8.

Act 13.v.38. 39. *Actor*.13.v.38.39. Per remissionem peccatorum non excluditur infusio justitiæ, ut quæ est non sola condonatio pœnæ, sed etiam emundatio culpæ per infusam justitiam. Alibi etiam pars hæc sub Sanctificationis, regenerationis, renovationis nomine Justificationi adjungitur. *Resp*. Locus hic ex jam dictis sufficienter asseritur; ostendimus siquidem justitiam inhærentem per remissionem peccatorum excludi à justificatione, tanquam partem ejus formalem, ut quæ nec remissio peccatorum, neque imputatio justitiæ ei æquipollens dici potest. Quod de emundatione culpæ, & Sanctificatione alibi sub justificatione comprehensa afferunt, pura puta principii petitio est.

Quia reconciliatio nostri cum Deo constat solâ R.P.

II. Reconciliatio nostri cum Deo per mortem Filii, Redemtio per sanguinem ipsius, & justificatio æquipollent *Rom*.5. v.9.10. *Cap*. 3. v. 24. Atqui reconciliatio nostri cum Deo per mortem Filii constat sola remissione peccatorum 2.*Cor*.5.v.18. 19. Redemtio quoque per sanguinem ipsius ea sola constat, *Eph*. 1. v.7. *Colloss*. 1.v.14. Ergo.

Quia per R. P. formaliter Justi sumus.

III. Per quod formaliter justi sumus coram Deo & à peccatis absolvimur; eo solo justificatio nostri continetur *Rom*.4. v. 5. *Cap*. 5.v. 19. *Cap*. 8. v. 33. Per solam remissionem peccatorum formaliter justi sumus coram Deo, *Rom*.4.vers.6.7.8.*Act* 13.v. 38.39. & à peccatis absolvimur *Rom*. 8.v. 33.*Actor*.13.v. 38.39. Ergo.

Quia Justificatio Publicani in ea constitit.

IV. Una eademque omnium Electorum Justificatio est, ut in confesso. Atqui Justificatio Publicani constitit sola remissione peccatorum *Luc*. 18. v. 13. 14. Nam Justificatus descendisse dicitur, impetrato eo quod petierat, petierat autem solam peccatorum remissionem. Ergo.

Excipiunt Pontificii.

Luc 18.v.14. 15. *Luc*. 18. Publicanus non petiit solam debiti condonationem,

nem, sed integram reconciliationem: tum quod deinceps iniquus esse nollet, tum quia exaltatus fuisse dicitur; quæ exaltatio fuit ejus ad novos honores evictio, quod ex injusto justus, ex servo peccati servus justitiæ, ex filio Diaboli Filius Dei repente fieret. *Resp.* Sola debiti condonatio est tota reconciliatio, *partim*; quia id docet Apostolus 2.*Cor*. 5. v. 19. *partim*; quia ei soli beatitatem cum Davide tribuit *Roman*. 4. v. 7. Hanc petiit Publicanus, non quod deinceps iniquus esse vellet, sed quod impetrata remissione peccatorum cætera ad salutem necessaria accepturum se confideret. *Exaltatio* ejus *alia* fuit per Justificationem ad ἐξουσίαν Filiorum Dei, *Ioh*. 1.v.12. *Ephes*. 1.v.5.6.8. *alia* per Sanctificationem in ordinem servorum Justitiæ *Rom*.6.v.12. *& seqq*. Vindicatur.

V. Μακαρισμὸς sive beatitas est ex perfectâ Justificatione *Rom*. 4. v. 6. Atqui est ex solâ peccatorum remissione vers. 7. 8. Ergo. Quia ex R. P. est beatitas.

Rationes Pontificiorum.

Neg ... Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati*:

I. Scriptura Justificationem hominis coram Deo etiam per naturæ renovationem definit. Ergo ea sola peccatorum remissione non continetur. Antecedens probant dictis: *Rom*.4. v. 25. *Cap*. 5. v. 21. *Cap*. 6.v.13. *Cap*. 8.vers.10. *Gal*. 3.vers.21. *Eph*. 4.v.23. *Resp*. *Antecedens* locis allegatis non reperitur. *Rom*.4.v.25. *Iustificatio* est ipsa remissio peccatorum, *ex* v. 6. 7. ad quam testandam, applicandam, Christus resuscitatus fuit 1.*Cor*.15.v.17. De Renovatione demum, *cap*. 6. sermo instituitur. *Rom*.5.v. 21. *Iustitia* non est inhærens illa ex renovatione, sed imputata, *cap*. 4. v.6. per quam gratia regnat ad vitam æternam, impertiendo eam credentibus, sicut peccatum Adæ regnavit in posteris ad mortem, quatenus imputatum ipsis mortem attulit. *Rom*. 6. v. 13. *Cap*. 8. v.10. *Ephes*. 4.23. de Sanctificatione non de Justificatione agunt. Quæ etsi cohæret inseparabiliter, genere tamen, forma, ordine, effectu & gradibus differunt, ut una forma alterius esse non possit. Denique, *Gal*.3.v.21. per metonymiam effectus *vivificare* pro justificare usurpatur, non quod justi-

Quia definiatur justificatio per renovationem naturæ.

justificatio sit motus, vitam subjecto infundentis, sed quia credentis ad vitam absolutio est, juxta illud *justus ex fide vivet Rom.* 1.v.17.

Quia R. P. non sit motus à peccato ad justitiam.

II. Justificatio est motus à peccato ad Justitiam: qui à termino ad quem nomen accepit. Sola Remissio peccatorum non est motus à peccato ad justitiam; sed præter eam infusio justitiæ, quemadmodum sola fugatio tenebrarum non est illuminatio. Ergo. *Resp. Major* falsa est. Scriptura non per motum, sed per remissionem peccatorum & imputationem justitię definit justificationem. Quæ Dei actiones si maxime motus dicendæ essent per κατά χρῆσιν quandam, non tamen motus forent expellentis peccatum, & infundentis justitiam, (ut sunt illuminatio, calefactio, & alii similes,) sed remittentis sive non imputantis peccatum, imputantis autem justitiam. Prior vero motus in Sanctificatione, quæ naturæ mutatio est, deprehenditur.

Quia R P. non tribuat gloriam.

III. Justificatio, non tantum liberat à pœna, sed etiam tribuit gloriam. Sola remissio peccatorum liberat à pœna, sed non tribuit gloriam: ut in forensi judicio, qui absolvitur à judice, novo præmio non ornatur. Ergo. *Resp. Minor* negatur. Si non tribuit gloriam, quomodo beati prædicantur quibus peccata remissa sunt *Psal.* 32.v.2.3. Idèo vero tribuit; quia condonatio est peccatorum omnium, tam Omissionis quam Commissionis; per quam censemur non modo nihil commisisse adversus legem, verum etiam nihil ea imperatum omisisse: Qualibus gloria omnino proposita est *Lev.* 18. v. 5. Absolutio judicis civilis huic dissimilis est, utpote particularis tantum; Interim & ipse absolutio conservationem in vita ac defensionem, tanquam communia, innocentiæ pręmia pręstat: Singularia singularibus in Remp. meritis reservās.

Quia R. P. non faciat amicos Dei.

IV. Justificatio ex inimicis facit amicos, Filios, dilectos, cives Sanctorum, domesticos Dei, hæredes regni. Sola remissio peccatorum non facit tales. *Ratio*; quia nullus amore dignus, quod ei debita condonata sunt, cum dissolvere ea non posset, nec continuo efficitur Filius aut civis, qui pœnam, cui juste adjudicatus erat, judicis clementia non subit. *Resp. Minor* contradicit Apostolo *Eph.* 1.v.5.6.7. qui omnia illa remissioni peccatorum per Sanguinem Christi asscribit. *Ratio* ejus inconsequens est. I. quia aliæ sunt viæ Dei, aliæ viæ hominum; alia ratio poli, alia soli *Esa.* 55.v.8.9. II. quia condonatio debitorum tam ad omissionis

nis quam ad commissionis peccata sese extendit, juxta illud 1. *Ioh.* 1. v. 7. *Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato.*

QVARTA: *An justificatio consistat in Imputatione justitiæ Christi, hoc est in Imputatione justitiæ per Christum nobis acquisitæ?* Pontificii negant, *Bellarm. Tom. IV. Controv. gener. III. parte secund. de Iustificatione Lib. 2. cap. 7.* Nos affirmamus.

Quarta: Pontificiorum. An justificatio consistat in imputatione justitiæ Christi

Rationes nostræ.

Rationes *Affirmantes Orthodoxæ.*

Ex natura *Subjecti:*

I. Per quod justificationem definit Scriptura; in eo ratio ejus posita est. Per imputationem justitiæ eam definit *Rom.* 4. v. 5. 6. Ergo.

Quia per imputationem justitiæ definitur.

II. Justificari est justum constitui *Rom.* 5. 19. At justi constituimur justitia Christi imputata, Ergo. *Minor* probatur: Ut per inobedientiam Adæ constitui sumus peccatores; ita per obedientiam Christi constituimur justi *Rom.* 5. v. 19. Atqui per inobedientiam Adæ constitui sumus peccatores imputatione, non sola propagatione, ut in cujus persona imputatione, non actione, peccavimus *Rom.* 5. v. 12.

Quia justi constituimur imputata justitia Christi.

III. Justificari est reconciliari Deo *Rom.* 5. v. 9. 10. At Deo reconciliamur per non imputationem peccatorum, 2. *Cor.* 5. v. 19. sive per imputationem justitiæ *Rom.* 4. v. 5. Ergo.

Quia per imputationem illam reconciliamur Deo.

IV. Quomodo Christus factus est pro nobis peccatum; eo modo nos simus justitia Dei in ipso, id est justificamur. Atqui Christus factus est peccatum non infusione; nam non novit peccatum 1. *Pet.* 2. v. 22. sed imputatione, ut qui inter transgressores numeratus fuit, *Esai.* 53 vers. 12. factus maledictio *Galat.* 3. v. 13. Ergo.

Quia per imputationem Christus pro nobis factus est peccator.

Ex natura *Prædicati:*

I. Quæ nostra coram Deo justitia est; ea justificamur *Rom.* 3. v. 20. 22. justitia Christi per fidem imputata nostra est coram Deo justitia 1. *Cor.* 1. v. 30. Quo loco Christum justitiam nostram dici

Quia justitia Christi est nostra coram Deo justitia.

agnos-

agnoscit *Bellarminus*, tum quia est caussa efficiens nostræ justitiæ; tum quia satisfactionem suam nobis donat in justificatione, ut justitia nostra dici possit; additis his verbis: *Non absurde dici nobis imputari Christi justitiam & merita, cum nobis applicentur ac donentur, ac si nos ipsi satisfecissemus lib.2.cap.*10.Ergo.

Quia illa est justitia Dei revelata absque lege.

II. Justitia Dei revelata absque lege per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt, est justitia imputata: *Ratio*; quia est justitia fidei. Justitia autem fidei & justitia imputata æquipollent *Rom*.4. v. 5.6. Atqui justitia qua justificamur est justitia Dei revelata absque lege per fidem &c.*Rom*. 3.v.21.22. Ergo.

Quia credens justitiâ imputatâ beatus, &c.

III. Qui justitia gratis imputata beatus est;per justitiæ imputationem justificatur.Omnis credens justitia gratis imputata beatus est *Rom*.4.v.6. Ergo.

Negantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Prædicati:*

Quin nusquam legatur justitiam Christi nobis imputari.

I. Nusquam legitur in Scriptura justitiam Christi nobis imputari, vel nos justos esse per justitiam Christi nobis imputatam. Ergo in imputatione justitiæ Christi justificatio non consistit. *Resp*:ad *Antecedens*.Non legitur sane his ipsis verbis; interim aliis æquipollentibus.Nam docet Apostolus *Rom*.4.v.6.homini imputari justitiam,*cap*. 5. vers. 19. eum unius Christi obedientia constitui justum 1.*Cor*. 1. vers.30. Christum esse nostram Justitiam, 2.*Cor*. 5.v.19. nos fieri justitiam Dei in Christo. Hoc vero quid aliud est, quam justitiam Christi nobis imputari, sive nos per imputatam Christi justitiam justos esse?

Quia imputationis nulla sit necessitas.

II. Cujus nulla est in Justificatione necessitas;in eo ratio justificationis non consistit. Imputationis ejusmodi nulla est in justificatione necessitas. Ergo. *Minorem* probant. I. Si necessaria esset illa imputatio; ideo potissimum necessaria esset, quod homo post remissionem peccatorum adhuc sit vere peccator, peccato videlicet recto, non deleto. At non hoc; quia prorsus tollitur per remissionem.Ergo. II. Si fides, spes, & charitas in hac vitâ possunt esse perfectæ, non est necessaria imputatio justitiæ Christi. Atqui possunt esse perfectæ; *Fides*; quia nisi hic perfecta esse possit, nunquam erit, cum post hanc vitam evacuanda sit; fidei

etiam

etiam perfectæ exempla sunt in Eunucho, *Act.*8.v.37. & Abrahamo, *Rom.*4.v.18. *Spes*, argumento loci *Hebr.*6.19. *Charitas*, testimonio Christi, *Ioh.*15.v.13. Ergo, *Resp. Minor* Syllogismi principalis falsissima est. Summa imputationis necessitas est ex defectu justititiæ propriæ, quam proponit & exponit Apostolus *Rom.*3.v.20.*& seq.cap.*4.v.5.6.7.*Epilogismi primi* tum *sequela* negatur, tum *Assumtio.Illa*; quia Remissio Peccatorum & Imputatio justitiæ non sunt duo actus diversi, quorum unus post alterum fiat, sed actus unus idemque, qui *Remissio peccatorum* vocatur respectu termini à quo, *Imputatio Iustitiæ* verò respectu termini ad quē; quemadmodum ex nexu sententiarum *Rom.*4.v.6.7.8. evidenter apparet. *Ista*; quia tollitur peccatum per remissionem, non ut non sit, sed ut non imputetur, verùm tegatur, ut est *Rom.*4.v.7.8. Per regenerationem verò tollitur ut non sit, sed successivè & per gradus. In *Epilogismo secundo* similiter tam *Propositio*: quàm *Assumtio* falsa est. Nam si maximè in hâc vita perfectæ esse possent virtutes illæ, tamen *necessario imputatio* foret: *partim* propter antegressa peccata, quæ succedaneis virtutibus non abolentur in judicio Dei; *partim* quod justitia universali per quam obtinetur Justificatio, alias insuper virtutes requirit. Sed ne illas quidem perfectas esse in hac vita, aut esse posse, alibi demonstrabitur. Contrarium verò adductis rationibus non confirmatur. Etenim *Fides* in altera vita perficietur glorioso Dei aspectu 2.*Cor.*5.v.7. Hic etiam in Eunucho & Abrahamo imperfecta fuit, *Gen.*17.v.17.*Cap.*20.v.11.12. 1.*Cor.*13.v.9. etsi ille credidisse dicitur corde toto, id est, sincero, non dimidiato, *Actor.*8.v.37. hic cum plena, certa, firma persuasione. *Spes Hebr.* 6.v.19. non à perfectione, sed à firmitate ita describitur, ut quæ sperantem non confundit. *Charitas* qua quis animam ponit pro amicis, *Ioh.*15.vers.13. maxima dicitur, quod externam demonstrationem attinet; interim ardore Zeli & sinceritate affectus crescere semper potest. Neque universalis, sed particularis justitia est.

III. Imputatio Justitiæ Christi impossibilis est. Ergo falsum quod imputetur. *Antecedens* probant: Cum in aliquo sunt duæ formæ contrariæ, una inhærens, altera extrinseca; absoluta denominatio ab inhærente potius, quam extrinseca sumitur: Patet exemplo Æthiopis alba veste induti, qui niger potius, quàm albus vocatur. Atqui in homine, per doctrinam de Imputatione ju- Quia imputatio illa sit impossibilis.

 stitiæ

agnoſcit *Bellarminus*, tum quia eſt cauſſa efficiens noſtræ juſtitiæ; tum quia ſatisfactionem ſuam nobis donat in juſtificatione, ut juſtitia noſtra dici poſſit; additis his verbis: *Non abſurde dici nobis imputari Christi justitiam & merita, cum nobis applicentur ac donentur, ac ſi nos ipſi ſatisfeciſſemus lib.2.cap.*10.Ergo.

Quia illa eſt justitia Dei revelata abſque lege.

II. Juſtitia Dei revelata abſque lege per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt, eſt juſtitia imputata: *Ratio*; quia eſt juſtitia fidei. Juſtitia autem fidei & juſtitia imputata æquipollent *Rom.*4. v. 5.6. Atqui juſtitia qua juſtificamur eſt juſtitia Dei revelata abſque lege per fidem &c.*Rom.* 3.v.21.22. Ergo.

Quia credens juſtitiâ imputatâ beatus, &c.

III. Qui juſtitia gratis imputata beatus eſt; per juſtitiæ imputationem juſtificatur. Omnis credens juſtitia gratis imputata beatus eſt *Rom.*4.v.6. Ergo.

Negantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Prædicati:*

Quin nuſquam legatur juſtitiam Chriſti nobis imputari.

I. Nuſquam legitur in Scriptura juſtitiam Chriſti nobis imputari, vel nos juſtos eſſe per juſtitiam Chriſti nobis imputatam. Ergo in imputatione juſtitiæ Chriſti juſtificatio non conſiſtit. *Reſp*:ad *Antecedens*. Non legitur ſane his ipſis verbis; interim aliis æquipollentibus. Nam docet Apoſtolus *Rom.*4.v.6.homini imputari juſtitiam, *cap.* 5. verſ. 19. eum unius Chriſti obedientia conſtitui juſtum 1.*Cor.* 1. verſ.30. Chriſtum eſſe noſtram Juſtitiam, 2.*Cor.* 5.v.19. nos fieri juſtitiam Dei in Chriſto. Hoc vero quid aliud eſt, quam juſtitiam Chriſti nobis imputari, ſive nos per imputatam Chriſti juſtitiam juſtos eſſe?

Quia imputationis nulla ſit neceſſitas.

II. Cujus nulla eſt in Juſtificatione neceſſitas; in eo ratio juſtificationis non conſiſtit. Imputationis ejuſmodi nulla eſt in juſtificatione neceſſitas. Ergo. *Minorem* probant. I. Si neceſſaria eſſet illa imputatio; ideo potiſſimum neceſſaria eſſet, quod homo poſt remiſſionem peccatorum adhuc ſit vere peccator, peccato videlicet recto, non deleto. At non hoc; quia prorſus tollitur per remiſſionem. Ergo. II. Si fides, ſpes, & charitas in hac vitâ poſſunt eſſe perfectæ, non eſt neceſſaria imputatio juſtitiæ Chriſti. Atqui poſſunt eſſe perfectæ; *Fides*; quia niſi hic perfecta eſſe poſſit, nunquam erit, cum poſt hanc vitam evacuanda ſit; fidei

etiam perfectæ exempla sunt in Eunucho, *Act*.8.v.37. & Abrahamo, *Rom*.4.v.18. *Spes*, argumento loci *Hebr*.6.19. *Charitas*, testimonio Christi, *Ioh*.15.v.13. Ergo, *Resp*. *Minor* Syllogismi principalis falsissima est. Summa imputationis necessitas est ex defectu justititiæ propriæ, quam proponit & exponit Apostolus *Rom*.3.v.20.*&* *seq.cap*.4.v.5.6.7.*Epilogismi primi* tum *sequela* negatur, tum *Assumtio*.*Illa*; quia Remissio Peccatorum & Imputatio justitiæ non sunt duo actus diversi, quorum unus post alterum fiat, sed actus unus idemque, qui *Remissio peccatorum* vocatur respectu termini à quo, *Imputatio Iustitiæ* verò respectu termini ad quē; quemadmodum ex nexu sententiarum *Rom*.4.v.6.7.8. evidenter apparet. *Ista*; quia tollitur peccatum per remissionem, non ut non sit, sed ut non imputetur, verùm tegatur, ut est *Rom*.4.v.7.8. Per regenerationem verò tollitur ut non sit, sed successivè & per gradus. In *Epilogismo secundo* similiter tam *Propositio*: quàm *Assumtio* falsa est. Nam si maximè in hâc vita perfectæ esse possent virtutes illæ, tamen *necessario imputatio* foret: *partim* propter antegressa peccata, quæ succedaneis virtutibus non abolentur in judicio Dei; *partim* quod justitia universali per quam obtinetur Justificatio, alias insuper virtutes requirit. Sed ne illas quidem perfectas esse in hac vita, aut esse posse, alibi demonstrabitur. Contrarium verò adductis rationibus non confirmatur. Etenim *Fides* in altera vita perficietur glorioso Dei aspectu 2.*Cor*.5.v.7. Hic etiam in Eunucho & Abrahamo imperfecta fuit, *Gen*.17.v.17.*Cap*.20.v.11.12. 1.*Cor*.13.v.9. etsi ille credidisse dicitur corde toto, id est, sincero, non dimidiato, *Actor*.8.v.37. hic cum plena, certa, firma persuasione. *Spes Hebr*. 6.v.19. non à perfectione, sed à firmitate ita describitur, ut quæ sperantem non confundit. *Charitas* qua quis animam ponit pro amicis, *Ioh*.15.vers.13. maxima dicitur, quod externam demonstrationem attinet; interim ardore Zeli & sinceritate affectus crescere semper potest. Neque universalis, sed particularis justitia est.

III. Imputatio Justitiæ Christi impossibilis est. Ergo falsum quod imputetur. *Antecedens* probant: Cum in aliquo sunt duæ formæ contrariæ, una inhærens, altera extrinseca; absoluta denominatio ab inhærente potius, quam extrinseca sumitur: Patet exemplo Æthiopis alba veste induti, qui niger potius, quàm albus vocatur. Atqui in homine, per doctrinam de Imputatione ju-

Quia imputatio illa sit impossibilis.

ſtitiæ, ſtatuuntur duæ formæ contrariæ : una inhærens, injuſtitia; altera intrinſeca, nempe juſtitia imputata, qua homo tanquam veſte per apprehenſionem induitur. Ergo. *Reſp. Antecedens* contradicit Apoſtolo *Roman.* 4. v. 5. 6. *Probatio* impertinens; quia forma utraque, tam externa quam interna, ſtatuitur inhærere vel adhærere ſubjecto. Nos vero juſtitiam imputatam nobis inhærere vel adhærere negamus.

Quia ſic æque juſti eſſemus ac Chriſtus.

IV. Si verè nobis imputaretur Juſtitia Chriſti; non minus juſti eſſemus quàm ipſe Chriſtus, & ita haberi deberemus Servatores mundi; Chriſtus contra propter imputatam ſibi injuſtitiam noſtram dici poſſet verè peccator. Conſequens abſurdum. Ergo. *Reſp. Conſequentia* partim falſa, partim ambigua eſt. *Falſa* 1. quia Chriſtus juſtus eſt juſtitia inhærente eſſentiali Deitatis, habituali & actuali humanitatis; Nos juſti ſumus coram Deo Juſtitia paſſionum, mortis ejus, nobis imputata, 11. quia imputatur ſingulis Chriſti Juſtitia in quantum λύτρον eſt pro ſingulis *Gal.* 2. v. 20. Et ut quis dici poſſit ſervator mundi, ad id Perſona θεάνθρωπος, & Divina ordinatio imprimis requiruntur, *Ambigua*; quia adverbium *verè*, de veritate vel imputationis vel inhæſionis intelligitur; *dici* item *peccatorem*, de tempore aut præterito aut præſenti. De veritate imputationis & tempore præterito, abſque omni abſurditate affirmatur Chriſtum vere fuiſſe peccatorem, quia ſecundum Scripturam affirmatur *Eſa.* 53. verſ. 12. *Gal.* 3. v. 13. De veritate inhæſionis vero temporeque præſenti ſimpliciter negatur.

Quia juſtitia imputata non fuerit amiſſa in Adamo.

V. Quod non fuit amiſſum in Adamo, non redditur in Chriſto, Juſtitia imputata non fuit amiſſa in Adamo. Ergo. *Reſp. Major* negatur; nam ita nec remiſſio peccatorum daretur in Chriſto, quæ amiſſa non fuit in Adamo: *Ratio* autem negatę Majoris hæc eſt; quia Chriſtus non tantum reſtituit nobis bona in Adamo amiſſa, & quidem cum luculenta acceſſione; verum etiam depellit à nobis mala in ipſo contracta, è quibus reatum peccati, imputatione juſtitiæ; pravitatem, renovatione naturæ tollit.

QVINTA

Quinta: Pontificiorum. An bona opera justificent coram Deo:

QVINTA: An bona opera justificent coram Deo? Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom. IV. Controv. gener. III. parte secunda de Justificatione Lib.* 4. *cap.* 18. *& seqq.* Nos negamus.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti & Prædicati:*

Quia bonis operibus justificatio derogatur.

I. Quibus Justificatio simpliciter derogatur; ea non justificant. Bonis operibus justificatio simpliciter derogatur, *Rom.* 3. & 4. *Gal.* 2. & 3. *capp.* & universale est effatum Apostolicum: *Ex operibus Legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus Rom.* 3. v. 20. Ergo.

Quia justificatio per opera est impossibilis.

II. Justificatio per opera, est justificatio per totalem Legis impletionem *Gal.* 5. v. 3. *Cap.* 3. v. 10. At justificatio per totalem Legis impletionem est impossibilis *Rom.* 8. v. 3. Ergo.

Quia gratis, per fidem justificamur.

III. Qui gratis, ex gratia, per fidem justificantur; non justificantur bonis operibus, *Ratio*; quia opera Gratiæ & Fidei immediate opponuntur. At quotquot justificantur, gratis, ex gratia, per fidem justificantur; ut supra probatum. Ergo.

Quia qui ex operibus legis sunt, sunt sub maledictione.

IV. Qui sub maledictione sunt non justificantur. Qui ex operibus Legis sunt & per ea justificari volunt, sub maledictione sunt *Gal.* 3. v. 10. Ergo.

Quia sic irrito foret promissio & fides

V. Si bona opera justificant; irrita est promissio & fides, *Rom.* 4. v. 14. Christus frustra mortuus est, *Gal.* 2. v. 21. habet homo de quo, apud Deum glorietur *Rom.* 4. v. 2. Consequens affirmatur impium *Rom.* 4. v. 16. 25. *Cap.* 3. v. 27. Ergo.

Quia bonis operibus sancti non fuerunt justificati.

VI. Bona opera Abrahami, *Rom.* 3. v. 2. Jobi, *cap.* 10. v. 15. Davidis, *Psal.* 143. v. 2. Pauli, *Phil.* 3. vers. 9. non justificarunt ipsos coram Deo. Ergo nulla bona opera justificant coram Deo.

Affirmantes heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Subjecti* & *Prædicati:*

Quia Jacobus cap. 2. justificationem operibus tribuat.

I. Apostolus Jacobus Justificationem bonis operibus tribuit. Ergo ea justificant. *Antecedens* planum est ex *cap.* 2. ubi non declarationem, sed incrementum justificationis notari liquet. I. ex v. 22. quo fides dicitur cooperata operibus, utique ad justificationem. II. ex v. 24. *Videtis ex operibus, justificari hominem & non per fidem tantùm.* At fides non justificat declarando. III. ex v. 21. 22. *Ex operibus fides Abrahæ fuit consummata.* IV. Exemplo Rachabæ, quæ justificata dicitur operibus v. 25. At non per declarationem, fuit enim meretrix. Ergo per effectionem. *Resp.* Apostolus *Iacobus* tribuit quidem *Iustificationem operibus*, at non coram Deo, (quod in quæstione,) sed coram hominibus; & justificare ipsi est justitiam fidei operibus ejus demonstrare. Secus nulla ratione conciliari poterit cum Apostolo Paulo, quicquid etiam de justificatione prima & secunda Sophistæ garriant. Etenim prima ipsis est infusio charitatis, secunda charitatis incrementum. Si ergo de prima Paulus, de secunda Jacobus loquitur; ille charitati, hic incremento justificationem tribuit. At non hoc; quia Paulus ubique justificationem fidei tribuit, Jacobus operibus. Ergo. *Rationes* adversariorum contra justitiæ declarationem sic breviter refellimus. *Prima* textum glossa Papali corrumpit, fidem cooperatam operibus ad justificationem. Imo cooperata ipsis est tum ad bonitatem ipsorum; quia *quod non ex fide peccatum est*, *Rom.* 14. v. 23. tum ad sui per opera patefactionem, *Matt.* 5. v. 16. ut quæ per charitatem ἐνεργουμένη, operans est *Galat.* 5. v. 6. *Secunda* ambiguitate fallit. Fides hic non est vera fides, de qua *Rom.* 3. sed inanis ejus jactantia v. 14. 16. &c. Huic justificatio etiam quoad declarationem adimitur; nec enim ex eo quis agnoscitur habere fidem, quod verbis eam jactitat, sed quod operibus comprobat. *Tertia*: Fides Abrahæ consummata fuit per opera perfectione non formæ, (alioquin eo usque informis fuisset, quæ secundum ipsos non justificat,) sed actus sive operationis. *Quarta*: Quia Rachab ante meretrix, tum fidelis, hospitalitate, occultatione, conservationeque explo-

exploratorum Israeliticorum, fidem suam testatam fecit, (undecunque etiam eam conceperit,) sicut longo tempore post, latro in cruce fidem suam declaravit objurgatione socii, tum primum acceptam: *Ratio*; quia opera illa fuerunt charitatis, charitas autem non aliunde quàm ex fide 1.*Tim*.1.v.5.

II. Qui potest legem implere, potest etiam per opera justificari. Justus potest legem implere. Ergo. *Resp. Minor* negatur. Ejus autem probationis loco sequenti de Sanctificatione examinabuntur. Quia justus queat legem implere.

III. Si potest justus opera vere bona facere, quæ nullo vitio polluta sunt, tum potest justitiam facere, & multiplicando opera sua augere justitiam. Verum prius. Ergo & posterius. *Resp.* 1. Non concluditur quæstio, quæ non est de incremento justitiæ inhærentis per opera, sed de justificatione coram Deo per opera. II. Si etiam de justificatione coram Deo accipiatur, *Propositio* tamen inconsequens est, nisi omnia opera bona facere, mala omittere posse intelligatur. III. *Assumtio* falsa est. Licet enim fideles opera vere bona facere possint, tamen absque omni vitio facere ea nequeunt. De quo infra pluribus. Quia justus queat vere bona opera facere.

LOCUS DECIMUSQUINTUS.

De

SANCTIFICATIONE.

Controversiæ de SANCTIFICATIONE, Pontificiorum *sunt numero tres*; *in quibus* Samosateniani *etiam ex parte consentiunt*;

I. An bona opera ad salutem efficiendam necessaria sint?

II. An sint meritoria vitæ æternæ?

III. An Lex Dei Justificatis sit absolute possibilis?

EXEGESIS.

Prima: Pontificiorum. An bona opera ad salutem efficiendam sint necessaria?

RIMA: *An bona opera ad salutem efficiendam necessaria sunt*? Pontificii affirmant, *Bellarmin. Tom. IV. Controv. gener. III. parte secunda de Iustificatione Lib. 4. cap. 1. & seqq.* Nos eo sensu necessario esse negamus, etsi multis aliis modis necessaria esse agnoscamus & constanter urgeamus.

Rationes Negantes Orthodoxæ.

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia operibus ea efficientia adimitur.

I. Quibus omnem salutis efficientiam Scriptura adimit; ea ad efficiendam salutem necessaria non sunt. Bonis operibus omnem salutis efficientiam Scriptura adimit *Rom.* 3. v.20. *& seqq. Ephes.* 2.v.8.9. 2.*Tim.* 1.v.9. *Tit.*3. v.5. Ergo.

Quia bona opera coram Deo sunt immunda.

II. Quod in efficientia salutis coram Deo est ut panniculus

lus menstruatus, & cujus fiducia caput erigere non audemus; id ad efficiendam salutem necessarium non est. Atqui omnia nostra bona opera sic se habent *Esa.* 94. vers. 10. *Iob.* 10. vers. 15. Ergo.

III. Via salutis non est caussa efficiens salutis. Bona opera sunt via salutis. Ergo. *Propositio* utraque confirmatur dicto Apostoli *Ephes.* 2. v. 8. 9. 10. Quia sunt via salutis.

Ex natura *Prædicati:*

I. Quod merè gratuitum Dei donum est, ad ejus efficientiam bona opera necessaria non sunt *Rom.* 11. v. 6. Salus æterna merè gratuitum Dei donum est *Roman.* 6. v. 23. *Ephes.* 2. v. 9. *Tit.* 3. v. 5. Ergo. Quia solus gratuitum Dei donum est.

II. Quod à solius Christi efficientia dependet, ad id efficiendum bona opera necessaria non sunt. Salus nostra à solius Christi efficientia dependet *Actor.* 4. v. 12. Ergo. Quia salus à solius Christi efficientia dependet.

Rationes Pontificiorum.

Affirmant Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti:*

I. Scriptura passim commendat nobis bona opera tanquam ad salutem necessaria. Ergo sunt necessaria. *Resp.* I. Non concluditur quæstio, quæ non de quavis, sed de efficientiæ necessitate agit. II. commendat nobis Scriptura bona opera non ut caussas efficientes salutis, sed ut viam salutis, quam præparavit Deus ut in ea salvandi omnes ambulent, *Ephes.* 2. v. 10. ut obedientiam erga Deum, *Luc.* 1. v. 75. & gratitudinis Testimonia, *Matth.* 5. v. 16. ut documenta fidei, vocationis, & Electionis nostræ, *Gal.* 5. v. 6. *Iac.* 2. v. 16. 18. 2. *Petr.* 1. v. 10. denique ut media proximum Christo lucrifaciendi 1. *Petr.* 3. v. 1. Quia bona opera commendentur ceu necessaria ad salutem.

II. Quod operatur salutem, ad eam efficiendam necessarium est. Bona opera operantur salutem *Philipp.* 2. v. 12. Ergo. *Resp.* *Minor* negatur; nec ea *Phil.* 2. habetur; quia non dicit Apostolus bona opera operari salutem, sed jubet fideles cum timore ac tremore, sine arrogantia & securitate carnali, operari salutem, id est, ea quæ ad salutem obtinendam requiruntur curare, sicque in cursu pietatis modestos ac indefessos progredi. Quia operentur salutem.

III. Fa-

Quia factor operis sit beatus.

III. Factor operis beatus est *Iac.* 1. vers. 25. Ergo bona opera efficientiam salutis habent. *Resp.* *Consequentia* negatur. Beatus est, quia incedit in via beatorum, *Psal.* 1. v. 1. *Ephes.* 2. v. 10. non autem quod beatitudinem suam per opera efficiat. Talis ergo pronunciatur ab adjuncto signo, non à caussa efficiente.

Ex natura *Prædicati*:

Quia salus, promittatur sub conditione bonorum operum.

Quod sub conditione bonorum operum nobis promittitur in Euangelio; ad id efficiendum bona opera necessaria sunt. Salus æterna sub conditione bonorum operum nobis promittitur in Euangelio. Ergo. *Resp.* *Majorem* limitando: Quod promittitur sub conditione bonorum operum, tanquam caussarum efficientium; ad id efficiendum necessaria sunt. Universaliter accepta falsa est. At illo sensu *Minor* negatur. *Euangelium* non promittit salutem sub conditione bonorum operum ut caussarum eam efficientium, sed sub conditione *fidei* & *resipiscentiæ*; *illius*, ut instumenti accipiendæ remissionis peccatorum; *hujus*, ut caussę sine qua non: neque sub conditione resipiscentiæ, sive novæ obedientiæ perfectę; sed per gratiam inchoatæ. Ergo.

Secunda: Pontificiorum. *An bona opera sint meritoria vitæ æternæ?*

SECVNDA: *An bona opera sint meritoria salutis æternæ?* Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom. IV. Controv. gener. III. parte secunda de Iustificatione Lib. 5. cap. 1. & seqq.* Nos negamus.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia id negat Scriptura.

I. Scriptura operibus nostris omne salutis meritum negat *Ephes.* 2. v. 8. 9. 2. *Tim.* 1. v. 9. *Tit.* 3. v. 5. Ergo meritoria non sunt salutis æternæ.

Quia bona opera sunt imperfecta.

II. Opus imperfectum non est meritorium salutis æternę. Omnia nostra bona opera sunt imperfecta *Esa.* 64. v. 10. *Rom.* 7. v. 14. *Luc.* 17. v. 10. *Gal.* 5. v. 17. Ergo.

Quia iis præstitis sumus inutiles.

III. Quo præstito servi tamen inutiles sumus; eo salutem æternam non meremur. Atqui præstitis bonis operibus omnibus

quæ

quæ Lex præcipit, servi tamen inutiles, sumus teste Christo *Luc.* 17. v. 10. Ergo.

Ex natura *Prædicati*:

Quia salus est donum gratuitum.

I. Quod est donum gratuitum, & hæreditas non ex operibus, ejus meritoria non sunt bona opera *Rom.* 11. v. 6. Salus æterna est donum gratuitum, *Rom.* 6. v. 23. *Eph.* 2. v. 8. 9. est hæreditas non ex operibus *Rom.* 4. v. 16. Ergo.

Quia bona opera non habent requisita meritorum.

II. Quod meritorium est salutis æternæ; id nostrum, indebitum, & ipsi Saluti analogum esse oportet: *Ratio*; quia hæc meriti propriè dicti requisita sunt. Atqui bona opera non sunt nostra, sed Dei in nobis operantis effecta: *Phil.* 2. v. 13. *Deus est qui efficit in vobis & velle & efficere* 1. *Cor.* 4. v. 7. *Quid habes quod non acceperis?* Sunt debita: *Luc.* 17. v. 10. *Cum omnia feceritis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Nom etiam sunt saluti æternæ analoga: *Rom.* 8. v. 18. *Statuo minimè pares esse præsentis temporis perpessiones gloriæ in nobis revelandæ.* Ergo.

Affirmantes Heterodoxa.

Rationes Pontificiorum.

Ex natura *Subjecti & Prædicati*:

Quia salus sit merces bonorum operum.

I. Pro quo salus æterna tanquam merces redditur; id salutis æternæ meritorium est. Pro bonis operibus salus æterna tanquam merces redditur *Matth.* 5. vers. 10. 11. 12. *Cap.* 20. v. 8. Ergo. *Resp.* Est fallacia quatuor terminorum. Nam in *Majore merces* propriè dicta, in *Minore* impropriè dicta: intelligitur, quæ est gratuita compensatio operum & afflictionum nostrarum *Rom.* 6. v. 23. *Gen.* 15. v. 1. Locus *Matth.* 20. de mercede salutis non agit, ut quæ etiam murmuratoribus invidis data fuit.

Quia salus detur secundum proportionem operum.

II. Quod datur secundum mensuram & proportionem operum; ejus ipsa meritoria sunt. Salus æterna datur secundum mensuram & proportionem operum *Psal.* 62. v. 13. *Matt.* 16. v. 27. *Luc.* 6. v. 38. *Rom.* 2. v. 6. 1. *Cor.* 3. v. 8. Ergo. *Resp.* *Major* vera non est universaliter: Quod datur secundum mensuram & proportionem operum ex debito, ejus ipsa meritoria sunt; non autem quod datur ex gratia. Sed *Minor* falsa est, nec locis allegatis reperitur; quia aliud est dare cuiq; secundum opera id est secundum eorum qualita-

 tem

Quia factor operis sit beatus.

III. Factor operis beatus est *Iac.*1.*vers.*25. Ergo bona opera efficientiam salutis habent. *Resp. Consequentia* negatur. Beatus est, quia incedit in via beatorum, *Psal.*1.v.1. *Ephes.*2.v.10. non autem quod beatitudinem suam per opera efficiat. Talis ergo pronunciatur ab adjuncto signo, non à caussa efficiente.

Ex natura *Prædicati*:

Quia salus promittatur sub conditione bonorum operum.

Quod sub conditione bonorum operum nobis promittitur in Euangelio; ad id efficiendum bona opera necessaria sunt. Salus æterna sub conditione bonorum operum nobis promittitur in Euangelio. Ergo. *Resp. Majorem* limitando: Quod promittitur sub conditione bonorum operum, tanquam caussarum efficientium; ad id efficiendum necessaria sunt. Universaliter accepta falsa est. At illo sensu *Minor* negatur. *Euangelium* non promittit salutem sub conditione bonorum operum ut caussarum eam efficientium, sed sub conditione *fidei & resipiscentiæ*; *illius*, ut instumenti accipiendæ remissionis peccatorum; *hujus*, ut caussę sine qua non: neque sub conditione resipiscentiæ, sive novæ obedientiæ perfectę; sed per gratiam inchoatæ. Ergo.

Secunda: Pontificiorum. *An bona opera sint meritoria vitæ æternæ?*

SECUNDA: *An bona opera sint meritoria salutis æternæ?* Pontificii affirmant, *Bellarminus Tom. IV. Controv. gener. III. parte secunda de Iustificatione Lib.* 5. *cap.* 1. *& seqq.* Nos negamus.

Rationes Negantes Orthodoxæ.

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia id negat Scriptura.

I. Scriptura operibus nostris omne salutis meritum negat *Ephes.*2.v.8.9. 2.*Tim.* 1.v.9. *Tit.* 3.v.5. Ergo meritoria non sunt salutis æternæ.

Quia bona opera sunt imperfecta.

II. Opus imperfectum non est meritorium salutis æternę. Omnia nostra bona opera sunt imperfecta *Esa.*64.v.10. *Rom.* 7. v.14. *Luc.*17.v.10. *Gal.*5.v.17. Ergo.

Quia iis præstitis sumus inutiles.

III. Quo præstito servi tamen inutiles sumus; eo salutem æternam non meremur. Atqui præstitis bonis operibus omnibus

quæ Lex præcipit, servi tamen inutiles, sumus teste Christo *Luc.* 17. v. 10. Ergo.

Ex natura *Prædicati*:

I. Quod est donum gratuitum, & hæreditas non ex operibus, ejus meritoria non sunt bona opera *Rom.* 11. v. 6. Salus æterna est donum gratuitum, *Rom.* 6. v. 23. *Eph.* 2. v. 8. 9. est hæreditas non ex operibus *Rom.* 4. v. 16. Ergo. — Quia salus est donum gratuitum.

II. Quod meritorium est salutis æternæ; id nostrum, indebitum, & ipsi Saluti analogum esse oportet: *Ratio*; quia hæc meriti propriè dicti requisita sunt. Atqui bona opera non sunt nostra, sed Dei in nobis operantis effecta: *Phil.* 2. v. 13. *Deus est qui efficit in vobis & velle & efficere* 1. *Cor.* 4. v. 7. *Quid habes quod non acceperis?* Sunt debita: *Luc.* 17. v. 10. *Cum omnia feceritis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Nom etiam sunt saluti æternæ analoga: *Rom.* 8. v. 18. *Statuo minimè pares esse præsentis temporis perpessiones gloriæ in nobis revelandæ.* Ergo. — Quia bona opera non habent requisita meritorum.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxa.

Ex natura *Subjecti & Prædicati*:

I. Pro quo salus æterna tanquam merces redditur; id salutis æternæ meritorium est. Pro bonis operibus salus æterna tanquam merces redditur *Matth.* 5. vers. 10. 11. 12. *Cap.* 20. v. 8. Ergo. *Resp.* Est fallacia quatuor terminorum. Nam in *Majore merces* propriè dicta, in *Minore* impropriè dicta: intelligitur, quæ est gratuita compensatio operum & afflictionum nostrarum *Rom.* 6. v. 23. *Gen.* 15. v. 1. Locus *Matth.* 20. de mercede salutis non agit, ut quæ etiam murmuratoribus invidis data fuit. — Quia salus sit merces bonorum operum.

II. Quod datur secundum mensuram & proportionem operum; ejus ipsa meritoria sunt. Salus æterna datur secundum mensuram & proportionem operum *Psal.* 62. v. 13. *Matt.* 16. v. 27. *Luc.* 6. v. 38. *Rom.* 2. v. 6. 1. *Cor.* 3. v. 8. Ergo. *Resp. Major* vera non est universaliter: Quod datur secundum mensuram & proportionem operum ex debito, ejus ipsa meritoria sunt; non autem quod datur ex gratia. Sed *Minor* falsa est, nec locis allegatis reperitur; quia aliud est dare cuiq; secundum opera id est secundum eorum qualita- — Quia salus detur secundum proportionem operum.

tem: bonis præmia, malis pænas; 2.*Cor*.5.v.10. *Ioh*.5.v.29. aliud vitam æternam dare secundum operum bonorum proportionem.

Quia Scriptura faciat opera causam salutis.

III. Si Scriptura docet, rationem sive causam cur detur vita æterna, esse opera; sequitur ea vitæ æternæ meritoria esse. At verum Antecedens *Matth*. 25.v. 34. item *vers*.21.23. Ergo. *Resp. Majoris* illatio negatur ob fallaciam non causæ. Bona opera non statuuntur causæ meritoriæ vitæ æternæ, tanquam debitæ mercedis; sed antecedentia sive causa sine qua non vitæ æternæ, tanquam mercedis gratuitæ. Vide. v.3.4. Ideoque causalis *enim*, consequentiæ non consequentis est nota.

Quia reddatur salus bonis operibus ex justitiâ.

IV. Quod bonis operibus ex justitiâ redditur; ejus ipsa meritoria sunt. Vita æterna bonis operibus ex justitia redditur 2.*Thess*.1.v.6. 2.*Tim*.4.v.7.8. *Heb*.6.v.10. &c. Ergo. *Resp. Major* conceditur de eo, quod redditur ipsis ex justitiâ propter ipsorummet dignitatem ac meritum; negatur autem de eo, quod redditur ipsis propter gratuitæ promissionis divinæ veracitatem & constantiam. Atque de hujusmodi redditione *Minor* secundum allegata Scripturæ intelligenda est.

Tertia: Pontificiorum. *An Lex Dei justificatis sit absolutè possibilis?*

TERTIA: An lex Dei justificatis sit absolutè possibilis? Pontificii affirmant, *Bellarm. tom.* IV. *contr. gener.* III. *parte secunda de justificatione lib.* 4. *cap.* 10. & *seq.* Nos negamus.

Rationes *Negantes Orthodoxæ*.

Rationes nostræ.

Ex natura *Subjecti*:

Quia Lex perfectam obedientiam requirit.

I. Quæ lex perfectam obedientiam requirit, internam & externam, omnium facultatem, inclinationum & actionum; ea justificatis in hâc vitâ est impossibilis: *Ratio*; quia ipse *Bellarminus lib*.4.*de justificatione c*.10. fatetur obedientiam justificatorum non ita perfectam esse, quin crescere semper possit, & interdum operibus bonis aliqua mala admisceantur, etsi venialia. Atqui Lex Dei perfectam obedientiam requirit *Matth*. 22.v.37.38. *Gal*. 3.10. Ergo.

Quia per Legem nullus potest servari.

II. Per quam legem nullus potest servari, propter virium suarum impotentiam; eam nullus potest absolutè præstare. Per Legem Dei nullus potest servari *Rom*.3.20. & *seq*. *Cap*.4.1.2.& *seq*.

idque propter virium suarum impotentiam, *Rom.* 8.v. 3. quæ in hâc vita totaliter non aufertur. Ergo.

Ex naturâ *Prædicati*:

I. Quod jugum omnibus justificatis est importabile; id nulli eorum est absolutè possibile. Atqui jugum Divinæ Legis omnibus justificatis est importabile. Ergo. *Minor* probatur dicto Apostolico *Act.* 15.v.10. quod tam de Lege Morali, quàm Cerimoniali loquitur. Et si Lex Cerimonialis, in externis ritibus posita, jugum importabile vocatur, quanto magis illa Moralis? *Deinde* probatur Inductione exemplorum; Jobus, *cap.* 9.v.2.3. David, *Psal.*130.v.3.&.143.v.2. Esaias, *cap.* 64.v.10. Paulus, *Rom.* 7.v.19.20. justificati, jugum Legis portare nequiverunt. Ergo. nullus justificatorum id potest.

Quia jugum Legis importabile est;

II. Quorum regeneratio imperfecta est in hâc vitâ, ut sæpe peccent, & quotidie remissionem peccatorum petere necesse habeant; illis Lex in hac vita absolute possibilis non est. Atqui omnium justificatorum regeneratio in hâc vitâ imperfecta est, *Rom.*7.v.14. 1.*Cor.*13.v.9. *Gal.* 5.v.17. omnes sæpe peccant, *Iac.* 3.v.2. 1.*Ioh.* 1.v. 8.10. & quotidie peccatorum remissionem petere necesse habent *Matth.* 6.v.12. Ergo.

Quia regeneratio justificatorum est imperfecta.

Rationes Pontificiorum.

Affirmantes Heterodoxæ.

Ex naturâ *Prædicati*:

I. Quod leve, suave, & non grave est; id possibile est. Lex Dei est levis; suavis, *Matth.* 11.v.29. non gravis 1.*Ioh.*5.v.3. Ergo. *Resp.* *Minor* partim falsa est; quia *Matth.* 11. *jugum Christi* non est Lex Mosis, sed doctrina Euangelii de fide & nova obedientia, quam in nobis operatur Spiritus Sanctus, atque ita levem suavemque efficit: partim fallaciam habet à dicto secundum quid; quia 1.*Ioh.*5.non gravia dicuntur, quod non sint molesta filiis Dei, ut illis de quibus *Psal.*2.3.non autem quod sint absolutè possibilia.

Quia Lex Dei sit levis, suavis.

II. Qui servant mandata, iis Lex Dei possibilis est. Qui diligunt, servant mandata *Ioh.*14.v.23.*Rom.*13.8. *Gal.* 5.v.14. Ergo. *Resp.* limitando *Majorem* & *Minorem*: Qui servant mandata scil: absolutè & perfectè: iis Lex absolutè & perfectè possibilis est. Et qui

Quia diligentes servent mandata.

 diligunt,

diligunt, scil. absolutè & perfectè, ii servant mandata absolutè & perfectè. Ubi verò est qui sic diligat? qui mandata ita servet? *In multis impingimus omnes*, inquit Jacobus *cap*. 3. v. 2. Et quia ex parte tantùm cognoscimus, 1. *Cor*. 13. v. 9. ex parte etiam diligimus.

Quia nonnulli Deum toto corde dilexerunt.

III. Qui dilexerunt Deum ex toto corde, & justi perfectique fuerunt; iis Lex fuit absolutè possibilis. Quidam ita dilexerunt, *Psal*. 119. v. 10 1 *Reg*. 14. v. 8. 2 *Reg*. 23. v. 25. quidam perfecti justique fuerunt *Gen*. 6. v. 9. *Act*. 13. v. 22. 1 *Reg*. 15. v. 11. *Luc*. 1. v. 6. Ergo. *Resp*. Est fallacia à dicto secundum quid. *Dilexerunt toto corde*, id est sincero non dimidiato, quale est cor hypocritarum: *perfecti* etiam fuerunt perfectione partium, & comparatè respectu aliorum minus perfectorum. *Absolute* citra omnem defectum non dilexisse, nec simpliciter perfectos fuisse, nævi ipsorum & defectus in Scriptura notati argumento sunt.

LOCUS

LOCUS DECIMUS SEXTUS.

De GLORIFICATIONE.

Controversia de GLORIFICATIONE unica nobis est cum Samosatenianis, *quæ sic habet:*

AN corpora fidelium in resurrectione futura sint spiritualia, carnis sanguinisque prorsus expertia? *Ipsi* affirmant, *Ostorrodius Instit. Relig. Christ. cap.* 41. Nos negamus.

Samosatenianorum. *An corpora fidelium in Resurrectione futura sint spiritualia?*

EXEGESIS.

Rationes nostræ.

Rationes *Negantes Orthodoxæ.*

Ex Naturâ *Subjecti:*

Corpora quæ in hâc vitâ gestamus resurrectura sunt, non alia. At illa carnis sanguinisque expertia non sunt. Ergo. *Minor* extra controversiam est. *Major* probatur dictis Scripturæ *Iob.* 19. v. 25. 26. 1. *Cor.* 15. v. 42. 43. 2. *Cor.* 5. v. 10. *Ephes.* 6. v. 8.

Quia corpora quæ hîc gestamus resurrectura sunt.

II. Corpora quæ ceciderunt resurrectura sunt 1. *Cor.* 15. At illa sunt caro & sanguis. Ergo.

Quia quæ ceciderunt resurgent.

III. Quale fuit corpus Christi in & post resurrectionem; talia etiam nostra futura sunt, æqualiter quoad substantiam, inæqualiter quoad gloriam *Phil.* 3. v. 21. At corpus Christi in & post resurrectionem non fuit expers carnis & sanguinis. Ergo. *Minor* confirmatur. I. Quia Christus professus est se carnem & ossa habere, quorum expers est Spiritus *Luc.* 24. v. 39. 40. II. Quia visu, tactu, sensibusque externis percipi potuit *Luc.* 24. v. 38. 39. *Ioh.* 20. v. 25. 27.

Quia Christi corpus post resurrectionem non fuit spirituale.

Ex naturâ *Prædicati* :

Quia corpora fidelium secundum qualitates tantum spiritualia erunt.

Quæ corpora tantùm spiritualia futura sunt, secundum qualitates; non futura sunt spiritualia, secudum substantiam carnis & sanguinis. Atqui corpora fidelium in resurrectione tantùm Spiritualia futura sunt secundum qualitates, ceu sunt incorruptibilitas, claritas, agilitas, robur; nam in his 1.*Cor.* 15. Spiritualitatem Apostolus collocat. Ergo.

Affirmantes Heterodoxa.

Rationes Samosatenianorum.

Ex natura *Subjecti* :

Quia caro & sanguis excludantur regno Dei.

I. Caro & Sanguis hæreditatem regni Dei non consequentur 1.*Cor*. 15. v. 50. Corpora fidelium quæ resurgent, consequentur hæreditatem regni Dei. Ergo. *Resp.* Est fallacia à dicto secundum quid, in *Majore*; nam caro & sanguis ibi considerantur ratione adhærentis corruptionis, sicut immediatè subjicitur, neque corruptio consequetur incorruptæ naturæ hæreditatem; non autem substantiæ suæ respectu, de quâ quæstio est.

Quia Christi corpus fuerit spirituale.

II. Quale fuit corpus Christi à resurrectione; talia quoque nostra futura sunt *Phil*. 3. v. 21. Atqui illud fuit Spirituale, cœleste, carnis & sanguinis expers. Ergo. Probatur *Minor*. Quod carnem & sanguinem habet, id morti, & corruptioni obnoxium est *Esa*.40. v. 7. 1. *Petr*. 1. v. 24. Corpus Christi in statu glorificationis non est morti & corruptioni obnoxium. Ergo. *Resp. Minor* Prosyllogismi partim vera, partim falsa est. *Vera*, quod corpus Christi à resurrectione spirituale ac cœleste fuerit quoad qualitates, pro conditione corporis gloriosi *Phil*. 3. v. 21. *Falsa*, quod simul fuerit carnis sanguinisque expers; id enim est contra ipsius Christi resuscitati de corpore suo testimonium *Luc*. 24. v. 39. 40. Epilogismi verò *Major* fallaciam habet à dicto secundum quid; nec vera est de carne & sanguine per se, quoad substantiam; sed per accidens, quoad corruptionem ex peccato contractam, quæ in morte deponitur nec in resurrectione assumitur.

Ex naturâ *Prædicati*:

Corpora, quæ ex Christo habituri sumus, spiritualia futura sunt. Corpora in quibus resurgemus ex Christo habituri sumus. Ergo. *Resp.* Datur totum rectè intellectum. Futura sunt spiritualia, sed ratione qualitatum, non substantiæ. Alioquin non forent corpora spiritualia: nec corruptibile istud indueret incorruptibilitatem. Habituri etiam sumus qualitates illas ex Christo, non tanquam ex materia, verùm ut ab Efficiente; cui opponitur Adamus, ut auctor illius corruptibilitatis ac fragilitatis, cui in hâc vitâ obnoxii sumus.

Quia corpora illa ex Christo simus habituri.

Benedictus verò sit Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multâ suà misericordiâ regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, id est ad hæreditatem, quæ nec corrumpi potest, nec contaminari, nec marcescere, nobis in cœlis servatam. Ad quam sicut hactenus nos in veritate Sanctificatos virtutis suæ præsidio custodivit, ita deinceps custodiet; donec tandem in plenam ejus possessionem voce filii sui nos immittat, dicentis: Venite bene dicti Patris, possidete regnum paratum vobis à jacto mundi fundamento.

Huic æterno Patri, unà cum Filio coæterno, & Spiritu Sancto, Deo Uni ac Trino, Creatori, Redemtori, ac Sanctificatori nostro, sit laus, honor, & gloria in secula seculorum.

Amen.

INDEX

I N D E X.

Locorum & Controversiarum THEOLOGIÆ ELENCHTICÆ.

V. Pon-

Locus III. de Deo. 328.

Locus IV. de Prædestinatione. 376.

Locus VIII. de Peccato & Libero Arbitrio.

III. Pon-

Locus XVIII. de Vocatione Internâ, & Fide Justificante 632.

habet Controversias octo.

De Vocatione duas

De Fide sex.

Locus XIV. de Justificatione. 661.

Locus XV. de Sanctificatione. 686.

Locus XVI. de Glorificatione. 693.

INDEX

Dictorum Scripturæ

Quæ vel vindicantur ab adversariis, vel strictiori explicatione lucem aliquam accipiunt.

Iohannes.

XV,

II. Ad Corinthios.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

I. Ad Thessalonicenses,

II. Ad Thessalonicenses.

I. Ad Timotheum.

II. Ad Timotheum.

Ad Titum.

Ad

INDEX
Rerum & Verborum.

A.

F.

L.

Libertas

Mun-

N.

O.

Q.

R.

T.

FINIS.

HENRICI ALTING

S. Theol. Doct. & Profess.

SCRIPTORUM THEOLOGICORUM *HEIDELBERGENSIUM*

Tomus Secundus:

continens

PROBLEMATA THEOLOGICA,
tam Theorica, quàm
Practica.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM
CIↃ DC XLVI.

HENRICI ALTING IN PROBLEMATA THEOLOGICA

PROOEMIVM.



Roblema vox Græca est ἀπὸ τοῦ προβάλλειν *dicta, quod est opponere, objicere, in medium afferre. Significatus vocis varii sunt, & inter se diversi. Hoc loco accipitur* γενικῶς, *pro quæstione, quæ ad explicandum proponitur: ut idem sit quod* ζήτημα *sive* ἐρώτημα, *propositio quæstionem seu interrogationem habens. In* Philosophia *propriè Problemata appellant, rerum abditarum perquisitiones, & conjecturas, quibus magis acumine quodam mentis, quam certâ indagine remotiora naturæ arcana explorantur: cujusmodi sunt* Problemata Aristotelis *&* Plutarchi. *Sed in* Theologiâ *hoc nomine intelliguntur quæstiones controversæ, obscuræ, difficiles, quæ circa explicationem Scripturæ, aut dogmatum Theologicorum moveri solent. Talia olim in Commentariis & Epistolis tractavit* B. Augustinus: *superiore seculo tribus libris explicavit* Benedictus Aretius Bernensis, *Clarissimæ memoriæ Theologus; quæ sub* Problematum Theologicorum *titulo hodieque prostant & leguntur.* Problema quid. In Philosophiâ. In Theologiâ.

Sunt autem qui Problemata & quæstiones Theologicas universè rejici & damnari à Paulo contendunt. 1 Tim. 1. v. 4. 6. cap. 6. v. 20. 2 Tim. 2. v. 14, 16, 23. Tit. 3. v. 9. *Quod si ita est, jam suo ipsius exemplo redarguitur Apostolus, qui in* Epistolâ primâ ad Corinthios, *in* Epistolis ad Thessalonicenses, *& alibi ea explicavit. Frustra etiam jubet Episcopum esse* ἐλεγκτικὸν, *qui possit* ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, contradicentes refellere, Tit. 1. v. 9. *cum id sine disquisitionibus, aut disputationibus fieri nequeat. Nec laudandus erat Apollo, quod in refutandis per Scripturã Iudæis acutus ac solers fuerit* Non damnantur à Paulo universa.

Act. 18.

Act. 18. v. 27. 28. *Non igitur damnat omnes* συζητήσεις *&* *disquisitiones de rebus fidei & salutis: sed eas solum, ex quibus*

sed solum inutilia.

nihil pietatis aut solidæ doctrinæ colligitur: quæque magis vanâ curiositate, aut contendendi libidine, quàm discendi studio suscipiuntur. Hujusmodi Pauli ætate erant quæstiones Iudaicæ, & falsorum Doctorum, quibus jam tum corrumpebatur doctrinæ Christianæ puritas, sinceritas. Superioribus ætatibus fuerunt disputationes Theologorum Scholasticorum, de quibus infra suo loco. Hæc problemata nec probamus, nec proponemus: quin potius τῆς ψευδωνύμου γνώσεως *nomine cum Apostolo damnamus* 1 Tim. 6. v. 20. *Intelligimus autem problemata tum*

Problem: Theologica debent esse. Necessaria.

Necessaria, tum Utilia, tum etiam Plana ac perspicua. Necessaria, *vel propter controversias cum adversariis sanæ doctrinæ, vel propter difficultatem rerum divinarum: quæ sæpè discrepantes sententias etiam inter Orthodoxos parit.* Utilia, *sive ad doctrinam fidei plenius intelligendam, sive ad vitam ac*

Utilia.

vocationem secundùm voluntatem Dei rectius instituendam. Plana *denique* ac perspicua, *tam quoad terminos ac phraseologiam Theologicam, quam quoad formam, modum, ac methodum explicationis. His requisitis Problemata Theologica eorumque tractationem circumscribimus. Ex quibus liquet esse ea duorum generum; Theorica & Practica.*

Perspicua.

Suntque.

Theorica,

Theorica *voco, quæ circa doctrinam fidei versantur: & veram dogmatum Christianorum cognitionem pro scopo habent.*

Practica.

Practica *sunt, quæ vitam, mores, ac vocationem spectant, & ad rectam horum informationem, ceu proprium finem, referuntur.*

In utroque genere non omnia, sed selectiora, ac præsentibus Ecclesiæ rebus accommodatiora proponemus & exsequemur.

POR-

PROBLEMATUM THEOLOGICORUM

PARS PRIOR

Complectens

PROBLEMATA THEORICA.

PROBLEMA PRIMAM.

An sit, & quousque pateat Noticia Dei Naturalis?



Aturale hîc intelligitur. I. Non quod *Concreatum* est primo homini in statu integritatis: sed quod ipsi post lapsum in statu peccati fuit relictum. II. Nec quod tale est *Actu*, quasi actualis Dei notitia insit homini, simul ac nascitur: tunc enim nec bonum, nec malum novit *Iesa.* 7. v. 16. aut *Habitu*, quasi habitus aliquis intellectualis ipsi ingeneretur, qui crebris actibus seu continuatis operationibus sensim acquiri solet: sed tum *principio*, tum *Objecto* naturali. *Principio* quidem, quatenus omnibus hominibus insita est vis ac facultas, quâ non solum possunt Deum cognoscere, sed etiam reapse cognoscunt, persuasione ac instinctu ipsius nature, se ultrò & sponte, etiam citra institutionem, exserentis in adultis, sanâ mente præditus. *Objecto* verò, quia toti mundo omnibusque ejus partibus impressa sunt tam evidentia ac luculenta Deitatis vestigia, ut ex consideratione eorum quilibet ratiocinando concludere possit, esse Deum, seu Numen aliquod.

Naturale hic dicitur quod tale est.

Principio.

Objecto.

Dari naturalem Dei cognitionem probant.

Gemino hoc modo aliquam dari Naturalem Dei Cognitionem, demonstratur Testimoniis Scripturæ, ac Rationibus.

Testimonia *sunt*:

Dicta. *Rom.1.v.19. 20.*

Rom.1.v.19.20. *Quod de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis*, id est, in mentibus eorum. *Deus enim manifestum fecit eis*, scil. per noticias naturales, *Ipsius enim invisibilia, jam inde à condito mundo ex iis quæ fecit, mente perpensa pervidentur; æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas; ad hoc, ut sint inexcusabiles.*

Rom.2.v.14. 15.

cap.2.v.14.15. *Gentes, quæ legem non habent, naturâ*, id est, ejus instinctu, *quæ legis sunt faciunt, adeoque legem non habentes, sibi ipsis sunt Lex; Ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientiâ, & cogitationibus sese mutuò accusantibus, aut etiam defendentibus.*

Act.14.v.15. seq.

Actor.14.v.15.16.17. *Annunciantes, ut à vanis istis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum, qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt: Quique præteritis ætatibus sivit omnes gentes suis ipsarum viis ingredi. Quanquam non passus est se esse expertem testimonii, bona tribuendo, dans nobis cœlitus pluvias ac præstituta tempora fructibus perferendis, implens cibo & delectatione corda nostra.*

Act.17.v.23. seq.

cap.17.v.23.& seqq. *Inveniaram, cui inscriptum erat, Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego vobis annuncio: Deus ille qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt &c. Ut quærerent Dominum, si fortè palpando eum invenirent; quanquam profectò non longè abest ab unoquoque nostrum*, id est, in nobis ipsis vult vestigia divinitatis considerari. *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus: Sicut & quidam vestratium Poëtarum dixit; Nam hujus progenies etiam sumus.*

Psal.19.v.2. seq.

Psal.19.v.2.& seqq. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus indicat expansum eorum: Dies ad diem eructat sermonem, & nox ad noctem ostendit scientiam, &c.*

Iob.12.v.7. seq.

Job.12.v.7.8.9. *Enimverò interroga, quæso, jumenta, & docebit te illorum quodque; aut volucrem cœli & indicabit tibi: aut confabulare cum terrâ, & docebit te: etiam enarrabunt tibi pisces maris. Quis non cognovit ex omnibus istis, manum Iehovæ facere illud.*

Rationes: 1. q. Lex naturæ omnibus naturâ nota.

Rationes *sunt*.

I. *A lege Naturæ*: Quibus notitia Legis naturæ est naturalis, iisdem etiam naturalis est cognitio Legis latoris Dei. Omnibus, & sin-

& ſingulis hominibus notitia Legis naturæ eſt naturalis. Ergo. *Minor* eſt Apoſtoli *Rom*. 2. v. 14. 15. quæ ipſa legis naturæ definitione comprobatur: quod ſit lumen dictamenque illud rationis, quo inter bonum & malum omnes naturaliter diſcernunt. Conſequentia *Majoris* exindè patet, quod notitia legis naturæ includat cognitionem Legis latoris Dei: cujus autoritate homines obligat ad obedientiam; iiſdemque præmia vel pœnas denunciat.

2. q. Conſcientia cuique dictat eſſe aliquod Numen.

II. *à Teſtimonio conſcientiæ*: Quod Conſcientia omnibus hominibus dictat naturaliter, id ipſis eſt naturale. Atqui dictat eis naturaliter, eſſe aliquod Numen, probans rectè, improbans & puniens malè facta. *Ratio*; quia univerſaliter hominum facta conſequitur approbatio vel improbatio mentis, & lætitia vel metus cordis. Ergo.

3. q. Imago Dei quæ ſupereſt, naturalis eſt.

III. *ab imagine Dei*: Imago Dei, qualis poſt lapſum remanſit in homine, eſt ei naturalis; argumento locorum *Geneſ*. 9. v. 6. *Iac*. 3. v. 9. Notitia aliqua & ſenſus Deitatis eſt Imago Dei: vel ſaltem quædam ejus pars. Ergò. *Minor* probatur, ex definitione Imaginis Dei poſt lapſum, quod ſit notitia in mente de Deo, de naturâ, de diſcrimine honeſtorum & turpium *Rom*. 1. v. 19, 20. *cap*. 2. v. 14, 15.

4. q. Notitia hæc omnibus communiter & immutabiliter ineſt.

IV. *ab experientia Univerſali*: Quod omnibus & ſingulis hominibus communiter & immutabiliter ineſt, id eis ineſt naturaliter. *Ratio*: quia Naturalia omnibus ſpeciei individuis conveniunt, nec mutari poſſunt. Atqui notitia ac ſenſus divinitatis, omnibus ac ſingulis hominibus communiter & immutabilitur ineſt. *Communiter*: quia nulla eſt tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non inſideat hæc perſuaſio, Deum eſſe; prout ex omnium temporum & populorum obſervatione veriſſimè pronunciat Cicero *lib*. 1. *de naturâ Deorum*. Omnes enim Gentes cerimonias quaſdam religioſas exercent. Imo Indi *Braſiliani* ipſum Cacodæmonem potius pro numine colunt, quàm ut nullum putentur habere Deum. Ex Philoſophis quidem inventi ſunt *Diagoras, Protagoras*, alii, qui Deum eſſe negarunt: ſed negarunt cum conatu, non effectu: ſermone ac vitâ, non conſcientiâ: negarunt item quoad providentiam, non quoad eſſentiam ſive exiſtentiam. *Immutabiliter*: quia ſenſus ille divinitatis ex mentibus humanis deleri nunquam poteſt. Conati id ſunt homines impiiſſimi & ſceleratiſſimi, omnibus ſeculis: Actum verò egerunt. Imo graviſſimo Dei metu

 per-

perculsi sunt, quoties ille majestatis aut iræ suæ signa quædam ostendit. Ergò.

Notitiæ naturalis.

Jam secundo loco, quousque pateat Notitia Dei naturalis cognoscamus. Id verò partim ex *Objectis*, partim ex *Adjunctis sive Affectionibus*, partim denique ex *Finibus & effectis* liquebit.

I. Objectum. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ. Atque hic homines naturaliter. 1. De Deo. Norunt quod sit.

OBIECTUM generatim vocat Apostolus τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, *cognoscibile Dei Rom.* 1.19. Articulus limitat hanc cognitionem; quia plurima ἄγνωστα, quæ naturali ratione comprehendi nequeunt. Speciatim tria sunt: nim. *Deus*, *voluntas Dei*, & *Opera ipsius.*

DE DEO, prout absolutè, & in se spectatur, duo Homines naturaliter cognoscunt: Unum, *quod sit Deus*, sive quod sit Numen aliquod Divinum. Id enim dictis Scripturæ & Rationibus, ipsâque Experientiâ Universali modo confirmavimus. Alterum *Qualis sit Deus*, Attributis, sive proprietatibus. De quo ita Apostolus *Rom.* 1.20. *Ipsibus enim Invisibilia, jam indè à condito mundo, ex iis quæ fecit mente perpensa pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas.* Ubi aliquot attributa commemorat: Invisibilem sive Spiritualem essentiam, æternitatem, omnipotentiam, & divinitatem: quam utcunque ostendunt attributa, Sapientia, Bonitas, & Justitia, &c. quæ in fabricâ mundi elucent. Idem evincunt illustres sententiæ Philosophorum, quas nobis in scriptis suis reliquerunt.

Qualis sit.

Testimonia Ethnicorum.

Plato religiosè passim de Deo loquitur in *Timæo*, & alibi: *Deus*, inquit, *est vivens, immortale, sibi sufficiens ad felicitatem, substantia æterna, & causa boni in naturâ.* Item: *Deus est summè bonus supra omnem substantiam & naturam, qui cuncta explet, cum ipse sit plenæ perfectionis, & nullius, societatis indigus.* Et in *lib. de legibus* ait: *Deum esse bonum, & causam bonorum omnium.* Quod *Xenocrates* quoque & alii de Deo sensere. *Aristoteles lib.* 12, *Metaphysicorum cap.* 7, dicit: *Deum esse vivens, æternum, optimum*: & paulò post: *esse substantiam æternam, immobilem, magnitudinis expertem, indivisibilem, infinitam, impossibilem, & immutabilem; à sensibus separatum. cap.* 8. palam Deum ponit esse *unum numero & ratione: immobilem.* Ex Latinis *Cato Deum* fatetur *esse Spiritum, & purâ mente colendum. Cicero mentem secretam* vocat *ab omni labe:* & quæ sunt alia hujus generis.

Ignorarunt. Quis sit singulariter.

Ignorarunt etiam duo naturaliter de Deo. Unum, *Quis sit ille Deus in individuo & singulariter.* Ideò dicuntur ignorasse Deum, *Gal.* 4. v. 8. coluisse ignotum Deum, *Actor.* 17.23. item ignorasse quid colerent, *ibid. Ioh.* 4. vers. 22. imò etiam sine Deo fuisse in mun-

mundo *Ephes*.2.v.12. Sola enim Ecclesia ex Dei patefactione novit, Quis sit: & dicitur in V.T. *Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi,* Exodi: 3. v. 6. in N.T. *Deus ac Pater Domini nostri Iesu Christi* Eph. 1.3. Alterum, *Quod in unâ Essentiâ Divinâ sint tres Personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Hoc enim mysterium mysteriorum nec ex Principio, nec ex Objecto naturali cognosci potest; sed ex solo verbo per supernaturalem revelationem cognoscendum, sicut dicitur *Ioh*. 1. v. 18. *Matth.* 11.27. & *cap.* 16.17. Unde Philosophi & Ethnici omnes id luce naturæ prorsus ignorarunt.

Quod in unâ essentiâ sint tres personæ.

VOLUNTAS *Dei*, Lege & Euangelio nobis est patefacta. De quâ naturaliter cognoverunt *Legem* & doctrinam ejus. Nam opus Legis scriptum fuit in cordibus eorum, teste Apostolo *Rom.* 2. v. 14. 15. Et quidem eam cognoverunt secundum utramque tabulam. Quoad *Primam*, quia præscripserunt cultum Dei internum, eumque cultibus externis prætulerunt. Nota est *Platonis* sententia: *Non rectè coli Deum sacrificiis; cum omnia bona ab illo nos accipiamus, ipse verò à nobis nihil, tanquam indigus: Ideoque ei soli nos debere honorem & gratiam.* Notum est illud *Catonis*:

2. de *voluntate Dei.* Cognoverunt Legem quoad tabulam. Primam.

Si Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit purâ mente colendus.

Præclarè etiam *Cicero lib.* 2. *de Nat. Deor. Cultus Deorum is est optimus, idemque Sanctissimus & castissimus pietatis, ut Deos semper purâ, integrâ, incorruptâ, & mente & voce veneremur.* Nec prætereundum illud *Senecæ epist.* 34. *Sic vivendum est, tanquam in conspectu Dei vivamus: Sicque cogitandum, tanquam aliquis in pectus possit inspicere.* Quoad *Secundam*: quia quæ ad justitiam externam & vitæ civilis officia pertinent, diligenter tradiderunt & explicarunt, prout ex libris Ethicis, sive de moribus, videre est. Ignorarunt verò naturaliter *Euangelium*, & totam doctrinam de gratuita Remissione peccatorum per & propter Christum. Hanc enim Filius Dei, è sinu æterni Patris prolatam, soli Ecclesiæ revelavit *Ioh.* 1.18. *Matt.* 11.27. *Fuit* etiam *Græcis*, id est, Ethnicis *stultitia* 1. *Cor.* 1.23. *cap.* 2. 9.10. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt, quæ paravit Deus iis, à quibus ipse diligitur. Nobis autem Deus ea retexit per Spiritum suum.* Quodcunq; autem lumine naturæ cognoscitur, id mente, vel sensu percipitur; Sed Euangeliũ nec menti perceptibile est, in quam nunquam venit; naturali vid. luce; nec sen-

Secundam.

Ignorant Euangelium.

ſui, cum nec oculus illud viderit, nec auris audiverit. Ergo.

§. De Operibus Dei. Cogno verant Creationem.

OPERA *Dei* alia ſunt Creationis & Gubernationis, alia Redemtionis. Illa naturaliter cognoverunt Gentiles. Primò de *Creatione*, & origine omnium rerum exſtat ſanum judicium *Platonis in Sophiſta. & lib.* 10. *Polit*. In *Timæo* quoque totius *mundi Conditorem & Patrem* facit Deum. *Ariſtoteles* etiam Deum paſſim vocat *Ens primum, motorem primum, principium primum, à quo omnia ſint, & per quem omnia conſiſtant*. Secundò de *Conſervatione & Providentiâ* tota Philoſophia teſtatur. *Plato in Phædro, & lib.* 10. *de legibus* ſuaviſſimè de eâ philoſophatur: & præter ipſum innumeri alii. Præ cæteris autem ſtrenui aſſertores ejus *Stoici* fuêre. Iſta naturaliter ignorarunt. Eſt enim doctrina Redemtionis propria Euangelii, quod illi ignorarunt, vel ſaltem, ut ſtultum riſerunt 1. *Corinth*. 1. & 2. *capp*.

Conſervationem & Providentiam.

Ignorarunt Redemtionem.

Ex his jam planum eſt, quid de Deo naturaliter *ſciverint* Ethnici, quid item *ignorarint*.

Priuſquam verò ad alterum caput de Adjunctis ſive Affectionibus Notitiæ naturalis progrediamur, illud expediendum eſt, *Annon latius pateat objectum Notitiæ Naturalis, nim: ut myſterium Trinitatis & Euangelii quoque complectatur*? Sunt qui ſic opinantur non pauci, moti carminibus Sibyllarum, & ſcriptis Hydaſpis, Mercurii Triſmegiſti, Platonis & aliorum. *Hydaſpis* præter illa, quæ ex ipſo afferunt Juſtinus, Clemens, Lactantius, nihil hodiè exſtat. In *Mercurio & Sibyllinis oraculis* exſtant myſteria non pauca: de S.S. Trinitate; de verbo Filio Dei, per quem mundus ſit conditus; de naſcituro Chriſto è virgine, de paſſione ipſius, & Cruce & reſuſcitatione &c. ita clarè & perſpicuis verbis expoſita, ut vix, ac ne vix quidem, ſimile quid è Moſe & Prophetis queat adferri.

An myſterium Trinitatis & Euangelium Gentilibus fuerit cognitum? Argumento ſcriptorum Hydaſpis, Mercurii Triſmegiſti, Sibyllarum &c.

Reſp. Id verò pernegamus. *Ratio* duplex eſt. *Vna*, quia in *Hydaſpe*, quem Juſtinus *Hyſtaſpen* nominat, in *Mercurio Triſmegiſto*, *Oraculis Sibyllinis*, & aliis multa ſunt adulterina & ſuppoſititia: quæ Patres confinxerunt, ut Gentilibus fidem facerent Religionis Chriſtianæ. Quod *probatur*. I. quia myſteria illa in his ſcriptoribus clarius propoſita ſunt Gentibus, quàm ipſi populo Dei in Moſe & Prophetis, quod eſt contra Scripturam *Pſal*. 76. v. 2. 3. & 147. v. 19. 20. & alibi. II. quia Apoſtolus tempora ante Chriſtum vocat *tempora ignorantiæ Act*. 17. v. 30. & doctrinam de ſalute Generis

Reſp. Negatur 1. q. in ſcriptis illis multa ſuppoſititia ſunt.

neris humani ante Christi incarnationem, dicit fuisse *Mysterium absconditum à seculis, nunc autem manifestum factum Coloss.* 1.v.26. *Rom.* 16.v.25.26. *Eph.* 3. vers.9. III. quia in *Trismegisto*, qui Mose est antiquior, multa narrantur, quæ post Christum acciderunt: occurit etiam τὸ ὁμοούσιον. In *oraculis Sibyllinis* expressum reperitur Iesu Christi nomen, itemque Iohannis Baptistæ IV. quia apud Scriptores vetustissimos, & omnium disciplinarum scrutatores curiosissimos, Platonem, Aristotelem, Theophrastum, nullum eorum exstat vestigium, quæ nunc in Mercurio & Sibyllis leguntur. V. Constat ex Patribus, & Historiâ Ecclesiasticâ, primis Ecclesiæ temporibus exstitisse quamplurimos, qui veritatem doctrinæ Christianæ his commentis commendarint, confirmarint. Quo ex fonte etiam orti sunt libri sexcenti sub nomine Christi, Apostolorum, aliorumque Sanctorum publicati: qui non amplius exstant. *Altera*, quia quæ Plato & alii supra communem modum & sortem naturalem cognoverunt, ea aliunde, quàm ex luce naturæ profecta sunt. I. Ex Majorum traditionibus: quæ licet à posteris sint depravatæ, tamen umbras quasdam retinuerunt: & in vetustis major omnino fuit integritas. Exemplo sunt Job & amici ejus; Melchizedec, alii. II. ex Conversatione cum Judæis in peregrinationibus & captivitate, ubi veram religionem exercuerunt more patrio. Sic Ægyptios docuerunt Joseph, *Ps.* 105.v.22. Filii Israël, & post Jeremias. Assyrios Israëlitæ Captivi 2.*Reg.* 17. *cap.* Babylonios Daniel, & Socii. III. ex Lectione librorum sacrorum: tum postquam versi sunt à LXX Interpretibus, trecentis annis ante Christum, auspiciis Ptolomæi Philadelphi: tum etiam (sicut sunt qui statuunt) ex eorundem laciniis quibusdam, etiam ante versis: Justinus Martyr *in secundâ Apologia pro Christianis*, Tertullianus *in Apolog. cap.* 44. Eusebius *lib.* 9. *præparat. Euangel. cap.* 3.

2. q. quæ Plato aliique habuerunt ejus generis, non naturâ, sed aliunde habuerunt.

ADJUNCTA sive *Affectiones* Notitiæ hujus naturalis Dei, qualis est post lapsum, sunt quinque. I. est *Vera*; quia dicitur veritas Dei, *Rom.* 1.v.18. *detinent veritatem*, id est, veras notitias de Deo colendo, & proximo diligendo, *in injustitiâ*. II. *Imperfecta*; quia major pars notitiarum de Deo, ex mente deleta est per peccatum. Quod liquet in triplici illo genere Objecti. In *Primo*; quia nec omnia Dei attributa cognoverunt, & quæ cognoverunt, non plenè: Non misericordiam, quia non donationem

II. *Adjuncta*, quod. Vera:

Imperfecta:

Filii

Filii, *Ioh.* 3. verſ. 16. *Rom.* 8. v. 32. non juſtitiam, quia non iram adverſus peccatum, *Eſa.* 53. *cap. Rom.* 3. v. 24. 25. non ſapientiam, quia in Chriſto, theſauri ſapientiæ abſconditi ſunt *Coloſ.* 2. v. 3. & πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ, non niſi per Eccleſiam innoteſcit. *Eph.* 3. v. 10. In *ſecundo*; Quia de interioribus cultibus primæ tabulæ nihil diſtinctè noverunt, aut ſtatuerunt, qui cultus Deo placeant; neque in officiis ſecundæ tabulæ agnoverunt & damnaverunt pravam concupiſcentiam *Rom.* 7. In *Tertio*; quia opera Creationis & Conſervationis dubiè & confusè ſolum tradiderunt. III. *Corrupta*, non integra: quia notitiæ reliquæ falſis ingenii humani ratiociniis obſcuratæ ſunt & depravatæ *Rom.* 1. v. 21. & *ſeqq.* idque *partim* communi vanitate ingenii humani: *partim* ſingulari quorundam malitiâ, qui Dei veritatem detinent in injuſtitiâ v. 18. IV. *Languida*: quia etſi manent immota Principia; Theoricum, *eſſe Deum*; Practicum, *eſſe colendum*: reliqua tamen, tanquam concluſiones exindè deductæ, valdè fluctuant; & non tantùm languida eſt earum aſſenſio, ſed etiam horrendis dubitationibus ſæpè excutitur. Sicut extat pulcherrima deſcriptio *lib.* 1. *Tuſculan. Quæſt.* ubi *Cicero* diſputans de Immortalitate animæ, dicit ad Antonium: *Evolve diligenter librum Platonis, qui eſt de animo: amplius quod deſideres, nihil erit. Feci mehercule, inquit Antonius, & quidem ſæpius; ſed neſcio quomodo, dum logo, aſſentior: cum poſui librum, & mecum ipſe de immortalitate animorum cœpi cogitare, aſſenſio illa omnis elabitur. V. Valde Inæqualis:* in aliis perfectior, copioſior; in aliis minus copioſè. Æquale illud principium, Quod ſit Deus, & quod ſit colendus; ſed concluſiones valdè diſpares: quia alii plures, puriores; alii pauciores, praviores indè colligunt. Sic alii mundo Spiritu, abſque idolis. Deum colendum ſtatuerunt; quod eſſet Spiritus: alii in idolis; quod corporeum putarent. *Ratio* ab inæquali inſcriptione legis in cordibus *Rom.* 2. v. 14 15.

Corrupta.

Languida.

Inæqualis.

Propter tot tantoſque defectus. Naturalis Dei notitia dicitur *Ignorantia Gal.* 4. v. 8. & tempora ejus *Ignorantiæ tempora* vocantur *Act.* 17. v. 30.

Finis & Effecta. Supereſt jam ut de FINIBUS quoque & EFFECTIS Notitiæ Dei Naturalis dicamus. *Finis & effectum ejus non eſt Salus & Beatitudo æterna.* Etſi enim Lex naturæ, atque ita notitia illa ante lapſum data eſt ad vitam *Rom.* 7. verſ. 10. non tamen poſt lapſum. Et erraruntt ſine dubio ex Patribus, *Tertullianus, Epiphanius, Clemens Alexan-*

Non ſalus æterna.

Alexandrinus, alii: ex recentioribus, *Ludovicus Vives*, *Andradius*, *Latomus*, *Thammerus*, qui per hanc notitiam salutem Gentibus quibusdam obtigisse statuerunt. I. quia extra Christum nulla est salutaris Dei cognitio, *Ioh.* 17. v. 3. 1. *Ioh.* 2. v. 23. nulla via salutis *Ioh.* 14. v. 6. nulla salus *Actor.* 4. v. 12. II. quia Gentes dicuntur in V. T. fuisse absque Christo, extraneæ à pactis promissionum, & spem non habentes *Eph.* 2. v. 12. III. quia finis hujus cognitionis dicitur fuisse ἀναπολόγησις, *Rom.* 1. v. 20. opposité etiam ad salutem; ut ostendit disputatio *cap.* 3. Non igitur salus & Beatitudo.

Sunt igitur Fines & Effecta alia, traditæ ipsis & conservatæ hujus Notitiæ Dei, numero quatuor: *Primus* Finis est, ut esset *testimonium misericordiæ Dei*, erga nos etiam indignos talibus reliquiis lucis ipsius: de quo est *Actor.* 14. v. 16. 17. *Deus non reliquit se ἀμάρτυρον*, tum etiam cum permisit omnes gentes ingredi viis suis; quia intus notitiis naturalibus; foris multis beneficiis, non solum ad necessitatem vitæ, sed etiam ad voluptatem, hominibus bonitatem suam testatam fecit. *Iohan.* 1. v. 5. *Lux in tenebris lucet.* *Secundus* est, ut esset *vinculum externæ disciplinæ*, quam Deus vult ab omnibus hominibus, etiam non renatis præstari *Rom.* 2. v. 14. 15. 1. *Corinth.* 11. v. 14. *Tertius* est, ut esset *medium quoddam conversionis* ipsorum, & instaurationis ad imaginem Dei. De quo exstat locus insignis *Actor.* 17. v. 27. ζητεῖν τὸν κύριον, quod in constructione causali positum est per ἔλλειψιν, scil. τοῦ ἕνεκα, ideo nimirum manifestata est hæc notitia, ut Deum quærerent. Sensus est: cum omnes naturaliter cognoscant esse Deum, & esse colendum, ut Deum: & simul cogantur fateri se ignorare, quis sit ille Deus, & quomodo sit colendus: Deum insevisse ipsis hanc notitiam, ut quærant annunciationem revelationis divinæ in Ecclesiâ, quam ideò Deus semper constituit in illustri aliquo regno, ut omnes intueri possent doctrinæ cœlestis lumen: ad quod tamen magis fuerunt occœcati gentiles, vel saltem id neglexerunt. *Quartus* est ἀναπολόγησις, *ut fierent inexcusabiles Rom.* 1. v. 20. Ratio additur. v. 21. *quia cum Deum cognoverint, tamen ut Deum non glorificaverunt.* Nam servus sciens voluntatem Domini, & non faciens cædetur multis plagis *Luc.* 12. v. 47. Ipsi verò lucem, in natura reliquam, non modo secuti non sunt ducem ad quærendum Deum, sed & totam suffocarunt; veritatem detinendo

Sed ut esset.

1. Testimonium misericordiæ Dei erga indignos.

2. Externæ disciplinæ vinculum.

3. Medium quoddam conversionis.

4. ἀναπολόγησις.

nendo in injustitiâ. Est verò illa *inexcusabilitas*, tum hic, in judicio conscientiæ accusantis, *Rom.* 2. v. 15. damnantis, 1. *Ioh.* 3. v. 20. tum in altero seculo in judicio Dei, qui judicabit de latebris hominum *Rom.* 2. v. 16. Ita de Platone & Platonicis pronunciat *Augustinus*: de Cicerone *Lactantius lib.* 2. *cap.* 3. Huc pertinet exemplum *Aristippi*, qui cum in aliis damnaret scortationem, ipse tamen Laidem accessit: quasi satis esset gratis scortari, alii verò sua cum scorto profunderent.

Scriptores de Notitiâ Dei naturalis.

Plura de notitiâ Dei Naturali, pereruditè scripta, requirantur in *Thomâ Aquinate*, qui scripsit de veritate contra Gentiles Anno Christi 1260. Idem fecit *Raymundus de Sabunde*, de Theologiâ Naturali, Noribergæ typis edita Ann. Chr. 1502. *Augustinus* item *Steuchus Eugubinus*, de perenni Philosophiâ, Ann. Chr. 1550. *Georgius Pacardus* de Theologia Naturali, Ann. C. 1574. & *Philippus Mornæus* Ann. C. 1581. Hi tamen plus largiuntur lumini naturali, quàm par sit. Quod indè fit: I. quia ostendunt, quid ex lumine naturæ, præviâ luce verbi & supernaturali revelatione, à nobis Christianis concludi possit. II. quia scriptis suppositiitiis, adulterinis Mercurii, Sibyllarum, nimium fidei tribuunt.

PROBLEMA SECUNDUM.

Quis sit Philosophiæ in Theologiâ usus? Quis item abusus?

IN hujus Problematis explicatione, variè olim hodieque erratum est, in Excessu, & Defectu.

Philosophiam nimium extulerunt. Iudæi;

In Excessu errarunt, qui Philosophiam cum Theologiâ confuderunt: nonnunquam etiam huic illam prætulerunt. Tales in Veteri Testamento fuerunt *Iudæi*; partim ex Captivitate Babylonicâ reduces; partim dispersi in Gentes, maximè inter Ægyptios & Græcos: quorum dogmata male sana suæ doctrinæ intulerunt: verbi gratia de μετεμψυχώσει Platonicâ & Pythagoricâ, de apparitionibus animarum, de cultu angelorum &c. quæ ex libris Apocryphis peti possunt. In Novo Testamento sunt trium ordinum. I. *Pseudapostoli*, quos hoc nomine perstringit Paulus, *Col.* 2. v. 8. Angelolatræ, *ibid.* v. 18. II. *Patres nonnulli*, Justinus,

Pseudapostoli; Patres quidam.

stinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, & plures alii: qui dogmatum Theologicorum & Philosophicorum mixturâ, Gentiles ad fidem Christianam convertere studuerunt. Quo consilio Origenes in Scholam Alexandrinam introduxit Philosophiam Platonicam. III. *Theologi Scholastici*, quorum doctrina Philosophica magis fuit, quam Theologica: quique magis ratiunculis humanis, quam testimoniis divinis nituntur & disputant.

Scholastici.

In Defectu errarunt superioribus seculis *Fanatici* quidam homines, qui omnem Philosophiæ usum damnarunt. Nostro seculo autem *Anabaptistæ*, qui planè idem sentiunt. Argumenta ipsorum duo sunt præcipua. *Vnum*, quod Apostolus *cavere* jubet *Philosophiam, tanquam deprædatricem pietatis Colos.* 2.8. *Resp.* Sed peccant fallaciâ à dicto secundum quid: Non enim omnem Philosophiam damnat Apostolus; sed falsam & vanam, quæ obest veritati & pietati. *Probatur.* I. ex ἐπεξηγήσει, quâ dicitur Κενὴ ἀπάτη, *vana deceptio.* At non omnis est talis: Sed aliqua veritas Dei, *Rom.* 1. v. 18. & τὸ γνωστὸν ipsius. *v.* 19. Ergò. II. ab exemplo Angeloiatriæ, *Col.* 2. v. 18. quod placitum Philosophorum: & veræ Philosophiæ non dogma, sed carcinoma. III. à pari, v. 4. damnatur πιθανολογία, non omnis; quia Scriptura etiam eâ utitur: sed παραλογίζουσα. Ergo nec omnis Philosophia, sed deceptrix illa. Ratio consequentiæ: quia πιθανολογία pars est Philosophiæ. IV. à facto Apostoli, qui ipse Philosophiâ utitur, dum ratiocinando aliud ex alio colligit; vera confirmat; falsa confutat; methodo accuratissimâ omnia disponit. V. à consensu Interpretum, tum veterum, *Hieronymi* in hunc locum, *Augustini lib. de moribus Eccles. cap.* 21. *Theophylacti*: tum Neotericorum fermè omnium. *Alterum, Rom.* 1. v. 22. dicitur *Sapientes stultos esse factos.* & 1. *Cor.* 1. v. 20. *Sapientia hujus seculi infatuata. Resp.* Neuter locus quicquam detrahit veræ Philosophiæ. *Non prior*: quia damnat solum abusum veræ Philosophiæ in agnitione Dei & veritates: quod contra eam, & ejus principia theorica & practica 1. Deum non glorificaverunt, nec gratias ei egerunt. II. quod invisibilem Dei majestatim & gloriam transmutarunt in visibiles, easque turpes quorumvis animalium formas. *Non posterior*: quia damnat alium abusum, quo Philosophia non subjicitur Theologiæ, sed præficitur, tanquam Cynosura & norma doctrina Euangelicæ Patet ex circumstantiis textus; & quod sermo de cruce ipsis dicitur

Philosophiam plane damnarunt Fanatici quidam, & Anabaptistæ.

Col. 2. v. 8. Non damnatur Philosophia vera.

Rom. 1. v. 22. & 1. Cor. 1. v. 20. Non accusatur stultitiæ.

Stultitia, *v.* 18. Ideò rectè *Tertullianus* ſcribit de hâc Sapientiâ *lib. de Præſcrip. adverſus Hæreticos. Quod Deus elegerit ſtulta mundi ad confuſionem Philoſophiæ.* Et *Lutherus: Qui vult ſapiens fieri in Ariſtotele, ſtultificetur ante in Chriſto: ut Catechiſmus regat Philoſophiam, non regatur ab eâ.*

Philoſophia vera ſubordinatur Theologiæ.

Inter duas has ſententias extremas *media* incedit *Orthodoxa veritas*, non confundens ſanam Theologiam & veram Philoſophiam, tanquam partes totius: nec etiam opponens, ut adverſas, & inter ſe contrarias: ſed ſubordinans eas, & uſum verum ac rectum, ab abuſu diſcernens; quò ſublato abuſu, maneat verus ejus uſus.

Philoſophia quid. Impropriè.

Præcognita hujus noſtræ ſententiæ duo ſunt. *Unum:* Diſtinctio vocabuli, quod vel propriè ſumitur, vel impropriè. *Impropriè & καταχρηστικῶς* Philoſophia *eſt ſylloge, ſive farrago quadam pugnantium opinionum, quas diverſarum ſectarum Philoſophi tenuerunt & propugnarunt.* Fundamentum hujus non notitiæ naturales, ſed vani διαλογισμοὶ. *Propriè* ex etymo nominis, à Pythagora impoſiti, *eſt amor ac ſtudium Sapientiæ*: ex definitione rei autem *eſt rerum divinarum & humanarum aliqualis cognitio, quatenus ea luce naturæ cognoſci poſſunt*: ut Plato, Cicero, & Euſtathius in *lib.* 5. *Iliados*, de eâ loquuntur. *Primo* ſignificatu uſum ejus in Theologiâ nullum agnoſcimus: & ita eam damnat Apoſtolus *Coloſ.* 2. v. 8. *Secundo* eſſe aſſerimus, & nobiſcum aſſerit Paulus *Rom.* 1. v. 18. 19. *cap.* 2. v. 14. 15. De quo exſtat inſignis locus apud *Clementem Alexandrinum lib.* 1. *Stromatων*: *Philoſophia*, ait, *non eſt dicenda Stoica, nec Platonica, aut Epicurea, aut Ariſtotelica; ſed quæcunque ab his ſectis rectè dicta ſunt, hoc totum ſelectum dicendum eſt Philoſophia.* Monet igitur non *concretivè*, & prout in hoc vel illo ſubjecto reperitur, conſiderandam eſſe Philoſophiam: ſed *abſtractivè* & qualiter ex ſe, & ſuâ naturâ comparata eſt.

Propriè.

Theologia & Philoſophia diſciplinæ non contrariæ, ſed ſubordinatæ.

Alterum: Theologiam & Philoſophiam, proprio ſignificatu acceptam, non eſſe diſciplinas contrarias, ſed ſubordinatas: quæ non repugnent ſibi ſed ſubſerviant. Modum ſubordinationis *Philo* Judæus, & vetuſti quidam *Patres* venuſtè declararunt allegoriâ Dominæ & Servæ; Saræ & Agaræ: ut Theologia dominetur Philoſophiæ; & hæc ei ancilletur & ſubſerviat. *Vide Philonem in libro de Cherubim, & de congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ.* Rationes ſunt. I. Ex *Rom.* 1. v. 19. 20. *& ſeqq.* Veritas Dei non eſt ſibi contraria, ſed ſubordinata;

Philoſophia eſt. 1. Veritas Dei.

ordinata; alia superior, alia inferior: sicut patefactiones ipsius aliæ supernaturales, aliæ naturales. *Ratio:* quia Deus non est sibi contrarius, ut etiam & non, 2.*Cor.* 1.v. 19.20. nec potest mentiri *Tit.* 1.v.2. Vera Philosophia est veritas Dei, *Rom.* 1.v.18.19. ubi sic appellatur: item τὸ γνωστὸν ipsius. Ideo *Iustinus Martyr* Philosophiam appellat, εὕρησιν τοῦ ἀληθοῦς: item, Philosophi proprium esse ait, τὸ ἀληθὲς μόνον τιμᾶν, in *Apologetico ad Antonium Philosophum Imp.* Ergo. II. Ex *Rom.* 2.v.14.15. Opus legis, scriptum à Deo in cordibus; non est contrarium Theologiæ. *Ratio*: quia est ejus objectum & pars quædam: quæ non repugnat toti. Philosophia est opus legis scriptum à Deo in cordibus *Rom.* 2.v. 14.15. Hinc donum Dei vocatur. Ergo. III. Organon cognoscendæ & docendæ Theologiæ non est ei contrarium: *Ratio*: quia habet se ut subjectum & adjunctum; quæ consentanea. Philosophia est tale Organon. Ergo. IV. Quod non tollit, sed relinquit & perficit notitias naturales: nec intellectum theoricum & practicum destruit, sed excolit & confirmat; id non est contrarium Philosophiæ. Patet consequentia ex natura contrariorum, quæ se mutuo perimunt. Theologia non tollit, sed relinquit & perficit notitias naturales; & intellectum theoricum & practicum excolit. Probatur ex praxi Apostoli *Actor.* 14. & .17. *capp.* Etsi enim veræ sunt illæ notitiæ; sunt tamen obscuræ & imperfectæ. Ideo Theologia clarius, perfectius, & firmius ea revelat, quæ natura inhærent. Quin etiam lumen supernaturale infert & infundit. Ergò.

2. Opus Legis inscriptum cordibus.

3. Organon cognoscendæ Theologiæ.

4. Perfectrix notitiarum naturalium.

His ita præmissis Philosophiæ in Theologiâ *Vsum* & *Abusum* tum *Generalem*, tum *Specialem* indicabimus & declarabimus.

Philosophiæ in Theologiâ.

USUS *Generalis* quadruplex *est.*

Vsus generalis.

Primò: Vera Philosophia est Medium quoddam tum convincendorum, tum ad fidem Christianam præparandorum Gentilium. Organon tamen fidei dici nequit. Patet *prius*: I. ex disputationibus, *Rom.* 1.v.18. & *seqq.* & *cap.* 2.v.14.15. & concionibus Paulinis, *Actor.* 14.v.16.17. & *Cap.* 17.v.23.24. & *seqq.* II. ex Scriptis Patrum contra Gentiles. *Posterius*: quia fidei organon est solum Euangelium. *Rom.* 1. vers. 16. *Cap.* 10.v.8.9.16.17. *Clemens Alexand. lib.* 1. *Stromat.* affirmat Philosophiam Græcis fuisse

1. Est medium convincendorum & convertendorum gentilium.

fuiſſe pædagogiam ad Chriſtum, quemadmodum lex Judæis *Gal.* 3. 4. *Cap.* Sed falſò.

2. est προπαιδεία juventutis Chriſtianæ.

Secundò. Eſt προπαιδεία Juventutis Chriſtianæ, in Catechiſmo jam inſtitutæ, ad ſtudium Theologicum. Inſtitutæ dico: quia ad arduum hoc Studium nemo admittitur ſine rudimentis Catecheticis. *Probatur* I. exemplo Moſis *Act.* 7. v. 22. II. ex ſubjecto Philoſophiæ, quoad res, modum earum, & ſermonem ſive verba, ſigna rerum.

3. eſt teſtimonium conſenſus in rebus naturâ notis.

Tertiò. Eſt teſtimonium conſenſus in rebus Luce naturæ notis. Multa traduntur in Theologia ex Scripturâ V. & N.T. quæ etiam luce naturali hominibus certa & explorata ſunt: Quæ ita ſunt Theologica, ut etiam ſint Philoſophica. Horum harmonia tantò evidentiorem certitudinem gignit. *Ratio.* I. à Praxi Pauli *Act.* 14. 17. *capp.* II. quia concurrit gemina Dei patefactio, naturalis & ſupernaturalis: gemina autoritas: gemina lux; lucernæ, & luciferi, ut in alio argumento hæc ad certitudinem conjungi ait Petrus 2 *Epiſt.* 1. v. 19.

4. eſt organon judicandi.

Quartò. Eſt organon judicandi de vero ac falſo; certo & incerto; conſequente & inconſequente; ordinato & confuſo: ſecundum normas bonæ ac neceſſariæ conſequentiæ, à Deo rationali creaturæ impreſſas: ſed præeunte luce verbi divini, & illuminatione Spiritus S. *Probatur* I. dictis Scripturæ *Pſ.* 32. v. 9. *Eph.* 4. v. 14. 1. *Theſſ.* 5. verſ. 21. 1 *Ioh.* 4. v. 1. II. Exemplis Scribæ *Marc.* 12. v. 34. νουνεχῶς *cordatè* reſpondentis; Beroënſium *Actor.* 17. v. 11. ἀνακρινόντων *examinantium* Scripturas. III. à fine Creationes; quia Deus propterea condidit naturas intelligentis ac normas judicandi ac diſcernendi verum à falſo ipſis inſevit, ut probare poſſint, quid ſit acceptum Domino.

Abuſus generalis.

ABVSVS *Generalis* etiam eſt quadruplex.

1. Cum placita Philoſophorum falſa aſſumuntur.

Primò; Cum prætextu Philoſophiæ principia ſive placita Philoſophorum, per ſe falſa, aſſumuntur, & ex illis falſa dogmata extruuntur aut defenduntur: uti eſt doctrina quorundam *de mundi æternitate de mortalitate animarum* ex Ariſtotele: *de igne purgatorio poſt hanc vitam* ex Platone; *de abſoluta omnium rerum neceſſitate* ex Stoicis. *Ratio.* I. quia id damnat Apoſtolus *Col.* 2. v. 8. II. quia pugnat etiam cum verâ Philoſophiâ.

2. Cum fingitur ſufficiens ad ſalutem.

Secundò: Cum Philoſophia etiam vera fingitur ſufficere de Deo, ejus voluntate ac cultu: & de ſalute hominum. Eſt enim

enim *insufficiens* I. quia ignorat doctrinam Euangelii, quam solus Christus nobis revelavit *Ioh.* 1. vers. 18. II. quia legis divinæ notitia naturalis, per peccatum obscurata & mutilata est: ac proinde divinis repetitionibus & declarationibus complenda fuit.

Tertio: Cum dogmata Theologica, ignota rationi, deducuntur non ex divinis oraculis, sed ex rationibus Philosophicis, & ex iis confirmantur: qualia sunt *de S. Trinitate, de Christo, de Resurrectione mortuorum. Ratio*: I. quia Scriptura hîc removet rationem *Matth.* 16. v. 17. 1. *Cor.* 2. vers. 9. II. quia conclusiones, sunt homogeneæ suis principiis. At non principium naturale, & dogma supernaturale. Interim illustratio potest fieri ex Philosophiâ.

3. Cum dogmata merè Theologica ex Philosophia deducuntur.

Quarto. Cum quæ Philosophia de rebus sibi subjectis rectè & verè pronunciat, ad res Theologicas transferuntur; & illis doctrina Euangelii corrumpitur, cui minimè congruunt: ut *ex nihilo nihil fit: à privatione ad habitum non datur regressus; virgo non est mater: nec Homo Deus. Ratio*: quia fit μετάβασις εἰς ἄλλο γένος.

4. Cum exinde Theologia corrumpitur.

Hæc de Usu & abusu Philosophiæ in genere. Succedunt *Vsus & Abusus Speciales*, singularum artium & disciplinarum.

GRAMMATICÆ *Vsus* est in intelligendis & explicandis verbis, terminis & Phrasibus Scripturæ: Ut notum. *Abusus* est I. cum magis apices verborum, aut cortices syllabarum, quàm nucleus rerum attenditur: quod Criticorum est. II. cum inanes λογομαχίαι, sive rixæ de verbis moventur: quas interdicit Paulus 1. *Tim.* 6. v. 4. & 2. *Tim.* 2. v. 14.

Grammatica Vsus. Abusus.

RHETORICÆ *Vsus* est I. in evolvendis Tropis & Figuris; quibus Scriptura abundat. II. in acquirendâ sive comparandâ Oratoriâ Ecclesiasticâ: cujus consummatissima exempla reperiri in Scripturâ testis est *Augustinus lib.* 4. *de doctrinâ Christianâ*. Ideo Patres non solum in eâ se assiduè exercuerunt; sed etiam eam professi sunt aliquammulti, Origenes, Cyprianus, Malchio, Pierius, Arnobius, Lactantius, Augustinus. *Abusus* est. I. Cum sensus literalis Scripturæ in meras allegorias convertitur: quâ re graviter peccavit *Origenes*: cum item figurata pro propriis, aut propria pro figuratis accipiuntur. II. Est πιθανολογία παραλογίζουσα, quæ ad quidvis persuadendum artificio sermonum deceptoriorum comparata

Rhetorica. Vsus.

Abusus.

parata est: quam damnat Apostolus in Philosophis & Pseudapostolis 1. Cor. 1. 2. capp. Coloss. 2. v. 4.

Dialectica Vsus.

DIALECTICÆ *Vsus* est propemodum infinitus, in terminis simplicibus, sive Topicis Theologicis: in discernendo vero à falso, in enunciationibus: certo ab incerto, sive consequente ab inconsequente, in syllogismo: in componendo systemate Theologico: in resolvendis textibus sacris: in confutandis adversariis sanæ doctrinæ: quos posteriores usus commendat Apostolus, dum jubet Episcopum ὀρθοτομεῖν, *rectè secare sermonem veritatis* 2. *Tim.* 2. v. 15. & ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, *contradicentes refellere Tit.* 1. vers. 9.

Abusus.

Abusus est I. neglectus Dialecticæ in dijudicandis dogmatis: dum cœcâ obedientiâ & assensu omnia admittuntur: ut fit apud Pontificios & Lutheranos. II. παραλογισμὸς, sophisticus elenchus, cum quis ratiocinando fallit, argumentorum probabilitate: ex veris principiis, aut veris conclusionibus, eliciens & deducens falsa dogmata: de quo Apostolus *Col.* 2. v. 4. *Rom.* 1. v. 21. 22. & *seqq.*

Ethica Vsus.

ETHICÆ *Vsus* est I. in cognoscendis principiis actionum humanarum. II. virtutem & felicitatem civilem sive externam mediocriter declarat: ad quos usus etiam Aristoteles eam propriè direxit.

Abusus

Abusus est I. Cum Lex naturæ norma statuitur virtutis & justitiæ unica, perfecta; non solum coram hominibus, sed etiam coram Deo: *Rom.* 2. v. 14. 15. *Phil.* 3. vers. 6. & *seqq.* II. Cum veram beatitudinis rationem docere fingitur, id est, quod de summo bono verè & plenè doceat: de quo Salomo in Ecclesiaste. III. Cum homini tribuitur sive arrogatur possibilitas præstandi veras & perfectas virtutes: & assequendi suis viribus veram beatitudinem. Sic enim negatur peccatum originale; & meritum Christi annihilatur & aboletur.

Physica Vsus.

PHYSICÆ *Vsus* est I. in illustrandis iis, quæ de rebus naturalibus in Jobo, Psalmis, & passim per totam Scripturam disseruntur. II. In cognoscendis Dei invisibilibus, quæ in visibilibus quasi depicta sunt: & per quæ ad illa gradatim ascenditur, via *causationis*, quâ ex effecto causa colligitur; à secundis ad primam pervenitur; quia non datur, progressus causarum in infinitum: *negationis*; quà imperfecta negantur de Deo: & *affirmationis*, quâ perfecta eminenter de Deo affirmantur.

Abusus.

Abusus est I. cum incertæ, subtiles, & inutiles quæstiones in Theologiam inferuntur: de Principiis, infinito, vacuo &c. II. cum in creaturis defixi,

defixi, de Creatore non cogitamus, vel ad eum non aſſurgimus *Rom.* 1.v.21.22. *& ſeqq. Act.* 17. v.24. *& ſeqq.*

MATHEMATICÆ (quæ *Arithmeticam*, *Geometriam*, & *Aſtronomiam* complectitur,) *Vſus* eſt. I. in ſupputationibus annorum & temporum; juxta quæ hiſtoriæ ſacræ digeruntur. II. in ſitu & diſtantiis locorum cognoſcendis, quorum mentio fit in ſacris. *Abuſus* eſt I. Cum in numeris ternario, ſeptenario, aliis, myſteria ponuntur; aut ex diagrammatis Geometricis allegoriæ, frigidæque probationes ducuntur, quod olim fecêre *Valentiniani, Marceſii, Artemonitæ*; nunc faciunt *Fanatici* quidam homines, & *novi Prophetæ*: item *Fratres Roſeæ Crucis.* II. Cum ex aſtris prædictiones fiunt de moribus, actionibus, fortunis hominum, de rerumpub. converſionibus, & Religionis mutatione: quæ diſertè damnantur verbo Dei *Eſa.* 47.v.11.12. *& ſeqq.*

Mathematicæ Vſus.

Abuſus.

METAPHYSICÆ *nullus Vſus* eſt in Theologiâ, ſiquidem ea tantum ſpectentur, quæ ejus propria ſunt; non autem tranſſumta ex aliis artibus aut diſciplinis. *Abuſus* verò eſt multiplex: I. quæ Theologiæ propria ſunt de Deo, angelis, creatione, ſibi vendicat, obtentu peculiaris modi conſiderandi. II. ſubtilitates vanas, quæſtiones otioſas, opiniones ambiguas ad res Theologicas transfert. III. in utramque partem diſputat omnia, & vix quicquam certi habet. Hinc *Sceptica Theologia* nata: quæ tandem exit in Atheiſmum: Qui enim de omnibus dubitat, nihil tandem credere incipit. Huc pertinet illud: *Semper diſcentes, ſed nunquam ad cognitionem veritatis pervenientes* 2.*Tim.*3.v.7. IV. diſtinctiunculis frivolis & ineptis omnia eludit & elidit: mater omnis ſophiſticæ & deceptionis. V. terminos novos, monſtroſos, inſulſos; phraſes improprias, obſcuras invehit: quibus ſanos ſermones Theologicos in fide & charitate corrumpit.

Metaphyſicæ Vſus.

Abuſus.

PROBLEMA TERTIUM.

An Theologia Scholaſtica ſit vera Theologia?

Theologia. Vera.

SCriptura Sacra duplicis Theologiæ meminit, non quidem ſi vocem, at ſi rem ipſam ſpectes, Veræ & Falſæ. *Vera* Theologia eſt *hypotypoſis ſanorum ſermonum de fide & charitate* 2.*Tim.*1.13. quam

ceu *præclarum depositum* Timotheo commendat Apostolus 1. *Tim.* 6 .v. 20. *Falsa* est ψευδώνυμος γνῶσις, *falsò nominata notitia*, 1. *Tim.* 6. v. 20. *quæ speciem quidem habet sapientiæ*, *Colos.* 2. v. 23. revera autem stultitia est, mendacium & Sophistica. Ad utram referenda sit *Theologia* illa, quæ dici solet *Scholastica*, in disquisitionem venit. Nos, quò expeditior sit responsio, præmittemus declarationem Nominis & Rei, hoc est, & Unde dicatur Theologia Scholastica, & Quid ea sit.

Falsa.

De Nomine.

Theologi. N. T. sunt. Sacri.

SCriptores *Theologi* superiorum seculorum in N. T. sunt triplices. *Sacri* sive Divini; quales sunt Euangelistæ & Apostoli, qui testimonium habuerunt, quod non errarunt in doctrinâ: & Scripturam N. T. consignarunt. *Ecclesiastici* sunt primitivæ Ecclesiæ Episcopi ac Doctores, *Patres* vulgo nuncupati, qui industriâ humanâ, nec citra errores, sacra tractarunt, & scripris suis illustrarunt. Et *Scholastici*; qui Theologiam Scholasticam concinnarunt, & à quibus illa denominata est.

Ecclesiastici.

Scholastici.

Scholæ quid.

Hi *Scholastici* dicti sunt ἀπὸ τῆς σχολῆς. *Scholæ autem dicuntur*, inquit Festus, *non ab otio ac vacatione animi, sed quod cæteris rebus omissis, liberalibus studiis homines in illis locis* (velut Academiâ Platonis, Stoa Zenonis, Peripato Aristotelis) *strenuè incumberent*. Hujus modi scholas etiam Christiani habuerunt, & doctrinam Christianam in iis tradiderunt multi Patres, qui simul erant Episcopi ac Doctores. Cum verò Episcopi fastu elati, primum munus docendi separarent à suo, ut inferius, vilius; post etiam alii, quibus mandatum erat, id negligerent: factum est ut Monachi invaderent Scholas, & corruptum jam antè genus doctrinæ Theologicæ in iis proponerent. Et ita *Scholastici* dicti sunt, quod eam doctrinam tenerent, quæ in Scholis publicis publicè tradebatur: ut quidam privatim illi doctrinæ contradicerent. Et cum difficiles & intricatæ quæstiones inter ipsos orirentur, secutæ sunt graves & acerbæ concertationes, subtilesque disputationes. Undè & *Scholæ Theologicæ*, & *Scholasticorum Theologorum* nomen inclaruit. I. quod quæ in Scholis publicis docebantur de Religione, quasi ab omnibus probata traderent. II. quod difficilem in suis illis Scholis disputandi rationem retinerent: adeo ut aliam apud populum docendi rationem sequerentur. Idem verò Theologi Scho-

Christianorum quales.

Scholastici quinam.

lastici

lastici etiam aliis nominibus appellati sunt: Sententiarii, Summistæ, Quodlibetarii. *Sententiarii*, quod Theologiam consarcinarent ex truncatis, & ferè in alium sensum detortis Patrum, Augustini præcipue, sententiis. Ita *Guilelmus Abbas S. Theodorici* librum unum sententiarum fidei comportavit: & post, ejus exemplo, libros quatuor *Petrus Lombardus*, *Magister Sententiarum* κατ' ἐξοχὴν appellatus. *Summistæ*, quod summas sive Epitomas sententiarum, & totius Theologiæ conficerent. Summam Sententiarum primus scripsit *Hugo de S. Victore*: Summam Theologiæ primus *Robertus Lincolnensis Episcopus*. *Quodlibetarii*, quod quæstiones quodlibetarias, miscellaneas, de quibusvis materiis Theologicis tractarent & explicarent: cujus initium fecit *Gualterus Episcopus Pictaviensis*, qui primus librum Quodlibetorum edidit.

Sententiarii. Summistæ. Quodlibetarii.

De Reipsâ, hoc est de Naturâ & indole *Theologiæ Scholasticæ*.

DE eâ haud aliunde rectius constare potest, quàm ex ejusdem origine & progressione: de quâ scripsere inter cæteros clarissimi viri *Casp. Peucerus lib. 4. Chronic.* & *Lamb. Danæus in Prolegomenis ad Petrum Lombardum*.

Origo ita habet. Res Ecclesiæ in pejus ruere cœperunt, & doctrina ejus corrumpi in Ecclesiis *Occidentalibus*, post mortem Augustini: in Ecclesiis *Orientalibus* sive Græcis, post obitum Cyrilli. Quomodo in *Oriente* mutata sit doctrina, liquet ex quatuor libris *Ioh. Damasceni*, quos scripsit circa A. C. 730. titulo *de Orthodoxâ fide*; trecentis annis post Augustinum. Quomodo in *Occidente* corrupta, ex variis monimentis liquet, tum aliorum, tum Scholasticorum Theologorum: quorum ortus incidit in A. C. 1020. & ætatem Lanfranci Papiensis, qui Berengarii Antagonista fuit. Ante illud seculum unius ferè Augustini doctrina, secundum verbum Dei scriptum, in Ecclesiâ & Scholis obtinuit: adeo quidem, ut in Scriptis publicis, scriptum Augustini *de Ecclesiasticis dogmatis*, vel simile in fronte poneretur: Et cum circa. A. C. 650. in Hispania deessent opera Augustini, Tajo Episcopus missis legatis ea ex Bibliotheca Romana petierit. Nam approbata erant non solum à præcipuis doctoribus, sed etiam à totis Conciliis. Ab iis paulatim post æta-

Scholasticorum Origo.

ætatem Caroli M. discessum est, cùm aliis in rebus, tum præsertim in doctrinâ de Cœnâ, parturiente jam Papâ Transsubstantiationem. Hinc disputationes inter *Lanfrancum*, & *Berengarium*, qui sua defendit ex Augustino. Quâ occasione Itali, Lanfrancum secuti, primo prætermiserunt, post etiam neglexerunt sententiam & doctrinam Augustini. Ex quo evenit ut Doctores Theologi alia doctrinæ suæ fundamenta quærerent, quam veteres, & quidem talia, quæ receptis opinionibus, quanquam erroneis, rationibus item Philosophicis, & Pontificum decretis consona essent. Pro his, ut pro aris ac focis, dimicatum est. Accessit quod Lanfrancorum factio & studium à Rom. Pontificibus contra Berengarianos laudaretur, foveretur: Berengarius autem ad Palinodiam adigeretur. Quod ita hominum animos perculit; ut ex eo rempore spreto Dei verbo, & neglectâ Augustini doctrinâ, in eam doctrinam incumberent quæ Lanfrancianæ simillima esset, & decretis Pontificum consentanea. Secutæ hinc variæ quæstiones, & innumeræ difficultates in doctrinâ. Denique Theologicæ sententiæ ac definitiones omnes, ad recepta dogmata & ritus accommodatæ. De quibus omnibus regulæ, velut κυρίαι δόξαι, & Dei oracula traditæ: & Patrum Scripta ad hæc detorta. Ex quibus *Theologia Scholastica* primum nata est.

Iorundem progressio per ætates. Primam.

Progressionem Danæus tribus ætatibus distinguit, per quas semper ruit in pejus. *Prima*, sive *vetus ætas* est ab A. C. 1020. ad annum 1220. à Lanfranco Papiensi ad Albertum Magnum, per annos ducentos. Ea habuit plurimos Scholasticos præter Lanfrancum, præcipuè autem *Petrum Lombardum*, qui imitatione Damasceni scripsit *quatuor libros sententiarum* A. C. 1150. qui libri fuerunt postea totius Theologiæ Scholasticæ velut basis, & κυρίαι δόξαι; & tantæ autoritatis, ut contra eos hiscere nefas esset. Hæc ætas paulò fuit prudentior: & quanquam Patrum dicta æquabat verbo Dei; tamen & verbum Dei, licet corruptè, tractabat. Philosophia Aristotelica, jam tum quidem introducta in limen S. Theologiæ, non tamen in ipsum templum sive adytum. Imo in toto

Secundam.

Lombardo, ne nomen quidem Aristotelis legitur, *Secunda*, sive *Media ætas*, cœpit ab Alberto Magno & A.C. 1220. quo Lutetiæ Sorbona, lustrum illud Scholasticorum, fuit condita: & duravit usque ad Durandum de S. Porciano: qui vixit A.C. 1330. per annos centum & decem. Et ipse quidem Albertus Magnus Philosophiam

phiam Aristotelicam in intima Theologiæ introduxit, & primas in eâ partes illi attribuit. Ac sicut prima ætas Scripta Patrum æquavit verbo Dei; ita hæc Aristotelis: cujus nomen ubique primo loco ponitur: & Rationes ipsis sunt Demonstrationes; dicta Scripturæ autem rationes probabiles, & opinationes tantùm. Inprimis Metaphysicam ipsius perpetuo habuerunt in ore. Hinc tot commentaria in eam scripta fuerunt. Thomas & Scotus huc pertinent. *Tertia*, sive *Nova*, est Ultima ac Pessima hujus Theologiæ, quæ ab Hereno de Boio Britone & Carmelitâ A.C. 1330. duravit ad A. C. 1516. & ad tempora Lutheri: atque impudentiâ vicit cæteras. Nam I. quæ modestia antea manserat, ne de quibusvis quæstionibus aut ritibus dubiis aliquid statueretur, tum sublata est. II. de rebus arcanis, soli Deo notis, magistraliter cœptum pronunciari. III. impurior quævis doctrina, tanquam verissimus fidei articulus, publicè introducta. IV. quiquid contra corruptelas doctrinæ, superstitiones, & abusus ex verbo Dei propositum, id omne variis destinctionibus & oppositionibus elusum fuit & obrutum. Tertiam.

Ex quibus omnibus hanc Theologiæ Scholasticæ sive definitionem, sive descriptionem eruimus: *Theologia Scholastica est genus Doctrinæ, à Theologis Scholasticis ex Scriptis Patrum placitis Philosophorum, & decretis Pontificum conflatum, & obscuris inextricabilibusque disputationibus explicatum: quo corruperunt veram ac salutarem doctrinam verbi Dei, & Theologiam in mataeologiam converterunt.* Theologiæ Scholasticæ descriptio.

His ita præmissis expedita est *Responsio* ad Problema, eaque *Negativa*: Nim: *Theologiam Scholasticam non esse veram Theologiam*, sed falsam, vanam ex Scholis Theologicis eliminandam. Theol. Scholastica non est vera Theologia.

Demonstratio Problematis

Testimoniis Scripturæ:

Col. 2. v. 8. *Videte ne quis sit, qui vos deprædetur per Philosophiam, & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Colos. 2. v. 8.

Ibid. v. 18. *Nemo adversum vos rectoris partes sibi ultrò sumat, in submissione animi, & religioso cultu Angelorum: pedem inferens in ea quæ non vidit, & temerè inflatus carnis suæ intelligentiâ.* Colos. 2. v. 18.

 1. Tim.

1. Tim. 1. v. 3. 4. 6. 7.

1. Tim. 1. v. 3. 4. *Ne diversam doctrinam doceant, nec attendant animum fabulis & genealogiis nunquam finiendis, quæ potius quæstiones præbant, quàm ædificationem Dei, quæ est per fidem,* & mox v. 6. 7. *Nonnulli à scopo aberrantes, diverterunt ad vaniloquentiam: Volentes esse Legis Doctores, quum non intelligant quæ loquuntur, nec ea de quibus asseverant.*

1. Tim. 4. v. 1. 2. 3. 7.

Cap. 4. v. 1. 2. 3. *Spiritus disertè dicit fore, ut posterioribus præstitutis temporibus desciscant quidam à fide, attenti spiritibus deceptoribus, ac doctrinis dæmoniorum, per hypocrisin falsiloquorum; quorum conscientia cauterio resecta est: prohibentium contrahere matrimonium,* &c. v. 7. *Profanas & aniles fabulas aversare.*

1. Tim. 6. v. 3. seqq.

Cap. 6. v. 3. 4. 5. *Si quis diversam docet doctrinam, neque accedit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ: is inflatus est, nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones & pugnas de verbis, ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentiæ, suspiciones malæ; Perversæ exercitationes hominum mente corruptorum, & qui privati sunt veritate, & quæstui habent pietatem.*

1. Tim. 6. v. 20. 21.

Ibid. v. 20. 21. *Aversare profanos illos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falso nominatæ notitiæ. Quam nonnulli præ se ferentes, circa fidem aberrarunt à Scopo.*

2. Tim 2. v. 14. 16, 17. 23.

2. Tim. 2. v. 14. *Ne de verbis pugnent, quod nullam adfert utilitatem, imò auditores subvertit.* & v. 16. 17. *Profanos illos de rebus inanibus clamores cohibe: ad majorem enim procedunt impietatem: & sermo eorum depascet ut gangræna.* & v. 23. *Stultas & ineruditas illas quæstiones aversare, sciens eas gignere pugnas.*

Tit. 3. v. 9.

Tit. 3. v. 9. *Stultas quæstiones, & genealogias, & contentiones, ac pugnas legales cohibe: sunt enim inutiles & vanæ.*

Rationibus:

Quia non habet Scripturam unicum principium.

I. *A Caussâ procreante veræ Theologiæ:* Vera Theologia ex solo Dei verbo exstructa est; eoque tanquam unico principio suo nititur. Theologia Scholastica nec exstructa est ex solo Dei verbo, neque eo tanquam unico suo principio nititur. Ergo. *Major* certa est ex Scripturâ, 2. *Tim.* 3. v. 16. 17. 2. *Petr.* 2. v. 19. & demonstrabitur Problemate sequente. *Minor* constat ex ante dictis: siquidem exstructa est. I. ex dictis truncatis & detortis Patrum. II. ex principiis Philosophiæ Aristotelicæ. III. ex placitis

placitis & decretis Pontificum: quæ omnia verbo Dei, alii æquant, alii etiam anteponunt: & verbi ipsius rarissima apud ipsos mentio est.

II. *A Caussâ materiali*: Vera Theologia Res & Verba Scripturæ Sacræ, quod ejus fieri potest, retinet & exprimit. Theologia Sholastica neutrum præstat. Ergò. *Major* est Apostoli Pauli 2.*Tim.* 1.v.13. *Expressam formam teneto sanorum sermonum.* & Petri 1.*Epist.*4.v.11. *Qui loquitur, loquatur, ut eloquia Dei. Minor* distinctè probatur: I. De *Rebus*: 1.inducit multa nova ac falsa dogmata contra Scripturam. II. gravissimos & maximè necessarios articulos, de Gratiâ, Justificatione, Fide, Conversione, Certitudine salutis, præterit vel corrumpit. III. spinosas, curiosas, & inutiles quæstiones, Verbo Dei damnatas, movet ac præcipuè urget. IV. privatorum opiniones, aut discrepantes Scripturarum interpretationes, inter articulos fidei numerat. II. De *Verbis*: quia à Verbis & Phrasibus Scripturæ omninò discessit: imò ne veterum quidem simplicitatem in elocutione imitatur: sed novum dicendi genus confinxit & conflavit ex terminis monstrosis, impropriis, obscuris, inexplicabilibus.

Quia nec res, nec verba Scripturæ retinet.

III. *A Caussâ formali*: Vera Theologia tum veritate doctrinæ, tum τρόπῳ παιδείας est Scripturis analoga. Theologia Scholastica nec doctrinæ veritate, nec τρόπῳ παιδείας Scripturis est analoga. Ergò. *Major* est Apostoli *Rom.* 12. v. 6. 2.*Tim.* 1. v.13. *Minor* certa est *de veritate doctrinæ*, quia Dei veritatem transmutarunt in falsitatem vanis dialogismis, *Rom.* 1. v. 22.23. nec doctrinam suam S. Scripturis, sed scriptis Patrum, Philosophorum, decretis Pontificum, tanquam conclusiones principiis, conformarunt. *De τρόπῳ παιδείας*. I. Quia de rebus Theologicis in utramque partem probabiliter solum disputarunt, contra naturam tum Theologiæ, quæ disciplina est apodictica; tum Scripturæ, quæ indubitatæ veritatis principium est. Plane ut olim Academici. II. Quod doctrinas argutiis suis obscurarunt potius, quàm illustrarunt. Nam quæ sunt difficilia, reddunt ipsi spinosis suis & inutilibus quæstionibus difficiliora: quæ facilia, intricatis disputationibus suis involvunt.

Quia nec veritate doctrinæ, nec τρόπῳ παιδείας Scripturæ analoga est.

IV. *A Caussâ finali*: Finis Veræ Theologiæ, uti & ipsius Scripturæ, est Charitas ex puro corde, & conscientiâ bonâ, & fide minime simulatâ. Ita Apostolus pronunciat 1.*Tim.* 1. v. 5.

Quia non habet eundem cum verâ Theologiâ finem.

At

At non Theologiæ Scholasticæ ille finis est. Ergò. *Minor* probatur: Quia pro Conscientiarum pace, perturbationem affert; pro Charitate, pugnas & rixas ipsorummet Doctorum, quorum ne duo quidem consentiunt: pro fidei luce, intricatas & inexplicabiles quæstiones: denique pro vero cognitionis Dei usu vanas & curiosas notiones, adeoque meram matæologiam.

PROBLEMA QVARTVM.

An Sacra Scriptura sit Vnicum Principium Dogmatum Theologicorum?

Dogmata Theologica sunt.

DOgmata Theologica voco definitiones, divisiones, explicationes, & regulas de rebus divinis; quæ in disciplinâ Theologicâ tradi solent. Suntque non unius, sed duplicis generis. I. *Principalia* sive fundamentalia, quæ præcisè necessaria sunt ad salutem, & Summa Legis & Euangelii continentur. II. *Minus Principalia* & Secundaria, quorum quidem non est par necessitas ad salutem, Usus tamen insignis ad rerum divinarum pleniorem tum cognitionem, tum exercitationem. De quibus Apostolus 1. *Cor.* 3. v. 12. *& seqq.*

Principalia.

Minus principalia.

Principium quid.

Principium voco, ex quo exstruuntur, & deducuntur illa dogmata, veluti conclusiones & determinationes quædam. Sicut enim omnibus artibus & disciplinis sua sunt principia, è quibus exstructæ sunt & demonstrantur, & supra quæ non licet assurgere, ne detur progressus in infinitum: ita omnium disciplinarum domina Theologia suum quoque principium habet. Hoc principium est *Sacra Scriptura*, sive *Verbum Dei*, scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensum. Neque enim putandum est, idem esse Verbum Dei, & Sacram Theologiam, etiam propriè & univocè acceptam. Trifariam enim differunt. I. ordine caussæ & effecti: Verbum Dei est caussa Theologiæ, hæc illius effectum. II. Objectis: quia in Verbo Dei omnia sunt divina, Verba, Res, & Methodus: in Theologia autem Res quidem è Verbo Dei petuntur, & peti debent; Verba verò & Methodus adduntur humanâ industriâ. III. Adjunctâ certitudine: quia Verbum Dei est expers omnis erroris, ut pote θεόπνευστον: Theologia

Verbum Dei & Theologia differunt trifariam.

logia ſana, quæ ab Orthodoxis Doctoribus traditur, non ſemper: quia ſæpè errat in concluſionibus, & ſemper examinanda eſt ex Scripturâ.

De hoc, quod *S. Scriptura* ſit *Principium dogmatum Theologicorum*, nulla eſt controverſia inter Chriſtianos: ſed an ſit *Vnicum, principium*, præter quod non ſit aliud, diſputant Orthodoxi & Pontificii.

Orthodoxi affirmant eſſe unicum principium, probationibus deductis ex Naturâ Principiorum; quarum duas adferimus.

Scriptura eſt Vnicum Principium dogmatum Theologicorum.

Prima: A quo primum incipiunt, & in quod poſtremum terminantur dogmata Theologica; id eorum eſt Principium. Atqui à ſolâ Sacra Scriptura primum incipiunt dogmata Theologica, & in eam poſtremum terminantur. Ergo. Probatur *Minor*: *Primum incipiunt*; tum quoad res, quia tota Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitiâ, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus, 2. *Timoth.* 3. verſ. 16. 17. nihil dicendum extra Moſen & Prophetas, *Actor.* 26. verſ. 22. ſuperſtruenda doctrina ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, cui ipſimet fideles ſuperſtructi ſunt, *Epheſ.* 2. v. 20. tum quoad verba, 1. *Petr.* 4. v. 11. qui loquitur, loquatur ut eloquia Dei. 1. *Corinth.* 2. v. 13. Loquimur non ſermonibus, quos docet humana ſapientia; ſed quos docet Spiritus Sanctus: Spiritualia cum iis quæ Spiritualia ſunt conferentes. *Poſtremum terminantur*: quia omnia probanda; quod bonum eſt, retinendum 1. *Theſſal.* 5. v. 21. Explorandi Spiritus ex Deo, id eſt, ex Dei Verbo 1. *Iohann.* 4. v. 1. Ad legem & teſtimonium recurrendum *Eſa.* 8. verſ. 20. Audiendi Moſes & Prophetæ, *Luc.* 16. verſ. 29. Et ſi vel Angelus è cœlo aliter Euangelizaverit, anathema eſt *Gal.* 1. v. 8. 9. Ita Beroenſes fecere *Actor.* 17. v. 11.

Quia inde incipiunt. & illic terminantur.

Secunda: Principia dogmatum Theologicorum debent eſſe immutabiliter vera, immediata, neceſſaria, & cauſſa omnium concluſionum ſive dogmatum Theologicorum. Atqui ſola Scriptura Sacra eſt immutabiliter vera, immediata, neceſſaria, & cauſſa omnium concluſionum ſive dogmatum Theologicorum. Ergo. *Major* conſtat inductione requiſitorum in principiis, quæ Ariſtoteles enumerat, *lib.* 1. *Poſter. Analyt. cap.* 2. eminenter

Quia ſola Scriptura habet requiſita principii.

autem Principio Theologiæ conveniunt. Debent esse I. *Immutabiliter vera :* quia per illa demonstratur salutaris & immutabilis veritas. Caussa autem nihil potest largiri effectui, quod non habeat ipsa formaliter aut eminenter. II. *Immediata :* quia quod mediatum est, non est in suo ordine primum : atque ita ne principium quidem. III. *Necessaria :* quia tales sunt, aut esse debent ipsæ conclusiones de rebus Fidei ac morum. IV. *Caussa omnium dogmatum Theologicorum :* quia ipsa dogmata & sunt, & cognoscuntur per illa principia. Sunt igitur ipsis caussæ essendi & cognoscendi. *Minor* per partes demonstratur. Sola Sacra Scriptura I. est Immutabiliter vera in rebus Divinis : quia est Verbum Dei mentiri nescii, *Tit.* 1. v. 2. quod manet in æternum, 1. *Petr.* 1. v. 25. est ipsa veritas, *Ioh.* 17. v. 17. nec solvi aut mutari potest, *Ioh.* 10. v. 35. *Matth.* 5. v. 18. *Cap.* 24. v. 35. II. Est Immediata: quia dogmata Theologica non per aliud, sed per ipsam immediatè demonstrantur, *Actor.* 18. v. 28. *Cap.* 26. v. 22. nec est aliud Verbum Dei *Gal.* 1. v. 7. 8. 9. III. est Necessaria : quia certæ, immotæ, non contingentis veritatis 1. *Petr.* 1. v. 23. Nec potest esse Etiam & Non. 2. *Corinth.* 1. v. 19. 20. IV. Est Caussa omnium Conclusionum : quia tota Scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam &c. 2. *Tim.* 3. v. 16. 17. & ne Apostolus quidem aliquid dicere sustinuit, extra Mosen & Prophetas *Actor.* 26. v. 22.

Pontificii alia præter Scripturam agnoscunt principia.

Pontificii negant Sacram Scripturam esse unicum principium: contendunt verò præter Scripturam etiam principium esse *Ecclesiam.* Quâ voce intelligunt non cœtum fidelium, Sanctificatiorum Verbo & Spiritu Christi : sed Ecclesiam quandam repræsentativam in Consiliis, Pontificibus, Patribus. Siquidem Ecclesiæ testimonio, quod passim urgent, complectuntur. I. Decreta Conciliorum. II. Placita Pontificum. III. Autoritates Patrum. Nos etsi veræ Ecclesiæ, piis Conciliis, & S. Patribus multum tribuimus, quoties nimirum cum S. Scripturâ consentiunt: tamen horum testimonia non posse dici Principia Theologiæ, demonstramus in genere & specie.

Ecclesiæ testimonio quid iidem complectantur.

Ecclesiæ testimonium non est principium.

In *genere* sic : Principia dogmatum Theologicorum debent esse immutabiliter vera, immediata, necessaria, & caussæ eorum : prout modo ostensum fuit. Testimonium Ecclesiæ non est immutabiliter verum, immediatum, necessarium; nec caussa

ſa dogmatum Theologicorum. Ergo. *Non immutabiliter verum*, atque ita *nec neceſſarium*: quia eſt contingentis veritatis, utpote humanum *Rom.* 3. v. 4. *Non immediatum*: quia eſt aliud prius, potius, ad quod examinandum eſt, 1. *Theſſ.* 5. v. 21. 1. *Ioh.* 4. v. 1. & cui Eccleſia eſt alligata *Eſa.* 8. v. 20. *Galat.* 1. v. 8. 9. *Non cauſſa omnium dogmatum*: quia dogmata Theologica de Deo, Chriſto, Redemtione, Vitâ Æternâ, non ſunt vera, quia Eccleſia dicit; ſed quia Deus in verbo ſuo ita teſtatur, & nobis revelavit.

In *Specie*. Non *Decreta Conciliorum*: I. quia libri Conciliorum negligenter conſervati ſunt, & multis vitiis ſcatent: teſte *Bellarmino lib. I. de Concil. cap.* 2. II. quia omnia Concilia poſſunt errare; & nonnulla erraſſe certum eſt: *Ariminenſe Concilium* ſexcentorum Epiſcoporum Arianam hæreſin ſtabilivit. *Epheſinum*. II. Eutychianam hæreſin confirmavit. *Nicenum* II. Iconolatriam, lege Dei prohibitam, ſancivit. *Conſtantienſe* S. Euchariſtiam, inſtitutione Chriſti, & Veteris Eccleſiæ conſuetudine non obſtante, Laicis mutilavit. III. quia eatenus tantum valent, quatenus Sacræ Scripturæ ſunt conſentanea; & ab omnibus provocatio ad Scripturam. Unde *Athanaſius* olim de Arianis Concilia urgentibus; *Fruſtra*, inquit, *circumcurſit antes prætexunt, ob fidem Concilia ſe poſtulare. Divina enim Scriptura perfectior eſt & ſufficientior omnibus Conciliis*. Non *Placita Pontificum* I. quia plurimi Pontifices fuerunt impii, hæretici: poſteriores omnes, maxime à *Gregorio VIII.* Antichriſti. *Anaſtaſius II. Liberius, Felix. II.* Ariani fuerunt: *Sergius & Honorius* Monotheletæ: *Ioannes XXIII.* negavit immortalitatem animæ, reſurrectionem mortuorum, & vitam æternam: *Leo X.* totum Euangelium de Chriſto fabulam appellavit: *Alexander VI. Paulus III. Benedictus IX.* Deo renunciarunt, & jurarunt Diabolo. II. Quia Pontifices Romani in omnibus Controverſiis, quas pro illis contra nos agitant Jeſuitæ, ſunt pars nobiſcum litigans. Non poſſunt igitur teſtes, & judices eſſe in propria cauſsâ. Non *Autoritates Patrum*, ſive diviſim, ſive conjunctim ſumantur. Non *illo modo*: I. quia ſinguli Patres ſuos habent errores: & valde corrupta ſunt multorum ſcripta: adulterina etiam pro genuinis ſubſtituta: ut Cenſuræ Eraſmi & aliorum eruditorum docent. II. quia ipſi Pontificii Patres Patribus frequenter opponunt, & eos qui non

Nec Decreta Conciliorum.

Nec Placita Pontificum.

Nec Autoritates Patrum.

placent, de ponte præcipitant. Nec *isto modo*: uti quidem pronunciat *Bellarm. lib. 3. de Christo cap. 2.* I. Quia etiam omnes sunt erroris periculo obnoxii, utpote homines: nullus fuit immediatè vocatus & illuminatus, ut Prophetæ & Apostoli. II. Quia ipsi Patres non æquant se Scripturæ, nec fidem sibi haberi volunt, nisi quatenus Scripturis consentanea docent. *Hieronymus advers. error. Iohannis. Scio me aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores: Illos semper vera docere; Istos in quibusdam ut homines aberrare.* Et *Augustinus Epist. 19. ad Hieronym.* pugnantem priorum autoritatibus: *Noli*, inquit, *Frater, contra divina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum Scriptis: quia hoc genus literarum ab autoritate Canonis distinguendum est.*

PROBLEMA QUINTUM.

Quæ sit ratio ex Scripturâ demonstrandi dogmata Theologica?

Probationes dogmatun Theologicorum ex solo, non autem tantum ex expresso Dei verbo petendæ.

OCcasio hujus problematis est *Colloquium Durlacense*, tentatum potius inter *Gunterium* Jesuitam sociosque, & *Badenses* Theologos, quàm habitum Ann. Chr. 1612. In eo volebat Jesuita sibi probari ex expresso Dei verbo novem propositiones controversas, quas ipse ferè negativè conceperat: *Missam non esse sacrificium: Matrimonium non esse Sacramentum: Non esse Purgatorium*, &c. Idque hoc prætextu, quod Euangelici neque Patres, neque traditiones, neque Concilia admittant, sed solum expressum Dei verbum urgeant. Hanc calumniam etiam *Bellarminus* ipsis impingit *lib. 4. de Verbo Dei non scripto cap. 3.* sed est putida calumnia. Etsi enim Euangelici in rebus fidei solum Dei Verbum audiri volunt, non tamen ubique requirunt expressum Dei verbum: quod totidem literis, syllabis, sive formalibus verbis tradat dogmata fidei. Et longè diversa sunt *solum Dei Verbum*, & *expressum Dei verbum*. Ex *solo Dei verbo* petitur, quod expressè seu verbotim in eo legitur, vel ex eo evidenter deducitur: sive quod vel ad literam, vel ad sensum in eo continetur. Ex *expresso Dei verbo* sumitur, quod verbotim & expressâ literâ in eo docetur: & longè angustinus est priore. Hoc verò est, quod docent Euangelici,

angelici, Nihil esse recipiendum pro dogmate fidei, nisi quod in Scripturâ Sacrâ vel expresè legitur, vel inde bonâ consequentiâ deducitur.

Hinc jam expedita est *responsio* ad Problema: vid. Geminam esse rationem ex Scripturâ demonstrandi dogmata Theologica; unam *Expressam*, alteram *per Consequentiam*. Probantur dogmata ex Scripturâ.

Prior est, cum dogma Theologicum, quod probandum venit, verbis expressis, sive propriis, sive figuratis traditur in Scripturâ. Verbi gratia, *Deum esse Unum*, est dogma Theologicum. Id verò expresè in Scripturâ docetur, *Deut*.6.v.4. 1.*Cor*. 8.v.6. Similiter, *Deum creasse mundum*; *Christum esse Filium Dei, & propitiationem pro peccatis nostris: fore resurrectionem mortuorum ad vitam & mortem*; sunt dogmata Theologica. Sed & hæc disertè & totidem verbis in Scripturâ traduntur. *Gen*. 1.v.1. *Ioh*. 20.v. 31. 1.*Ioh*. 2.v. 2. *Dan*. 12.v.2. Et hujusmodi innumera alia in Theologiâ reperiuntur. Expresè.

Altera est, cum dogma Theologicum, quod in quæstionem venit, non quidem expresè traditur in Scripturâ, ex iis tamen, quæ istic expresè traduntur necessariò sequitur: sive per bonam consequentiam deducitur. Duo igitur requiruntur in hoc genere demonstrationis: I. Ut altera, vel utraque præmissarum immediatè, vel mediatè, verbis propriis vel figuratis, in Scripturâ Sacrâ contineatur. Secus non erit verbum Dei, aut Demonstratio ex Verbo Dei. II. Ut consequentia ipsa sive illatio sit tum necessaria, tum evidens. *Necessaria* quidem, non solùm necessitate formæ, sive dispositionis; per quam etiam ex vero falsum, & vice versâ sequitur: sed inprimis necessitate consequentis sive Materiæ; ut ex antecedente consequens; ex genere species; ex causâ effectum &c. deducatur. *Evidens* etiam propter assensum, nimirum ut propter evidentiam illationis, non minus non scriptis, quàm scriptis; conclusionibus, quàm præmissis ipsis assentiamur. Atque hinc fit ut alia dogmata Theologica approbentur, alia improbentur: quia in aliis est major illationis evidentia & necessitas, in aliis minor, in aliis nulla. Hæc ratio demonstrandi dogmata Theologica etsi perfectior & illustrior est in eruditis Theologis, quàm in Laicis & plebeis: ut qui propter habitum sensus habent exercitatiores ad discretionem boni & mali, *Hebr*. 5.v.14. tamen ne istis quidem derogauda

Per Consequentiam.

Cujus requisita.

1. Vt præmissarum una vel utraque sit Scripturæ. 2. ut Consequentia ipsa sit. Necessaria,

Evidens.

Laici quoque possunt deducere consequentias, & de iis judicare.

ganda est. Quia Deus omnibus hominibus indidit lumen rationis, & intelligentiam sermonis contradictiones, & bonæ consequentiæ; quam non minus in divinis, quàm in cæteris rebus intelligendo, componendo, dividendo, & ratiocinando exserunt, prævia Scripturæ & Spiritus S. luce. Et falsum est, ad unam consequentiam necessariam inferendam requiri totam modalium, universalium, categoriarum, analyticorum Aristotelis, & subtilissimam Metaphysicæ doctrinam. In S. literis quot inferuntur consequentiæ necessariæ, quot item in vitâ quotidianâ & civili, absque illorum omnium cognitione? Idiotis sufficit lumen rationis, sive logica naturalis ad discernendas consequentias necessarias. Eruditi arte utuntur, quæ perficit naturam, habentque paucas, sed certas, regulas dijudicandæ veritatis ac falsitatis in propositione; consequentiæ & inconsequentiæ, in syllogismo. Nihil hic facit Metaphysica, quæ res tradit in genere, sive summas earum definitiones & divisiones, (ut vulgo quidem tractatur) non rerum tractandarum aut dijudicandarum organon & instrumentum. Modalium etiam non est magnus, aut frequens usus: quia nos rarissimè utimur illis terminis. Certe non est talis usus, qualis inter Græcos fuit: quibus ex naturali linguâ talium modorum usurpatio inter loquendum & disputandum fuit necessaria.

Consequentiarum legitimus usus probatur. 1. Exemplis

Jam *altera hac ratio* ex Scripturâ demonstrandi dogmata Theologica, paucis probanda est.

Prima Ratio ducitur *ab exemplo Christi & Apostolorum*: Quo pacto Christus ejusque Apostoli demonstrarunt ex Scripturâ dogmata fidei, eo pacto etiam nunc rectè, firmiter, & evidenter demonstrantur. Atque per bonam Consequentiam dogmata fidei ex Scripturâ demonstrarunt Christus ejusque Apostoli. Ergò. *Minor* probatur inductione illustriorum aliquot exemplorum: Christus *Matth.* 22. v. 29. *& seqq.* confirmat resurrectionem mortuorum non expressis verbis Scripturæ V. T. quæ tamen exstant *Esa.* 26. v. 19. *Dan.* 12. v. 2. sed per evidentem consequentiam ex *Exod.* 3. v. 6. *De resurrectione mortuorum, nonne legistis quod vobis dictum est à Deo, dicente: Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Iacobi? Deus non est Deus mortuorum, sed viventium.* v. 31. 32. Quod genus probationis non modo Scribæ quidam probarunt, intelligentes quod benè respondisset *Marc.* 12. 28. *Luc.* 20. 39. Sed etiam eo

Christi *Matt.* 21. v. 9.

os

os obturavit Sadducæis, ut convicti discederent, & turba de hâc doctrinâ miraretur. Sed *ajunt* Sophistæ hanc probationem ad formam bonæ consequentiæ revocari non posse. Redarguunt igitur Christum imperitiæ, & ipsis Sadducæis impudentiores sunt. Est autem forma manifesta in primâ figurâ: Quorum Deus est Deus, eos necesse est vivere. Abrahami, Isaaci, Jacobi Deus est Deus. Ergò illos necesse est vivere: & sic erit Resurrectio. Vel in tertiâ figurâ, ut sit syllogismus ἐκθετικὸς: Deus est Deus Abrahami, Isaaci, Jacobi. Deus est Deus non mortuorum, sed viventium. Ergò Abrahamus, Isaacus, & Jacobus vivunt: & per consequens, mortui vivunt. Similiter *eodem cap. Matth.* vers. 42. *seq.* Christus ex *Psal.* 110. demonstrat non expresso textu, sed evidenti ratiocinatione, Messiam non solum esse filium Davidis secundum carnem, sed etiam Dominum Davidis secundum Deitatem: Et ita constrinxit Phariseos, ut non possent respondere. Petrus & Jacobus *Act.* 15. per consequentias demonstrant, circumcisionem non esse necessariam ad salutem. *Petrus.* v. 8. 9. Deus dedit Gentibus Spiritum S. & nihil discrevit inter ipsos & nos. Ergò non necessaria eis circumcisio. *Iacobus* v. 16. 17. ex *Amos.* 9. v. 11. 12. Gentes quoque in restauratione tabernaculi Davidis collapsi populo suo se additurum prædixit Deus. Ergò Gentibus non imponendum onus legis. Paulus *Rom.* 3. probat justificationem fidei absque operibus ex Scripturâ V. T. non totidem literis & syllabis, sed consequentiis, iisque variis. Eodem modo operosè adstruit Resurrectionem mortuorum 1. *Cor.* 15. *cap.*

Occupatio.

Petri & Iacobi. *Actor.* 15. *cap.*

Pauli. *Rom.* 3.

& 1. *Cor.* 15.

Secunda Ratio ducitur *à fine & usu S. Scripturæ*: de quo Apostolus 2. *Tim.* 3. v. 16. 17. *Rom.* 15. v. 4. Sine quo Scriptura non est utilis aut sufficiens ad doctrinam veri, redargutionem falsi, institutionem boni, correctionem mali, & consolationem; sine eo intelligenda quoque non est. *Ratio* quia inspirata ad hæc. Atqui sine consequentiis legitimis ac necessariis ad illa, utilis aut sufficiens non est: Ergò. *Minor* constat ex praxi Conciliorum, Disputationum, & Concionum, adeoque totius ministerii Ecclesiastici. Ita Patres in Synodo Nicenâ ex Scripturis collegerunt τὸ ὁμοούσιον, quod expresse in illis non legitur, contra Arianos, teste *Athanasio in Epist. de Synodis, & ad Aphricanos.* Similiter in reliquis Conciliis canones, qui contra hæreses conditi fuerunt, non nisi per consequentiam necessariam fuerunt ex Scripturâ deducti.

2. à fine & usu Scripturæ 2. *Tim.* 3. v. 16. 17.

Tertia

3. Testimoniis. Patrum.

Tertia Ratio ducitur *à testimoniis tum Patrum, tum ipsorum Pontificiorum*. Gregorius Nazianzenus lib. 5. de Theologiâ; contra Hæreticos negantes Spiritum S. *Unde*, inquiunt, *peregrinum hunc Deum, & Scripturæ verbis nusquam expressum nobis introducis?* statim respondet; *sicut Patrem esse ingenitum, non ponitur tot Syllabis in Scripturâ, tamen ex illis quæ scripta sunt colligitur; ut cum dico bis quinque, non dico decem; & tamen si inde colligam & dicam decem rectè dico: ita si aliquid in Scriptuâ exprimitur, si illud nomine donatum enunciem, rectè facio.* Basilius in Ethicis; *Non tradenda est aliena doctrina, sed quæcunque præcepta sunt à Domino in Euangelio, & per Apostolos, & quæcunque illis consentanea sunt, sunt docenda.* Epiphanius in hæresibus redarguit *Apostolicos, quod illa tantùm admittant, quæ totidem literis & syllabis in Scripturâ posita sunt.* Augustinus Maximo, urgenti testimonium adorationis Spiritus S. *Quasi verò*, inquit, *non ex iis quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus.* Et de ὁμοουσίῳ contra Pascentium Arianum. *Nemo igitur jam calumniatur de verbo. Etsi enim verbum ipsum in Lege Scriptum non reperitur, res tamen reperitur; Ego & Pater unum sumus.* Chrysostomus in 1. Cor. 2. *Dicitur aliquid Scriptum esse, cum non verbis, sed re ipsâ positum sit. Pontificii* idem sentiunt; Cardinalis de Turrecrematâ l. 4.

Pontificiorum.

Sum. Eccles. p. 2. c. 9. de septem gradibus disputandi in controversiis fidei. *Primus gradus*, inquit, *est earum propositionum, quæ in S. literis habentur expressè. Secundus earum, quæ ex hisce per certam & necessariam consecutionem fiunt.* Stapletonus de de principiis Fidei: *Alio modo considerantur præcepta Ecclesiæ, quatenus etsi in S. literis apertè non ponuntur, tamen ex Scripturis bonâ consequentiâ deducuntur.* Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. *Nihil est*, inquit, *de Fide, nisi quod Deus per Apostolos & Prophetas revelavit, aut quod inde evidenter deducitur.*

Appendix de Allegoriis.

Num ex Allegoriis etiam extrui possint Probationes dogmatum Theologicorum.

Allegoria quid.

Allegoria est permutatio sive Inversio, cum aliud dicitur, aliud intelligitur: sive est oratio quâ, aliud verbis, aliud sensu, quod tamen non sit dissimile, significatur. Græcis dicitur, ubi ἄλλος ὁ λόγος, καὶ ἄλλο τὸ νοούμενον.

Est

Est autem duplex: alia *Divina*, alia *Humana*. *Illa* est, quam ipse Spiritus S. ostendit in Scripturâ S. ut *Ioh*.3.v.14. in æneo serpente: 1.*Cor*.10.*vers*.1. *& seqq*. in transitu Israëlitarum per mare rubrum, nube, mannâ, & petrâ deserti, quæ figuram aliquam habuerunt nostrorum Sacramentorum *Gal*.4.v.24. In duabus uxoribus, & duobus filiis Abrahami, qui duplex fœdus & duplicem Ecclesiam præfigurarunt: *Eph*.5.v.32. in conjugio, quod typus est Ecclesiæ: 1.*Pet*.3.*vers*21. in aquis diluvii, quæ typus Baptismi. Sed Scriptura parce admodum ἀλληγορεῖ, nec multa allegoriarum exempla occurrunt. *Ista* est, quæ ab Interpretibus in explicandis Scripturis sacris adhibetur: Cujusmodi frequenter usus est Origenes, Ambrosius, Hilarius, & Augustinus: alicubi etiam Hieronymus, maxime de virginitate & viduitate: nam alioquin hoc genus interpretationis improbat: & alii plures. Pontificii etiam, Patres secuti, hoc genus explicationis crebrò usurpant. Divinæ. Humana.

Primi generis allegoriæ habent vim probationis. I. quia habent autorem Spiritum S. & inde de mente Dei certi sumus. II. quia exemplis Christi & Apostolorum nituntur, qui usi iis sunt probationum loco. *Cautio*: Ne extendantur ultra scopum Spiritus S. alioquin non sunt de mente ipsius. Divinæ probant.

Secundi generis allegoriæ vim probationis non habent. I. quia sunt interpretamenta humana, quæ non cogunt, sed probabiliter suadent. Nam Scriptura non est propriæ interpretationis 2.*Pet*.1. v.20. II. ab autoritate & consensu *Augustini*, qui Epistolâ ad Vincentium id prolixè ostendit: item *Thomæ*, cujus dictum: *Theologa symbolica non est argumentativa*. *Cautio*: Interim allegoriæ humanæ usum habent insignem ad mores & delectationem. Humanæ non item.

PROBLEMA SEXTUM.

An Scriptura V.T. aliquâ sui parte interciderit; tota autem per Esdram sit instaurata?

PRoblema est bimembre: *Prius* est de interitu quorundam librorum V.T. *Alterum* verò de instauratione universorum. De utroque seorsim.

De Primo.

Num quidam libri V.T. Canonici perierint?

Quosdam libros V.T. Canonicos periisse, & *Pontificii* docent, & *nonnulli ex doctoribus Orthodoxis* fatentur: sed diversimodè. *Illi* sequidem hinc imperfectionem Scripturæ inferunt, ut Verbo non Scripto, sive Traditionibus sit locus: *Isti* nihilominus perfectionem ac sufficientiam Scripturæ agnoscunt, & tuentur. Et meritò quidem; quia quicquid necessarium est ad salutem, id in libris superstitibus reperitur.

Argumenta Affirmantia.

Argumenta cur ita senserint, duo sunt præcipua. I. quia Scriptura V.T. meminit quorundam librorum, qui non exstant amplius. Tales sunt *liber Præliorum Iehovæ*, Num. 21. v. 14. *liber Iustorum* Jos. 10. v. 13. 2. Sam. 1. v. 18. *libri Nathanis, Gadis, Ahiæ, Semaiæ, Hiddonis*, & aliorum; 1. Chron. 29. v. 29. & 2. Chron. 9. v. 29. & cap. 12. v. 15. *liber rerum Salomonis* 1. Reg. 11. v. 41. *Cantica Salomonis, & libri de plantis, jumentis, volucribus, reptilibus, piscibus* 1. Reg. 4. v. 32. 33. II. quia in N.T. sententiæ quædam allegantur, quæ in V.T. nuspiam reperiuntur; *Matth.* 2. v. 23. *Nazaræus vocabitur.* 2. *Tim.* 3. v. 8. de Janne & Jambre. *Heb.* 12. v. 21. de Mose: *Expavefactus sum & tremebundus.* Sic *Iudæ* v. 9. de corpore Mosis. & *v.* 14. 15. de Prophetia Enochi: *Ecce venit Dominus cum Sanctis millibus suis, ut ferat judicium* &c.

Confutantur.

De Libris quorum in V.T. tantum fit mentio.

Sed hæc argumenta infirmiora sunt, quàm ut propositum conficiant. *Primùm*: quia libri illi vel non fuerunt Canonici, vel etiamnum exstant, sed sub aliis nominibus. Canonici non fuerunt *liber bellorum Iehovæ, liber Iusti, liber rerum Salomonis*: quia non scripti sunt inspiratione divinâ ad authoritatem religionis, sed industriâ humanâ ad memoriam rerum: & ut essent tabulæ Actorum forensium & publicorum. Vox etiam Hebræa סֵפֶר non semper significat librum, sed aliquando nil nisi catalogum sive recensionem denotat: ut *Gen.* 5. vers. 1. *Matth.* 1. v. 1. quæ significatio inprimis quadrat *Num.* 21. v. 14. Denique *libri Salomonis* non fuerunt nisi ὑπομνήματα rerum Politicarum, Physicarum & Medicarum: ut res ipsa docet. Nec enim quicquid scripsit ut Salomon, id eo ipso Canonicum fuit: Sed quod scripsit ut Propheta, impulsu divino. Alioquin etiam Epistola Davidis, Uriæ data ad Joabum, Canonica fuisset 2. *Sam.* 11. *cap.* Semper enim distinguendum est inter actus communes humanos, & actus singulares Propheticos

Exstant.

Exstant adhuc in Canone vetere *libri Nathanis, Gadis*, &c. sed sub aliis nominibus; quia horum sunt *liber secundus Samuelis, & duo Regum.* Siquidem historiam Samuelis ex temporum serie continuatam & pertextam Ecclesiæ tradiderunt, omissis nominibus suis: quæ Esdras deinde in Chronicorum libris expressit. *Secundum*: quia Oraculum *Matth.* 2. v. 23. exstat *Esa.* 11. v. 1. non quidem nomine, sed re: De quo *Chrysostomus*: *Dicitur aliquid scriptum esse, cum non verbis, sed re ipsâ positum sit.* Quæ de Janne & Jambre, itemque de consternatione Mosis, Paulus: de corpore Mosis, & Prophetiâ Enochi, Judas refert; ea vel ex traditionibus Majorum, vel ex scriptis Judaicis hausêre: quæ tamen propterea non magis sunt Canonica, quam poëmata Arati, Menandri, Epimenidis. quæ etiam Paulus allegat *Actor.* 17. v. 28. 1. *Cor.* 15. v. 33. *Tit.* 1. vers. 12.

Qualia sint quæ in N.T. citantur, cum in V. non reperiatur.

Jam ergo ostendendum nobis est contrarium. *Nullos omnino libros Canonicos V.T. periisse.* Argumenta præcipua sunt hæc. I. *Matt.* 5. v. 18. *Luc.* 16. v. 17. *Facilius est cœlum & terram perire, quam legis unum apicem excidere.* Ergò multò minus excidere possunt plures libri. II. *Rom.* 15. v. 4. *Quæcunque ante scripta sunt, ad nostram doctrinam ante scripta sunt.* Ergò nihil eorum, quæ ante scripta erant eum in finam, interciderat. Argumentatur enim Apostolus ex hâc hypothesi: omnia adhuc exstate. III. à curâ & providentia Dei pro conservatione Scripturæ in variis Ecclesiæ captivitatibus & persecutionibus: & quod conservavit ea, quæ non adeò necessaria videntur nostrâ ætate. IV. à Fine Scriptionis. Scripti sunt libri Canonici, ut essent Canon ac Regula fidei, non unius temporis Ecclesiæ, sed omnium temporum. Ergo etiam conservari oportuit. V. ab officio Ecclesiæ: cui concredita sunt Dei eloquia, *Rom.* 3. v. 2. & quæ nuspiam à Christo vel Apostolis reprehenditur, quod hic socors & negligens fuerit.

Argumenta negantia.

Si cui tamen secus videatur, non propterea dica scribenda, aut lis ei intentanda est, modo etiam citra illos, quos desiderari statuit libros, perfectionem & sufficientiam Scripturæ Canonicæ agnoscat.

De Secundo.

Iudæi Hellenistæ, & qui eos sequuntur *Basilius, Rabanus Maurus, Leontius*, & plures alii, tradunt in captivitate Babylonicâ intercidisse

An Esdras libros V.T. restituerit.

disse omnes libros Mosis & Prophetarum; Esdram verò inspiratione Dei animatum, ceu alterum Mosen intra quadraginta dies eos restituisse, denuo scripsisse, & populo Dei tradidisse. Fundamentum hujus sententiæ exstat 4. *Esdr*.4.v.23. *& cap*.14 v.21. *& seqq*. Sed indè parum solidè confirmatur: cum liber ille non solùm apocryphus sit ipsis Pontificiis, verum etiam scateat fabulis Judaicis & Talmudicis: quas damnat Apostolus 1.*Tim*.1. v.4. *& seq*. *Tit*. 1.v.14. Est autem sententia illa manifestè falsa: I. quia Daniel in captivitate legem Mosis, & inprimis prophetam Jeremiam legit *cap*.9.v.2. II. Quia Ezechiel, pii sacerdotes & Israëlitæ absque dubio secum tulerunt volumen Mosis & Prophetarum, nisi extremè impios & omnis religionis neglectores facere velimus. III. quia *Esdræ* 7. v.14. de ipso reduce affirmatur, quod legem Dei sui ad manum habuerit. IV. quia *Nehem*.8. v.2. in conventu populi jussus est Esdras adferre librum legis, quem sciebant exstare; non autem de novo componere: & *vers*. 3. dicitur attulisse. Hunc igitur instaurationis modum planè improbamus & explodimus.

Negatur perditos restituisse.

Est verò alius eorum qui statuunt, Esdram I. *Libros* dispersos Mosis & Prophetarum redegisse in unum volumen, eoque ordine digessisse, quo hodieque exstant. II. Novo opere describi curasse Biblia, in multa exemplaria: & quidem novo charactere Assyrio; quod antiquum Samaritanis reliquisset III. Characteribus sive literis primum puncta, sive notas vocales expressè addidisse, in usum lectionis expeditioris & certioris.

Probabile disposuisse libros sacros, & interpolasse.

In hâc opinione alia probabilia sunt, alia incerta, alia falsa. *Probabile* est, I. Esdram disposuisse volumen Biblicum illo ordine, quo nunc exstat. Quia ante libri dispersi erant; inprimis XII. Prophetarum, qui minores appellantur, Scripta. Hilarius etiam de Psalmis id affirmat. Quin etiam videtur interpolâsse libros sacros, & multis locis historiarum ab ipso addita esse hæc verba: *usque in hodiernum diem*. Quæcunque enim ad sacra pertinent, ab ipso legimus constituta fuisse. II. Eundem multiplicasse numerum exemplarium; ut familiaris esset lectio Scripturæ S. in populo. Hæc enim præcipua ejus cura fuit. *Incertum* est, quod de punctis sive notis vocalibus asseritur, quia de iis triplex habetur sententia: *Una* communis Judæorum, qui ad Mosen & Deum ipsum punctorum Inventionem referunt. Hæc traditur in *lib*. *Zohar*, & à *Junio*,

Multiplicasse exemplaria.

Incertum addidisse primum puncta vocalia.

Buxtorfio approbatur. *Altera* est, quæ Esdræ ea tribuit: & à *Bened. Ariâ Montano* defenditur. *Tertia* est (post Heronymum) *Eliæ Levitæ Germani*, qui in præfatione *Masoreth hammasoreth* testatur, puncta vocalia addita esse à Masorethis, id est, Doctoribus Judaicis, qui Tiberiade Palestinæ novam versionem Bibliorum adornarunt A.C. 476. anno, ab everso templo secundo, 436. Imp. Theodosio. Omnes hæ sententiæ suis nituntur rationibus, nec facile est certi quid statuere. *Falsum* est, quod rejectis antiquis characteribus Mosis & Prophetarum, novos confinxerit, aut ab Assyriis mutuatus fuerit. I. quia sic ipsius Dei characteres repudiasset: Nam Lex fuit Dei Scriptura. II. quia periisset non solum unum Jod legis, sed omnes ejus literæ; adeoque totum ejus materiale: Contra Scripturam *Matt.* 5. v. 18. *Luc.* 16. v. 17. III. quia Samaritani, ab Ecclesia alieni, custodes fuissent matricis illius Scripturæ, quæ laus Judæorum propria est. IV. quia Hieronymus hæc hausit à quibusdam superstitiosis Judæis, suis præceptoribus, & audacissimis talium commentorum magistris.

Falsum, novos characteres introduxisse.

PROBLEMA SEPTIMUM.

Sintne plures in Deo essentiæ: una absoluta, & tres relativæ?

Essentia quomodo sumatur.

ESsentia dicitur ab *esse* & *essendo*, sicut οὐσία ἀπὸ τοῦ ὄντος, *Logicè* οὐσία sive essentia est id, quod per se subsistit, non autem subsistit in alio ut accidens: & idem est quod substantia. *Physicè* est ipsa rei cujusque natura, quæ definitione vel etiam descriptione explicatur, & non minus accidentibus, quàm substantiis convenit. *Hic* primo modo sumitur, & Deo rectè tribuitur. I. quia est ὁ ὢν *Apoc.* 1. v. 4. ille Ens; Ergò habet essentiam, quia ens est tale per essentiam. II. In Scripturâ Deo tribuitur θειότης, *Rom.* 1. vers. 20. θεότης, *Coloss.* 2. v. 9. φύσις, *Gal.* 4. v. 8. μορφὴ, *Phil.* 2. v. 6. θεία φύσις 2. *Pet.* 1. v. 4. Ergo etiam essentia divina.

Rectè Deo tribuitur.

Est igitur *Essentia divina ipsa deitas subsistans*: quæ in Scripturâ variis proprietatibus & operibus declaratur.

Hanc essentiam esse *numero ac individuo unam & singularissimam*,

Estque singularissime una.

mam, est principium Fidei, innumeris, iisque expressis Veteris ac Nov. Test. testimoniis comprobatum. Multiplicem verò esse *Gentilis* & ψευδο-*Christiani* quidam contendunt. *Illi* plures fecerunt Deos, & πολυθεΐαν introduxerunt, partim ex superstitione & idololatriâ inveteratâ, partim ex pravo figmentorum Poëticorum intellectu: sed ita ut I. unum aliquem cæteris majorem, præstantioremque agnoscerent & colerent: II. semper etiam aliqui saniores reperirentur, qui unum solùm Deum admitterent; ut Socrates, Plato, Pythagoras, alii. Unde constat, unitatem Essentiæ divinæ etiam luce naturæ notam esse. *Isti* sunt Hæretici, nomen & Religionem Christianam professi, qui Unitatem Essentiæ non valentes conciliare cum Trinitate Personarum, pro uno Deo plures, & quidem tres invexerunt. Tales olim fuerunt *Ariani*, *Apollinaristæ*, ac *Donatistæ*, qui tres statuerunt inæquales essentias, ac Filium & Spiritum Sanctum in creaturarum ordinem sacrilegè redegerunt. Hodiè sunt *Anti-Trinitarii* ac *Tritheitæ*, in Poloniâ & Transsylvaniâ, qui obsoletas illas & verbo Dei jam pridem damnatas blasphemias in Ecclesiam reducunt: itemque *Novatores* nonnulli in Belgio, qui eandem cum ipsis caussam, tectè licet, agere cœperunt. Hi, ut novis figmentis fucent & incrustent suam hæresin, ajunt, cum secundum scripturam Deus unus & trinus agnoscendus sit, *Vnum esse essentiâ absolutâ, trinum tribus essentiis relativis*: *Vnum essentiâ genericâ, trinum tribus essentiis specificis*. Utramque assertionem ut falsam & hæreticam rejicimus.

Contra Gentiles.

Contra Hæreticos.

Primam, quod *Vnus sit Essentiâ absolutâ, trinus tribus essentiis relativis, realiter distinctis*.

Deus non est Vnus essentiâ absolutâ, & trinus tribus essentiis relativis.

I. Quia unus & simplex absolutè.

I. Qui est unus simplex absolutè, in eo non sunt plures essentiæ. Atqui Deus est unus & simplex absolutè. Ergo. *Major* probatur: quia multitudo tollit unitatem essentiæ. Unum enim est indivisum, multitudo divisum quid. Deinde diversitas realis tollit simplicitatem: Nam quod simplex est, re idem est; quod diversum, non est idem re. *Minor* probatur dictis Scripturæ; ubi Deus dicitur *unus*, *Deuter*. 6. v. 4. 1. *Corinth*. 8. v. 4. 6. *Solus*, præter quem non est alius *Esa*. 42. v. 8. 2. *Tim*. 2. v. 13.

2. Quia personæ sunt unum essentiâ.

II. Qui sunt unum essentiâ non differunt essentiis realiter diversis. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt unum essentiâ. Ergò. *Major* constat vi oppositionis. *Minor* probatur. I. dictis

Joh. 10.

Joh. 10. v. 30. *Ego & Pater unum sumus*. 1. Joh. 5. v. 7. *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum sunt*. II. *Ratione* à περιχωρήσεως, mutuâ immeatione, & complexu personarum. Una persona est in alterâ, & operatur cum alterâ. Ergò idem sunt essentiâ numericâ. *Ratio*: quia ταυτότης & singularissima unitas essentiæ est caussa illius *Ioh*. 14. v. 10. 11.

III. In quo sunt una Essentia absoluta, & tres essentiæ relativæ, realiter diversæ; in eo sunt quatuor essentiæ realiter diversæ. Atqui in Deo non sunt quatuor essentiæ realiter diversæ. Ergo. *Minoris* veritas adstruitur argumento unitatis Dei; de quâ supra. *Major* probatur; quia essentiæ relativæ differunt realiter: Essentia etiam absoluta differt realiter à relativis, quoniam toto genere differunt. Nam essentia absoluta Adversariis est in prædicamento substantiæ, relativæ in prædicamento relationis. *Objicitur*. Atqui essentia est absoluta, Personæ Relativæ. Ergo. *Resp*. Negatur sequela: Personæ Relativæ dicuntur, non propter essentias relativas: omnium enim Personarum una est ac eadem essentia: sed propter modos sive proprietates relativas: quæ personas constituunt.

3. Quia tum quatuor forent in Deo essentiæ.

Alteram, quod *Unus sit Essentiâ genericâ, trinus essentiâ specificâ*.

Nec unus est essentiâ genericâ, trinus tribus essentiis specificis.

I. Unitas generis & speciei non rei, sed duntaxat rationis est. Unitas essentiæ divinæ est rei, non rationis. Ergò. *Major* probatur: quia Genera & Species sunt νοήματα λογικά, sive δεύτερα; ex rebus mente conceptis formata, ad planiorum earum intelligentiam: & extra mentem non tam unitates quam pluralitates sunt, à pluribus subjectis abstractæ, si non actu, saltem potentiâ. *Minor*: quia est in Deo etiamsi nemo cogitet: & fuit ab æterno, teste Scripturâ.

1. Quia unitas Essentiæ divinæ rei est non rationis.

II. Unitas generum & specierum non est singularissima. *Ratio*: quia naturæ communis, Universalis: genus speciebus commune est, species individuis. Unitas essentiæ Divinæ est singularissima: quia ita Deus est unus, ut etiam sit solus: & ita solus, ut non possit esse alius. Ergò.

2. Quia ejus unitas singularissima.

III. Genera & Species non subsistunt, nec agunt per se. *Ratio*: quia individuis conjunctim spectantur: & extra ea nullibi sunt. Essentia & Personæ Divinæ subsistunt & agunt per se: quia sunt individua intelligentia, actuosa. Ergo.

3. Quia subsisti & agit per se.

IV. Omne

4. Quia est purus actus, perfecta, simplex.

IV. Omne genus est in potentiâ respectu speciei, & eo imperfectius est. Omnis item species composita per differentiam. Atqui essentia divina non est in potentiâ; quia purus actus: nec imperfecta; quia omnes perfectiones complectitur: personæ etiam divinæ non sunt compositæ, sed simplices, imo, simplicissimæ: quibus nulla, ne minima quidem compositio convenit. Ergò. Sic igitur constat non esse genera aut species.

Objicitur: Atqui Deitas sive essentia divina communis est tribus Personis: Persona sua cuique propria. Ergo tamen genus aut species. *Resp*. Negatur: quia id quod commune, est singulare, numero & individuo unum: Cujusmodi nullum genus aut species. Non minus enim Individuum est essentia, quàm persona.

Analogia Essentiæ Divinæ cum specie.

Interim non negamus, Essentiam Divinam propter illam communitatem *analogiam* quandam *speciei* suscipere, id est, quædam cum iis communia habere. Sunt autem ferè tria. I. Sicut genus de speciebus, species de individuis prædicatur univocè: ita essentia de tribus personis. Ergo non est in eâ aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, sed unum sunt, *Joh*. 10. v. 30. 1. *Joh*. 5. v. 7. II. Sicut in naturalibus Universale, sive natura Universalis, quæ οὐσία dicitur, extra individua non subsistit; ita nec Essentia Divina extra tres personas. Ergò non quartum aliquid est. III. Sicut οὐσία sive natura communis omnia individua, quæ sunt ejusdem nominis & generis comprehendit, verbi gratia, humanitas omnes homines: ita Deitas singulas personas, & est tota in singulis. Ergo qui Essentiam dicit, dicit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

Differentia ab eâdem.

Manet nihilominus tamen etiam *differentia* in tribus. I. Personæ etiam dicuntur esse & subsistere in essentiâ divinâ, *Phil*. 2. v. 6. individua verò non dicuntur esse in specie, sed species in individuis. II. Tota Deitas est in illis duntaxat tribus Personis: Species autem, quæ plura individua habet, non in uno duntaxat aut tribus tota, sed in pluribus. III. Deitas una & eadem numero est in singulis personis, quæ singulæ totam eam possident: in individuis tot sunt humanitates, quot homines.

PRO-

PROBLEMA OCTAVUM.

An Personæ Divinæ rectè dicantur τρόποι ὑπάρξεως, *sive susibstentiæ in essentiâ Dei?*

Persona quid.

PErsona Latinis dicitur à *personando*, quemadmodum annotat *A. Gellius lib.5. Noct. Attic. cap.7.* Nam in Theatris qui obvolutâ facie sonum edebant, aut loquebantur, *Personæ* dictæ sunt. Ab iis translata est significatio ad *homines, qui seorsim agunt, movent se, loquuntur*; non etiam ad pecudes. Ex quo factum est, ut quoniam singuli homines se movent, & agitant, ac seorsim subsistunt, *singuli* quoque appellentur personæ. Et quoniam hi ratione utuntur, hæc vox ab hominibus ad *Angelos* & *Divina* illa ὑφιστάμενα fuit accommodata.

Rectè Deo tribuitur.

Sed *quam rectè id factum fuerit*, quæritur? Nam olim quidem vocem illam rejecerunt & damnarunt *Noëtiani, Sabelliani, Ariani*, hodiè eam rejiciunt *Servetiani*, & novi *Samosateniani*. Nos rectè Deo nomen Personæ tributum asserimus. I. Quia Scriptura docet in Deo esse tria ὑφιστάμενα, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Ergò totidem personas ostendit: quia Persona est ὑφιστάμενον νοερὸν, *subsistens intelligens*. II. *Hebr.* 1. v. 3. tribuitur Deo ὑπόστασις, Ergò Persona. III. Homines in Scriptura dicuntur Personæ πρόσωπα 2. *Cor.* 1. v. 11. Ergo etiam Divinas subsistentias sic licet appellare. *Ratio*: quia Scriptura de Deo ferè humano more loquitur: Hinc illud, *Ioh.* 3. v. 12. *terrena dixi vobis*, id est, humano more de cœlestibus disserui. Ubi tamen *observandum*, Nomen *Personæ* usurpari de subsistentiis Divinis & Humanis non univocè, sed analogicè. *Non univocè*; quia non eodem modo convenit. In *Humanis*, quot sunt Personæ, tot essentiæ humanæ separatæ. In *Divinis*, essentia divina non multiplicatur, nec separatur. *Analogicè* autem; quia in utrisque est in communicabilis subsistentia. His præmissis, rem ipsam videamus.

Et quomodo

Personæ Divinæ definitiones.

Personas Divinas diversimode nobis describunt Veteres & Recentiores Theologi. Justinus Martyr, & post ipsum Johann. Damascenus Personas Divinas esse docent τρόπους ὑπάρξεως *modos subsistentiæ sive essentiæ divinæ*. Johann. Calvinus *in Institut. Christian*

Relig. lib. 1. *cap.* 13. *sect.* 6. Personam definit *subsistentiam in essentiâ Dei, quâ ad alios relata, proprietate incommunicabili distinguitur.* Philippus Melanchthon & Zach. Ursinus Personam vocant *subsistens individuum, vivens, intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio, & quod non est pars alterius.*

Persona est vox concretiva.

De singulis priusquam dicam, fundamenti loco duo præsuppono: *Unum:* Vocem Personæ concretivam esse, non abstractivam. *Ratio:* quia præter formam etiam Subjectum notat. Forma est Personalitas. Subjectum cum formâ, & ab eâ denominatum, Persona. *Alterum:* Vocem illam quandoque etiam abstractivè usurpari, licet impropriè, & non absque καταχρήσει: Sicut etiam vox peccati. Unde emergit gemina definitio, sive ratio definitionis abstractiva & concretiva; ut Personæ Divinæ concretivè & abstractive considerentur. *Concretivè*, ut cum Filius dicitur ὑπάρχειν ἐν μορφῇ θεοῦ *Phil.* 2.v.6. *Abstractivè*, cum *Imago, effulgentia gloriæ, & Character Personæ Patris* appellatur *Coloss.* 1.v.15. *Hebr.* 1.v.3. *Ratio* duplicis illius considerationis est, quod Persona duobus modis consideratur in Divinis: *Uno* modo, cum contradistinguitur essentiæ, ut modus rei. *Altero*, cum essentia cum modo sive modificata concipitur. *Illud* abstractivè, *hoc* concretivè fit.

Sumitur quandoque abstractive.

Unde definitiones diversæ.

Definitio Iustini Martyris & Damasceni.

Primò: Definitio *Iustini Martyris* & *Damasceni* abstractiva est, non concretiva. *Ratio:* quia propriè exprimit, quid sit personalitas, non quid persona concretivè. *Personalitas* est modus essentiæ divinæ, per quem una eademque essentia aliter est in Patre, aliter in Filio, aliter in Spiritu Sancto. In Patre ἀγεννήτως, in Filio γεννητῶς, in Spiritu Sancto ἐκπορευτῶς. Ἀγεννησία igitur γέννησις, & ἐκπόρευσις, sive ut *Damascenus lib.* 1. *Orthodox. Fid. cap.* 10. πατρότης, υἱότης, ἐκπόρευσις sunt modi essentiæ divinæ: quos Græci vocant χαρακτηριστικὰς τῆς ὑποστάσεως, Latini *proprietates personales:* quia suus cuique Personæ est proprius modus. Hi *modi* additi essentiæ *constituunt Personas:* quia Persona nihil aliud est, quàm Essentia cum modo sive proprietate Personali. Iidem etiam *Personas distinguunt*, tum ab essentiâ, tum inter se. Postremò *de singulis Personis enunciantur*, non essentialiter, sed *relativè:* quia non sunt aliæ essentiæ, quasi eæ multiplicarentur, sed rationes diversæ unius ejusdemque essentiæ. Non accidentaliter, sed *naturaliter*; quia Deo naturâ conveniunt: Sicut na-

turâ est Deus; *Galat*. 4. v. 8. denique non à tempore aliquo, sed *ab æterno*; quia æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

Hæc de primâ definitione; de quâ duo summatim notanda. I. Definitionem esse generaliorem & obscuriorem: quæ ipsum formale Personæ non exprimit. II. Modum esse ἄναρχον, ut *Damascenus* loquitur *cap. ult. Dialecticæ*. Nam modus alioquin semper naturâ est posterior subjecto, cujus est modus. In Deo autem nihil est prius vel posterius. Quæ in eâ notanda.

Secundò: Definitio *Calvini* est etiam abstractiva: sed perfectissima, & solis personis divinis conveniens. *Perfectissima* est, quia Genere & Differentiâ continetur. *Genus* est *Subsistentia*, quæ latius patet quam Persona. Nam omnis Persona est quidem subsistentia; sed non vice versâ: quia Persona est suppositum sive individuum, rationale intelligens: subsistentia autem quodcunque individuum, etiam brutum, etiam inanime. *Differentia* complectitur quidem etiam Subjectum, illudque notat, cum dicitur subsistentia in Essentiâ Dei: (Subjectum enim est Essentia, in quâ est Subsistentia, non ut in aliâ re; idem enim sunt τῷ εἶναι: sed ut modus in re, sive ut rei incommunicabilis proprietas, ut τῷ λόγῳ distingui intelligatur:) præcipuè tamen propriam formam exprimit per *Proprietatem incommunicabilem*. Hæc enim propriè facit Personam: hæc unam Personam ab alterâ distinguit. *Convenit* etiam *solis Personis Divinis*; quia nulla persona angelica vel humana subsistit in essentiâ angelicâ vel humanâ, sed contra essentia in personis. *Ratio*: quia essentia est natura communis, ut genus & species, quæ sunt νοήματα logica sive entia rationis. Sed Personæ Divinæ subsistunt in essentiâ divinâ, quia illa est res singularissima, & Ens entium: unde κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur ὁ ὢν *Apoc.* 1. v. 4. Definitio Calvini.

In hâc definitione duo à nonnullis reprehenduntur: *Primum*: quod Persona dicitur subsistentia. At dicitur ὑπόστασις, *Heb.* 1. v. 3. quod *subsistentiam* vertunt *Tertullianus*, *Hilarius*, & *Augustinus*. Christus sibi tribuit τὸ εἶναι, id est, ὑφιστάναι *Ioh.* 8. v. 58. *cap.* 1. v. 1. Apostolus τὸ ὑπάρχειν *Phil.* 2. v. 6. Ergò vi conjugatorum ὑπόστασιν, ὕπαρξιν, subsistentiam. Denique ὁ ὢν est subsistens, individuum singulare *Apoc.* 1. v. 4. Ergò habet subsistentiam, quia substantivum est, ut docet articulus. *Alterum* est, quod Defenditur.

 persona

persona dicitur subsistentia in essentiâ Dei, cum Patres usitatè dicant, Essentiam esse in Personis. Sed alterum non minus rectè dicitur. I. Quia filius dicitur ὑπάρχων ἐν μορφῇ Θεοῦ, *Philipp.* 2. v. 6. μορφὴ autem notat essentiam, utpote quâ Filius est Patri æqualis. II. Pater dicitur esse in Filio, & hic in illo propter unam essentiam *Ioh.* 14. v. 10. *cap.* 10. v. 30. Ergo uterque cum Spiritu Sancto subsistit in unâ illâ essentiâ. III. Prisci Patres Personas dixerunt ἐνυπόστατα: statuunt igitur esse per subsistentias in essentiâ. IV. Graves caussæ fuerunt Calvino ita loquendi: nimirum, non solum ut unitatem essentiæ divinæ rectius exprimeret: verum inprimis ut Servetianos vel solâ Personæ definitione refelleret: qui docebant personas Deitatis esse externas tantum ideas: negabant autem eas revera, sive reapse exstare.

Definitio Melanchthonis & Vrsini.

Tertiò: Definitio *Melanchthonis* & *Vrsini* est concretiva, in quâ Persona idem est quod natura sive essentia intelligens, prout incommunicabiliter subsistit. Et hæc non quidem accurata est, si ἀκρίβειαν Scholasticam urgeamus; interim popularis, ad captum discentium inprimis accommodata. *Accurata non est.* I. Quia potius determinatio & descriptio quædam est subjecti in quo est Persona nempè in substantiâ vivâ, intelligente; quam ipsius Personæ: sive materiale magis quam formale ejus explicat. II. Tautologa etiam est: Subsistens enim & individuum idem sunt: sic intelligens vivum præsupponit. Ideò *Boëthius lib. de Duab. Natur.* brevius definit: quod sit *Naturæ rationalis individua substantia. Popularis* autem *est* & facilis intellectu, quia abstracta omnia facilius intelliguntur mentione Subjectorum, quam absque iis: idque hîc inprimis valet. Quia modi nullam habent aliam entitatem, quàm naturæ sive essentiæ divinæ: quæ pro numero personarum non multiplicatur.

Meritò igitur, & cum fructu etiam, conjungemus utramque definitionem, *abstractivam* Calvini, *concretivam* Melanchthonis & Ursini. *Illam* propter perfectionem Personarum Divinarum, quæ abstractivè plenius percepitur: *Hanc* propter veritatem subsistentiæ earum: quod verè subsistant, non autem sint meræ ideæ & imagines.

Discrimen Personarum Divinarum ab Angelicis & Humanis.

Postremò addamus etiam *discrimen inter Personas Divinas, & Humanas, atque etiam Angelicas.* Est autem duplex. *Primum*; Personæ *Divinæ* sunt ejusdem essentiæ numero & individuo, atque ita

ita ὁμοούσιοι sive coëssentiales; ut Concilium Nicenum loquitur. Personæ *Angelica & Humana* sunt ejusdem essentiæ genere vel specie, non individuo, atque ita ὁμοιούσιοι, non ὁμοούσιοι. *Secundum:* Personæ *Divina* distincta sunt, alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non autem separatæ; quia Pater est in Filio, & Filius in Patre *Ioh.* 14. v. 10. At Personæ *Angelica & Humana* non tantum distinctæ, sed etiam divisæ & separatæ, Gabriel à Michaële; Petrus à Paulo. *Caussa* utriusque discriminus est, quia Essentia Personarum Angelicarum & Humanarum est finita, circumscripta, partibilis; quæ per partes inest singulis individuis Angelicis & Humanis: sicut Pater generans partem essentiæ Filio communicat. At essentia Divina infinita & simplex est. Quia infinita, etiam numero & individuo est communis. Quia simplex, communis est citra omnem divisionem aut separationem; tota in singulis Personis.

PROBLEMA NONUM.

Quomodo Essentia Divina sit communicabilis, Persona Incommunicabilis?

IN definitione Essentiæ & Personarum Divinarum usitatè addi solent hæc vocabula *Communicabilis* & *Incommunicabilis*, discriminis caussâ: ut doceatur Illam esse communicabilem, Has incommunicabiles. Sensus igitur horum attributorum rectè est cognoscendus.

Communicabilitas Essentia Divina duo denotat: Communicabilitas Essentiæ notat ejus.

Primo *Communitatem ejus*, quod communis sit tribus Personis Deitatis, idque æqualiter. *Ratio.* I. Quia Personæ illæ sunt unum essentiâ numericâ & individuali *Ioh.* 10. v. 30. 1. *Iohan.* 5. v. 7. Ergò unam habent communem essentiam. II. Quia Nomina Essentiæ & omnium attributorum essentialium singulis ex æquo tribuuntur. Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus. Pater æternus, omnipotens: Filius item & Spiritus Sanctus. Ergò Essentia ipsis est æqualiter communis. *Vide Symbolum Athanasii.* 1. Communitatem.

Sed quæritur: *Annon etiam dici possit communis creaturis?* & videtur

detur quidem: tum quia nonnullæ dicuntur divinæ consortes naturæ, 2. *Petr.* 1. v. 4. tum quia attributa divina destingui solent in communicabilia & incommunicabilia. *Resp.* Minimè: quia Deus ita est Deus, ut solus sit, nec possit esse alius, *Deut.* 4. v. 35. 39. solus sapiens, 1. *Tim.* 1. v. 17. solus bonus, *Math.* 19. v. 17. Et ipse declarat, *Esa.* 42. v. 8. quod gloriam suam non det alteri. *Locus Petri* amphiboliâ corrumpitur; quia non essentiam, sed conformitatem cum Deo significat, quæ per regenerationem efficitur: Et pii dicuntur fieri divinæ consortes naturæ, scil. quoad effecta analoga, quod liquet partim ex enumeratione specierum, vers. 5. 6. 7. partim ex contrario, quod est corruptio, quæ in mundo est per cupiditatem. Distributio attributorum sumitur ex effectis; quod aliis Dei attributis quædam analoga reperiantur in creaturis, ut sapientiæ, bonitati: aliis non ut simplicitati, æternitati. Ergo impropriè communicabilia. *Ratio:* quia attributa non egrediuntur suum subjectum.

Non est communis creaturis.

2. *Pet.* 1. v. 4. explicatur.

Rursum quæritur: *Annon communis dici possit Humana Christi natura? Resp.* In *concreto*, id est, Personæ est verè communis, quæ θεάνθρωπος. In *abstracto* autem minimè: quia unio facta salvis naturis, earum proprietatibus ac operationibus.

Quatenus communis sit Human. Nat. Christi.

Secundo etiam *Communicationem*, quâ Essentia uni Personæ ab alterâ communicata intelligitur. Pater est fons & principium totius Deitatis: & in ipso Deitas est ἀγεννήτως. Is communicavit essentiam Filio: Pater & Filius Spiritui Sancto. *Probatur* I. dictis Scripturæ. Pater genuit Filium, *Psal.* 2. v. 7. *Prov.* 8. v. 22. dedit ei vitam subsistentem *Ioh.* 5. v. 26. Ergò communicavit ei essentiam. Generatio enim fit per communicationem ejusdem essentiæ: Et vita Dei est essentia vivens. Spiritus Sanctus procedit à Patre, *Ioh.* 15. v. 26. est ex Deo, 1. *Cor.* 2. v. 12. est Filii Spiritus, *Rom.* 8. v. 9. *Gal.* 4. v. 6. Ergò. II. Quia absque hâc communicatione non potest defendi trinitas, sed erit quaternitas: cum una Persona origine non sit ab alterâ. Hoc verò docet Scriptura: quia Filius à Patre, *Ioh.* 1. v. 14. Spiritus Sanctus à Patre & Filio *Ioh.* 15. v. 26. 1. *Cor.* 2. v. 12.

2. Communicationem.

Modus Communicationis ex Objecto & actu communicantis cognoscitur. Objectum est essentia Divina, quæ communicatur, non alia atque alia, sed eadem: quia unum, *Ioh.* 10. v. 30. non secundum partem, sed tota, *Ioh.* 5. v. 26. ut filius sit par & æqualis

Modus Communicationis qualis.

æqualis Patri *v.* 18. *Actus* est ipsa communicatio, quæ fit non in tempore, sed ab æterno *Prov.* 8.v.22. *Mich.*5.v.2. naturâ, non ex gratiâ, *argumento locorum Gal.* 4. vers. 8. *Iacob.* 1.v.17. non alienatione, sed communione & coexistentia: *argumento loci Ioh.* 5. vers. 26.

Non rectè dicitur, essentia communicat essentiam.

Hîc autem quæritur: *An rectè dicatur Essentia communicat essentiam*, cum communicatio sit essentiæ? *Resp.* Certum est *Augustinum*, & alios *Patres*, ex his autem *Lombardum* ita locutum esse *lib.*1. *dist.* 5. sed vocem Essentiæ acceperunt relativè de personâ; sive cum modo & proprietate personali eam considerarunt. *Propriè* autem & accuratè loquendo non rectè id dicitur. I. quia Scriptura actus notionales Personis tribuit, non Essentiæ *Ioh.* 5.v. 26. *Psal.* 2.v.7. II. quia actiones sunt suppositorum sive personarum. Communicatio est actio; Ergo. III. quia sic plures essentiæ finguntur. Essentia Communicans & essentia communicata non est una essentia propriè; saltem distinctio fit ratione essentiæ. Dei essentia est una: Ergò. Communicatio est sanè essentiæ, sed objectivè: quia est id quod communicatur. Principaliter autem sive causaliter, (fas sit ita loqui) est personæ, quæ generando, spirando essentiam communicat.

Incommunicabilitas Personæ.

Incommunicabilitas est Personarum divinarum. *Personam* Boëthius *lib. de duab. Natur.* definit *rationalis naturæ individuam substantiam.* Huic definitioni *Richardus*, inter Theologos Scholasticos Doctor celebris, addidit vocem *incommunicabilis*, ut substantiæ individuæ incommunicabilitas significetur. Nam individuum dicit rationem singulariter subsistendi: persona verò incommunicabilitatem, cum aliis personis ejusdem naturæ. Et potest aliquando aliquid esse individuum, quod interim suppositum dici nequit. Sal permixtus aquæ est hic sal; at in supposito aquæ: Ignis in ferro caudente est hic ignis: sed in supposito ferri. Sic Elementa sunt in mixtis, non per propria sua ὑφιστάμενα, sed sunt unum ὑφιστάμενον in mixto

Deo rectè tribuitur.

Incommunicabilitas igitur *est personalis proprietas, quâ una persona ab alterâ distinguitur*; sive, ut *Calvinus* loquitur, *est proprietas incommunicabilis, quâ una persona ad alias relata distinguitur.* Hanc Deo meritò tribuimus. I. quia in Deo sunt Nomina propria & incommunicabilia: Pater, Filius, & Spiritus S. II. quia sunt actus personales & incommunicabiles, gignere, gigni, procedere. III. quia secundum nomina & actus alius Pater, alius Filius, alius

alius Spiritus S. appellatur in Scripturâ. IV. quia omnis res necessariò habet ultimum suę existentiæ terminum & modum. Ergò multò magis Deus. Terminus autē ille est incommunicabilis subsistentia.

Quid efficiat in Deo.

Duo porrò efficit hæc Incommunicabilitas. I. ut Persona sit hæc persona, Pater sit Pater; Filius, Filius; Spiritus S. Spiritus S. *Ratio*: quia est proprietas characteristica & individualis, quâ communis essentia determinatur quasi in hâc, illâ personâ, vulgo vocant *principium individuans*, sive *individuationis*. II. ut una Persona ab alterâ differat, non essentialiter sed personaliter: alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. *Ratio*: quia est alteri incommunicabilis.

An & quomodo Persona Filii se communicaverit Humanæ Naturæ.

Hic verò quæritur. *Si Persona divina est Incommunicabilis, quomodo persona τ̃ λόγ8, sive Filii Dei se communicavit Humanæ naturæ?* *Resp.* duo. I. Incommunicabilitas Personæ non negat omnem omninò communicabilitatem, sed duntaxat alterius personæ, non alterius naturæ. *Ratio* 1. quia sic docet Fides Christiana in mysterio unionis personalis. II. quia hæc non pugnat cum personâ & formalitate ipsius: Cum non terminetur ulterius persona, sed potius ipsa terminet existentiam naturæ, cui communicatur. Illa verò pugnat: quia communicatio, quæ fit alteri personæ, esset ad terminum ulteriorem: Repugnat autem & contradictionem implicat id quod ultimo terminatum est denuò terminari, quatenus tale est. II. Communicatio illa non dicitur propriè; quomodo intelligitur, cum Pater generando Filium communicavit ipsi essentiam & subsistentiam: sed impropriè, ut sit assumtio in suam personam, & unio cum humanâ Naturâ; quâ illa non per se subsistit, sed in λόγῳ tanquam ei ἐνυποστάτῳ Ergo Humana Natura subsistit in personâ τ̃ λόγ8 Personalitas autem non est Humanæ Naturæ, sed solius λόγ8, etiam in Unione.

PROBLEMA DECIMUM.

Quo pacto distinguantur Personæ divinæ tum ab Essentiâ, tum inter se?

PRoblema geminæ solum distinctiones meminit; quia illa est præcipua, & maximè necessaria cognitu. Alioquin triplex in Deo distinctio ostendi potest, & tradi solet.

Prima

Prima est *Attributorum divinorum tum ab essentiâ, tum inter se:* v. g. misericordiæ à justitiâ, Sapientiæ à bonitate. Siquidem Scriptura ipsa Deum ita nobis describit, ut attributa Dei ab ipso Deo, & hæc vicissim inter se distinguat *Exod.* 34. v. 6. 7. *Psal.* 103. v. 8. 9. 10. 1. *Tim.* 1. v. 17. *cap.* 6. v. 15. 16. Est igitur aliqua distinctio. Præterea attributorum divinorum contrarii sunt effectus: quia Justitia punit, misericordia parcit. Ipsa igitur etiam contraria, vel saltem, diversa esse videntur. De hâc distinctione tenendum, quod *non* sit rei aut *realis*. Attributa non sunt in essentiâ, ut accidentia, qualitates in subjecto; sed sunt ipsa essentia. *Ratio:* quia essentia divina est absolute simplex, expers omnis compositionis. *Nec inter se differunt realiter*: quia quicquid in Deo est essentiale, unum est: à primâ autem unitate omnis differentia, omnisque numerus abesse debet. Est autem distinctio notionis seu rationis, ut docet Basilius *lib.* 1. *contra Eunomium.* Nim: quia ex conceptu nostro, sive ex nostro intelligendi modo distinguuntur, qui simplicia, infinita, uno simplicique actu capere nequimus. Conceptus autem ille & distinctio non est pura, sed eminens; quia formatur & fundatur I. in verbo Dei, quod distinctè de iis loquitur, ad captum nostrum. II. ex effectis eorum: in quibus sæpè est contrarietas, multoties diversitas: sicut etiam in effectis solis. In Deo autem nulla est contrarietas I. quia virtutes non sunt sibi contrariæ. II. quia in contrariis unum aliud perimit; virtutes autem se mutuo conservant. III. contraria in uno eodemque subjecto simul esse non possunt: Justitia & misericordia simul sunt in Deo: qui Salvator & ultor dicitur *Deut.* 32. v. 6. 35. 39. 1. *Sam.* 2. v. 7.

Attributa divina distinguuntur ab essentiâ modo concipiendi nostro.

Inter se ratione.

Secunda est *distinctio Personarum Divinarum ab Essentiâ*, quæ non potest esse obscura aut dubia. Quia Essentia una est, Personæ tres; Essentia est communicabilis, Personæ incommunicabiles; Essentia absoluta, Personæ relativæ, non propter essentias relativas, sed propter modos sive proprietates relativas. Est autem nec ista distinctio realis. *Ratio:* quia personæ respectu essentiæ unum dicuntur, non aliud atque aliud *Ioh.* 10. v. 30. 1. *Ioh.* 5. v. 7. Item, unaquæque Persona est ipsa essentia, sicut Pater dicitur Deus, Filius item & Spiritus S. Sed est *rationis*; quia λόγῳ tantum differt: sicut homo & Petrus. Nam essentia dicit aliquid communius: Persona idem commune, sed cum proprietate incommunicabili. Est autem distinctio rationis non pura, quæ non

Distinctio Personarum divinarum ab Essentiâ.

Est rationis. eminens.

 habet

habet fundamentum in re, in solidum verò ab intellectus nostri operatione dependet: Sed *eminens*, quæ etiam citra illam est in Deo, & fuit ab æterno; non tantùm in effectis aut phraseologia Scripturæ. Nam ab æterno Essentia communicabilis est, Persona incommunicabilis; Essentia absoluta, Persona relata; Essentia expers originis, Persona Filii & Spiritus S. cum origine. Alii distinctionem *Modalem* malunt appellare: quia proprietas personalis, per quam persona distinguitur ab essentiâ, & essentia in suâ communitate restringitur, est modus quidam Essentiæ divinæ.

Distinctio Personarum divinarum inter se est realis.

Tertia distinctio est *ipsarum Personarum divinarum inter se*; quæ non est rationis, sed rei sive *realis*. Probatur. I. quia alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S. *Ioh.5.v.32. cap.14.v.16.* Pater & Filius duo sunt *Ioh.* 8. v.17.18. Pater, Filius, & Spiritus S. tres 1.*Ioh.5.v.7.* Ergò. II. quia Filius incarnatus, non Pater: Spiritus S. in formâ columbæ apparuit non Filius: Pater cœlitus clamavit. Hic est Filius meus &c. non Spiritus S. Ergo. III. Ubicunque est oppositio realis, ibi est distinctio realis: *Ratio:* quia hæc in illâ fundatur, & per eam caussatur. Atqui inter Personas est oppositio realis Paternitatis & Filiationis, Spirationis & Processionis. Ergò. Sed *distinctio hæc realis* rectè & orthodoxè intelligenda est. I. Realiter differre non est differre separabiliter, ut Petrus, Iohannes, Paulus. Est enim Pater in Filio, Filius in Patre *Ioh.* 14.v.10. II. Realiter differre non est differre essentialiter, quia tres Personæ sunt unum essentiâ *Ioh.10.verf.30.* 1.*Ioh.5.v.7.* Et in Trinitatis mysterio, persona non idem planè designat quod essentia: sed denotat τρόπον ὑπάρξεως, ut veteres loquuntur; proindeque realiter non est idem quod essentialiter. Est verò differre relatione, proprietate reali; quæ tamen non infert novam entitatem: quia alius est Pater à Filio per paternitatem, quæ est illius proprietas. Alii etiam vocant distinctionem *Modalem*: quia proprietates sunt modi essentiæ divinæ, ut antè dictum.

Realiter differre quid.

PRO-

PROBLEMA UNDECIMUM.

An Generatio Patris sit activa: Generatio Filii passiva?

EXplicatio Problematis necessaria est, tum propter *Socinianos*, qui hâc distinctione enervare laborant æternam Filii generationem à Patre: tum etiam propter *Novatores* quosdam, qui inde colligunt realem diversitatem esse in Deo, atque ita compositionem.

Responsio est negativa; *Nullam esse in Deo generationem passivam*, propriè & realiter acceptam. Nulla est in Deo generatio passiva.

Rationes *sunt:*

I. Ubi est generatio activa & passiva, ibi genitum est in potentiâ gignentis. In Deo genitum, id est, Filius, non est in potentia gignentis, scil. Patris. Ergò. *Major* est extra controversiam. *Minor* sic probatur. I. Quod est in potentia gignentis id non semper actu exstitit. Filius semper exstitit actu; quia ab æterno. Ergò. II. Quod est in potentia gignentis, id potest esse vel non esse. Filius non potest non esse, non minus quàm ipse Pater: quia necessario est, non contingenter, aut liberè. Ergò. q. genitum non est in potentiâ gignentis.

II. Generatio activa & passiva est in materialibus: *Ratio:* quia potentia est propria materiæ, ex quâ producitur genitum. In Deo nulla est generatio materialis: utpote qui Spiritus est, expers materiæ *Ioh.* 4. v. 24. Ergò. q. generatio non est materialis.

III. In generatione activâ & passivâ generatio est medium aliquod reale inter gignens & genitum. Eo si quidem genitum à non esse ad esse producitur. In divinis generatio non est medium aliquod reale inter Patrem & Filium. Nam generatio respectu geniti Filii considerata, reipsa nihil aliud est quam Filiatio: quæ est proprietas Filii: respectu verò generantis considerata, est ipsa Paternitas, quæ est in Patre: significat tamen generatio proprietatem per modum actus. Ergo. q. generatio non est medium reale inter gignens & genitum.

Objicitur contra: In divinis Pater est gignens, Filius genitus, teste Scripturâ *Psal.* 2. v. 7. *Ioh.* 1. v. 14. Ergò generatio quoque activa, vel passiva. *Resp.* Negatur sequela: I. quia hæc dicuntur secundum intellectus nostri modum: non autem quod sit generatio passiva, propriè & realiter accepta in Deo. Alioquin etiam fuerit Occupatio.

temporaria generatio, cum verbum gignendi includat consignificationem temporis; quod tamen est contra Scripturam *Prov.* 8. vers. 22. *Mich.* 5. *vers.* 2. Tenenda igitur regula *Athanasii Dial.* I. ἀνθρωποπαθῶς λέγεται, θεοπρεπῶς νοεῖται. II. quia verbo activo & passivo duo termini generationis notantur, non duæ generationes significantur.

Generatio Filii est. Plenioris cognitionis ergo addam pauca axiomata de *Generatione Filii*, contra eosdem hæreticos, sed confirmata ex Scripturâ.

Propria. *Primum:* Generatio Filii à patre propria est, non Metaphorica. I. quia filius est proprius *Rom.* 8. v. 32. Ergo etiam propria generatio. II. Generatio est communicatio vitæ subsistentis; per quam Filius est unum cum Patre, & ei æquatur *Ioh.* 5. v. 26. 18. *cap.* 10. v. 30. Ergò. Patet ex definitione generationis. Cui autem definitio, eidem & definitum convenit.

Hyperphysica. *Secundum:* Generatio in divinis Hyperphysica est: non Physica qualis est substantiæ corporeæ & materialis: nec Metaphysica sive transcendens, quâ mens nostra gignit λόγον: unde etiam mentalis appellatur; *Ratio.* I. quia Deus Pater est super omnes *Ephes.* 4. v. 6. & Deus Filius *Rom.* 9. vers. 5. Ergò etiam generatio. II. quia est summum omnium mysteriorum. Ergo hyperphysica. III. quia etiam quæ analoga sunt creaturis, Deo cum ὑπεροχῇ tribuuntur. Differt ab utrâque tum conjunctim, quia finita, temporaria, ut pote creaturarum: tum seorsim; A Physica: 1. quia gignens gignit ex se per seminalem rationem. 2. gignit extra se, quatenus extra se producit genitum, & statuit ut terminum generationis. A Metaphysicâ: 1. quia est generatio impropriè dicta, & accidentis: gignitur enim accidens. II. quia genitum inest gignenti, tanquam accidens subjecto.

Facta in essentia. *Tertium:* Generat Pater Filium in essentiâ potius, sive in unitate essentiæ, quàm ex essentiâ. *Ratio:* I. quia Filius subsistit in formâ sive essentiâ Dei *Phil.* 2. v. 6. II. quia Filius non est genitus ex essentiâ Patris, tanquam materiâ: nec generatio extra Deum facta est. Si tamen particula *Ex* non significat materiam, sed duntaxat terminum â quo, (sicut *Ioh.* 1. v. 14. dicitur esse à Patre,) concedimus in sano sensu, Patrem ex suâ substantiâ genuisse Filium; quod vel ipsa ὁμουσία Patris & Filii indicat, & locus *Ioh.* 5. v. 26. apertè confirmat.

Quar-

Quartum: Pater genuit Filium necessitate & voluntate, diverso sensu & significatu. *Necessitate*; quia naturâ genuit, sicut naturâ est Deus *Galat.* 4. v. 8. Et omnia quæ in Deo sunt, sunt actus & necessitas. *Voluntate* etiam; quia non coactione, non vi, non denique cogente necessitate genuit, id est, cum nollet Pater gignere; ut explicat *Hilarius*. Orthodoxi Patres negarunt Filium voluntate genitum esse, eo sensu quo dixerat Eunomius: nempe quod temporis discrimen poneret inter existentiam Personæ Patris & Filii: & quo sensu velle aliquid dicimur, quod ante nolebamus. August. *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 20. Necessitate & voluntate.

Quintum: Pater Gignendo Filium totam essentiam Filio dedit, non alienatione, sed communicatione; & quidem tali, quâ & dedit, & retinuit. *Probatur* insigni loco Joh. 5. vers. 26. *Sicut Pater habet vitam in se ipso, ita dedit & Filio habere vitam in seipso.* Totius essentiæ communicatione.

Sextum: Utrumque rectè dicitur, & Patrem gignere Filium, & genuisse. *Prius*; si generationem spectes, prout est in se; quia opera Deitatis ad intra, quale est gignere, gigni, sunt æterna, perpetua, semper manentia, uti ipsa Deitas sui semper similis est. Nec tamen hinc colligi potest generationem esse imperfectam: quia actus generationes, qui ab æterno perfectus est, continuatur absque ullâ mutatione vel successione temporis *Jacob.* 1. v. 17. *Posterius*: si nostrum intelligendi modum consideres: quibus imperfectum est, quod est in fieri, sive præsenti: perfectum, quod est in factum esse. Ideò Scriptura magis utitur verbis temporis præteriti, quàm præsentis *Psalm.* 2. vers. 7. *Prov.* 8. v. 22. 23. *Ioh.* 1. v. 14. Fit & facta est.

PROBLEMA DUODECIMUM.

Quomodo Decreta sint in Deo?

ET hoc Problema curiosum magis, quàm necessarium videri poterat, nisi necessarium fecisset Hæreticorum protervia & impudentia, qui inde Deo compositionem impingunt, simplicitatem ejus negant. Decretum propriè Deo non tributur.

Decretum Deo non tribuitur propriè. Est enim effectum

Consultationis, seu deliberationis antegressæ: quod in Deum non cadit. I. Quia Objectum est res una vel plures, obscuritatem vel difficultatem habentes. Deo autem omnia intimè patent, *Hebr.* 4. v. 13. omnia possibilia sunt *Matth.* 19. *vers.* 26. II. Quia actus ejus est discursus, sive ratiocinatio ab uno ad alterum: qui in Deo non est, cum intellectus ipsius sit simplex & infinitus. Ergo tribuitur ipsi *impropriè*, & ἀνθρωποπαθῶς; quatenus confertur cum homine sapiente, deliberante prius de re, quàm aliquid statuat aut aggrediatur. *Vide Luc.* 14. v. 31 *& seqq.*

Decreta sunt in Deo.

Esse autem *Decreta in Deo*, constat autoritate Scripturæ *Eph.* 1. v. 5. 9. *Prædestinavit in sese, secundum gratuitam suam benevolentiam quam præstituerat in sese.* Sic tribuit ipsi *Consilium voluntatis* v. 11. *beneplacitum voluntatis*, vers. 5. *Præcognitionem & prædestinationem*, *Rom.* 8. v. 29. *Actor.* 2. 23. *Cap.* 4. v. 28. Voluntas autem Dei est in Deo. Ergò. Accedit; quod decreta Dei sunt æterna *Eph.* 1. *vers.* 4. *Cap.* 3. v. 10. 11. 1. *Petr.* 1. v. 19. 20. *Actor.* 15. v. 18. Nihil autem æternum est extra Deum, sed in ipso.

Non ut accidentia in subjecto.

Modum, quo sunt in Deo κατ᾽ ἀντίθεσιν constituo & enuncio.

Primo: *Non sunt in Deo, ut accidentia in subjecto*, ut essentiæ divinæ velut subjecto inhæreant. *Ratio*; quia nullum est accidens in Deo. Est enim absolutè unus *Deuter.* 4. v. 6. Ergo non constat subjecto & accidente. Est suum esse, nec per essentiam sive entitatem constituitur *Exod.* 3. v. 14. *Apoc.* 1. v. 4. Ergo non compositus ex subjecto & accidente. Et si est accidens in Deo ab essentiâ ejus distinctum, id vel est à caussâ externâ, vel à propriâ Dei essentiâ. Non *illud*: quia suprema est caussa, nec se aliquam priorem habet, nec ab aliquâ caussâ dependet. Nec *hoc*: quia sic esset aliquid in Deo prius & posterius: nam quod à principiis subjecti manat, est effectum, & posterius subjecto. Ergo nullum est accidens in Deo.

Sed ut actus voluntatis cum σχέσει ad extra.

Secundo: *Decreta sunt in Deo ut actus voluntatis ipsius*: ut ipsa Dei voluntas, considerata *cum σχέσει sive relatione ad objecta externa*, futura ex immutabili consilio ipsius, & producenda per potentiam ipsius. *Probatur* I. quia dicitur *voluntas Dei* Esa. 46. v. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Roman. 9. v. 18. 19. *Miseretur cujus vult, quem vult indurat: voluntati ejus quis resistit?* II. Quia *beneplacitum voluntatis, consilium voluntatis* appellatur

latur *Ephes.* 1. v. 5. 11. Jam voluntas Dei est ipse Deus volens: sive est essentia Dei concepta per modum actus volendi, ut notum est. Ergò decreta Dei sunt ipse Deus volens: sive ipsa essentia Dei concepta per modum actus; sed relativi, & quidem ad extra. Quod ut plenius intelligatur, *Actus divini* trifariam veniunt distinguendi. *Primò* sunt actus *intrinseci & immanentes*, qui non transeunt in objectum externum, & nullum prorsus respectum aut σχέσιν habent ad τὰ ἔξω. Tales sunt actus personales, quos Scholastici *notionales* vocant, gignere, spirare, &c. Horum absoluta est necessitas, absque potentiâ ad oppositum; & sunt æterni. *Secundo* sunt actus *extrinseci, qui non sunt in Deo, sed à Deo*; sive qui à Deo sunt effectivè, in creaturis autem subjectivè: velut creare, gubernare, redimere &c. Hujusmodi actus non solum sunt temporales; sed etiam oppositi actus Deo attribui possunt. Deus etiam extrinsecus solum ab iis denominatur. *Tertio* sunt actus *intrinseci* quidem in Deo, sed *connotantes respectum ac σχέσιν ad extra*, ut scire, velle. Scit enim Deus non solum se, sed etiam omnino quicquid est scibile, sive ut possibile, sive ut futurum. Vult etiam non solum se, sed etiam alia extra se, quæcunque nimirum statuit extra se producere aut permittere. Se necessariò, alia extra se liberè. Hujusmodi actus sunt *Decreta*, relativi nimirum ad extra, & præter voluntatem σχέσιν statuunt rerum externarum. Compositio autem hinc malè infertur. I. Quia externa relatio nullo modo componit. II. Quia necessitas & libertas non sunt distinctæ in Deo potentiæ.

Actus divini sunt.
Intrinseci.
Extrinseci non in Deo, sed à Deo.
Intrinseci in Deo, cum respectu ad extra.
Nulla hinc in Deo compositio.

Cæterum actus *tertii generis* dupliciter possunt considerari: vel secundum id, quod sunt: vel secundum respectum, quem habent ad objectum. *Priori* modo nil differunt ab essentiâ divinâ, neque ulla est ibi mutatio aut mutabilitas, nec ejusmodi libertas, de quâ Vorstius loquitur, sed necessitas. Sicut enim Deus non potest non esse; sic neque potest non velle, non intelligere. *Posteriori* distingui oportet inter ipsum objectum voluntatis divinæ: vel enim est *primum ac principale*, quod est ipsa essentia ac bonitas Dei: & sic est summa necessitas; quia necessario scit suam essentiam ac bonitatem. Vel est *secundarium ac minus principale*, scil. res creatæ; & sic est libertas.

Postremi generis actus quomodo considerentur.

PRO-

PROBLEMA DECIMUM TERTIUM.

Num duplex sit Dei voluntas, una antecedens, altera consequens?

Distionis hujus Origo.

DIstinctio voluntatis Dei in προηγουμένην καὶ ἑπομένην in *Antecedentem & consequentem*, excogitata est à *Damasceno*, tradita *lib. 2. Orthod. Fidei cap. 29. de Providentiâ*. Post à Scholasticis Theologis usurpata, & tandem à novis Semi-Pelagianis in erroris sui defensionem arrepta fuit.

Admittitur

Nos eam non simpliciter improbamus, sed sano sensu secundum Scripturas *admittimus*: & quidem tum de *Decreto* Dei, tum etiam de ejus *Mandato* explicatam; quo duplici significatu *voluntas Dei* usurpatur in Scripturâ. *De Decretis Dei*: Est enim eorum certus ordo & series; alia priora, alia posteriora; non quidem ex parte voluntatis divinæ, quasi ea prior vel posterior: Sed ex parte objectorum sive volitorum. Antecedit decretum de homine creando: consequitur decretum de eodem redimendo. Ita πρόγνωσις præcedit προορισμὸν *Rom. 8. v. 29.* Sed nec negamus posse dari duo decreta Dei, inter quæ voluntas humana intercedat: quemadmodum inter decretum de creando homine, & decretum de certis hominibus damnandis, peccatum hominis intervenit. *De Mandatis Dei*: Est enim Voluntas antecedens in præceptis: *Fac hoc*; *Resipisce & crede Euangelio*: Consequens in promissis & minis, quæ sanctionis ergò præceptis adduntur: *vives, servaberis*; *non vives, damnaberis*. Nec enim implentur promissa vel minæ, nisi observatio aut violatio mandatorum præcesserit. Et sic etiam medio loco intervenit voluntas humana: De quâ Esaias *cap. 1. v. 19. 20. Si volueritis audire, bona terræ comedetis: sin renueritis, gladius devorabit vos.*

De decretis Dei.

Possunt dari duo decreta inter quæ voluntas humana intercedat.

De Mandatis Dei.

Damnatur sensu Semipelagiano.

Contra rejicimus & *damnamus* hanc distinctionem, quo sensu Damascenus & Semi-pelagiani eâ utuntur. His siquidem *Voluntas Antecedens* est Consilium Dei de omnibus in universum hominibus servandis: *Voluntas consequens* est Consilium Dei de servandis credentibus, damnandis incredulis. *Illa* sic dicitur, quod antecedit actum humanæ voluntatis, sive actiones humanas bonas vel malas. *Ista* verò, quia posterior est humanâ voluntate, &

ab

ab actionibus ejus bonis vel malis dependet. *Inter utramque voluntatem* ergo *media intervenit voluntas humana*, quæ ut plurimum efficit, ut Deus rescindat voluntatem Antecedentem longè optimam, ac à proposito fine depulsus aliò se convertat, quam ad id quod primitus intenderat.

Idque quia

Syllogismus principalis, quo distinctio illa evertitur, hic esto: Quæ distinctio in Deum multis modis injuria est, æternam ejus electionem subruit & convellit, & toti Euangelio repugnat, ea multis modis est falsa & perniciosa. Distinctio voluntatis Dei in antecedentem & consequentem, ex mente Damasceni & Neo-pelagianorum, est talis. Ergò. *Minor* est trimembris, per quæ distinctè probatur: *In Deum injuria est* multis modis: I. Quia ei insipientiam & impotentiam tribuit. Fingitur enim Deus intendere aliquid & desiderare affectu naturali, quod non assequitur, nec potest assequi per hominem; quia ipse non vult. II. Impingit ei mutabilitatem: quia voluntati consequenti non potest esse locus, nisi antè rescissâ antecedente. Impossibile enim est, ut Deus simul velit omnes homines servare, & aliquos damnare. III. Affingit ei contrarias voluntates: quod voluntate antecedente vult omnes servare, consequente non omnes vult servare: item; quod multos, quos antecedente vult servare, consequente velit damnare: verbi gratia, Saulem & Judam. IV. Deum homini subjicit, hominem supra Deum extollit: utpote quem à voluntate & actibus humanis, in horas, imo momenta, mutabilibus, suspendit. *Æternam Dei electionem subruit & convellit*. I. Quia eam facit temporalem. Secundùm hanc enim distinctionem tum demum homo eligitur ad vitam æternam, cum actu credit: reprobatur, cum gratiam oblatam repudiat. II. Quia talem fingit, cui nulla exsecutio, effectus nullus respondet, id est, irritam, inefficacem: contra dictum *Rom.* 8. v. 29. 30. ut in omnibus reprobis & damnatis videre est. III. Quia eam fundat non in εὐδοκίᾳ, vel in actu aliquo Dei, sed in actu voluntatis humanæ. Eligit enim voluntate consequente, cujus fidem præscit; reprobat, cujus incredulitatem prævidet: Adeoque caussa particularitatis ab homine est, non à Deo. IV. Quia incertam relinquit; Nam humanâ voluntate, ex quâ pendet, nihil est incertius, mutabilius. Denique *toti Euangelio repugnat*, quod magno consensu testatur, Deum non omnes simpliciter, etiam infi-

1. Injuria est in Deum.

2. Æternam Electionem subruit.

3. Toti Euangelio repugnat.

infideles, sed omnes & solos in Christum credentes per eum servare velle *Ioh.* 3. v. 16. 36. *cap.* 6. v. 40. *Rom.* 3. v. 32. *Gal.* 3. v. 22. Docet etiam non omnibus offerri aut conferri media salutis *Matth.* 11. v. 21. 25. 26. *cap.* 13. v. 11. *& alibi.*

Non adstruitur similibus.

Pro tuendâ hâc distinctione *duo objiciuntur*. Primum à simili. Pater optat & vult seriò, ut Filius suus ipsi obediat; at non violenter eum trahit ad obediendum. Mercator vult merces suas salvas, sed necessitate compulsus projicit eas in mare: ita Deus compulsus malitiâ hominum eos damnat, quos servare voluerat obedientes. Nec enim vult hîc exserere suam omnipotentiam, ne vim faciat libero arbitrio. *Resp.* Nihil hæc similia concludunt, quia sunt valdè dissimilia. Sumuntur enim ab hominibus, qui non possunt fieri compotes voti nisi per media convenientia, & qui frequenter suâ intentione frustrantur. At Deo nunquam desunt media justa & convenientia, per quæ assequatur id quod intendit. Potest etiam sine coactione sic flectere voluntatem, ut ultrò sequatur. Ita subitò mutavit animum Esau, *Genes.* 33. Saulis, 1. *Sam.* 19. v. 23. Ægyptiorum, *Psal.* 105. v. 25. Regum, *Proverb.* 21. v. 1. Si hanc mutationem sine coactione Deus facit in improbis, quantò magis in piis. Exemplo sunt latro in cruce, *Luc.* 23. Paulus *Actor.* 9. Lydia & commentariensis *cap.* 16.

Neque usui est ad concilianda loca in speciem pugnantia.

Alterum *ab usu hujus distinctionis in conciliandis locis Scripturæ, quæ* videntur ἐναντιοφανῆ: verbi gratia, cum dicitur velle omnes homines salvos fieri, 1. *Tim.* 2. v. 4. nec ullum perire, 2. *Petr.* 3. v. 9. sed omnes converti *Ezech.* 33. v. 11. Alibi verò dicitur ridere in interitu impiorum, *Proverb.* 1. v. 26. velle quosdam indurare, & nonnullorum tantum misereri *Rom.* 9. v. 18. Nam illa de antecedente bonitatis, hæc de consequente judicii voluntate intelligenda sunt. *Resp.* Antè ostensum est, Scripturam nullo modo agnoscere illam distinctionem. Est verò longè alia ratio conciliationis: Vult salvos fieri omnium ordinum, non omnes & singulos homines: Nullum perire, scil. resipiscentem: Non vult mortem peccatoris, scil. resipiscentis: Ridet in interitu impiorum, quatenus δικαίωμα Dei: vult indurare, absoluta etiam voluntate & potestate, ut figulus, Dominus omnium.

PRO-

PROBLEMA DECIMUM QUARTUM.

An voluntas, quæ Signi & beneplaciti vocatur, ponat contrarias in Deo voluntates?

HÆc distinctio Voluntatis traditur à Lombardo *lib.* 1. *Sentent. dist.* 45. & ab aliis Scholasticis, præcipuè à Thomâ *Summæ part.* 1. *quæst.* 19. *art.* 11. *&* 12. repetitur & explicatur. *Signi* dicitur quæ signo aliquo, puta præcepto vel promisso nobis innotescit. Solent autem à Scholasticis quinque signa exprimi, quibus Dei voluntas innotescat: præceptum, prohibitio, consilium, permissio, operatio. Sed plura esse non est dubium. Exstant enim etiam promissiones, comminationes, vaticinia, narrationes &c. *Beneplaciti* autem, quæ tantisper in Deo latet, ejusque liberrimæ potestati relinquitur, dum ex aliquo oraculo, vel eventu ipso tandem patefiat. Et sic nominatur per Synecdochen generis; quia certum & speciale nomen, quod signo sive indicio externo opponatur, nondum videtur exstare. Nec malè sic nominatur; quia decretum Dei est beneplacitum voluntatis ipsius *Ephes.* 1. v. 5. Atque hoc sensu usurpatur illa distinctio, non alio: quasi voluntas beneplaciti tantum placeat Deo, signi non placeat.

Voluntas Signi quid.

Voluntas Beneplaciti quid.

Eodem sensu ferè usurpatur distinctio in voluntatem Arcanam & Revelatam. *Arcana* est consilium Dei de rebus futuris, in ipso absconditum, ut de die ultimi judicii. *Marc.* 13. vers. 32. quomodo olim absconditum fuit mysterium Euangelii *Ephes.* 3. v. 5. *Revelata* est quam in præceptis & promissis Vet. & N. Test. expressit & manifestavit *Actor.* 20. v. 27. *Rom.* 12. v. 2. Differunt. I. Objectis: *Illa* est de facto Dei, quid Deus velit facere de omnibus & singulis suis creaturis. Hæc de officio nostro, quid nos debeamus Deo & proximo. II. Subjectis. *Illa* est in Deo, ut omne decretum: *Hæc* extra eum, in Scriptis Prophetarum & Apostolorum.

Arcana & Revelata

quid differant.

Geminam hanc voluntatem rectè Deo attribui, probatur. *Dictis* illustribus: Deut. 29. v. 29. *Quæ occulta sunt, penes Iehovam Deum nostrum sunto; at quæ revelata, nobis & Filiis nostris usque in seculum*

Rectè Deo tribuuntur juxtâ Dicta.

culum revelata sunt, ut faciamus omnia verba legis hujus. Job.21.v.23.24. & 28. coll. *Solus Deus intelligit viam sapientiæ, & ipse scit locum ejus. Nam ipse in extremitates terræ intuetur, sub omnibus cælis videt. Dixit verò homini: En reverentia domini est sapientia; & redecere à malo, intelligentia.* Sensus est: Deus sibi soli servavit sapientiam, quâ intelligit sapienter se mundum & justè gubernare. Homini verò ostendit aliam sapientiam, quam acquirere possit ac debeat, videlicet, cognitionem & observationem mandatorum ipsius ex vero timore. *Rationibus* I. Quomodo voluntas Dei usurpatur in Scripturâ, eo modo rectè sumitur in Theologiâ. Atqui duplici modo voluntas Dei usurpatur in Scripturâ: pro *Decreto*, quod est voluntas beneplaciti; Esa.46.v.10. *Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet.* & pro *Mandato*, quod est voluntas Signi; 1.Thess.4.v.3. *Hæc est voluntas Dei, Sanctificatio vestri.* Ergo. II. Judicia Dei sunt abyssus. id est. imperscrutabilia, & impervestigabilia *Psal.* 36. v.7. *Rom.* 11.v.33.34. Voluntas revelata in lege & Euangelio non est illa abyssus, teste Mose, *Deut.*30.v.11. *& seqq.* & Paulo *Rom.* 10.v.8. Ergo est alia voluntas Arcana. III. Voluntas Dei est etiam de futuris eventibus, At illa nobis non est revelata, sed arcana. Ergò quædam Dei voluntas arcana est, præter revelatam. Utraque propositio est *Iacob.*4.v.14.15. & *Hebr.*6.v.3.

Rationes.

His ita præmissis negamus distinctione illâ poni contrarias in Deo voluntates. *Ratio.* I. Scriptura nullam Deo tribuit contrarietatem. At tribuit ipsi geminam hanc voluntatem. Ergo ea non est sibi contraria. *Minor* modò demonstrata est. De *Majore* etiam constat, quia negat de Deo Etiam & Non 2.*Cor*, 1.v.18. 20. Negat posse eum mentiri, verbo scil. aut signo *Tit.* 1.v. 2. Affirmat esse ipsam veritatem, *Deut.* 32.v. 4. *Ioh.* 14.v.6. II. Ubi non est vera oppositio, ibi nec est vera contrarietas. Inter voluntatem signi & beneplaciti non est vera oppositio. Ergò. *Minor* probatur: quia decretum & mandatum Dei sunt diversa, quæ differunt absque repugnantiâ.

Nec sibi invicem contrariæ sunt.

In *contrarium* duo moventur. *Primum:* Qui idem vult, & non vult, in eo sunt contrariæ voluntates. Deus idem vult, & non vult. Vult Abrahamum immolare filium, quia præcipit; & non vult, quia impedit *Gen.*22. Vult Pharaonem dimittere populum, quia mandat; & non vult, quia obdurat cor ejus *Exod.* 6.7. & *seqq.*

An Deus idem velit & nolit? & quomodo.

seqq. capp. Ergò. *Resp.* ad *Majorem*: Si idem velit ac nolit eodem modo ac fine, ex lege oppositorum. Quod non hîc accidit. Deus voluit immolationem Isaaci, quatenus & quousque fuit probatio obedientiæ Abrahami, *Gen.* 22. v. 1. noluit quoad cædem, quia prohibuit, v. 12. Voluit dimissionem populi fieri à Pharaone, quatenus mandavit, ut ejus contumacia & infidelitas in lucem protraheretur. Noluit quoad eventum, nim: ut obdurato ejus corde justissimam causam haberet severius in ipsum animadvertẽdi. *Alterum* quod Lutherani inprimis urgent, hoc est: Qui verbo externo testatur se velle omnes & singulos homines salvos facere; æterno autem decreto statuit non omnes, sed paucos solùm salvos facere; in eo sunt contrariæ voluntates. Atqui Deus hoc agit, ut habet doctrina Calvinistarum. Ergò. *Resp.* I. Negatur *prius membrum minoris*, quod Deus verbo testetur se velle omnes & singulos homines salvos facere. Docet enim paucos servatum iri *Luc.* 13. 23. 24. Multos esse vocatos, paucos electos *Matt.* 20. v. 16. *cap.* 22. v. 14. Loca quæ habent notam universalem *omnes*, restrictivè, & distributivè, non absolutè sumenda sunt. II. Negatur *consequentia Majoris*, quia promissio salutis non est absoluta, sed conditionalis, requirens Fidem, & Resipiscentiam. Nec eò facit ut declaret, quod Deus omnibus velit salutem conferre, sed quæ sit ratio consequendi salutem post lapsum generis humani in Adamo: & qui eam non consequuntur, suâ culpâ non consequi; quum debuerint obedire mandatis Dei; Deus autem nullo pacto ipsis obligetur. Exemplo sunt primi invitati ad nuptias, *Matt.* 22. *cap.* seu ad cœnam illam magnam *Luc.* 14. v. 16. & *seqq.*

Vtrum verbum externum & decretum æternum de salute hominum sibi contrarientur.

PROBLEMA DECIMUM QUINTUM.

An Deus eligens & reprobans considerarit hominem ut lapsum, an ut non lapsum, sed integrum?

QVæritur de *Objecto Prædestinationis*, non simpliciter, quod illud sit: extra controversiam quippe est, esse hominem: (De Angelis enim, qui & ipsi sunt electi, 1. *Tim.* 5. v. 22. & quidem in statu integritatis, *Ioh.* 8. v. 44. 2. *Pet.* 2. v. 4. hîc non agitur:) sed quale sit, hoc est, qualiter homo consideratus sit in

De Objecto Prædestinationis sententiæ quatuor.

mente Dei prædestinantis, & quibus qualitatibus eidem prædestinanti objectus fuerit? De quo non tam duplex illa cujus Problema meminit, quam quadruplex universim sententia est Theologorum: quas ordine proponemus & examinabimus.

I. Homo creabilis ac labilis. PRIMA Sententia est eorum, qui objectum Prædestinationis statuunt *Hominem nondum creatum aut lapsum; sed creabilem & labilem*: *Ratio*. I. quia prædestinatus est homo, cum nihil dum fecisset boni vel mali *Rom*. 9. v. 11. Talis vero est homo creabilis & labilis, quia creatus est bonus, lapsus malus. II. Finis ut causa, prior est suis causatis seu mediis. At decretum Electionis est finis ut causa; Creatio & lapsus sunt causata seu media. Ergò. *Major* claret ex Philosophiâ. *Assumtio* bimembris est: *Prius* de fine sic probatur: Decretum de fine est finis decretorum de mediis ad finem ducentibus. At Electio ad salutem est decretum de fine. Ergò. *Alterum* de mediis sic: Quod inservit proposito Electionis exsequendo, id est medium seu destinatum Electionis. Creatio & lapsus inserviunt proposito Electionis exsequendo. Ergò. Si vero creatio & lapsus sunt media exsequendæ Electioni inservientia; Ergo & decretum creationis & lapsus. III. Decretum electionis est æternum *Eph*. 1. v. 4. 2. *Tim*. 1. v. 9. 10. Non igitur posterius est decreto creationis & lapsus.

Rat. 1.

Rat. 2.

Rat. 3.

Rejicitur. 1. Hanc sententiam *improbamus* & rejicimus, moti gravissimis rationibns. I. Objectum prædestinationis non potest esse non ens. Homo non creatus, sed creabilis, labilis, est non ens. Ergò. *Minor* patet, quia per creationem à non esse ad esse fuit productus, teste Mose *Gen*. 1. v. 26. 27. *Major* probatur: 1. Destinatio ad salutem vel exitium non est non entium: quia sunt fines qui introducuntur in subjectum. Non ens autem nihil recipit. Prædestinatio est destinatio ad salutem vel exitium. Ergò. II. Actus misericordiæ vel justitiæ divinæ non versatur circa non ens. Prædestinatio est actus misericordiæ vel justitiæ divinæ. Ergò. II.

2. Objecta singularia, certo ordine alia ex aliis propagata aut propaganda, non cosiderantur ut non entia; eoque nec ut non creata. *Ratio*: quia sunt substantiæ primæ sive individua, quæ maximè entia. Objecta Prædestinationis hominum sunt talia objecta: quod cum gradatione illa *Rom*. 8. v. 29. 30. tum aliquot exemplorum inductione *Rom*. 9. *cap*. liquido confirmatur. Ergò.

3. III. Non Entis nulla sunt accidentia. Homo creabilis, labilis est

est non ens. Ergo nullum ejus accidens : atque ita nec potentia passiva ad creationem & lapsum in eo fuit, antequam crearetur aut laberetur. Proindè contradictionem implicant, dum creabilem, labilem nominant: vel saltem abusivè loquuntur ratione Dei, in quo potentia activa creandi hominem. IV. Si Deus prædestinavit hominem creabilem, etiam prædestinavit eos, quos nunquam creaturus est; *Ratio* : quia hi quoque sunt creabiles. At non hoc, quia certus est ac definitus Electorum numerus; qui nec augeri potest, nec minui *Ioh*.10.v.26.27.*cap*.13.v.18.2.*Tim*. 2.v.19. & omnes electi assequuntur *Rom*.11.v.7.Ergo.

Ad *argumenta* illius sententiæ sic *respondetur* : Ad *Primum* : Est illud planè inconsequens & contra mentem Apostoli. Nam *vers*.11. loquitur de individuis conceptis jam, & utero materno conclusis. Ji verò non creabiles, sed creati; non labiles, sed lapsi & peccato originali corrupti fuerunt. Estque fallacia causæ: Non removet respectum boni vel mali, quasi expertes fuerint illarum qualitatum, tanquam creabiles, labiles: sed quod Deus iis non sit motus ad eligendum vel reprobandum. Ideo his opponit πρόθεσιν Dei, *versu eodem*. Ad *Secundum* : Ejus *Assumtio* falsa est, nec ratione bimembri confirmatur. Ad *priorem* dico : Electionem esse decretum de fine & mediis propriè : prout proponitur *Eph*.1. v.4. 2.*Thess*.2.v.13.14. Si verò concipiantur distinctè, ut distincta decreta; respondeo limitatione prædicati in Majore, scil: quæ verè sunt illius media, ei subordinata. An vero talia sint creatio & lapsus, id in quæstione est. In *posteriore* Minor falsa est; quia creatio & lapsus non inserviunt decreto Electionis exsequendo, ut media subordinata: sed sunt requisita præcedanea, sive adjuncta antecedentia, quæ executio illa præexigit. Nisi enim homo conditus esset & lapsus, non posset venire in executionem. Hinc etiam nec in decreto, nec in executione eò assurgit Apostolus *Rom*. 8.9. *Eph*.1. *capp*. Ad *Tertium* negatur sequela. Id tantum sequitur : Non esse tempore posterius, non autem quod etiam ne ordine quidem. Æternitas siquidem tempus excludit, non ordinem: alioquin ne ordinis quidem distinctio erit inter Patrem & Filium & Spiritum; qui pariter æterni sunt.

Refutantur ejus rationes. Prima. — Secunda. — Tertia.

SECUNDA Sententia est eorum qui volunt, Objectum Prædestinationis esse *hominem conditum, sed integrum, adhuc exornatum Dei imagine*. Quæ etiam suis *rationibus* nititur. I. Deus ex eâdem massâ

II. Homo conditus sed integer. Argum. I.

sâ facit aliud vas ad decus, aliud ad dedecus *Rom.* 9. v. 21. At illa est massa integra ex creatione. Ergò. II. Adamus integer aut prædestinatus fuit, aut prædestinandus. Si illud, stat prædestinatio integri: si hoc, Deus de fine Adami, atque adeo generis humani, ante lapsum nihil omnino præstituit, sed incerto fine Adamum condidit. III. Quod ultimum est in executione, id primum est in consilio & intentione. At decretum electionis ad salutem ultimum est in executione; Ergò primum est in consilio & intentione Dei. *Minor* probatur. Salus & glorificatio hominis est ultimus ejus finis ac terminus. Decretum electionis in excutione est hominis salus & glorificatio. Ergò illud decretum in executione est ultimum. IV. Electio Angelorum facta est ex genere ipsorum integro 1. *Tim.* 5. vers. 22. *Ioh.* 8. v. 44. Ergò & hominum.

Arg. 2.

Arg. 3.

Arg. 4.

Improbatur.

1.

Hæc sententia minus quidem habet incommodi quàm prior, & à magnis etiam viris defenditur, tamen cum bonâ ipsorum pace ab eâ discedimus. *Argumenta* præcipua hæc sunt. I. Si genus humanum lapsum est objectum prædestinationis, non igitur integrum. Atqui genus humanum lapsum est objectum prædestinationis. Ergò. *Assumtionis* veritas demonstrabitur in explicatione sententiæ tertiæ. *Propositio* constat immediatâ anhithesi integritatis & lapsus sive peccati: quæ partim privativè, partim etiam contrariè interse opponuntur. Est quidem magni nominis *Theologus*, qui negat illa esse contraria, sed ait esse diversa: & objectum prædestinationis esse hominem integrum & lapsum: imo etiam nondum conditum: Nim: quia generalius illud considerat; ut cum Prædestinatio est consilium Dei de creandis hominibus, de permittendo ipsorum lapsu &c. & quod omnes omnino actus Dei circa hominem complectitur, Quomodo etiam *Vrsinus* definit iu *Catecheticis*: quod mutatum est à D. D. *Pareo* in editione novâ, quæ 1621 prodiit. Et sanè si tam generali significatu accipiatur, sunt diversa media illius finis, non contraria; & triplex hic considerandi modus potest dari. Sed nos specialius accipimus vocem prædestinationis: ut *Rom.* 8. 9. *Eph.* 1. ubi nulla mentio est creationis aut lapsus. Et distincta sunt opera naturæ & gratiæ, creationis & redemtionis, non minus quàm Creator & Redemtor in Symbolo distinguuntur. Distinguimus etiam Prædestinationem à Providentiâ, ut partem à toto; quæ inter est oppositio. Ergò præter rem insti-

institituitur hæc conciliatio. II. Prædestinatio quoad Reprobationem est ordinatio ad damnationem tanquam pœnam. Hominis integri nulla est ordinatio ad damnationem ut pœnam. Ergò. *Major* est Apostoli *Rom.*9. & alibi. *Minor* per se claret: Quia integri nulla est culpa, secus non esset integer. Ergò. III. Quod est valdè bonum, quod amat Deus, & in quo acquiescit, id non odit, atque ita nec reprobavit. *Ratio:* quia actus illi sunt contrarii. Homo integer fuit valde bonus, eum amavit, & in ipso acquievit Deus *Gen.*1.v.31. *Eccles.*7,v.29. Ergò. Plura sequuntur in expositione sententiæ tertiæ.

Ad *argumenta* ordine *respondemus*. In *Primo* Assumtio falsa est siquidem massam corruptam intelligit Apostolus, sed allusione quadam ad primi hominis creationem. Nam etiam corruptos ex corruptis Deus creare, & figuli instar fingere dicitur *Ioh.*10.v.9. *seqq.* *Prov.*16.v.4. *Ier.*1.v.5. *Probatur* I. à processu qui est ab hypothesi exemplorum ad thesin. De quibus illic agitur, de iisdem agitur & hic. At de corruptis agitur illic, de Esavo & Jacobo Mose & Pharaone. Ergo. II. ab exegesi quæ in vasis iræ & misericordiæ proponitur *vers. seqq.* Quale materiatum, talis est ipsa materia At materiatum est corruptum peccato. Ergo. In *Secundo* negatur consequentia membri posterioris. Finis enim in statu integritatis, id est, quem Deus intendit, est ipsius tanquam creatoris gloria *Psal.*8.v.5.6.*seq.* quæ etiam mutabili hominis conditione fuit illustrata. Finis ipsius hominis salus: qui tamen non absolutè, sed conditionaliter ei fuit propositus *Gen.*2.v.17. *Tertio* ambiguum est subjectum Minoris. Si decretum electionis intelligitur de salvando homine integro, falsa est Minor. Tale enim in Exsecutione non deprehenditur. Si autem intelligitur de salvando homine lapso, vera est; & stabilitur nostra sententia. Sic in probatione minoris salus & glorificatio non hominis integri, sed lapsi & corrupri intelligenda est: secus Major neganda fuerit. Idem *argumentum* solet etiam in hunc modum formari. Quod ultimum est in Exsecutione, id primum est in intentione Dei. Illustratio gloriæ Dei per misericordiam in glorificatione Electorum, & per justitiam in damnatione reproborum est ultima in exsecutione ut est *Matt,*25.34.&.41. Ergò. *Resp.* per limitationem subjecti in minore: electorum, reproborum, scil. prius integrè creatorum, & postea lapsorum. Ordine enim ante creationem

Refutantur ejus argumenta: primum.

Secundum.

Tertium.

nulli eligi aut repudiari potuerunt; cum nulli esse potuerint: neque etiam ordine ante lapsum illustrari misericordia aut justitia; quia misericordia non est sine prævia miseria & lapsu, nec justitia sine prævio lapsu & peccato. *Obj.* Quomodo igitur dicitur primum intentione? *Resp.* non absolutè, quasi primum sit omnium decretorum ordine, etiam ante creationem & lapsum; sed 1. in genere decretorum, quæ sunt de salute hominis peccatoris. 11 respectu mediorum ei subordinatorum: *vide Rom.*1.v.28.29.30.

Quartum. In *Quarto* negatur sequela ob elenchum parium. Alia est electio Angelorum, quoad finem & media, alia hominum. De illâ testatur Scriptura, quod facta sit ex genere integro. De ista, quod facta sit ex lapso.

III. Homo conditus & lapsus. Peccatum hîc spectatur. Non ut causa.

TERTIA sententia est eorum, qui statuunt objectum Prædestinationis esse *hominem non modo conditum, sed etiam lapsum in peccatum, & pecato originali corruptum.* Hæc sententia considerat *peccatum* non ut causam impulsivam Prædestinationis, sed tantum ut qualitatem seu conditionem in objecto requisitam. *Causa non est*: quia cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem, non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret *Rom.*9.v.11. *Qualitas est*, quia eo vestitum quasi fuit objectum tanquam formâ accidentali: Et peccatum originale homini inest formâ qualitatis. *Conditio etiam* dicitur requisita ad prædestinationem, quia & finis & media tale objectum præexigebant. Sed *objiciunt*, ita implicari contradictionem. Nam si conditio requisita fuit in homine, ad hoc ut prædestinetur, etiam fuit causa, à quâ pendet hominis prædestinatio. *Resp.* negatur sequela. Multum enim differunt, *qualis* sit prædestinatus homo; & *quare* sive propter quid sit prædestinatus. *Illud* notat qualitatem & conditionem objecti; *hoc* causam impulsivam & finalem. Deinde requisita fuit conditio illa non ad hoc ut prædestinetur, sed ut talis prædestinetur: v. g, ut redimatur peccator, requiritur peccatum ut qualitas in redimendo, nec tamen illud causa est redemtionis: ita hîc; ut prædestinetur peccator, requiritur peccatum ut qualitas in homine prædestinando: nullatenus autem causa notatur, quia peccati hîc nulla causalitas, *Rom.* 9.v.11. sed terminus à quo in electione *Ioh.*15.v.19.

Sed ut qualitas.

& ut conditio requisita.

Confirmatur.

Confirmatur hæc sententia cùm dictis Scripturæ, tùm Rationibus.

Dicta

Dicta *sunt*. Dictis.

Joh. 15. v. 19. *Si ex mundo essetis, mundus quod suum est diligeret; quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Electi sunt ex mundo impiorum, qui oderunt Christum. Ergo ex genere humano lapso. Quin imò si maximè (quod aliquibus placet) de exsecutione, sive de electione quæ fit per vocationem, capiatur dictum Christi, stat tamen argumentum: Quia ex quâ massâ eligit in tempore, ex eâ eligere decrevit ab æterno. Joh. 15. v. 19.

Joh. 17. vers. 6. *Quos dedisti mihi selectos ex mundo.* Item vers. 14. *Illi non sunt ex mundo*: vid. separati ex eo per gratiam electionis. Joh. 17. vers. 6. 14.

Rom. 9. v. 22. *Volens ostendere iram suam & notam facere potentiam suam, pertulit multa cum ira cohibitione vasa iræ compacta ad interitum.* ubi I. *vasa iræ* dicuntur, quod digni irâ propter peccatum. II. *tolerata multâ lenitate*; scil. in peccando, absque omni resipiscentiâ *Rom.* 2. v. 3. 4. III. & in his vult Deus *ostendere iram suam*, id est, justitiam vindicatricem. Rom. 9. v. 27.

Ibid. vers. 23. *Vt notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam*: hîc dicuntur I. *vasa misericordiæ*, quæ Deus ex misericordiâ elegit: illa autem præsupponit miseriam. II. *præparata ad gloriam*, ut divitias gloriosæ misericordiæ notas faciat. Rom. 9 v. 22.

Ephes. 1. vers. 4. *Elegit nos in Christo ante jactum mundi fundamentum, ut simus sancti & inculpati in conspectu ejus.* Si *in Christo*. Ergò peccatores. Si *ut sancti essemus* sive fieremus. Ergo impuri eramus ante electionem. Eph. 1. v. 4.

Ephes. 2. vers. 3. *Eramus naturâ Filii iræ, sicut & cæteri.* Communis igitur massa fuit corrupta peccato: quam Deus discrevit prædestinando. Eph. 2. v. 2.

Rationes *sunt*. Rationibus

I. *à fine Prædestinationis*, tum quoad *hominem* prædestinatum, tum quoad *Deum* prædestinantem. *Illo*: Hominum peccatorum aliorum salus, aliorum damnatio est finis prædestinationis. Patet *Rom.* 9. v. 22. 23. & ex exsecutione *Matth.* 25. v. 34. & 41. At ille respicit genus Humanum lapsum. Ergò prædestinatio respicit 1. à Prædestinationis fine.

Genus Humanum lapſum. *Iſto:* Illuſtratio gloriæ Dei per demonſtrationem miſericordiæ in electis, & juſtitiæ in reprobis, eſt finis prædeſtinationis quoad Deum *Rom.* v. 9. 22. 23. At ille requirit conditionem peccati & lapſus: quia nec miſericordia exerceri poteſt ſine prævia miſeriâ; nec juſtitia ſine prævio peccato. Ergò prædeſtinatio requirit conditionem peccati & lapſus.

2. à Prædeſtinationis mediis.

II. *à Mediis Prædeſtinationis*, quoad Electionem & Reprobationem: *Illa*: Media Electionis ſunt Chriſtus, *Eph.* 1. v. 4. Vocatio, Juſtificatio, Sanctificatio *Rom.* 8. v. 29. 30. 1. *Cor.* 1. v. 30. Atqui hæc omnia præexigunt conditionem lapſus & peccati. Criſtus enim ſervator eſt à peccatis, *Matt.* 1. *verſ.* 21. vocatio eſt peccatorum, *Matt.* 9. *verſ.* 13. Juſtificatio remiſſio peccatorum. *Rom.* 4. *verſ.* 6. 7. Sanctificatio eſt expurgatio peccati 1. *Cor.* 6. v. 11. Ergò. *Iſta:* Media Reprobationis ſunt; Separatio à Chriſto Servatore, nulla vocatio aut vocatio inefficax, Retentio peccati, Excæcatio & induratio. Atqui hæc omnia ſimiliter præexigunt conditionem peccati & lapſus: ut notum eſt. Ergò.

Hæc ſententia eſt veriſſima & certiſſima, habens aperta & indubitata fundamenta in Scripturâ: eſt etiam tutiſſima & accommodatiſſima ad evertendas calumnias adverſariorum, & omnes cavillationes adverſus juſtitiam Dei diſſipandas.

Non inde ſequitur, Prædeſtinationem demum in tempore eſſe factam.

Contra eam *objiciuntur* ea, quæ pro primæ & ſecundæ ſententiæ defenſione allata ſunt, & à nobis confutata. Unum ſupereſt, quod ita habet. Si objectum Prædeſtinationis eſt genus humanum lapſum, ſequitur decretum Prædeſtinationis factum eſſe demum in tempore; poſt peccatum ſcil. admiſſum. Falſum eſt conſequens, quia pugnat cum naturâ decretorum Dei, quæ ſunt æterna *Eph.* 1, *verſ.* 4. Ergò. *Reſp.* Negatur conſequentia. Quia præſcientia lapſus non minus æterna fuit, quàm ipſa prædeſtinatio: & decretum de permittendo lapſu non minus æternum, quàm decretum prædeſtinationis. Id ſequitur, decretum Prædeſtinationis ordine poſterius eſſe decreto de permittendo lapſu; ſicut tempore poſterius eſt in exſecutione.

IV. Homo redemtus per Chriſtum, credens vel incredulus. Damnatur.

QUARTA Sententia eſt eorum, qui aſſerunt objectum Prædeſtinationis eſſe *hominem non tantum lapſum, & peccato corruptum, ſed etiam per Chriſtum redemtum á peccato, & vel credentem in ipſum vel incredulum.* Hæc ſententia eſt *Semipelagianorum*, tum veterum, qui *Maſſilienſes* dicti ſunt: tum novorum, quales ſunt hodierni *Lutherani*

rani, & Arminiani: adeoque omnes illi, qui fidem prævisam faciunt causam electionis. Sed incrustant sententiam suam, quatenus *ajunt*, se non facere fidem causam electionis, sed tantum conditionem præcedaneam, & aliquid prærequisitum ante electionem. *Sed* verba sunt: I. quia ajunt electionem inniti præscientiæ Dei de fide. Est igitur fundamentum ejus & causa. II. docent prævisionem fidei perinde antecedere Electionem, ut prævisio incredulitatis ordine antegreditur reprobationem. At hanc fatentur antegredi ut causam. Ergò. III. Argumenta quibus utuntur, idem demonstrant. Hoc autem quia alibi luculenter à nobis est confutatum, hîc non persequemur. Alterum, quod etiam conditio præcedanea, quæ ante electionem requiratur, esse non possit, sic demonstro. I. Effectum Electionis non est ejus prærequisitum. Fides est effectum Electionis. Ergo. *Major* patet; quia Effectum posterius est Electione, tanquam causa: Prærequisitum autem eo prius est, tanquam jam præexistens. *Minor* probatur dictis Scripturæ Act. 13. v. 48. *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Rom. 8. v. 30. *Quos prædestinavit, eos etiam vocavit,* id est, fide donavit. Tit. 1. vers. 1. *Fides electorum Dei.* II. Si fides præexistit in subjecto ante electionem, præexistit ab aliquâ causâ. Illa *aut* est gratia Dei, *aut* hominis arbitrium. At *non illa*: quia gratia Electionis secundum beneplacitum Dei est principium omnis gratiæ, quo non est prior alia *Ephes.* 1. *vers.* 4. & *seqq. Nec istud*: quia arbitrio humano derogatur *Eph.* 2. *vers.* 8. 9. Ergò non præexistit.

Faciunt fidem causam Electionis.

Fides non est conditio præcedanea electionis.

PROBLEMA DECIMUM SEXTUM.

An jus Dei aliud sit Absolutum, aliud ordinatum in Lege & Euangelio: Utrumque autem in Electione salvandorum, & Reprobatione damnandorum ipse usurpaverit?

J*Us Dei absolutum & ordinatum* ut diversa se habent, non tanquam opposita. Nam absolutum conditionato, ordinatum inordinato propriè opponitur. In Deo autem nihil est Conditionatum, id est, tale à quo ipse tanquam ab incertâ & externâ aliqua conditione

Ius Dei Absolutum & ordinatum sibi mutuò non opponuntur.

tione dependeat. Nihil etiam inordinatum; ut qui ipse ordo, ipsa τάξις est rerum omnium.

Ius Dei absolutum quid.

Dicitur *Ius Dei absolutum*, Dominium illud sive potestas, quam obtinet Deus in omnes suas creaturas, statuendi de illis pro arbitrio sine injustitiâ. Cujus geminum est *fundamentum*. *Vnum* est ὑπεροχὴ sive excellentia naturæ divinæ supra omnes creaturas: propter quam omnia gloriæ ipsius meritò serviunt *Eph.* 4. vers. 6. *Prov.* 16. *vers.* 4. *Alterum* est dependentia omnium creaturarum ab ipso, tum in essendo, tum in operando *Act.* 17. v. 24. *seqq.* *Rom.* 11. v. 36.

Ius Dei Ordinatum quid.

Ius autem *ordinatum* vocatur ordo ac ratio Justitiæ, quam Deus verbo legis & Euangelii nobis revelavit & declaravit: *Legis* quidem tum in promissione ejus; *Levit.* 18. v. 5. *Homo qui fecerit ea, scil* statuta, *vivet in eis*, tum etiam in comminatione; *Deut.* 27. *vers.* 26. *Maledictus, qui non præstiterit verba legis hujus, faciendo ea. Euangelii* similiter, ut est *Marc.* 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur* Quamobrem etiam hoc Jus in Legale & Euangelicum subdistingui potest, sicut duplex Justitia proponitur *Rom.* 10. & alibi. *Fundamentum* hujus Juris unicum est, nim: actualis Dei voluntas, nobis externo verbo patefacta: unde etiam Lex & Euangelium voluntas Dei vocantur *Ioh.* 6. v. 40. *Rom.* 12. *vers.* 2. Hæc de terminis Problematis.

Confirmatur.

Duplex hoc Jus meritò asseri à nobis, unico argumento ostendam. Cujus divisionis utrumque membrum traditur in Scripturâ, ea in Scripturâ fundata, eique consentanea est. Atqui hujus divisionis, quo jus Dei distinguitur in absolutum & ordinatum, utrumque membrum traditur in Scripturâ. Ergò. Membrum *posterius* Assumtionis extra controversiam ponimus; siquidem docet Scriptura Justitiam Legis & Euangelii *Rom.* 1. vers. 32. *cap.* 3. v. 21. 22. *cap.* 10. v. 5. 6. *Prius* apertis *locis* confirmatur *Rom.* 11. v. 33. *& seqq.* ubi absoluta Dei potestas adstruitur; & eadem Jucicium ipsius vocatur. *Matt.* 20. v. 14. 15. ubi voluntas & potestas absoluta inculcatur; quæ dicitur justitia *v.* 7. non autem injuria *vers.* 13. *Psal.* 36. v. 7. *Iustitia Dei instar montium maximorum: judicia ejus instar abyssi magnæ*: tale autem non est jus ordinatum: Ergo absolutum. Accedit *ratio* secundum Scripturam. Absolutus arbiter suorum actuum, & absolutus omnium creaturarum Dominus,

Ius Ordinatum.

Ius Absolutum. dictis.

Ratione.

nus, jus habet absolutum. Deus est absolutus arbiter suorum actuum, qui nulli tenetur reddere rationem *Matt.* 20. *vers.* 13. 14. absolutus item Dominus, majore potestate instructus, quàm figulus in lutum *Esa.* 45. v. 9. 10. *Rom.* 8. v. 20. 21. Ergò.

Unum contra *objicitur*: Justum est, quod est Legi conforme. Jus Dei absolutum non est Legi conforme; Secus ordinatum foret, non absolutum. Ergò. *Resp. Major* est particularis, tantùm vera de Justitiâ Legali: Falsa est tum de Justitiâ Euangelicâ, quæ absque lege dicitur facta esse manifesta *Rom.* 3. v. 21. 22. tum de Jure Dei absoluto, quod ex potestatis divinæ plenitudine exercet. *Ratio* hæc est; quod regula Justitiæ divinæ adæquata non est sola Lex Dei: sed partim natura Dei, in rebus Deo naturalibus; partim ejusdem voluntas in externis: quæ tum ex lege, tum ex Euangelio, tum etiam ex eventis colligitur atque cognoscitur. Justitia Euangelii, & jus absolutum non quidem sunt contra legem; nec enim Deus est sibi contrarius: sunt verò præter aut supra Legem; ut est *Rom.* 3. v. 21. 22.

Objectio refellitur.

Regula justitiæ quæ.

Hactenus de *primo* membro problematis, quod detur geminum Dei jus, Absolutum & Ordinatum. Jam *Alterum* videndum, *An utrumque Ius non solum possit exercere, sed actu usurpet & exerceat in Prædestinationis negotio?* Id nos gravissimis inducti argumentis asseveramus & confirmamus. Sunt autem argumenta illa duplicis generis, dicta Scripturæ & Rationes.

Vtrumque Ius Dei absol: & ordin: concurrit in negotio Prædestinationis. Confirmatur

Dicta *sunt*.

Dictis:

Rom. 9. 11. *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem, non ex operibus sed ex vocante firmum maneret.* Hîc propositum exclusâ prævisione boni vel mali. vers. 15. 16. 18. *Miserebor cujus misertus fuero, & commiserabor quem commiseratus fuero. Nempè igitur non est ejus qui velit, neque ejus qui currat, sed ejus qui miseretur, Dei. Itaque cujus vult miseretur, quem vult indurat.* Hîc sola voluntas. vers. 21. *Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eâdem massâ faciat aliud quidem vas ad decus aliud ad dedecus.* Hîc potestas tanta, quanta figuli in lutum. Hæc omnia Jus *absolutum* docent apertissimè. Contra Jus *ordinatum* asseritur vers. 22. *volens ostendere iram; & notam facere*

Rom. 9. v. 11. 15. 16. 18. 21. 22.

poten-

potentiam suam, pertulit multâ lenitate vasa iræ, compacta ad interitum.

Matt. 11. v. 25. coll. cum Rom. 1. v. 24. 25. 28. & 2. Thess. 2. v. 11. 12.

Matt. 11. v. 25. 26. *Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cœli & terræ, quod hæc occultaveris à sapientibus & intelligentibus, & ea retexeris infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Hîc induratio & illuminatio Juri *absoluto* tribuuntur: quæ *ordinato* adscribuntur Rom. 1. v. 24. 25. *Ea propter tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipsorum ad impuritatem, ut fœdarent corpora sua inter se: ut qui veritatem Dei transmutarint in falsitatē, & coluerint res conditas, & servierint eis præterito conditore, qui est benedictus in secula.* & v. 28. *Sicut non visum est eis Deum in notitia retinere: ita tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem, ut facerent quæ minimè conveniunt.* 2. Thes. 2. v. 11. 12. *Mittet eis Deus efficaciā erroris, ut credant mendacio, ut damnentur omnes, qui non crediderint veritati, sed acquieverint in injustitiâ.*

Prov. 16. v. 4. coll. cum Rom. 1. v. 32.

Prov. 16. v. 4. *Omnia fecit Deus propter se ipsum, etiamque improbum ad diem mali.* Jus Dei *absolutum* asseritur in damnatione impiorum: & rursum *ordinatum* Rom. 1. v. 32. *Hoc est jus Dei, eos qui talia faciunt, dignos esse morte.*

Rationibus.

Rationes sunt.

I. ab actibus formalibus Prædestinationis.

I. *ab actibus formalibus Prædestinationis.* Ubi utriusque Juris actus deprehenduntur, ibi utrumque Jus actu concurrit & exercetur. In Prædestinatione, quoad Electionem & Reprobationem, utriusque Juris actus deprehenduntur. Ergò. *Minor* probatur: In *Electione* Juris *Absoluti* est, quod pro beneplacito suo I. peccatores eligit, destinat, ad gratiam & gloriam. II. hunc præ illo. *Ordinati* est. I. quod non absque satisfactione Christi peccatores salvos facit, *Rom.* 3. v. 25. II. quod fidem & opera gratiosè secundum promissionem suam compensat 2. *Thess.* 1. v. 5. 6. 7. In *Reprobatione* etjam Juris *Absoluti* est, quod hos præ illis præterit gratiâ suâ, hos præ illis destinat damnationi: licet utrique sint peccatores: atque ita destinat mero beneplacito absque prævisione peccati. Juris *Ordinati* est, quod neminem damnat nisi propter peccatum *Rom.* 1. v. 32.

In Electione quid Absoluti. Quid Ordinati juris sit.

In Reprobatione quid Absoluti.

Quid Ordinati juris sit.

II. à pari Providentiæ.

II. *à pari vel à toto.* In actibus Providentiæ concurrit & conjungitur utrumque Dei jus. Ergo non minus in actibus Prædestinationis: est enim par utrubique ratio; & prædestinatio pars est providentiæ. *Antecedens* demonstratur inductione exemplorum: In *mutatione Imperiorum*, quæ placito Dei adscribitur, *Ier.* 27. v. 5. 6. 7.

6. 7. *Dan*. 4. v. 17. 25. & Justitiæ, quia propter injustitiam trasfert regna *Amos*. 9. v. 8. In *morbis corporis*, qui eidem placito tribuuntur, *Exod*. 4. v. 11. *Ioh*. 9. v. 3. & Justitiæ, *Ioh*. 5. v. 14. & alibi. In *morte*, aliisque malis, quæ ad utrumque revocantur, *Ezech*. 18. v. 4.

III. *à fine*. Qui in eodem opere Prædestinationis agnosci vult non solum justus judex, sed etiam αὐτοκράτωρ & absolutæ potestatis Dominus, is utrumque jus exercet. Atqui Deus in prædestinatione talis agnosci vult. Ergò. *Major* patet; *Minor* probatur: ut judex justus, 2. *Tim*. 4. v. 8. 2. *Thess*. 1. v. 6. 7. 8. ut αὐτοκράτωρ *Rom*. 9. v. 17. & 21. *Prov*. 16. v. 4. III. à fine.

IV. Ab *effectis*; agnitione utriusque juris in piis. Pii in operibus Providentiæ & Prædestinationis præter jus Dei ordinatum agnoverunt & celebrarunt absolutum, & in eo humili obsequio acquieverunt. Ergò utrumque concurrit & actu simul exercet Deus. *Antecedens* probatur inductione exemplorum, qualia sunt: Iobi, cap. 1. v. 21. *Iehova dedit, Iehova recepit, sit nomen Iehovæ benedictum*. cap. 2. 10. *Bonum accepimus à Deo, & malum non acciperemus?* Eli, 1. Sam. 3. 18. *Iehova est quod bonum videtur in oculis suis faciat*. Davidis, 2. Sam. 15. 25. 26. *Si invenero gratiam in oculis Iehovæ, utique reducet me & faciet ut revisam se & habitaculum suum: Quod si ita dixerit, non delector te: ecce me, faciat mihi prout bonum videtur in oculis suis*. Hiskiæ 2. Reg. 20. 19. *Bonum est verbum Iehovæ, quod locutus es*. IV ab effectis.

V. Si in eodem opere non concurrit, nec potest concurrere utrumque Dei jus, oportet ut sint inter se contraria; Nec enim alia causa dari potest. At non hoc; quia nulla Dei attributa sunt sibi contraria. Ergò. Hæc de altero quoque. V. q. non sunt contraria.

Vsus hujus problematis est. I. ut intelligatur nullam esse pugnam inter nostros Doctores, cum alij Prædestinationem ad merum Dei arbitrium referunt; ut *Lutherus, Bucerus, Calvinus, Martyr, Zanchius*: alij respectum peccati intervenisse docent, ut *Admonitio Neostadiana*, & alii. Quia *illi* de jure absoluto, *isti* de ordinato loquuntur. *Calvinus* tamen conjungit utrumque jus, maximè in *comment*. ad *Rom*. 8. 9. *capp*. II. Etsi uterque modus est verissimus, tamen alter est magis popularis, & præcidendis ac retundendis cavillis accommodatior. Si enim reprobi propter sua peccata addicti sunt morti, utique nec Deus injustus est aut crudelis; nec habent, quod conquerantur. Conciliatio Doctorum. Quæ sententia tutior.

PROBLEMA DECIMUM SEPTIMUM.

Num Præſcientia Dei ſit rerum cauſa?

Præſcientia quid.

PRæſcientia eſt notitia rei futuræ: ſive cognitio rei antequam ſit vel fiat. Græcè προείδησις, ſicut David dicitur προϊδὼν *præſcius*, locutus de Chriſto *Act.* 2. v. 31. Eſt etiam πρόγνωσις, voce propriè acceptâ, non pro more Hebræorum; quomodo uſurpat eam Scriptura *Act.* 2. v. 23. *Rom.* 8. v. 29. 1. *Pet.* 1. v. 2.

Rectè Deo tribuitur.

Eam Deo meritò vendicamus. *Nota enim ſunt ei ab omni ævo omnia opera ipſius* Act. 15. v. 18. *Nec eſt ulla res creata non manifeſta in conſpectu ipſius; imo omnia ſunt nuda & intimè patentia oculis ipſius* Heb. 4. v. 13. *Ipſe in extremitates terræ intuetur, ſub omnibus cœlis videt* Job. 28. v. 24. Cumque ſcientia Dei ſit perfectiſſima & infinita, quâ novit omnia ſcibilia, quæ fuerunt, ſunt, aut eſſe poſſunt; etiam futura præcognovit. Secus ea prædicere nunquam potuiſſet: & ſcientia ipſius pateretur acceſſionem, ipſeque aliquid in tempore ſcire inciperet quod antea ignorâſſet.

Et quatenus.

Notandum verò præſcientiam vocari, non tam ratione ipſius Dei; cui ſcientia potius convenit quam præſcientia, cum omnia ſemper ipſi ſint præſentia: ſed ratione ipſarum rerum ſive objectorum, quæ ſuo tempore futura ſunt, adeoque differentiis temporum ſecundum præſens, præteritum, & futurum ſubjacent.

Diſtinguitur in Indefinitam &

Diſtingui poteſt hæc Dei præſcientia bifariam.

Primò: in Indefinitam & Definitam. *Illa* eſt rerum univerſarum & ſingularum quæ fieri poſſunt perfectiſſima in Deo ſcientia. Quia cum Deus ſeipſum perfectè cognoſcat, etiam perfectè cognoſcit virtutem ſuam, & ad quæ virtus illa ſe extendat: id eſt, cognoſcit quid poſſit efficere ſuâ potentiâ, quid non. Igitur objectum ejus ſunt τὰ δυνατὰ quæ fieri poſſunt, etiamſi nunquam fiant, aut futura ſint. Exemplum *Matth.* 3. v. 9. de liberis Abrahæ ex lapidibus excitandis. *cap.* 26. v. 53. de duodecim legionibus Angelorum. Ideò etiam *indefinita* vocatur, quod nihil de iis in alteram partem ſit definitum: itemque *ſimplicis intelligentiæ*, quia eſt nuda notitia poſſibilium.

Definitam.

Iſta eſt rerum futurarum certa & infallibilis ſcientia: ut eſt *Act.* 15. v. 18. Et *definita* vocatur, quia res futuræ prædefinitæ ſunt conſilio & decreto Dei. Dicitur etiam *ſcientia viſionis,*

sionis, & *intuitiva Dei notitia*; quia Deus res omnes tanquam præsentes intuetur, ac cognoscit penitissimè *Heb*. 4. v. 13. *Differt à priore* bifariam: *Objecto*; quod *illic* res omnes possibiles, *hîc* futuræ tantum: & *Ordine*, quia *illa* præcedit decretum, *hæc* sequitur, & ejus quasi effectum est.

Secundò: in Theoricam & Practicam. *Illa* est nuda notitia rerum futurarum, quæ in solâ earundem contemplatione posita est. De hâc propriè accipienda dicta *Heb*. 4.v.13. *Act*.15.v.18. *Ista* est notitia rerum futurarum cum voluntate conjuncta, quâ Deus eas producere statuit: & sic dicitur per metonymiam efficientis. quo significatu ex idiotismo Hebræorum πρόγνωσις usurpatur *Act*. 2. v. 23. & *Rom*. 8. v. 28. 29. *inter se collatis*. Hæc de Præscientiæ vocabulo, tanquam subjecto quæstionis. Theoricam & Practicam.

Prædicatum est *causa*: quæ vox non eodem semper modo sumitur. Nam aut *generatim* pro argumento quovis & ratione consequentiæ accipitur, undè *causa consequentiæ* dicitur: aut *speciatim* pro argumento essentiali, cujus vi res est, & *causa essendi ac consequentis* nominatur: aut denique *impropriè & metaphoricè* pro antecedente & adjuncto necessario, quod sit instar causæ, usurpatur, diciturque etiam *causa sine quâ non*. Quæ distinctio *Ciceronis* est in *Topicis ad Trebatium*, & *lib. de Fato*. Vox *Causa* quomodo sumatur. 1. 2. 3.

Hâc ἐνθέσει terminorum præmissâ distinctè respondemus.

Primò: Præscientia Dei indefinita, vel etiam definita sed theorica, non est causa rerum secundo significatu. *Ratio prioris est*: quia indefinitè præscit Deus innumera, quæ nunquam futura sunt: quorum exempla supra fuerunt allegata. *Ratio posterioris*: I. quia Præscientia est principium dirigens, non imperans, aut exsequens; ut sunt voluntas & potentia. II. quia Deus definitè præscit omnia scelera quæ fiunt, quorum tamen causa dici absque summo scelere non potest. Causa essendi non est præscientia indefinita. Theorica.

Secundò: Præscientia Dei definita sed theorica, dici potest causa rerum primo significatu: Indefinita verò tertio. *Ratio illius* est: quia ex eâ rerum consequentia rectè concluditur: nimirum quia præscientia ipsa est infallibilis; Et prædictiones divinas sequitur eventus. *Ratio istius* est: quia est antecedens necessarium, cum præscientia possibilium indefinitè includat præscientiam futurorum. Causæ consequentiæ est præscientia theorica. Causa sine quâ non Indefinita.

Tertiò: Præscientia Dei definita sed practica est causa rerum etiam secundo & proprio significatu: *Ratio*: quia includit Dei vo- Causa essendi seu consequentis est præscientia practica.

luntatem, quæ est causa rerum; sicut dicitur Psal. 115. v. 3. *Deus noster in cœlis est, quicquid voluit fecit.* Eph. 1. v. 11. *agit omnia ex consilio voluntatis suæ.* Loquitur autem hîc de bonis; quorum Efficientia Deo propria est. Malorum alia ratio; quæ Deus non facit, sed fieri sinit.

Hinc jam duo alia quæsita facilè dissolvuntur.

Primum; *An præscientia Dei necessitatem rebus imponat? Resp.*

Necessitas quam rebus imponit Præscientia qualis?

Præscientia *indefinita nullam* imponit necessitatem rebus. Est enim possibilium, quæ possunt esse vel non esse; fieri vel non fieri. Præscientia *definita* imponit rebus *necessitatem*, sed quam *consequentiæ* vocant. Est enim illa planè infallibilis: adeoque eventus necessarius *Matth.* 18. v. 7. *cap.* 26. v. 24. Præscientia *definita sed practica*, imponit rebus *necessitatem consequentis & consequentiæ*. *Illam* quoad voluntatem conjunctam cum scientiâ: est enim immutabile Dei decretum, unde necessitas immutabilitatis; sed in bonis, quæ efficit. *Istam* quoad præscientiam in se; ut ante dictum.

Secundum. *An necessitas rerum ex præscientiâ non tollat earundem contingentiam?*

Necessitas rerum ex Præscientia non tollit Contingentiam earundem.

Resp. Negatur. *Ratio*; quia præscit ea ut necessaria & contingentia diverso respectu: ut *Necessaria*, respectu sui; cujus nec decretum mutari, nec præscientia falli potest; ut *Contingentia*; respectu causarum secundarum, à quibus proximè vel immediatè dependent. Novit enim ea producenda esse à talibus causis, quæ ad plura, eaque contraria, sunt indefinitæ. Exemplum à fracturâ ossium Christi impedita *Ioh.* 19. v. 33. 36. Vel, *Præscit Deus facta contingentia* trifariam. I. *in se ipso*, ut primâ causâ: & sic necessaria sunt propter immutabilitatem decreti, & infallibilitatem præscientiæ. II. *in causis secundis*, quæ sunt per se indefinitæ; & ita sunt contingentia. III. *in ipsismet factis contingentibus*, & sic iterum necessaria sunt necessitate facti, & prædicationis. Nam unumquodque quod est, eo ipso quod est, necessarium est.

Contingentia quomodo præsciat Deus.

PRO-

PROBLEMA DECIMUM OCTAVUM

Vtrum Deus mundum creaverit ex nihilo?

MEmbra Problematis duo sunt: Unum: *An Deus mundum crearit ex nihilo?* Alterum: *An Mundum totum, & secundum omnes partes ita crearit?* De utroque distinctè dicemus.

De priore.

Phrasis *Mundum ex nihilo esse creatum*, non est Scripturæ, sed scholarum Theologicarum: iis opposita, qui vel *æternitatem mundi propugnarunt*; ut Aristoteles & Peripatetici: vel *eum ex materiâ quadam productum asseruerunt*; ut Anaximander, Anaximenes, Democritus, Anaxagoras, atque alii Philosophi, inter se tamen opinionibus diversi: ut *Laërtius* memorat. Rectè autem intelligenda est, idque ex distinctione particulæ *Ex*, quæ trifariam sumitur. I. ut *nota efficientis* Rom. 11. v. 36. *Ex eo sunt omnia:* ita est *a* vel *ab*. Atque hoc modo hîc non accipitur: quia sic à nullo creatus esset, sed casu, aut à seipso exstitisset. II. *nota Materiæ*, ut cum Adam dicitur formatus ex limo *terræ* Gen. 2. v. 7. Nec hoc sensu usurpatur: quia sic productus esset *ex nihilo*, id est, ex re nihili & levi, cum tamen nihil extra Deum fuerit, ante creationem. III. est nota sive signum *termini & ordinis*, & ordinem quendam notat inter nihil & rem: non quidem secundum rem, sed secundum nostrum intelligendi & loquendi modum, quo ipsum Nihil, ut terminum aliquem concipimus. Ita dicitur, *quicquid fit è contrariis fit*, non ut è materiâ; hoc enim fieri nequit, quia sic contraria contrariis inessent; sed velut è termino; eoque potius post contrarium, quam è contrario. Atque hoc modo dicitur Mundus esse *ex nihilo*, id est, post nihilum; cum nihil ante fuisset; nullo præsupposito, aut præexistente. Et vox *Nihil* accipitur non privativè, ut neget aliquid de certo subjecto; sed negativè & infinitè, ut omne subjectum neget.

An Mundus ex nihilo fuerit conditus? Aff.

Ex quomodo accipiatur.

Nihil quomodo sumatur.

Hoc sensu probamus *Mundum ex nihilo esse creatum*. I. Ex *locis Scripturæ*. Heb. 11. 3. *Per fidē intelligimus compactum fuisse mundum verbo Dei, ut quæ cernimus non sint ex apparentib⁹ facta:* μὴ ἐκ φαινομένων, hoc est, ex non apparentibus, sive ex nihilo; quia non entis nulla sunt accidentia. Rom. 4. v. 17. *Deus vocat quæ non sunt tanquam sint.*

Mundum ex nihilo creatum pobatur.

Illa autem, quæ non sunt, rectè dicuntur nihil. Sic 2. *Maccab.* 7. vers. 28. II. Ex *Historia creationis*: ubi rerum factarum origo describitur, non ex materiâ aliquâ præexistente, sed ex nihilo. Ergò mundus ex nihilo est conditus. III. à *Pari*: ut è tenebris lux, ita mundus ex nihilo productus est. At è tenebris lux producta est, non tanquam ex materiâ, sed ut à termino 2. *Cor.* 4. v. 6. Ergò.

Ex nihilo nihil fieri, verum est de naturâ conditâ, non de condendâ.

Contra *objicitur*. *Primò*: Ex nihilo nihil fit: inquiunt Plato & Aristoteles. Mundus est factus, Ergò non ex nihilo. *Resp.* *Major* est particularis; tantum vera de naturâ jam conditâ & sic ordinatâ à Deo, ut ex aliquo aliquid, ex nihilo nihil fiat à creaturis: Falsa autem est de ipsius naturæ productione à causâ primâ. Vulgò dicitur: Ex nihilo nihil fit physicâ generatione. Quod verum quidem, sed nimis angustum est: quia in artificialibus quoque idem valet. *Secundò*: omnis mutatio est ex aliquo subjecto. Motus enim, ut docet Aristoteles, est actus entis in potentiâ, quatenus hujusmodi. Atqui creatio est mutatio: Fieri namque est mutari; creari autem est aliquid fieri. Ergò creatio fit ex aliquo subjecto, & non ex nihilo. *Resp.* *Minor* propositio una cum *probatione* falsa est.

Creatio non est mutatio propriè.

Creatio enim propriè loquendo non est mutatio, nisi secundum modum intelligendi nostrum: sed fit sine motu & mutatione, quia fit sine alteratione, quâ potentia materiæ in actum deducitur: fit etiam in instanti.

De Posteriore.

An mundus totus secundum omnes partes ex nihilo conditus fuerit? Neg. Creaturæ conditæ Ex nihilo quænam.

Negamus quod Mundum totum omnesque ejus partes ex nihilo crearit; sed quasdam tantùm, quasdam non.

Ex nihilo creavit I. Cœlum supremum in quo Deus & beati habitant. Probatur quia nec ex terrâ, nec ex aqua productum, *Gen.* 1. v. 1. II. Massam rudem & informem, terream & aqueam. Hæc enim ex nihilo exstitit, solo verbo Dei producta *Gen.* 1. *vers.* 2. III. Primævam Lucem, quam ex tenebris jussit splendescere 2. *Cor.* 4. *vers.* 6. IV. Angelos, & Animas hominum; quæ Spiritus dicuntur, & immateriales sunt. Probatur de anima Adami, *Gen.* 2. v. 7.

Ex materiâ quænam.

Ex materiâ creavit I. Expansum, id est, Cœlum aëreum & æthereum cum nubibus ex aquis; quia illud per aquæ expansionem & rarefactionem factum dicitur: istæ autem aquæ appellantur *Psal.*

Psalm. 104. 4. 3. II. Solem, Lunam, & Stellas ex luce primâ. Nam Lux illa aut redacta est in nihilum, aut adhuc superest. Non prius; quia id pugnat cum Dei sapientiâ, qui certo fine omnia condidit, & nihil eorum quæ condidit abolevisse legitur. Ergò posterius: & sic aut talis superest, qualis primo die condita: aut in Solem & reliqua luminaria est distributa. Non illud; nam ubi nunc est, aut apparet? aut quis ejus usus? Ergo istud. III. Herbas, frutices, & plantas è terrâ. Probatur. 1. ex *Genes.* 1. v. 11. *Herbascat*, id est producat *terra herbulas, herbas sementantes, semen, arbores fructiferas.* II. Quia naturæ terreæ. Materiatum autem refert naturam suæ materiæ. III. Quia vi illius mandati etiamnum producit plantas. Ergo & tum eas produxit. IV. Animantia, Pisces & Aves, ac corpus Hominis. Pisces sunt ex aquis *Genes.* 1. v. 20. Quod natura ipsorum docet. Aves ex terrâ, ut expresse docetur *Genes.* 2. v. 19. Sed sunt, qui hoc de loco originali, quàm materiâ accipere malint: Quod. 1. verba non patiuntur. II. idem etiam de corpore hominis dici posset, quod repugnat *Genes.* 2. *vers.* 7. V. Denique Vir ex limo terræ, & Mulier ex Costâ viri condita est *Genes.* 2. *vers.* 7. & 21. 22.

Ex hâc partium mundi distinctione manat distinctio Creationis in *Immediatam* & *Mediatam*: quarum *illa* est productio rei ex nihilo: *ista* ex materiâ præexistente & indispositâ. Quam *probamus*, quia Moses *Genes.* 1. & 2. *capp.* utroque significatu verbum *creandi* usurpat. Potest etiam *posterior* dici esse *ex nihilo*, sed secundum quid: I. quia materia est rudis & indisposita; adeoque materialiter inhabilis ad recipiendam talem formam, ut limus terræ, costa viri. Illa autem pro nihilo ferè haberi potest. II. quia forma ex nihilo à Deo producitur; quæ dat esse rei.

Creatio est Immediata vel Mediata.

Mediata ex nihilo & quatenus.

PROBLEMA DECIMUM NONUM.

An Materia Prima sit creata à Deo?

SIcut de *Materiâ Primâ* non idem omnes sentiunt, ita nec de *Creatione* ejus. Et triplex ferè sententia obtinet inter Theologos.

De Materiæ Primæ creatione sententia triplex.

Prima

Prima eorum, qui Materiam primam nihil aliud esse statuunt, quàm illud Nihil, ex quo omnia sunt creata. Et his creata non est.

Secunda eorum, qui ajunt Materiam primam esse substantiam distinctam ab omni formâ, cui nihil inest formæ propriæ, & ex quâ omnia corpora physica naturalia generantur: & sic nec creatam, nec increatam, sed concreatam dicendam.

Tertia eorum, qui Materiam primam nihil aliud esse volunt, quàm rudem illam & indigestam molem, primo die conditam. De singulis seorsim & distinctè.

De Primâ.

I. Materia Prima est Nihil.

Hujus *Rationes* sunt. I. Omnia dicuntur creata ex nihilo. Ergò nihil est Materia prima omnium, & est materia increata. II. Ens rationis est nihil. Materia prima est ens rationis: quia materia prima vulgo dicitur informis, quantitatis & qualitatis expers, ens δυνάμει solum, non actu. Ergò.

Rejicitur. 1. Quia negat Materiam primam, quæ necessaria.

Hanc sententiam meritò *improbamus*. I. Quia Materiam primam revera negat, quæ tamen necessariò admittenda est. 1. Quia Deus plerasque creaturas ex materiâ illâ produxit. *Gen.* 1. & 2. *capp.* II. Quia in nullo genere caussarum datur progressus in infinitum, sed necessariò tandem deveniendum est ad primam aliquam caussam, quam alia nulla in eodem genere antecedat. III. Si non datur materia prima, nec dabitur secunda, quæ non potest esse absque primâ; & omnia non solùm in primâ creatione, sed etiam nunc producuntur ex nihilo. Ubi enim nulla datur materia, nec prima, nec secunda, ibi omnia ex nihilo fieri necesse est. Sed hoc pugnat cum Scripturâ, ratione, & experientiâ universali. Ergò & illud. II. Substantia corporea non est nihilum: Materia prima est substantia corporea: Ergò *Substantia* est: quia ei competit definitio substantiæ. Est enim ens per se subsistens, non indigens subjecto inhærentiæ ad sui existentiam. *Corporea* item: quia trinâ dimensione constat, & est principium materiale corporum naturalium.

2. Quia Mat: prima est substantia corporea.

Refelluntur ejus rationes.

Rationes contrariæ facilè dissolvuntur: *Prima* inconsequens est: quia dicuntur omnia creata ex nihilo, non tanquam ex materia sed ordinis ac termini respectu: ut supra docuimus. *Secunda* minore est falsa. Est ens maximè reale: *Informis* verò dicitur

tur, non quod omni formâ careat, sed quod formâ eleganti destituatur, sit rudis; *Expers quantitatis & qualitatis* non in se, sed abstractivè & mentis nostræ operatione; *Ens in potentiâ* non simpliciter, sed secundum quid, quatenus non est actu id, quod inde producitur, sed potentiâ, tanquam subjectum πανδεχές, omnium formarum capax, ad nullas speciatim determinatum.

De Secundâ.

II. Materia Prima est substantia omnis formæ expers & concreata.

Ea est sententia *Aristotelis*, & eorum qui Aristotelem sequuntur, etiam ex Theologis. Ideo *Materia prima Aristotelica* vocatur.

Ratio prioris est: quia est principium simplex contradistinctum formæ. *Posterioris*: quia non per se subsistit, sed in composito, tanquam essentialis ejus pars. Partes autem essentiales. Deus creavit in totis, non extra ea: sicque materiam primam concreavit potius, quàm creavit.

Rejicitur.

Responsio. Hæc theoria Materiæ primæ potius est ab operatione mentis, quàm à veritate existentiæ. Abstractivè sic consideratur, non autem est vel existit talis. Sed de principiis rerum pronunciandum prout sunt, non prout considerari possunt; idque non ex Aristotele, qui creationem ignoravit, & mundum æternum statuit; Sed ex Mose, qui rerum omnium geneses & origines plenè & verè descripsit. Secundum hujus narrationem utraque *Ratio* falsa est; *Prima*: quia non fuit massa simplex, sed composita ex aquâ & terrâ; nec expers omnis formæ, sed elegantioris quæ post accessit. *Secunda*: quia per se subsistit, ut substantia prima, conservata virtute Spiritus Sancti. Nec perpetuum partes essentiales in totis creari, non seorsim. Corpus enim hominis formatum, priusquam anima ipsi infunderetur.

De Tertiâ.

III. Materia prima est rudis moles primo die condita.

Probatur.

Tertia sententia est plurimorum Theologorum calculis approbata, & tum simplicior, tum verbo Dei maximè consentanea. Eam igitur *probamus*.

1. q. eâ non datur prior.

I. Materia prima est, quâ non datur alia prior. Mole illâ rudi & indigestâ non datur alia prior; quia ex nihilo creata est *Gen.* 1. v. 2. Ergò.

2. q. ex ea corpora primum producta sunt, & in eam ultimò resolvuntur.

II. Materia prima est, ex quâ corpora reliqua primò producta sunt, & in quam ultimò resolvuntur. Atqui ex mole illâ primò producta sunt, ut constat ex *Genes*. 1. ultimò etiam in eam resolvuntur; ut vel corporis humani exemplo constat. Ergò.

3. q. est informis.

III. Materia prima est informis, ad formas speciales indeterminata, & omnium successivè capax. Talis est illa moles, ut constat ex *Genes*. 1. *cap*. Ergò. Alias rationes omitto, quæ idem evincunt.

Vindicatur ab objectionibus.

Sunt autem *Objectiones* quædam, quæ afferuntur in contrarium, tum Philosophicæ, tum Theologicæ, quas paucis considerabimus.

Philosophicis.

Philosophicæ.

1. q. Moles illa fuerit substantia composita.

I. Materia prima non est composita ex principiis essentialibus, sed simplex, â substantiâ compositâ distincta: Imo principium est substantiæ compositæ. Moles illa fuit composita substantia, ex principiis essentialibus, formâ nimirum & materiâ composita. Ergò. *Resp. Major* vera est de materiâ primâ Aristotelicâ. Nos autem materiam primam non ex Aristotele, sed ex verbo æstimamus. Deinde moles illa fuit composita, & sic dicitur respectu principiorum componentium: Simplex tamen respectu aliorum, quæ ex eâ formata sunt: Quia moli informi nova forma inducta: quod confirmant exempla omnium eorum, quæ illa mole producta fuerunt *Gen*. 1. & .2. *capp*.

2. q. habuerit actu determinatam quantitatem & qualitatem.

II. Materia prima non habet actu determinatam quantitatem & qualitatem. Moles illa prima habuit actu determinatam quantitatem & qualitatem. Ergò. *Resp*. eadem est cum priore. *Major* de Aristotelicâ & imaginariâ, *Minor* de Mosaicâ & verâ materiâ loquitur.

3. q. non inde primò generentur, & in eam ultimò resolvantur omnia.

III. Materia prima est ejusmodi subjectum, ex quo primo omnia generantur, & in quod tanquam ultimum omnia corrumpuntur. Atqui rudis illa & indigesta moles non fuit ejusmodi Subjectum. Ergò. *Resp. Minor* falsa est. Contrarium supra ostendimus ad rationem secundam, & claret ex Mose *Gen*. 1. *cap*.

Theologicis.

1. q rudis illa moles, non fuisset quid distinctum, qualia.

Theologicæ.

I. Deus cœlum & terram initio distinctè creavit, quod docet Moses *Gen*. 1. v. 1. ubi utitur articulis demonstrativis & emphaticis,

ticis, *hoc cœlum* inquiens, *& hanc terram*: deducens nos in rem præsentem & distinctam, non autem confusam. Ergò non rudem & indigestam molem creavit, tanquam primam materiam. *Resp.* Falsum est *Antecedens*, & contra textum *vers.* 2. *& seqq.* qui docent cœlum & terram distincta esse die secundo & tertio; ante igitur erant confusa. *Probatio* nulla est. I. non est verum universaliter particulas demonstrativas certi aliquid & distinctè notare: ut patet vel *ex v.* 2. הארץ: ubi articulus minimè notat rem distinctam & excultam, sed rudem & confusam: ut res loquitur. II. articulus demonstrativus etiam cum nostrâ sententiâ convenit: quia hæc ipsa terra, & hoc ipsum cœlum, quod nunc videmus & calcamus, est materialiter illud ipsum, quod primo die fuit conditum: sed jam sub exquisitiore forma apparet.

Deus initio creavit.

II. Deus creator est Deus ordinis, non confusionis, qui initio res inter se congerat & commisceat in unam massam; post verò demum ex illâ massâ creandas res digerat, & ordine disponat. Ergò nec massam rudem & indigestam condidit. *Resp.* Negatur consequentia. Imò Deus eo ipso se ordinis Deum esse demonstravit. Ordo enim hic est, ut fiat progressus à non esse ad esse, ab imperfecto ad perfectum. Quem observavit Deus in creatione, dum à creaturis corporeis imperfectis ad perfectas progressus, tandem substitit in perfectissimâ, homine videlicet: quemadmodum figulus successivè efformat opus suum, & paulatim illud perficit, quo cum comparatur Deus *Esa.* 45. v. 9. *Rom.* 9. v. 21. Ita in actione Dei nulla fuit confusio, sed imperfectio tantum in opere; quod Deus unâ die conficere noluit. Falsum etiam ponitur in antecedente, quod Deus res, quasi ante & suâ naturâ distinctas, confuderit. Antè non fuerunt; & massam illam creavit Deus in materiam rerum futurarum.

2. q. Deus ordinis non confusionis sit autor.

III. Creatio est prima & ordinatissima Dei actio: ut liquet ex voce ברא. Prima autem actio est ordinis non confusionis: quod enim primum est, id maximè ordinatum est. *Resp.* Dari potest totum. Nec enim creationem confusam dicimus: sed opus aliquod creationis rude, indigestum, imperfectum: quod Moses dicit *Genes.* 1. v. 2. Nim. quia opera creationis intra sex demum dies perfecta sunt. Interim duo hîc notanda: 1. verbum ברא nihil

3. q. Creatio sit prima & ordinatissima Dei actio.

notare, nisi *creavit*, sive sit excultum prorsus, sive rude adhuc & excolendum. Nam & terra dicitur creata antequam haberet ornamenta germinum & herbarum. II. Omne primum est maximè ordinatum: scil. intellectum de Efficiente & Fine: De Materiâ primâ falsum est, etiam secundum Aristotelem: quæ debet esse rudis, indeterminata, respectu formæ & compositorum. Secus natura materiæ periret.

4. q. confusio istius molis naturæ rerum adversatur.

IV. Rerum naturæ adversatur ista confusio: quia planè impossibile est rerum principia, sive materias & formas in unam massam commiscere; cum quælibet materia sit determinata ad suam formam, & forma ad materiam. Determinatio autem est distinctio tollens confusionem. *Resp.* Nihil hoc contra nos: qui non dicimus materias & formas esse confusas; aut materiam determinatam ad omnes formas: sed materiam informem, rudem, indigestam productam; ex quâ reliqua inductione aliarum atque aliarum formarum condita. Est igitur ignoratio Elenchi.

5. q. terminus Creationis sit certum & determinatum ens.

V. Terminus creationis est certum, distinctum, ac determinatum ens: ut patet ex definitione Creationis: & *Sapient.* 11. v. 21. dicitur Deum omnia creasse *in numero, pondere, & mensurâ*. Ergò non ens rude, informe: & indigestum. *Resp.* Bifariam responderi potest, vel inficiatione antecedentis, quia contradicit Mosi *Gen.* 1. v. 2 vel consequentiæ negatione; quia etiam rudis & indigesta moles fuit ens certum; quia habuit definitam Essentiam, fuit substantia prima: Ens etiam distinctum ab aliis, videl. luce, cœlo supremo, angelis; Determinatum denique formâ illâ communi, non autem speciali compositorum. Locus *Sapientiæ* nihil contra nos facit: hoc ipsum namque ordinatissimum est, primò substernere rebus rudem materiam; inde ordine eam aptare & polire, suis locis collocare, suis commissuris & quasi libramentis ad regulam ac normam aptare.

PROBLEMA VIGESIMUM.

An inclinatio ad peccandum ante lapsum fuerit in homine?

A *Ffirmativa* est Pelagianorum, Pontificiorum, Samosatenianorum, atque etiam Novatorum, qui homini integro tribuunt

buunt inclinationem illam, licet non ita vehementem & inordinatam, ut nunc est.

Negativa nostra atque Orthodoxorum omnium; quam his argumentis astruimus. I. Ante lapsum omnia fuerunt valdè bona: quod de homine inprimis intelligendum est, cujus creationi immediatè subjicitur *Gen.* 1. v. 31. Inclinatio ad peccandum non est bona, nedum valdè bona: quia vitiosa est, legi repugnans. Ergò. II. Inclinationes hominis ante lapsum fuerunt à Deo: uti constat. Inclinatio ad peccandum non fuit à Deo: quia Deus non est autor peccati, nec hominem ad peccandum inclinavit: ut qui neminem tentat ad malum *Iacob.* 1. v. 14. Ergò. III. Inclinatio ad diligendum Deum ex toto corde, & ex totâ animâ, & ex totâ cogitatione, & ex totis viribus, non est inclinatio ad peccandum: nec cum eâ consistit. Sunt enim contraria immediata, quæ se mutuo pellunt & perimunt. In homine ante lapsum fuit inclinatio ad diligendum eo modo Deum: *Ratio*, quia fuit justitia originalis, id est, perfecta conformitas cum lege & legislatore Deo. Ergò. IV. Scriptura inclinationem ad peccandum homini tribuit demum post lapsum ex peccato *Genes.* 6. v. 5. *cap.* 8. v. 21. Ergò non ante lapsum in integritate.

Nulla inclinatio ad peccandum fuit in homine integro.

Adversarii duo opponunt:

Primum: Qui mutabilis à Deo conditus est, is conditus est cum inclinatione ad peccandum. *Ratio*: quia illa inclinatio species quædam est mutabilitatis. Homo integer mutabilis conditus est à Deo; secus labi non potuisset. Ergò. *Resp.* negatur *Major*. Tantum enim sequitur posse peccare: non autem importat aliquam inclinationem ad peccandum: Siquidem etiam Angeli boni potuerunt peccare, in quibus tamen inclinationem ad peccandum fuisse, nemo pius dixerit. Et falsum est inclinationem illam fuisse speciem mutabilitatis, quæ homini etiam ante lapsum conveniebat. *Ratio* duplex est: *Una*: quia mutabilitas illa erat potentia peccandi, quâ homo integer poterat peccare, & integritate suâ excidere: inclinatio autem illa non est potentia, sed actus primus peccati. *Altera*: quia mutabilitas illa nihil derogabat justitiæ ac sanctitati ipsius: at inclinatio ad peccandum apertè eis derogat, neque cum iis consistere potest.

Mutabilitas hominis inclinationem ejusmodi non arguit.

Secundum: In quo fuit pugna contrariarum propensionum, in eo, fuit inclinatio ad peccandum. In homine ante lapsum fuit pugna

Nulla fuit in homine integro contrariarum propensionum pugna.

gna contrariarum propensionum: *Una* corporis ad bonum corporale ac sensibile per sensum & appetitum; *altera* Spiritus ad bonum Spirituale & intelligibile, per mentem & voluntatem. Ergò. *Resp.* Falsa est *Assumtio*, unâ cum *probatione* ejus. In homine integro nulla fuit pugna propensionum sive inclinationum. Ordinatè enim homo ferebatur ad utrumque bonum absque rebellione carnis & Spiritus. Neque etiam contrariæ sunt propensiones illæ. Disparatæ sunt per se: factæ sunt contrariæ ex accidenti, per peccatum. Ut enim corpus & anima non sunt contraria per se: alioqui pellerent se mutuò, nec coirent in unam hominis naturam & hypostasin; ita propensiones animæ & corporis non sunt contrariæ per se: quia non pellebant se mutuo in natura integra.

PROBLEMA VIGESIMUM PRIMUM.

An primus homo nec Iustus, nec injustus à Deo sit conditus?

Origo Problematis.

NAtum est hoc problema partim ex speculationibus Philosophicis de statu hominis in puris naturalibus, partim ex disputationibus Theologicis de Justificatione.

Pura naturalia quæ.

Pelagiani, *Pontificii*, atque etiam *Samosateniani* secuti Aristotelem & Aristotelicos, qui creationem & lapsum hominis ignorarunt; atque ita naturam hominis integram & corruptam nesciverunt, mediam quandam naturam finxerunt, solis principiis, partibus & faculatibus naturalibus constantem, quæ *pura naturalia* dixerunt. *Naturalia* quidem, quia sunt vel partes, vel proprietates naturæ. *Pura* autem opposité ad accidentia & accessorias qualitates: cujusmodi in statu primo fuit justitia originalis, in secundo est culpa originalis; secundum Pontificios.

Theologi verò nonnulli idem moverunt occasione controversiæ justitiariæ. Ut enim ostenderent esse partes distinctas Remissionem peccatorum & imputationem justitiæ: nec justum esse coram Deo, cui remissa sunt peccata, attulerunt exemplum primi hominis, qui ante lapsum expers quidem peccati fuerit, nec tamen justus sit habitus.

Nos rem paucis & secundum veritatem Scripturæ expediemus.

Primò autem pro confesso sumimus, Hominem non esse injustum conditum. Non enim conditus est peccator. Et rectè Ecclesiastes: *Deus hominem condidit rectum: sed ipsi quæsiverunt ratiocinia plurima*. cap. 7. v 29. Homo conditus fuit non injustus,

Secundò etiam asserimus conditum esse justum, sive de justitia habituali, sive de actuali vocem intelligas: Quanquam habitus justitiæ propriè ei fuit concreatus. Actus verò exercuit ex habitu. sed justus, præditus justitiâ.

De Iustitia habituali sic probo: I. Qui conditus fuit ad imaginem Dei in justitia & sanctitate, is conditus est justus. Homo primus conditus est in justitia & sanctitate ad imaginem Dei, teste Mose, *Gen*. 1. v. 26. 27. Paulo interprete *Eph*. 4. v. 24. Ergò. II. Qui conditus est bonus & rectus, is conditus est justus. Nam bonitas & rectitudo mentis est justitia. Atqui homo primus talis conditus est. *Gen*. 1. v. 31. *Eccles*. 7. v. 29. Ergò. III. In creatione Deus substantias rerum idoneis ac necessariis qualitatibus instruxit ad exercendas operationes, At tales qualitates in statu primo fuerunt justitia & sanctitas. Ergò. IV. In statu secundo nascitur homo cum injustitiâ originali: Ergò in statu primo conditus est cum justitia originali. Valet illatio non solùm ex natura contrariorum, verum etiam testimonio Dei, *Gen*. 5. v. 1. 2. 3. Tam habituali.

De justitia actuali similiter probo. I. Actus sunt conformes suis habitibus: à quibus procedunt. Id docet canon Logicus: Qualis causa talis effectus. Et comprobat Christus, *Matth*. 7. v. 17. 18. de arbore. Atqui habitus justi, sancti fuerunt, ut demonstratum. Ergò. II. Vita æterna obsignata fuit Adamo sacramento arboris vitæ. *Gen*, 2. Atqui fuit obsignata sub conditione justitiæ actualis: juxta tenorem promissionis legalis: *Fac hoc & vives*. Ergò. III In statu secundo injustus est homo injustitiâ actuali, *Rom*. 3. Igitur justus fuit iustitiâ actuali in statu primo. Quam actuali.

Ex his facilis & expedita est *responsio ad objectiones*.

Prima: Qui conditus est in puris naturalibus, is conditus est absque qualitate justitiæ & injustitiæ. Primus homo conditus est in puris naturalibus. Ergò. *Resp*. negatur *Minor*: Conditus est ad imaginem Dei in justitiâ & sanctitate *Gen*. 1. *v*. 26, 27. *Eph*. 4. *v*. 24. bonus & rectus *Gen*. 1. *v*. 31. *Eccles*. 7. *v*. 29. Concipi quidem potest distinctè secundum substantiam & accidentia. secundum ea quæ omni hominis statui communia, & quæ certi status propria Homo primus non conditus fuit in puris naturalibus.

pria sunt. At à distinctis & separatis conceptibus ad distinctam & separatam existentiam non valet consequentia.

Secunda: Qui non habuit jus vitæ æternæ in statu primo, idem justus non fuit: quia justitiam sequitur vita. Primus homo in statu integritatis non habuit jus vitæ æternæ: utpote quod consecuturus fuisset, si in statu suo perseverasset. Nam promissa fuit vita æterna sub conditione perfectæ & immutabilis justitiæ. Ergò.

Homo integer, quatenus habuerit jus vitæ æternæ.

Resp. ad *Minorem*: vita æterna dicitur ambiguè: *vel* de immutabili conformitate cum Deo & lætitiâ ac felicitate perfectâ in æternum continuandâ: *vel* de conformitate cum Deo, lætitiâ ac felicitate nondum consummatâ, sed inchoatâ tantum; olim autem perficienda in altero seculo. *Primo* significatu non habuit jus vitæ æternæ: quia viator erat, non apprehensor; nec immutabili justitiâ præditus fuit. *Altero* autem habuit: & confirmatum ipsi fuit sacramento arboris vitæ. Secus illud peccato nunquam perdidisset.

PROBLEMA VIGESIMUM SECUNDUM.

Num totum genus humanum in Adamo ad salutem sit conditum.

Affirmativa heterodoxa.

SEmipelagiani, & cum his *Lutherani*, *affirmativam* tenent ac tuentur, in subsidium gratiæ universalis: ut inde æqualem Dei gratiam erga omnes & singulos conficiant, decretum verò Prædestinationis, quo Deus salvandos à damnandis discrevit aboleant.

Confirmatur.

Argumenta ipsorum sunt ista. I. Qui ad imaginem Dei in Adamo conditi sunt, iidem etiam conditi sunt ad salutem. Totum genus humanum in Adamo ad imaginem Dei conditum est. Ergò. II. Si totum genus humanum non est conditum ad salutem, nullo vel incerto fine est conditum. Falsum, absurdum est consequens. Ergò & antecedens.

Negativa, secundum objectum Prædestinationis hominem. I. Creabilem aut integrum.

Contra Theologi *Orthodoxi* sententiam *negativam* approbant & defendunt: sed non eodem modo.

Qui objectum Prædestinationis faciunt genus humanum creabile aut integrum, ajunt genus humanum non eodem fine conditum in Adamo, sed diversis: alios ad vitam, ad gloriam mise-

misericordiæ Dei; alios ad mortem & gloriam justitiæ: *argumento loci Rom.* 9. v. 21. De quâ sententiâ supra dictum est.

Nos qui objectum Prædestinationis dicimus hominem lapsum, distinguimus phrasin ambiguam, *conditum esse ad salutem*. Hæc siquidem aut de Fine οὗ, aut de fine ᾧ, hoc est, aut de *scopo* & intentione *Dei* creatoris, aut de *scopo hominis* creati, quem ipse spectare & sectari debuit, intelligitur.

II. lapsum. Hæc declaratur.

Primo modo nec totum, nec dimidium genus humanum condidit ad salutem. I. quia nec totum nec dimidium genus humanum salutem assecutum est in Adamo: quod fieri oportuisset, siquidem id Deus intendisset: cujus nec consilium mutari, nec præscientia falli, nec intentio excidere potest: Scripturâ teste. II. quia in Adamo secundo, Christo, condidit ad salutem omnes electos ipsumque Adamum primum *Eph.* 1. 2. *Psal.* 100. *& alibi*. Ergò non in primo.

Conditum est ad salutem. Genus Hum: I. nec totum. nec dimidium ex intentione Dei.

Secundo modo totum genus humanum conditum est ad salutem in Adamo: *Ratio* est, quia Adamo, & in ipso toti generi humano edidit promissionem salutis ac vitæ; sub conditione perfectæ ac constantis obedientiæ. Finis igitur ac scopus Adæ propositus fuit salus ac vita. Promissio per se claret: & colligitur etiam ex contrariâ comminatione mortis *Gen.* 2. v. 17. Hic autem finis est medium quoad Deum: sicut finis ᾧ ordinem mediorum ingreditur respectu finis οὗ.

II. totum ex fine quem homo spectare debuit.

Ex his plana est *responsio* ad objecta: In *primo*: *Major* datur de fine ᾧ. Hic enim finis & usus imaginis Dei fuit, ut per eam perveniret ad salutem. De fine οὗ negatur. Deinde ambigua est *Minor* ex fallacia homonymiæ. Nam præpositio *ad* ibi non finem, sed formam notat, & usurpatur pro secundum κατὰ. Nam *Gen.* 1. 26. dicitur *in imagine nostrâ, secundum similitudinem nostram*, id est, similem nobis sapientiâ, justitiâ, Sanctitate *Coloss.* 3. v. 10. *Eph.* 4. v. 24. In *Secundo* negatur consequentia *propositionis*. Siquidem intentio & consilium Dei non terminatur primâ hominis creatione, sed ad omnia eventa creationem secuta se extendit. Alioquin dicendum esset & lapsum, & reparationem hominis evenisse homini præter intentionem & consilium Dei: quod absurdum. Præclarè Augustinus *lib. de correp. & Gratiâ cap.* 10. *Sic Deus ordinavit Angelorum & hominum naturam, ut primum in eâ ostenderet, quid posset liberum arbitrium; deinde quid posset suæ gratiæ beneficium justitiæque* judi-

Refelluntur argumenta sententiæ affirmantis.

judicium. In statu *primo* Beatitudo, Salus, erat finis, sed hypotheticus propositus homini, si non laberetur. At in statu *Secundo* Categoricus fuit in Christo consequendus. Quod tum quidem obscurum erat. At Deo tamen notum; Nobis etiam à posteriore innotuit.

PROBLEMA VIGESIMUM TERTIUM.

Vtrum animæ hominum creentur à Deo, an per traducem propagentur?

Quomodo hæc quæstio in Theologiam fuerit introducta.

QUæstio de *origine animæ* Physica magis est, quàm Theologica, sed in Theologia eam peperit *partim* Historia creationis Adæ, cujus anima non ex pulvere, ut corpus, sed ex nihilo est producta; *partim* etiam disputatio de peccato originis, quod ex Adamo & parentibus non propagatione sed imitatione trahi contendebant Pelagiani, eò quod sedes peccati anima ex parentibus non propagetur. Ad cujus argumenti dissolutionem cœptum est disputari de origine animæ.

Sunt autem variæ omninò & mutuo inter se discrepantes de eâ sententiæ, tum Philosophorum, tum Hæreticorum, tum etiam Patrum atque Theologorum; quas sigillatim persequi, majoris quidem operæ, at non ita magni usus foret.

Sententiæ pugnantes de eâ.

Nos missis reliquis duas potissimum discutiemus: unam *de creatione animarum*, alteram *de Traduce*; maximè quod hodieque de iis sit controversia inter Orthodoxos & Lutheranos, illis priorem, istis posteriorem sententiam ferè propugnantibus. Persequemur autem ea tantum utriusque sententiæ momenta, quæ ex Scripturâ adferri solent directè, vel per consequentiam; Philosophica Scholis Physicis relinquentes.

DE PRIMA.

I. Animæ ex nihilo à Deo creantur, & quidem.

Hæc statuit, *Animas Hominum non produci ex aliquâ materiâ sive corporeâ sive Spirituali, sed à Deo omnipotente ac immediatâ virtute creari ex nihilo*; sed nec ante corporis generationem, nec extra illud. *Non ante*: ut sensit *Origenes*, qui omnes animas statim initio cum Angelis creatas contendit; quæ etiam *Rabbinorum* est sententia nisi quod *ille* eas in cœlo peccasse rerum humanarum desiderio, & sic

nec ante corpus.

& sic ad corpora damnatas esse; Hi isthic integras veluti in thesauro Dei asservari contendunt. *Ratio*; quia id nec Scriptura docet, nec suadet ulla ratio probabilis, sed potius contrarium. Scriptura enim asserit, animas quotidie creari cum corporibus, ut ostenditur: Ratio autem non patitur formam actu praeexistere tot secula ante suum compositum. *Nec extra illud*, ut extrinsecus accedere & infundi corpori docet Aristoteles *lib. 2. de Generatione animal: cap. 3.* sed in corpore, sive in foetu jam formato & ad recipiendam formam disposito. Quod non inepte probatur loco *Zach. 12. v. 1.* & Rationibus Physicis probabiliter saltem demonstrari solet.

Neque extra corpus.

Confirmatur.

Confirmatio primae sententiae.

Dictis Scripturae: quae duplicis sunt generis.

I. Dictis probantibus. 1. creari animas.

Alia docent, Deum singulis hominibus, dum generantur, creare & infundere animas: ut sunt.

Job. 33. v. 5. 4. *Spiraculum omnipotentis vitam indidit mihi*, videlicet, sicut olim primo homini *Gen. 2. v. 7.*

Psal. 33. vers. 15. *Qui fingit seu format pariter cor eorum*, id est, animam *Zach. 12. vers. 1.* Et refertur vox ad cogitationes & consilia.

Eccl. 12. v. 9. *Et redibit pulvis*, id est, corpus è pulvere ortum, per Metonym: materiae, *in terram, quemadmodum fuerat: Spiritus autem redibit ad Deum*, scilicet tanquam ad judicem, qui eum vel beet vel puniat: *qui dederat illum.* Alii reditum illum peculiariter exponunt de animabus piorum *Luc. 16. v. 22.* ut redire ad Deum, sit recipi in coelum, ubi ceu in Palatio suo Deus habitat.

Esa. 42. v. 5. *Sic ait Deus ille fortis Iehova, creator coelorum, & qui extendit eos, qui expandit terram & res prognatas ex eâ: qui indit animam populo agenti in eâ, & Spiritum ambulantibus in eâ.*

Esa. 57. v. 16. *Nam non in seculum contendam, neque in aeternum effervescam: nam Spiritus à conspectu meo obrueretur, & animae, quas ego feci.*

Ezech. 37. v. 5. *Sic ait Dominus Iehova ossibus istis: ecce ego inducturus sum in vos Spiritum, ut vivatis.*

Zach. 12. v. 1. *Dictum Iehovae, qui extendit coelos, & fundat terram: formatque Spiritum hominis in medio ejus.* Hâc de causâ *conditor animarum* vocatur 1. *Pet. 4. v. 19.*

Alia docent Deum non dare aut creare animas eo modo quo cor-

2. non tamen eo modo quo corpora.

corpora, ex corpore vel semine parentum: sed alio modo, hoc est immediatâ creatione.

Heb. 12. v. 9. *Si carnis nostræ* (id est corporis:) *patres castigatores habuimus, & eos reveriti sumus: annon multo magis subjiciemur patri Spirituum*, id est, creatori animarum, *& vivemus.*

Num. 16. v. 22. *Deus Deus Spirituum universæ carnis: an vir unus peccabit, & contra universam congregationem irascaris.*

Cap. 27. v. 16. *Præficiat Iehova Deus Spirituum omnis carnis, virum super congregationem.*

Exceptiones ad nonnulla loca.

Vindiciæ dictorum. *Eccles.* 12. v. 9.

Eccl. 12. v. 9. I. Non quia anima à Deo donari perhibetur, ideò immediatâ creatione producitur. Nam donatio hæc referenda est ad primam hominis creationem, quâ anima Adæ infundebatur, ut ab eo toti generi humano communicaretur: quod liquet vel ex voce *pulveris.* Nec enim nostra corpora desumta sunt ex pulvere, sed Adæ. Deinde anima ad corpus comparata potius Dei donum habetur, cum sit immaterialis & immortalis, Deum referens; quàm corpus: quod est terræ potius donum ex quâ fictum est. II. Nihil aliud vult, quàm cum corpus & anima sint ortu valde dispari, illud ex pulvere, ista ex animâ Adæ primitus inspiratâ, utriusque etiam diversos esse exitus: ne anima putaretur esse mortalis, perinde ut corpus. *Resp.* distinctè. *Primum* negatur. Omnino ex donatione illâ sequitur immediata animæ creatio. Nam Deus utrumque donavit & animam & corpus *Psal.* 127. v. 3. *Matt.* 6. v. 25. *seq.* Si ergò non aliter dat Spiritum, quàm corpus: utrumque scilicet per parentes: Parum appositè κατ' ἐξοχήν dicitur dedisse Spiritum. Deinde eò dicitur redire anima, unde habet originem: sicut etiam corpus eò redit. Atqui redit ad Deum. Ergò ab eo habet originem. *Probatio* utraque deficit. *Prior*; quia non loquitur de primâ hominis creatione, sed de secundâ, quâ singulis individuis humanis suæ animæ donantur: ut scopus, verba & circumstantiæ textus docent. Corpora posterorum Adæ redeunt in pulverem: Ergò animæ ad Deum, qui eas dedit. Nec contrarium evincit vox *pulveris*: ut quæ non propriè, sed metonymicè sumitur. Alioqui nè Abrahamus rectè quidem dixisset se esse pulverem *Gen.* 18. 27. nec Apostolus, nos esse pulvereos 1. *Cor.* 15. v. 48. *Altera* habet fallaciam causæ. Non ideo

ideo dicitur dari quod magis sit Dei donum quàm corpus, ratione dignitatis: Sed quod Deus longè aliter eam donat: quod verba postrema volunt, quibus datio & reditio inter se conferuntur, tanquam termini à quo & ad quem. *Secundum* falsa veris miscet. Verum est conferri inter se disparem ortum ac exitum animæ & corporis; quorum alter alteri respondet. Sed falsum quod sicut ortus corporis est ex pulvere, ita ortus animæ sit ex animâ Adæ, quàm Deus ipsi dedit. Imò *à Deo*, inquit Ecclesiastes. Et Deus non minus singulis dat suam animam immediatâ inspiratione, quàm olim eam dedit Adæ; ut evincit collatio duorum locorum *Gen.* 2. v. 7. *&* *Iob.* 33. v. 4.

Zach. 12. v. 1. I. loquitur Propheta verbis temporis præsentis pro præterito, ut ostendat, non quod Deus illa adhuc operetur, (cum intra sex dies opus suum absolverit,) sed qualis sit. Ergò de primâ creatione agit. II. non dicitur anima cælitus immitti, sed formari in medio ipsius; quod ad immortale illud semen, ex quo efformatur anima, est referendum. Quod etiam evincit verbum Hebræum יָצַר quod non est ex nihilo creare, sed ex aliquo fingere & formare. III. vocabulum רוּחַ potest etiam explicari de voluntate hominis, ut aliis locis; & sensus erit, quod Deus hominis voluntatem pro arbitrio formet & flectat, nec tantum expanso cœlo, & fundatâ terrâ vim suam ostendat. *Resp.* ad singulas exceptiones. *Ad primam*, Glossa de enallage temporis locum habet quidem in duobus prioribus operibus, quia semel tantum expandit cœlum & fundavit terram; at non item in posteriore, quia adhuc quotidie istud agit; sicut est *Ioh.* 5. v. 17. *Pater operatur usque adhuc*. Probatur 1. quia vox *hominis* non sumitur ἀτόμως, de primo homine Adamo, sed εἰδικῶς de quocunque post Adamum, & ex eo genito. II. quia Scriptura de creatione animarum, loquitur numero plurali *Psal.* 33. v. 15. *Esa.* 57. v. 16. Unde Deus dicitur *Deus Spirituum universæ carnis* *Num.* 16. v. 22. Ergò non unam animam, scilicet Adæ, sed omnes creavit & creat. Et sic falsum est antecedens universaliter sumtum. Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis. *Ad secundam:* Nec nos dicimus animam cœlitus immitti, creatam scilicet extra corpus, sed in corpore ad animationem disposito divinitus formari. Falsum verò, quod id ad semen aliquod immortale

Zach.12.v.1.

 animæ.

animæ referendum sit I. quia dicitur formare animam in medio, non ex medio. II. quia anima rationalis & immortalis non habet semen, ex quo multiplicetur & propagetur; cum sit simplex & immaterialis. III. ita non minus de corpore quàm de anima dici hîc potuisset, quod Deus illud fingat, formet; quia utrumque ex semine, per parentes. At formatio animarum non minus quàm duo reliqua opera allegatur, tanquam documentum omnipotentis ac immediatæ virtutis Dei. Verbum יצר *formavit*, *finxit*, propriè quidem usurpatur de figulis: sed latius etiam de aliis rebus sumitur; quæ non producuntur ex materiâ; ut lexica docent. *Ad tertiam*; Glossa illa aliena est & inepta. I. dicitur formare spiritum in medio ejus, id est flectere: ridiculum. II. à pari: conjungit opera creationis. Ergò non de opere providentiæ, qualis est gubernatio voluntatis humanæ, hoc postremum intelligendum. III. à scopo: qui est demonstrare potentiam Dei ex effectis immediatis & simpliciter immutabilibus. Est autem hoc in genere multo illustrior creatio animarum ex nihilo, quam inflexio voluntatum.

Hebr.12.v.9. *Hebr*. 12. v. 9. Nec τῆς σαρκὸς vox *corpus*, nec τῶν πνευμάτων *animam* significat. *Non illa*: I. quia vox *caro* in Scriptura vel veterem hominem, vel totam naturam humanam significat. Ergò corpus malè substituitur pro carne: cum Scripturæ sensu corpus altera pars carnis sit: caro autem integrum naturæ statum denotet. II. potest etiam Hebraismus subesse, ut 2. *Thess*. 1. v. 8. ἐν πυρὶ φλογὸς, & ita *patres carnis*, erunt patres carnales. *Neque ista*: I. quia non additur πνευμάτων ἡμῶν: ut prius τῆς σαρκὸς ἡμῶν: ut nihil necesse sit vocem referre ad animas; sed etiam referri possit ad Angelos, quorum pater est; sicut ipsi Filii, ejus dicuntur *Iob*. 1. & 2. II. potest etiam dici *pater spirituum* ex Hebraismo, pro patre spirituali; quod sit vitæ ac regenerationis spiritualis autor; III nec potest dici hîc pater animarum respectu creationis; cum hîc non doceatur, qualis sit in omnes, sed erga eos, quos in filios adoptavit in Christo. Est igitur gratiæ paternitas non naturæ. Gratiæ Filios castigat ad sanctimoniam; non filios naturæ; qui iræ Filii *Eph*. 2. v. 3. *Resp*. Sed contrarium verum est. *Caro* hic corpus notat per Synecdochen membri, quæ exprimitur *Luc*. 24. v. 39: I. quia dicuntur *Patres carnis*, id est, qui carnem

nem nostram genuerunt. Nam genitivus est nota effecti. An qui corruptionem genuerunt? II. ex effectu: qui est reverentia, etiam sub ferulâ, ac castigatione propter στοργὴν nobis inditam. Quia patres carnis, qui corpora nostra genuerunt reveriti sumus: an quia corruptionem naturæ in nos propagarunt. Absurdum & nihil ad rem. III. *ex.v.*10.castigatio *ad paucos dies*: dum nimirum sub potestate ipsorum & impuberes. Hîc iterum inculcat jus parentum in corrigendis liberis suis. Jus verò illud ex generatione est, non ex corruptione. *Spiritus* etiam animas significat. I. ex antithesi carnis: caro corpus denotat. Ergo spiritus animam. II. *ex.* v. 23. ibi dicitur *spiritus justorum consummatorum*: & vocabulum spiritus pro animabus accipitur. III. alibi Scriptura id declarat, cum dicit *Deum spirituum universæ carnis*, id est, omnium hominum *Num.* 16. & 26. *capp. Objectiones* facilè solvuntur. *Priores* pro corpore: *Prima* laborat insufficiente enumeratione significationum. Vox *carnis* in Scriptura non tantum sumitur pro vetere homine, vel etiam pro totâ naturâ humanâ; sed multis aliis modis, inprimis verò etiam pro corpore *Luc.* 24. v. 39. *Act.* 2. v. 26.31. *Secunda*; Si Hebraismus admitteretur, tamen esset ambiguus. At hic propriè non habet locum. Quia non notatur adjunctum inhærens vel adhærens: à quo per adjectivum denominetur; sed effectum. & genitivus est effecti nota, ut ante ostendimus. *Posteriores* pro anima: *Prima*: quia pronomen ἡμῶν ἀπὸ κοινοῦ repetendum est; sicut *Num.*16. dicitur *Deus spirituum universæ carnis*. *Ratio*; quia loquitur de iisdem secundum diversarum partium principia & origines. Ad Angelos non potest referri. I. ex scopo & nexu argumentorum; qui plane solvitur. II. qui animas *hoc cap.* dicit *spiritus*; Angelos *Angelos* vocat v. 22. *Secunda*; Hebraismus non magis habet locum, quàm prius. Pater spirituum & Deus spirituum sunt æquipollentia. At Deus spirituum est creator eorum *Num.* 16. & 27. Deinde obstat numerus pluralis. Scriptura de regeneratione loquitur numero singulari, *spiritus*; *Ioh.*3. & alibi. Hîc autem utitur numero plurali. *Tertia*; Negatur; id enim non obstat quo minus argumentum mutuetur etiam à creatione: quod etiam innumeris aliis locis facit, sed observandum quod illud faciat non absolutè sed comparatè, argumentando à minori ad majus: si patienter toleratis castigationes parentum, qui solum corpora vestra genuerunt: quidni patientius toleretis castigationes

nes patris spirituum, qui animas vestras, partem longe nobiliorem formavit? Considerat hic opus creationis, non communiter respectu omnium & singulorum: sed peculiariter quoad eos, quos hic alloquitur, hortatur.

II. Rationibus.

Rationibus:

1. q. eadem origo animæ Adami & nostrarum.

Prima: Quæ est origo animæ Adæ, eadem est origo animarum nostrarum. Atqui illius anima est ex immediatâ creatione: sive immediatâ Dei virtute creata est. Ergo & nostræ animæ sic creantur. *Minor* est extra controversiam: & liquet ex *Gen.* 2.*v.*7. *Major* probatur: I. *authoritate* Apostoli 1. *Cor* 15.*v.*47. 48. Qualis ille materiâ corporis, & conditione, id est, pulvereus & animalis, tales nos etiam corpore & conditione. *Ergò* qualis origine animæ immaterialis, tales & nos. II. *ratione*: Cujus creatio est exemplar formationis omnium hominum, ejus qualis est origo, talis est omnium hominum origo. Atqui creatio Adæ, qua corpus ipsius productum est ex materiâ, anima autem ex nihilo immediata Dei virtute indita; est exemplar formationis omnium hominum. Ergò. *Major* certa & evidens est: *Minor* demonstratur à genere & à pari. *A genere sic*: Prima individua omnium specierum, quæ generatione propagantur, fuerunt exemplaria totius speciei, ratione ortus principiorum intrinsecorum, essentialium. Ergò & prima individua humana exemplaria fuerunt totius speciei humanæ. *Antecedens* certum est ex lege creationis, quâ sancitum ut generans generet sibi simile quoad substantiam & accidentia speciei propria *Gen.* 1.*v.*22, 28. *Consequentia* firmatur illo canone logico; quod de toto genere affirmatur, de omnibus speciebus verum est. Ut igitur in reliquis speciebus animantium est simplex & materialis ortus; ita duplex est in homine: unus materialis quoad corpus ex parentibus; alter immaterialis quoad animam ex Deo; cujus duplicis ortus expressa mentio fit *Eccl.* 12.*v.*9. *A pari hoc modo:* Primum conjugium inter Adamum & Evam est exemplar & regula conjugiorum reliquorum: Christo teste *Matth.* 19.*v.* 4,5.6. Ergò & creatio ipsorum est exemplar creationis & propagationis reliquorum hominum.

quatenus Corpora nostra eandem originem habeant cum corpore Adami.

Excipitur; Si valet argumentum de origine animæ, etiam de origine corporis valebit. At non valet de corporis origine. I. quia corpus Adæ creatum est; nostra gignuntur. II. illud fuit ex

ex pulvere: hæc ex semine fiunt. *Ergò. Resp.* distinguendo inter causas efficientem & materialem, & originem utriusque respectu. De materiali datur propositio. Sicut anima Adæ ex nihilo, sic animæ posterorum. Ut corpus ipsius ex pulvere, sic posterorum *Genes.* 18. v. 27. 1. *Cor.* 15. v. 48. Nec obstat, quod ex semine, quia illud pulvereæ sive terrestris naturæ. Sic altera ratio assumti falsa est. De efficiente negatur propter elenchum parium: quia corpus est materiale, elementare, compositum. Anima immaterialis & simplex. Multum etiam differunt productio rei in esse per creationem, & propagatio per generationem.

Secunda: si corpus Evæ ex corpore Adæ formatum est, & nihilominus anima ipsi immediatâ Dei creatione est indita: sequitur etiam corpora nostra esse ex Adamo, & tamen animas creari à Deo. Verum prius. Ergò. *Consequentia* hinc patet: quod Eva non minùs est ex Adamo, quam nos: juxta illud Apostoli: *Ex uno sanguine* scil. Adæ, *condidit totum genus humanum*, id est, omnia speciei humanæ individua *Act.* 17. v. 26. *Antecedens* probatur de animâ: I. quia si diversa fuisset origo animæ Evæ ab animâ Adæ, Moses illud indicasset, cui propositum fuit primas rerum omnium origines describere. II. Adam quoque originem illam animæ à suâ agnovisset & prædicasset: sicut agnovit originem corporis Evæ *Genes.* 2. v. 23.

2. q. Eva immediate à Deo condita.

Excipitur.

Primò: Sumsit Deus costam, at eam spiritu vitali refertam, & animâ quoque rationali præditam, ut esset materia non solùm corporis, sed etiam animæ Evæ. Unde ab ipso Adamo dicitur *Virago*, quia de viro sumta: vel melius Hebraicè אשה *Ishah.* v. 23. *Resp.* est petitio principii. Ratio nomenclaturæ in ipso textu explicatur, quod sit caro de carne & os de ossibus ipsius, non autem anima de anima ipsius v. 23.

Cur Eva dicta *Ishah?*

Secundò: Manet nihilominus evidens dissimilitudo, quia corpus Evæ creatum est ex costâ Adæ: nos non creamur, sed gignimur, nascimur ex ipso. *Resp.* est quidem dissimilitudo aliqua, sed ratione Efficientis, quia illa creatione, nos generatione producimur: at non ratione materiæ, quæ utrobique, quoad corpus pulvis & cinis. Deinde nihil officit sententiæ nostræ illa dissimilitudo. Id enim tantùm sequitur esse diversitatem, quoad ortum

Dissimilitudo quæ inter originem Evæ & nostram.

N corporis

corporis. At illa non arguit diversitatem ortus animæ: non magis quàm diversitas in ortu Adæ & Evæ.

3. q. anima immaterialis & immortalis.

Tertia. Quicquid generatur est materiale & mortale: Anima non est materialis & mortalis. Ergo anima non generatur, sed creatur. Quia duplex est tantum productio substantiæ creatæ, una creatio, altera generatio *Gen. cap.* 1. v. 26. 27. 28. *Major* probatur: quia omnis generatio fit ex aliquâ materiâ: sicut creatio ex nihilo. Omne item generabile est corruptibile, cum resolvatur in id, ex quo genitum est. *Minor* etiam est certa. Anima non est *materialis*; quia est spiritus, spiritualis naturæ: sicut in Scripturâ usitatè *Spiritus* appellatur: Spiritus autem carnem & ossa non habet *Luc.* 24. v. 39. Neque etiam *mortalis*: quia occidi non potest, *Matth.* 10. v. 28. sed redit ad Deum qui dedit eam, *Eccl.* 12. v. 9.

Animæ non habent semen.

Excipitur: Anima gignitur ex materiâ, semine, non corporeo, mortali, sed spirituali, & immortali. Ergò generatione non læditur, sed confirmatur ejus spiritualitas, immortalitas. *Resp. antecedens* est pura puta petitio principii Animæ nullum habent semen propriè dictum, substantiale, alioqui essent corporeæ, corruptibiles. Non igitur gignunt seminali ratione: de quo infra pluribus.

4. q. anima nec ab alterutro, neque ab utroque parente propagatur.

Quarta: Si anima generando propagatur, aut ab utroque parente, aut ab altero tantùm: item vel tota, vel pars propagatur. *Si ab utroque*, duæ animæ in unam coalescunt, & quasi ferruminantur. *Si ab altero*, patre tantùm; nulla causa dari potest, cur matris anima non traducatur in sobolem; cum & ipsa sit principium generationis non solùm materiale, sed etiam activum. Christus etiam non fuerit verus homo, qui animam à matre non acceperit. Præterea: *si tota* anima traducitur, necesse est parentes generando exanimari, ut qui totam animam in sobolem transfundunt: *si pars* solùm: anima est partibilis, corruptibils, non simplex & immortalis.

neque tota, neque pars.

Excipiunt.

Exceptiones de semine animæ ejusque communicatione refelluntur.

Primò: Amborum parentum animæ non coalescunt: sed ex paterno maternoque semine inter se mistis, integrum humanum semen, tam animæ quàm corporis oritur. *Resp.* Hinc verò mixtura illa evidentissimè obtinetur. Est semen amborum parentum spirituale tanquam materia animæ: est etiam corporale in materiam corporis, Sicut ergò materia corporis coalescit ex utroque

troque semine inter se mixtis; ita materia animæ, Et quemadmodum spiritus vitales & animales mixti sunt materia corporis: ita etiam semen illud spirituale, tantisper donec anima efformetur.

Secundò: Nec tota anima, nec pars ejus traducitur, sed substantia quædam ab anima nata, tanquam animæ immortale semen, & principium animæ prolis: sicut semen corporeum de parentum corporibus decisum, nec corqus aliquod, nec corporis membrum existit. *Resp.* I. petitur iterum principium de semine animæ: quod eam habere negamus. II. Substantia, quæ dicitur nata de animâ priusquam decidatur ab eâ, quædam ejus pars est, saltem materialis. III. Et sic semen decisum de corpore, quando vasis suis continetur, est pars corporis materialis, cui accrescit. Nam quantitas augetur accretione, minuitur decretione.

Tertiò: Dici quoque potest totam animam transmitti communicatione, non alienatione: veluti cum lumen de lumine accenditur. *Resp.* I. Communicatio rei unius ejusdemque, quæ absque alienatione fiat, in substantiâ sive essentiâ infinitâ locum habet, non in finitâ. In generatione æternâ Pater filio communicat eandem numero essentiam. At in generatione humanâ non eadem est essentia Patris & Filii numero, sed specie: adeoque non est communicatio ejusdem, sed productio similis essentiæ. Unde Pater & Filius in humanis tantum sunt ὁμοιούσιοι, at in divinis etiam ὁμοούσιοι. II. Propagatio luminis fit transmutatione admotæ materiæ, & sic materia admota animæ generantis in animam verteretur: non autem decideretur materia illa ab ipsâ animâ: ut volunt Educeretur etiam è potentia materiæ; sicut materia luminis combustibilis est. Accensum igitur lumen potentia, fit lumen actu.

DE ALTERA.

Ea sic habet; *Animas non minùs à parentibus trahi, quam corpora*; ita ut ex animâ Patris sit anima Filii, non minus quàm ex corpore patris est corpus filii; vocatur vulgo *de Traduce*, quod statuit animam ex parentibus traduci in sobolem. Et *Tertulliano* tribuitur: qui in hanc sententiam dilapsus videtur, quod animam statuerit esse corpus aliquod; licet subtilius; *libello de animâ cap. 5.* Sed diversimodè explicatur hæc sententia, *Sunt* qui docent animas seminari cum corporibus: *alii* volunt animas præditas esse spiri-

II. Animæ à Parentibus propagantur.

Diversimode asseritur.

tuali quodam & immortali ſemine, quo mediante gignantur aliæ animæ: *alii* denique aſſerunt animam immediatè traduci & propagari ex animâ parentis, non ſecus ac lumen de lumine accenditur, ſine ullâ vel alterius diviſione, vel diminutione.

Sed malè.

Cæterum ſinguli modi ſuis incommodis & abſurditatibus laborant, nec cum naturâ animæ rationalis conſiſtunt, aut conciliari poſſunt.

1. Animæ non ſeminantur cum corporibus.

Non primus: I. quia cauſa non poteſt eſſe toto genere deterior ſuo effectu Semen autem corporeum, elementare, brutum eſt toto genere deterius animâ ſpirituali & rationali. II. Quod ſeminatur cum corporibus, educitur ex potentiâ materiæ. Anima rationalis non educitur ex potentiâ materiæ: *Ratio*: quia per ſe ſubſiſtit: & quia per ſe ſubſiſtit, per ſe etiam producitur. Nihil huc facit ſimile de ſilice. Ignis enim non elicitur ex potentiâ ſilicis: ſed potius ex colliſione ſilicis & ferri, aërem intermedium aut particulam ſilicis accendente. III. Quod generatur ſeminali ratione eſt corruptibile & mortale juxta axioma: Omne generabile eſt corruptibile. At non anima rationalis. Ergò. V. Si ſeminatur cum corporibus anima, idem ortus eſt animæ humanæ & brutorum, nihilo iis humana melior aut nobilior eſt. At non hoc. Ergò.

2. Animæ non ſunt præditæ Spirituali & immortali ſemine.

Non ſecundus: I. quia nova planè & inaudita eſt opinio: quæ nec authoritate Scripturæ, neque etiam probatorum Philoſophorum oſtendi poteſt. II. Subſtantia immaterialis & ſpiritualis non habet ſemen propriè dictum. *Ratio*; quia omne ſemen ex quo aliquid propriè producitur, eſt propriè materiale. Anima rationalis eſt ſubſtantia immaterialis & ſpiritualis. Ergò. III. Semen illud aut eſt de ſubſtantiâ animæ, aut eſt accidens ejus. *Si de ſubſtantiâ*, ipſa partibilis eſt & mortalis. *Si accidens*, ex accidente gignitur ſubſtantia. Utrumque abſurdum. IV. Semen ex quo aliquid gignitur, augmentationi & diminutioni eſt obnoxium. Nam generando ſemper aliquid decedit, quod inſtauratur novo alimento. Hoc autem de animâ abſonum affirmare: Niſi etiam nutrimentum aliquod propriè dictum ei attribuere lubeat. Ergò. V. à pari; Angeli non habent ſemen, nec generant ex ſemine. Ergò nec animæ. *Ratio*; quia Angeli & animæ ſunt ſubſtantiæ incorporeæ, immateriales, per ſe ſubſiſtentes. Nec obſtat, quod illi ſunt ſpiritus ſeparati; hi ſociati corporibus. Quia unio illa non mutat naturam animæ; ut conſtat ex ſeparatione animæ à corpore.

corpore. Ergò non magis in corpore semen habet, quam extra corpus. *Luc.* 20. v. 36. quidem dicimur in alterâ demum vitâ futuri ἰσάγγελοι; sed illud non de animâ, sed de animali vitæ conditione, subjectis exemplis explicatur.

Non tertius: I. Quia immediata illa traductio fieri nequit absque divisione ipsius animæ. At anima non est partibilis: quia spiritualis, immortalis. Ergò. II. Si immediatè traducitur ex animâ, sicut lumen de lumine accenditur, omnino non traducitur: sed illud quod admovetur animæ est animabile solùm, & in animam convertitur: de quo jam supra dictum. Præterea: candela est substantia corporea, sicut etiam flamma. Idcirco mirum non est, si una ab altera accendatur, sine alterius divisione aut imminutione evidente. Secus autem res se habet in animâ, quæ est substantia incorporea.

3. Animæ non immediatè traducuntur sine divisione vel diminutione.

Examen argumentorum pro Traduce.

Dicta Scripturæ hæc adferuntur.

Vindiciæ dictorum. *Gen.* 1. v. 28.

I. *Gen.* 1. v. 28. Crescite, multiplicamini, augescite & replete terram. At multiplicatio est propagatio totius speciei, corpore & animâ rationali constantis. Ergò corpus & anima propagantur. *Resp.* aliud est in conclusione, quàm in præmissis. Sic inferendum: Ergò tota species, & singula ejus individua corpore & animâ constantia propagantur. Quod datur quia generatio terminatur ad suppositum, corpore & animâ constans; non ad corpus tantùm. Si verò Minori explicationis causâ addatur hæc particula; est totius speciei secundum utramque partem ex semine propagatio; tum falsa est assumtio; Quod materiale est propagatur ex semine, ut corpus; quod immateriale, divinitus infunditur; secundum primam creationis legem. Sed *instant*; Nulla igitur erit vis benedictionis divinæ, quoad animam. *Resp.* negatur. Hæc est ejus vis, quod Deus generantibus & generationi cooperatur, & corpori ad animationem præparato jam atque disposito animam infundit. *Replicant*: At Major tamen vis & perfectio in cæteris generantibus, quàm in homine. *Resp.* Negatur. Hoc potius facit ad illius excellentiam & perfectionem; sic enim est supra materiam & dispositiones illius. Sicut enim nemo dixerit Angelum esse cane imperfectiorem,

rem, quia sibi similem in specie non gignit: quia Angelus est ejus conditionis, ut non nisi per creationem possit existere: ita hic. Nulla res agit ultra suum genus. At anima rationalis excedit totum genus corporeæ naturæ, quia Spiritualis. Ergò semen nihil hic.

Gen. 2. v. 2. II. *Gen.* 2. v. 2. dicitur Deus quievisse ab omni opere suo. Ergò non creat Deus amplius animas, sed generatione propagat. *Resp.* negatur sequela: quia quievit à creatione novarum specierum sive à creatione individuorum, quæ essent principia novarum specierum. At animæ, quas quotidie creat, sunt nova individua specierum ante creatarum.

Gen. 3. v. 15. III. *Gen.* 3. v. 15. Semen contriturum caput serpentis est tota Christi humana natura, non corpus tantùm. At illud propagatum est à muliere. Ergò. *Minor* patet: quia ideo dicitur semen mulieris, quod sit à muliere: anima autem nisi esset à muliere, non esset pars hujus seminis. *Major* probatur. I. quia semen continet in se unumquodque propagandum. II. quia corpus rationis expers nihil conducit ad contundendum serpentem. Ergò contundendus à totâ naturâ. III. Christus non in corpore tantum, sed etiam in animâ sensit Serpentis aculeum. Ergò utraque natura, seu potius utraque pars naturæ humanæ, est illud semen, quod contriturum erat caput Serpentis. *Resp.* *Minor* ambigua est: quæ datur de supposito, quod genitum est ex muliere: sicut semen mulieris hic est nomen suppositi, denominati licet ab altera naturâ: nim: quia generatio terminatur ad suppositum. Nam idem est quod Filius mulieris, per Metonym: materiæ. De utraque parte essentiali humanæ naturæ ex ipsâ propagatâ, est falsa. *Probatio* etiam deficit ob fallaciam causæ. Non ideo dicitur semen mulieris, quod utraque partem genuerit: sed quod eum, qui constat parte utraque. Nec sequitur, nisi anima etiam ex ipsâ propagata sit, non fore partem hujus seminis. Satis enim est quod unita cum corpore ex muliere propagato. Et est semen personæ nomen. *Major* exclusivè accepta est falsa. Semen illud non tantum est natura humana, animâ & corpore constans, sed etiam natura divina. Imò tota persona Christi θεανθρώπου. Quia contritio Serpentis est ἀποτέλεσμα officii, Christo secundum utramque naturam conveniens. Unde etiam Deo pacis tribuitur *Rom.* 16. v. 20. *Probationes* ejus partim alienæ, partim falsæ sunt. *Primò*: semen continet in se

in se unumquodque propagandum, scilicet seminali ratione. Anima verò rationalis & immaterialis non propagatur ex semine. *Secundo:* Imò contundendus serpens à totâ personâ, sed id non est in quæstione. Ad *Antecedens*: Corpus separatum non solum ab animâ, sed etiam à Deitate in hypostasi τȣ λόγȣ non confert quidem ad contritionem illam: at conjunctum non conferre est contra Scripturam *Heb.* 9. 10. & alibi. *Tertium* datur totum: Idem nos docemus; sed quæstionem non attingit, ut ex ante dictis patet.

IV. *Genes.* 5. v. 3. Adam dicitur genuisse Filium ad imaginem & similitudinem suam. Ergò totius naturæ, hoc est, animæ & corporis parens erat, non corporis tantum. *Consequentia* firma est, sive Imago illa de substantia, sive de accidentibus & qualitatibus intelligatur. *Priore modo*; quia similitudo illa essentialis non minus animæ est, quàm corporis; nam ut brutum animal bruta, ita rationale homines rationales gignit. *Isto modo*; quia qualitatum illarum subjectum est anima. Ergò unà cum subjecto suo propagantur. *Resp.* I. dari potest totum, rectè intellectum. Est parens totius naturæ; quia gignit suppositum, constans non solo corpore, sed etiam anima. II. Sensu adversariorum consequentia neganda est; Gignit sibi simile specie, id est substantiâ & accidentibus speciei propriis. Ergò gignit, procreat secundum utramque partem essentialem: *Probationes* deficiunt. Similitudo est etiam animæ, sed non procreatæ: Sicut nec anima Adæ: verum divinitus inditæ. Brutorum alia ratio; quorum animæ materiales sunt, quæ ex potentiâ materiæ producuntur: Secus se habet anima rationalis. Præterea potest anima esse subjectum corruptionis, quæ generando propagatur; licet ipsa non propagetur, ut infra liquebit. *Gen.* 5. V. 3.

V. *Genes.* 46. v. 26. Animæ ingressæ cum Jacobo in Ægyptum, dicuntur omnes egressæ esse ex femore ipsius. Ergo animæ non minus generando propagantur, quàm corpora. *Resp.* Si hæc consequentia valet, tum animæ eodem modo generantur, quo bruta: quod nimis pecuinum. Sed negatur propter homonymiam in antecedente: quia per Synecdochen membri Hebraicam *animæ* hic personas significant: sexaginta sex animæ, id est, totidem personæ ab ipso genitæ. *Gen.* 46. v. 26.

VI. *Heb.* 7. v. 9. Levi decimatus dicitur in lumbis Abrahæ. Ergò etiam in ipso fuit secundum animam. *Ratio.* I. quia totus est *Heb.* 7. v. 9.

deci-

decimatus. II. quia Christus non fuit decimatus in ipso, quod tantum esset in lumbis Abrahæ ratione corporis. Ergo Levi etiam ratione animæ. *Resp.* sequela negatur. *Probatio prima* illatione ambigua est. Totus in ipso fuit origine subsistentiæ, non substantiæ totius secundum animam & corpus. *Altera* implicat fallaciam non causæ. Non illa causa fuit: secus Christus non foret homo ex Abrahamo & Adamo: vera causa hæc est, quod Levi fuit in Abrahamo secundum rationem seminalem, respectu patris & matris. Christus autem fuit tantum ratione matris, idque citra seminalem rationem.

Rationes objiciuntur istæ:

1. q. homo generet sibi simile specie. *Prima:* Qui generat sibi simile specie & partibus essentialibus speciei, is ipsas quoque partes procreat. Homo generat sibi simile specie; gignit enim hominem; & partibus essentialibus specie, animâ & corpore, quibus non minus genitum, quàm gignens constat. Ergò. *Major* probatur: I. Qui genito communicat essentiam ejusque partes essentiales, is ipsas quoque partes procreat. Hoc enim est communicare. At qui generat sibi simile, is genito communicat essentiam, ejusque partes essentiales. Hæc enim est definitio generationis. Ergò. II. Qui generat totum, omnes ejus partes procreat. Harum enim respectu totum dicitur. At qui generat sibi simile specie & partibus ejus, is generat totum. Alioquin non esset simile totâ specie, sed parte solùm ejus. Ergò. III. Quod valet de generantibus imperfectioribus, id de perfectioribus multò magis verum est. At hoc valet, ut dum generant sibi simile specie, omnes partes procreent. Ergò. *Resp.* *Major* Syllogismi principalis datur de eâ generatione, in quâ omnes partes sunt generabiles. Absolutè & de quâvis generatione, etiam humanâ, negatur consequentia. Ad hanc enim sufficit. I. quod generans materiam fœtus suppeditat. II. suggerit aptitudines & dispositiones ad recipiendam formam, per quam homo existit. III. etiam subsistentiam genito largitur. Quia anima etsi creetur à Deo, tamen non incipit esse & subsistere, nisi in corpore benè præparato ac disposito. *Argumentum* tale est; Qui non solum corpus organicum procreat ex semine, sed etiam animam cum corpore conjungit in unam hypostasin humanam, is gignit totum hominem. *Ratio*, quia unio illa est causa proxima cujusque generationis. Atqui homo gene-

generans id præstat. Ergò. Si etiam ne bestiarum quidem animæ fiunt ideo ex propagine, quasi pars aliqua animæ parentum trajiciatur in prolem; sed quia parentes generando disponant materiam usque ad animationem: quanto magis de hominibus id statuendum est. *Breviter:* Non valet consequentia: quia generatio non terminatur ad productionem formæ vel materiæ, sed totius compositi. *Probationes* Majorem non valdè roborant. *Non prima:* Est enim falsa propositione *minore*: quod homo generans substantiam animæ non minus quàm corporis communicat. Id enim Deo Scriptura tribuit verbis disertis *Eccles.* 12. v. 9. *Zach.* 12. v. 1. Communicat animæ subsistentiam, & eam cum corpore conjungit in unam hypostasin: substantiam non communicat. Definitio generationis, siquidem universaliter usurpatur de omni generatione non univocè sed analogicè intelligenda est: Est communicatio essentiæ vel simpliciter, vel secundum quid. Largitur subsistentiam animæ, non substantiam. *Non secunda: Major* enim falsa est ob fallaciam causæ. Non ea causa generationis totius: sed quod animam cum carne conjungit, & generatio ad productionem non partis, sed totius terminatur. *Non tertia*: quia iterum falsa est *Major* ob elenchum parium. Non enim sicut generabilis est anima vegetativa & sensitiva: ita etiam rationalis. *Ratio* disparitatis est: quia illæ sunt materiales, quæ producuntur ex potentia materiæ: hæc immaterialis, supra materiam ac dispositiones ejus.

Secunda: Si anima non propagatur per traducem, nec datur peccatum originis. Falsum consequens. Ergò & antecedens. *Consequentia* sic probatur: Cujus subjectum non propagatur per traducem, illud non propagatur. Atqui anima subjectum peccati originalis non propagatur per traducem. Ergò ipsum peccatum non propagatur. *Major* loquitur de accidente inhærentiæ, cujus esse est inesse, *Minor* claret, Quia corpus cum sit res bruta, non est capax peccati. In animâ igitur residere necesse est. *Resp.* Negatur consequentia *Propositionis. Ratio*, quia nec creatio animarum impedit propagationem peccati, nec tradux eam juvat; sive causam proximam, sive etiam remotam spectes. *Causa proxima* est impura generatio hominis ex homine. Si igitur homo hominem rectè dicitur gignere, etiamsi non gignat animam: prout paulò antè demonstratum est: quidni etjam possit propagare peccatum. *Causa remota* non est substantia carnis aut animæ, sed judicium & justa ordinatio Dei, quâ à Deo ita

2. q. alias non detur peccatum originis.

fuit ordinatum, ut quæ primo homini data contulerat, illa tam sibi quam posteris suis haberet simul, & perderet. Ergò undecunque sit anima, rea est & manet peccati Adæ. *Vide Calvinum lib. 2. Instit. cap. 1. Sect. 7. Ad probationem* consequentiæ trifariam respondetur. I. Negatur consequentia propositionis. Potest enim in animam à Deo creatam propagari peccatum: idque per conjunctionem cum carne in unam hypostasin: per quam homo fit homo, ut infra dicetur. II. Assumtionis primum membrum non est simpliciter verum. Non enim sola anima, sed & caro: nec sola caro vel anima, sed totus homo est subjectum peccati. Ideo peccatum dicitur habitare in carne & homine *Rom.* 7. 18. & totus homo dicitur peccator, corruptus, filius iræ; secundum totum sui. Nec obstat, quod corpus sit res bruta per se. Hic enim spectatur ex conjunctione cum animâ: quatenus est corpus hominis. Et sensualitas, quæ ἄλογος per se, annon sentina omnium peccatorum, & sic eorum subjectum est? III. Alterum membrum, quod anima non propagetur per traducem quoad substantiam, datur: sed quod non trahatur ex parentibus quoad subsistentiam sive formaliter, negatur. Nam divinitus creata & juncta corpori fit forma hominis animati: qui verè ex parentibus generatur.

3. q. sic Deus foret injustus, & autor peccati.

Tertia: Si animæ creantur à Deo, nec per traducem propagantur, Deus injustus est, & autor peccati. At falsum consequens. Ergò & antecedens. *Propositio* probatur. I. Qui animas expertes peccati Adæ punit propter peccatum ipsius, is est injustus. Deus animas expertes peccati Adæ punit propter peccatum ipsius. *Ratio*: quia in ipso non fuerunt, cum creentur à Deo: atque ita nec peccarunt. Ergò. II. Deus aut sanctas, puras animas creat, aut non. Si prius, est autor peccati; ut qui eas indit corpori impuro, à quo polluuntur. Si alterum, rursum est autor peccati. Quia indit eis impuritatem: quæ certè peccatum est. *Resp. Consequentiam* inficiamur, abominamur. *Probatio prima* falsa est assumtio. *Ratio* ejus laborat fallaciâ divisionis. Dividit enim animam à corpore, & compositum separat. Non anima seorsim, nec corpus seorsim, sed homo constans animâ & corpore peccavit in Adamo: ut dicitur *Rom.* 5. v. 12. 1. *Cor.* 15. v. 22. Ergò etiam, nec anima seorsim, nec corpus seorsim fuit in Adamo, sed compositum. Nec obstat quod creentur animæ à Deo: creantur enim in corporibus, & hypostaticè uniuntur cum eis, ut ex

animâ & corpore fiat homo : & ſic homo hominem gignat *Altera* utroque membro inconſequens eſt. *Priore*, cujus antecedens tamen non approbamus, duplici de cauſâ I. quia conjungit animam impuro corpori, ut perfecta ſit humana natura : id quod majoris momenti eſt, propter ordinem univerſi, & propter Chriſtum; quam quod labe peccati ex conjunctione cum corpore inficitur. II. quia conjungit in pœnam peccati Adæ : cujus omnes in ipſo rei facti ſunt. *Poſteriore* : quia multum differunt non puras creari & impuras creari : ſicut differunt oppoſita privativè & contrariè. Non puras creat, qui creat abſque puritate originali, & ea orbatas. Impuras creat, qui creat cum impuritate, quæ creando inditur. Quomodo impuritas autem in eam propagetur, infra dicetur.

4. q. liberi naſcantur ſimiles parentibus affectionibus animæ.

Quarta : Qui naſcuntur ſimiles parentibus, non ſolum qualitatibus corporis, ſed etiam affectionibus animæ bonis vel malis, eorum animæ ſunt ex traduce. *Ratio*: quia ſicut per traducem corporis trahunt qualitates, ſic per traducem animæ affectiones bonas vel malas. Atqui liberi ita ſimiles naſcuntur parentibus. Ergò. *Reſp*. I. Hoc argumentum particulariter ſolùm concludunt: Quidam liberi : Secus eſſet Minor falſa. At ſic non juvatur tradux : cum omnium animarum idem ſit ortus, eadem origo. Si animæ per traducem propagarentur, Filii ſemper ſimiles omnino eſſent parentibus. Atqui non ſunt. Ergò. II. negatur conſequentia propter fallaciam cauſæ. Cauſa non eſt, quia animas à parentum animabus traductas accipiant : ſed quia corpora ejuſdem temperamenti cum parentibus accipiunt. Ex diverſâ enim corporum humorumque temperie, diverſæ quoque in animis noſtris propenſiones & affectiones naſcuntur : prout experientia & hiſtoriæ teſtantur.

PROBLEMA VIGESIMUM QUARTUM.

Quomodo labi potuerit homo integer ?

Cauſa lapſus hominis integri.

VIderi poſſet quæſtio hæc ſuperflua magis, quàm neceſſaria. Cum enim conſtet lapſum hominem de integritate in peccatum, quid attinet quærere, an vel quomodo potuerit labi? Sed hic non eventus attenditur, verum cauſa illius inquiritur, cum homo

 fuerit

fuerit integer. Integritas est causa corrumpens, impediens lapsum. Quomodo ergò integer lapsus est? Et sunt quidem, qui propterea inclinationem ad peccandum homini integro tribuunt, quos supra *Probl. XX.* confutavimus.

Non est justitia originalis.

Responsio autem hæc est: *Integritas, justitia originalis* quâ cum conditus fuit Adam, *non est causa lapsus & peccati ipsius.* Contrariorum enim unum non causatur alterum. Et quamdiu fuit integer, lapsus non est: simul ac lapsus est, desiit esse integer. Causa verò lapsus fuit mutabilitas hominis integri: sed non per se, sed per accidens.

Mutabilitas hominis integri quæ.

Mutabilitas fuit mutabilis hominis integri conditio ex creatione, quâ sic erat justus, bonus, ut fieri posset injustus & malus. Nec enim justitia originalis fuit impotentia peccandi, ut non posset homo peccare: sed potentia non peccandi, ut posset non peccare, si nollet peccare: planè sicut immortalitas ipsis erat non impotentia moriendi, sed potentia non moriendi, si nollet peccare. Mutabilitas hæc etiam dici solet *mutabilis voluntas* hominis: quâ ita volebat bonum, ut etiam posset appetere malum, specie boni oblatum: item *liberum arbitrium,* quo ita adhærebat Deo, ut tamen liberè se avertere à Deo, & Diabolo obtemperare posset.

Probatur.

Hæc mutabilitas hominis colligitur I. ex eventu: Homo mutatus fuit per defectionem & lapsum à Deo *Gen.* 3. Ergò erat mutabilis antè. II. à modo agendi: Deus egit cum homine præceptis, interdictis, promissionibus, comminationibus *Gen.* 1. 2. *cap.* Ergò: nec enim cum iis, qui immutabiliter boni, ita procedit. Sic in alterâ vitâ. III. à pari, vel etiam à majori; Angeli, qui tamen majores hominibus *Psal.* 8. v. 6. mutabiles fuerunt: unde Christus Diabolum in veritate non perstitisse *Ioh.* 8. v. 44. & Petrus Angelos quosdam peccasse 2. *Epist.* 2. v. 4. testatur. Ergò.

Est causa peccati non per se.

Ea dici non potest causa per se lapsus & peccati Adæ. I. quia fuit conditio concreata homini integro à Deo. Ergò fuit bona: quia omnia valde bona *Gen.* 1. v. 31. Intelligimus autem hic bonum naturæ. Et à Deo nil nisi bonum. II. quia etiam fuit in angelis electis ante confirmationem ipsorum in statu integritatis. Ergò non causa per se. Secus non minus ipsi, quàm cæteri Angeli lapsi fuissent.

Sed per accidens.

Est verò causa per accidens; sive mutabilitatem ipsam, tanquam conditionem naturæ primævæ, sive protoplastum Adamum attendas.

tendas. *Priore modo:* quia Bonum est causa mali sive peccati per accidens, non per se: sicut unum oppositum non gignit alterum. Mutabilitas est bonum naturæ sive conditionis. Ergò. *Posteriore*: Qui præter intentionem ac animi propositum lapsus est in peccatum & mortem, est causa per accidens, non per se. Patet ex definitione causæ per accidens. Adamus integer, sed mutabiliter, præter intentionem ac animi propositum lapsus est in peccatum & mortem. *Ratio*: quia non spectavit transgressionem præcepti divini, & defectionem à Deo; sed bonum illud quod huic malo judicabat esse adjunctum ex persuasione Satanæ; cognitionem scilicet boni & mali, & æqualitatem cum Deo. Ergò.

Mutabilitas igitur est causa peccati, quatenus homo mutabiliter bonus, objectâ imagine falsi boni à vero bono descivit, & se suosque præcipitavit in malum. Ita distinguendum est inter *actum mutabilitatis*, qui fuit inclinatio ad malum, lege Dei damnata, & omnis peccati fons: & *mutabilitatem, quæ est conditio creaturæ* conveniens, & potentia indifferens ad bonum & malum, quâ poterat perseverare in bono, vel etiam ab eo deficere; sive potentia disponibilis quidem ad malum, at non disposita.

PROBLEMA VIGESIMUM QUINTUM.

Quomodo & quo fine lapsum hominis integri Deus permiserit?

SVnt qui Providentiam Dei planè excludunt à lapsu hominis; sed contra Scripturam & naturam Dei. Si enim nec passer, nec pilus capitis in terram cadit sine voluntate Patris nostri; *Matt.* 10. v. 29. 30. multo minus inscio ipso, aut invito, in peccatum & mortem lapsus est Adam, & cum eo totum genus humanum; Et certè cum omniscius sit Deus, prævidit utique ipsius lapsum, cum omnipotens, impedire eum potuisset, siquidem voluisset; Quia verò noluit impedire; utique voluit permittere & evenire; idque propter certam causam, & quidem secundum æternum consilium voluntatis suæ; qui omnia agit ex illo consilio *Eph.* 1. v. 11. Est igitur Providentia Dei etiam de hominis lapsu.

Providentia Dei à lapsu hominis non est excludenda.

Econtra *sunt* alii, qui curiosè magis quàm religiosè abdita omnia

neque rimanda.

omnia hujus providentiæ hìc rimari & pervestigare satagunt: quod non probandum aut imitandum. Sunt enim judicia Dei abyssus, imperscrutabilia & impervestigabilia. *Psal.* 36. v. 7. & *Rom.* 11. v. 33. 34. Et quæ occulta, Deo nostro occulta sunt. *Deut.* 29. v. 29. Nos ergò ne κατ' ὑπερβολὴν vel ἔλλειψιν peccemus, modum tenebimus: nec quod verbo Dei non revelatum, aut non necessarium promemus.

Membra problematis duo sunt: Unum de Modo; alterum de Finè.

Modus permissionis. Deus non impulit ad peccandum.

Modum κατ' ἀντίθεσιν declaramus.

Negativè:

I. Deus non impulit Adamum integrum ad peccandum. I. Quia Deus severè interdixit hoc peccatum *Genes.* 2. v. 17. II. quia Moses describens accuratè omnes ejus causas, nullam Dei mentionem facit, nisi in pœna *Genes.* 3. *cap.* III. Eccles. 7. v. 29. *Deus condidit hominem rectum: ipsi autem* proprio scilicet motu, suadente & instigante satanâ, *quæsiverunt ratiocinia plurima.* Atque huc faciunt omnia argumenta, quibus ostendi solet, Deum non esse autorem peccati.

Non subtraxit gratiam peccato adversantem.

II. Nec subtraxit ipsi gratiam peccato adversantem. I. quia illa secuta est in pœnam peccati: ut quæ est privatio Imaginis Dei propter peccatum *Gen* 3. & 5. Ergò peccatum non præcessit. II. quia secus impulisset hominem ad peccandum: veluti cum subductis columnis domus necessario corruit. Atqui nonnulli *ajunt* hominem etiam ante lapsum desertum à Deo, & subtractam ei gratiam. *Resp.* Hi defectionis & subtractionis vocabula accipiunt καταχρηστικῶς: non ut denotent privationem Imaginis Dei, sed dilationem novæ, sive succedaneæ specialis gratiæ: qua homo vellet perseverare & vincere tentationes satanæ. Ideo vocant desertionem non pœnæ, quæ demum locum habet patrato peccato, sed explorationis.

Non cooperatus est peccato.

III. Nec ullo modo peccato ipsius cooperatus est. Cooperatus quidem fuit actioni, quâ talis *Act.* 17. v. 28. Erat enim bonum naturæ; sed non vitiositati ipsius, sive quatenus veniebat contra legem, tum quia peccatum repugnat naturæ Dei, *Psal.* 5. v. 5. *Iacob.* 1. v. 14. tum quia Adamus culpam peccati non in Deum, sed in Evam, & hæc in serpentem transtulit, nunquam id omissurus, siquidem Deum adjutorem & cooperarium peccati sui habuisset.

Affir-

Affirmativè.

I. Deus non contulit Adamo adjutorium novæ ac ſpecialis gratiæ, nec juvit ipſum extraordinario auxilio ut vellet perſeverare, conſtanter reſiſtere tentationibus ſatanæ: ſicuti poterat. *Patet* ex eventu. Nam ſi contuliſſet, utique perſeveraſſet: non minus quàm ſancti Angeli. Nec tamen ſic conſors peccati ipſius efficitur. I. quia non fuit debitor homini, nec obligatus ad præſtandum novum auxilium. II. quia viribus neceſſariis ipſum inſtruxerat, & de voluntate ſua erudierat per legem.

sed non contulit adjutorium ſpecialis gratiæ.

II. Nec impedivit vel ſatanam, quo minus tentaret Adamum; vel hunc, quo minus ſatanæ tentanti obtemperaret; ſed tentationem & lapſum hominis permiſit. Et hæc plana ſunt ex eventu. Si non permiſiſſet, impediviſſet: ut *Geneſ.* 20. v. 6. Atqui non impedivit: nam evenit. Ergò. Utor *permiſſionis* vocabulo ſenſu Scripturæ *Act.* 14. v. 16. prout de aliis quoque peccatis intelligitur. Sed quomodo permiſit. I. Non invitus; quis enim cogeret eum? ſed volens; quia permiſſio eſt actus voluntatis; ſed volens non peccatum, id eſt, approbans illud; ſed permiſſionem illius. Ita dicitur aliquando, Adamum Deo volente peccâſſe; ſicut I. *Pet.* 4. v. 19. II. Secundum formulam æterni decreti, quo decrevit permittere peccatum *Act.* 15. v. 18. Ita dicitur Deum decreviſſe lapſum Adæ, ſcilicet permittere; item eſſe neceſſarium, neceſſitate conſequentiæ. propter præſcientiam infallibilem, & decretum permiſſionis immutabile.

Non impedivit ſatanæ tentationem.

III. Ordinavit & direxit lapſum ad fines illos, quos æterno ſuo conſilio præfinierat. Non loquor de fine peccati permiſſi, qui nullus eſt propriè & per ſe; ſed de fine permiſſionis divinæ. Deus eſt ſapientiſſimus & optimus; qui nihil vult ſine certo, eoque optimo fine. Ergò & permiſſionem peccati Adæ voluit certi & boni finis gratia; & ad finem illum, lapſum ejus, ordinavit, direxit & convertit; planè ſicut ſcriptum eſt Geneſ. 50. v. 20. *Vos quidem cogitaveratis contra me malum, ſed Deus cogitavit illud in bonum convertere; ut faceret, ſicut eſt die hoc, conſervando in vitâ populum multum.* Quo ſenſu ajunt nonnulli, Hominem Dei ordinatione lapſum eſſe.

Ordinavit ad fines à ſe præfinitos.

Fines ergò ordine ſubjiciemus, quatenus quidem pateſcunt.

Fines permiſſionis.

Non eſt autem ille finis, quem *Novatores* commenti ſunt, ut integra ac plena eſſet libertas arbitrii humani, cui Deus nullam vim

Non ut integra eſſet libertas arbitrii humani.

vim inferre voluerit. I. Poterat enim Deus ſine imminutione libertatis humanæ cohibere ſatanam, ne tentaret hominem; & hominem vel præmonere, ne crederet ſatanæ: vel inſtruere novo auxilio, ut tentantem ſuperaret. II. Injurii ſunt in Deum, quaſi nihil ſublimius ſpectarit in hoc negotio: & à Scriptura redarguuntur *Rom.* 1. v. 32. *Gal.* 3. *v.* 22. ut jam dicetur.

Alii autem ſunt *fines*, tam proximi quam remoti, quos quoad Hominem ipſum, & Deum diſtinguimus

Reſpectu hominis.

Reſpectu hominis. Finis *proximus* fuit manifeſtatio infirmitatis creaturæ, quam nihil poſſit, ſi in rectitudine originali à creatore non ſervaretur, juxta illud *Ioh.* 15. v. 5. Finis *remotus* fuit major felicitas & perfectior ſalus hominis in Adamo ſecundo Chriſto Jeſu: ut eſt *Rom.* 5. v. 14. 17. 18. *&* 1. *Cor.* 15. v. 22.

Reſpectu Dei.

Reſpectu Dei. Finis *proximus* eſt pulchritudo univerſi, quæ ex hâc permiſſione exſurgit: atque in eo conſiſtit, ut in mundo tanquam in magnâ domo eſſent omnis generis vaſa, alia ad honorem, alia ad dedecus ordinata: ut loquitur Apoſtolus. 2. *Tim.* 2. v. 20. & ex ipſo Auguſt. *lib.* 3. *de Lib. Arb. cap.* 9. Finis *remotus* eſt patefactio gloriæ Dei, inprimis verò illuſtratio miſericordiæ ipſius in ſalute Electorum propter Chriſtum, & juſtitiæ in damnatione Reproborum propter peccatum. De utroque conjunctim eſt *Rom.* 9. v. 20. *& ſeq.* 2. *Tim.* 2. v. 20. De priore autem ſejunctim eſt *Rom.* 11. v. 32. Gal. 3. v. 22.

Contra hunc finem, qui facile eſt præcipuus, objicitur.

Permiſſio peccati quatenus faciat ad illuſtrationem gloriæ Dei.

Primò: Deus non opus habet homine peccatore. *Eccleſ.* 17. v. 12. non eget hominum ſceleribus. Ergò. nec permittit illa ad illuſtrationem gloriæ ſuæ. *Reſp.* Si ita eſt, jam aut non permittit illa, aut non permittit certo fine: quorum utrumque abſurdum. Sed. I. negatur ſequela: Etiam non eget homine: Ergò non condidit hominem ad gloriam ſuam. *Eſt nullius rei indigus*, inquit Apoſtolus *Act.* 17. v. 25. Ergò nec ullam rem fecit. II. Antecedens ambiguè dicitur. Non opus habet homine peccatore ad ſui perfectionem: eſt enim in ſe perfectiſſimus; nec abſolutâ aliquâ neceſſitate, quaſi ex abſolutâ ſuâ potentiâ & ſapientiâ aliter agere non potuiſſet. Habuit tamen opus ex hypotheſi conſilii ſui. Quia enim liberâ voluntate ſtatuit miſericordiam declarare in ſalvatione miſerorum, & juſtitiam in damnatione peccatorum, utique oportuit permittere lapſum per quem perveniret, quo vellet.

Alias

Aliàs non potuisset, non propter defectum potentiæ, sed ob conditionem rerum, & conditionis illius defectum. Implicaretur enim contradictio.

Secundò; Æquè claruisset bonitas & justitia Dei in Ecclesiâ, si nunquam lapsus fuisset homo, quàm nunc postquam lapsus est. *Bonitas*; quia à sanctis & bonis æternùm cultus fuisset; idque tum modo puriore, tum constantiâ majore, quam nunc colitur. *Justitia*, quia ea abunde illustrata fuisset in damnatione ipsorum Angelorum, qui jam tunc conciderant, atque à Deo severiter multabantur. Ergò lapsum non permisit ad illustrationem misericordiæ & justitiæ suæ. *Resp.* I. negatur *consequentia*. Si maximè æquè claruisset, tamen non ita multifariam & tam diversis modis claruisset. Jam verò Deus etiam diversitatem spectavit ad laudem sapientiæ suæ, teste Apostolo *Eph.* 3. v. 10. II. *Antecedens* falsum est & contra Scripturam, quæ profundas divitias in iis ponit: nobis, imò ipsis Angelis, imperscrutabiles & impervestigabiles. *Rom.* 9. & 11, *capp*, *Eph.* 3. v. 10. 1. *Pet.* 1. v. 12. Gloria misericordiæ & justitiæ non perceptibilis luce naturæ multo illustrior est, quàm quæ est perceptibilis. *Probationis prius membrum* partim alienum, partim falsum est. *Alienum*; quod ex cultu claruerit; imo potissimum ex bonitate Dei, quam ipse præstat hominibus. *Falsum* I. quia quo plura & majora beneficia præstat generi humano, hoc illustrior fit ipsius gratia & misericordia *Ioh.* 1. v. 16. *Rom.* 8. v. 29. 30. II. quod purius & constantius cultus fuisset. Liberi non minus mutabiles fuissent, quàm parentes. Ergò. Sic illustrior cognitio, & major dilectio pro beneficiis pluribus. Vide *Luc.* 7. in parabola mulieris peccatricis, quæ diligebat multum, quia multa peccata ei fuerant remissa. *Alterum membrum* I. negatur; quia tantum illustrata fuisset in genere Angelorum; non item in genere hominum. In primis autem non ostendisset eam in Christo; quod maximè illustre justitiæ divinæ exemplum *Rom.* 3. v. 25. 26. II. etiam pro nobis facit. Angelorum lapsum permisit ad illustrationem justitiæ suæ. Quidni ergò & hominum permiserit? Sed *Instant* pro membro priore; Si quid aucta fuit Dei gloria per lapsum, considerare oporteret, quanta Deo propterea perficienda fuerint; nam mittere oportuit filium suum; exinanire eum, ut fieret vermis; ut gloria ex redemtione hominis magno illi emta sit *Resp.* Ita sanè est. Sed eo modo misericordiam suam nobis

Bonitas & Iustitia Dei illustriores sunt ex lapsu hominum.

magis commendavit, ut fieret illustrior, quod pro nobis est. *Vide Joh.* 3. v. 16. *Rom.* 5. v. 8.

Tertiò: Rom. 3. v. 8. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Ergò Deus lapsum hominis non permisit ad illustrationem gloriæ suæ. *Resp.* Negatur sequela. Id tantum sequitur: Non effecisse Deum lapsum hominis ad suam gloriam: quod verum est. *Instant*: etiam non sunt permittenda mala ut eveniant bona. *Resp.* Datur de creaturis, siquidem possint ea impedire. Debent enim illud Deo & proximo. De Deo negatur, & est contra Scripturam *Gen.* 50. v. 20. *Ratio* est I. quia non tenetur impedire, cum nulli obligetur: II. quia potest mala in bona convertere, ut probet bonitatem, misericordiam, & justitiam suam. Sic ergò bonum est, non malum, mala permittere. De quo præclarè Augustinus *lib. de corrept. & gratia cap.* 10. *Scivit Deus magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bona facere, quam mala esse non sinere.*

Mala non permittenda, ut eveniant bona, quatenus intelligendum.

Quartò: Non est Deus more hominum gloriæ cupidus, nec sinit alios venire in discrimen, ut laudem ex eorum liberatione consequatur: sicut Nero, teste Tacito *lib.* 15. *Annalium*, Urbis Romæ incendium procuravit, ut gloriam ex novâ urbe conditâ aucuparetur. Ergò nec permisit lapsum hominis ad illustrationem gloriæ suæ. *Resp.* Antecedens habet fallaciam plurium interrogationum. Verum est Deum non esse hominum more laudis avidum, qui illicitis mediis eam quærunt; etiam sibi non convenientem: quia I. nec sibi indebitam aut non convenientem, II. nec injusto modo, aut illicitis mediis appetit. Verum item non cogitare aut facere mala. Sed non omnia facere ad suam gloriam; impios propter eam excitare, vocare in discrimen justo judicio, est contra Scripturam *Proverb.* 16. v. 4. *Rom.* 9. v. 17. 20. 21. 22. *Exod.* 9. v. 16. *cap.* 14. v. 4. *Ratio* est: Qui est primus efficiens, est etiam ultimus finis, & A quo & per quem sunt omnia, etiam propter eundem sunt omnia *Rom.* 11. v. 36. Ideo adoranda hæc Dei judicia, non perscrutanda: ut est *vers.* 33.

Deus omnia facit ad suam gloriam, & quatenus.

PRO-

PROBLEMA VIGESIMUM SEXTUM.

Vtrum peccatum originale sit mera privatio, an etiam positiva qualitas?

DOgma est *Pelagii*, ex peccato Adæ nullam corruptam qualitatem, id est, vitium vel malitiam nullam derivatam in posteros. In quo consentiunt plerique Doctores *Scholastici* & *Pontificii*, quatenus corruptionem naturæ solâ amissione doni supernaturalis sine ullius malæ qualitatis accessu definiunt. *Vide Bellarm: lib. de Grat: primi hominis cap. 5.* Heterodoxis Orig: peccatum est mera privatio.

Hinc nata quæstio *de naturâ peccati originalis*, quam priusquam expediamus, distinguemus & explicabimus terminos subjecti & prædicati.

Primò. *Peccatum originale* spectatur atque definitur bifariam; *Concretivè* & *abstractivè*: *illo* modo dicitur inclinatio naturæ corruptæ pugnans cum lege. *Isto* est pravitas sive corruptio naturæ nobiscum nata. Peccatum orig. quotupliciter sumatur.

Deinde; *positiva qualitas* trifariam distinguitur, in Ethicam, Physicam & Logicam. *Ethicè* positiva qualitas est qualitas moraliter bona. *Physicè* est qualitas naturalis, à creatione vel naturâ existens per se. *Logicè* est qualitas affirmata, inhærens subjecto, bona vel mala; ut cum ita aliquid negatur inesse subjecto, ut affirmetur inesse ejus contrarium. Quotupliciter etiam Positiva qualitas.

His præmissis respondeo duabus propositionibus.

Prima: *Peccatum originale concretivè sumtum est qualitas positiva Physica, subjecti respectu: at non prava qualitas.* Vocabula concretiva duo significant; subjectum & formam. In peccato originali, *subjectum* sunt vires & facultates animæ & corporis; *Forma* est pravitas, vitiositas inhærens subjecto. Hoc subjectum certè est qualitas Physica creata à Deo. Ergò est qualitas positiva. Sed non est prava qualitas; cum ad bona naturæ & naturalem hominis perfectionem pertineat. Ergò bona. Peccatum Orig. concretivè est qualitas positiva Physica, non prava.

Secunda: *Peccatum originale abstractivè sumtum est qualitas positiva Logica, sed prava, mala: non autem nuda ac mera privatio.* Privationem esse non negamus. Est enim defectus, sive carentia justitiæ originalis debitæ inesse, prout vulgo definitur ex Anshelmo. PeccatumOrig. abstractivè est qualitas positiva Logica, sed prava.

mo. Et ita Scriptura nonnunquam privativè de eo loquitur: Rom. 3. v. 23. *Omnes peccaverunt ac deficiuntur gloria Dei* cap 7. v. 18. *ut quod bonum est efficiam, non assequor*. 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei: nec potest ea cognoscere*. 2. Cor. 3. v. 5. *Non sumus idonei ex nobis ad cogitandum quicquam*, scilicet boni. Sed negatur esse mera & simplex privatio.

Non mera privatio.

Probatur.

Rationes sunt: I. à dictis Scripturæ: Genes. 6. v. 5. & cap. 8. v. 21. *Omne figmentum ac cogitationes cordis humani tantummodo malum est omni tempore, à pueritia ipsius*. Jerem. 17. v. 9. *Fraudulentum cor ipsum supra omnia, & mortiferum est*. Rom. 7. v. 5. *Quum essemus in carne affectus peccatorum per legem existentes vigebant in membris nostris, ad fructum ferendum morti*. & v. 23. *cerno aliam legem in membris meis, belligerantem adversus legem mentis meæ, & captivum me reddentem legi peccati, quæ est in membris meis*. Eph. 2. v. 3. *Conversati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant, eramusque natura filii iræ*. II. Tenebræ, stulticia & sapientia carnis in mente; malitia ac pravitas in voluntate; in affectibus impuritas multiplex sunt positivæ qualitates pravæ. Atqui hæc sunt peccatum originale & partes ejus. Ergò. *Major* patet ex definitione. *Minor* constat dictis Scripturæ Eph. 5. v. 8. *Eratis olim tenebræ*. 1. Cor. 2. v. 14. *Quæ sunt Spiritus Dei, sunt ei*, homini animali, *stultitia*. Rom. 8. v. 7. *Quod sapit caro inimicitia est adversus Deum; Legi enim Deo non subjicitur, nam ne potest quidem*. Gen. 6. v. 5. Eph. 2. v. 3. Tit. 3. v. 3. *Eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis &c*. III. Vitia virtutibus non privativè solum opponuntur, sed etiam contrariè. Peccatum originale est vitium naturæ *Eph. 2. v. 3*. Ergò. Hujus oppositionis illustre exemplum habetur Gen. 5. v. 3. *Adam genuit filium ad similitudinem suam, ad imaginem suam*. Ubi imago Adæ non solum notat privationem imaginis Dei, sed etiam quandam contrariam qualitatem imagini huic oppositam, & homini impressam. IV. Qualis effectus, talis est causa, à quâ dependet. Effectus peccati originalis sunt non solum privativi, sed etiam positivi: non tantum peccata omissionis, verum etiam commissionis. *Vide Mat. 15. v. 19. Rom. 3. v. 10. 11. & seq. Gal. 5. v. 19. 20. 21. Coloss. 3. v. 5. 6*. Ergò tale est ipsum Originale peccatum. V. A similibus: Languor & morbus corporis non tantum est absentia sanitatis, sed etiam mala corporis dispositio, quæ dolorem parit; Elephantiasis,

asis, lepra non tantum privatio puri sanguinis, sed etiam ejus corruptio; curvitas non solum privatio recti, sed etiam positio curvi. Ergò peccatum originale etiam non tantum est privatio rectitudinis, verum etiam positiva corruptio. *Ratio*: quia cum his in Scripturâ comparari solet.

Objicitur: Objectiones.

Primò: Positiva qualitas habet causam positivam. Peccatum originale non habet causam positivam. Ergò. *Resp*. *Minor* falsa est: quia Logicè loquendo causa positiva est Hominis arbitrium, liberè se avertens à Deo: ut docet Scriptura *Rom*. 5.v.12. 1.*Tim*. 2.v.14.

1. q. Peccatum Orig: non habeat causam positivam.

Secundò: Multi Theologi Orthodoxi asserunt, peccatum originale esse privationem, item non nisi privationem. Negant igitur esse positivam qualitatem. *Resp*. *Privatio* dupliciter accipitur, est *puræ negationis*, quæ tantum privat, non autem malè disponit: ut quies est nuda & simplex privatio motus: Est etiam *pravæ dispositionis*, quæ subjectum malè disponit & vitiat; ut morbus. Talem intelligunt privationem, sed illa positivam qualitatem complectitur.

2. q. quidam Theologi peccatum Orig: vocent privationem.

PROBLEMA VIGESIMUM SEPTIMUM.

Quomodo peccatum originale transeat à parentibus in liberos?

PRoblema arduum cognitu, difficile explicatu: in quo summa se ingenia exercuerunt. *Augustinus* quidem in explicatione ejus nunquam sibi potuit satisfacere. Unde *epist: 29. ad Hieronym*: suadet, potius dispiciendum quomodo ab eo malo per Christum liberemur, quàm quomodo id ab Adamo traxerimus, disputandum. Et adducit simile ab eo, qui in puteum prolapsus non solicitus est quomodo istuc inciderit, sed quomodo istinc evadere queat. Nec ergo à nostrâ tenuitate expectabitis, quod omnibus satisfaciat, omnes scrupulos tollat. Interim quæ ex verbo Dei & Orthodoxorum Theologorum dissertationibus de eo habentur, ὡς ἐν τύπῳ proponam.

Problematis hujus difficultas.

Principio illud tenendum est, *peccatum originale* non eodem

Peccatum Orig: sumitur.

Strictius. modo considerari, sed vel strictius vel latius. *Strictius* accipiunt, qui illud de hæreditariâ naturæ nostræ corruptione interpretantur, quæ quidem tum in privatione justitiæ originalis, tum in contrario injustitiæ habitu consistit: ut *Bucerus, Calvinus, Bullingerus.*

Latius. *Latius*, qui cum hæreditariâ naturæ corruptione conjungunt inobedientiam sive transgressionem Adæ, nobis tanquam naturalibus ipsius hæredibus justissimè imputatam: ut *Philippus, Ursinus, Zanchius.*

Posteriore modo hic accipitur. Hoc modo hic spectatur, & à nobis consideratur: propterea quod multo & planior & facilior redditur quæstionis explicatio. Etenim non pars solum, sed totum peccatum secundum omnes partes sumitur: Nec effectum seorsim, sed una cum sua causa conjungitur. Et sic *peccatum Originale* vocatur tum *quia* omnes homines in Adamo, tanquam in suâ origine, peccarunt: quo respectu nonnulli vocant peccatum *Originans*: tum *quia* quisque ex vitiosâ origine concipitur & nascitur in peccatis, Filius iræ naturâ *Eph.* 2.v.3.

Peccatum Originale unde dicatur.

Modus derivationis est Imputatio peccati Adæ & impura Generatio. His ita præmissis, *Modum*, quo peccatum originale à parentibus transit in liberos, geminum esse asserimus, *Imputationem* transgressionis Adæ & impuram naturæ nostræ *Generationem*. Quod *sejunctim* in utriusque modi explicatione patescet. *Conjunctim* autem demonstratur argumento ex contrariis: Quomodo communicatur Christi justitia & vita, eo modo propagatur peccatum & mors, At justitia & vita ipsius communicantur imputatione & regeneratione. Ergò. Sunt quidem duo hi modi inter se connexi & planè inseparabiles: distincti tamen ut antecedens & consequens, ut causa & effectum. Ideo enim corruptio naturæ ab Adamo in nos derivatur, quia in ipso peccavimus, & rei facti sumus. De utroque igitur seorsim agemus.

DE PRIORE.

Imputatio peccati Adæ quid. *Imputatio transgressionis Adæ* est, quod Deus omnibus naturalibus hæredibus ipsius imputat ipsius peccatum, propter illud ipsos peccatores censet ac reputat; haud secus, quam si in suâ quisque personâ illud patrasset. Alii vocant *Reatum* ab effectu consequenti, quia propter illam transgressionem omnes rei sunt coram Deo. Apostolus *Rom.* 5.v.16. nominat *κρίμα, judicium*, reatum intelligens per metonym; adjuncti: nam judicium Dei occupatur in reatu ei qui peccavit imputando.

Ergò

Ergò illud quod imputatur est *peccatum Adæ*: non quodvis peccatum aut multiplex: Sed *unum* illud & primum peccatum, quod admisit comedendo de fructu arboris vetitæ *Gen. 2. vers.* 17. Ideo Apostolus non solum loquitur de eo numero singulari, sed etiam emphaticè & κατὰ διάκρισιν ἓν παράπτωμα *unum lapsum* nominat *Rom.* 5. v. 16. 18. Deinde transit hoc peccatum ab Adamo in posteros *per imputationem*: non actu. Nam actu non fuimus in Adamo, sed δυνάμει, originaliter in lumbis ipsius: nec peccavimus ad similitudinem transgressionis Adæ, id est actualiter: denique filii à parentibus non trahunt actus parentum. Quomodo igitur? Culpâ & reatu. *Culpâ*, quatenus ea nobis est cum ipso communis *Rom.* 5. v. 12. *reatu*, quatenus propter culpam unà cum ipso rei facti sumus 1. *Cor.* 15. v. 22.

Est peccati primi.

Imputatio.

Probatur.

Hic modus demonstratur:

I. *ex disputatione Apostolica Rom.* 5. v. 12. *& seqq. imprimis.* v. 17. 18. 19. Qui cum actu in Adamo non essent, in Adamo tamen peccarunt, illis peccatum Adami imputatur. Atqui omnes homines cum actu in Adamo non essent, in Adamo tamen peccarunt *vers.* 12. & 14. Ergò. *Rursum*: Per cujus unam offensam mors regnavit, & reatus ad condemnationem venit in omnes homines, ejus una illa offensa omnibus hominibus imputatur. At per unam unius Adami offensam mors regnavit & reatus ad condemnationem venit in omnes homines *vers.* 17. 18. Ergò. *Ad hæc*: Qui per contumaciam Adami sunt constituti peccatores, iis peccatum Adami imputatur: Atqui omnes homines per contumaciam Adami sunt constituti peccatores *vers.* 19. Ergò. *Denique*: Quomodo justitia & obedientia Christi redundat ad justificationem in omnes eos qui Christi sunt, eodem modo reatus, offensa, & contumacia Adami redundat ad condemnationem in omnes eos qui Adami sunt. Atqui per imputationem redundat justitia & obedientia Christi ad justificationem in omnes eos qui Christi sunt *vers.* 17. 18. 19. Ergò.

1. ex disputatione Apostoli *Rom.* 5. v. 12. *seq.* & v. 17. 18. 19.

II. *à proprio effectu*: Qui in Adamo mortui, sive mortis rei facti sunt, iis peccatum ipsius imputatur. *Ratio*: quia stipendium peccati est mors *Rom.* 6. v. 23. Atqui omnes naturales ipsius hæredes 1. *Cor.* 15. v. 22. Ergò.

2. à proprio effectu.

Hic verò tria veniunt expedienda, quæ moveri solent circa imputationem. I. Quæ sit causa hujus imputationis? II. Cur hoc

hoc peccatum Adæ magis imputetur, quam reliqua? III. An non pugnet hæc imputatio & cum *dicto* Dei, *Ezech.* 18. v. 4. *anima quæ peccavit ipsa morietur.* & cum *Facto* ipsius, quo propria peccata nobis remittit: Ergò aliena non imputat?

Imputationis caussa propinqua.

Ad primum: Caussa duplex est. *Una* propinqua, *altera* remota. *Illa* est, quod Adam peccavit non ut persona privata & singularis, sed ut caput, fons, origo, & principium universale totius generis humani. Sicut igitur cum homo manu homicidium, aut aliud scelus patrat, ipse totus & omnia ejus membra rea sunt: Ita hîc, quod Adamus peccavit ceu caput & principium Generis humani, ejus totum genus humanum, & omnia ejus individua, naturaliter ab istoc principio progenita, rea sunt. Et peccatum ipsius non censendum personale, ipsius proprium: sed universale, nobis cum ipso commune. Hanc caussam exponit Apostolus *Rom.* 5, v. 12. 3. *Cor.* 15. v. 22. *In quo omnes peccarunt*, scil. ut membra in capite, surculi in radice. Et quia Christus patiens, moriens pro nobis, non passus aut mortuus est ut privata persona, sed ut sponsor universalis, qui omnium peccata in se receperat. 2. *Cor.* 5. v. 15. Ergò etiam Adamus peccans peccavit ut persona universalis, repræsentans omnes posteros suos. Ideo enim confertur cum Christo *Rom.* 5. 1. *Cor.* 15. Ex hac caussâ intelligitur, cur proximorum parentum peccata, non æque imputentur: nim. quia sunt peccata personalia, & ipsi peccantes personæ privatæ, quæ sibi tantùm peccant. *Ista* est Ordinatio Dei, quâ justo Judicio, nobis imperscrutabili, constituerat, ut dona in creatione accepta Adam sibi & posteris simul vel servaret, vel perderet. Planè sicut de feudo fit, quo ob rebellionem liberi cum parentibus multantur. *Probatur* I. *ex comminatione Gen.* 2. v. 17. Nam ad quos interdictum, ad illos etiam comminatio pertinet. At interdictum etiam ad posteros extenditur: neque enim ipsis magis licuisset edere de fructu arboris vetitæ, quàm primis parentibus: & eorum non minus erat exploranda obedientia, quam primorum parentum. Ergò. II. *ex Rom.* 5. v. 16. ubi vocatur κρῖμα; at illud Dei est, ordinantis, ut una offensa imputaretur omnibus hominibus ad condemnationem: & quidem justissimè, nam ipsius judicium est secundum veritatem *Rom.* 2. v. 2. III. *ex. Rom.* 11. v. 32. Conclusit Deus omnes illos

Cur proximorum parentum peccata non imputentur liberis.

Remota.

illos in inobedientiam: dum omnes voluit constitui peccatores per unius contumaciam. *Rom.* 5. v. 19.

Ad secundum: Caussa cur hoc peccatum Adæ magis imputetur quàm reliqua, hæc est, quia hoc peccato solo violatum fuit fœdus, quod Deus cum ipso tanquam autore generis humani contraxerat. Fuit rebellio universalis adversus Deum, & totalis apostasia sive defectio ab ipso, tum ipsius Adæ, tum universæ posteritatis in ipso *Rom.* 5. v. 12. Reliqua peccata fuerunt tum particularia, tum hujus effecta, Sicut igitur in perduellionis crimine non tam spectari solent reliqua delicta, quam illud quo primum factus est rebellis; licet cætera gravent: ita hic quoque evenit. Sed præter hanc caussam est alia sublimior in Judicio Dei, quam indicat Apostolus *Rom.* 5. v. 16. κρῖμα id est, reatus ex judicio Dei. Illud hic adorandum, non curiosè scrutandum est.

Cur hoc peccatum magis imputetur, quàm cætera.

Ad tertiam: Negatur utrumque: nec enim ulla est repugnantia. Dictum *Ezechielis* impertinenter allegatur. I. loquitur de peccatis Patrum, quorum peccata sunt personalia, & qui peccando non sustinent personas Filiorum; quod evidens est ex verbis Prophetæ v. 20. At Adæ dispar ratio est. II. Quia Filii intelliguntur infantes, qui ipsi non participant peccata Patrum, nec eodem cum ipsis reatu tenentur. At nullus insons quoad Adamum, in quo omnes peccarunt & moriuntur *Roma.* 5. v. 12. 1. *Cor.* 15. v. 22. *Deinde*: cum imputat Deus peccatum Adæ, non tam imputat alienum, quàm quod cujusque proprium est. Omnes eramus in Adamo. Omnes ergò etiam peccavimus in ipso. Igitur peccatum Adæ ut nostrum nobis imputat; & ut nostrum nobis remittit; licet à nobis non in nostrâ persona: sed in Adamo, tanquam primâ origine, admissum fuerit.

Vindicatur dictum *Ezech.* 18. v. 4.

Peccatum Adæ, quod nobis imputatur, non est alienum.

DE POSTERIORE.

Alter modus est *Impura Generatio*, quâ ex corruptis & peccatoribus corrupti, peccatores nascuntur. Hic modus spectat inhærentem nobis pravitatem, quod absque justitiâ in injustitiâ concipimur, nascimur. Sicut enim ex parente leproso, Elephantiaco, talis Filius nascitur; ita hic quoque corruptus corruptum gignit.

Impura Generatio.

Probatur.

Veritas ejus evidens est multis, iisque illustribus, Scripturæ testimoniis:

Job. 14. v. 5. *Quis edat mundum ex immundo*: scil: semine? ne *unus quidem*.

Psal. 51. v. 7. *En in iniquitate formatus sum, & in peccato fovit me mater mea.*

Esa. 48. v. 8. *Defectorem ab utero vocavi te.*

Joh. 3. v. 6. *Quod genitum est ex carne, caro est.*

Accedit quoque *Ratio* secundum Scripturam.

1. Quia cum naturâ propagatur.

I. Quod cum naturâ propagatur, per generationem propagatur. *Ratio* quia natura humana non aliter communicatur. Peccatum Originale cum naturâ propagatur. *Ephes.* 2. vers. 3. Ergò.

2. Quia seminali ratione propagatur.

II. Quod seminali ratione propagatur, per generationem propagatur: Est enim ex semine. Peccatum Originale seminali ratione propagatur *Iob.* 14. v. 5. *Quis edat mundum ex immundo*: scil: semine. Gignuntur homines ex sanguine, *Ioh.* 1. v. 13. ex semine corruptibili 1. *Petr.* 1. v. 23. Ergò.

Caussa impuræ generationis. Proxima.

Caussa hujus propagationis per generationem similiter est duplex: *Proxima* est Natura & conditio omnium generantium, qui gignunt sibi simile specie, quoad substantiam & accidentia speciei. Jam verò peccatum est accidens toti speciei humanæ commune post lapsum Adæ. Ergò. Ita Adamus actuali transgressione amisit Imaginem Dei, & naturam suam vitiavit: naturam vitiatam transfudit in sobolem: sicut dicitur *Genes.* 5. v. 3. *Adam genuit filium ad similitudinem suam, ad imaginem suam.* *Remota* est Lex generationis à Deo posita homini non minus post lapsum, *Genes.* 9. v. 1. quàm ante eum *cap.* 1. v. 28. 29. Sicut ergo ante lapsum voluit propagari naturam integram; ita post lapsum naturam corruptam, in pœnam peccati.

Remota.

Hic modus evidens est, & generatim sufficit ad traductionem peccati originalis. Homines peccarunt in Adamo, & ex ipso propagantur. Ergò propagantur peccatores. Hactenus etiam consensus est inter eos, qui agnoscunt & profitentur contra Pelagianos, peccatum illud non imitatione contrahi, sed generatione propagari. Sed in specialiore explicatione magna est difficultas & discrepantia ex eo maximè, quomodo peccatum generetur in corpore, quod est res bruta; quomodo item

Propagatio peccati per generationem.

tem anima polluatur, cum & creetur à Deo, nec infici possit contactu corporeo.

Ex quibus tricis ut commodius nos expediamus, fundamenti loco substerno hoc *principium*. Eundem esse ordinem propagationis peccati humani, qui est naturæ humanæ. *Ratio* est, quia est vitium naturæ, idque totius, animâ & corpore constantis: est accidens pravum, inhærens subjecto & partibus ejus: sicut malum adjacens nominatur *Rom.* 7. v. 21. Hinc subsumo: Atqui propagatio naturæ humanæ in singulis individuis, quæ generantur, est successiva, quæ non uno momento, sed certo tempore certisque gradibus perficitur. Talis igitur etiam est propagatio peccati.

Est successiva.

Hinc jam tres *gradus* constituo propagationis peccati: qui naturæ propagationi respondent: *Primus* est in conceptione & generatione corporis: *Secundus* est in creatione animæ rationalis: *Tertius* est in animatione & constitutione totius compositi, per unionem personalem animæ & corporis: *Quartum* gradum in nativitate non addo: quia Genitum jam ante nativitatem completum est, nec quicquam per nativitatem ei accedit, nisi quod in lucem editur & mutat locum. Ergò nec peccatum originale completur, quod est hominis perfecti animâ & corpore.

Gradus ejus sunt. 3.

Primus gradus est in conceptu & generatione corporis ex semine. Corpus non concipitur, gignitur ex semine puro, integro, sed impuro, corrupto, vitioso. Ergò tale est. Nam qualis materia, tale est etiam ipsum materiatum *Probatur*. I. dictis. Job. 14. v. 5. *Quis edat mundum ex immundo*, scil. semine. 1. Pet. 1. v. 23. *Regeniti non ex semine corruptibili*, ex quo scilicet primum nati estis, *sed incorruptibili*. Joh. 1. v. 13. *Qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri* (quæ naturalis est generatio) *sed ex Deo geniti sunt*. Psal. 51. v. 7. *In iniquitate formatus sum, & in peccato fovit me mater mea.* Atque hinc manavit appellatio *carnis*, ut homo corruptus dicatur *caro*. Joh. 3. v. 6. *Quod genitum est ex carne, caro est*. II. Ratione, à temperamento corporis quod homines sequuntur. Nam experimento compertum est sanguineos esse hilares & libidinosos; cholericos temerarios & iracundos; melancholicos suspicaces, tenaces odii: phlegmaticos bardos, voluptuarios. Si nulla labes in corpore ex semine, tum non alii

I. In conceptione corporis.

Probatur.

aliis vitiis dediti essent, pro temperie corporis. Atqui sunt. Ergò.

In conceptione est in corpore inchoativè & materialiter.

Sed *Modus*, quomodo sit & propagetur in corpore, explicandus est. Statuimus ergò *esse & inhærere in corpore* inde à primordio conceptionis, prout secundum ordinem naturæ inhærere potest; nim. *inchoativè, dispositivè, & materialiter*, tanquam in materiali animæ domicilio, sed mox in eandem, cum animâ hypostasin coalituro. Siquidem fomes hujus peccati hauritur in ipsâ conceptione, & fœtui mediantibus spiritibus vitalibus & animalibus inprimitur; non secus ac liberi ex parentibus haurire solent non ipsos quidem actu morbos, ut podagram, calculum, sed impressiones quasdam & dispositiones, quæ sunt certa principia illorum morborum. Nam qui est ordo propagationis naturæ, idem quoque est peccati; quod est vitium naturæ *Eph.* 2. v. 3. At illius hic est ordo, ut primo propagetur corpus, quod ex semine concipitur: & quod non est homo, sed principium & materia hominis; diciturque homo sive natura humana materialiter & inchoativè; est enim determinata materia ad determinatam formam. Ergò.

Objiciunt.

Contra hunc modum *objiciuntur* nonnulla.

1. Corpus non esse capax peccati, quia brutum.

I. Corpus, cum sit res bruta, non est capax peccati originalis; non magis, quàm justitiæ originalis; quia privatio & habitus sunt in eodem subjecto. Ergò non potest in eo esse aut hærere peccatum à primordio conceptionis. *Resp.* ad *Antecedens*: corpus hominis bifariam consideratur, vel ante, vel post animationem. *Ante* non est in eo peccatum consummatè & perfectè; sic enim hominis tantum est; sed est inchoativè & imperfectè, tanquam in radice; ut ante dictum. *Post* non esse falsum est, & contra Apostolum Roman. 6. v. 12. *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore*. Et sensualitas annon est corporis? quis verò asserat in eâ non esse peccatum, in quâ furiosè & licenter nimis dominatur. *Ratio* à privantibus eodem modo est explicanda. Inchoativè Justitia Originalis fuit in corpore Adæ ante animationem; quia determinatum fuit ad animam originaliter justam, ut materia ad formam; consummatè in toto, atque etiam in corpore; quod fuit sanctum domicilium, & purum organum animæ.

2. Peccatum orig: esse in animâ juxta Scripturam.

II Scriptura collocat peccatum originale in animâ *Gen.* 6. v. 5.

v. 5. *Cap.* 8. v. 21. *Ier.* 17. v. 9. *Matth.* 15. v. 19. & alibi. Ergò in illâ, non in corpore hæret. *Resp.* negatur sequela: collocat in eâ I. quia est principale subjectum peccati. II. quia perficitur & consummatur in animâ: non secus quam generatio hominis perficitur per animationem. Sed quod tantum ponat in animâ, falsum est. Collocat principaliter, non exclusivè. *Vide Rom.* 6. & 7. *capp.*

3. Fœtum ante animationem excussum fore judicandum die ultimo.

III. Si in corpore, sive in fœtu etiam ante animationem, peccatum est, sequitur fœtum; siquidem arte vel casu excutiatur, excitandum & judicandum esse ultimo illo die. *Ratio:* quia Dei Justitia punit omne peccatum, nisi fiat remissio. Consequens absurdum. Ergò. *Resp.* negatur *consequentia.* Quia peccati propriè & formaliter sic dicti subjectum est homo. At immaturus & informis ille fœtus non fuit homo. Ergò nec peccator propriè: & sic non excitandus, nedum judicandus. Inchoativè & dispositivè quidem peccatum fuit in massâ illâ, sive materiâ, ut dictum est: tamen cum forma quæ dat esse rei, non advenerit, à materiâ solâ, sive potentia nunquam in actum deductâ, nec peccator, nec homo appellari potest; non magis quàm semen genitale viri, nondum infusum utero mulieris, licet prolem contineat virtute, non tamen rectè dicitur proles. Et observandum hoc loco, quæstionem de peccato propriè non tractari à Theologo, nisi respectu hominis perfecti & completum esse adepti: ex quo est subjectum δεκτικὸν culpæ & pœnæ propriè dictæ. Talis autem est, cum materia & forma uniuntur in unum suppositum. Quod si forma casu aliquo impediatur, quominus informet materiam, hoc nihil ad Theologum, non magis quàm ad vitam futuram.

II. In creatione animæ.

Secundus gradus est in creatione animæ spiritualis, rationalis & immortalis ex nihilo. De quâ duæ sunt sententiæ. Theologorum. *Una* eorum, qui animam volunt creari cum Justitiâ Originali: sed mox eâ privari, in pœnam peccati Adæ; quæ Scholasticorum est, itemque Zanchii. *Altera* eorum, qui dicunt creari privatam illâ justitiâ in pœnam ejusdem peccati; estque Calvini, Ursini, & aliorum. Quæ quidem probabilior, imò verior nobis videtur. *Rationes* sunt: I. quia omnes peccarunt in Adamo & mortui sunt. *Rom.* 5. v. 12. 1. *Cor.* 15. v. 22. Ergò meruerunt illam privationem. II. quia Imago Dei & justitia originalis

Quæ creatur privata justitiâ originali.

nalis non restituitur post lapsum, nisi per regenerationem Spiritus Sancti *Ioh.* 1. v. 13. *Cap.* 3. v. 6. Ergò non per creationem; nec omnibus; cum Spiritus Sanctus non sit omnium *Ioh.* 14. *vers.* 17. III. quia si creentur puræ integræ, erunt naturâ justæ: deinde fiunt injustæ. At non est justus vel unus *Rom.* 3. v. 10. Omnes filii iræ naturâ *Eph.* 2. v. 3. Ergò.

Objiciunt.

Objicitur contra.

1. Sic Deum fore autorem peccati.

I. Si Deus creat animas absque justitiâ originali erit autor peccati. *Resp*: negatur. I. quia non dicimus creari injustas, non puras positivè & contrariè, quasi infundat eis impuritatem & injustitiam: sed non justas, non puras privativè, hoc est, absque justitiâ & puritate originali; quæ erat hominis integri. II. quia privat eas primævâ justitiâ in pœnam peccati. *Instant*: etiam privatio justitiæ & carentia ejus est peccatum. *Resp.* est, respectu subjecti patientis, quod caret justitiâ inesse debitâ: non causæ agentis, id est, Dei privantis: quia privat in pœnam peccati. Unde κρίμα appellatur *Rom.* 5. v. 16.

2. privationem arguere eos ante habuisse.

II. Privatio præsupponit habitum: Illi privati sunt justitiâ. Ergò habuerunt. *Resp.* I. habuerunt in Adamo, tanquam principio & capite totius naturæ. II. ad *Majorem*: subintellige habitum, qui vel infuerit, vel inesse debuerit, secundum legem creatoris Et sic datur totum. Debuit inesse: sed abfuit culpâ ipsorum.

3. creari ergò animas in puris naturalibus.

III. Si animæ creantur absque justitiâ, sive eâ privatæ & tamen non injustæ creantur: creantur in puris naturalibus, id est, nec justæ, nec injustæ. Falsum consequens secundum Theologos Orthodoxos. Ergò. *Resp.* negatur sequela. I. quia creantur non simpliciter expertes justitiæ; sed expertes, privatæ, in pœnam peccati Adæ. Ergò privantur ut peccatores, per imputationem. II. quia eo momento, quo creantur & uniuntur cum corpore, corrumpuntur & depravantur: ut post dicetur.

4. non fuisse animas in Adamo, neque propter ejus peccatum justitiâ orig: privari posse.

IV. Qui non fuerunt in Adamo, etiam non privantur justitia propter ipsius peccatum. Animæ non fuerunt in ipso, quia creantur. Ergò. *Resp.* in *Majore* admittitur fallacia à dicto secundum quid. Non fuerunt in ipso quoad essentiæ originem, ut corpus: fuerunt autem quoad originem subsistentiæ: quatenus scilicet conjungendæ erant cum corporibus, quæ procul dubio ex Adamo propagantur, & constituturæ homines, qui animâ & corpore constant.

ſtant. Et ita non trahuntur ex Adamo animæ materialiter, quia non generantur: trahuntur autem formaliter, quatenus anima divinitus creata in corpore & juncta corpori fit forma hominis animati; qui ex Adamo generatur, & ab ipſo deſcendit ratione totius.

Atque hic eſt ſecundus gradus propagationis peccati, quod anima dum creatur à Deo, non ornatur juſtitiâ originali, ſed eâ juſtiſſimè privatur. Ubi ſe habet Deus ut creator abſolutè, & ut judex relatè. *Creator*; quia per omnipotentiam ſuam ex nihilo creat animas. *Iudex*; quia ſecundum juſtitiam eas punit privatione juſtitiæ originalis. Deus in hoc gradu quomodo ſe habeat.

Tertius gradus eſt in animatione corporis per animam, ſive in unione corporis cum animâ in unam perſonam humanam: quo gradu peccatum Originale perficitur & conſummatur. Qui enim ordo eſt propagationis naturæ, idem quoque eſt peccati: ut ſupra dictum. Atqui is eſt, ut natura humana perficiatur & conſummetur per animationem ſive unionem. Ergò & peccatum. Hinc peccatum ubique ferè dicitur eſſe hominis: & homo proprium & adæquatum peccati ſubjectum ſtatuitur. Sic igitur Homo poſt animationem peccator eſt I. non amplius inchoativè, ſed conſummatè: quia eſt homo perfectus. II. non privativè ſolum, ſed etiam poſitivè: quia etiam impurus, injuſtus. III. nec tantùm materialiter, reſpectu corporis, ſed formaliter, quoad animam. Hic verò gemina, & quidem difficilis *quæſtio* emergit; *Vna*; Quomodo peccatum è potentiâ ſeminis corrupti tranſeat in actum; ut ſit actu peccatum originale? *Altera*: Quomodo in animam orbatam originali rectitudine propagetur peccatum poſitivè, id eſt, poſitiva qualitas prava? III. in animatione corporis. Atque tum Homo eſt peccator perfectè.

De primâ; Bifariam dicitur aliquid tranſire in actum è potentiâ ſeminis; I. cum ipſa forma tranſit, quæ latebat in potentiâ materiæ, qualis eſt forma plantarum; brutorum, materialis. II. cum materia determinata ad formam, & ad eam accipiendam præparata, eum recipit, & cum eâ unitur ad conſtitutionem totius, *Priore* modo non tranſit: *Ratio*; quia peccatum propriè & conſummatè non eſt corporis, quâ corpus; ſed quâ corpus hominis. *Poſteriore* modo tranſit; quia recipiendo formam (animam) homo fit homo; & corpus, corpus hominis. Quomodo homo inchoatione, fit homo actu & perfectè, eodem modo Quomodo & quando peccatum tranſeat è potentiâ in actum?

modo peccatum inchoatione, fit peccatum actu & perfectè. Atqui tum cum anima unitur corpori dispoſito organico, homo inchoatione fit homo actu & perfectè. Ergò.

Quomodo peccatum propagetur poſitive in animam?

De alterâ: Peccatum originale poſitivè conſideratum à corpore hominis propagatur in animam. Quia anima infuſa corpori & ei perſonaliter unita corrumpitur & peccato inquinatur: veluti cum liquor purus infuſus in vas impurum inquinatur, & depravatur. *Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis aceſcit*: ut inquit Horatius. Quæ omnia ut plenius cognoſcantur & conſtent certius, quatuor agemus. I. Oſtendemus, nihil eſſe abſurdum ſtatuere infici animam hominis à corpore ejus. II. Modum explicabimus. III. Cauſas ejus inveſtigabimus. IV. etiam objectiones refutabimus.

Animæ inficiuntur à corpore hominis.

De *Primo*: Animam *infici* non à corpore ſimpliciter, ſed à corpore hominis, probatur, I. Luc. 21. v. 34. *Cavete vobis ne quando graventur corda veſtra crapulâ & ebrietate, & ſolicitudinibus hujus vitæ.* Corda noſtra gravari poſſunt crapulâ, ebrietate & curis hujus vitæ. Ergò & animus à corpore vitiato gravari, obliquus & diſtortus reddi poteſt. II. Sap. 9. v. 15. *Corpus corruptum aggravat animam, & terrenum domicilium plenam curarum mentem deprimit.* Ergò. III. Scriptura & experientia teſtantur συμπάθειαν eſſe inter animam & corpus; ut ſicut corpus ab animâ afficitur, ſic viciſſim anima à corpore. Ergò nihil mirum ſi etiam fiat infectio. IV. Animæ affectiones ſequuntur temperamentum corporis, ejuſque naturam; nempe naturaliter. Ergò conjuncta corpori corrupto ab eo corruptionem trahit.

Infectio fit

De *Secundo*: Ad *modum* planius declarandum duo præſuppono ex antedictis. *Unum* eſt, quod anima ſit orbata juſtitiâ & rectitudine originali, ut corpus regere, ſibique ſubjectum retinere non poſſit. *Alterum*: quod tale corpus, ceu naturale domicilium nanciſcatur, quod eſt corruptum & depravatum: Hinc fit ut ipſa quoque inficiatur & depravetur. Accidit autem illa corruptio: *non per contactum Phyſicum*, qualis eſt liquoris in vaſe: eſt enim anima naturæ ſpiritualis: *nec per actionem aliquam corporis in animam*, quâ corpus agendo, anima patiendo paulatim depravetur: eſt enim peccatum originale naturæ non actionis: *ſed per conjunctionem utriuſque in unam Hypoſtaſin*, in unum ſuppoſitum, quâ anima & corpus ſe intimè & arctiſſimè complectuntur & afficiunt:

Non per contactum phyſicum. Nec per actionem corporis. Sed per conjunctionem animæ & corporis in unam perſonam.

per

per quam corpus fit proprium & personale domicilium animæ,& organum actionum ipsius omnium.

De Tertio: Causa hujus corruptionis non tam in naturâ hominis, sive in substantiâ animæ & corporis, quàm in justâ Dei ordinatione quærenda est: (*August: lib. 5. adversus Iulianum cap. 3.* Justitiam divinæ Legis, *Bernhardus* Judicium *vocat*) quâ homini constanti animâ & corpore I. imputat transgressionem Adæ: II. in pœnam illius etiam corruptionem & contagionem naturæ derivari sinit. De qua re Calvinus *lib. 2. Instit. cap. 1. sect. 7.* & in *Comment: in Genesin* 3. v. 6. Et rursum *lib. 3. Inst. cap. 23. sect: 7.* ubi *decretum horribile, sed justum* vocat. Causa est. Iusta Dei ordinatio.

De *Quarto:* Contra objiciuntur nonnulla. Objiciunt.

I. Res bruta non agit in Spiritum. Corpus est res bruta, anima Spiritus. Ergò. *Resp.* I. dari posset totum, si de Physicâ & naturali actione intelligatur: Corpus enim non agit in Spiritum immediatè & Physicè. II. Quia hîc ordinationem Dei spectamus, *Major* etiam falsa est. Nam corpora cœlestia, licet mediatè per corpus, tamen in animas etiam agunt. 1. Rem brutam, corpus, non posse agere in spiritum, animam.

II. In Adamo vitium prius fuit in animâ, quàm in carne,& ab illâ in hanc dimanavit. Ergò eodem ordine in nobis existit. *Resp.* negatur sequela: quia est ordo contrarius. Nam in ipso actio infecit naturam: hîc natura actionem. Et alius ordo fuit in vitii operatione, quæ à libero arbitrio cœpit: alius in vitii generatione, quæ à carne incipit. 2. in Adamo peccatum prius fuisse in animâ quâm in corpore.

III. Si animæ corrumpuntur per conjunctionem cum corpore corrupto, Deus conjungens erit autor peccati. Consequens blasphemum. Ergò. *Resp.* negatur sequela. Est autor conjunctionis, tanquam operis sui; non autem peccati, tamquam vitii corporis alieni. *Ratio* est quia animam corpori conjungit ad conservationem & propagationem speciei: animam privatam justitiâ & corpus corruptum conjungit in pœnam peccati. 3. Deum conjungentem fore autorem peccati.

PROBLEMA VIGESIMUM OCTAVUM.

An doctrina de Providentiâ Dei inducat Fatum Stoicum?

OCcasio & necessitas tractandi hujus problematis est ex calumniis tum *Pontificiorum*, tum *Lutheranorum*; qui perpetuò

 nostris

nostris objectant Parcarum tabulas, & Stoicam omnium rerum atque eventuum necessitatem.

Fatum unde.

Fati vocabulum est Latinum origine *à fando* sive loquendo deductum: ut *fatum* idem sit quod *dictum seu decretum* à Deo: Teste Augustino *lib. 5. de Civit. Dei cap. 9.* & Varrone *de Linguâ Lat. lib. 5.* Ad quem significatum allusit Lucanus *lib. 9. non vocibus ullis, Numen eget, dixitque semel nascentibus autor Quicquid scire licet.* Græci fatum vocant εἱμαρμένην καὶ τὸ πεπρωμένον: quasi dicas *ordinatum & determinatum* à Deo: à verbo μείρω *divido, distribuo, sortior*: & περατόω *termino, finio,* unde participium præteriti passivi πεπερατωμένος, & κατὰ συγκοπὴν πεπρωμένος determinatum, definitur..

Quadruplex est.

Stoicum Fatum appellatur κατὰ διάκρισιν, ut ab aliis fatis, quæ præter Stoicos alii docuerunt, distinguatur. Cujusmodi ex variis autoribus, quatuor præcipuè collegit & observavit Joh. Picus Mirandulæ comes *lib. 4. contra Astrologos cap. 4.*

Fatum Physicum.

Primum est *Fatum Physicum* ordo ac series causarum naturalium ad effectus suos definitarum, quarum necessitas est naturalis. *Principium* hujus fati est Natura seu vis ac modus agendi, quem Deus in creatione corporibus cœlestibus, elementis, & rebus mixtis attribuit: ut Solis & Lunæ motus fato efficiunt statas vices temporum: ignis fato calefacit, aqua fato humectat. *Effectus* ejus sunt omnes illi eventus, qui à causis naturalibus per se pendent. *Opponuntur* autem ei, quæ à voluntate humanâ procedunt bona vel mala: aut etiam casu fiunt.

Fatum Mathematicum.

Secundum est *Fatum Mathematicum*, quod etiam *Chaldæorum & Genethliacorum* fatum vocatur: & est necessitas rerum ac eventuum, quæ ex cœli ac syderum positu sive constellationibus oritur: qui positus non modo elementis & mixtis corporibus, verum etiam voluntatibus humanis & rebus fortuitis necessitatem agendi & eveniendi hoc uno modo, quo agunt & eveniunt, imponat. Ita *Fati* vocabulum passim usurpat Manilius: ut *certum est & inevitabile fatum; Materiaque datum est cogi, sed cogere stellis:* item *Fata tibi leges vitæque necisque dederunt.* Hoc fatum *fatuum* appellat Augustinus Et verè *pugnat* cum Scripturâ, Naturâ rerum, & experientiâ universali.

Fatum Stoicum.

Tertium est *Fatum Stoicum*, quod Cicero *lib. de Divinat:* definit esse ordinem seriemque causarum, cum causa causæ nexa rem ex

se

se gignit; eamque esse ex omni æternitate fluentem veritatem sempiternam. Vel juxta Chrysippum ut est apud *Gellium lib. 6. cap. 2.* est naturalis quidam ordo & connexio omnium rerum ab æterno, aliis ad alias consequentibus, & immutabili manente hujuscemodi complicatione. Huic fato etiam Deum ipsum subjiciunt. Nam juxta hanc Stoicorum opinionem, ut ait Poëta,

Ipse parens rerum
Finxit in æternum causas, quâ cuncta coërcet
Se quoque lege tenens, & secula jussa ferentem
Fatorum immoto divisit limite mundum

Hanc seriem causarum æternam & immutabilem Poëtæ μοιρῶν, id est. *Parcarum* imagine expresserunt, De hoc Fato propriè hoc loco.

Quartum est *Fatum Christianum*, estque pendens à divino consilio series ordoque causarum: ut Picus definit, vel ut alii; Est pendens à divinâ providentiâ causarum series, per quas illa effectus suos producit. Ita dicitur Romanos fato adeptos esse Monarchiam: item fatales esse pœnas scelerum. Hoc modo alii Providentiam idem esse dicunt quod Fatum: quidam ab eo distinguunt: Idque quadrifariam I. *Subjecto*: quia Providentia est in Deo, Fatum in causis secundis. II. *Ordine*; quia Fatum à providentiâ pendet, & in illam reducitur; non contra. III. *Objecto*: Providentiæ omnia subsunt: Fato non item; ut ea, quæ immediatè à Deo fiunt. IV. *Adjunctis*: quia Providentia est æterna: Fatum temporarium, & ad ejus exsecutionem pertinens. Fatum Christianum. Quid differat à Providentiâ.

Hoc loco non de quarti, primi aut secundi, sed tertii generis Fato agitur.

Responsio ad propositum Problema est *Negativa*; Nim: Doctrinam Ecclesiarum Reformatarum de Providentiâ Dei nullo modo inducere Fatum Stoicum: utpote quocum nec Nomine, neque Re convenit. Doctrina orthodoxa de Providentia non inducit Fatum stoicum. Differunt enim,

Nomine non convenire planum est. Aliud Providentia, aliud Fatum origine & significatione. Sunt quidem qui promiscuè vocabula illa usurpant, etiam inter Theologos. Sed causæ sunt graves cur à *Fati* voce abstinendum censeam. I. quia Ethnicâ superstitione & impietate contaminata, & à Stoicis nonnisi Nomine. Fati voce abstinendum.

 profano

profano ſenſu uſurpata eſt. Si igitur Deus dici noluit Baal, quod hæc appellatio communicatione cum idolis profanata fuiſſet *Hoſ.* 2. v. 16. 17. Certè Providentia ipſius non debet dici Fatum. II. Quia non eſt vox idonea ad ſignificandam providentiam, ſive decretum, ſive exſecutionem ſpectes: Fatum eſt dictum propriè. At neutrum eſt dictum ſeu effatum, Non *decretum*, neque enim eſt λόγος προφορικὸς, non *exſecutio decreti*, quia verbum Dei tantum ſpecies eſt Gubernationis externæ, adeoque pro complexu Gubernationis impropriè accipitur. III. quia longe melius, ſignificantius, & uſitatius eſt vocabulum Providentiæ: quod ſufficit. IV. quia Fati nomen opportunius eſt adverſariorum calumniis: qui cum nomine etiam ipſam doctrinam nos recepiſſe criminabuntur. Jam ab omni ſpecie mali abſtinendum 1. *Theſſ.* 5. v. 22.

Re: juxta Antitheſin Fati Stoici & Providentiæ Dei.

Re autem etiam multo minus convenit: quod *Antitheſis* ſive collatio *Providentiæ Chriſtianæ & Fati Stoici* docebit. Membra præcipua antitheſeos ſex ſtatuimus; licet conſtitui poſſent plura. *Primum: Fatum Stoicum* eſt extra Deum in cauſſis ipſis, earumque
1. ſerie. *Providentia* Dei eſt in ipſo Deo, tanquam æternum ejus conſilium de rerum omnium conſervatione & gubernatione. *Se-*
2. *cundum; Fatum* Deum ipſum od ordinem cauſarum ſeu rerum à ſe conditarum ita alligat, ut alitet agere non poſſit, quam ut cauſæ ſecundæ naturales & voluntariæ feruntur. *Providentia* non alligat, ſed eſſe agens liberrimum oſtendit, qui liberrimo conſilio ordinem in cauſſis ſecundis inſtitutum tueatur, eumque vel mutare, vel moderari, vel impedire, vel tollere poſſit *Pſalm.*
3. 115. v. 3. Huc pertinent miracula; quæ vel præter, vel ſupra, vel contra naturæ ordinem fiunt. *Tertium; Fatum* ſeriem cauſarum earumque connexionem naturalem facit, quaſi naturâ ita fuerint conjunctæ, & nunc cohæreant. *Providentia* docet eas liberrimo ac ſapientiſſimo Dei conſilio conjunctas eſſe, & ab illo ſemper pendere hanc conjunctionem atque ſeriem *Jac.* 4. v. 13.
4. 14. 15. 1. *Cor.* 4. v. 19. *Quartum: Fatum* ſeriem illam connexionemque cauſarum æternam facit. *Providentia* temporalem eſſe docet, prout ſunt ipſæ cauſæ. Æterno quidem conſilio Dei præcognita & prædefinita fuit hæc ſeries: tamen reipſâ in tempore facta fuit & fit: cum reapſe cauſæ ad aliquem effectum con-
5. junguntur & concurrunt. *Quintum: Fatum* fingit omnes cauſas eſſe naturales & definitas, non autem concedit eſſe quaſdam indefi-

definitas, liberas, & contingentes: imò voluntatem humanam cum causis naturalibus & objectis ita connectit, ut necessario uno eodemque modo semper agat, etiam in externis actionibus moralibus & motu locali. Contra *Providentia* docet, causas secundas alias esse definitas, alias indefinitas: alias naturales & necessarias, alias liberas & contingentes. Ubi obiter illud notandum est *Chrysippum* & alios quosdam Stoicos immotam illam necessitatem actionum & voluntatum humanarum minimè probasse. Siquidem eas in potestate & arbitrio hominis esse docuerunt, nec voluntarios animorum motus connexione illâ causarum tolli senserunt. Etsi enim objectis & causis externis animi hominum moventur: tamen hæ non sunt principales aut perfectæ & totales causæ actionum humanarum: sed hos libera voluntas hominis potissimum regit, ut iis obsequi vel resistere possit. *Sextum: Fatum* de fatali & absolutâ necessitate omnium actionum & motuum fingit Deum esse causam efficacem & autorem omnium scelerum & flagitiorum, quæ à Diabolis & hominibus patrantur. *Providentia* peccatum non à Deo, sed à Diaboli & Hominis voluntate ortum esse docet. Ex quibus omnibus liquidò apparet, Diabolicam esse calumniam; quod nostra doctrina Providentiam Dei in Fatum Stoicum convertat.

Chrysippus Voluntatem humanam nexu illo causarum tolli negavit.

Sed *objiciuntur* pro palliandâ calumniâ duo potissimum.

Prius: Qui inevitabilem ordinem ac seriem causarum ad eundum effectum concurrentium fingunt, inducunt Fatum Stoicum. At vos id facitis. Ergò. *Resp.* Quidni & ipsa Scriptura, quæ hujusmodi seriem nobis proponit *Hos.* 2. v. 21: 22. & alibi. Sed in *Majore* est fallacia à dicto secundum quid: Qui faciunt riem illam eo modo quo Stoici: at sic minor est putida calumnia: *Illis* series est naturalis, à naturâ ipsâ: *nobis* ab autore naturæ, Deo: *Illis* æterna, *nobis* temporaria, prout sunt ipsæ causæ: *Illis* inevitabilis, etiam quoad Deum, qui non potuerit mutare illam seriem: *nobis* contra quoad Deum variabilis, cujus beneplacito & regimini subjacet.

Inevitabilis series causarum ad eundem effectum concurrentium non inducit Fatum Stoicum.

Alterum: Qui omnia inevitabili necessitate evenire docent, inducunt Fatum Stoicum. At vos id docetis Ergò. *Resp.* Hic iterum Scriptura petitur; quæ necessitatem illam innumeris locis asserit. Sed dicimus, ut prius; Qui ita docent, ut Stoici. Sed ita *Minor* falsa est. *Illi* ex absolutâ necessitate, *nos* ex hypotheticâ

Inevitabilis necessitas eventuum non inducit Fatum Stoicum.

câ decreti divini *Illi* necessitatem ex ipsis causis secundis tantum. *Nos* à Deo qui etiam causis secundis definitis Leges posuit. Denique in hâc re duo spectanda. I. causæ ipsæ secundæ, II. χέσις ac ordo earum ad Providentiam. Causæ sunt vel definitæ vel indefinitæ. Ex ordine autem illo est necessitas: de quâ hic.

PROBLEMA VIGESIMUM NONUM.

Quis sit concursus Providentiæ Divinæ & voluntatis humanæ?

Philosophorum discrepantes de hoc concursu sententiæ.

HOc Problema è Scholis Philosophorum manavit in Theologiam. *Philosophi* diversum omnino & multum discrepans de eo habuere judicium. *Epicurei* sicut providentiam divinam omninò negarunt, ita voluntatem humanam gubernationi divinæ subesse nullo modo concesserunt. *Platonici* & *Aristotelici* saniores in reliquis quidem omnibus agnoverunt Providentiam, ejusque concursum: at actiones singulares humanæ voluntatis ab eâ exemerunt; quas ἐφ' ἡμῖν, id est, in nostrâ tantum potestate esse contendebant. *Stoici* contra universa & singula rectè quidem divinæ gubernationi subjiciebant, sed rursum in alterum extremum peccabant; quod tollerent discrimen causarum necessariò & contingenter agentium, & omnia inevitabili fato, & causarum indissolubili nexu evenire asserebant.

Theologorum de eodem judicia.

Ab his Philosophis ad *Theologos* propagata est controversia. Primò *Pelagiani* & *Semipelagiani* sententiam Aristotelicorum sive Peripateticorum amplexi, Deo circa actiones voluntatis nullum concursum aut gubernationem sed nudam præscientiam tribuerunt: eo diversi à Philosophis. Secundò *Scholastici* sententiam eandem incrustarunt, sed diversimodè explicarunt. *Durandus* sentit, non requiri concursum Providentiæ divinæ ad actiones, sed satis esse, si Deus naturas rerum, earumque virtutes conservet. Quod absurdum est. Quomodo enim Deus ad actiones non concurrat, si ad virtutes concurrit: cum influxus ad actiones nullus sit nisi ex influxu virtutis. *Scotus* docet, concursum Dei non determinare voluntates, nec aliquid in eas inprimere: sed imme-

immediatè influere in effectum eumque producere, eo ipso momento cum à voluntate nostrâ producitur: ut cum duo equi trahunt currum, quorum neuter per se sufficeret. Sed & hoc est contra scripturam: quæ dicit non influere in facta, sed in corda. Et Sancti non actiones solum & eventus, sed ipsa corda divinitus regi petunt. *Thomas* docet, cooperationem divinam concurrere non solùm cum actionibus sed etiam voluntatibus, utpote quas variè moveat & flectat, salvâ earum libertate. Hæc sententia omninò vera est, sed rectè & plenius explicanda.

Quod ut distinctius fiat, quatuor ordine expediemus & exsequemur; I. Dari concursum aliquem Providentiæ divinæ & voluntatis humanæ. II. Quid sit ille concursus; III. Qui modus ipsius? seu qualis sit? IV. Quomodo respondendum ad objectiones, quæ contra eum moveri solent?

De Primo:

Dari concursum Providentiæ divinæ & voluntatis humanæ trifariam demonstrabimus. Concursus Providentiæ divinæ & voluntatis humanæ probatur Dictis.

I. *Dictis Scripturæ* apertissimis;

Probverb. 16. v. 9. *Cor hominis cogitat viam suam, & Dominus dirigit gressus ejus.* Prov. 16. v. 9.

Cap. 20. v. 24. *A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum potest intelligere viam suam.* Prov. 20. v. 24.

Cap. 21. v. 1. *Cor Regis in manu Domini ut rivus aquarum, quocunque voluerit inclinat illud.* Prov. 21. v. 1.

Psal. 105. v. 25. *Mutavit animum istorum*, scil. Ægyptiorum, *ut odio haberent populum suum.* Psal. 105. v. 25.

Psal. 106. v. 46. *Conciliavit illis misericordiam coram omnibus qui captivos detinebant eos.* Psal. 106. v. 46.

Jerem. 10. v, 23. *Scio Domine quod non est hominis via ejus; nec viri ut dirigat gressus suos.* Jer. 10. v. 23.

II. *Exemplis* illustrissimis. *Labanis* Genes. 31. v. 29. *Esavi*, cap. 33. v. 4. *Ægyptiorum*, Exod. 12. v. 36. *Bileami*, Num. 22. 23. 24. capp. *Saulis*, 1. Sam. 24. v. 17. cap. 26. v. 17. Exemplis.

III. *Rationibus* invictissimis. Rationibus.

Prima: A quo pendet homo quoad essentiam, vitam & motum, ab eo reguntur ejus actiones: is concurrrit cum actionibus Quia homo quoad essentiam, vitam & motum à Deo pendet.

nibus voluntatis ipsius. *Ratio*: quia & illæ sunt motus animæ. A Deo ejusque providentiâ pendet homo quoad essentiam, vitam & motum *Actor*. 17. v. 28. Ergò.

Quia ejus capilli numerati.

Secunda: Cujus capilli in numerato sunt apud Deum, & qui ita ipsum curat, ut ne unus quidem in terram cadat sine voluntate Patris, ejus actiones etiam reguntur à Deo. Valet consequentia à minori ad majus. Atqui hominis eam curam gerit Deus. *Matth*. 10. v. 29. 30. Ergò.

Quia Deus omnia sustentat & gubernat propter hominem.

Tertia: Qui omnia substentat & gubernat propter hominem ille hominem ipsum magis sustentat & gubernat. Quia propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est. Deus omnia sustentat & gubernat propter hominem, ut docet Christus, *Matt*. 6. v. 26. 28. & Paulus 1. *Cor*. 9. v. 9. 10. Ergò.

Quia aliàs actiones voluntatis fierent Deo vel ignorante, vel negligente, vel invito.

Quarta ab absurdo: Si Deus non concurrit cum actionibus voluntatis humanæ, nec eas regit: sequitur eas evenire Deo vel ignorante, vel negligente, vel invito. At hæc absurda, & in Deum summè injuria. Fiunt ergò ipso sciente, volente, & regente: voluntate scilicet & rectione quâ bona facit, & promovet; mala verò justè permittit, & in fines à se præstitutos ordinat.

De Secundo:

Concursus illius descriptio.

Concursus Providentiæ divinæ & voluntatis humanæ est conjunctio & cooperatio Dei cum hominibus ἐκ προαιρέσεως agentibus; quâ non solum vires agendi eis suppeditat & conservat: sed etiam eas excitat, movet, & applicat ad actiones & opus: sic tamen ut ipsi etiam deliberatò & liberè velint operari, operentur, & ipsum opus producant.

Genus est Dei cum voluntate humanâ Conjunctio,

Cooperatio.

Generis loco in hâc descriptione ponuntur *conjunctio & cooperatio*. *Illa*: quia Deus non absens, aut longè remotus concurrit cum hominibus agentibus: ut Sol, Luna, Sidera: Sed præsentissimus & conjunctissimus ipsis: Sicut dicitur *Actor*. 17. v. 27. 28. *Ista*: quia nec solus Deus operatur; sic enim elideretur vis agendi in hominibus: nec solus homo operatur; alias eximeretur à dependentia & gubernatione Dei: Sed Deus & homo, ille subordinans, hic subordinatus. Quo sensu homines in Scripturâ dicuntur συνεργεῖν & συνεργοὶ esse Dei. Et in operibus gratiæ, gratia quædam *cooperans* appellatur.

Diffe-

Differentia gemina constituitur, pro conditione eorum, qui concurrunt. Differentia ex parte.

Ex parte Dei fit concursus. I. Quatenus vires agendi largitur & conservat: *In ipso* enim *vivimus & sumus Actor.* 17.v.28. II. Quatenus eas excitat, movet, & in actum deducit. Nam *in ipso* etiam *movemur. Actor.* 17.v.28. motu scil. non solum locali, externo, sed etiam interno mentis & voluntatis. III. Quatenus easdem & actiones earum applicat ad opus, ut illud sequatur. *Proverb.* 16.v. 1. & 9. Dei.

Ex parte hominis fit concursus: I. Quatenus homo excitat, exserit vires, operatur, & opus producit: Non enim est otiosus: nec vires ei frustra sunt inditæ. II. Idque præcedente cognitione mentis & subsequente determinatione voluntatis ipsius. Quia non operatur ut inanimata aut bruta: sed deliberat & cognoscit agenda: tùm etiam ad ea se determinat, ea vult, & exsequitur actu elicito, vel imperato. Hominis.

De Tertio:

Modus ille *in specie* & sigillatim ineffabilis & inexplicabilis est in hâc vitâ. Habet enim mille modos nobis incomprehensibiles providentia divina concurrendi cum voluntate nostra, nobis se insinuandi, corda nostra movendi, flectendi, ut agendo liberè quod volumus, nihil tamen agamus præter determinationem divinam. Id Apostolus docet *Roman.* 11. v. 33. *Quam imperscrutabilia sunt ejus judicia! & ejus viæ impervestigabiles?* Et *ratio* in promtu est: nam sapientia Dei in agendo est non solùm multiformis, sed planè immensa. Quis igitur complectatur & enuntiet modos ejus agendi in cordibus humanis? In exemplis etiam supra allegatis quam stupenda & inexplicabilis occurrit varietas? Rectè igitur *Augustinus* de Modo, quo tradidit Deus gentes passionibus ignominiæ disputans, dicit id eum facere, sive deserendo, sive alio quocunque vel explicabili vel inexplicabili modo: occulto quidem, sed justo judicio *lib.* 5. *contra Pelag. cap.* 3. Modus concursus in specie ineffabilis.

In Genere autem modum illum sex propositionibus comprehendimus & enunciamus. In Genere. 1. Est caussarum inæqualium & subordinatarum

Prima: Concursus Providentiæ divinæ & voluntatis hu-

 manæ

manæ non est causarum collateralium & æqualium, sed inæqualium & subordinatarum. *Patet*; quia non sunt causæ sociæ, æquali virtute agentes: ut cum duo equi trahunt currum: sed ita subordinatæ, ut ista pendeat ab illâ, atque omnem agendi vim & efficaciam accipiat. Uno verbo; Est concursus creatoris & creaturæ; qui distant toto genere.

2. Est causarum primæ, universalis, hyperphysicæ: & secundæ: particularis, Physicæ.

Secunda; Est concursus causæ primæ, Universalis, Hyperphysicæ; & causæ secundæ, particularis Physicæ. *Patet*; quia *Deus* est causa *prima*, à quo primò orta sunt omnia, & in quem ultimò redeunt *Rom*. 11. v. 36. Est causa *universalis*, qui omnia & singula creavit, sustentat, & gubernat *Actor*. 17. v. 25. *& seqq. Col*. 1. vers. 15. 16. 17. Est causa *hyperphysica*, quia est super omnia, *Ephes*. 4. v. 6. nec ordine causarum secundarum continetur. Deinde *voluntas humana* est causa *secunda*, quæ pendet & regitur à Deo: est *particularis*, quæ ad effectus aliorum agentium generali & indifferente influxu non concurrit; est *Physica*, tanquam naturalis facultas animæ rationalis.

3. Fit secundum naturam voluntatis humanæ.

Tertia; Concurrit Deus cum Voluntate humana secundum Naturam ejus, quam in creatione ei indidit. Duo sunt causarum genera ex creatione: *Definitæ*, quæ eodem modo semper agunt, nec per naturam possunt variare aut suspendere actionem suam; ut ignis urit, Sol lucet; *Indefinitæ* seu liberæ, quæ possunt agere vel non agere, & hoc vel illo modo agere, pro judicio rationis, ut Angeli, homines: ut est *Genes*. 1. 2. *capp*. hac causarum varietate Deus, tum sapientiam, potentiam, ac bonitatem suam luculentius patefacere: tum etiam rerum universitate commendare ac ornatiorem reddere voluit. Prout autem condidit, ita etiam conservat naturam causarum, & cum illis in agendo concurrit Deus. Cum *definitis*, ut ipse eas determinet, sine determinatione propriâ. Cum *indefinitis* & nominatim cum homine, ut ipse se quoque determinet proprio rationis judicio, & spontaneâ voluntatis actione: quam non aufert homini; sic enim opus suum destrueret: sed relinquit, confirmat. Et hoc sensu dicitur concurrere cum voluntate secundum naturam ejus; videlicet, quod non destruat ejus naturam; non autem tali sensu, quasi viribus naturæ se obligarit aut subjecerit, ut nihil amplius vel minus possit, quàm natura fert.

& quo sensu.

Quarta

Quarta: Concurrit Deus cum voluntate non solum ratione actuum sive actionum, quæ ab ipsâ eliciuntur: verum etiam quatenus spectatur ut fons & principium omnium actionum & motuum. *Patet* dictis ante allegatis *Proverb.* 21. v. 1. *Psal.* 105. v. 25. *&* 106. v. 46. *Deut.* 28. v. 49. *& seqq.* Et *exemplis Ægyptiorum*, Exod. 12. v. 36. *Cananæorum*, Jos. 2. vers. 9. *Israëlitarum* 1. Sam. 10. v. 26. & aliorum. 4. Non solum ratione actionum ejus, sed etiam quatenus est fons omnium actionum.

Quinta: Concurrit Deus cum voluntate humanâ actu generali & speciali; mediato & immediato; Physico & Hyperphysico. *Primò*: actu *generali*; quia in ipso vivimus, movemur, & sumus, *Actor.* 17. v. 28. & *speciali*; quia speciali quodam modo operatur in homine, & cum singulis ejus actibus qua tales speciatim concurrit; juxta, *Psal.* 115. v. 3. *&* 139. v. 1. 2. *& seqq.* & exempla Fratrum Josephi, *Genes.* 50. v. 20. Pharaonis, Saulis, & aliorum *Secundo*: actu *mediato*; quia mediis utitur in flectendâ & inclinandâ hominis voluntate: ut sunt præcepta, interdicta; promissa, minæ; beneficia, judicia; & *immediato*; cum per se & immediatâ virtute operatur in cordibus; cujus illustre exemplum in Pharaone, cujus cor tenuit Deus, ut nollet auscultare mandatis Dei, *Exod.* 7. v. 6. 7. item in Ægyptiis quos Israëlitis propitios reddidit *Exod.* 12. v. 36. *Tertiò*; actu *Physico* in rebus naturalibus & civilibus; ut cum tetigit corda Israëlitarum, 1. *Sam.* 10. v. 26. & *Hyperphysico* in rebus spiritualibus & divinis; ut cum aperuit cor Lydiæ *Actor.* 16. v. 14. Ille est actus auxilii, hic gratiæ divinæ. 5. Concurrit Deus actu generali & speciali, mediato & immediato, Physico & hyperphysico.

Sexta: Concurrit Deus cum voluntate humanâ eam determinans aliter in bonis, aliter in malis, *In bonis*; ut eam excitet; adjuvet in bonis ac salutaribus actionibus, easque per ipsam efficiat: denique etiam metis & finibus certis circumscribat; ut est *Ephes.* 1. v. 17. 18. Determinat igitur in iis voluntatem tum quoad rem, id est bonum in genere vel specie: tum quoad modum rei. *In malis*: ut neque efficiat ea, neque adjuvet, verbi gratiâ. adulterium Davidis, proditionem Judæ: *Psal.* 5. v. 5. sed permittat, homines viis suis relinquat, & terminos ac metas sceleratis constituat, ultra quas grassari non possunt. Determinatio igitur est quoad modum rei propriè; quoad rem ipsam permissio verius, quam determinatio. Hæc de modo distinctis propositionibus. 6. Deus determinat voluntatem diversimode In bonis quoad rem & modum rei. In malis. quoad modum rei.

Objectio. *Inquiat ergo aliquis*; Sic nondum plenè solutum esse nodum; quomodo concursu Providentiæ immutabilis non violetur libertas voluntatis, quæ indifferenter se habet: & quomodo voluntas liberè intendat, agat, quod secundum Providentiam fit necessariò. *Resp.* In *specie* quidem, & secundum omnes modos non plenè solutus est nodus. Quis enim omnibus satisfaciat de eo, quod captum & eloquium humanum excedit? Sed in *genere* dictum, quantum satis est. Nimirum; Quod Providentia concurrat cum voluntate humanâ, non per coactionem, cogendo voluntatem invitam; nec determinando eam, ut rem brutam. Sed ita ut seipsam quoque determinet, tanquam causa proxima suarum actionum, proprio rationis judicio, spontaneaque voluntatis electione, *Clarius*. Deus regit determinat voluntatem, dum monstrat intellectui objectum, & efficaciter movet voluntatem ad illud, agendum, quod deliberatò & sponte facit. *Deinde*, Si Deus certum eventum in causis indefinitis infallibiliter prævidit ab æterno, salvâ earum contingentiâ & libertate, idque ex confessione Pelagianorum omnium, quidni etiam immutabiliter voluntatem determinare potuerit ad certum eventum, salvâ ejusdem libertate. Sed sicut infallibilis præscientiæ modus circa causam indefinitam ineffabilis est, ita modus immutabilis providentiæ circa voluntatem liberam est inexplicabilis.

Concursus ille non tollit libertatem voluntatis.

Quæ liberè secundum voluntatem, eadem necessario fiunt secundum providentiam.

De Quarto:

Argumenta contra hunc concursum.

Supersunt *Objectiones*, quæ contra concursum Providentiæ divinæ & voluntatis humanæ moveri solent. Sunt autem quinque præcipuæ.

Primum.

Prima: Quod pendet, regitur ac determinatur à Deo, non est liberum. *Ratio*, quia libertatis est determinari à se, non ab alio. Voluntas Humana pendet, regitur, ac determinatur à Deo. Ergò non est libera. *Resp.* In *Majore* est fallacia à dicto secundum quid. Non est libertatis absolutæ, ut Deus, qui ut solus est independens, ita solus quoque absolutè liber est, & αὐτεξούσιος. Quod nullo modo sit liber, falsum est. *Ratio*; quia nihilominus agit ex deliberatione & motu spontaneo propriæ voluntatis. Notandum igitur discrimen. *Liberè agere* in *Deo* est agere ex nullius gubernatione, in *creaturis*, agere ex deliberato judicio & spon-

Libertas voluntatis humanæ qualis.

spontaneâ electione, etiamsi hi motus aliunde excitentur & regantur.

Secunda, Quod determinatur ad unum, & determinatè agit, non agit liberè. *Ratio*: quia libertas indifferens & indeterminata est ad plura. Voluntas humana ex concursu providentiæ divinæ determinatur ad unum & determinatè agit. Ergo. *Resp.* ad *Majorem*. quæ vera est, si determinatio ponatur absque judicio & electione propriâ. Secus falsa est. Nam Deus ipse ex perfectione naturæ, bonum vult, malum aversatur determinatè, liberè tamen utrumque. Homo ex corruptione naturæ malum determinat, & tamen liberè. Quod etiam Aristotel. *Lib. 3. Eth. cap. 5.* de Intemperante. Denique ipsi Sophistæ concedunt hominem determinare seipsum in electione per ultimum Iudicium practicæ rationis salvâ libertate voluntatis. Quod ad *Rationem* attinet; voluntas indifferens est & indeterminata ante determinationem divinam, non post. Secundum. Determinatio & libertas quatenus consistant vel pugnent.

Tertia. Quod positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, hoc vel alio modo agere, sive actionem suspendere & variare, id concursu providentiæ divinæ non præcisè determinatur ad agendum, & quidem hoc vel illo modo agendum. Voluntas humana positis omnibus ad agendum requisitis illa potest. *Ratio*; quia hoc pacto distinguitur homo à causis definitis naturâ agentibus. Nam I. Causæ *naturales* admoto objecto non possunt non agere; & non possunt suspendere actionem, *voluntariæ* contra possunt eligere vel repudiare objectum, vel etiam non agere, sed suspendere actionem. II. *Illæ* eodem modo semper agunt, nec possunt aliter agere. *Istæ* contra. III. *Illæ* agunt sine deliberatione, & oriuntur earum effectus vel à materiâ, vel à formâ, vel à temperamento, vel à δυνάμει & inclinatione comitante temperamentum; *istæ* agunt præcedente cogitatione seu deliberatione, & sequente spontaneâ electione vel rejectione. Ergo. *Resp.* Sunt quatuor termini in argumento propter ambiguitatem medii. Qui in *Majore* extenditur etiam ad immutabilem Providentiam & infallibilem præscientiam Dei: & sic falsa est. Nam posito concursu Providentiæ & determinatione necessario sequitur actio. Alioquin Providentia Dei mutari & præscientia falli posset. Est enim efficax concursus, efficax determinatio, quem effectus sequitur. Tertium. Voluntas humana indifferens est in se, sed non relata ad Providentiam Dei.

In *Minore* consideratur & enunciatur de voluntate, non relatâ ad Providentiam, sed in se & absolutè spectatâ; quæ naturâ indifferens & indetermina est ad multa, & liberè seipsam determinat.

Quartum. *Quarta*; Si cum voluntate humanâ in agendo concurrit immutabilis Dei providentia, omnes actiones humanæ necessariæ fuerint. Falsum consequens & contra experientiam. Ergò. *Resp.* Ad *Propositionem*; Omnes actiones humanæ necessariæ sunt, scilicet respectu Providentiæ, & quidem necessitate illâ, quæ dicitur ex hypothesi; non autem absolutâ. Simul autem liberæ sunt & contingentes, respectu voluntatis liberæ; ex illâ certissima regula; Cum plures causæ concurrunt ad eundem effectum, quarum aliæ necessariæ, aliæ liberæ, effectus etiam sic denominandus erit. *Instant*; Si ita est, cur non actiones & motus potius dicuntur necessarii quàm liberi, quum causa prima fortius influat quàm secunda? *Resp.* quia denominatio fit à causis proximis & internis, non autem remotis & externis.

Actiones humanæ necessariæ sunt ex hypothesi, liberæ in se.

Quintum. *Quarta*; Si Providentia Dei concurrit cum humanâ voluntate in agendo, Deus erit συνεργὸς peccatorum. Consequens falsum. Ergò. *Resp.* negatur sequela propter fallaciam accidentis. Est συνεργὸς omnis ἔργȣ, operis: est primarius author omnis actionis, non autem vitii sive peccati, conjuncti cum opere sive actione. Simile ab equite agitante equum claudum: à statuario ex carioso ligno formante statuam; quorum ille non claudicationis, sed motus; hic non cariei sed statuæ autor est. *Ratio* duplex est. I. quia defectus, vitium, non est à causâ, primâ, vel in eâ; sed in secundis & ab iis. II. quia Deus concurrit cum causis secundis, pro ipsarum conditione & naturâ. Cum igitur ipsæ corruptæ, vitiosæ sunt, tales etiam actiones sequentur.

Concursus non facit Deum συνεργὸν peccatorum.

PROBLEMA TRIGESIMUM.

Quæ sit Providentia Dei in malo?

MAlum hic intelligimus *non Pœnæ*, propriè quidem & strictè acceptum, *sed culpæ*: quod *peccatum* usitatè appellatur.

Peccant In explicatione Problematis duo extrema improbamus, damnamus.

Vnum

Vnum in Excessu Manichæorum, qui Deum fecerunt causam & autorem peccati: contra Naturam Dei, quæ justa, sancta, bona; & Scripturam, quæ testatur peccatum esse à Diabolo *Ioh.* 8. v. 44. & corruptâ hominis naturâ. *Iacob.* 1. v. 14. 15. Sed hujus blasphemiæ insimulant adversarii Pontificii & Lutherani *P. Martyrem*, qui *commentario ad Rom. cap.* 1. scribat, Deum esse aliquo modo causam peccati: & *cap.* 9. Deum quodammodo voluisse peccatum Adæ, ac ejus quadantenus authorem esse. *Resp.* 1. agnoscimus phrasin esse duriorem, quàm haud facile usurpari volumus. II. Verba Martyris bifariam corrumpunt: tum dividendo; nam addit, causam dici non propriâ locutione. Ergò impropriâ & catachresticâ, ut cum causa latè dicitur adjunctum antecedens, vel sine qua non: tum sententiam ejus depravando, quia causam dicit non quatenus peccatum est defectus, sed prout est actio. Nam inter hæc distinguendum esse docet.

In Excessu Manichæi Deum facientes autorem peccati.

P. Martyr defenditur.

Alterum in Defectu Pelagianorum, qui nudam & otiosam permissionem finxerunt: qua Deus nihil planè agat, sed impios pro libitu ruere sinat in scelera; ut quid, quantum, & quamdiu velint, peccent. Sicut quidam stans in turri, videat debacchantes in foro, aut stans in littore videat & dolens sinat submergi navim. Quo dogmate convellunt dicta Scripturæ, innumera, quibus docetur Deum excæcasse, indurasse, in mentem reprobam tradere, &c: quæ de nudâ permissione explicari nequeunt. Injurii etiam sunt in ipsum Deum, quem throno suo dejiciunt, nec amplius esse sinunt mundi judicem.

In Defectu Pelagiani, Deo nudam & otiosam permissionem tribuentes.

Mediam viam ingreditur ac tenet Orthodoxa veritas, Deum mala hominum opera nec efficere, nec otiosè permittere; sed cum discrimine circa ea se habere: *effectivè* quidem, quatenus sunt vel motus, actiones, opera, vel oculta Dei judicia; *permissivè* autem in quantum sunt peccata. Quod ut evidentius & clarius fiat, in peccato tanquam nomine concretivo tria omnino distinguenda sunt: *Materiale*, *Formale*, & *Adjunctum* sive Accidens.

Deus circa mala opera se habet.

Materiale peccati est ejus *subjectum*, cui inest & inhæret. Cum enim sit accidens, cujus esse est inesse; omninò subjectum inhærentiæ ad sui existentiam requirit. Tale subjectum in peccato *originali* est natura animæ & corporis, ejusque facultates & inclinationes. In *actuali* autem sunt motus & actiones tum internæ, tum externæ. Hujus materialis respectu Deus se habet *effectivè*; & quidem

Quoad *Materiale* eorum.

Effectivè & Physice,

dem *Physicè:* qui & naturam conservat,& motus,actiones ciet actu Physico & naturali; ut quæ sunt bona naturalia. Ideo dicitur Act: 17. v. 28. *In Deo, vivimus, movemur & sumus*: id est, virtute ipsius. *Dicat aliquis*, id quidem locum habere in peccato originali, & peccatis actualibus quæ commissionis dicuntur. Sed secus rem habere in peccatis omissionis, ubi nulla actio intervenit. *Resp.* Quod nulla plane actio interveniat, falsum est: Imo intervenit actio aliqua vel *voluntatis*, ut cum non exercemus opera charitatis: quia nolumus, (Nolle certe voluntatis actio est;) vel *mentis*, eaque si non immediata, saltem mediata: ut cum quis negligit sacra publica: quia non cogitat de iis: non cogitat autem, vel quia in alia intendit cogitationes; ut in lusum: vel quia vino aut somno sepultus, non potest suâ culpâ de iis cogitare.

In peccatis omissionis actio intervenit.

Quoad Formale.

Formale peccati est ἀνομία, ut 1. Ioh. 3. v. 4. seu ἀταξία per quam peccatum est & dicitur peccatum; sive est iniquitas, pravitas, malitia, & turpitudo naturæ & actionis. Hanc Deus nec approbat, nec efficit, nec adjuvat: sed tantum *permittit*: juxta Scripturam Psal. 81. v. 13. *Permisit eos ambulare ex sententiâ animi sui*. Act: 14. v. 16. *Sivit omnes gentes suis ipsarum viis ingredi*: 1. Cor. 10. v. 13. *Non sinet vos tentari supra id, quod potestis*.

Permissivè.

Permissionis

Sed *permissio* hæc rectè est intelligenda & declaranda: ne cum Pelagianâ confundatur; idque ex modo & causâ.

Modus: Deus permitit.

Modus hic est: *Permittit peccatum*. I. Non invitus, sed volens: ut docet August: *in Enchiridio cap.* 100. *Non invitus*: quis enim cogat omnipotentem: cui mille sunt impediendi modi & media? *Volens autem* quia permissio est actus voluntatis Dei, quo vult non agere, impediendo actionem peccantis, sed peccantem sibi permittere. Et ita Deo volente fiunt peccata, non approbativè aut effectivè, sed permissivè tantum. De quâ voce multi lites non necessarias movent. II. *Non concedendo*, tanquam non prohibitum vel ut adiaphorum. indifferens: ut in N. T. omne genus ciborum: in V. T. polygamia & divortium. Nam peccatum, tanquam suo genere malum, disertè interdixit: *Verum non impediendo*, cum posset impedire, per suam omnipotentiam *Gen.* 20. v. 6. *Psal.* 105. v. 14. III. *Nec pro libitu Satanæ & hominum impiorum* absque gubernatione sua: *sed certis definitisque à se limitibus*; ne vel longius latiusque serpat, vel diutius duret: ac proinde magis noceat aut peccatori, si resipiscat; aut aliis; quàm ipsi visum. Cujus

Volens. Non impediendo.

Certis definitisque limitibus circumscribendo.

jus illustre exemplum in historiâ Jobi proponitur *cap.* 1. *&*. 2. IV. *Non in incertum* sive in fortuitum casualem eventum: *Sed in certum ac definitum finem*, ad quem ordinat ac dirigit peccatum, quod permittit, *Vide Genes.* 50. v. 20. *Act.* 3. v. 17. 18. Qui est finis per accidens ratione peccati, quod permittitur: per se, ratione Dei permittentis mala ad bonum.

Causam hanc esse ajunt quidam, *Arminius*, *Menzerus*, quod Angeli & homines sint creaturæ præditæ voluntate: cujus voluntatis actum Deus voluit esse liberum. Sed hæc causa non sufficit. Nam Angeli boni tales nunc sunt: nec tamen iis permittit Deus peccatum, cum eos confirmârit in bono. Sic in alterâ vitâ homines beati tales erunt, nec tamen illis Deus permittet peccatum: ut qui non possunt amplius peccare. Sunt igitur addendæ aliæ causæ, quas Problem: XXIV. supra attigimus. Ut I. Manifestatio infirmitatis, & post lapsum admissum corruptionis naturæ *Ioh.* 15. v. 5. II. Pulchritudo universi: ut omnis generis sint vasa 2. *Tim.* 2. v. 20. III. Illustratio misericordiæ & justitiæ Dei: ut supra dictum, & demonstratum ex locis Scripturæ *Rom.* 9. v. 20. *& seqq. cap.* 11. v. 32. *Gal.* 3. v. 22. Quod ipsum confirmat *Augustinus*, in Enchirid. *cap.* 96. *Quamvis ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt non sunt bona; tamen ut non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono.* & cap. 100. *Non sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo facere posset benè.* Idem de corrept; & grat, cap. 10. *Deus in naturâ Angelorum & hominum primum ostendere voluit, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset gratiæ beneficium, justitiæque judicium.* & ibid. *Scivit Deus magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bona facere, quàm mala esse non sinere.* Atque hujus generis dicta complura apud eundem reperiuntur.

Causæ: Falsa.

Veræ.

Accidens sive *adjunctum* est *Iudicium Dei*, quod cum peccato concurrit, & cum illo conjungitur, non per se, ratione peccantis, qui tale nihil cogitat aut intendit *Gen.* 50. v. 20. *Esa.* 10. v. 5. 6. 7. sed per accidens, ratione Dei peccata permittentis, & præter naturam ipsorum ad bonum ordinantis & dirigentis *Gen.* 50. *vers.* 20 *Act.* 3. v. 17, 18. Dari tale judicium probatur illustribus dictis *Ioh.* 1. v. 39. *Rom.* 1. v. 24. *& seqq.* 2. *Thess.* 2. v. 11. & aliis. Et licet in probationibus, castigationibus aliisque conspicitur: inprimis

Quoad Adjunctum eorum.

tamen conspicuum fit, quoties Deus peccata peccatis punit, & posteriora sunt pœnæ priorum. Hîc ergo habet se Deus non permissivè, sed *effectivè*: operans actu justitiæ. I. quia dicta de excœcatione, induratione, traditione in mentem reprobam, non possunt permissivè intelligi citra depravationem Scripturarum. II. quia justus judex non permittit, sed decernit, infligit & irrogat pœnam. Talis vero est Deus in hoc negotio. Ergò.

Effectivè

Sed hîc duo expedienda sunt.

Primum: Quomodo idem sit, aut esse possit peccatum & pœna peccati? cum longè diversa ratio sit peccati & pœnæ: illud à voluntate, hoc contra eam: illud ἀνομία, hoc ἐννομία. *Resp.* potest esse & est diversis respectibus. Peccatum, ut à voluntate proficiscitur contra legem, voluntarium est & ἀνομία: quatenus verò in animâ est, eamque deformat, fœdat, cruciat justo Dei judicio, pœna est involuntaria & ἐννομία. Exemplum est *Ioh.* 9. *vers.* 39.

Quatenus idem sit peccatum & pœna peccati.

Secundum: Quibus modis Deus exerceat hoc judicium per peccata: & in iis? *Resp.* Modi varii sunt explicabiles & inexplicabiles, ut supra citavimus ex Augustino; quorum tamen nullus ponit infusionem peccati; tum quia sic Deus autor peccati constitueretur, tum quia peccatum est in subjecto corrupto. Manifestiores & notabiliores hi sunt. I. Desertio & subtractio gratiæ peccato adversantis, quâ illi qui excæcantur, indurantur, indigni erant; ita Spiritus S. Sauli ablatus est 1. *Sam*: 26. v. 15. quo subducto, præceps ruit in omne scelus; non secus quàm domus corruit, subtractis columnis. II. Traditio in potestatem Satanæ, quâ ipsi permittuntur, ut reus carnifici 2. *Tim*. 2. v. 26. sic malus Spiritus à Jehova exagitabat Saulum. 1 *Sam*: 16. v. 15. III. Oblatio bonarum occasionum, quibus impii ad peccata perperam abutuntur: ut sunt dicta, facta, cogitationes. &c. His debebant quidem illuminari, emolliri, à peccatis abduci: sed suâ culpâ & vitio excœcantur, obdurantur *Esa*. 6. v. 8. 9. 10. Huc facit exemplum Pharaonis. IV. Interna ac immediata Dei operatio in cordibus impiorum: occulta quidem, justa tamen. Probatur dicto *Proverb*. 21. v. 1. *Deut*. 28. 63. *seq*. & exemplo Pharaonis *Exod*. 7. v. 5. 6. Ubi Mosi dat vim edendi miracula. Aaroni imponit officium prædicandi; sibi reservat actionem occultam indurandi, distinctam à prioribus. At illæ mediatæ. Ergò hæc immediata.

Modi exercendi hujus judicii sunt.

Desertio;

Traditio in potestatem Satanæ,

Oblatio bonarum occasionum:

Operatio Dei occulta.

PRO-

PROBLEMA TRIGESIMUM PRIMUM.

Num præcepta Decalogi, sive legis Moralis sint immota ac immutabilia?

EXplicatio Problematis pendet ex distinctione terminorum, Subjecti & Prædicati: quæ ambigua sunt *Subjecti*: quia præcepta Decalogi non sunt unius generis. I. alia sunt *simplicia*, id est, merè moralia, ut I. II. III. V. VI. VII. & reliqua: alia *mixta* ex morali & cæremoniali, ut IV. de Sabbatho: ubi cæremonialis est circumstantia temporis definiti: morale genus cultus publici. item V. ubi appendix promissionis de certâ terrâ cæremonialis est; moralis autem promissio longævitatis: ut Paulus explicat *Eph.* 6. v. 3 II. alia *absolutè pendent à natura Dei*, id est, talia præcipiunt, quæ liberrimè quidem, sed tamen necessariò Deus vult; eorum autem contraria velle aut præcipere nequit; ut I. II. III. VII. IX. Alia verò *fluunt à liberrimâ ipsius voluntate*, quæ quidem præcedit & ab hominibus observari vult: sed ita ut certis de causis etiam præcipere possit contrarium, & tamen nihil faciat repugnans aut contrarium naturæ suæ; ut IV. V. VI. VIII. X. *Prædicati*; Immotum immutabile aliquid dicitur trifariam; *vel* suâ naturâ, & usu, quod usum habet perpetuum; *vel* secundum quid & quoad nos, *vel* simpliciter & quoad Deum. Hinc jam distinctè respondemus tribus propositionibus.

Præcepta Decalogi sunt simplicia vel mixta.

Anatutâ Dei, vel ab ejus voluntate pendent.

Immotum & immutabile quid.

Prima; Præcepta Decalogi sive Legis moralis mixta, non sunt immota & immutabilia. quoad genus cæremoniale, sed in se & suâ naturâ mutabilia sunt. *Ratio* I. in genere; Tota lex cæremonialis secundum omnes species, partes & circumstantias, fuit temporaria & mutabilis *Luc.* 16. v. 16. *Gal.* 3. v. 24. 25. *Heb*, 8. v. 7. *seq* Ergò etiam præcepta illa, quâ cæremonialia, mutabilia sunt. II. In specie; quia horum mutabilitatem Scriptura docet: de Sabbatho, *Coloss.* 2. v. 16. de quinti præcepti additamento *Eph.* 6. v. 3.

Præcepta Decalogi mixta non sunt immutabilia quoad genus cæremoniale.

Secunda: Præcepta Decalogi moralia, quæ pendent ex libera ipsius Dei voluntate, sunt immota & immutabilia quoad nos: non item, quoad Deum. *Quoad nos*: I. quia non sumus Domini aut judices, sed subditi legis & Legislatoris Dei, *Iacob.* 4. v. 11. 12. II. quia solvere legem, ei addere vel detrahere, sub pœnâ condemnationis æternæ est interdictum, *Matt.* 5. v, 19. *Deut.* 4. v. 2. & alibi.

Præcepta pendentia à Dei voluntate sunt immutabilia quoad nos, non item quoad Deum.

alibi. Mutare autem est solvere. Ergò. *Quoad Deum non item*; I. Ratione. Quod non implicat contradictionem aut repugnantiam cum naturâ Dei, id Deo non est immutabile simpliciter. Contrarium illis præceptis sancire non implicat contradictionem v. 4. 5. 6. 8. 10. Ergò. II. Exemplis circa hæc præcepta: *Quarto* præcepit sanctificari diem septimum. Id neglectum *Matt.* 12. v. 8. & mutatum *Col.* 2. v. 16. & dies primus nunc sanctificatur *Act.* 20. v. 7. & *Cor.* 16. v. 2. *Quinto* jubet honorari parentes & Superiores. Sed diversum præcipit cum parentes impia mandant, *Act.* 5. v. 29. aut parentum gratiâ Deus est offendendus *Matth.* 10. v. 37. *Sexto* prohibet occidere. Sed jubet speciali mandato magistratum occidere *Gen.* 9. v. 6. *Rom.* 13. v. 3. 4. & hostes in bello justo Sic jussit singulari mandato occidi Isaacum *Genes.* 22. v. 2. *Octavo* prohibet furtum & jubet tamen Ægyptiis, quod ipsorum erat, eripi *Exodi* 12. v. 35. 36. *Decimo* vetat concupiscere res proximi, jussit tamen Israëlitas concupiscere res Ægyptiorum *Exod.* 3. v. 21. 22.

Præcepta quæ fluunt ex naturâ Dei, etiam qnoad ipsum sunt immutabilia

Tertia: Præcepta Decalogi moralia, quæ fluunt ex ipsa natura Dei, mediante tamen libera ipsius voluntate, etiam quoad Deum ipsum immota, immutabilia sunt: de quibus ipse nunquam dispensat, & quorum contraria nec præcepit, nec potest præcipere. *Ratio* in promptu est: Deus nihil facit contra naturam suam: nec unquam ab ea discedit. Nim: quia negare seipsum non potest, 2. *Tim.* 2. v. 13. nec simul esse & non esse 2. *Cor.* 1. v. 19. At si aliquid illis præceptis contrarium præciperet, aut de iis dispensaret, faceret aliquid contrarium suæ naturæ. Est enim Deus mens pura, casta, verax, zelotes gloriæ suæ, quam alteri non dat 1. *Joh.* 3. v. 3. *Rom.* 3. v. 4. *Tit.* 1. v. 2. *Exod.* 20. v. 5. *Esa.* 42. v. 8. Non igitur præcipit aut concedit habere Deos alienos, colere idola, nomen suum pejerando profanari, nefariis libidinibus homines sese impunè polluere, falsum testimonium dicere, sive mentiri contra proximum. Ergò.

PROBLEMA TRIGESIMUM SECUNDUM.

An promissiones Legis moralis sint aut dici possint gratuitæ?

DE *promissionibus* nihil hic dicam, nisi in genere, quod illæ sunt non solum *temporales*, quarum catalogus recitatur *Deut.* 28. v. 3.

v. 3. *seq.* sed etiam *spirituales* & æternæ, *Levit.* 18. v. 5. ex interpretatione Christi *Matth.* 19. v. 16. 17.

Occasio problematis est ex declaratione definitionis Legis apud Ursinum in *Catecheticis*, qui dicit Legem gratis promittere bona præstantibus obedientiam. *Vsus* insignis est contra Pontificios, qui promissiones Legis & Euangelii confundunt.

Responsio petenda est ex distinctione prædicati ambigui. *Gratuitum* aliquid dicitur bifariam; *absolutè & secundum quid.* Gratuitum dicitur.

Primo modo gratuitum est, quod Deus donat nec ex debito, neque ex pacto perfectæ obedientiæ, sed ex merâ misericordiâ & benevolentiâ. Ita *promissiones legales* non sunt gratuitæ. Quia requirunt perfectam obedientiam; Levit. 18. v. 5. *Qui fecerit hæc homo, vivet in eis.* Luc. 10. v. 28. *Fac hoc & vives.* Gratuitæ autem sunt solæ *promissiones Euangelicæ*: quæ excludunt opera & obedientiam nostram *Rom.* 11. v. 6. *Eph.* 2. v. 8. 9. Absolutè. Ita gratuitæ non legales. Sed Euangelicæ promissiones.

Object. Atqui non minus requirunt conditionem fidei, quam legales conditionem obedientiæ. Ergò non sunt gratuitæ. *Resp.* negatur sequela. Ambæ promissiones sunt conditionales, ut est *Rom.* 10. v. 5. 6. *& seqq.* Sed in legalibus conditio impleta est causa vitæ promissæ, & meritum aliquod, saltem ex congruo & impropriè: In Euangelicis non item: sed tantum organum, & quidem à Deo gratis donatum; non autem meritum *Eph.* 2. v. 8. 9. Conditio promissionum Legalium & Euangelicarum.

Secundo modo gratuitum est, quod Deus donat quidem ex pacto perfectæ obedientiæ: non tamen ex debito. Quod enim quis non debet & tamen dat, id rectè dicitur gratis donare; ut cum princeps ministrum quendam peregrè mittens cum promissione amplâ, eidem reduci promissa præstat. donare ista dicitur. Atque hoc sensu gratuitas esse etiam promissiones *Legales* jam probabitur. Quod *ex pacto* donet per se planum est: ex *Levit.* 18. v. 5. item ex totâ Legislatione: quæ pactum dicitur *Ierem.* 31. v. 32. & Heb. 8. v. 9. Unde sic concluditur: Quod præstat juxta tenorem Legis, & promissionum ipsius, id ex pacto præstat. *Ratio*: quia Lex est pactum vetus. Atqui observantibus Legem donat vitam. Ergò. Quod autem *non ex debito*, constat. I. quia nulli est debitor *Rom.* 11. v. 35. Nullius enim indigus, *Act.* 17. v. 25. II. quia creatura est debitrix in omnibus & per omnia suo creatori *Luc.* 17. v. 10. Quia omnia habet à Deo *Act.* 17. v. 28. 1. *Cor.* 4. v. 7. III. quia inter officium creaturæ & beneficium creatoris nulla est proportio Secundum quid. Sic gratuitæ promissiones legales.

Rom. 8. v. 18. Idem evincunt omnia argumenta, quibus ostendi solet justitiam commutativam non habere locum in Deo. Huc & illud facit, quod omnes promissiones legales & tota Legislatio commendatur ut beneficium gratiæ ipsius *Deut.* 6. v. 6. *seq. Psal.* 147. v. 19. 20. *Rom.* 3. v. 2. *& cap.* 9. v. 4. Sic ergò & non alio modo sunt & dicuntur gratuitæ.

Sed *instant* quidam *dari etiam ex debito.*

Rom. 4. v. 4. explicatur.

I. argumento loci *Rom.* 4. v. 4. Unde sic colligitur: Operanti merces à Deo datur ex debito. At qui in lege quærit justitiam & vitam, operatur. Ergò merces justitiæ, vitæ ei datur ex debito. *Resp.* *Major* non potest propriè & simpliciter intelligi: nisi velimus Apostolum sibi contradicere in eâdem Epistolâ *cap.* 11. v. 35. ubi debitum negat, & à Deo removet. Ergò secundum quid & impropriè intelligenda est: *vel* ex operarii ipsius opinione. Nam opinio operum perpetuo secum trahit opinionem meriti & debiti: & operarius mercedem sibi solvi petit ex debito; *vel* ex analogiâ rerum humanarum, ubi qui laborat pro mercede, ei merces redditur ex debito: idque ex ordine justitiæ distributivæ; *vel* comparatè. Si enim comparetur merces ea quæ est ex fide: cum mercede eâ quæ est ex operibus, videtur operanti deberi merces, cum credenti ac non operanti ea detur ex gratiâ: quemadmodum illustratur in parabolâ *Matth.* 20. quibusdam denarius ex debito datus fuit, aliis ex gratiâ. *Respondere* etiam licet Apostolum non absolutè, sed ex hypothesi loqui, quod probatur. I. ex scopo Apostoli, contra Justitiarios, meriti opinione turgentes. II. ex antithesi Legis & gratiæ: ex quâ duplex illa imputatio nascitur, quæ est secundum opinionem ipsorum. III. quia Deus nulli potest fieri debitor, *Rom.* 11. v. 35. nec Apostolus sibi contradicit. IV. Quod datur ex debito est proportionatum operi indebito. At non merces vitæ æternæ *Rom.* 8. v. 18.

Promissio quatenus cadat in debitum.

II. Promissio cadit in debitum. Lex habet promissionem. Ergò. *Resp.* Si hæc ratio valet; jam promissio Euangelica daretur quoque ex debito, non ex gratiâ: quod contra totam Scripturam. *Major* est particularis: Universaliter accepta falsa est. *Promissio cadit in debitum.* I. Inter creaturas, quæ possunt fieri debitores, non autem apud Deum: qui non potest fieri debitor: ac promittit daturum se non ex debito, sed ex gratiâ. II. Si fiat cum conditione operis indebiti, & ad rem promissam proportionati. Sed nostra

ſtra opera ſunt debita, *Luc.* 17. v. 10. non ſunt proportionata *Rom.* 8. v. 18. Ergò Deus nobis non fit debitor, neque ex opere noſtro, neque ex promiſſione ſuâ.

Ex gratiâ autem *non dari* probant ex antitheſi *Ioh.* 1. v. 17. Lex per Moſen, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum data eſt. Præmia igitur gratis non promittuntur aut dantur ex Lege. *Reſp.* Negatur ſequela; quia proceditur à negatione ſpeciei ad remotionem generis. Non eſt illa gratia; igitur nulla gr atia eſt. *Illa* gratia operibus noſtris opponitur, *Rom.* 11. v. 6. & conſiſtit in gratuitâ remiſſione peccatorum *cap.* 4. v. 8. *Iſta* opponitur tantum debito, quod nullam eſt in Deo *Rom.* 11. v. 35. Ioh. 1. v. 17 explicatur.

PROBLEMA TRIGESIMUM TERTIUM.

Vtrum Lex obliget ad obedientiam & pœnam copulativè, an disjunctivè?

LEgem *obligare ad obedientiam; obligare item ad pœnam* certum eſt tum ex dictis Scripturæ, *Deut.* 11. v. 26. 27. 28. *cap.* 30. v. 19. *Eſa.* 1. v. 19. 20. tum ex Natura Legis; quæ præcipit obedientiam cum promiſſione præmii; interdicit inobedientiam ſub comminatione pœnæ.

De *modo* autem obligationis utrum ſimul an ſucceſſivè, & quo *ordine* obliget, quæſtio eſt. *Reſpondetur* primò in genere; deinde in ſpecie ſecundum diſtinctos hominis ſtatus. Lex Obligat

In genere: I. Lex ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore non obligat ad obedientiam & pœnam ſimul, ſive copulativè. *Probatur.* I. Dictis ante allegatis *Deut.* 11. & 30. *Eſa.* 1. ubi disjunctivè proponitur. II. Ratione: Injuſtum enim foret obligare ad pœnam, qui nihil peccavit. Peccati ſtipendium mors eſt, non innocentiæ *Rom.* 6. v. 23. II. Lex in ſe & abſolutè conſiderata primò & perſe obligat ad obedientiam: ſecundò & ex eventu ad pœnam; *Patet* argumento loci *Rom.* 7. v. 10. 12. 13. & ex naturâ rei: quia pœna locum non habet, quamdiu obedientia præſtatur Legi. in Genere: 1. non ſimul ad obedientiam & ad pœnam. 2. per ſe ad obedientiam, ex eventu ad pœnam.

In ſpecie ſecundum diſtinctos hominis *ſtatus*, cujuſmodi quatuor recenſeri ſolent: *integritatis*, *lapſus*, *gratiæ*, & *gloriæ*. In Specie: in ſtatu.

In primo obligabat hominem integrum tantum ad obedientiam, non item ad pœnam. *Ratio*; quia nondum peccarat: alioquin *Integritatis*, ad obedientiam tantum.

integer

integer non fuisset. Simul ac peccavit, desiit esse integer, id vult Apostolus; *per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem* Rom. 5. v. 18. *Objectio.* At Deus denunciationem mortis ipsi proposuit *Gen.* 2. v. 17. *Resp.* non obligando ipsum ad pœnam mortis: sed comminando mortem, nisi caveret peccatum, quod poterat admittere.

Lapsus, ad obedientiam & pœnam simul.

In secundo obligat hominem ad obedientiam & pœnam copulativè, *Ratio*: quia homo debet Deo tum obedientiam, tanquam creatura ipsius, tum pœnam, propter peccatum. Sed I. non secundum idem & ad idem; verum secundum aliud & aliud, respectuque diverso, ad obedientiam, propter debitum præsens & futurum, ad pœnam propter præteritam inobedientiam. II. primò ad Pœnam, quia inobedientes fuimus in Adamo, & concipimur ac nascimur in peccato *Eph.* 2. v. 3. quam pœnam peccatis actualibus indies augemus. Secundo ad Obedientiam, quam non desinit Deus à nobis flagitare lege suâ.

Gratia, ad obedientiam tantum.

In Tertio: Obligat hominem renatum non ad pœnam, sed tantum ad obedientiam. *Patet prius*; quia nihil condemnabile in iis, qui sunt in Christo Jesu *Rom.* 8. v. 1. sed beatitudo, quia beati quorum remissa sunt peccata *cap.* 4. v. 6. 7. Excipe tamen castigationes, quas Deus immittit nostro bono. *Hebr.* 12. v. 5. *seq. Psal.* 89. v. 33. sed eæ non sunt pœnæ propriè dictæ. *Posterius* etiam: quia gratia Euangelii non tollit, sed stabilit Legem obedientiæ, *Rom.* 3. v. 31. nec Christus venit solverè legem, sed implere *Matt.* 5. v. 17. scil: in se & in suis, à quibus proinde perfectiorem justitiam exigit v. 20.

Gloria, ad obedientiam tantum.

In quarto: Lex obligat hominem glorificatum similiter ad obedientiam tantum. *Ratio*; quia exiget officia, obedientiam perpetuam: sicut est æterna, immutabilis regula justitiæ divinæ. Et erit obedientia illa tanto perfectior, quanto nos perfectiores futuri sumus, 1. *Cor.* 13. v. 10. consummati in justitia 2. *Cor.* 7. v. 1. sine ruga ac macula *Eph.* 5. v. 25. 26. Sed Lex illa non erit Lex aliqua externa, quæ cum toto ministerio abolebitur, ut Deus sit omnia in omnibus, 1. *Cor.* 15. v. 28. sed interna, plenè inscripta cordibus *Ierem.* 31. v. 33. quæ *Lex Spiritus vitæ* dicitur *Rom.* 8. v. 2.

Obedientia quæ à Damnatis exigitur.

Hic *quæritur*: an Deus etiam à damnatis obedientiam exigat? *Resp.* non exigit, prout in hâc vitâ per legem externam, per promissiones & comminationes: nec etiam secundum omnes partes, ut ne

ne occidant, furentur: sed statui illi convenienter: ut pœnam justam patienter perferant; non criminentur justitiam divinam: non murmurent, blasphement, &c.

PROBLEMA TRIGESIMUM QUARTUM.

An & quatenus Leges Mosaicæ forenses abolitæ sint?

DE *abrogatione Legis*, maximè *cæremonialis* fuit acris & publica contentio in Ecclesia Apostolica: ut *Act*; 7. 15. 21. videre est. De abrogatione *Legis forensis* non item: nisi forte huc referas illam quæstionem *de servis*, qui prætextu religionis. & libertatis Christianæ se servituti eximebant: contra quos passim Apostoli in Epistolis. Post ætatem Apostolorum usque ad Constantinum M. per annos 310. non fuit mota hæc controversia, quod Magistratus Ethnicus esset, & persecutor Ecclesiæ. Deinceps etiam prudenter ab eâ abstinuerunt pii Episcopi & Doctores, ne imminuere velle viderentur jus Magistratus. *Nostro tempore* eam excitarunt partim *Anabaptistæ & Antinomi*, qui totum vetus Testamentum & universam legem abolitam esse contenderunt; partim *Carolostadius*, *Castalio*, & alii, qui eas simpliciter observari voluerunt; iisque non minus Christianos, quam Judæos in conscientiis suis obstringi censuerunt. Carolostadio Ph. Melanchthom se primus opposuit; aliis alii. Utraque autem sententia absurda est, & à vero aberrat. *Prior*, quia sic multa moralia abolita essent, quæ legibus forensibus continentur; nec valerent amplius pœnæ scelerum à Deo definitæ. *Altera*, quia sic multa typica observanda essent, & quæ à temporum horum conditione alienissima sunt. Vera est sententia *media*, quę extremas ad medietatem revocans, ostendit partim abrogatas esse, partim non abrogatas esse, sed etiamnum valere.

Origo controversiæ.

Sententiæ de eâ discrepantes.

Leges forenses Mosaicæ, sunt duorum generum: aliæ *juris particularis*, aliæ *communis*. Quemadmodum enim in omnibus regnis & provinciis aliæ leges sunt juris naturæ & gentium, aliæ unius gentis propriæ, quæ *positivæ* dici solent; ita hic etiam fit.

Leges forenses Mosaicæ sunt.

Primi generis sunt, quæ justitiam particularem præscribunt, pro conditione loci, temporis, & gentis Judaicæ; sive Rempublicam Judaicam in Cananæâ constitutam particulariter spectantem; Tales sunt Lex de Polygamia, *Deut*. 21. *vers*. 15. de libello

1. Iuris particularis.

V repu-

repudii, *cap.* 24.v.1. de excitando fratri semine, *cap.* 25.v.5. de non divendendâ hæreditate, de peribolo, spicilegîo, de decimis &c.

Quæ abolitæ

Hæ & omnes leges consimiles *abolitæ* sunt. *Probatur:* I. Dictis, Gen. 49.v.10. ubi conjungit & Sceptrum & legislatores, qui in Scriptis N.T. vocantur γραμματεῖς, & de jure forensi ex Mosis lege respondebant, qui unâ cum Sceptro abolendi erant. Ergò Leges illæ cum Politiâ adventu Messiæ abolitæ fuerunt. Gal. 3. v. 28. *Non est Iudæus neq; Græcus. Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu.* Distinctio populi abolita. Ergò & leges distinguentes Col. 3.v.11. *Non est Græcus & Iudæus, Barbarus & Scytha, servus & liber, sed omnia & in omnibus Christus.* ubi loquitur de consuetudinibus & ordinationibus diversarum Politiarum: quod alibi sunt liberi, id est leges mitiores, alibi servi, id est, duriores leges: & dicit esse rem indifferentem in Christo. 1. Pet. 2.v.13. *Subjecti estote omni humanæ ordinationi.* Ergò etiam quibusvis legibus honestis magistratuum, non Iudaicis tantum. II. à Genere, sive à toto: Deus destruxit totam Politiam Judaicam. quod & Christus prædixit *Matt.* 24. & Stephanus *Act.* 6. v.13.14. Ergò etiam Leges Judaicas, quâ tales, abolevit. III. A causis abrogationis. Causis mutatis mutantur & leges ex illis pendentes. *Causæ* legum forensium duæ erant. *Vna:* ut populus Judaicus, ex quo nasciturus erat Messias, hâc formâ Politiæ discerneretur ab aliis gentibus. *Altera:* ut illa Politia esset sedes Ecclesiæ, & certus locus patefactionum Dei, in quo doctrinâ & miraculis se peculiariter patefaceret. Hæ causæ exhibito Christo cessarunt. *Prior:* quia distinctio populorum sublata est *Eph.* 2.v.14. *Gal.* 5.v.15. *Posterior;* quia doctrina Euangelii cum Ecclesia Zione in totum orbem, in omnes gentes propagata *Matt.* 28. v.18.19. Ergò etiam leges cessant. IV. Ex axiomate Theologico: Euangelium non abolet Politias; *Matt.* 22.v.21. *Rom.* 13.v.1. *& seq.* 1. *Pet.* 2.v.13. *& seq.* sicut Apostoli ubique prædicantes vixerunt quarumvis gentium legibus. Ergò nec imponit leges forenses Mosaicas, sed eæ abolitæ sunt.

Cautiones: 1. Licita abrogatarum lectio.

De iis tamen triplex *cautio* notanda est. *Prima;* Etiamsi Leges forenses particulares abrogatæ sunt; lectio tamem earum legum non est interdicta, ut inutilis & perniciosa, ut *Marcionitæ, Manichei* olim; nuper fanatici *Anabaptistæ* senserunt. *Probatur* dicto Apostoli *Rom.* 15.v.4. & exemplis, quia probationes etiam inde mutuatur 1. *Cor.* 9.v.9. & alibi. *Secunda;* Ex legibus forensibus particularibus abrogatis possunt liberè sumi, quæ nostris politiis conveniunt

2. Licet inde mutuari. quæ nostris Politiis conveniunt.

niunt: quia abrogatæ sunt, non ut malæ aut perniciosæ: sed ut non necessariæ. *Probatur:* Paulus de Politiis loquens, inquit: *Non est Judæus nec Græcus Gal.* 3. v. 28. *Col.* 3. v. 11. Ergò indifferentia illarum statuta, & consuetudines honestæ. *Tertia*; Ex legibus forensibus paticularibus eruendum & retinendum est genus: quod plerumque est morale. Exempli gratia: Ex illâ lege *Deut.* 25. v. 4. *Bovi trituranti non obligabis os*, Paulus sumit genus, quod est naturale & morale: *Dignus est operarius mercede sua* 1. *Cor.* 9. v. 9. *& seq.* Sic in lege de *spicilegio*, genus est, beneficentia erga pauperes. In lege de *peribolo faciendo* morale est, ut periculo obvietur, vitæ securitati caveatur. Hæc de legibus Forensibus primi generis.

3. q. Ex particularibus retinendum est genus.

Secundi generis sunt, quæ juris sive æquitatis communis rationem præscribunt, & ex Lege naturæ fluunt. Hæ obligant Judæos, non quâ Judæi, sive gens particularis à cæteris distincta: sed quâ homines erant, communibus naturæ gentiumque legibus, obnoxii. Tales sunt leges de judiciis, de præmiis virtutum, & pœnis vitiorum: de viduis, orphanis, peregrinis sublevandis: de meretricibus in populo Dei non tolerandis &c. quæ certè morales sunt, & juris communis rationem modumque definiunt.

II. Iuris communis.

Duæ autem *regulæ* tenendæ sunt, quibus id genus leges agnosci, & ab aliis discerni queunt. *Prima* est: si viri prudentes, inprimis autem legislatores in aliis Rebuspub. easdem leges ex solis naturæ principiis deduxerint & exstruxerint convenienter legi Dei. Sic Ægyptii, Græci, Romani, alii, suas leges habuerunt, in quibus multæ reperiuntur divinis plane consentaneæ: quod vel sola collatio juris Romani & Mosaici à diversis instituta ostendit. *Secunda* est: si leges forenses Mosaicæ directè faciant ad sanctionem obedientiæ & observationem legum Mosaicarum moralium: atque ita defensioni vel conservationi Ecclesiæ, Reipub. & œconomiæ inserviant. Quod non potest esse obscurum, si vel materia sive objectum Legum, vel causę eas sanciendi attendantur. Lex *de pœnâ homicidii* est juris communis: partim quia ab aliis etiam Legislatoribus constituta est; Dracone, Solone, Lycurgo, Numa; sic Lex Cornelia apud Romanos; partim etiam quia sancit obedientiam sexti præ cepti; & causæ quę ei adduntur sunt communes & valent in omnibus *Num.* 35. v. 33. *Gen.* 9. v. 6. Similiter lex *de pœnâ adulterii* est communis: tum quia ex lumine naturæ deducta ab aliis quoque etiam ante Legem Mosis, puta à Juda *Gen.* 38. v. 24. *vide etiam Ier.* 29. v. 23.

Quæ agnoscuntur 1. cum easdem alii legislatores ex lege naturæ deduxerunt. 2. cum faciunt ad sanctionem legum moralium.

v. 23. tum etiam quia eâ confirmatur directè obedientia septimi præcepti. Et causæ ejus sunt perpetuæ, usus que in Politiâ planè necessarius: Levit. 20. v. 22. earum duæ enumerantur; alibi plures. *Confer Levit.* 18. *cap*.

Hæ leges non sunt abrogatæ.

Jam sententiæ hujus veritas distinctè confirmanda est, *Rationes* è multis hæ sunt: I. Lex naturæ & moralis non est abrogata. *Patet* 1. testimonio Christi Matt. 5. v. 17. *Ne existimate me venisse ut solvam legem, non veni ut eam dissolvam, sed ut impleam*. II. ex definitione ejus: Est enim æterna ac immota regula justitiæ divinæ, omnes omnino homines ad obsequium obligans. Leges Mosaicæ forenses secundi generis sunt naturæ & morales. *Ratio:* quia directè sanciunt obedientiam præceptorum moralium, Ergò.

1. q. sunt Lex naturæ & moralis.

2. q. eas Christus non sustulit.

II. Quas Leges Christus non sustulit sed vindicavit, eas quoque non abrogavit; alioquin non opus fuisset vindicatione, quę facta, ut rectius intelligerentur, religiosius observarentur: argumento à Fine. Atqui etiam leges forenses vindicavit. *Matt.* 5. v. 38. *Exod.* 21. v. 24. de lege talionis, quam trahi vetat ad vindictam privatam, Ergò. III. Leges Christianum Magistratum etiamnum obligantes, abrogatę non sunt. *Ratio*; quia abrogatę non amplius obligant. Atqui Leges Mosaicæ forenses, quæ sunt juris communis, etiamnum obligant Christianum Magistratum. Secus non obstante Dei sententiâ posset statuere de delictis pro libitu. Quod minimè ei licet. 1. quia est Dei Minister & vicarius, *Rom.* 13. v. 4. cujus mandata observare tenetur in muneris sui administratione. II. quia judicium non hominum est, sed ipsius Dei *Deut.* 17. v. 8. 2. *Chronic.* 19. v. 16. III. quia ipse custos est utriusque tabulæ. Ergò etiam vindex legum, quibus utriusque obedientia sancitur. IV. Nihil unquam Deus abrogavit, cui non substituerit aliquid melius, clarius. Sic legem moralem abrogavit, quoad maledictionem & coactionem, substitutâ ei gratiâ remissionis peccatorum & Spiritualis libertatis *Ioh.* 1. v. 17. Legem ceremonialem antiquavit surrogatâ ei veritate, *Ioh.* 1. v. 17. & corpore umbrarum *Coloss.* 2. v. 17. *Heb.* 10. v. 1. Legibus forensibus juris communis quid unquam substituit? Nam quæ sunt juris particularis typicam rationem complectuntur, & in genus legum cæremonialium incurrunt: de quibus diximus. V. Si leges forenses juris communis æquè abrogatæ sunt, quã quæ juris particularis: utique populo V. T. longè rectius prospectum fuerit, quam N. T. *Ratio*; quia ille populus non minus regiminis Politici

3. q. Christianum Magistratum etiamnum obligant.

4. q. nihil eis surrogatum.

5. q. sic populo V. T. rectius fuisset prospectum, quam N. T.

politici quam Ecclesiastici certam normam ac formam à Deo acceperit: quod non hîc factum. Consequens absurdum, & contra prærogativas N. T. Ergò.

Ne tamen in hoc legum genere ullatenus peccetur, etiam *cautiones* quædam notandæ sunt circa earum praxin: ex quibus usum earum & applicationem rectè & prudenter secundum voluntatem Dei moderemus. *Prima:* Leges forenses, quæ juris communis dicuntur non sunt ejusdem generis: aliæ simplices, de judiciis, præmiis & pœnis: aliæ *mixtæ*, & hæ iterum *vel ex tribus speciebus, morali, cæremoniali, & judiciali*; ut IV. præceptum Decâlogi: *vel ex duabus, morali & forensi*; ut in lege de spicilegio, morale est benefacere pauperibus; forense, hoc modo benefacere: *vel* rursum *ex duabus, forensi & cæremoniali*, ut in lege de portione duplâ primogeniti: ubi morale, juris communis est, divisio hæreditatis: forense, portio dupla primogeniti, propter typicam ejus excellentiam. Segreganda cæremonialia, & forensia particularia; cætera retinenda. *Secunda:* In legibus forensibus juris communis diligenter ponderandæ sunt tum *causæ*, ob quas latæ sunt, tum *circumstantiæ* quibus circumscribuntur & determinantur. In iis si discrepantia est, etiam ipsæ leges aliquatenus variant; saltem non exactè quadrant. *Tertia:* Ex legibus forensibus juris communis, eoque perpetuis, analogicâ proportione sæpe procedendum est: argumentando à pari, majori, minori, simili &c. quoties nim. non omnes casus definiti, aut omnes pœnarum sive species, sive gradus determinati; verbi gratia, in abigentes fœtum nulla pœna expressè statuta; at ex lege homicidii, qua anima exigitur pro animâ *Exod.* 21. v. 12. 22. 23. facile colligitur. Sic de philtro pronunciatur à pari vel simili ex lege, *Exod.* 22. v. 16. *Deut.* 22. v. 28. de paciscentbus cum Diabolo in damnum proximi, aut apostasiam ad Diabolum facientibus, ex Lege *Exod.* 22. v. 18. *Levit.* 19. v. 31. *cap.* 20. v. 6.

Cautiones:

1. Sunt ex simplices vel mixtæ.

2. Ponderandæ causæ & circumstantiæ.

3. Procedendum sæpe analogicâ proportione.

PROBLEMA TRIGESIMUM QUINTUM.

An Euangelium sit Prædicatio Pœnitentiæ & Remissionis peccatorum?

SEnsus est: *Utrum Euangelium non minus sit prædicatio pœnitentiæ, quàm remissionis peccatorum.* Nam *de remissione peccatorum* nulla controversia. *Pœnitentiæ* autem vocabulum hic

hic idem est quod resipiscentiæ: ut patet ex allegatione locorum siquidem vetus interpres μετάνοιαν & μεταμέλειαν eodem modo reddidit.

Explicatio problematis erit trimembris: de origine problematis & totius controversiæ: de conciliatione ejus frustrâ tentatâ: & denique de verâ sententiâ.

De Primo.

Origo controversiæ ex definitione Melancht.

Occasionem controversiæ dedit definitio Euangelii, quam superiore seculo primus proposuit *Phil. Melanchthon*, concinnator definitionum dexterrimus, qui tum in *Augustanâ confessione*, ejusque *Apologiâ*, tum in *locis communibus* ac aliis libellis eam tradidit. Conformavit autem eam tum veritatis, tum prudentiæ legibus. *Veritatis*: quia eam ex Scripturâ ipsâ evidenter deduxit & exstruxit. *Probatur*. I. ex illis locis, quæ conjungunt resipiscentiam & fidem, sive remissionem peccatorum *Marc*. 1.v.15 *Luc*.24.v.47. *Act*.20. v. 21. & alibi. II. ex praxi Joh. Baptistæ, Christi, & Apostolorum *Matt*.3.4. *capp*. *Luc*.3.4. *capp*. *Act*. 2.v.39.40.41. *cap*. 19. v. 3.4. *Prudentiæ* quoque, quia occurrere voluit pervulgatæ calumniæ Pontificiorum, quod prædicatione gratiæ Euangelicæ peccandi fenestra aperiatur, & carnalis securitas foveatur. Cui locus amplius non est, siquidem etiam sit concio Resipiscentiæ Euangelium. Sed *Pontificii* hâc viâ exclusi, aliâ & quidem prorsus contrariâ rem agressi sunt. Si, inquiebant, Euangelium etiam est concio resipiscentiæ: ergò Euangelium continet etiam præcepta legalia: est etiam genus doctrinæ legale: nec amplius discrimen est inter Legem & Euangelium; ut contendit Lutherus. Præter Pontificios autem etiam *Antinomi*, & horum princeps *Islebius*, eâ definitione abusi sunt: quod Lege non amplius sit opus, cum etiam Euangelium sit doctrina resipiscentiæ. Propter has contentiones & oppositiones *Lutherus* non rejecit veram ac usitatam definitionem Euangelii, sed rectè declaravit. Verum post obitum illius *M. Flaccius Illyricus*, hujusque sectatores, odio Philippi litem de eâ moverunt, ac minimè ferendam esse clamitarunt, quod non sine periculo gravissimo sanæ doctrinæ inducat confusionem Legis & Euangelii: quod superiorum temporum experientia abundè testatur. *Argumentum* ipsorum inter cætera hoc erat: Quæ non sunt unum & idem, unâ definitione comprehendi nequeunt.

Quæ probatur.

Adversarii illius. Pontificii.

Antinomi.

Flacciani.

Quorum argumentum refellitur.

Resi-

Resipiscentia & Remissio peccatorum non sunt unum & idem. Ergò. Quasi vero quæ specie differunt, non possint convenire genere, & genericâ sive communi definitione contineri. Contra genuini discipuli Phil. Melanchthonis, quos ipsi *Synergistas* & *Adiaphoristas* odiosè appellabant, defenderunt illam definitionem, & omnibus modis retinendam esse contenderunt.

De Secundo.

Conciliationem hujus controversiæ tentarunt & duplici via aggressi sunt *fabri lib: Concordiæ.*

Fabri lib: Concordiæ conciliarunt distinctione vocis.

Prior consistit in distinctione vocis *Euangelii*, quæ *latè* sumitur pro tota doctrinâ Christi & Apostolorum ipsius, non solum de remissione peccatorum, sed etiam de resipiscentiâ, novâque obedientiâ, *Marc.* 1. v. 15. *& cap.* 16. v. 15. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* quod *Matt.* 28. v. 20. sic declaratur, *Docentes illos servare omnia, quæ præcepi vobis.* Sic *Rom.* 1. v. 1. *cap.* 2. v. 16. *Strictè* autem pro doctrinâ gratiæ de remissione peccatorum per fidem propter meritum Christi. Quomodo usurpatur multis aliis locis. *Primo* significatu, qui improprius, Euangelium esse volunt concionem Resipiscentiæ & Remissionis peccatorum. *Secundo* autem, eoque proprio, esse concionem Remissionis peccatorum. Item Prædicationem resipiscentiæ pertinere ad legem: prædicationem Remissionis peccatorum verò pertinere ad Euangelium. Sed hæc conciliatio non est firma aut solida. Neque enim Resipiscentia legalis dici potest. Cujus enim nec mandatum, nec promissio habetur in lege, id legale non est, nec ad legale genus doctrinæ pertinet. Atqui resipiscentiæ *nullum mandatum* habetur in Lege; quæ nuspiam dicit, *Resipiscite.* In genere quidem urget obedientiam omnium mandatorum Dei: at in specie nihil de resipiscentiâ. *nulla* etiam *promissio*; Quia Lex ei qui peccavit nihil promittit, sed tantum minatur ac intentat maledictionem. Ergò.

I. Euangelii. quod accipitur Latè,

Strictè.

Priori modo Resipiscentiam complecti, Posteriori item.

Improbatur hæc Conciliatio.

Altera consistit in distinctione. *Pœnitentiæ* sive *resipiscentiæ:* quæ vel *latius* accipitur, pro tota hominis ad Deum conversione *Matt.* 3. v. 2. *Luc.* 15. v. 7. vel *strictius* pro alterâ ejus parte, nempe contritione: cui tamen fides, ceu altera pars, fere adjungitur *Marc.* 1. v. 15. *Act.* 20. v. 21. *Primo* modo, Euangelium ajunt esse concionem resipiscentiæ, quia est concio fidei, quæ communi resipiscentiæ vocabulo comprehenditur: *Secundo* non item, sed potius Legem, cum contritio, quæ est prior pars resipiscentiæ, sit ex Lege.

II. Pœnitentiæ, quæ accipitur. latè. Strictè.

Illo modo Euangelium eam comprehendere, Non isto.

Improbatur & hæc conciliatio.

Lege. Nos fatemur quidem aliquam contritionem esse ex Lege, nimirum quæ est agnitio peccati & dolor de eo: negamus interim illam contritionem, quæ pars est resipiscentiæ propriè dictæ, esse ex Lege. Nam *contritio*, quæ est *ex Lege*, non est dolor secundum Deum, sed dolor mundi; non salutaris, sed exitialis 2. *Cor.* 7. v. 10. At resipiscentia est *contritio salutaris*, est dolor secundum Deum. Ergò. Rursum *contritio*, quæ est *ex lege*, efficit aversionem à Deo, fugam ab ipso. Sed *contritio*, quæ pars est *resipiscentiæ* propriè dictæ, non efficit aversionem à Deo, sed conversionem ad ipsum *Luc.* 15. Illa igitur non est ex Lege. Ergò nec in hâc distinctione quicquam momenti est ad solidam conciliationem.

De Tertio.

Euangelium propriissimiè est concio etiam Resipiscentiæ. Et quatenus.

Superest ut ultimo loco subjiciamus *veram* ac *Orthodoxam sententiam*, quæ sic habet. *Euangelium propriissimè etiam acceptum, non minus est concio resipiscentiæ, quàm fidei & Remissionis peccatorum*; idque trifariam. I. quatenus est doctrina revelans nobis gratiosam Dei voluntatem, de recipiendis in gratiam resipiscentibus & credentibus: adeoque ad Deum nos revocans, propositâ spe veniæ. Nec enim Legis vox est; *Nolo mortem peccatoris, Ezech.* 18. v. 23. *cap.* 33. v. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, Matt.* 11. v. 28. sed Euangelii. II. docet etiam modum resipiscendi, sive agendi pœnitentiam: quia ostendit, quæ sit vera & Deo placens resipiscentia: quibus item partibus contineatur; ut sunt dolor ex agnitione peccati propter offensum Deum; fiducia remissionis peccatorum per & propter Christum; nec non firmum & constans propositum fugiendi peccata, & sectandi justitiam: ex quo fluit nova obedientia, tanquam fructus resipiscentiæ. III. est instrumentum ac organum salutare, per quod Deus in nobis operatur resipiscentiam: quæ est ad salutem 2. *Cor.* 7. v. 10. Probatur ex *Act.* 5. v. 31. & 2. *Tim.* 2. v. 25. quo loco docetur, Deum largiri resipiscentiam per ministerium Euangelii: quod est potentia Dei ad salutem *Rom.* 1. v. 16. Ubi tamen *cautionis* loco illud notandum venit, quod Spiritus S. resipiscentiam in nobis efficiens per Euangelium, non negligat, sed adhibeat etiam in partem operis Legem, ejusque ministerio utatur: Non quasi resipiscentia propriè sit ex Lege, sed quia per concionem Legis operatur agnitionem peccati, & dolorem sive contritionem de eo; absque quâ

Spiritus S. efficiens in nobis. Resipiscentiam per Euangelium adhibet Legem.

quâ nemini contingit donum resipiscentiæ. Et hæc contritio non est pars integrans resipiscentiæ: sed præcedanea dispositio ad eam. Ita lex non quidem est causa resipiscentiæ: est tamen ministra Spiritus in efficiendâ resipiscentiâ per Euangelium.

Hujus sententiæ veritas multifariam, idque evidenter demonstrari potest ex Sacris literis. *Primò*: à fine adventus Christi in carnem; Christus missus à Patre venit in carnem, ut peccatores resipiscentes salvos faceret à peccatis ipsorum 1. *Timoth.* 1. v. 15. *Mat.* 9. v. 13. Ergo concio resipiscentiæ propria est Euangelii, Hujus enim præcipuum munus est explicare officium Christi & finem adventus ipsius. *Secundò*: Cujus proprium præceptum est mandatum de resipiscentia; propria item promissio mandato annexa, ejus etiam propria est prædicatio resipiscentiæ. Atqui Euangelii proprium est utrumque: argumento locorum *Marc.* 1. v. 15. *Luc.* 24. v. 47. *Actor.* 2. v. 39. 40. & aliorum. Ergò. *Tertiò*: Ejus est prædicare resipiscentiam, cujus est ad eam invitare spe gratiæ & remissionis peccatorum. Neque enim resipiscentia constat absque illâ spe, nec absque eâ succedit unquam. Atqui posterius illud est Euangelii. Ergò & prius. *Quartò*: Christus ejusque beneficia universa sunt objectum Euangelii, & ad ejus prædicationem pertinent. Atqui non minus resipiscentia, quam fides vel remissio peccatorum est benificium Christi *Actor.* 5. v. 13. *cap.* 11. v. 18. 2. *Timoth.* 2. v. 25. Ergò. *Quintò*: Baptismus est Sacramentum non Legis, sed Euangelii: ut est *Marc.* 16. v. 15. 16. *Actor.* 2. v. 39. 40. Atqui est Sacramentum resipiscentiæ ad remissionem peccatorum *Act.* 2: v. 39. 40. *cap.* 19. v. 3. 4. Ergò. *Sextò*: Quod non efficit salutem, nec resipiscentiam efficit: Quia resipiscentia est ad salutem, 2. *Cor.* 7. v. 10. Quod autem non est causa causæ, nec causa causati. Atqui Lex non efficit salutem. *Gal.* 3. v. 10. & *seq.* Ergò.

Probatur. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Objicitur *contra*:

I. Cujus est monstrare peccatum, ejusque sensu nos conterere, ejus est prædicare resipiscentiam, & ad eam invitare. Atqui hoc munus est Legis proprium. Ergò. *Resp.* negamus consequentiam *propositionis*, moti *partim* auhoritate Apostoli 2. *Corinth.* 7. v. 10. ubi inquit, non quamvis contritionem, sed eam demum, quæ secundum Deum est, efficere resipiscentiam: *partim* etiam

Legis non est prædicare Resipiscentiam.

consideratione naturæ tum Legis, tum resipiscentiæ. Lex non invitat ad resipiscentiam: sed monstrat peccata, ea detegit: ad quorum peccatorum resipiscentiam, deinde invitat Euangelium. Lex simpliciter maledictum pronunciat peccatorem, de resipiscentiâ verbum nullum facit. Euangelium invitat ad resipiscentiam illorum peccatorum, quæ agnovimus ex Lege. *Instant*; Lex prędicat resipiscentiam per se, Euangelium per accidens. *Respond.* imo Euangelium eam prędicat per se, dicens, *Resipiscite, credite.* Lex nihil horum habet; sed in agnitionem peccati deducit, *Rom.* 3. v. 30.

Vindicatur dictum *Marc.* 1. v. 15.

II. *Marc.* 1. v. 15. *Resipiscite & credite Euangelio.* Hic ajunt. Christus fidem refert ad Euangelium; resipiscentiam non item. *Respond.* admittitur fallacia divisionis. Nec enim Christus ita Euangelium copulat cum fide, ut à resipiscentiâ illud separet: verum utrumque conjungit cum eo, id docet promissio; *appropinquavit regnum cœlorum*; licet diversimodè, pro distincta utriusque natura.

Resipiscentia non est ex Lege nisi inchoativè.

An ergò resipiscentia nullo modo est ex Lege? Respond. Pœnitentia latè dicta, piis & impiis communis est ex Lege. Sive inchoatio quędam resipiscentiæ, quæ est dispositio ad eam, est ex Lege; ipsa resipiscentia propriè dicta non item. Lex & Euangelium non sunt causę sociæ ad resipiscentiam; sed propria causa est Euangelium; cui Lex subservit in faciendâ pręparatione.

PROBLEMA TRIGESIMUM SEXTUM.

An quia Christus Deus & Homo est, sit duplex persona?

Christus est unica tantum persona

NEgatur, *Probatur* autem *negativa*; I. autoritate Scripturę, quæ non duos Christos, sed unum sive unicum nobis proponit. *In V.* T. Eccl. 12. v. 13. *Verba sapientum tradita sunt à pastore uno,* eo scilicet, qui *Ioh.* 10. v. 11. se *pastorem illum bonum* vocat. *In N. T.* 1. Tim. 2. v. 5. *Vnus Mediator Dei & Hominum, Homo Christus Iesus.* 1. Cor. 8. v. 6. *Vnus Dominus Iesus Christus.* Ephes. 4. v. 5. *Vnus Dominus,* Rom. 5. v. 15. *Gratia Dei & donum per gratiam unius illius hominis Iesu Christi,* Mat. 23. v. 8. 10. *Vnus est Doctor vester Christus.* II. Ubi duæ naturæ unum tantum ὑφιστάμενον constituunt, ibi non est

est persona duplex, sed unica. *Patet* exemplo animę & corporis in homine, quæ unum hominem, unam personam constituunt. In Christo duæ naturæ Humana & Divina unum tantum ὑφιστάμενον constituunt. *Ratio*, quia natura divina sive λόγος assumsit humanam in unitatem suppositi sive subsistentiæ *Heb*.2.v.14.*Phil*.2.v.6.7. Ideo unitate personæ in Scripturâ unum dicuntur, Ergò.

Contra objicitur: Humanam Naturam non minus personam esse quam naturam divinam, atque ita duas personas fore, si sint duæ naturæ, quę est hæresis Samosatenianorum.

I. Quod habet suam propriam substantiam & personalitatem, id est persona. *Patet* argumento definitionis personę. Humana natura Christi habet suam propriam subsistentiam & personalitatem. I. quia est individuum substantiale per se subsistens. II. quia per eam est verus homo similis nobis per omnia excepto peccato *Heb*.2.v.17.*cap*.4.v.15. Ergò. *Respond*. *Minor*. falsa est; non est hypostasis, sed ἐνυπόστατος; non persona, sed subsistens quid in personâ, & sustentatum ab eâ. *Probatio prima* ambigua est. *Per se subsistere* aliquando opponitur ei, quod subsistit in alio per modum accidentis, cujus esse est inesse; existere, inexistere: Ita Humana Natura subsistit per se: quæ non est accidens. Alias significat separatim exsistere, extra unionem & sustentationem alterius. Ita falsum est, quod per se subsistat. Subsistit enim in λόγῳ à quo assumta est, tanquam instrumentum intimè ei conjunctum, & quasi pars quædam ipsius: sicut brachium in corpore humano. *Altera* habet fallaciam tum æquivocationis, tum à dicto secundum quid. *Æquivocationis*, quia si abstractivè intelligatur, quod humanitas Christi sit verus homo, seorsim & separatim subsistens, tum falsum est. Sin concretivè, quod persona denominata à Natura Humana sit verus homo, datur. *Secundum quid*: quia similitudo illa per omnia, ad veritatem naturæ in partibus essentialibus & integralibus, proprietatibus earundum, atque etiam infirmitatibus referenda est: ut patet, cum ex *Heb*.2.v.14.17.18.*inter se collatis*: tum etiam ex *Phil*.2.v.7.8. Ad similitudinem subsistentiæ, ut non minus per se subsistat, quàm alia individua humana referri non potest, duplici de causa. I. quia ita dicitur similis factus, ut existens in formâ Dei, assumserit formam servi, ac semen Abrahæ *Philip*.2.v.7. *Hebr*.2.v.16. utique in suppositi unitatem, quia propter illam assumptionem dicitur unum cum eo. II. quia similis

Humana natura non habet propriam personalitatem.

dicitur factus non huic illi homini, cui sua est separata subsistentia, Petro, Paulo: sed hominibus, quibus communis est una ac eadem natura humana.

II. Si Natura Humana in Christo non est persona, sed propriâ personalitate destituitur, erit imperfecta, & quiden imperfectior naturâ nostrâ. Absurdum consequens. Tale igitur est ipsum Antecedens. *Resp.* negatur *consequentia* secundum utrumque membrum. *Quoad prius*: quia Humana Natura omnibus suis partibus essentialibus & integralibus constans est perfecta. *Personalitas* non est pars vel essentialis, vel integralis Naturæ Humanæ. Alia enim est definitio naturæ, alia personalitatis Est vero terminus naturæ perfectæ, & constitutæ jam suis partibus: quæ si separata relinquatur & subsistat, consequitur suam subsistentiam & personalitatem. Sin trahatur ad subsistentiam alterius, non consequitur. Illustratur exemplo nudi hominis Petri, Pauli, collati cum Christo: quorum illi separatam ac propriâ personalitate subsistentem, hic non separatam, sed in unitatem personæ τȣ λόγȣ adscitam, utrique autem perfectam habent naturam humanam. *Quoad posterius*: quia subsistens in λόγῳ ipsius subsistentiâ subsistit. Id autem longè perfectius, nobilius est, quàm si propria personalitate subsisteret. Est enim subsistentia λόγȣ increata divina. Illustratur exemplis I. oleæ & oleastri ex *Rom.* 11. vitis & palmitis sylvestris ex *Iohan.* 15. ubi surculi sylvestres in generosiorem arborem insiti perfectiorem ac nobiliorem subsistentiam consequuntur, quam habebant separati ab eâ. II. subsistentiarum inanimati, animati vitâ vegetativâ, sensitivâ & rationali: quoties inferius imperfectius trahitur ad subsistentiam superioris & perfectioris.

Neque tamen eam ob causam imperfecta est.

PROBLEMA TRIGESIMUM SEXTUM.

Vtrum duæ sint filiationes in Christo?

TErminus quidem *Filiationis* est barbarus, insolens Latinis auribus, sed hic τεχνικὸς: nec verba sed rem hic spectamus.

Sunt qui *unicam in Christo filiationem* solum putant statuendam esse: atque ita negant problema. *Rationes*. I. Quia unicus solum Filius est. Ergò etiam unica filiatio. II. quia quæ sunt personæ, non

non multiplicantur. Filiatio autem propriè ad personam pertinet. Ergò.

Nos verò statuimus, rectè dici *duas* esse *in Christo filiationes*, & sententiam affirmantem esse veram: I. Quot sunt generationes in Christo, tot etiam sunt filiationes. Est enim generatio caussa filiationis: Atqui sunt duæ generationes in Christo: una divina, æterna à Patre; altera humana, temporalis à matre: quæ conjunguntur *Mich.* 5. v. 2. & in symbolo cum dicitur unigenitus Filius Dei à Patre, & natus ex Maria virgine. Ergò. II. Qui rectè dicitur Filius Dei, & Filius hominis in uno eodemque supposito, eidem rectè tribuuntur duæ filiationes in uno eodemque supposito. *Ratio.* quia denominatio fit à duplici formâ, sive duplici filiatione. Atqui Christus rectè dicitur Filius Dei & Filius Hominis: quia ipsa Scriptura sic eum vocat *Iohan.* 3. v. 13. *&* 16. Ergò. III. à Pari: Cui rectè tribuuntur duæ naturæ in unâ Personâ, secundum quas est Filius Dei & Hominis, eidem etiam rectè tribuitur duplex filiatio in unâ personâ. *Ratio:* quia Naturæ Divinæ est divina filiatio, Naturæ Humanæ, humana filiatio. Atqui Christo rectè tribuuntur duæ naturæ in unâ personâ. Ergò.

Duæ sunt filiationes in Christo.

Rationes contrariæ facile dissolvuntur. *Primâ* inconsequens est: Nam confundit subjectum sive terminum filiationis, & ejus modum. *Subjectum* filiationis unicum est, videlicet unica persona, quæ est Filius Dei & Filius hominis: *terminus* similiter, quia utraque filiatio terminatur ad eandem hypostasin: *Modus* geminus est: quia καὶ ἄλλο dicitur Filius Dei, & καὶ ἄλλο Filius hominis. *Altera* ambigua est propositione *majore*. Quæ sunt personæ non multiplicantur, scil; quoad subsistentiam sive personalitatem & indivisam existentiam: alioquin non esset una persona, sed multiplex & diversa. Ita datur. Sin sic intelligatur; quæ sunt personæ, id est, quæ subsistunt in unâ personâ, non multiplicantur, id est, non sunt aliquid multiplex, distinctum, diversum, falsa est. Sic enim ne essent quidem duæ naturæ in Christo, & diversæ earundem proprietates, quæ utique ad personam Christi pertinent; cum ea in iis subsistat.

Refutantur Objectiones

PROBLEMA TRIGESIMUM OCTAVUM.

Num persona Christi θεανθρώπου dici possit composita?

QUidam *Patres*, & post ipsos *Damascenus*, & alii personam Christi σύνθετον *compositam* dixerunt: quia constat duabus naturis, Divinâ & Humanâ, & quia λόγος ante incarnationem ἄσαρκος ἀσύνθετος fuerit.

Hæc vox bifariam intelligi potest.

Persona Christi non est Σύνθετος composita ex duabus naturis ceu partibus.

Primò, quod ex duabus naturis, tanquam partibus propriè dictis composita sit. Ita σύνθετον esse negamus. *Rationes* sunt. I. quia partes sunt incompletę respectu totius, id est, non absolutę, perfectę. At naturę in Christo, inprimis divina, perfectissima fuit ante unionem. Ergò. II. Partes sunt in potentiâ, quoad totum: nec sunt totum actu. Sed Natura Divina non est potentiâ. Ergò. III. Partes realiter differunt à toto; & constituunt tertium quid. Non naturę in Christo, quę non uniuntur in tertiam aliquam sive naturam, sive personam. Ergò. IV. Partes sunt vel universales, vel essentiales, vel integrales. Naturę in Christo non sunt partes ejusmodi. *Non universales*; quia non genera & species, sed individua. *Non essentiales*, quę materiâ & formâ comprehenduntur; quia utraque natura est forma & principium operationis *Phil. 2. v. 6. 7.* *Non integrales*; quia natura divina non potest esse pars materialis. Ergò.

Dici potest σύνθετος. quia duæ naturæ subsistunt in unâ personâ.

Secundò; quod duę naturę in unitate personę sive in unâ Christi personâ subsistant. Hoc respectu dici potest σύνθετος *composita*. *Ratio*; quia λόγος non subsistit amplius in unâ naturâ, ut ante incarnationem, sed in duabus; est λόγος ἔνσαρκος, non ἄσαρκος. Sic autem compositus dicitur absque omni imperfectione. Hęc compositio dicitur ratione numeri, non partium: quia res numeratę sive subsistentes in personâ Christi sunt plures numero, non autem sunt partes propriè, constituentes compositum. Dici etiam possunt *partes extraordinariæ*; quia subjectum planè est extraordinarium; Immanuel, Deus Homo; item extraordinarius & maximè singularis modus quo subsistunt in unâ personâ, unio hypostatica.

Quæritur verò: An analogiâ quędam propius accedant ad partes essentiales; an integrales? *Keckermannus System. Theolog. lib 3. cap.*

cap. 2. putat ad *partes integrales* accedere propius: secutus *Damascenum*. Ego malim ad *partes essentiales* referre. I. quia partes integrantes sunt materiales & quantæ propriè: essentiales non semper; ut in homine anima, quæ immaterialis est, quantitatis expers. II. quia Scriptura Humanam Naturam Christi comparat templo *Ioh*.2.v.19.21. cui Divina Natura personaliter inhabitat *Col*. 2.v. 9.item Tabernaculo *Heb*.9.v.11. III.quia Patres duas Naturas in Christo conferunt cum animâ & corpore in homine. Sed illæ sunt partes essentiales, propriè. Ergò hæ esse videntur analogicè.

Duæ naturæ in Christo propius accedunt ad partes essentiales, quam integrales.

Objicitur: Atqui illa sententia patrocinari videtur vel saltem accedere ad errorem Apollinaris, qui statuit divinitatem esse formam humanitatis. *Resp*. negatur: nec enim dicitur esse partes essentiales propriè: sed ad eas referri posse similitudine quâdam, sive analogiâ attributionis: quæ nihil propriè ponit in re. Simile enim non idem.

analogicè tamen, non propriè.

PROBLEMA TRIGESMUM NONUM.

Vtrum unio personalis sit communicatio subsistentiæ τȣ̃ λόγȣ, omniumque proprietatum essentialium?

IN explicatione hujus problematis distinctè dicendum est de tribus; de *Terminis*, *ordine*, ac *Re* nobis cum Lutheranis controversa.

De Primo.

Termini non sunt Scripturæ: nuspiam enim inveniuntur in eâ sic usurpati: sed Patrum quorundam Græcorum & Latinorum in disputationibus cum Nestorianis & Eutychianis, à quibus Damascenus, & post ipsum Scholastici Theologi eos mutuati sunt. Usi sunt autem *Patres* vocabulo *communionis* sive *communicationis* in doctrina de personâ Christi bifariam. I. pro unione personali duarum in Christo naturarum. Et sic synonyma sunt ἕνωσις καὶ κοινωνία. II. pro modo prędicationis, quo utriusque naturę proprietates enunciantur de personâ, etiam denominatâ ab eâ naturâ, cujus non sunt proprietates. Quo sensu etiam ἐπίζευξις ὀνομάτων, κοινότης ὀνομάτων, itemque ἀντίδοσις nominatur. Utroque significatu agnoscitur à nobis communicatio idiomatum, nec ulla est de eâ

Communicatio & Communio quid Patribus significent.

con-

controversia. Sed *Lutherani* in sensum planè novum, & Scripturæ & Orthodoxæ antiquitati incognitum, detorserunt vocem: quatenus ad stabiliendam Ubiquitatem pro reali effusione divinarum proprietatum in Naturam Humanam eam acceperunt: & novum prorsus genus communicationis idiomatum, quod *naturæ ad naturam*, sive *Majestatis* vocant, commenti sunt.

quid Lutheranis.

De Secundo.

Ordo inter communicationem subsistentiæ τῦ λόγυ & proprietatum essentialium, ex sensu Lutherano.

In *ordine* communicationis illius geminæ, cujus in Problemate mentio fit, variant ipsi Lutherani. Initio motę controversię ubiquitatis à *Brentio* & *Iacobo Andreæ* præcessit communicatio proprietatum. Et *in colloquio Maulbrunnensi* defenderunt, unionem personalem formaliter consistere in communicatione proprietatū. Post in *libro concordiæ* ambiguè loquuntur. Et alibi quidem p. 244. ajunt *propter unionem hypostaticam & consequentem ex eâ communicationē*, &c. volunt ergo esse posteriorem unione: Sed aliis, & quidem pluribus locis docent in communicatione subsistere unionem hypostaticam. Postremò simpliciter docuerunt, Formam unionis esse communicationem substentiæ: consequens sive effectum, communicationem proprietatum. Ita *Hunnius*, *Philippus Nicolai*, *Menzerus*, alii: quod nunc ubique inter eos obtinet. *Ratio* autem hæc est, quia secus destrueretur mysterium incarnationis, dicendumque tres personas Deitatis incarnatas esse. Quæ absurda cavere volunt.

De Tertio.

In *Reipsâ* asserendâ admittunt fallaciam plurium interrogationum. Copulant enim geminam illam communicationem tanquam ejusdem generis: & pariter veram: contrà quàm res habet. Nos distinctè eas considerabimus.

Communicatio hypostaseos quid.

Communicatio hypostaseos sive subsistentiæ τῦ λόγυ bifariam potest intelligi: *vel*, quod carni ita eam communicarit, ut ipsa quoq; facta sit hypostasis à λόγῳ distincta: quomodo Pater Filio communicavit hypostasin. Sic *negatur*. I. quia caro non est hypostasis. sed ἐνυπόστατος. II. quia communicatio hypostaseos Filii est æterna ejus generatio à Patre. Sic ergo etiam caro esset ab æterno genita: esset Deus. *Vel*: quod carnem susceperit, assumserit in unitatem hypostaseos suæ, eam sustentet tanquam partem aliquam

sui;

sui; nec unquam ab eâ discedat. Sicut arbor suscipit, gerit surculum, qui ei inoculatur. Hoc sensu Lutherani usurpant, nec nos improbamus simpliciter. *Terminum* tamen, licet inter Scholasticos, atque etiam nonnullos Orthodoxos receptum, non magnopere probamus. I. quia ambiguus est, & adversariis ad sophisticandum & fallendum peropportunus. Ideo eum semper crepant. II. nusquam extat in Scripturâ: ex quâ tamen, quoad ejus fieri potest, de hoc mysterio loquendum est 1. *Petr*. 4. v. 11. III. quia Scriptura utitur vocabulis clarioribus & rei magis accomodatis: cum Unionem vocat λαβὼν *Phil*. 2. v. 7. ἐπίληψιν *Hebr*. 2. v. 16. Nec est quod excipiant, istas esse voces transitivas: cum unio sit permanens. Quia etiam intransitivè accipiuntur hoc loco. Sic enim assumsit naturam humanam, ut eam æternum gestet, sibi intimè conjunctam; non autem iterum eam deponat. Terminus ist improbatur.

Communicatio proprietatum essentialium est juxta Lutheranos, quâ Natura Divina proprietates suas dedit sive communicavit Humanæ Naturæ, ut ipsa quoque sit omnipræsens, omnipotens. Hanc ex priore deducunt, tanquam consequens aliquod, sive effectum. Sed, *Primò*: non rectè deducitur: I. quia etiam ex hypothesi Lutheranorum sunt toto genere diversæ communicationes. *Prior* communicatio est assumtio & sustentatio Naturæ Humanæ tanquam partis extraneæ, naturaliter non pertinentis ad hypostasin τοῦ λόγου. *Altera* est realis effusio proprietatum divinarum ex uno subjecto & infusio in aliud. Et licet videri velint alieni à termino *infusionis*: sunt tamen qui eum usurpant: etiam ipse *Hunnius lib. de Persona Christi*, & sententia ipsorum omnino eum requirit. II. Est etiam discrimen aliquod saltem rationis inter essentiam Dei ejusque proprietates, & hypostasin τοῦ λόγου: quippe sine quo nulla ratio dari posset, cur non æquè Pater vel Spiritus Sanctus, quam Filius sit incarnatus: cum scil. una sit eorum essentia: sed quæ aliter in unâ, quàm alterâ personâ subsistat. *Secundò* etiam falsa est: Nam talem communicationem Scriptura ignorat: nec natura Dei patitur ullo modo: nec denique natura humana ullatenus capit: ut alibi operosè ostendimus. Communicatio idiomatum essentialium. non sequitur ex priore. falsa est.

Nec πολυθρύλλητον illud *argumentum* Lutheranorum à communicatione subsistentiæ ductum revocemus ad formam, & dissolvamus. Cui communicata est propriissima hypostasis τοῦ λόγου, Refellitur argumentum Lutheranorum

 eidem

eidem communicatæ ſunt eſſentiales ejus proprietates. *Ratio* eſt: quia hypoſtaſis illa realiter non differt ab eſſentiâ Dei, eoque nec à proprietatibus eſſentialibus: ſiquidem in Deo tantum ſunt tres perſonæ realiter diſtinctæ. Humanæ Naturæ Chriſti communicata eſt propriiſſima hypoſtaſis τοῦ λόγου. *Ratio*: quia aſſumta à λόγῳ in eâ perſonaliter ſubſiſtit: & proinde habet illam cum λόγῳ communem. Ergò. *Reſpond.* Aut ſunt quatuor termini in argumento: ſic ut vox *communicationis* aliter ſumatur in Majore, aliter in Minore: vel negatur conſequentia propoſitionis. Nimirum, quia communicatio hypoſtaſeos non eſt ejus transfuſio; ut Humana quoque natura ſit hypoſtaſis, ſed aſſumtio Humanæ naturæ in hypoſtaſin. Ad *rationem* dicimus: non differre quidem realiter hypoſtaſin Filii ab eſſentiâ Dei: differre tamen ratione, ſic ut incarnato Filio, non ſit incarnatus Pater.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM.

Quis ſenſus ſit regulæ Patrum; Quæ data ſunt Chriſto in tempore, ſecundum Humanitatem ſunt data?

HAnc *regulam* contra hæreticos uſurparunt Athanaſius, *paſſim*: Theodoretus *Dial.* 1. Leo *epiſt.* 95. & alii. *Lutherani* eandem accipiunt in patrocinium Ubiquitatis: ut quia in Scripturâ multa divina Chriſto data dicuntur; oſtendant omnipræſentiam, & reliquas proprietates Chriſto ſecundum Naturam Humanam datas eſſe. De ſenſu igitur quæritur.

Sensus hujus regulæ.

Dicimus ergò, quod nemo negabit, vulgatam illam regulam eo *ſenſu* accipiendam eſſe, quo eam uſurparunt ipſimet. Quiſque enim verborum ſuorum optimus eſt interpres. Sed uſurparunt eam pro defendendâ vera Chriſti Deitate, contra Arianos & alios hæreticos. Cum enim illi negarent Chriſtum eſſe æternum Deum, quod in tempore demum omnia ipſi à Patre data eſſent: reſpondebant Orthodoxi Patres, data illa intelligenda eſſe de Chriſto ſecundum Humanam Naturam, ſive de Chriſto incarnato. Non igitur lædi iis, aut everti Deitatem ipſius.

de Donis creatis.

Ex quibus apparet ipſos accepiſſe hanc regulam. I. *de Donis creatis* in Humanam Naturam Chriſti effuſis, eique ſubjectivè inhæren-

hærentibus: de quibus est *Ioh.* 3. v. 34. *Luc.* 2. v. 40. 52. & *cap.* 4. v. 18. Hæc siquidem omnia ad perfectionem, beatitudinem, & excellentiam Humanæ Naturæ pertinent. II. *de Officio*, quod etiam secundum Humanam Naturam gerit & exsequitur: licet non secundum eam solam; ut *Matth.* 28. v. 11.

de Officio.

De proprietatibus divinis Lutherani interpretantur regulam contra mentem & scopum Patrum. Hi siquidem ex proprietatibus illis apodicticè demonstrarunt contra hæreticos, Christum esse verum Deum. Si igitur Humanæ Naturæ easdem competere sensissent, utique argumentum suum ipsimet jugulassent. Nam illa non est Deus, instructa licet proprietatibus divinis, si Lutheranis credimus.

non de proprietatibus divinis.

Cæterum cum multa, ac multum inter se diversa data Christo dicantur in Scripturâ: ea in tria genera distinguemus. I. Quædam data sunt Christo ab ęterno, per æternam generationem à Patre: de quibus ipse *Ioh.* 5. v. 26. *Sicut Pater habet vitam in seipso, ita dedit & Filio habere vitam in seipso.* Nam generatio quid est, nisi vitę subsistentis communicatio? II. Quædam data in incarnatione: vel secundum alteram Naturam, scil. Humanam tantum; ut spiritus sine mensura *Iohan.* 3. v. 34. vel secundum utramque Naturam, etiam Divinam; non absolutè, sed relate & cum respectu ad unitam carnem; ut officium mediatorium & jus dominii in omnes creaturas; de quo ipse Christus Mat. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Johan. 5. v. 27. *Autoritatem ei dedit etiam judicium exercendi, quatenus Filius hominis est.* III. Quędam denique data sunt in exaltatione; & hęc iterum vel secundum Naturam Humanam tantum, ut immortalitas *Rom.* 6. v. 9. gloria *Phil.* 3. v. 21. vel secundum Naturam utramque; ut gloriosa administratio regni; sive dominii ac potestatis suę manifesta usurpatio, & latentis in Christo Deitatis per visibilem Humanę Naturę gloriam plena patefactio Mat. 28. v. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ.* Philipp. 2. v. 9. 10. *Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen; ut ad nomen Iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & subterraneorum.* De his vide etiam Damascenum *lib.* 4. *c.* 19.

Christo quædam data sunt.
I. ab æterno.

II. in incarnatione.

III. in exaltatione.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM PRIMUM.

An verè & piè dicatur, unicam sanguinis Christi guttam sufficere potuisse redimendis hominibus?

PAtres quidam, etiam ex vetustioribus, ita leguntur locuti esse καθ' ὑπερβολὴν, exaggerantes dignitatem personæ, & sufficientiam meriti Christi. Cujus phraseos occasione *Clemens VI. Extravagantem* condidit, quæ exstat *lib. 5. de Pœnitentiariis & remissionibus cap. unigenitus*: ubi dicit modicam sanguinis Christi guttam propter unionem ad verbum, pro redemtione totius Humani generis suffecisse. Et docet reliquam copiam sanguinis in thesaurum Ecclesiæ esse repositam: & per Petrum, ejusque successores, dispensari posse pro partiali, vel totali remissione peccatorum. *Scholastici* igitur disquirere & disputare cœperunt, de unicâ sanguinis guttâ: & *Euangelici* quidam, re non altius pensitatâ, eandem phrasin retinuerunt. *Respondemus* autem nec veram nec piam esse: & dogma hoc esse falsum, superstitiosum, perniciosum. *Falsum*: utpote quod cum Scriptura directè & multis modis pugnat. *Hebr. 9. v. 22. Absque sanguinis effusione nulla fit remissio.* Synecdochicè mortem intelligit: qualis erat in effusione sanguinis pecudum. Ergò non contingit, aut contingere potuit propter unicam sanguinis Christi guttam, *Matth. 26. v. 39. Luc. 22. v. 44.* ubi sudabat grumos sanguinis: & tamen dicit impossibile esse, ut non moriatur. Ergò ad redemtionem non sufficiebat unica sanguinis Christi gutta, *Rom. 5. v. 18.* Scriptura satisfactionem Christi vocat δικαίωμα. Illud autem est justa injuriarum correctio, etiam secundum Aristotelem *lib. 5. Ethic. cap. 5.* Sed nulla est justa criminis correctio, nisi quâ justa analogia servatur inter delictum & pœnam; qualis non est inter peccata mortem merentia, & unicam sanguinis guttam. Denique, si unica sanguinis Christi gutta satis fuit, non fuit necessaria mors ipsius ad nostri redemtionem. Atqui mors fuit necessaria: partim propter justitiam Dei *Rom. 1. v. 32. & cap. 6. v. 23.* partim propter veritatem *Genes. 2. v. 17.* Unde rectè Catechesis *quæst.* XL. *Quod justitiæ ac veritati Dei nullo alio pacto potuerit satisfieri, quam ipsâ morte filii Dei.* Ergò. *Superstitiosum* est: quia ex hoc fonte manarunt

Assertio illa est Falsa,

Superstitiosa,

runt indulgentiæ & indulgentiarum nundinationes in Papatu. Nam hoc argumento vel præcipuè eas probant hodieque. Si, inquiunt, unica gutta suffecit: reliquæ igitur cesserunt Ecclesiæ in thesaurum, cuius dispensatio Petro, ejusq; vicariis, commendata sit. Quantum autem in Indulgentiis superstitionis & impietatis sit, notum est vulgò. *Perniciosum* quoq; est, quia Sociniani inde colligunt mortem Christi non fuisse satisfactionem. Si, inquiunt, unica sanguinis Christi gutta sufficiebat, mors ejus non erat necessaria. Si mors non necessaria, utique non fuit pretium redemtionis pro peccatis: quod necessarium. Quo ipso utique fundamentum fidei ac salutis nostræ subruitur.

Perniciosa

Objicitur: Atqui dignitas personæ Christi potest efficere, ut una sanguinis Christi gutta sit plena satisfactio pro totius mundi peccatis. *Respondeo*. Hoc verò est petere τὸ ἐν ἀρχῇ. Imo est æquè falsum ut prius. Quomodo ex Scripturâ probabunt dignitatem personæ Christi efficere posse, ut Deus contra justitiam & veritatem suam faciat. Nos pro confesso sumimus, dignitatem personæ Christi nequaquam efficere posse, ut Deus mentiatur: mentiretur autem, absit balsphemia dicto, si peccatum sine morte pateretur expiari: Nec etiam facere posse, ut Deus agat injustè. Ac faceret injustè, si quod adversus summam majestatem suam commissum est, non etiam vindicaret extremis & summis suppliciis. *Inquiat aliquis*: Quorsum ergò profuit tanta personæ dignitas? *Respond*. Horsum profuit. I. Ne Humana Natura succumberet passioni ac morti maledictæ: sed onus infinitæ iræ Dei adversus peccata sustinere valeret *Esa*. 53. v. 4. qui propterea Deus fortis appellatur *cap*. 9. v. 6. II. ut esset dignum ac sufficiens λύτρον pro nostri redemtione: quæ tamen dignitas non minus in gravitate pœnæ, quàm dignitate personæ spectatur. *Act*. 20. v. 28. *Heb*. 9. v. 12, 14, 26. Gutta autem sanguinis non fuisset satis gravis pœna.

Dignitas Personæ Christi non potuit unam sanguinis guttam reddere sufficiens lytrum.

Dignitas personæ Christi quorsum profuerit.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

An nulla sit repugnantia inter illos, qui simpliciter docent Christum pro solis Electis mortuum esse: & istos, qui adhibitâ distinctione ajunt, sufficienter mortuum esse pro omnibus & singulis; efficaciter autem pro solis Electis?

Distinctionem hanc probarunt alii.

DIstinctio hęc non est nova: sed vetus. Usus est eâ Augustinus *responsione ad articulos falsò sibi impositos*: & sic declarat *sufficienter*, id est, quod ad magnitudinem & potentiam pretii attinet: & *efficienter* sive efficaciter, id est ratione effectus, qui in solis Christi membris reperitur. Illustrat etiam simili, inquiens, *poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostrâ & virtute divinâ, habet quidem in se, ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non proficit*. Chrysostomus, & ejus abbreviator. Theophylactus *in commentariis*. Cyrillus *in Iohannem lib*. 11. *cap*. 19. Prosper *ad capitula Gallorum*. Leo Papa *epist*. 83. & 97. Innocentius III. *libr*. 2. *de officio Missæ cap*. 41. Lombardus *lib*. 3. *dist*. 20. *art*. 3. Thomas *parte*. 3. *summæ Theol. quæst*. 1. *art* 4. & *quæst*. 49. *articulis*. 1. 2. 3. ex *Lutheranis* omnes illi, qui Pelagianizant; *Jacobus Andreæ*, *Hunnius*, alii. Ex *nostris* etiam Calvinus *in* 1. *Iohan*. 2. v. 2. Kimedoncius *de Redemtione libr*. 1. *cap*. 11 Pareus *in Catecheticis*, & alii.

alii improbarunt.

Sunt verò *alii*, qui distinctionem illam *improbant* ac repudiant, & Christum pro solis electis mortuum esse defendunt. Tales sunt Beza *in colloquio Mompelgartensi*. Piscator *in variis opusculis*: & qui eos sequuntur. Hi putant distinctionem illam præjudicio aliquo antiquitatis receptam esse: quasi ideo vera sit, quia antiquitus obtinuit, & à Patribus usurpata est. *Rejiciunt* verò eam: I. quia Christus nullo modo mortuus est pro omnibus & singulis, id est, tam pro reprobis, quàm pro electis: juxta Scripturam. Ergò nec sufficienter. Frustra enim de modo contenditur, cum res negatur. II. Quia quorum Christus servator est merito, eorum etiam servator est efficaciâ. Ergò non pro aliis sufficienter, pro aliis efficienter est mortuus. III. quia vana sit distinctio, contradictionem implicans. Si enim est mortuus

pro omnibus, ideo mortuus est, ut omnium salutem efficeret. Id enim sibi vult præpositio PRO. Si autem ideo mortuus est, utique etiam salutem illam efficit: utpote qui & voluit & potuit: & sic efficienter quoque pro omnibus mortuus est.

Sed repugnantia illa sententiarum nec in omnibus est, nec eodem modo se habet. Quod ut pateat clarius distinctionis hujus *usus* inter Lutheranos & nostros Orthodoxos examinandus.

Quomodo hac distinctione utantur.

Lutherani.

Lutherani utuntur hâc distinctione ad convellendam doctrinam Prædestinationis, & gratiam universalem stabiliendam. *Ratio*: quia volunt mortuum esse Christum generatim & indiscriminatim pro omnibus & singulis; non pro his, illis distinctè: item mortem Christi esse antecedens Prædestinationis: Prædestinationem verò esse ejus consequens. *Sensus* igitur est; Christum mortuum esse, non pro hoc, illo definitè, sed pro omnibus & singulis indefinitè & ex ęquo; sed *sufficienter*, ut pro omnibus satisfecerit, omnes reconciliarit; non *efficienter*, id est, sic ut omnes actu fiant participes reconciliationis, contra Huberum, Puckſium. Ita vera est repugnantia; nec possunt sententię illę inter se conciliari.

Orthodoxi, qui sumunt.

Nostri Orthodoxi utuntur hâc distinctione ad conciliandas Scripturas, & depellendam calumniam adversariorum, quasi culpa interitus reproborum in Deo vel Christo resideat. Et quidem utuntur illâ bifariam; *absolutè* & *relatè*. Unde quidam sufficientiam mortis Christi in *potentialem* & *actualem* distinguunt.

Absolutè.

Absolutè & in se; quod λύτρον Christi in se consideratum, & ex dignitate suâ ęstimatum, sit longè sufficientissimum pro omnibus & singulis hominibus. *Ratio*. I. quia est λύτρον non tantum justi hominis, sed veri ac ęterni Dei. II. quia mors Christi conjuncta fuit cum maledictione ac sensu infinitę irę Dei. Sic nulla est repugnantia; quia omnes, etiam Beza & Piscator, hanc sufficientiam uno ore agnoscunt. Sed in phrasi est κατάχρησις, cum dicitur *pro omnibus & singulis* mortuus esse Christus. Sic enim ejus scopus, intentio, & voluntas indicatur. Nam PRO finem notat; eoque sufficientia absolutè spectatur. Dicendum ergo; non, *Pro omnibus & singulis est mortuus*; sed *mors Christi est sufficientissima omnibus & singulis*.

Relatè.

Relatè, quoad consilium Dei, & scopum atque intentionem Christi morientis, quod Deus voluerit Christum sufficienter mori pro

ri pro omnibus & singulis: & Christus hoc fine mortem obierit, ut esset omnibus & singulis pretium sufficientissimum. I. quia dicta quædam Scripturæ videntur docere hanc sufficientiam. II. quia sic nulla culpa interitus impiorum Deo Christove impingi potest. Et hic est vera repugnantia: quia alii ajunt hanc fuisse in morte Christi, ipsius & Dei intentionem: Alii negant. Sed non est magna, saltem non talis, quæ distrahere debeat unitatem Ecclesiæ. I. quia illi fatentur dicta universalia Scripturæ posse etiam strictius accipi. II. quia particulam PRO non accipiunt *strictè*, ut sit *vice* vel *loco* alicujus mori; sed *laxè*, ut sit bono illorum generatim mori hactenus, ut habeant pretium sufficiens.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM TERTIUM.

An Christus sibi aliquid meruerit?

Origo quæstionis.

HAnc quæstionem movit Lombardus *lib.* 3. *distinct.* 18. post ipsum variè agitarunt Scholastici & Pontificii Doctores: Etiam persequitur eam Bellarm. *lib.* 5. *de Christo Mediatore cap.* 9. 10. Ex nostris eam *negant* Calvinus, Danæus, Pareus, alii: *affirmant* Zanchius *in confessione*, Piscator *in Explicatione Symboli*: in medio *relinquit* Franc. Junius *in animadvers. ad Bellarminum.*

Terminorum expositio.

Judicium de hâc quæstione pendet ex declaratione & distinctione terminorum Subjecti & Prædicati. *Subjectum* est Christus: quod nomen non intelligitur absolutè, sed limitativè ex alterâ Naturâ, scilicet Humanâ, ut sit Christus secundum Humanam Naturam. *Prædicatum* est, quod sibi aliquid meruerit: ubi *Pontificii* per *τὸ aliquid* intelligunt glorificationem corporis, impassibilitatem animæ, & gloriam mediatoris exaltati in suo regno. *Nostri* Zanchius, Piscator, solam gloriam mediatoris exaltati. Et rectius. I. quia glorificatio corporis, & impassibilitas animæ sunt pars quædam vitæ æternæ, quam Christus partim ex gratiâ unionis, partim etiam ex perfecta legis observatione obtinuit: sicut dicitur Fac hoc & vives *Levit.* 18. v. 5. II. quia illa non competunt soli mediatori, sed omnibus fidelibus glorificatis communia sunt *Phil.* 3. v. 21. 1. *Cor.* 15. v. 43. Sic verbum *merendi* ambiguum est. *Pontificii* propriè accipiunt, ut sit aliquid ex indebito facere debitum: *Nostri* Zanchius, Piscator, impropriè, ut sit obtinere, consequi, acquirere, tanquam fructum & præmium antegressarum passionum.

His

His præmissis *respondemus* distinctè.

Primò: Gloria mediatoris Exaltati, sive nomen supra omne nomen non est meritum passionum ac mortis Christi, propriè dictum. Et hoc *rectè negant* Calvinus, Danæus, Pareus, *Rationes* sunt. I. Quod datur ex gratiâ, non datur ex debito, sive propter opus meritorium *Rom.* 11.v.6. Gloria illa data est Christo secundum Humanam Naturam ex gratiâ *Phil.* 2. v. 9. Hæc enim est vis verbi ἐχαρίσατο *Luc.* 7. v. 42. 43 Ergò. II. Quod quis meretur propriè, de eo potest gloriari *Rom.* 4. v. 2. *Ephes.* 2. v. 9. At Christus secundum Humanam naturam non gloriatur; nec potest gloriari. Ergò III. Tota Scriptura testatur, Christum nobis non sibi missum, natum, passum, mortuum, suscitatum esse *Esa.* 9.v.6.7. *Mat.* 20.v. 28. *Luc.* 2.v.11.1. *Cor.* 1.v.30.& 2. *Cor.* 8.v.9. *Heb.* 7.v.27. Ergò non sibi, sed nobis proprie est meritus. IV. à pari: Si id mereri non potuit Christus secundum Humanam Naturam, ut humanitate assumeretur in hypostasin τοῦ λόγου: nec hoc ut cum λόγῳ & in eo in tantum exaltaretur. Verum prius: etiam ex confessione Pontificiorum. Ergò & posterius.

Gloria Christi exaltati non est meritum propriè dictum.

Secundò Gloria mediatoris, sive nomen supra omne nomen, est fructus sive præmium antegressatum passionum Christi: & sic merces sive meritum impropriè dictum. Hoc est, quod *affirmant* Zanchius, Piscator: nec negant alii. *Rationes* sunt: I. dicta Scripturæ; *Phil.* 2.v.9, Διὸ, *propterea extulit ipsum Deus*; quæ particula ordinem & consequentiam passionis & gloriæ, exinanitionis gratuitum præmium indicat; quemadmodum etiam *Gen.* 22.16. *c.* 26. v.5. Sic *Ioh.* 17.v.45. *Hebr.* 1.v.3. *cap.* 10.v.12. *Apoc.* 5.v.9. Imo ex V.T. *Ps.* 110.v.9. *Esa.* 53.v.12. & ante *vers.* 10. II. ab ordinatione Dei. Is ita decreverat, ut Christus per passiones perveniret ad gloriam, & gloriam, tanquam præmium passionum, acciperet. De quâ ipse *Christus* Luc. 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam.* Et *Petrus* 1. Epist. 1. v. 11. *Spiritus Christi prænunciavit in Prophetis Christi perpessiones; & post illas consecuturam gloriam.* Et ideo contigit ei glorificatio in monte *Matth.* 17. III. à dictis Patrum Augustini, Ambrosii, Hieronymi, & aliorum; quæ citat Zanchius initio confessionis; qui κατα-χρήσει, omnibus Patribus Latinis consuetâ, bonum opus quodvis, præmium à Deo impetrans. vocant *meritum*.

est autem meritum impropriè, seu præmium passionum.

Quæritur ergo; An etiam Christus in exinanitione & passione

 hanc

ri pro omnibus & singulis: & Christus hoc fine mortem obierit, ut esset omnibus & singulis pretium sufficientissimum. I. quia dicta quædam Scripturæ videntur docere hanc sufficientiam. II. quia sic nulla culpa interitus impiorum Deo Christove impingi potest. Et hic est vera repugnantia: quia alii ajunt hanc fuisse in morte Christi, ipsius & Dei intentionem: Alii negant. Sed non est magna, saltem non talis, quæ distrahere debeat unitatem Ecclesiæ. I. quia illi fatentur dicta universalia Scripturæ posse etiam strictius accipi. II. quia particulam PRO non accipiunt *strictè*, ut sit *vice* vel *loco* alicujus mori; sed *laxè*, ut sit bono illorum generatim mori hactenus, ut habeant pretium sufficiens.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM TERTIUM.

An Christus sibi aliquid meruerit?

Origo quæstionis.

HAnc quæstionem movit Lombardus *lib.* 3. *distinct.* 18. post ipsum variè agitarunt Scholastici & Pontificii Doctores: Etiam persequitur eam Bellarm. *lib.* 5. *de Christo Mediatore cap.* 9. 10. Ex nostris eam *negant* Calvinus, Danæus, Pareus, alii: *affirmant* Zanchius *in confessione*, Piscator *in Explicatione Symboli*: in medio *relinquit* Franc. Junius *in animadvers. ad Bellarminum.*

Terminorum expositio.

Judicium de hâc quæstione pendet ex declaratione & distinctione terminorum Subjecti & Prædicati. *Subjectum* est Christus: quod nomen non intelligitur absolutè, sed limitativè ex alterâ Naturâ, scilicet Humanâ, ut sit Christus secundum Humanam Naturam. *Prædicatum* est, quod sibi aliquid meruerit: ubi *Pontificii* per *τὸ aliquid* intelligunt glorificationem corporis, impassibilitatem animæ, & gloriam mediatoris exaltati in suo regno. *Nostri* Zanchius, Piscator, solam gloriam mediatoris exaltati. Et rectius. I. quia glorificatio corporis, & impassibilitas animæ sunt pars quædam vitæ æternæ, quam Christus partim ex gratiâ unionis, partim etiam ex perfecta legis observatione obtinuit: sicut dicitur Fac hoc & vives *Levit.* 18. v. 5. II. quia illa non competunt soli mediatori, sed omnibus fidelibus glorificatis communia sunt *Phil.* 3. v. 21. 1. *Cor.* 15. v. 43. Sic verbum *merendi* ambiguum est. *Pontificii* propriè accipiunt, ut sit aliquid ex indebito facere debitum: *Nostri* Zanchius, Piscator, impropriè, ut sit obtinere, consequi, acquirere, tanquam fructum & præmium antegressarum passionum.

His

His præmissis *respondemus* distinctè.

Primò: Gloria mediatoris Exaltati, sive nomen supra omne nomen non est meritum passionum ac mortis Christi, propriè dictum. Et hoc *recte negant* Calvinus, Danæus, Pareus, *Rationes* sunt. I. Quod datur ex gratiâ, non datur ex debito, sive propter opus meritorium *Rom.* 11. v. 6. Gloria illa data est Christo secundum Humanam Naturam ex gratiâ *Phil.* 2. v. 9. Hæc enim est vis verbi ἐχαρίσατο *Luc.* 7. v. 42. 43 Ergò. II. Quod quis meretur propriè, de eo potest gloriari *Rom.* 4. v. 2. *Ephes.* 2. v. 9. At Christus secundum Humanam naturam non gloriatur; nec potest gloriari. Ergò III. Tota Scriptura testatur, Christum nobis non sibi missum, natum, passum, mortuum, suscitatum esse *Esa.* 9. v. 6. 7. *Mat.* 20. v. 28. *Luc.* 2. v. 11. 1. *Cor.* 1. v. 30. & 2. *Cor.* 8. v. 9. *Heb.* 7. v. 27. Ergò non sibi, sed nobis proprie est meritus. IV. à pari: Si id mereri non potuit Christus secundum Humanam Naturam, ut humanitate assumeretur in hypostasin τοῦ λόγου: nec hoc ut cum λόγῳ & in eo in tantum exaltaretur. Verum prius: etiam ex confessione Pontificiorum. Ergò & posterius.

Gloria Christi exaltati non est meritum propriè dictum.

Secundò Gloria mediatoris, sive nomen supra omne nomen, est fructus sive præmium antegressatum passionum Christi: & sic merces sive meritum impropriè dictum. Hoc est, quod *affirmant* Zanchius, Piscator: nec negant alii. *Rationes* sunt: I. dicta Scripturæ; *Phil.* 2. v. 9, Διὸ, *propterea extulit ipsum Deus*; quæ particula ordinem & consequentiam passionis & gloriæ, exinanitionis gratuitum præmium indicat; quemadmodum etiam *Gen.* 22. 16. *c.* 26. v. 5. Sic *Ioh.* 17. v. 45. *Hebr.* 1. v. 3. *cap.* 10. v. 12. *Apoc.* 5. v. 9. Imo ex V. T. *Ps.* 110. v. 9. *Esa.* 53. v. 12. & ante *vers.* 10. II. ab ordinatione Dei. Is ita decreverat, ut Christus per passiones perveniret ad gloriam, & gloriam, tanquam præmium passionum, acciperet. De quâ ipse *Christus* Luc. 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam.* Et *Petrus* 1. Epist. 1. v. 11. *Spiritus Christi prænunciavit in Prophetis Christi perpessiones; & post illas consecuturam gloriam.* Et ideo contigit ei glorificatio in monte *Matth.* 17. III. à dictis Patrum Augustini, Ambrosii, Hieronymi, & aliorum; quæ citat Zanchius initio confessionis; qui κατάχρησει, omnibus Patribus Latinis consuetâ, bonum opus quodvis, præmium à Deo impetrans. vocant *meritum*.

est autem meritum impropriè, seu præmium passionum.

Quæritur ergo; An etiam Christus in exinanitione & passione

hanc

hanc gloriam tanquam præmium ſpectavit, & aſſequi laboravit? *Reſp.* Omnino: *Probatur* I. ex petitione *ipſius.* Joh. 17. v. 4. 5. *Opus conſummavi, quod dediſti mihi ut facerem; nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipſum eâ gloriâ, quam habui apud te priuſquam mundus eſſet.* II. Ex teſtimonio *Apoſtoli* Heb. 12. v. 2. *Fidei dux ac conſummator Ieſus pro ſibi propoſito gaudio ſuſtinuit crucem ignominiâ contemtâ & ad dextram throni Dei conſedit. Pro,* iſt eſt, propter propoſitum ſibi gaudium pertulit ignominiam. III. Ex fine glorificationis factæ in monte *Mat.* 17. v. 3. *Luc.* 9. v. 31. Sed limitatio ſive *cautio* addenda: Spectavit gloriam illam non *primariò*: quia nobis natus, factus *Eſa.* 9. v. 6. 1. *Cor.* 1. v. 30. Nec venit ut ſibi, ſed nobis miniſtraret *Mat.* 20. v. 28. Ergò primariò ſpectavit noſtram ſalutem. *Secundariò* autem eam ſpectavit: ſiquidem ſe totum nobis impendendo, & redemtionis noſtræ negotium perficiendo, ampliſſimum à Deo præmium obtinuit. Et omnis cauſa propter fines diverſos agens propter principalem agit principaliter, propter minus principalem minus principaliter.

Christus in humiliatione ſpectavit gloriam illam tanquam præmium.

Sed tantum ſecundariò.

PROBLEMA QADRAGESIMUM QUARTUM.

Vtrum per deſcenſum ad inferos cruciatus Chriſti infernales, an potius ſtatus abjectiſſimus ſub dominio mortis intelligantur?

ARticulum *de deſcenſu Chriſti ad inferos* non eodem modo interpretantur D. D. Eccleſiarum: nec eodem modo Eccleſiæ intelligunt. Cujus diſcrepantiæ vera *cauſa & origo* eſt ambiguitas tum vocabuli שְׁאוֹל *Scheol*, quod infernum ſignificat: tum phraſeos: *deſcendere ad inferos*, apud Hebræos: ex quorum idiotiſmo explicanda eſt.

שְׁאוֹל quid.

Vox שְׁאוֹל *Scheol* in Scripturâ accipitur quadrifariam. I. pro ſepulchro *Pſ.* 16. v. 10. II. pro loco damnatorum *Luc.* 16. v. 23. III. pro doloribus infernalibus 1. *Sam.* 2. v. 6. IV pro extrema humiliatione *Eſa.* 14. v. 15. Similiter phraſis *Deſcendere ad Inferos* quadrifariam uſurpatur: I. ut ſit ſepeliri *Gen.* 42. v. 38. II, devenire in locum damnatorum *Num.* 16. v. 33. III. ſentire dolores infernales 1. *Sam.* 2. v. 6. IV. extremè humiliari. *Mat.* 11. v. 23.

Deſcendere ad inferos quid.

Sunt ergò etiam *quatuor* expoſitiones diverſæ hujus articuli.

Ex

Ex quibus *Secunda* de locali descensu Christi in locum damnatorum, quam & Pontificii, & ex Lutheranis nonnulli tenent, *falsa* est. Nam nec corpore descendit: quo quievit in sepulchro, in tertium usque diem: nec animâ, quâ receptus est in Paradisum cælestem *Luc.* 23. v. 43. 46. *Prima* etiam de sepultura est *minus probabilis*. I. quia proximè præcedit, *sepultus est*. Nec dici potest subjici exegeticè: quia posterius obscurius est priore; II. non est verisimile in tam succincto & brevi symbolo eundem articulum bis poni, seu idem bis dici verbis commutatis. Interim dissimulandum non est. I. Esse, qui dicant prius de sepulturâ positum esse propter Gentes; alterum de descensu propter Judæos; & sic utrique esse locum. II. Vetustissima Orientalium & Romanorum Symbola vel omittere cum Paulo 1. *Cor.* 15. v. 4. articulum de descensu ad inferos, utpote comprehensum in verbo sepultus; teste Cypriano *in exposit. Symboli*; vel exprimere articulum de descensu ad inferos omissâ sepulturæ mentione: utpote quæ descensu ipsius contineatur; teste Athanasio *in Symbolo*. Sed utrique obstat, quod Symbolum Apostolicum, utpote & tempore & autoritate primum, utrumque *sepultus est*, & *descendit* distinctè expressit: quod non opus fuit facere propter Judæos & Gentes seorsim, quandoquidem Judæi proprium nomen sepulturæ non minus rectè intellexerunt, quam improprium & metaphoricum descensus ad inferos.

Articulus iste intelligitur. I. male de locali descensu. II. minus probabiliter de sepulturâ.

Duæ posteriores expositiones sunt *maximè probabiles*.

Tertia quidem, si species omnes passionum Christi Symbolo exprimi, & distinctè recenseri statuamus. Siquidem initiò commemorantur *passiones corporis*, sive eæ sint dolores & ignominiæ, sive ignominiæ tantùm: ut sepultura. Tum *passiones animæ*, quæ præcipuæ & gravissimæ subjiciuntur: ut sit processus à passionibus corporis, quæ visibiles, leviores; ad passiones animæ, quæ invisibiles, graviores. Et sic *sensus* est, non tantum passus est corpore, non tantum mortuus corporaliter, non tantum sepultus est: sed etiam summos cruciatus & dolores infernales, quales impii omnes in æternum patientur, animâ est perpessus. *Hæc expositio* I. est *vera*; quia convenit cum Scripturâ 1. *Sam.* 2. v. 6. & ejus prædictionibus de Christo *Psal.* 116. v. 3. II. est *pia*; quia ponit præcipuos angores & cruciatus Christi ad nostri tum redemtionem, tum consolationem, de quo vide *Catechesin quæst.* 44. III. est *Symbolo conveniens*, quod non reticet utique gravissimam partem passionis Christi. Reticeret

III. Probabiliter de doloribus infernalibus.

autem, si articulus de descensu Christi ad inferos non intelligeretur de internis passionibus animæ. Nam præcedentes articuli de externis passionibus corporis loquuntur. Sicut igitur X. præceptum additum est cæteris, ut intelligatur obedientia interna & spiritualis: ita hic articulus de descensu Christi ad inferos reliquis subjunctus fuit, ut internas passiones significet. IV. est *approbata* â magnis Theologis, Calvino, Beza, Danæo, Ursino, Pareo & aliis: imò in publicis Ecclesiarum confessionibus. Quæ contra objiciuntur in explicationibus Catecheticis, probabiliter saltem, diluuntur

IV. Maxime probabiliter de statu Christi abjectissimo post sepulturam.

Quarta autem *maximè probabilis* est, si ordinem historiæ in Symbolo observatum sequamur. Sic enim est *status Christi post mortem ac sepulturam* humilis ac summè abjectus, quo in tertium usque diem sub mortis imperio detentus fuit, ac si planè cum ipso actum esset. *Probationes* hæ sunt. I. Ex generali Scripturæ collatione, ex quâ constat phrasin *descendere ad inferos* usitate significare abjectum statum mortuorum, qui in sepulchris computrescunt *Gen.* 37. v. 35. *Job.* 17. v. 13. 14. 15. 16. *Ps.* 30. v. 4. *&* 49. v. 16. *Esa.* 14. v. 11. 19. 20. *Ion.* 2. v. 2. *Mat.* 11. v. 23. II. Ex locis de Christo *Ps.* 16. v. 9. 10. quem Petrus *Actor.* 2. v. 24. *& seq.* interpretatur de statu corporis Christi in sepulchro. Sic *Eph.* 4. v. 9. 10. summam Christi exinanitionem & exaltationem inter se opponit, & illam descensu ad infimas partes terræ exprimit. III. Ex historiæ serie Symbolo expressâ: ut ex collatione antecedentium & consequentium constat. Nam per mansionem in sepulchro mors ipsi continuabatur & dominabatur *Rom.* 6. v. 9. hostes ipsi insultabant, tanquam planè desperato & devicto *Mat.* 27. v. 62. *& seq. Luc.* 23. v. 48. discipuli & amici prorsus de ipso actum esse opinabantur *Luc.* 24. v. 21. Hic status Christi nisi illis verbis expressus, utique planè est omissus in Symbolo. IV. Etiam suffragia habet magnorum virorum Zanchii, Piscatoris, Pierii, & aliorum.

De duabus postremis interpretationibus ἐπίκρισις

Sed cum duæ hæ sententiæ inter se discrepent, utra amplectenda, & publicè tradenda? *Resp.* I. cum utraque probabilis, potest una probabilior videri alterâ; & sic etiam præferri: sed privatim. II. publicè ea tradenda est, quæ confessionibus publicis Ecclesiarum est consentanea: nec enim ab eâ discedere debet privatus. III. Potest tamen quis modestè etiam alteram sententiam subjungere: sed absque insectatione, aut confutatione alterius.

PRO-

PROBLEMA QUADRAGESIMUM QUINTUM.

Utrum Sessio ad dextram Patris Christo secundum utramque Naturam, & quo discrimine conveniat?

EXplicatio Problematis necessaria est propter *Lutheranos*, qui Christum tantum secundum Humanam Naturam ad dextram Dei sedere contendunt. Inde verò omnipræsentiam & omnipotentiam carnis ipsius se probare posse opinantur. Sed præmittenda omnino est *declaratio* tum *phraseos*, tum *Rei ipsius*, priusquam responderi possit.

Sedere ad dextram Dei est phrasis non propria.

Phrasis non est propria. I. quia Deus spiritus incorporeus *Ioh.* 4.v.24. nec dextram habet, nec sinistram. II. quia non notat situm sive positum corporis Christi, quasi semper sedeat: cum æquipolleant, sedere ad dextram Dei, & ad eam stare *Actor.* 7.v.56. Est autem phrasis metaphorica κατ' ἀνθρωποπάθειαν Christo tributa, ut tum summum ipsius honorem, tum summum imperium designet. Metaphora desumta est à consuetudine Regum & Principum, qui eos ad dextram suam collocare solent, quibus proximum à se tum honoris, tum potentiæ gradum in gubernatione concedunt. *De proximo honoris loco & gradu* sumitur 1.*Reg.* 2. 19. ubi quum Salomon matrem singulari honore afficere vellet, eam ad dextram suam collocavit. Sic *Psalm.* 45. v. 10. *Regina*, id est Ecclesia, *stat à dextrâ tuâ*, scilicet Messiæ: proximo à te dignitatis gradu constituta. Sic. 3. *Esdr.* 4. v. 29. Zorobabel narrat, se vidisse concubinam Regis sedere juxta Regem ad dextram ejus. *De Imperio* verò, sive Regia administratione sessio ad dextram usurpatur *Matth.* 20. v. 21. Ubi mater filiorum Zebedæi petit alterum filiorum sedere ad dextram Christi, alterum ad sinistram in regno ipsius, id est, ut essent proximi à Christo gubernatores, per quos ipse regnum suum administraret.

sed metaphorica.

notatque proximum honoris gradum.

Regiam administrationem.

Sessio Christi ad dextram Patris quid.

Hinc jam *Res ipsa*, id est, *quid sit sessio Christi ad dextram Patris* facilè intelligitur. *Duo* omnino significat. I. summam Majestatem & gloriam, quâ ipse declaratus est Dominus omnium & caput Ecclesiæ. II. Summum imperium, quod potenter exercet in omnes creaturas, inprimis vero ostendit in gubernatione & defensione Ecclesiæ suæ. Uno verbo: Est gloriosa admini-

nistratio regni Christi. Et ita Catechesis rem declarat *quæst.L.LI.* Utraque pars sessionis evidens est ex Scripturâ. *Prior* de gloriâ: *Ephes.*1.v.20.& *seqq. Philipp.*2.v.9.10.11. *Hebr.*1.v.3.*cap.*8.v.1. *Luc.* 24. v. 26. & sic oportuit Christum introire in gloriam suam. *Altera* de imperio & regni administratione *Psalm.* 110. v. 1. est sedere, *vers.*2. dominari. 1.*Corinth.* 15. v.25. oportet eum regnare. *Actor.*5.v.31. *Ephes.* 1.v.20.21.22. ubi dicitur, *omnia subjecit pedibus ejus eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ.*

Conciliatio Interpretationum de hoc articulo.

Inquiat vero aliquis : non omnes sessionem Christi ita interpretantur. *Melanchthon* eam accipit de officio Christi Regio & Sacerdotali. *Vrsinus* ponit in quatuor rebus : *in* æqualitate τȣ λόγȣ seu personæ mediatoris cum Patre ; *in* perfectione naturæ Humanæ Christi ; *in* perfectione officii mediatorii ; denique *in* perfectione honoris & cultus. *Alii* in manifestatione gloriæ & potentiæ ipsius. *Respond.* Sed hic nullus est dissensus in reipsâ ; varietas autem, sive diversitas, in explicationis modo. *Melanchthon* eam accipit de officio regio, id est, gloriosâ ejus administratione & exsecutione. Consensus igitur est. Quod verò etiam Sacerdotii meminit, id facit ratione adjuncti ; quia Sessioni Christi conjunctus est actus quidam Sacerdotalis, videlicet intercessio. sive interpellatio Christi pro Ecclesiâ in cœlo, tanquam in Sancto Sanctorum *Rom.* 8.v. 34. *Hebr.*7.v. 25. *cap.* 9. v. 24. 1.*Ioh.*2.v.1. Describit igitur sessionem tum ab actu formali, tum ab adjuncto.

Melanchthonis?

Vrsini.

Vrsinus latius etiam considerat sessionem Christi, & eam non solum à propriâ formâ, sed etiam à principio sive fundamento, antecedentibus & consequentibus describit, idque secundum veritatem Scripturæ. *Forma* sessionis propriè consistit in perfectione officii mediatorii, quod gloriâ & honore coronatus dominatur in medio inimicorum suorum. *Principium* sive *fundamentum* sessionis est æqualitas τȣ̃ λόγȣ cum Patre, sed absolutè spectata. Nisi enim fuisset verus Deus, non fuisset capax tanti honoris & Imperii, Hinc etiam Deitas ipsius ex hâc sessione rectè concluditur, *Heb.*1.v.13. *Matt.*26.v.64. Si verò consideretur secundum quid, quatenus est manifestatio hujus æqualitatis, quam gloriosè cæpit exserere exaltatus, est pars sessionis, & ad formam ejus pertinet. *Antecedens* est perfectio naturæ Humanæ, quoad depositionem infirmitatum, quæ facta est jam in resurrectione : item quoad excellentiam qualitatum, quæ auctę ipsi quoad gradus. Nam etiam

iam ante eas habuit ſpecie *Ioh.*3.v.34.*Luc.*2.v.40.*&* 25.*c.*4.v.18. *Conſequens* ſive *effectum* eſt cultus & invocatio, itemque ſubjectio omnium creaturarum, quâ ipſum Dominum agnoſcunt *Act.* 7.v. 56. *Phil.* 2. v.9.10. Denique *qui* de manifeſtatione gloriæ & potentiæ Chriſti accipiunt, eandem rem dicunt, mutatis verbis. Aliorum.

Obiter autem hic diluenda eſt *calumnia* quædam Ubiquitariorum, quod dextra Dei ſit nobis locus. Seſſio item ad Dextram Dei localis. *Dicimus* dextram Dei eſſe infinitam ipſius potentiam & gloriam. Quomodo igitur ſit locus? Seſſionem negamus eſſe ſitum localem: cum ſit ſtatus perſonæ Chriſti: quomodo igitur localem faciamus? Hoc vero docemus: Chriſtum non ubique, ſed in cœlis ſedere ad dextram Dei *Eph.* 1.v.20.*Col.*3.v.1.*Hebr.*2.v.3.*cap.* 8 v.1. Ideo ſeſſio illa tanquam conſequens cum aſcenſione Chriſti in cœlum conjungitur *Marc.*16.v.19.*Act.*2.v.32.33.34.35. Cœlum igitur eſt locus, in quo tanquam in palatio regio, ſive ſanctuario non manufacto ſedet ad dextram Dei: ipſa Dextra Dei non eſt locus: nec ſeſſio localis propriè.

Dextra Dei non eſt locus nec ſeſſio ad eam localis:

ſed Chriſtus in cœlo ſedet ad dextram Dei.

His præmiſſis *reſpondemus* ad ipſum Problema: quod bimembre: An Chriſtus ſedeat ſecundum utramque Naturam, & quo diſcrimine.

Prius affirmatur: & demonſtratur. *De Humanâ Naturâ* non eſt opus probatione; quia nulla controverſia. *Phil.*2.v.8.9. ubi ἐχαρί-σατο. item *Ioh.* 5.v.27. *De Divinâ* oſtenditur *dictis* Scripturæ ceu ſunt I. *Pſ.*110.v.1.2.*Matth.*22.v.43.44.*Heb.*1.v.13. Hîc perſonæ divinæ tribuitur. At quomodo exercet? an manu, brachio? imò verbo omnipotente inprimis *Heb.*1.v.3. operante tamen carne, quod ſuum eſt. Ergò. II. *Matth.*26.v.64.65. *Luc.*22.69.70. ubi Filium Dei eſſe colligit Cajaphas ex ſeſſione. Aut igitur vera illatio, aut falſa; ſi falſa, Chriſtus non approbaſſet eam *eodem v.*70. ſi vera, ergo ſecundum Naturam Divinam etiam ſedet ad dextram Dei. Id quod cum jurati Chriſti hoſtes facilè animadverterint: mirum juxta & miſerum eſt, profeſſos Chriſtianos non agnoſcere. *Rationibus* etiam. I. Status perſonæ Chriſti, & officii Mediatorii adminiſtratio, eſt Chriſto communis ſecundum utramque Naturam. *Ratio:* quia Chriſtus, etiam Lutheranorum confeſſione, mediator eſt ſecundum utramque Naturam. Atqui ſeſſio ad dextram Patris eſt ſtatus perſonæ ipſius, & officii mediatorii adminiſtratio: ut ex declaratione patet. Ergò. II. Cujus Ἀποτελέσματα ſunt Chriſto cō-munia

Chriſtus ſedet ad dextram Dei ſecundum Humanam

Divinam naturam.

munia ſecundum utramque Naturam, id ſecundum utramq; Naturam ei convenit. *Ratio:* quia effectus communis arguit communem cauſam. ἀποτελέσματα ſeſſionis Chriſti ad dextram Patris ſunt Chriſto communia ſecundum utramque Naturam, ut conſervatio ac ſalus Eccleſiæ, regni Diaboli confuſio, &c. Ergò. III. ab abſurdo: Si Chriſtus non ſedet ad dextram Patris etiam ſecundum Naturam Divinã, jam deſiit eſſe mediator & caput Eccleſiæ ſuæ quoad Deitatem. Abſurdum, blaſphemum conſequens. Ergò & antecedens.

Diſcrimen autem Seſſionis eſt. 1. in diſparitate temporis.

Alterum quod attinet, diſcrimen triplex potiſſimum eſt. *Primum* in diſparitate temporis: Chriſtus ſecundum Naturam Divinam ſedit ad dextram Dei etiam ante incarnationem, inde ab initio mundi & Eccleſiæ: Quia ſemper fuit Rex & caput Eccleſiæ: quod eam gubernavit, defendit *Pſ.* 2. v. 6 Ideo dicitur *Heb* 13. v. 8. *Heri & hodie idem & in ſecula.* At ſecundum Humanam Naturam tantum, poſtquam in cœlum aſcendit, & in gloriam ſuam ingreſſus eſt *Luc.* 24. v. 26. *Eph.* 1. 20. *Objicitur:* Atqui Scriptura Chriſtum θεάνθρωπον ſediſſe docet ad dextram Dei, poſt paſſionem & reſurrectionem *Phil.* 2. v. 8. 9. 10. *Eph.* 1. v. 20. Ergò etiam tum cæpit ſedere quoad Deitatem, non antè. *Reſp.* cœpit etiam tum ſedere, ſed relatè ad carnem aſſumtam, in quâ gloriam, majeſtatem & potentiam occultaverat: non autem abſolutè. Seſſio igitur ſic eſt declaratio potentiæ & gloriȩ viſibilis ac conſummatæ, & omnimodæ poteſtatis regiæ uſurpatio in & cum carne. Ante ſedit, ut λόγος ἄσαρκος: poſt ut ἔνσαρκος.

Seſſio ad dextram Dei non demum cœpit poſt reſurrectionem.

2. in diſparitate potentiæ & operationum.

Secundum in diſparitate potentiæ & operationum, quibus Chriſtus regnum ſuum glorioſè adminiſtrat. Potentia, & operationes Deitatis ſunt divinȩ, ȩquales Deo: quia ipſe quâ Deus, æqualis eſt Patri *Phil.* 2. v. 6. *Ioh.* 5. v. 17. Humanitatis autem majores quidem omnibus creaturis, non tamen Deo æquales: ſed creatæ & finitȩ. *Ratio*: quia ſedet ad dextram Dei ſecundum utramque quidem Naturam, ſed ſalvâ utriuſque naturæ veritate.

3. in diſparitate gloriæ & majeſtatis.

Tertium in diſparitate gloriȩ, Majeſtatis, & honoris. Secundum Naturam Divinam ut eſt ȩqualis Deo naturâ, proprietatibus, & operibus: ita honore quoque *Ioh.* 5. 23. Secundum Naturam Humanam ut naturâ, ita gloriâ & honore quoq; eſt ei inȩqualis: interim proximus eſt honore à Deo: major omnibus creaturis, etiam glorioſiſſimis ut ſunt Angeli. *Eph.* 1. 20. 21. *Objectio:* ſic vero geminus cultus & geminus honos Chriſti introducitur, contra Anathematiſmos Cyrilli. *Reſpondeo:* Negatur: unus numero cultus, honos; non alius

Non hinc geminus cultus Chriſti introducitur

alius

alius carnis: sed is respectu ac gradu differt. *Respectu:* quia duæ naturæ Christi sunt essentialiter diversæ. *Gradu:* quia naturæ inæquales sunt essentiis, proprietatibus, operationibus, & gloriâ. Quæ sicut fides non confundit, ita nec cultus secundùm fidem præstitus.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM SEXTUM.

Num detur omnibus gratia quædam sufficiens.

NOta est distinctio Gratiæ in *sufficientem* & *efficacem*, usitata Pontificiis: quibus gratia *sufficiens* est, quâ potest homo credere, modò velit. Hujusmodi gratia non datur. I. quia non est volentis, nec currentis, sed miserentis *Rom.* 9. v. 16. II. quia fides sic est donum Dei gratuitum, ut non sit ex nobis *Eph.* 2. v. 8. 9. Ergo de ea etiam frustra quæritur. Neque etiam gratiæ *sufficientis* vocabulo intelligimus, vel donum creationis, vel doctrinam aut suasionem Legis: ut olim lusit Pelagius in vocabulo *gratiæ.* Illud enim nuspiam appellatur *gratia*: sed termino generaliore *auxilii, doni*, notari solet. Hæc verò etiam gratiæ opponitur *Ioh.* 1. v. 17. *Gratia* igitur tantum est Euangelii, propriè loquendo, & ad Euangelium pertinet: quod *sermo gratiæ* vocatur *Act.* 20. v. 32. Gratia sufficiens quæ dicatur.

Est autem *gratia* triplex: quantum quidem præsens institutum attinet: quæ omnes & singulæ dici possent sufficientes, suo modo; nulla autem est omnibus communis. Gratia Euangelica est.

Prima est *externæ vocationis*: quâ Deus per media externa Verbi & Sacramentorum vocat ad fidem & conversionem. Hæc I. rectè dicitur *gratia*; quia Euangelium, ejusque prædicatio est singularis gratiæ opus: unde *Euangelium gratiæ*, Act. 20. v. 24. & *sermo gratiæ*. v. 32. dicitur. II. est gratia *suo modo sufficiens*, videlicet tum in ordine causarum secundarum seu mediorum: quatenus præter illa nulla alia conversionis media requiruntur *Esa.* 5. v. 4. *Luc.* 16. vers. 31. tum etiam ad ἀναπολογίαν ut reddantur homines inexcusabiles *Ioh.* 15. v. 22. Sed *non* est gratia *omnibus & singulis communis*. Quia multi, non omnes, vocati *Matth.* 20. v. 16. *Sivit Deus præteritis ætatibus omnes gentes suis ipsarum viis ingredi Act.* 14. v. 16. 17. Quod adhuc facit in Turcis, Persis, Indis. I. externæ vocationis. Suo modo sufficiens. Sed non omnibus & singulis communis.

2. internæ illuminationis.

Secunda est *internæ illuminationis*, qua per Spiritum S. illustrantur mentes in agnitionem veritatis, & de eâ certò persuadentur *Heb*. 6. v. 4. 5. 6. Hæc etiam dicitur *gratia* 1. *Corinth*. 12. v. 30. 31. *Heb*. 6. v. 4. 5. 6. Est etiam gratia *sufficiens* non simpliciter, sed *secundum quid*, tum ad cognitionem veritatis, *Heb*. 10. v. 26. & fidem temporariam *Luc*. 8. v. 13. tum ad ἀναπολογίαν Petro teste 2. *Epist*. 2. v. 20. 21. sed *non* est gratia *omnibus & singulis communis*: *Luc*. 8. *vers*. 13. in parabolâ seminis: 1. *Cor*. 12. *vers*. 8. 9. 30.

Secundum quid sufficiens. Sed non omnibus & singulis communis.

3. internæ renovationis.

Tertia est *internæ renovationis & regenerationis*, quâ renovantur mente, voluntate, affectibus, & ad vitam Æternam regenerantur per Spiritum S. *Ioh*. 3. v. 5. 1. *Pet*. 1. v. 3. Hæc est *singularis gratia Dei Tit*. 3. v. 5. 1. *Pet*. 1. v. 3. Est etiam gratia *sufficiens* ad fidem & conversionem, non secundum quid, sed *absolutè & simpliciter*: ut quæ eam efficit in omnibus & singulis, quibus obtingit. Nam: quia fit per efficacem tractum Dei *Ioh*. 6. v. 44. aperientis corda, *Act*. 16. *vers*. 14. & ex lapideis carnea efficientis *Ezech*. 36. *v*. 26. 27. Sed *non* est *omnibus & singulis communis*: quia pauci electi *Matt*. 20. v. 16. & fides non est omnium, 2. *Thess*. 3. v. 2. sed electorum *Tit*. 1. v. 1.

Absolutè sufficiens.

Sed non omnibus & singulis communis.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM SEPTIMUM.

An vocatio Dei externa inefficax dicatur in incredulis, ex parte Dei, an ex parte ipsorum?

Vocatio Dei inefficax est.

1. ex parte Dei.

RESponsio est expedita, *inefficacem* dici utroque modo, tam ex parte Dei, quàm ex parte ipsorum. *Ex parte Dei*: quia vel mentes ipsorum non illuminat, ut agnoscant & assentiantur veritati: vel corda ipsorum non movet, flectit, renovat ad ei credendum & obtemperandum *Deut*. 20. v. 3. 4. *Esa*. 53. v. 1. *Matt*. 11. v. 25. 26. *cap*. 13. v. 11. Nam efficax est per verbum libere, quando & quantum vult *Ioh*. 3. v. 8. 1. *Cor*. 12. v. 11. Absque hâc illuminatione & renovatione autem nemo potest converti *Ioh*. 6. v. 44. *Ex parte ipsorum* quoque: quia I. nolunt credere & obedire Euangelio. *Matt*. 23. v. 37. *Luc*. 19. v. 14. *Rom*. 10. v. 21. cujus illustria extant exempla in historiâ Euangelicâ & in Actis. II. quia non

2. Ex parte incredulorum.

non possunt credere & obedire Euangelio, propter naturæ suæ corruptionem 1 *Cor.* 2. v. 14. 2 *Cor.* 3. v. 5. *Rom.* 8. v. 7. Sed *Deus* non addens efficaciam vocationi externæ *est extra culpam:* quia nemini quicquam debet, *Rom.* 11. v. 35. sed sua dona pro beneplacito dispensat *Matt.* 20. v. 15. *cap.* 11. v. 26. *Homines* autem *vocati rei sunt*: tum quia tenentur obedire, & malitiosè, contumaciter nolunt: tum quia non possunt suopte vitio & propriâ culpâ: ut qui ἀδυναμίαν sibimet attraxerunt.

Culpa tamen, non est Dei. Sed hominum.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM OCTAVUM.

Annon Deus illudat hominibus, dum promiscuè Euangelii gratiam quibusvis tum in verbo simplici, tum in Sacramentis offert quam tamen omnibus conferre non constituit?

EST hæc trita admodum *calumnia* adversariorum nostrorum, tum *Pontificiorum*, tum *Lutheranorum*: quam non agnoscimus sed totâ mente exsecramur. *Rationes* sunt manifestæ. I. quia non offert gratiam suam absolutè, sed sub conditione fidei & resipiscentiæ *Marc.* 1. v. 15. *cap.* 16. v. 16. *Ioh.* 3. v. 16. *Rom.* 10. v. 9. 10. Est igitur oblatio hypothetica, non categorica: quæ nihil ponit, nisi conditio ponatur. Ea autem deficit ex parte hominum. II. quia eodem verbo, quo offert gratiam, simul declarat, quod non omnibus velit dare fidem, *Matth.* 13. v. 11. quod fides non sit omnium, 2. *Thess.* 3. v. 2. sed electorum *Tit.* 1. v. 1. III. denique docet easdem promissiones, licet annunciatione sive prædicatione Universales, effectu tamen non in omnibus, sed in solis promissionis Filiis ratas esse, *Rom.* 9. v. 6. 7. 8. idque ex consilio & intentione Dei *Matth.* 10. v. 13. *Luc.* 10. v. 6. *Esa.* 55. v. 11.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM NONUM.

Quid differant Vocatio efficax, Regeneratio, Resipiscentia, Sanctificatio, & Conversio?

HÆc nomina beneficiorum Dei variè usurpantur à variis: nonnunquam etiam confunduntur. Id ideo fit, quia non

eodem significatu in Scripturâ usurpantur. Quia verò distincti sunt gradus beneficiorum Dei: prout etiam distinctè recensentur *Rom*.8.vers.29.30. 1 *Cor*.1. vers. 30. & alibi, ideò quid differant, paucis ex Scripturâ docebimus.

Discrimen inter ea est

Discrimen inter illa aliud *generale* est, alius *speciale*.

Generale: notat actus 1. Dei tantum Vocatio & Regeneratio;

Generale hoc est: *Vocatio efficax* & *Regeneratio* tantùm notant actus Dei, non nostros. Deus enim est, qui vocat nos, *Rom*.9. v.24.25. secundum propositum suum *cap*.8. v. 28. 2 *Tim*. 1. v. 9. Deus etiam est, qui nos regignit, non nos ipsi: non magis, quàm nos ipsos gignimus ad hanc vitam 1 *Pet*.1.v.3.& 23. *Resipiscentia* tantum notat actus nostros, licet à Deo effectos in nobis. Nam resipiscentia est actus resipiscentis. Jam non Deus, sed nos resipiscimus. Deus autem est, qui dat nobis resipiscentiam *Act*.17. v. 30. *cap*. 11. vers. 18. *Sanctificatio* & *Conversio* jam notant actus Dei, jam nostros, gratia Dei excitatos, effectos in nobis. *Primi* significatus exempla sunt: de Sanctificatione *Eph*. 5. v.26. Sic Christus Sanctificatio, 1 *Cor*. 1. *vers*. 30. & Sanctificatio Spiritus 1 *Pet*.1. v.2. De conversione *Ierem*.31.v.18. *Secundi* significatus exempla, de Sanctificatione: 1 *Thess*.4.v.4. 2 *Cor*.7.v.1. de conversione *Ezech*. 33. v. 11. *Zech*. 1. v. 3.

2. nostros tantum, Resipiscentia.

3. jam Dei, jam nostros, Sanctificatio & conversio.

Speciale: quid Vocatio efficax,

Speciale eruitur ex diversitate significatuum: *Vocatio efficax* est donatio fidei & resipiscentiæ per fidem *Rom*. 8. v. 29. 30. Nam vocando aperit Deus cor, ut credamus, *Act*.16.v.14. trahit nos, ut veniamus *Ioh*. 6. v. 44. Ideo etiam est ἀμεταμέλητος *Rom*. 11. v. 29. Hæc præcedit fidem, Resipiscentiam, Justificationem, & cætera beneficia, *argumento loci Rom*. 8. v. 29. 30. *Regeneratio* bifariam accipitur, quantum ad præsens institutum. *Latè*; & tum complectitur vocationem efficacem, & renovationem naturæ corruptæ *Ioh*.1. v.12.13. 1 *Pet*. 1. v. 3. 23. *Strictè*; & solam naturæ corruptæ renovationem continet *Tit*. 3. v. 5. Sic sæpè dicitur *renovatio*. *Resipiscentia* posterior est vocatione efficaci simpliciter, quia effectus ejus: sic etiam posterior est regeneratione latè sumtâ, sed prior est regeneratione strictè sumtâ: quia resipiscentes & credentes accipimus Spiritum Sanctificationis, quo renovamur ad Imaginem Dei *Act*.2.v.39.40. *Sanctificatio* alia est *passiva*, qua sanctificamur à Deo, 1 *Cor*.6. v.11. *Eph*.5.v.26. alia *activa*, qua sanctificamus nos ipsos 2 *Cor*. 7. v. 1. 1 *Thess*.4.v.4 Utraque posterior est Vocatione efficaci, resipiscentiâ, & regeneratione

Regeneratio,

Resipiscentia,

Sanctificatio,

neratione latè dictâ. Sed cum strictè sumitur, idem est cum regeneratione. *Conversio* denique est tum *passiva*, qua convertimur à Deo, *Ierem.* 31. v. 18. & æquipollet regenerationi, latè sumtæ: tum *activa*, qua convertimus nos ipsos, 1 *Thess.* 1. v. 9. & idem est cum resipiscentia. Unde tanquam æquipollentia sumuntur resipiscere & convertere se ad Deum. *Act.* 26. v. 20.

Conversio.

Obiter & coronidis quasi loco, notetur *discrimen Resipiscentiæ & Regenerationis*. Differunt I. *Genere: Illa* est actus noster ex gratiâ Dei: *hæc* actus Dei in nobis. II. *Subjecto & terminis: Illic* actio: *hic* natura, ut post dicetur. III. *Ordine: Resipiscentia* præcedit: *Regeneratio* sequitur.

Discrimen Resipiscentiæ & Regenerationis.

PROBLEMA QUINQUAGESIMUM.

Quinam sint gradus conversionis nostræ ad Deum?

CONversionis vocabulum tam latè sumitur ut, vocationem efficacem, & regenerationem simul complectatur: ut *Ierem.* 31. v. 18. 2 *Cor.* 3. v. 16. 1 *Petr.* 2. v. 25.

Tria autem hîc prænotanda veniunt, ut natura Conversionis ritè cognoscatur ex suis gradibus. *Primum*: Conversio hominis non fit per raptus violentos, aut motus enthusiasticos: ut sunt speculatio somniorum, simulatio orationis, phantasiæ humanæ: prout olim & nunc quoque sentiunt Enthusiastæ, εὐχῆται dicti: de quibus *Hist. Tripartitæ libr.* 7. *cap.* 11. Sed per ministerium verbi & Sacramentorum, sive per vocem Euangelii auditam & meditatam, per quam efficax est Spiritus S. *Rom.* 1. v. 16. *cap.* 10. v. 16. 17. *Secundum*: Conversio non est talis mutatio, quæ uno momento statim omnibus suis partibus absolvatur, sine certamine, & absque omnibus pietatis exercitiis: sed habet sua initia, suos progressus, incrementa; quibus in magna infirmitate conando, luctando, quærendo, petendo, pulsando perficitur 2 *Cor.* 7. v. 1. *Phil.* 3. v. 12. *seq. Gal.* 5. v. 17. 18. inprimis autem *Rom.* 7. v. 14. & *seqq. Tertium*: Initium conversionis fit non à renovatione naturæ corruptæ & pravarum qualitatum, qualis est in sanctificatione: sed ab actionibus resipiscentiæ & fidei, & aliis præcedaneis, quibus ad eas præparamur *Marc.* 1. v. 15.

Conversio non fit per raptus violentos.

Neque uno momento.

Initium ejus ab actionibus resipiscentiæ & fidei.

Jam *respondeo* per distinctionem. *Alii* sunt gradus ad conver-

ſionem: *alii* ſunt gradus ipſius converſionis. Neque enim hi ſunt confundendi temerè.

Gradus ad converſionem.

Priores ſunt quibus homo ad converſionem præparatur ac diſponitur. Quæ proinde *diſpoſitiones* dici poſſunt; & eam neceſſariò præcedunt: juxta dicta *Matt.* 11. v. 28. *Eſa.* 61. v. 1. Non autem ſunt partes & gradus ipſius converſionis. *Ratio:* quia illi gradus communes ſunt reprobis vocatis: Converſio autem ejuſque gradus electorum proprii ſunt. Tales gradus ſunt numero quatuor. I. *Agnitio* tum *peccatorum* originalis & actualium, tum etiam *pœnarum* temporalium & æternarum ex Lege Dei. *Rom.* 3. v. 20. *cap.* 4. v. 15. *cap.* 7. v. 7. Et hæc eſt in mente: cujus proprium eſt cognoſcere, intelligere. II. *Senſus iræ Dei & meritæ condemnationis* in corde: qui accenditur & creſcit per cogitationem tum peccatorum, tum pœnarum: accedente interna operatione Spiritus S. qui eſt Spiritus ſervitutis ad metum *Rom.* 8. v. 15. *Act.* 2. v. 37. dicitur *compunctio cordis.* III. *Pœnitentia*, quæ Græcis propriè μεταμέλεια dicitur, eſt dolor de admiſſis peccatis, & eorum improbatio, ſic ut vellemus nos nunquam ea admiſiſſe, & Deum offendiſſe per ea *Matth.* 27. v. 3. *Act.* 2. v. 37. IV. *Cognitio Chriſti Mediatoris* non ſolum per externam prædicationem Euangelii, ſed etiam per internam illuminationem Spiritus S. in quibuſdam, puta temporariis *Hebr.* 6. v. 4. 5. 6. Hi autem gradus ſunt partim ex *Lege*, ut priores tres: partim ex *Euangelio*, ut quartus.

1. Agnitio peccatorum & pœnarum.
2. Senſus iræ Dei.
3. Pœnitentia.
4. Cognitio Chriſti Mediatoris.

Gradus Converſionis.

Poſteriores ſunt, quibus ipſa converſio efficitur & fit, & in quibus propriè conſiſtit. Ideo gradus converſionis dicuntur: quæ non mutant ſpeciem. Sunt autem & ipſi quatuor. I. eſt *Fides*, ſive fiducialis apprehenſio & receptio Chriſti, qua quiſque Chriſtum ejuſque beneficia, verbo Euangelii oblata, ſibi ſpeciatim applicat per internam perſuaſionem Spiritus S. adeóque in ipſo toto corde acquieſcit *Ioh.* 1. v. 12. 13. 1 *Cor.* 2. v. 12. De hujus natura & gradibus alibi dictum. II. *Dolor ſecundum Deum*, ex fide exiſtens. Ante etiam fuit dolor, ſed *mundi*, qui eſt propter pœnam peccati: & mortem, deſperationem efficit 2 *Cor.* 7. v. 10. Hic eſt dolor ſecundùm Deum, qui concipitur non tam propter pœnam, quàm propter peccatum ipſum, & Deum, clementiſſimum in Chriſto Patrem, peccato offenſum. Naſcitur autem ex fide in Chriſtum. Nam cum Deum talem agnoſcimus, ſentimus per fidem, non poſſumus non affici dolore peccatorum in ipſum admiſſorum

1. Fides.
2. Dolor ſecundum Deum

missorum. Quod comprobatur illustri exemplo *Luc.* 7. v. 38. & *seqq.* item in Petro *Luc.* 22. v. 62. III. *Resipiscentia* quam efficit dolor ille secundum Deum. 2. *Cor.* 7. v. 9. 10. Quia enim dolet de offenso Deo, jam mutat propositum animi, cavet & fugit peccatum, amat autem & sectatur justitiam Et hæc est mutatio actionum è malis in bonas. Nam resipiscentia propriè in proposito de actionibus consistit; cujus terminus à quo, est malum sive peccatum jam commissum: terminus ad quem, bonum faciendum. IV. est *Regeneratio* strictè sumta, sive sanctificatio fidem & resipiscentiam sequens: quâ natura hominis justificati corrupta renovatur & instauratur ad imaginem Dei. Consistit igitur in mutatione naturæ & pravarum qualitatum: cujus terminus à quo est inhærens corruptio sive vetus homo: terminus ad quem sanctitas, sive novus homo *Eph.* 4. v. 22. 23. 24.

3. Resipiscentia.

4. Regeneratio.

Ex quibus omnibus planum est. *Fieri conversionem*, dum homo agnoscit miseriam suam ex lege: afficitur sensu iræ Dei: dolet de admissis peccatis, vellet ea non esse admissa, ac de viribus suis desperat. Simul verò cognoscit gratiam Dei in Christo ex Euangelio: serio ejus desiderio corripitur: sentit eam in corde suo per fiducialem applicationem: lætatur in Deo: dolet tam benignum & indulgentem Patrem peccatis suis offensum esse: firmo animi proposito statuit fugere peccatum & sectari justitiam: & gratiâ Spiritus S. renovatur mente, voluntate affectibus, omnibusque viribus: ut ita bona opera tanquam fructus resipiscentiæ ac regenerationis producat. Quæ omnia in *Filio prodigo*, tanquam vivo exemplari, distinctè proposita inveniuntur. *Luc.* 15. *cap.* I. est agnitio peccati; *peccavi* vers. 18. 21. II. Sensus ejusdem in esurie v. 14. 15. 16. III. Pœnitentia: *Rediit ad se* v. 17 IV. Cognitio gratiæ paternæ; *quod mercenarii?* v. 17. V. Fides & spes veniæ sive gratiæ v. 18. *surgens proficiscar.* VI. Dolor secundum Deum. v. 18. 21. *Pater peccavi*: VII. Resipiscentia v. 17. & *seqq. rediit ad se*, desiit peccare. VIII. Regeneratio v. 22. quia datur ei stola nova.

Quomodo fiat Conversio.

Exemplum.

Cautionis loco duo hîc notanda sunt. *Unum*: Gradus hosce omnes & singulos, & eo quidem ordine, quo enumerati sunt, tantum valere & locum habere in adultis, non item in infantibus: quibus justificatio & regeneratio per Spiritum Sanctum satis est ad salutem: etiamsi non præcedat fides vel resipiscentia,

Notandum 1. Gradus hoc valere tantum in adultis.

aut

2. Esse ordinariæ, non extraordinariæ conversionis.

aut actus alii. *Alterum*: Esse gradus ordinariæ conversionis: in extraordinaria multa variant. Aliter Petrum, aliter Paulum: Sic aliter item Zacchæum, aliter latronem Deum convertit. Singulare etiam est exemplum Rahabæ: de qua est *Iosua* 2. *Hebr.* 11. *capp.*

PROBLEMA QUINQUAGESIMUM PRIMUM.

Quousque possint Reprobi progredi in gradibus Conversionis?

Reprobi non vocati.

Vocati.

REproborum duo sunt genera: *Unum*: non Vocatorum, quos Deus præteritis ætatibus sivit suis ipsorum viis ingredi *Act.* 14. v. 16. *Alterum*: Vocatorum, quos gratiâ externæ vocationis dignatur: ut est *Matth.* 20. v. 16. De istis sermo est, non de illis. Etsi enim lex naturæ reliqua in mentibus hominum, honestas civilis, & institutio moralis media sint, quibus etiam gentiles sæpè ad agnitionem, detestationem, & emendationem vitæ turpis adducti sunt: Cujus illustre exemplum *Diogenes Laërtius* proponit *in vita Xenocratis* de juvene impuro & ebrioso, qui cum sodalibus ebriis in ejus docentis scholam irruit, & mutatus fuit in melius dissertatione ipsius de temperantia: tamen illa nec media, nec gradus fuerunt conversionis propriè loquendo. Sic enim Apostolus *Act.* 17. v. 30. *nunc mandat omnibus ubique hominibus, ut resipiscant*, Mandat scilicet prædicatione Euangelii. Unde pœnitentia illa sive *conversio Ethnica* & *Civilis* dici consuevit.

Præterea repetenda hîc est distinctio graduum Conversionis ex superiore problemate: ex quâ explicatio problematis dependet. Sunt *gradus ad Conversionem*, qui eam antecedunt, veluti dispositiones quædam & actus præparatorii, cujusmodi sunt, Agnitio peccati: Sensus iræ Dei propter peccatum, Pœnitentia laxè sumta pro dolore de peccato admisso, ejusque improbatione: & tandem Agnitio gratiæ Dei in Christo per Euangelium. sunt etiam *gradus ipsius conversionis*, qui eam propriè constituunt veluti partes quædam integrantes: & sunt Fides, Dolor secundùm Deum, Resipiscentia, & Regeneratio strictè accepta.

Vocatis communes sunt gradus ad conversionem.

Priores omnes Reprobis vocatis communes facimus: suo tamen ordine ac modo. *Agnitionem peccati* ex Lege: exemplo Saulis 1. *Sam.* 24. v. 18. & *seqq.* Judæ *Matt.* 27. v. 4. 5. etiam Pharaonis

Exod.

Exod.9.27. Sensum iræ Dei incumbentis propter peccatum, exemplo Caini *Genes.* 4. v. 13. Achabi 1 *Reg.* 21. v. 27. etiam Felicis *Act.* 24. v. 25. *Pœnitentiam* sive dolorem de peccato admisso & improbationem ejus, exemplo Judæ *Matt.* 27. vers. 4, 5. Esavi item *Hebr.* 12. v. 16, 17. *Agnitionem & sensum aliquem gratiæ Dei in Christo* ex Euangelio per illuminationem Spirit. S. juxta dicta *Heb.* 6. v. 4, 5, 6. *cap.* 10. v. 26. Atque hîc ii excellunt, qui fide temporariâ præditi sunt *Luc.* 8. v. 13, 14. Sed *cautionis* loco addimus, Gradus illos communes esse reprobis vocatis suo ordine ac modo. Quia non omnes & singuli hosce gradus attingunt, sed alii alios: nonnulli omnes: & hi etiam non æqualiter, sed inæqualiter eos percipiunt: prout nimirum magis vel minus efficax est tum Spiritus servitutis ad metum *Rom.* 8. v. 15. tum Spiritus illuminationis *Heb.* 6. v. 4. & *seq.* Huc pertinet parabola de semine *Matth.* 13. *Luc.* 8. *capp.*

Posteriores gradus nulli reprobi attingunt, aut possunt attingere. *Fidem* non accipiunt: quia illa non est omnium 2 *Thess.* 3. v. 2. sed electorum *Tit.* 1. v. 1. Hinc *Christus Matth.* 13. v. 11. & *seq. Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum* &c. & *Apostolus* Act. 13. v. 48. *Crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Non afficiuntur *dolore secundùm Deum*: quia is est ex fide: dolor autem reproborum, *dolor mundi & dolor ad mortem* vocatur 2 *Cor.* 7. v. 8, 9, 10. Non donantur *Resipiscentiâ*, quæ est Israëlis Dei *Act.* 5. v. 31. *Gal.* 6. v. 16. Denique non *Regenerantur* ad novitatem vitæ: Quia regeneratio opus est singulare Spirit. S. *Ioh.* 3. v. 3. & 5. quem mundus non potest accipere *Ioh.* 14. 17.

Non autem gradus Conversionis.

Sunt verò tum *Pontificii*, tum etiam ex *Euangelicis*, nonnulli, qui etiam posteriores hosce gradus Reprobis Vocatis communes faciunt. *Primò*: Fidem ipsis tribuunt: quia dicuntur credere, *Luc.* 8. v. 13, 14. gustare bonum Dei verbum *Hebr.* 6. v. 4, 5, 6. &c. *Resp.* Sed Christus fidem illam πρόσκαιρον temporariam dicit, quæ radicem non habet: Paulus hypocriticam vocat 1 *Tim.* 1. v. 5. Non igitur est vera & salvifica fides: de quâ hîc sermo. Sic *gustus ille* non est ex speciali & fiduciali applicatione gratiæ, sed ex cognitione suavitatis doctrinæ, quâ cor afficitur *Luc.* 14. v. 15. *Num.* 23. v. 10. Nec transit in naturam, ut saturentur, non esuriant nec sitiant unquam: sed in extremis labiis hæret. Simile Christi gustantis & nolentis bibere *Matt.* 27. v. 34. *Secundò*: Colorem secundum

Non Fides.

Non dolor secundum Deum.

Deum, quia concipitur ex Euangelio, & ex gustu gratię Dei *Hebr.* 6. v. 4. 5. *Resp.* Imò est dolor mundi: I. quia peccatum non deplorant, in quo Dei offensa, sed pœnam, vel saltem peccatum propter pœnam; Exemplo Caini *Genes.* 4. v. 13. *& seq.* & Achabi 1 *Reg.* 21. v. 27. *& seqq.* Sic Pharaonis quoque *Exod.* 9. v. 27. II. quia non accedunt ad Deum, & veniam petunt filiali fiduciâ, sed aversi ab ipso ruunt in desperationem, exemplo Saulis 1. *Sam.* 31. v. 4. & Judæ *Matth.* 27. v. 3. 4. 5. III. Non oderunt aut fugiunt peccatum, sed sublatâ aut mitigatâ pœnâ mox ad ingenium redeunt; exemplo Esavi *Genes.* 27. v. 38. *& seq.* Pharaonis *Exod.* 9. v. 27. *&* 34. & alibi. *Tertio:* Resipiscentiam, quæ consistit in dilectione boni, odio ac fuga mali. Hanc cognosci ajunt partim ex lucta adversus peccatum, partim ex externa vitæ emendatione: cujus illustre exemplum proponitur in Herode *Marc.* 6. v. 20. *Resp.* Hæc quoque mutatio non est constans & sincera: Bonitas eorum abit quasi nubes matutina, & ros mane stillans: ut ait Propheta *Hos.* 6. v. 4. juxta exemplum ipsius Herodis. Etiam ex formidine pœnæ suscipitur, ut exemplis supra docuimus. Lucta est inter rationem etiam illuminatam & appetitum: non inter carnem & Spiritum. *Quarto:* Regenerationem quoque, quia participes fiunt Sp. S. & sanctificantur per eum *Heb.* 6. *&* 10. *cap.* *Resp.* Imò quoad illuminationem, cognitionem veritatis, gustum aliquem gratiæ: ut Apostolus ipse declarat: non autem quoad renovationem naturæ ex semine illo incorruptibili: quod manet in æternum 1. *Pet.* 1. v. 3. 4. *&* 23. *& seq.* Sed de χαρίσμασι Reproborum Vocatorum alibi pluribus dictum & actum.

Non Resipiscentia.

Non Regeneratio.

PROBLEMA QUINQUAGESIMUM SECUNDUM.

Num infantes habeant fidem?

Sententiæ de hâc quæstione.

INfantes intelligimus non quorumvis parentum, etiam infidelium, Judæorum, Mahumetanorum, Paganorum, sed fidelium sive *Christianorum* Deo fœderatorum.

Patrum.

De horum fide non idem sensêre *Patres* veteris Ecclesiæ. Plerique fidem eis derogavêre, cujus capaces esse non possent per ætatem. Et *Ambrosius* quidem eos fide Ecclesiæ, *Augustinus* fide parentũ suorum servari contendit. Fuerunt etiam qui hanc quæstionem tanquam curiosam, seu minus necessariam rejicerent: jubentes adul-

adultos de suá potius, quàm de Infantum fide esse sollicitos. In quâ simplicitate etiam nobis putaremus acquiescendum, nisi eam explicatu necessariam quodammodo fecissent horum temporum controversiæ. *Primo* moverunt eam *Anabaptistæ*, qui prætextu negatæ fidei Infantes à Baptismo submoverunt. Qui non credit, non est baptizandus *Marc.* 16. v. 16. Infantes non credunt. Ergo. Contra hos *Lutherus* ferè primus definivit Infantes habere fidem, & quidem actualem. *Secundò* nata est ex infelicibus *Lutheranorum* disputationibus de efficacia Baptismi, cui plus tribuunt, quàm veritas Scripturæ patitur, docentes omnes Infantes in Baptismo regenerari & fide actuali donari: prout *Colloquio Mompelgartensi loco de Baptismo* & alibi ex scriptis ipsorum videre est. Sed controversia de virtute & efficaciâ Baptismi non est hujus loci.

Recentiorum. Anabaptistarum, Lutheranorum,

Hîc *de fide* solum *Infantum* disquiremus, examinaturi contrarias opiniones Lutheranorum & Anabaptistarum, quorum *illi* fidem actualem Infantibus tribuunt, *hi* omnem fidem iis adimunt. Propositiones duæ erunt.

Prima propositio, opposita opinioni *Lutheranorũ* καθ' ὑπερβολὴν.

Infantes fidelium fide actuali carent.

Infantes fidelium carent fide actuali.

Propositio clara est explicatione subjecti & prædicati: ut declaratione non sit opus. *Demonstratio* ejus variis constat argumentis:

I. Sumitur *à genere*: In quos nullius rei actualis notitia cadit, ii fidei actualis capaces non sunt. In Infantes nullius rei sive bonæ sive malæ actualis notitia cadit. Ergo. Valet consequentia *Majoris*: nam negato genere, negantur omnes species. Veritas *minoris* nititur dictis aliquot Scripturæ, *Deut.* 1. v. 39. *Esa.* 7. v. 16. *Ionæ* 4. v. 11. quibus docetur Infantes non cognoscere bonum vel malum, id est nihil scire: item discernere non posse, inter dextram & sinistram, hoc est, judicii & discretionis expertes esse. Nec est quod excipiant, nasci tamen nobiscũ multarum rerum notitias; quæ naturales dici solent. Non enim sunt actuales notitiæ, sed earum principia quædam ac semina, quæ annis discretionis sponte & per se, sine omni demonstratione sese exserunt.

q. nullius rei actualis notitia in eos cadit.

Notitiæ naturales non sunt actuales.

II. *A partibus fidei actualis.* Cui partes omnes fidei actualis adimuntur, ei totum tribui nequit. Infantibus fidelium, partes omnes fidei actualis adimuntur. Ergo. *Minor* patet inductione partium ceu sunt Notitia, Assensus & Fiducia. Nulla harum eis convenit. *Non notitia*, ut jam demonstratum est. *Nec assensus*, qui fertur in obje-

q. omnes partes fidei actualis eis adimuntur.

objectum cognitum. *Nec* denique *fiducia*, quæ est specialis adjudicatio & applicatio promissionis gratiæ in verbo Euangelii.

q. in ipsis nec ὑπόστασις nec ἔλεγχος fidei est.

III. *A descriptione fidei actualis* Heb.11.v.1. *Fides est ὑπόστασις rerum sperandarum & ἔλεγχος invisibilium.* In infantibus non est talis ὑπόστασις, quâ res verbo promissæ ob certitudinem promissionis subsistentiam suam sortiuntur in mente & corde: quia nec notitia est, nec assensus, nec adjudicatio: Non etiam ἔλεγχος, sive spiritualis demonstratio, quæ evidentiâ & firmitate promissionum cognitarum mentem ad assentiendum, cor ad confidendum inducat. Hoc enim sine usu mentis & rationis fieri nequit. Utrumque etiam inde haud obscurè confirmatur, quod Apostolus longum fidelium catalogum contexens, adultorum solum, non etiam Infantum exempla adducit. Ergo.

q. nec audiunt, nec intelligunt verbum.

IV. *A causâ organicâ fidei:* Fides est ex auditu, hoc est, ex verbo Dei audito, intellecto, meditato *Rom.*10.v.17. & hæc duo ordinatione Dei ita connexa sunt, ut quærat Apostolus, *quomodo credent, de quo non audierint?* v.14. denique hâc de causâ Euangelium *verbum fidei* v. 8. fides autem *fides auditus* sive verbi auditi denominatur *Gal.*3.v.2. Atqui Infantes non audiunt, intelligunt, meditantur verbum Dei: ut notum est. Ergò.

q. fides eorum non est operosa.

V. *A proprio effecto fidei actualis.* Fides actualis est ἐνεργουμένη operans, actuosa per charitatem *Gal.*5.v.6. est fides operum 1 *Thess.*1. v. 3. & absque operibus mortua est *Iacob.*2. v. 26. Fides infantum non est operans, operosa per charitatem : ut constat. Ergo.

q. in eis nullus usus mentis & voluntatis.

VI. *A subjecto recipiente:* Fides actualis non consistit absque usu sive actibus mentis & cordis, sive voluntatis. Siquidem in his subjectis propriè residet: & intelligere, assentiri sunt, actus mentis: confidere cordis. In infantibus nullus usus est mentis & voluntatis: uti notum est. Sequitur enim demum annis discretionis: Ergo.

q. notitia infantum in Scripturâ reprehenditur.

VII. *A Similibus.* Scriptura jubet nos esse malitiâ infantes, pueros: notitiâ autem non pueros, sed adultos, perfectos, viros 1 *Cor.* 14. vers. 20. *Eph.* 4. vers.14. Ergo fidem actualem, & quidem magis constantem ac sinceram, quàm sit adultorum ipsis non tribuit. Hoc enim contendunt Lutherani: ut infra videbitur.

q. experientia id docet.

VIII. *Ab experientiâ universali.* Ea testatur infantes nec notitiam, nec fiduciam actualem adferre ab utero, aut referre à Baptismo;

ptismo; sed eam, ubi ad annos discretionis pervenerint, concipere & haurire ex fideli institutione parentum, præceptorum, ministrorum Ecclesiæ, accedente intus efficaci operatione Sp. Sancti. Ergo hoc verum, illud autem falsum est.

IX. *Ab absurdo*: Si omnes infantes fidelium fide actuali do- q. alias plerique succrescentes amitterent fidem.
nantur in baptismo, sequitur plerosque eam amittere: quia plerique adulti fide carent: itemque frustra inditam eis fuisse, cum non assequantur finem fidei, salutem animarum 1 *Petr.* 1. v. 9. Utrumque absurdum est, & contra Scripturam. *Prius*: quia Christus oravit, ne fides amittatur *Luc.* 22. v. 32. estque ipsa donum Dei ἀμεταμέλητον *Rom.* 11. v. 29. *Posterius*: quia omnes electi assequuntur salutem per fidem *Rom.* 11. v. 7. Ergo.

Hæc sunt argumenta præcipua propositionis negativæ. Jam objectiones *Lutheranorum* videamus & examinemus.

I. *Ab expresso Christi testimonio*, quod infantes credant: Matt.
18. v. 6. *Quisquis offendiculo fuerit uni ex parvis istis, qui in me credunt.* Dictum Matt. 18. v. 6. vindicatur.
Resp. Dictum impertinens est. παιδίων nomen generale quidem est, non minus adultioris ætatis pueros, quàm infantes significans: Hîc tamen non isti, sed illi intelliguntur. Siquidem de iis sermo habetur, qui offendi possunt, & dictis vel factis impiis à fide averti. Quod in infantes non cadit, nulla dum boni vel mali intelligentia præditos *Deut.* 1. v. 39.

Instant primò: Pueros illos fuisse infantes, quia Lucas *cap.* 18. v. 15. eos appellet τὰ βρέφη, qui pendebant adhuc ab uberibus matrum suarum. *Resp.* alii fuerunt infantes illi, ab istis pueris: quia diversæ planè historiæ. *Confer Matt.* 18. v. 1, 2. *& seq. & cap.* 19. v. 13. *Marc.* 9. v. 33. *& seqq. & cap.* 10. v. 13. *Luc.* 9. v. 46. *& seq. & cap.* 18. v. 15. Sed & nomen βρέφος generalius accipi posse videtur de ætate puerili, capace institutionis. Quo sensu Timotheus dicitur ἀπὸ βρέφους à puero didicisse sacras literas 2 *Tim.* 3. v. 15. Nisi malimus vocem accipere exclusivè pro termino à quo: ab infantiâ, id est, simul ac infantiæ annos excedere cœpit. Fatemur tamen generalem illum significatum non convenire *Luc.* 18. propter verbum προσφέρειν, & collationem *Marc.* 10. v. 16. ubi Dominus dicitur eos ἐναγκαλισάμενος in ulnas seu brachia recepisse.

Instant Secundò: Infantes & pueros Spirituali intelligentiâ pares esse, cum ætas nihil conferat ad fidem. *Resp.* Sic ergo etiam pares erunt adulti, quorum ætas nihil magis confert: ut vel exemplo Nicodemi

demi liquet. Cur ergo vult Apoſtolus nos intelligentiâ non pueros, ſed adultos eſſe. 1.*Cor*. 14. v. 20. *Eph*. 4. v. 14. Sed diſtinguimus. Ætas nihil confert ad fidem, tanquam cauſa efficiens procreans. *Ioh*. 1. v. 13. *Matth*. 16. v. 17. Requiritur verò ad eam tanquam ſubjectum recipiens: Quia unumquodque recipitur ſecundum modum ſubjecti recipientis. *Vide Pſal*. 32. v. 9. Non confert ad eam per ſe: Confert verò ad eam quatenus in majorem ætatem cadit major ſenſuum exercitatio ad diſcretionem boni & mali *Hebr*. 5. v. 14.

Ætas quid conferat ad fidem.

II. *Ab exemplis*: Jeremiæ *cap*. 1. v. 5. & Johan. Baptiſtæ: *Luc*. 1. v. 44. Hi crediderunt in infantiâ. Ergo omnes infantes baptizati credunt. *Reſp*. I. negatur ſequela: quia ex ſingularibus & extraordinariis exemplis colligit regulam univerſalem. A particulari ad univerſale non valet conſequentia: ut habet axioma Logicorum. In his duobus infantibus deprehenſi motus Spiritus Sancti. Ergo omnibus fidelium infantibus aliqui Spiritus Sancti afflatus induntur, ad Baptiſmum oblatis. II. Antecedens non eſt in textu. Jeremias dicitur ſanctificatus ab utero in Prophetam populi Dei: Joannes autem exſiliiſſe in utero matris ad Chriſti præſentiam: neuter actu credidiſſe dicitur. III. Hoc ipſo argumento evertitur opinio Lutheranorum de efficaciâ Baptiſmi. Si enim jam fide donati fuerunt in utero matrum: Ergo non primum in circumciſione; nec noſtri infantes demum in Baptiſmo fidem accipiunt.

Ieremię & Ioh Baptiſtæ exempla quid commune vel ſingulare habuerint.

Inſtant: Singulare & extraordinarium fuit, quod Jeremias ordinatus eſt in Prophetam: quod Baptiſta exſiliit: quod autem uterque fide donatus eſt, quod Joannes Chriſtum agnovit, id non fuit ſingulare, ſed eſt commune. *Reſp*. Hæc eſt manifeſta principii petitio, quod fide actuali donati fuerint. Imo Joannes non novit Chriſtum de facie jam triginta annos natus, & munus ſuum auſpicatus, niſi per novam revelationem *Ioh*. 1. v. 31. Illud verò ex exemplis hiſce rectè colligitur, quod & noſtri colligere ſolent. Infantes capaces eſſe Spiritus Sancti, & eum huic etiam ætati donari.

III. *A dicto Apoſtoli*: Impoſſibile eſt abſque fide Deo placere *Hebr*. 11. v. 6. Infantes placent Deo: ut verbis & factis Chriſtus oſtendit *Marc*. 10. v. 13. *& ſeq*. Ergo credunt. *Reſp*. *Major* propoſitio intelligenda eſt de adultis, quorum multa exempla

Infantes quomodo Deo placeant.

pla Apostolus commemorat, quibusque solis convenit Apostolica fidei descriptio. Infantum alia ratio; qui placent Deo propter satisfactionem Christi ipsis donatam, etiamsi eam non apprehendant ipsi, aut apprehendere possint per ætatis defectum.

IV. Justus fide suâ servatur, vivit, non alienâ *Hab.* 2. v. 4. Infantes fidelium sunt justi. Ergo. *Resp. Major* iterum intelligenda est de adultis. Nam Apostolo interprete, fides quâ vivunt, concipitur ex auditu Euangelii, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti *Rom.* 1. v. 16. Infantes autem non audiunt nec capiunt Euangelium. Justi verò sunt justitiâ ipsis imputatâ & donata à Deo propter satisfactionem Christi, licet donum hoc recipere nequeant actuali fide. Simile ab aliis donis corporalibus: quæ infantibus donantur, ligatis etiam fasciis.

Habak. 2. v. 4 explicatur.

V. Si infantes fidelium non credunt, etiam non sunt baptizandi. *Ratio*: quia Baptismus ex institutione Christi est credentium *Marc.* 16. v. 15. 16. Atqui sunt Baptizandi: quemadmodum utrique sustinemus contra Anabaptistas. Ergo. *Resp.* I. Negatur consequentia ob fallaciam causæ. Causa pædobaptismi non est fides actualis infantum, cujus non magis capaces sunt, quàm illius institutionis, quâ docentur & discipuli Christi fiunt *Matth.* 28. v. 19. sed est tum mandatum universale, de omnibus Ecclesiæ membris baptizandis, *Matth.* 28. v. 19. tum promissio fœderis, parentibus juxta ac liberis eorum facta. *Actor.* 2. v. 38. 39. *Genes.* 17. v. 7. II. Fides, quæ ordinariè requiritur in Baptismo, eam præcedere debet *Marc.* 16. v. 15. 16. Exemplo Eunuchi *Actor.* 8. v. 37. 38. Ergo non demum efficitur in infantibus per baptismum: ut habet hypothesis Lutheranorum.

Causa pædobaptismi quæ.

VI. Sacramenta sine fide utentis sunt inanes cæremoniæ: ut habet axioma Theologicum. Atqui Baptismus infantibus non est inanis ceremonia, alioquin frustra baptizarentur. Ergo. *Resp.* est fallacia à dicto secundum quid in *Majore*. Valet axioma illud de adultis: de quibus dictum, *Docete omnes gentes; qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur. Matt.* 28. v. 19. *Marc.* 16. v. 15 16. Infantibus ad salutarem usum baptismi sufficit promissio & gratia fœderis: uti supra docuimus ex *Act.* 2. v. 39. *Genes.* 17. v. 7.

Fides infantum ad baptismum non necessaria.

VII. Deo facillimum est fidem operari in infantibus, etiam absque beneficio sive usu rationis. Ergo etiam absque illo beneficio Infantes habere possunt, & habent fidem actualem.

Resp.

Resp. A posse ad inesse non valet consequentia. Facillimum etiam Deo ex lapidibus excitare Filios Abrahæ *Math.* 3. v. 9. An verò etiam facit? *Deus noster in cœlis est, quicquid voluit fecit: Psal.* 115. v. 3. Sanè non est impossibile Deo, ut vel infundat virtutes, quacunque ætate voluerit: vel etiam producat actus mentis & rationis in animis infantum præveniendo tempus naturæ: sed cùm Scriptura nuspiam doceat illa in ipsis fieri miracula, magnæ est audaciæ id affirmare, aut definire extra & præter Scripturam.

VIII. Usus rationis non juvat, sed impedit nos in consequenda fide: unde adulti eum captivum ducere jubemur 2 *Cor.* 10. v. 5. Ergo etiam absque eo credunt, & credere censendi sunt infantes. *Resp.* Datur antecedens de usu rationis carnalis & corruptæ, quæ se opponit Euangelio. De usu rationis illuminatæ, subjicientis se Euangelio, & secundum ejus normam judicantis de fidei dogmatis, falsum est.

Usus rationis quid prosit in consequendâ fide.

Hactenus de primâ propositione. *Secunda* propositio sequitur, quam opponimus errori *Anabaptistarum* κατ' ἔλλειψιν.

Infantes fidelium habent semen, quod cum ætate exit in actum.

Infantes fidelium habent semen aliquod fidei, quod maturiore ætate exit in actum: accedente foris institutione humanâ, intus majore efficaciâ Spiritus Sancti.

Hæc propositio initiò *declaranda:* tum etiam *demonstranda* est.

Infantes fidelium hic intelliguntur, non definitè, collectivè, & universaliter, quasi omnes & singuli habeant tale semen. Nam prædestinatio Dei etiam inter infantes discrimen facit: *Rom.* 9. v. 11. & promissio fœderis non in carnis, sed in promissionis filiis rata est: *ibidem* v. 8. Intelliguntur autem indefinitè & distributivè, de cujusvis ordinis ac conditionis infantibus; quos discernere non est humani judicii: Charitatis verò Christianæ est, bene sperare de singulis. *Semen fidei* est Spiritus Sanctus fidei effector: qui semen Dei appellatur metaphoricè, quod ejus virtute regeneremur 1 *Ioh.* 3. v. 9. Semen igitur fidei sunt primordia sive primitiæ regenerationis, & sanctæ inclinationes, quas Sp. S. jam tum operatur in infantibus pro modulo ipsorum. Alii vocant *principium fidei:* itemque *habitum.* Sed nomen *habitus* videtur minus conveniens: quod fides habitualis velut perfectior & confirmatior in Scriptura proponitur. Semen fidei exit in actum *maturiore ætate:* quia sequitur organa & actus rationis & volun-

Semen fidei quid.

voluntatis, absque quibus se exserere nequit. Nam fide intelligimus, *Hebr.* 11. v. 3. persuasi sumus, *Rom.* 8. v. 38. confidimus, *Ioh.* 16. v. 33. qui actus exseri nequeunt absque usu mentis & voluntatis. Idque *accedente institutione humanâ & efficaciâ Sp. S.* quia ad excitandum illud semen, & in actum deducendum, hisce mediis opus est. Nam fides ex auditu est *Rom.* 10. v. 14. 17. Sic Sp. efficacior fit cum ætate: ut testantur exempla Joh. Baptistæ *Luc.* 1. v. 18. & Christi *cap.* 2. v. 40. 52.

Demonstratio propositionis his argumentis concluditur. Probatur.

I. Promissio fœderis non minus ad infantes, quàm ad adultos pertinet *Genes.* 17. v. 7. *Actor.* 2. v. 39. At illa sonat de Remissione peccatorum, inscriptione Legis in cordibus, & fide, quæ pro conditione subjectorum spectatur in actu, vel semine: ut est *Ierem.* 31. v. 31. *& seq.* Ergo.

II. Quorum est regnum cœlorum, iis regenerantur, sive eos necessum est regenerari *Ioh.* 3. v. 3. 5. Infantum est regnum cœlorum *Matth.* 19. v. 14. Ergo Infantes regenerantur, & in regeneratione semen fidei accipiunt.

III. Spiritus Sanctus qui datur infantibus ut constat, aut otiosus est in ipsis, aut operosus: Si *otiosus*, frustra daretur: quod est contra intentionem donantis. Si *operosus*, operatur motus & inclinationes ætati ipsorum convenientes: quas nos appellamus *semen fidei.*

IV. Ab exemplis infantum, qui sanctificati fuerunt ab utero. Infantis Davidis 2. *Sam.* 12. v. 23. Abiæ filii Jeroboami, 1. *Reg.* 14. v. 13. Jeremiæ, *cap.* 1. v. 5. Joh. Baptistæ, *Luc.* 1. v. 15. & 80. In duobus posterioribus sunt sanè singularia & extraordinaria: ut supra docuimus: hoc tamen inde certò colligitur, quod capaces sint infantes Sp. S. atque ita seminis fidei: & quidam etiam illud habuerint.

V. A minori: si principia notitiarum naturalium trahunt infantes ex naturali generatione: quidni accipiant principia & semina quædam fidei ex supernaturali regeneratione. *Ratio*, quia horum non minus capaces sunt per gratiam, quàm illorum per naturam. Verum antecedens. Ergo & consequens.

Ita demonstravimus veritatem hujus propositionis. Superest ut solvamus *dubia*, quæ ex hâc assertione nascuntur & emergunt.

Utrum semen illud fidei Spiritus S. operetur immediatè vel mediatè.

Unum: Quomodo operetur Sp. S. semen illud infantibus: mediatè per verbum & sacramenta, an immediatè? *Lutherani* non quidem de semine fidei, sed de ipsa fide actuali, asserunt, eam produci in infantibus per Baptismum, atque ita mediatè. Quidam ex *nostris*, Sohnius, Bucanus, Polanus, & alii statuunt id fieri immediatè, absque ministerio verbi. *Dicta* expressa & evidentia, quibus dirimatur hæc controversia non succurrunt in præsens. *Exemplis* si standum, dixero salvo meliore judicio id in aliis immediatè, in aliis mediatè fieri. *Immediatè* in iis, qui sanctificati fuerunt per Sp. S. jam in utero matrum suarum: ut Jeremias, Joh. Baptista, atque etiam Jacobus: *argumento loci Genes.* 25. v. 22. 23. ubi non intervenit externum ministerium. *Mediatè* verò, qui donantur Spiritu Sancto aut in Baptismo, ubi efficax Deus secundùm promissionem suam, quando vult: ubi preces pro infante Ecclesia concipit: aut post Baptismum: ut colligitur ex exemplo illorum infantum, quibus Christus impositis manibus benedixit & pro quibus oravit, *Marc.* 10. v. 16. *Matth.* 19. v. 13. utique cum effectu & efficacia.

Num infantes inde dici queant fideles.

Alterum: An infantes ab illo semine fidei denominari possint fideles? *Resp.* Omnino. *Ratio* est. I. quia semen illud est principium & radix fidei: est fides inchoativè. Ergo per Synecdochen rectè ab ea denominantur. II. quia post acceptum Spiritum Sanctum rectè dicuntur regenerari. Ergo etiam verè fideles dicuntur. III. quia etiam ante usum rationis infantes dicuntur rationales. Quidni ergo etiam ante fidem actualem fideles dici possint?

PROBLEMA QUINQUAGESIMUM TERTIUM.

Utrum Fides propriè imputetur ad justitiam?

sive:

An justificatio sit universalis affectio Fidei?

Fidem imputari ad justitiam quid sit.

TRita est Phrasis Scholarum Theologicarum ex Mose, *Genes.* 15. v. 6. & Paulo, *Rom.* 4. v. 5. quod *fides imputetur ad justitiam*, sed non omnes eam accipiunt & interpretantur eodem modo.

modo. *Pontificii* ita exponunt: Fides est justitia, per quam justi sumus inchoativè & dispositivè. Fides enim ipsis est initium & radix justificationis, quæ disponit ad justificationem, sive per modum dispositionis justificat. *Bell. lib.* 1. *de justif. cap.* 4. Et sic est locutio Synecdochica, quâ pars pro toto, sive res inchoata pro perfectâ sumitur. *Servetiani* & *Sociniani* sic declarant; Fides habetur à Deo pro totâ justitia; & justitia, qua coram Deo justificamur, est ipsa fides. Servetus *Lib.* 2. *de Lege & Euangelio*: Socinus *de Servatore*, & alii. His locutio propria est, non figurata. *Orthodoxi* denique ita accipiunt, quod fides imputetur ad justitiam partim relativè, partim Organicè. *Relativè* quod credens ex gratia justus reputetur, licet in se sit peccator. *Organicè*, quod fide accipiat justitiam sive remissionem peccatorum gratis donatam. Et sic phrasis est metonymica, qua per metonymiam subjecti continens pro contento ponitur. Sententiam Socinianorum interpolârunt *Novatores*, qui similiter docent, Fidem esse ipsissimam illam justitiam, qua justi sumus coram Deo: eamque haberi à Deo loco perfectissimæ illius obedientiæ, quæ olim exigebatur in Lege: sed per gratuitam acceptilationem, qua placuit ipsi actum fidei accipere pro totali & perfecta justitia. Hoc enim discrimen ipsis est inter Fœdus legale & Euangelicum: quod illic requirebatur ad justitiam perfecta legis obedientia: hic Fides. *Quidam* eorum, emphaticè hanc sententiam expressurus, scripsit, Justificationem esse universalem affectionem Fidei. Quid sit *affectio universalis* ex Logicis notum. Est accidens proprium, inseparabile, toti speciei commune: primò & per se subjecto convenit, non per aliud: & ita tota est in subjecto, ut extra illud nuspiam reperiatur. Breviter convenit subjecto Universaliter, Per se, Reciprocè. Risibilitas est universalis affectio hominis: & totum risibile inest homini, quatenus homo est. Sic ergo justificatio fidei tribuitur, ut ei soli insit, extra eam verò reperiri non possit.

Pontificiis. Socinianis. Orthodoxis. Novatoribus.

Hoc dogma tam est periculosum, ut totam justificationis doctrinam evertat: Christi obedientiam & satisfactionem destruat, & justitiam ac vitam ipsi homini cum Pelagianis adscribat. Ideo merito authoritate sacrarum literarum à nobis *refellitur*. Argumenta sumemus *partim* ex vocibus sejunctis, Fides, Imputatur, Justitia; *partim* ex conjunctis: sive *partim* ex partibus

Postremi refutantur.

 tibus

tibus enunciationis seorsim sumtis, *partim* ex totâ enunciatione.

1. Ex vocabulo *Fidei*.

Primò: ex vocabulo Fidei: I. Organum accipiendæ justitiæ, non est ipsa justitia, nec reputatur propriè pro justitiâ. Fides est organum accipiendæ justitiæ. Ergo. *Major* suâ luce claret. Differunt enim ut subjectum & adjunctum, ut causa instrumentalis & effectus ab eâ denominatus. *Minor* probatur. 1. dictis Scripturæ expressis *Roman.* 5. v. 17. *Actor.* 26. v. 18. Remissio peccatorum verò est justitia *Roman.* 4. v. 6. 7. Sic *Iohann.* 1. v. 12. Christus autem est Jehova justitia nostra *Ierem.* 23. v. 6. II. aliis item locis, quibus justitia *ex fide*, *per fidem*, & *fidei* esse dicitur *Rom.* 10. v. 6. *Hebr.* 11. v. 7. *Philipp.* 3. v. 9. *Rom.* 4. v. 11. Quæ præpositiones causæ instrumentalis notæ sunt. II. Fides est ὑπόστασις sperandorum, & invisibilium ἔλεγχος *Hebr.* 11. v. 1. Justitia non est ὑπόστασις, vel ἔλεγχος; sed ipsum bonum speratum, non apparens, hoc est, remissio peccatorum; sive gratuita acceptatio coram Deo. Fides credit remissionem peccatorum, illa autem id est, quod creditur. Ergo. III. Nullum opus imputatur ad justitiam: *Ratio:* quia Deus imputat justitiam absque operibus *Rom.* 4. v. 6. Fides propriè sumta est opus, quia est virtus primo Decalogi præcepto imperata: non secus quàm spes & charitas. Et ipsimet fatentur Novatores, nos fide tanquam opere & inhærente qualitate justificari. Ergo. IV. Fides mea est mea, fides tua est tua *Matth.* 15. v. 28. *Iacob.* 2. v. 18. Sed justitia quâ justificamur, neque mea neque tua est *Phil.* 3. v. 9. *ut inveniar in eo non habens meam justitiam, quæ est ex Lege, sed eam quæ est per fidem Christi, id est, justitiam, quæ est ex Deo per fidem*: Non enim justitia mea, id est, meis operibus acquisita, aut mihi inhærens, sed à Christo acquisita mihi applicatur. Ergo. V. Universalis affectio fidei tantum est in fide, & absque actu fidei non consistit: ut supra demonstratum est. At justificatio quorundam, puta infantum, est absque actu fidei, cujus capaces non sunt. Ergo.

2. Ex verbo *Imputari*.

Secundò: ex verbo Imputandi. Quod imputatur, non inhæret. Fides inhæret cuique credenti: cujus esse dicitur. Ergo non imputatur: scil. propriè. *Minor* est extra controversiam. *Major* demonstratur ex significatione verbi apud Paulum: cui *imputari* dicitur, quod quis non habet aut fecit: contra *non imputari*, quod quis habet, aut fecit. *Ad Phil.* v. 18. petit culpam Onesimi sibi imputari, quam ipse non fecerat: culpam desertoribus suis

suis non imputari, quam ipsi fecerant 2.*Tim*.4.v.16. Sic Deus peccata nostra imputavit Christo filio, quæ non fecerat 2.*Cor*.5.v.21. contra justitiam nobis imputat, quam non fecimus, nec habemus 2.*Cor*.5.v.21. Quibus multa similia occurrunt in Scriptura.

Tertio: ex nomine Iustitiæ: I. Justitia: quæ imputatur, sive quâ reputamur justi, est remissio peccatorum. Fides non est remissio peccatorum. Ergo fides non est illa justitia. *Major* est Apostoli *Rom*. 4.v.5.6. ubi pro æquipollentibus sumit *imputare justitiam* & *remittere peccata*. Patet etiam ex rei ipsius naturâ. Nam quid est justificatio impii, nisi ejus absolutio ab omnibus peccatis, originali, actualibus, omissionis & commissionis. Talis certè est justus. *Minor* constat dicto Apostoli *Act*.26.v.18. *Rom*.5.v.17. II. Justitia nostra est Christus Jesus, ejus solius obedientia & satisfactio: extra quem nulla justitia, nulla salus speranda & exspectanda. Fides nostra non est Christus Jesus: sed est in Christum Jesum, tanquam proprium suum objectum. Ergo. Veritas *Majoris* his & similibus Scripturæ testimoniis nititur: *Ier*.23.v.6. *Esa*.53.v.11. *Act*.4.v.12. *Rom*.5.v.19. 2.*Cor*.5.v.21. III. Justitia imputata est justitia universalis: quia est gratuita remissio omnium universim peccatorum, & acceptatio peccatoris credentis in judicio Dei propter meritum Christi. Fides propriè sumta non est justitia universalis, sed particularis, tanquam virtus primo præcepto imperata: quod abundè liquet vel ex 1.*Cor*.13.v.13. Ergo.

1. ex nomine *Iustitiæ*.

Postremò: ex tota enunciatione: Fides imputatur ad justitiam. Phrases sunt æquipollentes apud Paulum, *Deum imputare justitiam absque operibus* & *Fidem imputari à Deo pro justitia Rom*.4.v.5.6. Sed si fides propriè imputari dicitur, jam non erit æquipollentia. I. quia non imputatur justitia absque operibus, cum fides ipsa, propriè accepta, sit opus. II. quia imputare justitiam est gratis adscribere justitiam, quæ non inest. Fides verò inest cuique credenti.

4. ex totâ Enunciatione.

Objectiones, quas pro hæretico dogmate adferunt Novatores, ferè consistunt in detorsionibus ac depravationibus locorum Scripturæ, ut sunt:

Genes.15.v.6. *Rom*.4.v.5. dicitur τὸ *credere*, sive *Fides imputari ad justitiam*. Ergo fides est ipsa justitia. *Resp*. negatur sequela: I. ob petitionem principii. Dicitur sane illud: Sed de sensu quæritur, quem nos ostendimus. II. non dicitur absolutè, indefinitè, sed

Genes. 15. v. 6. & *Rom*. 4. v. 5. explicantur.

sed definitè & personaliter, credenti imputari *Romanor.* 4. *vers.* 3, 5, 9, 23, 24. hoc est, credens fit justus reputatus an propter fidem? imò propter obedientiam Christi *Romanor.* 5. *vers.* 19.

Fides quomodo dicatur servare.

Fides dicitur passim servare in Euangelio. *Respond.* an suo merito & virtute? imò propter Christum, in quem, fertur *Roman.* 4. *vers.* 25. *capp.* 10. *vers.* 9, 10. & in quo solo est salus *Actor.* 4. *vers.* 12.

Heb. 11. v. 2, 6. explic.

Hebr. 11. v. 2, 6. Per fidem placemus Deo, & absque eâ placere ei non possumus. *Resp.* nimirum quia fides Christum amplectitur, in quo est beneplacitum patris de nostri reconciliatione: *Matth.* 3. v. 17. *Coloss.* 1. v. 13. 14.

Dignitas fidelium qualis.

2 *Thessalon.* 1. *vers.* 5. *Apocalips.* 3. *vers.* 4. & alibi fideles digni dicuntur. *Respond.* non dignitate fidei suæ, sed gratuitâ dignatione Dei in Christo. *Probatur*: I. quia Christus solus dignus *Apocalyps.* 5. *vers.* 12. Ergo fideles digni participatione rei & nominis: qui membra istius capitis. II. digni, quia dealbati: dealbârunt autem stolas suas in sanguine agni *cap.* 7. *vers.* 14. Propter quod autem unumquodque tale est, illud magis est tale; & quod est causa causæ, etiam est causa causati.

PROBLEMA QUINQUAGESIMUM QUARTUM.

An Bona opera sint aut rectè dicantur necessaria ad salutem?

Pharisaismus Pseudapostolorum.

IN doctrinâ *de Bonis operibus, eorumque necessitate* duo cavenda sunt *extrema* sive præcipitia, quorum alterum ad *Pharisaismum*, alterum ad *Epicureismum* declinat. *Tempore Apostolorum* in prius incurrerunt *Pseudapostoli*, docentes Bona opera necessaria esse ad promerendam justitiam & vitam *Act.* 15. v. 1. In alterum impegerunt *Simoniani*, Simonis Magi discipuli, qui prorsus negarunt necessitatem bonorum operum; docueruntque, credentes non debere attendere ad legem divinam; nec curare, quæ ibi præcepta vel interdicta, sed liberè agere, quæ vellent. Salutem enim definivit Magus esse liberationem ab illâ servitute, quâ homines ex

Epicureismus Simonianorum.

ex præscripto Legis ad certa opera obligantur, nec sibi permittuntur, ut agant quod velint. *In reformatione Ecclesiarum*, superiore seculo facta, utrumque extremum repetitum fuit. *Prius* Pharisæorum à *Pontificiis*, qui ut opera meritoria faciunt, ita necessitatem eorum ad justitiam ac vitam tum promerendam, tum etiam ex merito conservandam urgent atque exigunt. In quo quum assentientes sibi non haberent Orthodoxos, eos calumniati sunt, quasi omnem operum necessitatem negarent, quinimò ea prohiberent. *Alterum* Epicureorum à sectâ quadam Anabaptistarum, quæ se *Libertinorum* nominat: hi de necessitate bonorum operum & liberatione à Lege idem ferè docuerunt, quod Simoniani; sed alio prætextu. Quia enim Scriptura dicit renatos agi Spiritu Dei, finxerunt esse bonum opus & ex inspiratione Sp. S. profectum, quodcunque cuique animi sui impetus suggereret, sive esset illud extra, sive etiam contra verbum Dei. Alii etiam peculiares revelationes divinas commenti sunt. Sunt igitur duæ sententiæ inter se contrariæ de necessitate Bonorum operum: quod sint necessaria, & quidem necessitate meriti: & quod non sint necessaria, sed adiaphora & arbitraria.

Pharisaismus Pontificiorum.

Epicureismus Libertinorum.

Præter has controversias duæ aliæ natæ & motæ sunt inter ipsos Euangelicos: *Una* realis ab *Antinomis*, quod bona opera Legis non sint necessaria in renatis, quibus Lex abrogata est. Unde vocem Necessitatis ferre nequiverunt. Hanc inter cæteros defendit *Andreas Musculus* Professor Francofurti ad Viadrum. *Altera* verbalis, de phrasi, *Num bona opera dici possint necessaria ad salutem.* Occasio ex formâ interreligionis (quæ postea *Interim* dicta) enata. *Pontificii* astutiores cum viderent doctrinam de Justificatione per solam fidem non posse uno impetu everti, insidiosè ursetunt hanc propositionem, *Bona opera ad salutem esse necessaria:* idque hoc prætextu, ne Epicureismus introduceretur in ecclesiam: revera autem ut justificationis doctrinam paulatim convellerent. Non animadversâ fraude multi eam admiserunt, & in his etiam *Phil. Melanchthon:* qui tamen postea phrasin illam rejecit, tanquam minus commodam, atque etiam periculosam: ut ex *Actis Colloq. VVormatiensis* Anno 57. habiti, *& Responsione ejus ad articulos Bavaricos* videre est. A morte Melanchthonis in certamen vocata est à *Flaccio Illyrico* & Theologis *VVitebergensibus* & *Ienensibus*: & *Colloquio Altebergensi* Anno 68. diu multumq; de eâ altercatum: ut scripta do-

Antinomorum sententia.

An Bona opera possint dici necessaria ad salutem. Origo quæstionis.

pta docent : donec tandem in *libro Concordiæ* etiam hæc lis decisa est.

Termini ejus. Hæc de origine & necessitate hujus problematis. Nunc *terminos* ejus evolvamus & explicemus : sunt autem quatuor, quæ subjecto & prædicato continentur : Bona opera, Necessaria, Salus, & præpositio Ad. *Bona opera* dicuntur actus, sive actiones externæ & internæ, quæ à fidelibus renatis secundùm Legem Dei ad ipsius gloriam fiunt. Hanc vocem Scriptura bifariam usurpat : *speciatim*, pro certa aliquâ specie 1 *Tim.* 2. v. 10. 2 *Thess.* 2. v. 17. & *generatim* pro toto eorum genere *Tit.* 2. v. 14. *Eph.* 2. v. 10. quo sensu hîc intelligitur. *Necessitas* quadruplex est, quantum ad rem præsentem attinet. *Meriti*, quod ad promerendam justitiam & vitam tanquam necessarium exigitur. Ita urgebatur observatio Legis & circumcisionis à Pseudapostolis *Act.* 15. v. 5. *Gal.* 2. v. 4. *cap.* 6. v. 12. *Coactionis*, quod extorquetur ab invitis 2 *Cor.* 9. v. 7. *Philem.* v. 14. 1 *Pet.* 5. v. 2. *Mandati* & *Debiti* propter mandatum divinum, quod arbitrio & voluntati nostræ non relinquitur *Rom.* 13. v. 5. 1 *Cor.* 9. v. 16. *Consequentiæ* & *Immutabilitatis*, quâ unum consequitur ex altero sive post illud *Hebr.* 7. vers. 12. *cap.* 9. v. 16. *Salus* etiam bifariam accipitur : est enim salus *gratiæ* in hâc vitâ : & salus *gloriæ* in alterâ. De *illâ* est *Luc.* 19. v. 9. De istâ est *Rom.* 1. v. 16. Denique præpositio *Ad* aliquando *efficientiæ* propriè dictæ nota est, causam designans, propter quam quis justitiam ac salutem accipiat : ut *Rom.* 4. *vers.* 25. *cap.* 10. *vers.* 4. aliquando autem *nota ordinis* sive ordinationis Dei, certis gradibus ad salutem nos perducentis : ut 2 *Corinth.* 7. *vers.* 10. *Phil.* 1. *vers.* 19.

Bona opera quæ. — *Necessitas* meriti, coactionis, Mandati & debiti, Consequentiæ. — *Salus* gratiæ & gloriæ. — Præpos. *Ad*

His præmissis distinctè *respondeo* quinque propositionibus.

Bona opera sunt. 1. necessaria etiam renatis. Prima: *Rectè & Scripturis convenienter, asseritur Bona opera esse necessaria, etiam in renatis.*

Opposita est errori *Antinomorum*, qui negant opera renatorum dicenda esse necessaria : cum ipsi liberati sint à Lege. *Probatur* autem I. expressis dictis, in quibus vocabulum ἀνάγκης habetur *Act.* 13. v. 46. *cap.* 15. v. 28. ubi abstinentia à scortatione : *Rom.* 13. vers. 5. 1 *Cor.* 9. *vers.* 16. II. Sententiis æquipollentibus, quod oporteat, quod debeant *Act.* 5. v. 29. *Rom.* 8. v. 12. *Luc.* 17. v. 10. *Objiciunt* : I. Scriptura opera renatorum docet fieri non ex necessitate, sed ex voluntate 2 *Cor.* 9. v. 7. *Philem.* v. 14.

1 *Pet.*

1 *Petr*. 5.v.2. Ergo non sunt dicenda necessaria. *Resp*. Sanè eo sensu dicenda non sunt, hoc est *coactionis* necessitate: quæ locis allegatis intelligitur; ut docet antithesis necessarii & voluntarii sive spontanei. Non enim ipsis invitis extorquentur, vel fiunt sine interioribus motibus Spiritus. Alio verò sensu necessaria dicuntur in Scripturâ, de quo postea. Idem enim vocabulum diversis significatibus usurpatur. II. Legalia sunt vocabula, *Necessarium, oportet, debet*. Ergo ab iis abstinendum est. *Resp*. 1. datâ ἐνστάσει: Atqui fidem ipsimet fatentur esse maximè necessariam, quam tamen negant esse legalem. II. Legalia sive Literæ sunt, quum coactionem significat: quæ hic non statuitur.

Secunda: *Bona opera non sunt necessaria necessitate coactionis: sive: necessaria quidem sunt, non tamen coacta.* 2. non necessitate coactionis.

Opponitur *Antinomis*, qui ex necessitate inferunt coactionem: & quia coacta esse non debent, necessaria esse posse negant: ut supra dictum. *Prius* membrum, quod sint necessaria, demonstravimus primâ propositione: *Alterum*, quod non coacta, patet. I. quia coactio κατ᾽ ἀντίθεσιν excluditur 2. *Cor*.9.v.7. *Philem*.v.14. 1.*Pet*.5.v.2. II. quia spontanea, voluntaria dicuntur *Psal*.110.v.3.1.*Cor*.9.v.17. 2.*Cor*.8.*vers*.12. *Tit*.2.v.14.

Tertia: *Bona opera necessaria sunt necessitate mandati & debiti.* 3. sed necessitate mandati & debiti.

Oponitur *Libertinis*, qui bona opera adiaphora & arbitraria faciunt, quæ præstare vel omittere liceat pro arbitratu nostro. Contra Scriptura proponit Necessitatem tum *Mandati*, promissionibus & comminationibus muniti & sanciti 1 *Thess*. 4. v. 3. 1 *Ioh*. 4. v. 21. *Ioh*. 13. v. 34. tum *Debiti*: *Luc*. 17. v. 10. *Rom*. 8. v. 12. *Cap*. 13. v. 7. 1 *Ioh*. 4. v. 11. Licentiam autem illam vivendi suo arbitratu Scriptura apertè damnat, detestatur *Rom*. 6. v. 1. 2. 15. *Gal*. 5. v. 13. 1 *Thess*. 4. v. 7. *Tit*. 2. *vers*. 11, 12. Obiter autem ad explicationem hujus controversiæ notandum, esse *debitum* triplex: *Perfectæ obedientiæ* in Lege requisitæ *Gal*. 5. v. 3. *Æternæ pœnæ* *Matt*. 18. v. 34. donec redderet universum debitum, usque ad extremum quadrantem *Matt*. 5. *vers*. 26. Unde debitores dicuntur *Luc*. 13. *vers*. 4. & *Novitatis vitæ* ex gratia regenerationis: *Romanor*. 8. *vers*. 12. quod solum in

Debitum. perfectæ obedientiæ, Æternæ pœnæ. Novitatis vitæ.

renatis locum habet. Ab utroque priore per Christum liberati sunt, cui soli irregeniti subjacent.

4. non ad salutem promerendam vel conservandam.

Quarta: *Bona opera non sunt necessaria ad salutem sive acquirendam & promerendam, sive etiam conservandam.*

Opponitur Pontificiis, qui bona opera docent esse necessaria necessitate efficientiæ & meriti, tum in acquisitione, tum in conservatione salutis. Contra Scriptura adimit eis *Primò*: acquisitionem salutis: ut patet I. ex decreto Synodi Apostolicæ *Act.* 15. v. 9. 10. 11. *& seqq.* II. ex disputationibus Paulinis contra justitiam operum *Rom.* 3. 4. *Gal.* 2. 3. *capp.* quibus operosè ostendit: Nullam carnem justificari, aut servari ex operibus Legis. *Secundò*: etiam adimit operibus salutis conservationem: utpote quam non minus adscribit fidei *Rom.* 5. v. 1. *& seq. Heb.* 10. v. 39. 1. *Pet.* 1. v. 5. *item* v. 9. Et gratia ac fides sunt principium, medium ac finis nostræ salutis.

5. sed ad eam assequendam ex ordinatione Dei.

Quinta: *Bona opera verè sunt & rectè dicuntur necessaria ad salutem obtinendam & assequendam ex ordinatione Dei.*

Opponitur judicio *Flaccianorum* & *Lutheranorum*, qui negant phrasin illam, *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, vel cum veritate Scripturæ, vel cum hypotyposi sanorum sermonum stare aut conciliari posse: utrumque igitur distinctè est demonstrandum. *Prius de veritate.* I. Dictis apertis *Matth.* 5. v. 20. *cap.* 7. v. 21. *cap.* 25. v. 34. 35. 36. *Rom.* 8. v. 12. 13. 1. *Tim.* 2. v. 15. *Iacob.* 1. *vers.* 25. II. Similibus illustribus ab operariis in vineâ *Matt.* 20. v. 1. *& seq.* à vitibus *cap.* 21. v. 33. à veste nuptiali *cap.* 22. v. 11. 12. 13. à lampade *cap.* 25. v. 3. 4. à palmitibus *Ioh.* 15. *vers.* 2. 3. III. Rationibus invictis: I. Resipiscentia necessaria est ad salutem 2. *Cor.* 7. v. 10. Ergo etiam fructus resipiscentiæ, Bona opera. II. Quæ paravit Deus ut in eis ambulemus ad salutem, ea necessaria sunt ad salutem. Bona opera paravit &c. *Eph.* 2. v. 10. Ergo. III. Renovatio naturæ per Spiritum Sanctum est necessaria ad salutem *Ioh.* 3. v. 3. 5. Nova obedientia est pars hujus renovationis, vel saltem ejus effectus. Ergo, & sic bona opera. Pluribus non est opus. *Posterius de hypotyposi sanorum sermonum* sic ostenditur. Membra hujus enunciationis, Bona opera sunt necessaria ad salutem, duo sunt: *Vnum*: quod sint necessaria: Id jam demonstratum est propositione primâ: nec negatur ab adversariis. *Alterum*: quod sint necessaria ad salutem proba-

probamus. I. directè 2. Cor. 7. v. 10. *quæ secundum Deum est tristitia. resipiscentiam efficit ad salutem, cujus nunquam pœniteat.* Rom. 6. v. 22. *Liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctimoniam, finem autem vitam æternam.* II. à pari, de aliis mediis salutis Euangelio *Rom.* 1. v. 16. Ministerio Euangelii *Act.* 13. v. 17. *positus ad salutem gentium.* afflictionibus *Phil.* 1. v. 19. confessione Euangelii *Rom.* 10. v. 10. His salus tribuitur, non tanquam efficientibus meritoriis aut instrumentalibus, sed tanquam mediis quibusdam secundum ordinationem Dei. Ergo bonis operibus similiter.

Multa contra objiciunt Adversarii: quæ non difficile est refellere, si modo observetur status quæstionis ejusque explicatio; videlicet non requiri ad salutem tanquam causas ejus efficientes, meritorias, principales vel instrumentales: ut Pontificii contendunt: sic enim perniciosa & noxia sunt ad salutem: ut est *Phil.* 3. *vers.* 8. sed necessaria statui, tanquam media quædam, sive viam, quâ placuit Deo ad salutem nos perducere: ut est *Eph.* 2. *vers.* 10. Et ita loquitur Apostolus de afflictionibus *Actor.* 14. *vers.* 22. Præcipuè autem queruntur *confundi doctrinam Legis & Euangelii*, & *lædi justificationem gratuitam* per solam fidem. Id verò nos *negamus* fieri, duplici de causâ. I. quia opera bona sunt hominis fidelis per fidem jam justificati: ut quæ *sequuntur justificatum, non autem præcedunt justificandum,* ut habet regula Augustini. II. quia plura requiruntur ad salutem, quàm ad justificationem: justificatio est impii: Salus est sanctificati: ut docet Apostolus 1. *Cor.* 1. v. 30. *Rom.* 8. v. 29. 30.

Bona opera necessaria sunt ad salutem. non ut causæ.

Sed ut media

Non confunditur doctrina Legis & Euangelii.

Excipiunt: Distinctionem illam inter justificationem & salutem non consistere. I. quia particulæ exclusivæ non minus adduntur saluti, quàm justificationi *Ephes.* 2. *vers.* 8. 9. 2. *Tim.* 1. *vers.* 9. *Tit.* 3. *vers.* 5. II. quia si justificamur quidem sine operibus, non autem servamur, alterutrum sequitur, aut Christum justitiam quidem promeruisse nobis, salutem non item: aut promissionem justitiæ accipi quidem fide, sed promissionem salutis accipi simul operibus & fide. *Resp.* Distinctio illa firma est ex locis *Rom.* 8. 1. *Cor.* 1. & aliis pluribus: justificamur peccatores, servamur sancti induti veste habitualis & actualis justitiæ. *Probatio* utraque deficit ex ignoratione Elenchi.

Salus & Iustificatio quid differant.

Non dicimus necessaria esse bona opera, vel ut merita salutis, ut est obedientia Christi: vel ut causas instrumentales, ut est fides sola: sed ut media, per quæ placuit Deo nos ad salutem gratis perducere. Simile à thesauro donato in monte, ad quem via, & ambulatio per viam ducit: Ea causa non est, sed donatio amici. Dici tamen potest causa sine qua non.

PROBLEMA QUADRAGESIMUM QUINTUM.

Vtrum Iustificatio, salus, & æterna beatitas bonis operibus in Scripturâ propriè, an per effecti metonymiam tribuantur?

PRoblema quærit de sensu phrasium quarundam Scripturæ, de quibus controversia est inter Euangelicos & Pontificios.

Iacob. 2. *vers.* 24. dicitur *Hominem operibus justificari, non fide tantum:* Sic *vers.* 21. de Abrahamo, & *vers.* 25. de Rahabâ, quod ex operibus justificati sint. *Matth.* 25. *vers.* 34. & *seq. Venite benedicti Patris, possidete regnum, paratum vobis à jacto mundi fundamento. Esurivi enim* &c. *Matth.* 7. *vers.* 21. *Psal.* 1. v. 1. 2. & alibi similia occurrunt innumera. *Pontificii* contendunt efficientiam justificationis & salutis operibus tribui *propriè*: adeoque opera esse utriusque meritoria. *Nos* contrà sustinemus tribui ea operibus *metonymicè*, & quidem per metonymiam effecti: quia opera bona tanquam effecta, pro fide, causa videlicet suâ efficiente, nominantur ac ponuntur. *Rationes* assertionis nostræ præcipuæ sunt:

Opera justificant & salvant metonymice.

Prima est, quod Scriptura opera propriè sic dicta è numero causarum efficientium justificationis & salutis simpliciter excludit: Roman. 3. vers. 20. *Ex operibus Legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus.* Galat. 2. vers. 16. *Scientes non justificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem Iesu Christi, etiam nos in Christum Iesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi,*

q. excluduntur è numero causarum efficientium.

Christi, & non ex operibus Legis, propter a quod non justificabitur ex operibus Legis ulla caro. Ephes. 2. v. 8. 9. *Gratiâ servati estis per fidem, non ex operibus.* 2. Tim. 1. v. 9. *Servavit nos & vocavit vocatione sanctâ, non ex operibus nostris, sed ex suo proposito & gratiâ.* Tit. 3. v. 5. *Non ex operibus justis quæ fecerimus nos, sed ex suâ misericordiâ servavit nos.* Ex hisce dictis & aliis, quæ supra allegavimus, talis existit, quæ in speciem videtur, contradictio: *Bonis operibus justificamur ac salvi fimus, Bonis operibus non justificamur, nec salvi fimus.* Prædicatum utriusque hujus propositionis contradictoriæ ὡσαύτως, eodem modo accipitur. Quod si subjectum quoque eodem modo sumatur, jam vera erit ac irreconciliabilis contradictio in Scripturâ. Quod cum affirmare de Scriptura sit summè blasphemum, 2. *Cor.* 1. v. 19. 20. sequitur, alterius quidem enunciationis subjectum propriè, alterius verò tropicè accipiendum esse. Jam verò subjectum in negante hâc, *Bonis operibus non justificamur, non servamur* propriè accipi debere, inter nos & Pontificios convenit. Relinquitur ergo in affirmante hâc, *Bonis operibus justificamur, servamur*, Subjectum tropicè accipiendum esse. *Tropus* autem alius esse non potest, quàm metonymia effecti, quâ videlicet vox effectum propriè significans, pro causâ efficiente, unde manat, accipitur. Bonorum verò operum caussa in homine propior nulla est, quàm fides *Roman.* 14. v. 23. *Galat.* 5. v. 6. 1. *Thessal.* 1. v. 3. Et Apostolus longum bonorum operum catalogum texit, quorum propriam causam fidem constituit *Hebr.* 11. *cap.* Imò fides absque operibus dicitur mortua *Iacob.* 2. v. 26. Colligimus igitur Bona opera pro fide eâ operante accipi, tanquam effecta pro suâ causâ.

Secunda est, quod in Scripturâ non solum efficientia bonorum operum, ut ex dictis patet; sed etiam salus ac vita æterna fidei, tanquam uni & soli caussæ organicæ tribuitur vindicatur, propria dicatur. Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit servabitur.* Roman. 1. v. 17. *Iustus ex fide vivet.* cap. 3. v. 28. *Colligimus fide justificari hominem absque operibus Legis.* Cap. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore fit professio ad salutem.* Galat. 2. v. 16. *Nos in Iesum Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus Legis.* Cap. 3. v. 11. *Nullum per Legem justificari apud Deum manifestum est, quoniam justus ex fide vivit.* In his dictis omnibus justificatio ac salus æterna fidei ita tribuitur, ut bona o-

9. Iustificatio & salus fidei ceu soli causæ organicæ tribuitur.

pera excludantur. Ergo cum aliis locis tribuitur bonis operibus: in voce operum statui metonymiam necesse est, quâ nomen effecti pro caussâ; *opera* fidei effecta pro *fide* caussâ sua efficiente ponantur.

Ex dicto *Iacob*. 2. v. 24.

Tertia ratio sumitur ex loco speciali, *Iacob*. 2. v. 24. ubi ex operibus justificari esse fide operante, sive fide bonorum operum matre, justificari: invictis rationibus ex ipso textu depromtis ostendunt Clariss. Theologi D. *Pareus* & D. *Piscator* in *commentariis suis, in illam epistolam*.

Vsus Problematis.

Vsus hujus assertionis geminus est: *Vnus* quidem contra Pontificios, qui ex quibusdam locis Scripturæ malè detortis, adstruunt Justificationem operum: Scriptura, inquiunt bonis operibus tribuit justificationem & salutem: Ergo bona opera sunt caussa justificationis. Sed inconsequentia est manifesta, cum vocabulum bonorum operum in antecedente metonymicè, in consequente propriè accipiatur. *Alter* verò contra Pseudo-Christianos, qui fidem scientiam quandam historicam bonis operibus nudam fingunt. At Scriptura ejusmodi fidei justificationem nostri tribuit, quæ procreatrix sit bonorum operum, ac proinde ipsorum operum nomine merito insigniatur, cum ea continenter promat. Hinc Apostolus *Gal*. 5. v. 6. non simpliciter dicit, fidem in Christo Jesu ἰσχύειν valere, sed eam fidem quæ sit ἐνεργουμένη actuosa, operosa per charitatem. Eodem modo contra vanam fidei jactantiam Jacobus disputat *cap*. 2.

PROBLEMA QUINQUAGESIMUM SEXTUM.

Vtrum Sacramenta sint relationes, an verò actiones?

PRoblema hoc controversum est, non solum *inter Lutheranos & Orthodoxos*, sed etiam *inter Orthodoxos ipsos*: quorum alii Sacramenta in Prædicamento *Relationis*, alii in *Actionis* locant: Et quidem *inter hos* de τρόπῳ docendi & loquendi tantum est discrepantia quædam. *Inter illos* autem de re ipsâ: quia Lutherani Sacramenta referunt inter entia absoluta, quo ita Consubstantiationem, & reliquos errores de Sacramentorum efficaciâ specio-

speciosius tueri possint. Nos sententiæ utriusque argumenta paucis ponderabimus.

Rationes *quod sint Actiones.* I. Ritus & Ceremoniæ externæ in sensus incurrentes, sunt actiones. Sacramenta sunt ritus & ceremoniæ tales. Ergo. II. Quod describitur verbis & circumstantiis actiones externas significantibus, id actionem esse oportet. Sacramenta describuntur verbis & circumstantiis actiones significantibus. Ergo. III. Cujus utraque pars est res absoluta, in actione consistens, id merito dicitur actio: Est enim inter absoluta actio. Sacramenti utraque pars est res absoluta, videlicet res terrena & cœlestis, juxta regulam Irenæi: & in actione consistit: ut jam probatum. Ergo. IV. Ubi res cœlestis de terrenâ prædicatur propriè, non impropriè, absolutè non σχετικῶς ibi est res absoluta, qualis actio, non relativa. In Sacramentis N. Test. Baptismo & S. Cœnâ id fit: ut alibi demonstratur. Ergo.

Sacramenta esse actiones.

Rationes *quod sint relationes.* I. Cujus proprium nomen ex institutione divinâ est relativum, id est & rectè dicitur relatio. Nam nomina sunt notæ & signa rerum. Atqui Sacramentorum nomina propria ex institutione divinâ sunt relativa. Dicuntur enim signa, sigilla, memorialia, antitypa, &c. uti notum est. Ergò. II. Quorum tota natura refertur ad aliud, ea sunt relativa. Hæc est definitio relatorum: quæ inde τὰ πρός τι vocantur. Sacramentorum tota natura refertur ad aliud, videlicet ad verbum promissionis, & ipsa bona promissa declaranda, testificanda, obsignanda. Unde Augustinus, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ergo. III. Ubi omnia requisita essentialia relatorum adsunt, ibi sunt relata. In Sacramentis adsunt omnia relatorum requisita essentialia: Est enim *relatum*, sacrum signum & sigillum, quod absolutè *elementum* vocatur: Est *correlatum*, verbum promissionis, sive beneficia promissa in verbo testificanda & obsignanda: est *Relatio*, hoc est ordinatio signi ad hanc testificationem & obsignationem in mente divinâ, & utentium Sacramento: quæ propria, specifica, & essentialis ejus forma est. Ergo.

Sacramenta esse relationes.

Nonnulli sententias hasce pugnantes conciliare conantur distinctione vocabuli ambigui, *Sacramenti*, quod vel latè accipitur vel strictè. *Latè* pro signo & signato simul, seu pro totâ actione,

Conciliatio ex distinctione vocis *Sacramenti* sumta.

Latè. ctione, quæ tum ex legitimâ Symbolorum externâ sumtione, tum ex rerum ipsarum signatarum spirituali perceptione componitur: juxta sententiam Irenæi. Strictè. *Strictè* & *proprie* pro Sacro signo & sigillo promissionis gratiæ sive bonorum promissorum. *Priore* significatu ajunt absolutè considerari, & esse actionem sacram: *posteriore* autem relatè, & esse relationem.

Improbatur. Sed hæc conciliatio nescio quàm sit solida. I. dubito, num prior significatio demonstrari possit ex Scriptura. In Scholis quidem recepta est, sed usu magis, quàm autoritate sacra. II. quia etiam actio sacra, quæ est in Sacramentis, est relativa. Aspersio aquæ in Baptismo est actio, sed relativa & mystica 1 *Petr.* 3. v. 21. Fractio panis in Cœnâ actio sed relativa, relata ad fractionem corporis Christi in cruce factam 1 *Cor.* 11. v. 24.

Conciliatio vera quod Sacram. sint actiones relativæ. Hæc vero est *vera* ac solida *ratio conciliationis*, si dicatur, Sacramenta esse actiones, sed σχετικὰς relativas, quibus adhæret σχέσις, quâ ab actione externâ & in oculos incurrente deducimur ad actionem internam & spiritualem. Et ita innumeræ dantur actiones, quæ cum σχέσει sive relatione sunt conjunctæ, Si porrò quæratur, utra denominatio Sacramentorum sit potior à relatione, an ab actione? respondemus eam, quæ est à relatione. Nam unaquæque res rectius & significantius denominatur à suo formali, quam à materiali. At relatio est formalis, actio materialis tantum Sacramenti.

Non actiones absolutæ. Ex hâc explicatione, facile *respondetur ad tres priores rationes*, quod Sacramenta sint actiones. Sunt sane, sed relativæ, quibus adhæret relatio. *Quarta* autem quæ propria est Lutheranorum, propositione *minore* falsa est. Nec enim res cœlestis propriè dicitur de terrenâ: sunt enim disparata, sed impropriè, per metonymiam Sacramentalem, ut alibi docuimus.

Superest refutanda una *objectio* adversariorum, quam perpetuò in ore habent. Sacramenta dicuntur signa à fine, qui est signare, obsignare, testificari. Ergo hinc non conficitur, quod Sacramenta ratione formæ suæ sunt relationes. respectu formalitatis suæ dicenda sint relationes. *Resp.* negatur consequentia: quia propria forma Sacramentorum consistit in ordinatione ad finem. Sacramenta declarant & obsignant promissionem gratiæ. Quomodo vero? nempe, quia à Deo ordinata & instituta sunt, tanquam signacula promissæ gratiæ de Remissione peccatorum. Quod enim in verbo promittitur,

mittitur, id in Sacramentis obſignatur. Quis hîc non videt Sacramentorum formam ex fine, uſu & officio, quod eſt ordinatum eſſe ad repræſentandam & obſignandam rem promiſſam, æſtimari: ac proinde formam conſiſtere in relatione ad illum finem? Illuſtratur exemplo à limite in agro poſito diſtinctionis ergo, cujus forma in uſu, officio, fine conſiſtit, qui eſt ad agros à ſe invicem diſtinguendos, eorumque terminos ſeu extremitates monſtrandas, ordinatum eſſe.

PROBLEMA QUINQUAGESIMUM SEPTIMUM.

Num detur analogia ſacramentalis, quæ communis ſit Sacramentis V. & N. Teſt.?

LUtherani valde ſunt infeſti *analogiis Sacramentalibus*. Nimirum, quia intelligunt cum iis ſtare non poſſe opiniones ſuas de corporali præſentiâ, orali manducatione, & efficacia Sacramentorum. Cum verò ita ſint evidentes in Scripturâ, ut negari non poſſint; diſtinctione elabuntur, dictitantes Vet. Teſtamenti Sacramenta analogias quidem habere: at Sacramentis N. Teſt. eas nullo modo competere. Contra ipſos igitur, analogias illas utriuſque Teſtamenti Sacramentis communes eſſe, demonſtrabimus. Analogia Sacramentalis competit Sacramentis V. & N. T.

Rationes. I. Forma generica omnibus ſpeciebus comprehenſis ſub eodem genere eſt communis. Analogia Sacramentalis eſt forma generica omnium Sacramentorum: quia in omnibus externum elementum una cum ſuis ritibus ordinatum eſt divinitus, ut ſit rei cœleſtis ſymbolum & ſigillum. Ergo. II. Quæ eſt ratio Vet. & Nov. Teſt. eadem ratio Sacramentorum utriuſque Teſtamenti. Sunt enim ſigilla & appendices, idem promiſſionis verbum ſpectantes. Atqui Vet. & Nov. Teſt. conveniunt ſubſtantiâ: quia eſt una ac eadem ratio ſalutis in verbo, nimirum per fidem Jeſu Chriſti, & gratiam ipſius *Actor*. 15. *verſ*. 11. Ergo & Sacramenta conveniunt ſubſtantiâ: unum enim authorem habent, unam rem ſignificatam, unum ſcopum: Differunt non niſi in accidentibus: videlicet ritibus, numero, mo-

q. analogia eſt forma Sacramentorum generica.

q. V. & N.T. ſubſtantiâ conveniunt.

q. Baptismus ἀντίτυπον. Cœna ἀνάμνησις dicitur.

do significandi, duratione, claritate. III. A Nominibus Sacramentorum Novi Testamenti. Baptismus dicitur ἀντίτυπον, id est, typus ex adverso respondens alii typo Veteris Testamenti 1 *Petr.* 3. *vers.* 21. Cœna Domini appellatur μνημόσυνον, sive ἀνάμνησις, id est, typus figurans atque in memoriam nobis revocans Sacrificium Christi in cruce peractum 1 *Corinth.* 21. *vers.* 24. 25. 26. At illa nomina necessariò important analogiam Sacramentalem. Ergo analogia Sacramentalis etiam Sacramentis Novi Testamenti convenit. IV. Ab analogiâ expressâ in Scripturâ: de Baptismo, *Romanor.* 6. *vers.* 2. 3. 4 ubi ritus usurpati olim in Baptismo applicantur ad mortificationem veteris, & vivificationem novi hominis: item de Cœna Dominica, 1 *Corinth.* 11. *vers.* 24. ubi testatur Apostolus Dominum de pane fracto dixisse, non simpliciter, Hoc est corpus meum, sed cum additione, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Idem in dicto illustri, 1 *Corinth.* 10. *vers.* 16, non tantum ostendit analogiam Sacramentalem in ritu fractionis, sed etiam in communione cum symbolorum, panis & poculi; tum rerum signatarum, corporis & sanguinis Christi; & unione in unum corpus mysticum, quemadmodum unus est panis, ex quo omnes participamus. Ergo etiam Novi Testamenti Sacramentis analogia Sacramentalis convenit. V. A Dicto *Augustini*, de omnibus Sacramentis communiter, *Epist.* 23. *ad Bonifacium: Si Sacramenta similitudinem quandam earum rerum non haberent, quarum Sacramenta sunt, omninò Sacramenta non essent.*

q. Scriptura analogiam exprimit.

Dicto Augustini.

Contra *Lutherani*: *Primò* objiciunt, Analogias esse Sacramentorum Veteris Testamenti, quæ tantum figuræ & umbræ fuerint futurorum bonorum, non expressa rerum forma. *Hebr.* 10. *vers.* 1. *Resp.* Fuerunt Veterum Sacramentorum, quatenus Christum futurum exhibendum in carne præfigurârunt. Ita autem Sacramentis Novi Testamenti non conveniunt, sed quatenus repræsentant Christum exhibitum, & Sacrificium ejus jam peractum in cruce. *Deinde* etiam negant analogiam fractionis in Cœnâ: hoc inter cætera argumento: Quod de uno affirmatur, de altero negatur, in eo nulla potest esse analogia. At quod de pane affirmatur, scilicet quod fractus sit & comminutus, de corpore Christi negatur *Ioh.* 19. *vers.* 33. 36.

Analogia Sacramentorum N. T. qualis.

Ergo. *Resp.* I. ad *Majorem*: Quod de altero negatur simpliciter, omnimodè, & omni sensu ac significatu, tam figurato, quàm proprio. Nam sæpè usuvenit, ut in similibus de uno dicatur propriè, quod de altero impropriè intelligendum est: ut cum ablutio tribuitur aquæ & Spiritui Sancto; circumcisio præputio & cordi. II. *Minor* falsa est, ex 1 *Corinth.* 11. *vers.* 24. ubi corpus Christi dicitur fractum: non propriè, quod fractum sit sicut panis, sed impropriè & μεταφορικῶς, quatenus pro passione, crucifixione, & morte ponitur: nisi quis forsan excipere velit transfixionem, clavis & lanceâ factam, quæ certè videtur propriè dici posse fractio. Analogia fractionis panis ostenditur.

PROBLEMA QUINQUAGESIMUM OCTAVUM.

An Fides sit de essentiâ Sacramenti, vel ad eam pertineat?

QUæstionem hanc peperit controversia de efficaciâ Sacramentorum ex opere operato. Quam cum pernegent Ecclesiæ Reformatæ, & efficaciam omnem Spiritui Sancto & fidei adscribant, hinc cœptum disputari, *Num fides sit de essentiâ Sacramenti*: & quem locum obtineat in usu Sacramentorum. Est autem facilis explicatu quæstio, si præmittatur distinctio & explicatio terminorum. Origo quæstionis.

Subjectum *Fides* bifariam consideratur, objectivè & subjectivè. *Objectivè* in verbo, tanquam conditio necessaria fœderis Euangelici, sub quâ promissio gratiæ de Remissione Peccatorum & Regeneratione Spiritus Sancti, tum facta est in verbo, tum obsignatur in Sacramentis. *Subjectivè*, ut est habitus vel actus fidei in credente, qui credit Euangelio, & illâ ipsâ fide Sacramenta percipit. Illustrari potest hæc distinctio ex naturâ omnium pactorum, ubi conditio præstanda ita continetur in pacti formâ, ut in contrahentibus subjectivè quoque existat. *Fides* spectatur objectivè. Subjectivè.

Prædicatum *esse de essentiâ*, vel ad eam pertinere, etiam dupli- *Esse de essentiâ* quid significet.

dupliciter sumitur: *Primò* pro eo, quod essentiam constituit tanquam pars; quomodo partes Sacramentorum sunt elementum & verbum, juxta dictum pervulgatum Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* *Secundò* pro eo quod est essentiale tanquam proprium, sive tanquam conditio essentialis; absque quâ res esse vel consistere non potest.

Sic explicatis terminis *respondetur* duabus propositionibus.

Fides Objectivè est conditio essentialis Sacramenti.

Prima: Fides objectivè spectata, hoc est, quatenus in verbo præscribitur & præcipitur, pertinet ad essentiam Sacramenti, tanquam conditio essentialis.

Rationes. I. Conditio essentialis novi fœderis sive Testamenti, est conditio essentialis Sacramenti, quod additur fœderi, confirmationis causâ; & metonymicè Fœdus, Testamentum appellatur. Fides est conditio essentialis novi Fœderis sive Testamenti *Marc.* 1. *vers.* 15. *cap.* 16. *vers.* 16. Ergo. II. Quod in propriâ Sacramenti definitione continetur, id essentiale est Sacramento. Tales siquidem definitiones ex essentialibus tantum constant. Fides continetur in propriâ Sacramenti definitione, ut ex dictis patet: *Rom.* 4. v. 11. Sacramentum est sigillum justitiæ fidei. item *Marc.* 16. *vers.* 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur.* Ergo. III. Quo sublato Sacramentum tollitur & esse desinit, id ei essentiale est. Sublata conditione fidei tollitur Sacramentum, & esse desinit: *Marc.* 16. *vers.* 16. *Roman.* 2. *vers.* 25. *& seqq.* Ut enim Promissio nulla est absque fide, ita nec obsignatio promissionis: quæ fit per Sacramenta. Ergo.

Fides subjectivè non est Sacramento essentialis; sed necessarium requisitum in utente.

Secunda: Fides subjectivè spectata, hoc est quatenus est habitus vel actus credentis, non est Sacramento essentialis: est vero necessarium requisitum in utente Sacramento, sive ad legitimum ac salutarem usum Sacramenti.

Patet prius: Quia quod est essentiale Sacramento, hoc est intrinsecum Sacramento, & in eo: Fides autem utentis non est in Sacramento, sed in corde ipsius. *Posterius* etiam I. *Dictis*; Marc. 16. vers. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur; qui verò non crediderit, condemnabitur.*

Actor. 8.

Act. 8. v. 36, 37. *Ait ei Eunuchus, en aquam, quid prohibet me baptizari: Dixit verò Philippus: Si credis ex toto corde, licet.* Rom. 4. v. 11. *Abrahamus signum accepit circumcisionis, sigillum justitiæ fidei receptæ in præputio.* II. axiomate Theologico, quod habet *apologia Augustanæ confessionis*, Sacramenta sine fide utentis sunt inanes cæremoniæ: Ergo ad legitimum usum Sacramentorum necessariò requiritur fides. *Confer loca Esa.* 66. v. 3. *Rom.* 2. v. 26. *Marc.* 16. v. 16. 1 *Cor.* 11. v. 20. III. Quod est necessarium requisitum accipiendæ promissionis in verbo, idem quoque est requisitum obsignationis in Sacramentis. Atqui illius necessarium requisitum est fides: ut tota Scriptura testatur. Non enim absoluta est promissio gratiæ, ad nullam conditionem adstricta, qualis erat illa in creatione de multiplicanda sobole *Genes.* 1. *vers.* 28. Sed hypothetica & conditionalis fidem requirens. Ergo.

Contra hæc quæ moveri solent, facili labore dissolvuntur. Objectiones refutantur. Prima.

I. Essentialia materiâ & formâ comprehenduntur. Fides non est materia vel forma Sacramentorum. Ergo. *Resp.* I. datur totum de fide subjectivè accepta, quæ est in utente Sacramentis. II. de fide objectivè spectata, *minor* falsa est. Et si enim non sit ipsa materia vel forma, tamen ad utramque pertinet, & referri debet. Ad materiam, quia est conditio cum verbo promissionis inseparabiliter connexa. Ad formam, quia testificatio & obsignatio non fit, nisi sub conditione fidei. III. *Major* falsa est exclusivè sumta: Essentialia dicuntur etiam propria, non partes tantùm.

II. Quod pertinet ad finem sive usum rei, non est ei essentiale. Fides pertinet ad finem, sive usum Sacramentorum. Ergo *Resp. Major* datur de substantiis, quæ cum definiuntur, ex genere & formâ definiuntur. Ideoque tota illorum essentia in genere & formâ consistit, non in fine. Sed alia est ratio accidentium, inprimis relatorum, quorum esse nihil est aliud, quam ad aliud referri. Ita esse Sacramentorum consistit in relatione ad proprium finem: ut alibi docuimus. Secunda.

III. Quod est essentiale rei, id non potest abesse à re. Fides potest abesse à Sacramento. Ergo. *Resp. assumtio* falsa est. Non potest abesse fides, salvo manente Sacra- Tertia.

 men-

mento: *argumento locorum Marc.* 16. *verſ.* 16. *Rom.* 2. *verſ.* 25. Eam *probant* ab abſurdo: Si ſine fide Sacramentum non eſt Sacramentum, hypocrita baptizatus in infidelitate, rebaptizandus erit cum credit. *Reſpond.* negatur. Sufficit ſi baptiſmum ante adminiſtratum vel tum accipiat fide. Quia uſus ejus non reſtringitur ad certum tempus, verùm in omnem vitam extenditur.

Quarta. IV. Si fides pertinet ad eſſentiam Sacramenti, ſequitur fidem non eſſe in utente Sacramento, ſed in Symbolo ſacramentali. Conſequens abſurdum. Ergo. *Reſp.* Ludit fallacia æquivocationis. Aſſertio noſtra loquitur de fide objectivè, non ſubjectivè: uti ante dictum.

Quinta. V. Fides non facit Sacramentum. Ergo non eſt Sacramento eſſentialis. *Reſp.* negatur ſequela. Nam Deus propriè facit Sacramenta: qui tamen iis eſſentialis non eſt. Fides non conſtituit Sacramentum vel extrinſecè, vel intrinſecè, propriè loquendo: Sed objectivè, eſt conditio eſſentialis Sacramenti: ſubjectivè autem, eſt neceſſarium organum ac medium participandi rem Sacramenti.

PROBLEMA QUINQUAGESIMUM NONUM.

An Baptiſmus rectè dicatur ſignum ablutionis peccatorum?

NAſcitur hoc *problema* ex controverſia, quæ nobis eſt, cum Lutheranis, de efficacia Baptiſmi. *Illi* negantem, *Nos* affirmantem ſententiam propugnamus.

Rationes affirmantes orthodoxa.

Argumenta noſtra ſunt:

q. Baptiſmus eſt ἀντίτυπον depoſitionis ſordium animæ.

I. Quod eſt ἀντίτυπον depoſitionis ſordium animæ, id rectè dicitur ſignum ablutionis peccatorum. Baptiſmus eſt ἀντίτυπον depoſitionis ſordium animæ. Ergo. *Minor* eſt Petri 1. *Epiſt.* 3. *verſ.* 21. ubi depoſitio ſordium animæ colligitur *partim* ex antitheſi, videlicet depoſitione ſordium carnis: *partim* ex effectu conſequente, qui eſt bona conſcientia *Roman.* 3. *verſ.* 1, 2. *Majoris* conſequentia demonſtratur ex æquipollentiâ terminorum

norum antitypi & signi. *Antitypon* bifariam usurpatur in Scriptura Novi Testam. vel *pro* simplici typo, ut *Hebræor*. 9. vers. 24. vel *pro* typo relato ad alium typum, cui correspondet, ut hîc. Nam Baptismus confertur cum liberatione Ecclesiæ in diluvio. At utroque modo est & verè dicitur signum. Nam omnis typus est signum.

Antitypum quid.

II. à pari. Quæ est ratio circumcisionis, eadem est ratio Baptismi. Est enim utrumque Sacramentum: & quidem Sacramentum regenerationis ac insitionis in Ecclesiam. Unde Baptismus in N. T. successit circumcisioni *Coloss*. 2. vers. 11. 12. Atqui circumcisio rectè dicitur signum fœderis de ablutione peccatorum & circumcisione cordium *Genes*. 17. vers. 7. 10, 11. sigillum justitiæ fidei, quæ consistit in remissione peccatorum *Romanor*. 4. v. 11. Ergo etiam Baptismus rectè sic nominatur.

q. Circumcisio fuit signũ ablutionis peccatorum.

III. A Collatione causarum subordinatarum in ablutione peccatorum. Ablutio peccatorum in Scripturâ attribuitur sanguini Christi, *Iohann*. 1. vers. 7. *Apocalyps*. 1. vers. 5. Spiritui Sancto, 1 *Cor*. 6. v. 11. fidei, *Act*. 15. v. 9. Verbo Euangelii, *Eph*. 5. v. 26. *Ioh*. 17. v. 17. & Baptismo *Act*. 22. v. 16. At non attribuitur eodem modo, verum diversimodè, pro diversitate subordinationis & causalitatis, quam ipsa Scriptura docet. *Sanguini Christi*, tanquam causæ meditoriæ justitiæ & Sanctitatis: *Spiritui* S. ut causæ efficienti procreanti: *Fidei*, ut causæ Organicæ internæ, per quam donatur nobis justitia & Sp. S. *Verbo*, tanquam organo externo, per quod efficax est Sp. S. in efficiendâ fide & regeneratione: *Sacramentis*, tanquam organis externis confirmantibus & obsignantibus nobis illam gratiam. Quæ *causalitas* eorum evincitur partim ex eorum nominibus propriis, partim ex ordine perceptionis, quia post verbum accipiuntur. Nec potest alia causalitas ostendi à prioribus distincta. Concludimus ergo Sacramenta, & nominatim Baptismum, rectè dici signum ablutionis.

q. ablutio peccatorum tribuitur Sacramentis ceu organis confirmantibus & obsignantibus.

IV. A præcedaneis requisitis Baptismi. Qui jam ante Baptismum per fidem habent ablutionem peccatorum, illi aut non baptizantur in ablutionem peccatorum, aut baptizantur ut testimonium & signaculum hujus ablutionis accipiant. At quotquot adulti baptizantur secundum institutionem Christi, ii ante Baptismum jam habent per fidem ablutionem peccatorum: ut Abraham justitiam ante circumci-

q. baptizandi adulti jam loti sunt à peccatis.

ſionem *Romanor.* 4. *verſ.* 10. 11. Eſt enim Baptiſmus credentium *Marc.* 16. *verſ.* 16. *Actor.* 2. *verſ.* 38, 39. & *capp.* 8. *verſ.* 36, 37. Per fidem autem habemus ablutionem illam *Actor.* 15. *verſ.* 9. Ergo. Atqui prius falſum eſt & contra Scripturam *Actor.* 2. *verſ.* 38, 39. *capp.* 22. *verſ.* 16. Ergo verum eſt poſterius : ſicque Baptiſmus eſt & rectè dicitur ſignum ablutionis peccatorum.

Negantes Heterodoxa. *Objectiones Lutheranorum* hæ ſunt præcipuæ,

q. Scriptura negetSacram: N.T.eſſe typos,figuras, &c. I. Quod ipſa Scriptura negat de ſacramentis Nov. Teſtam. id non eſt affirmandum de Baptiſmo. Atqui negat eſſe typos, figuras, umbras, Symbola, ut quæ habeant ipſam imaginem, ipſum corpus *Hebr.* 10. *verſ.* 1. *Coloſſ.* 2. *verſ.* 17. Ergo. *Reſp.* Si negat, jam ſibi contradicit, quæ Baptiſmum vocat antitypum 1 *Petr.* 3. *verſ.* 21. Negat eſſe tales typos, quales erant Vet. Teſtam. abumbrantes Chriſtum venturum, ac bona futura : ut textus ipſe loquitur. Quamvis locis allegatis propriè ſermo ſit de Sacrificiis V. T. collatis cum Chriſti ſacrificio : & ſic impertinenter allegantur.

q. Baptiſmus ſit medium & organum ablutionis peccatorum. II. Quod eſt medium ac organum alicujus rei, id non eſt ejuſdem ſignum. Baptiſmus eſt medium ac organum ablutionis à peccatis *Actor.* 22. *verſ.* 16. *Epheſ.* 5. *verſ.* 26. *Tit.* 3. *verſ.* 5. Ergo. *Reſp.* I. *Major* non eſt vera univerſaliter. Nubes aquoſa pluviæ & ſignum eſt eam prænuncians, & medium per quod Deus eam efficit. II. *Minor* falſa eſt ex mente Lutheranorum, qui volunt eſſe tale medium, cujus virtute ſecundum ordinationem Dei omnes baptizati abluuntur à peccatis ſuis. Alioquin eſſe medium ac organum confirmationis, ſive divinum teſtimonium, per quod Sp. S. liberè eſt efficax, minimè negamus. Loca Scripturæ metonymice explicanda ſunt, vi III. argumenti à nobis prolati.

q. ſit ſignum μεταδοτικόν. III. Signum μεταδοτικὸν non eſt σημαντικὸν, σφραγιστικόν. *Ratio* eſt; quia μεταδιδόναι καὶ σχηματίζεσθαι, dare & dandum adumbrare opponuntur. Baptiſmus eſt ſignum μεταδοτικὸν regenerationis *Iohann.* 3. v. 5. Ergo. *Reſp.* Si μεταδοτικὸν: ergò ſignum : quod negatur initio. Sed μεταδοτικὸν ſignum dicitur Baptiſmus bifarium : *vel* quod res ſignata ſignis ſubjectivè inhæreat, & quibuſvis exhibeatur, ſive legitimè ſive illegitimè utentibus Sacramento : *vel* quod unà, hoc eſt eodem

dem tempore, cum ipsis signis exhibeatur, per efficaciam Spiritus Sancti in legitimo usu. *Si illo* sensu dicitur, falsa est minor. *Sin isto*, datur minor; sed consequentia Majoris negatur. Omnia illa complectimur. Peculiaris tamen est μετάδοσις ratione singularis applicationis, quæ illustrior est in Sacramento, quàm in verbo.

PROBLEMA SEXAGESIMUM.

Quænam sit præsentia Christi in S. Cœnâ?

NOn ingrediemur hic fusam illam & late patentem controversiam de reali, substantiali ac corporali Christi præsentiâ in S. cœnâ, quæ nobis est cum Pontificiis & Lutheranis. Est enim alius loci. Tantum exponemus sententiam Orthodoxam *de præsentiâ Christi in Cœnâ*: idque ad retundendas populares calumnias Adversariorum, quasi Christum è cœnâ suâ excludamus.

Præsentiæ vocabulum derivat Augustinus *lib.* 11. *de Civ. Dei capp.* 3. à *præ & sensus*: quod præsentia dicantur ea, quæ sunt præ sensibus animi vel corporis, interius vel exterius iis exposita. Dupliciter autem consideratur *præsentia* in Scripturâ & in omni loquendi usu, ratione subjecti, vel objecti. *Primo modo* res dicitur præsens, tanquam in loco sive ubi: quæ præsentia dicitur *circumscriptiva*, *definitiva & repletiva*, quoad corpora, Angelos & Deum. *Secundo modo* res dicitur præsens alicui, quatenus percipitur & participatur ab aliquo sive quatenus est præ hujus vel illius sensu, animo, fide 2. *Reg.* 5. v. 25. 1. *Cor.* 5. v. 3.

Præsentiæ etymologia.

Hononymia.

Hinc jam triplicem Christi in cœnâ præsentiam statuimus.

Christi in S. Cœnâ præsentia est.

Prima est *subjectiva*, nimirum *gratiosâ præsentiâ Deitatis ipsius omnipræsentis*: quam peculiariter promisit cætibus in nomine suo congregatis, ad audiendum verbum Dei, usurpandum Sacramenta, & orandum; quæ promissio subjicitur institutioni ministerii & Baptismi *Matth.* 28. *vers.* 20. *cap.* 18. *v.* 19. 20. *Apocalyps.* 1. v. 13. *& seqq. cap.* 2. v. 1.

1. Subjectiva: Deitatis.

 Secunda

2. Objectiva: Spiritualis.

Secunda est *Objectiva*, videlicet *Spiritualis præsentia corporis & sanguinis Christi per fidem.* Corpus Christi non est præsens in Cœna tanquam in loco: est enim in cœlo, in quod adscendit Christus, & ubi mansurus est usque ad judicium. Unde etiam Cœna vocatur à Paulo ἀνάμνησις Christi, corpore absentis & redituri. Est autem præsens fidei, in verbo promissionis, & per fidem salutariter percipitur. Nam fidei præsentia sunt, etiam quæ longissimè absunt.

Demonstratur.

Hæc præsentia *demonstratur* his argumentis. I. Hypostasis rerum creditarum importat Spiritualem earum præsentiam. Quæ enim hypostasis absque præsentiâ? Fides est hypostasis rerum creditarum, atque etiam corporis Christi *Hebr.* 11. *vers.* 1. Ergo. II. Distantia temporum in Vet. Testamento non impedivit Spiritualem præsentiam Christi, necdum incarnati; sive corporis ipsius, quæ est per fidem. Ergo nec in Novo Testamento eam impedire potest distantia locorum cœli & terræ: *Consequentia* nititur evidenti paritate utriusque. *Antecedens* probatur *Iohan.* 8. *vers.* 56. & 1 *Corinth.* 10. v. 34. ubi manducatio corporis & bibitio sanguinis Christi etiam veteribus tribuitur. III. Spiritualis manducatio corporis, & bibitio sanguinis Christi per fidem, præsentiam eorum Spiritualem præsupponit. In cœnâ fit talis manducatio & bibitio. Est igitur etiam ejusmodi præsentia. *Minor* extat apud *Ioann. cap.* 6. Ratio *Majoris* est, quia manducatio communicatio est rei præsentis ei, à quo & per quod manducatur. IV. A minori: Paulus Ephesi absens corpore, Corinthiis se præsentem dicit spiritu, id est, Spirituali modo, mente, voluntate, authoritate Apostolicâ 1 *Cor.* 5. v. 3. Ergo multo magis Christus, corpore in cœlis absens, nobis est præsens Spiritualiter in S. Cœnæ usu & promissione, & fideli corde à nobis suscipitur. V. Nos peregrinantes à Domino per fidem præsentes sumus in cœlo collocati cum Christo in supercælestibus, *Eph.* 2. *vers.* 6. accessimus ad myriadas Angelorum, ad panegyrin primogenitorum &c. *Hebr.* 12. v. 22. 23. Quidni ergo etiam per fidem nobis præsens sit corpus Christi, quod est in cœlo?

3. Objectiva: Symbolica.

Tertia est etiam *Objectiva*, videlicet *Symbolica præsentia corporis & sanguinis Christi*, non quasi sit in, cum, sub symbolis panis & vini; sed quia per illa nobis repræsentatur, & ob ocu-

ob oculos quasi depingitur, ut est *Gal.* 3. *vers.* 1. item quia nobis confirmatur salutaris ejus communio & fructus. Ita præsens est etiam sensui; quia Sacramenta sunt signa visibilia, in sensus externos incurrentia, quæ videmus, tangimus, gustamus. *Probatio* hæc est: Panis & vinum nobis præsentia sunt in S. Cœna. At illa sunt corpus & sanguis Christi: Communio eorum est communio corporis & sanguinis Christi 1 *Cor.* 10. *vers.* 16. 17. Ergo corpus & sanguis Christi nobis sunt præsentia. Porrò: Panis & vinum sunt corpus & sanguis Christi Symbolicè, Sacramentaliter. Ergo etiam corpus & sanguis Christi nobis sunt præsentia in Sacramento Cœnæ symbolicè & Sacramentaliter. Atque hæc de problemate hoc in præsens sufficiant.

Probatur.

PROBLEMA SEXAGESIMUM PRIMUM.

Qualis futurus sit mundi interitus? utrum redactio in nihilum? an verò ejus instauratio & renovatio?

DE *mundi interitu* tres circumferuntur nobiliores sententiæ.

I. Mundus an æternus, interitus expers.

Prima Philosophorum, qui mundum æternum fore dictitant, interitus omnis expertem. Ea Epicureis & irrisoribus tribuitur 2 *Pet.* 3. *vers.* 3. 4. qui eâ eludebant doctrinam de adventu Christi & ultimo judicio. *Rationes* sunt. I. à natura cœli & elementorum: Cœlum ut à qualitatibus contrariis, ita etiam ab interitu immune est per naturam: Elementa verò licet per partes generentur & corrumpantur, tamen perennem habent naturam in toto. Ergo non interibunt. II. à duratione Mundi: Mundus jam per multa secula duravit, & immobili serie fertur. Ergo deinceps quoque durabit.

Damnatur.

Hanc sententiam tanquam profanam & blasphemam *detestatur* Petrus 2 *Epist.* 3. *vers.* 10. & *seqq.* utramque etiam rationem confutat. *Priorum.* I. negatione antecedentis: cujus contrarium verum esse docet *vers.* 10. 11. II. Inficiatione conse-

consequentiæ: Quia interitus mundi non fiet per naturam, sed verbo omnipotenti Christi judicis: id quod argumento à pari comprobat v. 5. *Posteriorem* similiter. I. negatione antecedentis, quod mundus duret immobilis, ut qui inundatus perierit aquis diluvii. II. inficiatione consequentiæ, quia eum igni judicii reservari docet, ut exuratur *v.* 6. 7.

II. Mundus an plane annihilandus.

Secunda Theologorum quorundam, veterum pariter ac recentiorum, qui statuunt mundum totaliter interiturum, ac in nihilum esse redigendum. *Demonstratur* autem. I. Dictis Scripturæ: qualia è multis sunt *Psal.* 102. v.26. 27. *Esa.* 51. v.6. *Iob.* 14. v. 13. *Matth.* 24. v. 35. 1 *Cor.* 6. v. 13. 2 *Pet.* 3. v.10. 11. *Apocal.* 21. *vers.* 1. II. à fine mundi & totius naturæ. Cessante fine etiam cessat res ipsa, propter quam est condita: At in ultimo judicio finis mundi & seculi hujus cessabit, qui erat ut hominis viatoris esset domicilium, adeóque via ad Deum, tanquam in speculo contemplandum; qui utique desinet, ubi viator esse desierit. Ergo. III. à subjecto; quod non est subjectum δεκτικὸν perennitatis & felicitatis, id non instaurabitur, sed abolebitur in altero seculo. Atqui reliquæ creaturæ præter intelligentes non sunt capaces perennitatis & felicitatis: quia elementares, corruptibiles. Ergo. IV. Ab adjuncto mundi & rerum Physicarum: tempore videlicet. Quando tempus non erit amplius, nec erit mundus aut res Physicæ: *Ratio*: quia harum propriè est tempus, principio & fine constans: sicut Spirituum creatorum est unum, principium habens & fine carens: Solius Dei autem æternitas & principio & fine carens. Atqui in consummatione mysterii Dei, sive seculi tempus non erit amplius: ut jurat Angelus *Apoc.* 10. *vers.* 6. 7. Ergo. V. ab oppositis: ortu & interitu mundi. Contrariorum eadem est ratio. Atqui mundus ortus est ex nihilo *Genes. cap.* 1. Ergo per interitum etiam redibit in nihilum.

Rejicitur.

Hæc sententia de totali interitu mundi etsi sit tolerabilis & magnos authores habeat; *minus* tamen *probabilis* videtur, idque ob pondus argumentorum, quibus tertia sententia suffulcitur. Igitur paucis rationes ejus diluemus. *Primo* dictum *Psalmi* 102. item Petri 2. *Epistola* 3. *vers.* 10. 11. & Joannis *Apocal.* 21. *vers.* 1. infra vindicabimus:

quæ

quæ de instauratione propriè loquuntur, non de redactione in nihilum. Locus *Esa.* 51. v. 6. idem plane est cum Psalmo 102. Et quod cœlum dicitur evaniturum ut fumus, nondum conficit propositum: quia fumus evanescit in auras non in nihilum. Petrus autem interpretatur de dissolutione totius compagis sive machinæ cœlorum 2 Petr. 3. vers. 12. *Iob.* 14. *vers.* 13. usquedum non erunt cœli, scil. veteres & exteriores: nam exspectamus cœlum novum. *Matth.* 24. *vers.* 35. vel intelligendum comparatè per collationem rei impossibilis, aut nunquam futuræ, tanquam facilioris: quasi dicat, Cœlum & terra citius interierint, quam verba mea: vel verbum *prætereundi* exponendum, non simpliciter de abolitione substantiæ, sed de abolitione conditionis caducæ. Nam verba Christi desumta sunt ex Psalm. 102. vers. 27. ubi verbum *pereundi* exponitur per verbum mutandi. 1 *Corinth.* 6. *vers.* 13. abolebit, scilicet quoad usum. Nam certe venter, quum sit pars corporis, non abolebitur. In *secundo*: Major non est vera universaliter: Valet solum de omni fine, eoque adæquato. Terræ autem non omnem finem cessaturum docet Petrus 1 Epistol. 3. vers. 13. *exspectamus terram novam, in quâ justitia habitet*, id est, homines justi. *Finis* autem duplex est: *Summus*, quoad Deum, cujus sapientiam, omnipotentiam, bonitatem, æternitatem commendabunt creaturæ instauratæ: *Subalternus*, quoad homines beatos, quia futuræ sunt nostræ spiritualis contemplationis & oblectationis secundaria quædam exercitamenta. In *tertio Minor* falsa est: Sanè per naturam non sunt capaces: sicut nec corpus humanum: at per gloriam. Sic nec eadem ratio perennitatis sive ἀφθαρσίας & felicitatis. Illam simpliciter, hanc secundum quid eis tribuit Apostolus *Romanor.* 8. vers. 22. In *Quarto* negatur *Major*: Quia tempus hujus propriè seculi est, quod mensuratur tempore: non futuri. Quod si res Physicæ cum tempore desinent, quid fiet de homine, & corpore ejus elementari? Est etiam fallacia à dicto secundum quid: Tempus est rerum Physicarum opposite ad Deum & Spiritus: Simpliciter esse, hoc est semper fore, etiam in altero seculo negatur. In *Quinto* admittitur Elenchus oppositorum. Hactenus enim non opponitur: cum redactio in nihilum per interitum mundi non possit apodicticè doceri ex Scripturâ.

Vindiciæ dictorum *Esa.* 51. v. 6.

Iob. 14. v. 13.

Matt. 24. v. 35.

1 *Cor.* 6. v. 13.

Terræ finis quis in altero seculo.

Creaturæ non intelligentes quatenus capaces perennitatis.

Tempus hujus tantum seculi est.

III. Mundus instaurabitur & renovabitur.

Tertia est plurimorum Theologorum, Veterum juxta ac Neotericorum, qui statuunt mundum non redigendum esse in nihilum, sed in fine seculorum instaurandum & renovandum. Hæc sententia initio *declaranda* est ex Scriptura : inde etiam *demonstranda*.

Modus instaurationis.

Declaratio est ista : Mundus sic instaurabitur, ut igne crematus, & à sordibus veluti repurgatus, novam quasi formam, novas qualitates suscipiat, & ad meliores sanctioresque usus applicetur. *Membra* declarationis quatuor sunt. Primum *de medio repurgationis*, igne; & *modo* per combustionem. Istud membrum ponit Petrus 2 Epist. 3. v. 7. *Qui nunc sunt cæli & terra eodem sermone reconditi, asservantur igni* : item vers. 10. *Veniet sicut fur in nocte dies ille Domini, quo cæli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur* : & vers. 12. *in die Dei cœli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquescent.* Quibus verbis etiam videtur docere, ita cremandum esse mundum, ut in cineres quasi redigatur, & ex cineribus novus mundus producatur : sicut aurum & argentum in catino repurgantur. Alterum *de termino à quo*, qui est vanitas, corruptio, servitus; Roman. 8. vers. 20. *Vanitati mundus hic conditus subjectus est* : & vers. 21. *est sub servitute corruptionis.* Tertium *de termino ad quem ratione formæ & qualitatis* inhærentis, quæ est incorruptio, perennitas : Roman. 8. vers. 21. *Ipse conditus mundus liberabitur ex servitute corruptionis.* De hâc novâ formâ, & novis qualitatibus similiter docet Petrus, cum ait, *exspectari cœlum novum & terram novam* vers. 13. idque secundum promissiones Prophetæ Esaiæ *cap.* 65. *vers.* 17. & *cap.* 66. *vers.* 22. Quartum *de termino ad quem, ratione finis & usus*, libertas: Roman. 8. vers. 31. *Ipse conditus mundus liberabitur ex servitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei.* Hoc membrum de fine & usu etiam addit Petrus, cum inquit vers. 13. *Exspectamus cœlum novum & terram novam, in quibus justitia habitat.* Quod ipsum etiam Paulus indicat 1 Corinth. 7. vers. 31. *Qui utuntur hoc mundo ut non abutentes; præterit enim habitus hujus mundi.* & Johannes 1 Epist. 2. vers. 17. *Mundus præterit & cupiditas ipsius.*

Probatur.

Demonstratio duabus argumentorum classibus concluditur, quarum una habet *testimonia Scripturæ*, altera *Rationes*.

Prima

Prima Classis. Dictis.

Roman. 8. *verſ.* 19. *& seqq.* Ubi renovatio illa quadrifariam asseritur. I. A communi conſenſu fidelium de eâ verſ. 22. *Scimus* : ubi eam ponit pro confeſſa & omnibus notiſſimâ: Sicut verbum illud etiam aliis Scripturæ locis certam & demonſtrabilem ſcientiam denotat, 2 *Corinth.* 5. verſ. 1. 1 *Iohann.* 3. verſ. 5. *cap.* 5. verſ. 18. 19. II. Ab effecto deſtinato, videlicet ἀποκαραδοκίᾳ *intentâ exſpectatione*, verſ. 19. *ſpe*, verſ. 21. *ſuſpirio* & parturitione quaſi creaturæ, verſ. 22. quâ anhelans exſpectat liberationem per proſopopœiam. Deus ipſe indidit creaturæ ardens & conſtans deſiderium vindicationis, & inſtaurationis. Ergo tandem vindicabitur. Quia Deus nihil facit fruſtra : & docet Apoſtolus hoc deſiderium expletum iri. III. A formâ vindicationis, ſive inſtaurationis, verſ. 21. *vindicabitur ex ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ*, id eſt, ἀφθαρσίας ubi uterque terminus evidenter exprimitur : & ſic refellitur eorum gloſſa, qui ſtatuunt ſufficere vindicationi huic, ſi creatura abolita deſinat ſervire impiis hominibus. IV. A pari, videlicet deſiderio credentium, quod confert cum deſiderio creaturarum, verſ. 23. Sicut illi deſiderant, & tandem accipiunt redemtionem corporis : ſic creaturæ incorruptibilitatem. Rom. 8. v, 19. & seqq.

2 *Petr.* 3. *verſ.* 7. 10, 11, 12. Ubi eadem renovatio proponitur. I. Per collationem cum priore mundo, diluvio obruto, verſ. 6. 7. *Qui tunc erat mundus periit* : *Qui vero nunc ſunt cœli & terræ* : Alius mundus dicitur qui periit, ſive, alius mundus ſtatuitur ante & poſt diluvium. At non redactione in nihilum, ſed repurgatione. Ergo : licet multo gravior ; ſicut ignis acrior, penetrantior eſt aquâ. II. A forma interitus & inſtaurationis : *præteribunt cœli*, verſ. 10. id eſt, ſolvetur eorum compages : ut eſt, verſ. 12. *elementa liqueſcent*, ut metalla in igne, *terra exuretur*, & in cineres quaſi redigetur : & ſic fiet *cælum novum & terra nova*, ut immediatè ſubjicitur verſ. 13. Omnia hæc mutationem inferunt, non annihilationem. III. A practicâ applicatione verſ. 11, 14. Deus corruptionem, vanitatem, non poteſt ferre in creaturis, ſed ab iis ipſis inſtaurabit. Ergo & nos ſanctis converſationibus & pietatis officiis nos ipſos innovare debemus. 2 Petr. 3. v. 7. 10, 11, 12.

Pſal. 102.

III. Mundus instaurabitur & renovabitur.

Tertia est plurimorum Theologorum, Veterum juxta ac Neotericorum, qui statuunt mundum non redigendum esse in nihilum, sed in fine seculorum instaurandum & renovandum. Hæc sententia initio *declaranda* est ex Scriptura: inde etiam *demonstranda*.

Modus instaurationis.

Declaratio est ista: Mundus sic instaurabitur, ut igne crematus, & à sordibus veluti repurgatus, novam quasi formam, novas qualitates suscipiat, & ad meliores sanctioresque usus applicetur. *Membra* declarationis quatuor sunt. Primum *de medio repurgationis*, igne; & *modo* per combustionem. Istud membrum ponit Petrus 2 Epist. 3. v. 7. *Qui nunc sunt cœli & terra eodem sermone reconditi, asservantur igni*: item vers. 10. *Veniet sicut fur in nocte dies ille Domini, quo cœli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur*: & vers. 12. *in die Dei cœli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquescent.* Quibus verbis etiam videtur docere, ita cremandum esse mundum, ut in cineres quasi redigatur, & ex cineribus novus mundus producatur: sicut aurum & argentum in catino repurgantur. Alterum *de termino à quo*, qui est vanitas, corruptio, servitus; Roman. 8. vers. 20. *Vanitati mundus hic conditus subjectus est*: & vers. 21. *est sub servitute corruptionis.* Tertium *de termino ad quem ratione formæ & qualitatis inhærentis*, quæ est incorruptio, perennitas: Roman. 8. vers. 21. *Ipse conditus mundus liberabitur ex servitute corruptionis.* De hâc novâ formâ, & novis qualitatibus similiter docet Petrus, cum ait, *exspectari cœlum novum & terram novam* vers. 13. idque secundum promissiones Prophetæ Esaiæ *cap. 65. vers. 17.* & *cap. 66. vers. 22.* Quartum *de termino ad quem, ratione finis & usus*, libertas: Roman. 8. vers. 31. *Ipse conditus mundus liberabitur ex servitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei.* Hoc membrum de fine & usu etiam addit Petrus, cum inquit vers. 13. *Exspectamus cœlum novum & terram novam, in quibus justitia habitat.* Quod ipsum etiam Paulus indicat 1 Corinth. 7. vers. 31. *Qui utuntur hoc mundo ut non abutentes; præterit enim habitus hujus mundi.* & Johannes 1 Epist. 2. vers. 17. *Mundus præterit & cupiditas ipsius.*

Probatur.

Demonstratio duabus argumentorum classibus concluditur, quarum una habet *testimonia Scripturæ*, altera *Rationes*.

Prima Classis. Dictis.

. *Roman.* 8. *verſ.* 19. *& ſeqq.* Ubi renovatio illa quadrifariam aſſeritur. I. A communi conſenſu fidelium de eâ verſ. 22. *Scimus :* ubi eam ponit pro confeſſa & omnibus notiſſimâ: Sicut verbum illud etiam aliis Scripturæ locis certam & demonſtrabilem ſcientiam denotat, 2 *Corinth.* 5. verſ. 1. 1 *Iohann.* 3. verſ. 5. *cap.* 5. verſ. 18. 19. II. Ab effecto deſtinato, videlicet ἀποκαραδοκίᾳ *intentâ exſpectatione*, verſ. 19. *ſpe*, verſ. 21. *ſuſpirio* & parturitione quaſi creaturæ, verſ. 22. quâ anhelans exſpectat liberationem per proſopopœiam. Deus ipſe indidit creaturæ ardens & conſtans deſiderium vindicationis, & inſtaurationis. Ergo tandem vindicabitur. Quia Deus nihil facit fruſtra : & docet Apoſtolus hoc deſiderium expletum iri. III. A formâ vindicationis, ſive inſtaurationis, verſ. 21. *vindicabitur ex ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ*, id eſt, ἀφθαρσίας ubi uterque terminus evidenter exprimitur : & ſic refellitur eorum gloſſa, qui ſtatuunt ſufficere vindicationi huic, ſi creatura abolita deſinat ſervire impiis hominibus. IV. A pari, videlicet deſiderio credentium, quod confert cum deſiderio creaturarum, verſ. 23. Sicut illi deſiderant, & tandem accipiunt redemtionem corporis : ſic creaturæ incorruptibilitatem. *Rom.* 8. v. 19. *& ſeqq.*

2 *Petr.* 3. *verſ.* 7. 10, 11, 12. Ubi eadem renovatio proponitur. I. Per collationem cum priore mundo, diluvio obruto, verſ. 6. 7. *Qui tunc erat mundus periit : Qui vero nunc ſunt cœli & terræ :* Alius mundus dicitur qui periit, ſive, alius mundus ſtatuitur ante & poſt diluvium. At non redactione in nihilum, ſed repurgatione. Ergo : licet multo gravior ; ſicut ignis acrior, penetrantior eſt aquâ. II. A forma interitus & inſtaurationis : *præteribunt cœli*, verſ. 10. id eſt, ſolvetur eorum compages : ut eſt, verſ. 12. *elementa liqueſcent*, ut metalla in igne, *terra exuretur*, & in cineres quaſi redigetur : & ſic fiet *cælum novum & terra nova*, ut immediatè ſubjicitur verſ. 13. Omnia hæc mutationem inferunt, non annihilationem. III. A practicâ applicatione verſ. 11, 14. Deus corruptionem, vanitatem, non poteſt ferre in creaturis, ſed ab iis ipſis inſtaurabit. Ergo & nos ſanctis converſationibus & pietatis officiis nos ipſos innovare debemus. 2 *Petr.* 3. v. 7. 10, 11, 12.

Pſal. 102.

Psal. 102. *v.* 26 27. & *Heb.* 1. *v.* 11. 12. *Psalm.* 102. verſ. 26. 27. *Hebr.* 1. v. 11. 12. Ubi interitum mundi & creaturarum declarat verbo *alterandi, mutandi, innovandi*, ut cum veſtis aliqua interpolatur. At illa verba non notant redactionem in nihilum, ſed repurgationem ac renovationem. Ergo.

Eſa. 65. *v.* 17. & *Cap.* 66. *v.* 22. *Eſa.* 65. v. 17. *Cap.* 66. v. 22. Verba illa, de cœlis novis & terrâ novâ creandâ; intelligenda ſunt de inſtauratione. I. ex interpretatione Petri, qui verba illa allegat 2. *Epiſtol.* 3. v. 13. II. ex ſignificatione verbi *creandi*, quod de Inſtauratione accipitur uſitatiſſimè *Epheſ.* 2. v. 10. 2 *Cor.* 5. v. 17. *Pſal.* 51. v. 12.

Apoc. 21. *v.* 1. *Apocal.* 21. v. 10. explicatur ex Petro, 2 *Epiſt.* 3. v. 6. 7. ubi eodem modo loquitur de mundo ante diluvium. Alia loca tanquam minus evidentia omitto.

Secunda claſſis.

Rationibus. Hæc rationes continet non apodicticas, ſed probabiles, quales ſufficiunt. Nec enim agitur hic de articulo fidei, ſed de quæſtione Theologicâ, de quâ ſalvâ veritate & charitate, licet diſſentire.

q. partes quædam mundi exſtabunt. I. *A partibus mundi novi:* Cujus partes quædam extabunt etiam poſt ultimum judicium, id totum non abolebitur. Atqui partes quædam mundi exſtabunt: nubes, aër, 1. *Theſſ.* 4. v. 17. cœlum novum, terra nova 2 *Petr.* 3. v. 13. Ergo.

q. homini reſtituetur in ſeculo futuro dominium in creaturas. II. *A Dominio hominis in reliquas creaturas.* Dominium hominis in creaturas in Adamo amiſſum in Chriſto plenè nobis reſtituitur: teſte Davide *Pſalm.* 8. v. 5, 6. *& ſeqq.* Atque id non fit in hâc vitâ: uti conſtat. Fiet igitur in altera: & ſic reliquæ creaturæ inſtaurabuntur. Quod & Johannes in *Apocalypſi* docet *cap.* 2. v. 26. 27. *cap.* 3. v. 21. *cap.* 5. v. 10. *& cap.* 22. v. 5. Catecheſis etiam noſtra approbat *quæſt.* XXXII. æternum cum Chriſto regnum in omnes creaturas.

q. vanitas tolletur cum peccato. III. *A remotione cauſæ proximæ ad remotionem effecti:* Sublata cauſâ proxima tollitur effectus. Atqui in fine ſeculi tolletur cauſa proxima vanitatis, corruptionis & ſervitutis creaturarum, videlicet peccatum. Ergo etiam effectus, ipſa vanitas, ſicque creatura erit libera à ſervitute corruptionis: ut loquitur Apoſtolus *Rom.* 8. v. 21.

q. homo eſt renovandus propter quem omnia condita. IV. *Ab analogiâ mediorum ad finem.* Homo finis eſt omnium

mnium creaturarum, propter quem ipsæ sunt conditæ. Atqui homo est renovandus. Ergo etiam creaturæ cum eo. Quæ causa est, quod Apostolus vindicationem creaturæ cum hominis redemtione finali conjungit *Rom.* 8. vers. 22, 23.

PROBLEMA SEXAGESIMUM SECUNDUM.

Quarum creaturarum vindicatio & instauratio promittatur in Verbo Dei, & nobis sit exspectanda?

Censura Autoris post remis vitæ annis propriâ manu huic Problemati adscripta. *Nimis hic nobis, nimis etiam aliis indulsimus, probabilitatis quadam specie: quæ nimis sæpe fallit.*

HOc problema pendet ex priore. Cum enim certa, vel saltem valde probabilis sit creaturarum instauratio, non immeritò quæritur, quibus ea sit obventura. Apostolus *Rom.* 8. vers. 22. dicit πᾶσαν κτίσιν, *omnem creaturam suspirare*, & desiderare vindicationem. Sed num particula πᾶσα collectivè, an distributivè intelligenda sit, non satis convenit inter interpretes. *Origenes* tam laxè sumsit, ut ipsos malos Angelos complecteretur. *Augustinus* contra ita contraxit, ut de solis hominibus vocabula illa intelligeret. *Nos* ut medium teneamus, de propositâ quæstione disseremus κατ' ἄρσιν καὶ θέσιν, *Negative* & *Affirmativè*; ostensuri paucis, quantum quidem probabiliter colligere licet ex Verbo Dei, quæ creaturæ non sint instaurandæ; & quibus contra proposita videatur vindicatio & instauratio.

Rom. 8. v. 22. explicatur.

Prioris generis creaturæ, quæ ab instauratione illa eximuntur, sunt. I. *Omnes creaturæ intelligentes*, ut Electi Angeli & Homines, & Reprobi Angeli & Homines. *Electi Angeli* non indigent instaurationis, utpote beati, qui semper vident gloriosam faciem Patris *Matth.* 18. *vers.* 10. *Electorum Hominum* glorificatio apertè distinguitur ab hâc creaturæ liberatione *Roman.* 8. vers. 22. 23. Denique *Reprobis Angelis & Hominibus* nulla instaurationis spes est proposita: sed manet æterna damnatio *Matth.* 25. vers. 41. II. *Cælum beatorum*, & *tartarus sive infernus damnatorum*: quia utraque sedes à jacto mundi fundamento glorificandis & damnandis parata est, *Matth.* 25. v. 34. & 41. & immutabiliter servatur vers 46. Et cœlum illud expers corruptionis: Infernus non capax instaurationis; non magis quam Diaboli. III. *Spinæ, tribuli, sentes, cardui, & quævis herbæ venenatæ*

Non instaurabuntur 1. Creaturæ intelligentes.

2. Cœlum beatorum & infernus.

3. Spinæ, tribuli, & herbæ noxiæ.

nenatæ, *aut inimici homini* : quæ ex justâ terræ maledictione propter peccatum hominis provenerunt *Genes.* 3. vers. 18. IV. *Omnes illæ creaturæ*, *quæ ex corruptione aut putrefactione enatæ sunt* : *bufones*; *ranæ*, *mures*, *muscæ*, *vespertiliones* : *item quæcunque ex confusâ generatione sunt producta*. *Ratio* : quia non extiterunt à primâ creatione, neque ante lapsum hominis in rerum naturâ locum habuerunt. V. *Omne genus plantarum*; *animantium*, *avium*, *quæ jam interierunt & dissolutæ sunt ante consummationem seculi*. *Ratio*: quia his non promittitur resuscitatio, quæ solorum hominum est. Ergo nec instauratio earum futura est. VI. *Omnia opera artificialia*, *arte & manu humanâ fabricata*, urbes, arces, domus, fabricæ, &c. tum quia exurentur universa, 2 *Petri*. 3. vers. 10. tum quia terrenæ solum vitæ usum spectant : quæ desinet cum hoc seculo.

4. Creaturæ ex putrefactione natæ, vel confusâ generatione productę.

5. Omne genus plantarum & animalium, quæ jam interierunt.

6. Opera artificialia.

Posterioris generis creaturas, quibus parata est instaurationis gloria secundum Apostolum, geminâ conditione circumscribo : *Una*, ut sint ex creatione, si non quoad individua, ut Sol, Luna; saltem quoad speciem : tum quia illæ creaturæ vanitati subjectæ propter peccatum, *Roman*. 8. vers. 20. tum quia restituentur in statum feliciorem, quàm in primâ creatione habuerunt. *Altera*, ut actu superstites sint in hac adspectabili rerum natura, in consummatione seculi. *Ratio* : quia resuscitatio à morte est solius hominis propria. Bruta totaliter intereunt : ut passim docet *Ecclesiastes*, & David quoque *Psalm*. 49. vers. 13. & 21. Sunt autem creaturæ tales.

Instaurabuntur.

si fuerint ex creatione.

si actu fuerint superstites.

I. *Cœlum & terra* *Esa*. 65. vers. 17. *Cap*. 66. vers. 22. 2 *Petr*. 3. vers. 13. *Apocalyps*. 21. vers. 1. Nomine *cœli novi* intelligimus aërem & ætherem. I. quia cœlum instaurandum obnoxium est servituti corruptionis *Roman*. 8. vers. 21. Hæc enim causa instaurationis. Atqui non cœlum beatorum, sed alii cœli inferiores huic servituti obnoxii sunt. Ergo. II. quia aër & nubes etiam post ultimum judicium reliqua futura sunt 1 *Thess*. 4. v. 17. Sic *terra* vocabulum terram renovatam designat : quia justi dicuntur in eâ habitaturi, 2 *Petr*. 3. vers. 13. regnaturi *Apoc*. 5. vers. 10.

1. Cœlum & Terra.

II. *Sol*, *Luna*, *& reliqua corpora cœlestia* : I. quia hæc inde à lapsu Adæ, nunquam suos gemitus, suspiria, parturitiones intermiserunt, *Roman*. 8. vers. 22. ad hoc usque tempus, scilicet inde à lapsu. v. 19. II. quia Sol & Luna in extremo illo die multiplicem

2. Luminaria cœlestia.

plicem splendoris accessionem recipient, *Esa.* 30. v. 29. qui locus mysticè quidem accipitur de gratiâ gloriosâ Ecclesiæ Nov. Test. literaliter verò etiam de istis luminaribus: idque secundum probatos interpretes. III. perpetuitas spiritualis regni Christi ex continuatione Solis & Lunæ adumbratur & illustratur *Psalm.* 89. v. 30. 37, 38. & alibi. *Vsus* porrò illorum luminarium, non is erit, qui in hâc vitâ, ad illuminationem & vegetationem mundi inferioris, ad distinctionem temporum: sic enim negatur de novâ Jerusalem *Apocal.* 10. v. 6. *Cap.* 21. v. 23. Sed remanebunt tanquam æternæ Dei potentiæ, sapientiæ, & bonitatis monumenta, ut ornamenta rerum universitatis, nec non ut secundaria quædam exercitamenta humanæ delectationis & gratitudinis. eorum usus.

III. *Animantia, Volucres, & omnis generis plantæ. Probatur.* I. quia continentur nomine omnis creaturæ vanitati obnoxiæ, & suspirantis pro vindicatione *Roman.* 8. v. 20. 22. II. quia homini restituetur plenum dominium in creaturas peccato amissum: ut supra ex Scripturâ & Catechesi demonstratum. III. Accedit authoritas Theologorum partim veterum *Irenæi, Ambrosii, Hilarii, Oecumenii, Theodoreti:* partim recentiorum *Calvini, Bezæ, Martyris, Oleviani, Rolloci, Tossani, Bucani, Piscatoris: Faji;* qui hanc vindicationem & liberationem creaturæ, non solum ad creaturas inanimes, verum etiam ad ipsas bestias & volucres pertinere docent. 3. Animantia & plantæ omnis generis.

Sed *objicitur.* I. Plantæ, volatilia, bestiæ non amplius humanæ necessitati, aut infirmitati subservient, nec usum sui exhibebunt. Ergo non videntur instaurandæ. *Resp.* negatur sequela. Etsi enim illum usum non habeant, habent tamen alios, summum & subalternum: qui supra expositi. Illustratur ex loco Apostoli 1 *Cor.* 6. v. 13. *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc, & eas abolebit:* ventrem abolebit quoad usum illum: & tamen manebit, quia pars totius. Quemadmodum igitur multa membra, inprimis quoad nutritionem & generationem, non habebunt homines: & tamen habebunt propter perfectionem totius: sic etiam illa supererunt propter perfectionem & decus mundi instaurati. II. Aut omnia animantia, volatilia instauranda, aut aliqua. Si illud: mundus non capiet. Sin hoc, quid causæ cur Deus illa dignetur honore instaurationis præ istis: quum Vsus animantium instauratorum.

 non

Aliqua tantum instaurabuntur.

non minus suspirârint. *Resp.* posterius erit. Mortua enim non resurgent, ut homines: quod & Scriptura docet. Causa Deo nota est. Sufficit ad instaurationem speciei aliquorum vindicatio: in quibus tum erit tota species, sicut initio creationis in primis individuis fuit.

Hæc de proposito problemate sufficiunt, quæ probabiliter secundum Scripturam, non apodicticè disserere voluimus. Plura ac certiora discemus in Scholâ cælesti, cum in instaurationis hujus αὐτοψίαν deducti fuerimus.

PROBLEMA SEXAGESIMUM TERTIUM.

Num eadem numero corpora resurrectura sint? & quâ quantitate ac qualitate?

MEmbra propositi problematis tria sunt. I. de identitate corporum quoad substantiam, num illa ipsa corpora, quæ hic ceciderunt per mortem, sint resurrectura. II. de quantitate corporum resuscitatorum. III. de eorundem qualitatibus. De singulis seorsim.

De Primo.

Anabaptistæ & alii *fanatici* docent non resurrectura illa corpora, quæ hic gestavimus, sed alia à Christo noviter creata. *Servetiani* & *Sociniani* verò etiam corpora spiritualia resuscitatis affingunt. In quo utrique veterem *Manichæorum* errorem sequuntur. Contra hos secundum evidentem Scripturæ veritatem asserimus, *eadem numero corpora, quæ hic gestârunt singuli, & in morte deposuerunt, resuscitanda esse.*

Eadem numero corpora resuscitanda sunt. probatur.

Testimonia Scripturæ extant innumera pro hâc assertione, omnia nimirum illa, quæ veritatem ac certitudinem resurrectionis demonstrant. Duo tamen sunt inprimis evidentia.

Dictis.

Job. 19. v. 25, 26, 27.

Job. 19. v. 25, 26, 27. *Scio redemtorem meum vivere, & posteriorem super pulverem resurrecturum: postquam vermes confoderint istud, evigilante me: tum carne meâ me visurum esse Deum. Idem qui sum, & non alienus visurus sum mihi, & oculi mei adspecturi.*

1 Cor. 15. v. 53. 54.

1 Cor. 15. v. 53. 54. *Oportet corruptibile istud induere incorruptibilitatem, & mortale istud induere immortalitatem. Postquam autem hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem, & mortale istud induerit immorta-*

mortalitatem, tunc fiet illud quod ſcriptum eſt, Abſorpta eſt mors ad victoriam.

Ideo in Symbolo Eccleſiarum Africanarnm dicebatur, *Credo reſurrectionem hujus carnis:* teſte Cypriano *in expoſitione Symboli.*

Rationes præterea idem evincunt

Rationibus.

I. *A proprio ſignificatu verbi reſurgendi:* Quod reſurgit à morte, prius cecidit per mortem. Sunt enim relata, quorum alterum conſtat mutuâ alterius affectione. Sed prius per mortem ceciderunt noſtra corpora ſubſtantialiter, ſive ipſa ſubſtantia. Ergo.

q. idem corpus reſurget, quod cecidit.

II. *ab exemplo Chriſti:* Chriſti corpus idem numero ſubſtantia & materia reſurrexit, *argumento locorum Luc.* 24. *verſ.* 39. *Joh.* 20. *verſ.* 27. Ergo & noſtra corpora eadem numero reſurgent. *Ratio.* conſequentiæ: quia Chriſtus non tantum eſt cauſa efficiens noſtræ reſurrectionis, ſed etiam exemplaris.

q. Chriſti corpus idem numero reſurrexit.

III. *A Dei juſtitiâ.* Hæc poſtulat, ut Sancti non alio, ſed in illo corpore, quod juſtitiam exercuit, remunerationem inveniant: ut item impii puniantur non in alio, aut novo corpore, quod nullum peccatum admiſit, ſed in ſuo proprio corpore, in quo peccarunt *Rom.* 2. v. 6. 2 *Cor.* 5. v. 10. *Eph.* 6. v. 8. 2 *Theſſ.* 1. v. 6. 7. Ergo eadem numero & ſubſtantia corpora ad vitam vel mortem ſunt reſurrectura.

q. eadem corpora debent præmiis vel pœnis affici quæ in vitâ bene vel male egerunt.

IV. *à Comparatis*, analogia regenerationis animæ & corporis, quæ eſt reſurrectio *Matt.* 19. v. 28. Hinc reſurrectio prima & ſecunda. Regeneratio corporis in reſurrectione certâ analogia reſpondet regenerationi animæ, ut patet. Atqui regeneratio animæ non abolet, vel mutat ejus ſubſtantiam, verùm qualitates tantum. Ergò.

q. regeneratio non abolet animæ ſubſtantiam.

Quæ contra *objici* ſolent ab hæreticis, alibi à nobis confutata ſunt. *Scrupulus* tantum eximendus eſt, quomodo poſſit homo reſurgere eadem corporis ſubſtantia, cum ſæpe accidat ut tota, vel major ejus pars à beſtiis, piſcibus, imo ipſis hominibus Anthropophagis abſumatur, ac in eorum ſubſtantiam convertatur? *Reſp.* Hoc Deo facilius eſt facere, quàm nobis dicere. Nos niti debemus ejus tum veritate, tum potentiâ: modum vero ipſius ſapientiæ permittere. Illuſtrat hoc ſimili

Quomodo idem corpus poſſit reſurgere, quod abſumtum eſt ab aliis viventibus.

Augustinus, & ex eo *Lud: Vives*, ac ali: *Si diligens ac ſolers paterfamilias probè novit, ubi quidque reconditum in ædibus ſuis etiam ampliſſimis: quanto magis Deus, cujus infinita eſt potentia, novit, ubi repoſita ſit materia ſingulorum corporum. Et ſi peritus aurifex novit ſecernere metalla, & ſeparare: quanto magis Deus materias corporum, etiam confuſas.* Quæ alii hîc ſpecialius definiunt, omitto.

De Secundo.

Quantitas corporum reſuſcitatorum qualis futura ſit.

Quâ *quantitate*, *ſtaturâ*, & *dimenſionum perfectione* reſurrectura ſint corpora, Scriptura expreſsè non definit. *Apocalyp.* 20. *verſ.* 12. dicuntur quidem ſtare coram judice cœleſti parvi & magni: ſed ratione ordinis ac ſtatus, non autem ſtaturæ ſic diſtinguuntur. Si tamen, quod magis probabile videtur, dicendum; non improbanda eſt ſententia *Mart: Buceri* & aliorum, qui ſtatuunt omnes ex æquo reſurrecturos illâ ſtaturâ, ad quam natura, ubi non aberrat, corpora hîc ſolet perducere ἐν ἀκμῇ, hoc eſt, adultâ ac virili ſtaturâ.

Rationes hæc dari poſſunt. I. à πρωτοκτισία: Adamus & Eva perfecta & adulta ſtaturâ creati ſunt ex pulvere *Geneſ.* 2. *cap.* Ergo noſtra corpora reſuſcitabuntur ex pulvere ſtaturâ eadem. *Ratio:* quia reſurrectio eſt inſtar novæ creationis.

II. Corpora noſtra reſuſcitabuntur glorioſa, *Phil.* 3. v. 21. & cum gloria. 1 *Cor.* 15. v. 43. Ergo etiam perfecta ſtaturâ: quæ pars quædam externæ gloriæ & majeſtatis hominis.

III. In reſurrectione reſtituetur homini plenum dominium in creaturas: uti aliàs demonſtratum. Ergo etiam juſta ſtaturâ dominio illi conveniens.

IV. Si infantes excitati à mortuis retinebunt infantum ſtaturam, etiam ſenes ſenilem, & ſic deinceps ſecundum gradus diſtinctos ætatum. Poſterius alienum eſt à Spirituali & cæleſti conditione. Ergo & prius.

De Tertio:

Qualitates corporum reſuſcitatorum.

Qualitates corporum reſuſcitatorum ad vitam ac gloriam alii alias numerant. Et *Scholaſtici* quidem numerum eorum atque ordinem inveſtigant in cauſâ formali: & quia corpus glorificatum erit

erit lucidum, teste Christo *Matth.* 13. *verf.* 43. quatuor lucis dotes ei attribuunt; *claritatem*, *impassibilitatem*, *subtilitatem*, & *agilitatem.* Sed simplicius fuerit dotes illas eruere ex Paulo, & cum ipso dinumerare, qui hasce quatuor nobis proponit 1 *Corinth.* 15. *verf.* 42, 43, 44. Incorruptibilitatem, Gloriam, Potentiam, & Spiritualitatem. *Incorruptibilitas* est corporum resuscitatorum tum impassibilitas, quod nulli omnino passioni obnoxia erunt; tum immortalitas, quod neque secundum partes corrumpi, neque secundum totum dissolvi possunt. Erit igitur impotentia moriendi, quod non poterunt amplius mori: ut de Christo loquitur Apostolus *Romanor.* 6. *verf.* 9. *Ratio* hæc est: quia & peccatum plene expiatum & expurgatum, & ultimus hostis mors abolitus 1 *Corinth.* 15. *verf.* 26. *Gloria* est corporum resuscitatorum claritas & pulchritudo, quod pulchra, fulgida, & coruscantia erunt, instar stellarum & solis, *Dan.* 12. *verf.* 3. *Matth.* 13. *verf.* 43. oculis mortalibus vix adspectabilia. Hujus præludium & specimem quoddam in Vet. Testam. in Mose', *Exod.* 34. vers. 29. in Novo Testamento in Christo fuit propositum, cum transformaretur in monte *Matth.* 17. *verf.* 2. Resultabit autem à beata visione Dei, quem videbimus sicut est, à facie ad faciem 1 *Iohan.* 3. *verf.* 2. & à glorioso adspectu Jesu Christi in regno suo exaltati. *Modus* illustratur dicto 2 Cor. 3. vers. 18. *Nos omnes retectâ facie gloriam Domini quasi in speculo intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloriâ in gloriam.* Erit gloriæ Dei irradiatio. Quemadmodum qui in sole ambulat, coloratur & quasi refulget. *Potentia* est tum robur corporum glorificatorum, quod erunt valida, robusta ad quidvis efficiendum, quod quidem à creaturâ perfici potest: nam potentia illa non est omnipotentia: tum etiam agilitas ac velocitas, quâ se vel momento movere possunt de loco in locum, ascendere vel descendere, ut vel Christi glorificati exemplo planum est. Hujus *causa* est, quod ab inutili pondere ac fecibus liberata, plena erunt Spirituum: sive puritas & Spiritualitas. *Spiritualitas*, quæ tamen non aboleat veritatem corporis: quandoquidem corpus Spirituale appellatur. Ea autem potissimum consistit in tribus. I. quod corpora ab omnibus terrenis fecibus ac sordibus perpurgabuntur, omnes sensus puriores, omnes motus & actus perfectiores reddentur. II.

Incorruptibilitas.

Gloria.

Potentia.

Spiritualitas.

tur. II. Quod nec cibi nec potus; nec quietis, nec somni, nec ullius alius rei indiga, verum ἰσάγγελα futura sint *Matth.* 22. *vers.* 30. III. quod nunquam se opponent sed semper subjicient Sp. S.& animæ per eum regeneratæ: sicque Spiritualibus tantum actionibus vacabunt. Hujus autem Spiritualitatis *causa* erit perfecta regeneratio non minus corporis, *Matth.* 19. vers. 28. quàm animæ.

Impii resuscitati erunt immortales.

Cum vero etiam *impii* sive reprobi excitandi sint, licet ad mortem: de eorum *qualitatibus* quæritur? *Respondemus* autem, ex qualitatibus supra enumeratis, nullam ipsis convenire, præter primam. Erunt enim corporibus incorruptibiles, immortales. Quod patet partim dicto Christi; *Vermis eorum nunquam moritur*, *Marc.* 9. *vers.* 44. partim etiam ex conditione futuri seculi, quod ἄφθαρτον est. Sed *immortalitas* illa, sive incorruptibilitas, bifariam distinguitur à beatorum immortalitate. I. Adjuncto; *Horum* est etiam impassibilitas: *illorum* non, qui non minus corporibus quam animabus torquebuntur. II. Fine: *Horum* comparata est ad æternam felicitatem recipiendam: *illorum* ad pœnas æternas perferendas, secundum ordinem justitiæ divinæ.

Eorum & piorum immortalitas quid differat.

PROBLEMA SEXAGESIMUM QUARTUM.

Vtrum par futura sit omnium beatorum in cœlis gloria: an verò impar & inæqualis?

Diversæ sententiæ veterum, & Recentiorum.

HÆc *quæstio* olim acriter disceptata est inter *Hieronymum* & *Iovinianum*: quorum *ille* inæqualitatem præmiorum secundum diversitatem meritorum hujus vitæ, *iste* æqualitatem statuit absque meritis. Eodem sensu hodieque agitatur inter *Pontificios* & *Euangelicos*. Nam *illi* fundamenti loco ei substernunt inæqualitatem meritorum, quæ negant Euangelici. *Hi* verò ipsi eatenus etiam inter se de eâ dissentiunt, quatenus alii *affirmantem* sententiam, fore gradus gloriæ cælestis; alii *negantem*, non fore tuentur: nonnulli rem *in medio relinquunt*, quod utraque sententia sit probabilis, & habeat argumenta ex Scripturis, neutra tamen ex iis certò confirmari possit.

Nomina

Nomina Theologorum nota sunt: nec hîc authoritas personarum, sed firmitas argumentorum spectatur. Profiteor autem me non hoc animo aggredi explicationem hujus problematis, quod rem totam necessariis & apodicticis probationibus decidi posse existimem: eas siquidem ex Scripturis vix quispiam protulerit: sed tantùm, ut collatis inter se argumentis, utrius partis probabiliora, & magis verisimilia videantur, salvo meliore judicio, ostendam. Sic ergo sentio: *Probabiliorem esse illorum sententiam, qui statuunt imparem & inæqualem fore beatorum in cœlis gloriam, quàm qui eam parem, æqualem futuram asserunt.*

Probabilius est Inæqualem fore beatorum gloriam.

Declarationis ergo addo duas hypotheses, necessarias cognitu. *Vna* est, inæqualitatem gloriæ cœlestis non ex disparibus hominum meritis, sed ex mera Dei libertate & liberalitate provenire. *Ratio:* quia gratia servamur per fidem absque operibus *Eph. 2. vers. 8, 9.* Et si tota vita æterna est Dei donum, *Roman. 6. vers. 23.* quidni etiam omnes ejus gradus? *Altera:* Sic fore inæqualem gloriam, ut tamen nemini quicquam desit ad perfectam felicitatem: cum Deus sit Deus ad salutem omnimodam, *Psal. 68. vers. 21.* & futurus sit omnia in omnibus, hoc est, omnia in omnibus electis immediatè sit operaturus, quæ ad plenam ipsorum felicitatem pertinent 1 *Cor.* 15. v. 28. Illustratur exemplo luminarium: quæ singula in suo ordine perfecta, & tamen alia aliis præstant decore *v.* 41.

Inæqualitas non erit ex disparibus meritis.

Nemini quicquam ad felicitatem deerit.

Jam sequitur *confirmatio sententiæ affirmativæ* suis argumentis distincta.

Probatur.

Primum à dictis Scripturæ: ceu sunt.

I. Dictis.

Dan. 12. vers. 3. *Erudientes splendebunt quasi splendore expansi, & justificantes multos, ut stellæ in sempiterna secula*; ubi Doctoribus promittitur peculiaris gloria supra reliquos salvandos.

Dan. 12. v. 3.

1 Cor. 15. v. 41, 42. *Alius decor solis, & alius decor Lunæ, & alius decor Stellarum: Stella enim Stellæ præstat decore. Ita erit resurrectio mortuorum.* Sicut gradus lucis statuuntur in Stellis, ita gradus gloriæ in beatis.

1 *Cor.* 15. 41, 42.

2 Cor. 9. v. 6. *Qui serit parcè, parcè etiam metet; & qui serit benignè,*

2 *Cor.* 9. v. 6.

nigne etiam metat: ubi quo largior beneficentia fuerit, hoc liberalior remuneratio promittitur.

Vindiciæ dictorum.

Sed *excipitur* ad singula:

Dan. 12. v. 2.

Dan. 12. v. 3. I. Idem dici, quod prius *vers.* 2. sed magis perspicuè, per exegesin usitatam Scripturæ. II. Quod hîc peculiariter promittitur Doctoribus, hoc Christus ex æquo pronunciat de omnibus justis, quod effulgebunt ut sol in regno Patris sui *Matt.* 13. v. 43. III. Doctorum tamen peculiariter meminit ad muniendos ipsos contra pericula vocationis suæ. *Resp.* I. petitur principium. Imò amplius quid dicitur, nimirum inter eos, qui resuscitandi sunt ad vitam, peculiarem fore gloriam Doctorum: additâ ratione, quod multos erudierint, ad justitiam adduxerint. Ubi non est idem subjectum, nec idem prædicatum, ibi non sunt propositiones æquipollentes & exegeticæ. Atqui hîc non est idem subjectum, nec idem prædicatum: nam *v.* 2. generatim de omnibus piis, *v.* 3. speciatim de Doctoribus tantùm loquitur: *illis v.*2. communiter tribuit vitam æternam: *istis v.*3. singulariter majorem in vitâ æternâ gloriam & splendorem: *Multi ex dormientibus in pulverulentâ terrâ expergiscentur ad vitam æternam;& erudientes splendebunt* &c. II. est elenchus parium. Nam *Matt.*13. Christus de gloriâ cælesti loquitur indefinitè & absolutè: *Dan.* 12. definitè & comparatè, conferentur Doctores cum aliis resuscitatis, quos ipsi erudierunt. III. Datur: Sed hoc pro nobis est. Meminit peculiariter Doctorum, ut eos peculiariter præmuniret, at quo argumento; peculiaris & singularis gloriæ; à quo major stimulus in hâc infirmitate, quam à communi.

1 Cor. 15. v. 41, 42.

1 *Cor.* 15. v. 41. 42. Paulus inde non concludit disparitatem gloriæ: sed solum diversitatem corporis, quod ponitur in morte, & recipitur in resurrectione: Quod tum hypothesis argumenti, tum ipsa conclusio disputationis ostendit v. 44. 53. *Resp.* ita est: nim: quia πρότασιν non applicat secundùm omnes partes, verùm secundùm principalem, quæ erat de diversitate corporum. Interim cum corpora cælestia decore distinguat non solum à terrestribus, quod ad propositum principale faciebat, sed etiam ipsa inter se: utique satis clarè docet non solum diversitatem fore corporum, sed etiam gloriæ disparitatem. Sic igitur colligo: Illa disparitas

paritas corporum cælestium aut ad rem facit, aut non. Si illud, habemus quod volumus. Si hoc, cur ergo tam apertè adhibita?

2 *Corinth.* 9. verſ. 6. quod dicitur, etiam ad Spirituales fructus in hâc vitâ percipiendos pertinere poteſt: imò etiam de majoribus opibus terrenis, quo largius habeant, unde ſint misericordes. *Reſpond.* Apoſtolus optimus ſui interpres aliter rem declarat *Galat.* 6. *verſ.* 8. Sed qui dat eleemoſynas ſive largiores, ſive parciores, modo ſincero corde, ſeminat Spiritui *Cap.* 5. *verſ.* 22. Ergo. 2 *Cor.* 9. *v.* 6.

Secundum à parabolâ talentorum, *Matth.* 25. *verſ.* 14. & *ſeqq.* minarum, *Luc.* 19. *verſ.* 12. & *ſeqq.* ut illic diſparitas præmii, ſic in cœlis gloriæ. II. Parabolis.

Excipitur: Hinc aliud nihil effici, quam qui donis Dei rectè utuntur dignos effici, ut ea ipſis augeantur, multiplicentur. *Reſp.* Imò parabola ad remunerationem vitæ futuræ transfertur. I. quia eſt de Homine nobili peregrè abeunte, & poſt longum tempus redeunte; id eſt, de Chriſto adſcendente cælum, & redeunte ad judicium *Matth.* 25. *verſ.* 14, 19. II. quia ſervi frugi emittuntur in gaudium Domini: nequam ejicitur in tenebas exteriores verſ. 21, 30. III. idem patet ex antecedente parabolâ virginum, & ſequenti deſcriptione ultimi judicii.

Tertium ab Exemplis Patriarcharum, *Matth.* 8. *verſ.* 11. qui tanquam duces ſtatuuntur fidelium in gloriâ; quorum omnium Pater dicitur Abraham: *Roman.* 4. *verſ.* 11, 12. Lazarus cum recipitur in cœlum, deportari dicitur in ſinum Abrahæ: *Luc.* 16. *v.* 22. Prophetarum, Moſis & Eliæ in transfiguratione, *Matth.* 17. *verſ.* 3. *ſeq.* Apoſtolorum, *Matth.* 19. *v.* 28. *Luc.* 22. *v.* 30. quibus omnibus prærogativa defertur cæleſtis gloriæ. Et quid eſt, quod *Apoc.* 4. *v.* 4. *ſeq.* mentio fit omnium fidelium ſub nominibus XXIV. Seniorum, id eſt Parriarcharum & Apoſtolorum? quod item *cap.* 21. verſ. 14. in inſcriptione fundamentorum cæleſtis Jeruſalem peculiaris mentio fit XII. Apoſtolorum? Hæc certè arguunt prærogativam gloriæ & honoris. Ergo eſt diſparitas: ſunt gradus. III. Exemplis.

Excipitur: quod Apoſtolis illic ſingulariter promittitur, id alibi ad omnes Sanctos communiter refertur 1 *Corinth.* 6. *verſ.* 2, 3. *Apocalypſ.* 2. *verſ.* 26, 27. *cap.* 3. *verſ.* 21. *Reſpond.* ſed ſuo ordi-

ordine ac gradu. Eodem modo justi omnes fulsuri dicuntur in regno cœlorum, ut Sol, *Matth.* 13. *verſ.* 43. qui tamen, factâ comparatione, ordine ac gradu lucis distinguuntur 1 *Cor.*15.v.41.

IV. à gradibus donorum.

Quartum: ſunt gradus donorum in hac vita. Erunt igitur etiam gradus præmiorum & gloriæ in altera. *Antecedens* eſt 1 *Cor.* 12.v.4.*& ſeqq.* *Rom.*12.v.6.*& ſeqq.* *Conſequentia* patet: quia Deus ſua in nobis dona coronat. Confirmatur etiam à minori ex *Matt.* 26.v.13.

V. à gradibus pœnæ æternæ.

Quintum: à contrariis: Erit pœnarum diſparitas in gehenna *Matt.*13. *verſ.* 15. *cap.*11. *verſ.*22,24. Ergo etiam præmiorum & gloriæ diſparitas in cœlo. *Ratio* conſequentiæ latet in omnibus illis dictis, quibus Deus retributurus dicitur unicuique ſecundum opera ſua, bona vel mala.

Excipiunt: non valere conſequentiam propter elenchum parium. Nam pœnas impii operibus ſuis, quorum alia aliis pejora, propriè merentur: præmia pii non item. *Reſp.* hactenus diſparitatem eſſe fatemur ex hypotheſi primæ aſſertionis. Valebit tamen hoc modo: Sicut in inferno eſt diſparitas pœnarum propter peccatorum merita: ita in cœlo eſt diſparitas præmiorum ſecundùm gratuitam Dei benignitatem: ut eſt *Rom.*6.v.23.

VI. à diſparitate beatorum Angelorum.

Sextum à pari: Inter Angelos beatos eſt diſparitas quædam ordinis ac glorię. Quidni ergo inter ipſos quoque homines beatos? *Antecedens* probatur dictis Scripturæ *Coloſſ.* 1.v.16.17. *Eph.* 1.*verſ.*21. *Ratio* conſequentię non conſiſtit in eo, quod nos reddemur ἰσάγγελοι, ſed quod Deus eſt Deus ordinis, qui etiam hac ratione ſuam multifariam ſapientiam, & liberrimam bonitatem declarat.

VII. ab ordine reſurrectionis.

Septimum argumentum peti poſſe videtur ab ordine reſurrectionis, quo mortui reſuſcitandi vivos immutandos prȩvertent 1 *Cor*.15.v.51.*&* 1 *Theſſ*.4.v.16.17. Cum autem temporis differentia in glorificatione admittenda ſit, quidni etiam graduum diſparitas admittatur?

Jam ſecundo loco etiam *partis negativæ argumenta*, quod non ſint futuri gradus, ſed potius paritas, æqualitas, paucis ponderabimus.

Matth.20.v.8. 9.ſeqq. explicatur & vindicatur.

Primum ducitur à Parabola laborantium in vinea vario ac diſpari labore; quibus tamen omnibus datur ȩqualiter denarius: & paterfamilias id juſtum eſſe aſſerit *Matth.*20. *verſ.*8,9. Eſt igitur æqualitas

æqualitas præmiorum & gloriæ cœlestis. *Resp.* I. Hæc est applicatio Parabolæ extra scopum Christi, qui liquet partim ex occasione, *cap.* 19. vers. *ultim.* partim ex ἀποδόσει, vers. 16. sic enim etiam murmuratoribus, hypocritis daretur vita æterna. II. Si tamen libeat extra scopum principalem huc accommodare, id tantum sequitur, datum iri singulis unum idemque præmium, videlicet, vitam æternam. Sed id non obstat, quo minus in ipsâ vitâ æternâ futuri sint gradus gloriæ ac beatitatis.

Secundum à dicto Apostoli, 1 *Corinth.* 15. vers. 28. *Deus erit omnia in omnibus.* Ergo in omnibus beatis æqualem gloriam ac beatitatem operabitur. *Resp.* negatur sequela : Hoc sequitur ergo in omnibus operabitur veram, solidam, ac perfectam salutem; sed suo ordine & gradu in singulis : ut docet v. 41. Apostolus. 1 *Corinth.* 15. v. 28. vindicatur

Tertium à dicto Christi *Matth.* 13. vers. 43. *Fulgebunt justi sicut Sol.* At nulla major lux eâ, quâ Sol præditus : & nulli nisi justi ingrediuntur regnum cœlorum. Habebunt igitur omnes splendorem solis, id est, summam & æqualem gloriam. *Resp.* Jam ante dictum absolutè & indefinitè omnes habere splendorem solis; sed comparatè & relatè alios habere splendorem Solis, alios Lunæ, alios Stellarum, secundum Paulum 1 *Corinth.* 15. vers. 41. *Matth.* 13. v. 43. explicatur.

Quartum : Sublatâ causâ ejus discriminis, quod hîc est inter sanctos, etiam ipsum discrimen cessabit, & erit æqualitas. Jam vero in alterâ vitâ tolletur caussa discriminis, videlicet Caro, cui alii plus alii minus addicti, plus minusve profecerunt in regeneratione. Ergo. *Resp.* ad *Majorem* : Sublatâ causâ, scilicet omni. Sed sic *Minor* falsa est, quæ refellitur parabolâ, *Luc.* 19. vers. 12. ubi alius quinque, alius decem urbibus præficitur. In hâc etiam vita, quæ causa discriminis. Non certè ab homine : *Quis te discrevit?* 1 *Corinth.* 4. vers. 7. Sed à dispari gratia Dei. Ut ergo hic dispar gratiæ dispensatio : ita illic gloriæ. Alia argumenta oppugnant inæqualitatem gloriæ ex inæqualitate operum : quam nos non agnoscimus. Causa discriminis omnis non tolletur in alterâ vitâ.

Sic ergo, re in utramque partem disceptata, concludimus fore inæqualitatem, fore gradus gloriæ cœlestis. Quorum autem ex genere humano præcipua gloria futura, solus Deus novit, Quorum sit futura præcipua gloria.

vit, qui eam servis suis paravit. Nos discemus, atque etiam videbimus, cum ab omnibus orbis plagis collecti discumbemus in regno Cœlorum, cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo *Matth.* 8. v. 11. Ex Scripturis tamen tantùm novimus, quod præcellentia illa futura sit. I. Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum: *argumento locorum Matth.* 8. v. 11. *cap.* 19. v. 28. *Apoc.* 4. v. 4. *cap.* 21. vers. 14. II. Doctorum Ecclesiæ: *argumento loci, Dan.* 12. v. 2, 3. III. Sanctorum Martyrum, qui sanguinem fuderunt pro testimonio Jesu *Apoc.* 7. v. 9. *& seqq.*

DEO GLORIA.



PROBLEMATUM THEOLOGICORUM PARS ALTERA:

Continens

PROBLEMATA PRACTICA.

PROOEMIUM.

Sub finem anni superioris absolvimus Problemata Theorica: *non omnia (sunt enim innumera) sed præcipua, & quæ tum ad pleniorem veri* διδασκαλίαν *& illustrationem; tum etiam ad solidiorem falsi* ἔλεγχον *ac redargutionem facere visa sunt. Sequuntur nunc* PRACTICA, *quæ in* πράξει *consistunt, vel ad eam ducunt: ac tam latè patent, quam latè fines vitæ Christianæ atque actionum extenduntur. Classes eorum tres constitui possunt, pro numero usuum Practicorum, quos Apostolus commemorat,* 2 Tim. 3. v. 16. *ad* παιδείαν, ἐπανόρθωσιν, καὶ παράκλησιν. *Sed nos illam distributionem non servabimus, verum secuti prudentiæ legem*, primo loco *ea tradenus, quæ tempori huic calamitosissimo maximè videbuntur accommodata: inde* secundo loco *subjiciemus nonnulla* ζητήματα, *quæ partim in Ministerio Ecclesiastico, partim in vitâ communi difficiles, sed necessarios explitus habent.*

PROBLEMA PRIMUM.

Quid propriè ſit Perſecutio?



Perſecutionis homonymia.

P*Erſecutionis* vocabulum non ſolum generale eſt, ſed etiam medium ſignificatu: quod apud Latinos in bonam & malam partem accipitur. Sed per Synecdochen generis hoc loco ſumitur de inſectatione & afflictione Eccleſiæ Dei. Specialior eſt vox Græca διωγμὸς, qua utitur Scriptura N. Teſt. utuntur item Scriptores Eccleſiaſtici, qui διωγμὸς χριστιανῶν deſcripſerunt. Hæc ſiquidem exagitationem, vexationem & infeſtationem proprie & uſitatè ſignificat.

Synonymia. *Synonyma* ejus varia ſunt, propria & figurata, quæ Paulus conjungit, *Rom.*8. v.35. Chriſtus *Crucem* vocat, *Matth.* 16. v. 24. item *Poculum* ac *Baptiſma cap.* 20. v. 22, 23. *Crucem* per ſynecdochen ſpeciei metonymicam. Nam metonymicè ſupplicium crucis, quod in cruce ſive patibulo toleratur, *Crux* dicitur. Synecdochicè verò per unam ſpeciem ſupplicii, eamque longè graviſſimam, reliquæ ſpecies omnes, adeoque totum genus denotatur. *Poculum* per metaphoram metonymicam: comparatur enim potioni amaræ, quæ in poculo propinari ſolet à medicis & aliis. *Confer Pſal.* 75. v.9. *Baptiſma* item per metaphoram, à contumelioſâ perfuſione, qualis eſt cum quis perfunditur lotio, ut Legati Romanorum Corinthi. Simul tamen vocabulo illo innuitur Sacramentum Baptiſmi in Nov. Teſt. habere ſignificationem crucis Chriſti cauſsâ ferendæ ac ſuſtinendæ. *Confer Rom.* 6. v. 3. 4. 5. 6. Hæc de declaratione Nominis brevibus. Jam quid propriè ſit Perſecutio definitione pateſcet; quæ talis eſt:

Crux. Poculum. Baptiſma.

Definitio. *Perſecutio eſt violenta ac fraudulenta oppugnatio & afflictio Eccleſiæ & membrorum ejus, propter confeſſionem veritatis Euangelicæ ac veri Dei cultum ab hoſtibus Eccleſiæ inſtituta.*

Conſtat igitur *Genere* & *Differentiâ*: uti notum eſt.

Generis

Generis loco ponuntur *Oppugnatio & Afflictio*, quæ latius omnino patent, quàm Persecutio speciatim dicta. Nam etiam ipsi hostes Ecclesiæ se invicem oppugnant, affliguunt, & conficiunt; ut cum gladii Midianitarum in ipsos Midianitas versi sunt *Iud.7.v.22.* Et Ecclesia oppugnatur & affligitur nonnunquam etiam alias ob causas, quam propter Religionem, ejusque confessionem: ut *Liber Iudicum* testatur. Conjunguntur autem duo illa; quia oppugnatio Ecclesiæ nunquam penè est irrita, sed ferè cum gravi ejus afflictione & læsione conjuncta: licet nunquam in tantum oppugnetur, ut devicta succumbat hostibus. Nimir: quia portæ inferorum nunquam prævalebunt adversus Ecclesiam: ut est *Matth.16.v.18.* Oppugnatio Ecclesiæ pingitur illustri metaphorâ domus supra petram ædificatæ *Matth.7.v.24,25.* Afflictio autem exemplis innumeris per totam Scripturam comprobatur: de quibus postea. Genus Oppugnatio & Afflictio.

Differentia triplex est: quæ partim à *Modo* oppugnationis & afflictionis, partim à proprio ejus *Subjecto*, partim denique à *Causis* sumitur. Differentia sumitur.

Modus vim sive violentiam, & *Dolum* complectitur: juxta illud Poëtæ: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* Et alterum Lysandri: *Vbi non proficit leonina, assumenda est vulpina. Probatur* I. ab ingenio Satanæ, qui mendax & homicida à principio *Ioh.8.v.44.* II. argumento *Psal.2.v.1,2.* Ubi Reges & Principes consilia ineunt, plebs tumultuatur, furit. III. Exemplis Pharaonis circa pueros *Exod.1,2. capp.* Samaritanorum & aliorum hostium contra Judæos in reædificando templo *Esdr.4.5. capp.* Herodis contra Christum *Matth.2.cap.* Judæorum contra Christum *Mat.22.& seqq.capp.* & contra Stephanum *Actor.6.7. capp.* Alii tamen Persecutores magis vi, alii dolo magis utuntur. *Vi*, ut Impp. Romani Gentiles. *Dolo*, ut Julianus Imp. Et sic nunc multis in locis Pontificii, qui blanditiis, illecebris honorum, & aliis modis uti malunt, quam gladiis, furcis, ignibus: tum quia viderunt, se sic minus profecisse; tum quia discrimen faciunt inter Apostatas, quales fuisse ajunt Patres nostros; & Apostatarum liberos. Secundùm hunc modum *gradus* constitui possunt Persecutionum, sive oppugnationis & afflictionis, qui ferè omnes enumerantur *Heb.11.v.35.36.& seqq.* I. Ignominia, ludibria, & injuriæ verborum: Exemplo Jeremiæ, *passim*; Amosi *cap.7.* Christi *Mat.12.* I. à *Modo*, Vi & Dolo. Cur Pontificii nunc magis dolo utantur quam vi. Gradus Persecutionum

*Johan.*7.8.*capp.* II. Inhibitio Ministerii & cultus publici: Exemplo Apostolorum *Act.*5.v.40. III. Spoliatio bonorum: ut innumerabiles Judæi sub Maccabæis, & *Hebr.*10.v.34.IV.Exilia: exemplo Davidis, 1 *Sam.*26.Eliæ, 1 *Reg.*19. Christi *Matth.*2. V. Carceres; quos Jeremias ter expertus est, *cap.*37.38.Micha, 1 *Reg.*22. Apostoli *Actor.*4. VI. Omnis generis supplicia, quæ κατ' ἐξοχὴν *Martyria* dicuntur, denominatione à fine, h e. à martyrio sive testimonio veritatis & nominis Jesu: in *Apocalypsi* passim. Quibus etiam affecti Zacharias, 2 *Chron.* 24. Esaias serrâ, ligneâ à Manasse dissectus *Hebr.*11.v.37.

II. à *Subjecto*. Ecclesiâ ejusque membris

Proprium Subjectum persecutionum est *Ecclesia ac membra ejus.* Sic enim Christus Johan.15.v.19. *Si ex mundo essetis, mundus quod suum est diligeret; quia verò ex mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo propterea odit vos mundus.* Et Paulus 2 Tim.3.v.12. *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Idem constat ex causâ impulsivâ Persecutionum, Confessione Euangelii, & veri Dei cultu. Utraque autem causa in solâ Ecclesia deprehenditur & locum habet. Ergò cum de Superstitionibus suis hostiliter digladiantur impii: dum Turcæ & Persæ propter diversas & inter se pugnantes Alcorani interpretationes decertant, (quorum alii Homer, alii Ali sequuntur magistrum) non est persecutio dicenda; quia nulla est Ecclesia.

III. à *Causis* Efficientibus, Hostibus Ecclesiæ apertis.

Causæ Persecutionum exprimuntur duplices, Efficientes & Impulsivæ. *Efficientes* uno nomine communi dicuntur *Hostes Ecclesiæ.* Intelliguntur autem Hostes, tum *aperti*: ut Satanas, qui ut leo rugiens obambulat, quærens quem absorbeat 1 *Petr.* 5. v. 8. & *Apoc.*12.*& seqq.capp.* Pagani & Gentiles omnes, *Psal.*79.v.1. & 83.v.7,8,9. & Antichristiani, qui gentium nomine notantur in

occultis.

Apocalypsi: *cap.*11.v.2.tum *occulti*: ut Hæretici, qui ceu lupi graves non parcunt gregi, *Act.*20.v.29,30. & Hypocritæ clam nocentes & obsistentes commodis Ecclesiæ. *Impulsivæ* sunt *Confessio veritatis Euangelicæ & veri Dei cultus.* Nam hæc ferre non possunt hostes Ecclesiæ, & movent eos ad persequendum. *Probatur* Dictis Scripturæ apertissimis: Matth.5.v.10,11. *Beati quos persequuntur homines justitiæ causâ, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati eritis, cum vos convitiis affecerint, & persequuti fuerint, & mentientes dixerint quidvis mali adversus vos, propter me.* 2 Timoth. 3. v.12. *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

Impulsivis, Confessione veritatis Euangelicæ & vero Dei cultu.

1.Pet.

1 Petr.3.v.14. *Si quid perpetiamini propter justitiam, beati estis.* Cap.4. v.14,15,16. *Sic convitiis afficimini in nomine Christi, beati estis; quoniam & ille gloriæ, & ille Dei spiritus super vos requiescit: qui quod ad illos quidem attinet, blasphematur; quod ad vos autem glorificatur. Ne enim quisquam vestrum malo afficiatur ut homicida, aut fur, aut maleficus aut alienarum rerum inspector, sed si ut Christianus, ne pudefiat: imo glorificet Deum hoc respectu.* Ubi notanda antithesis contrarii, inter causas afflictionum; quas pias, religiosas esse vult; damnat autem impias, & politicas. Sic ergò qui persecutionum patiuntur sunt *innocentes*, quoad persecutores suos, sive coram mundo. *Non item* coram Deo, coram quo meriti sunt virgas & castigationes. Atque hoc respectu una eademque Persecutio sæpe est tum *δοκιμασία* sive *μαρτύριον*, tum etiam *τιμωρία*. *Illa* quatenus infertur & sustinetur propter Euangelii confessionem. *Ista* quatenus Deus etiam hac ratione visitat & castigat suorum peccata.

Ex his jam tres *Notæ verorum Martyrum* colligi possunt. Sunt tales I. *Christiani*, membra Ecclesiæ. 1 *Petr.*4.v.16. *Si ut Christianus*, (scilicet malo afficiatur) *ne pudefiat*: ubi tamen simul causa notatur. Non sunt infideles, superstitiosi, fanatici; qui Martyres Diaboli. II. *Innocentes*, nihil tale commeriti: Nam etiam Christiani possunt mereri supplicia. De quo Petrus *ibid.* vers.15. III. *Propter nomen Christi*, sive *propter religionem Christianam*. Nam etiam innocentes aliis de causis affligi possunt, ut religio propriè non attentatur. De quo iterum Petrus *eod.cap.* v.14. & Christus ipse *Matth.*5.v.11. beatos prædicat qui persecutionem patiuntur propter se. Hinc vetus illud: *Non supplicium, sed causa facit Martyrem.* (Notæ verorum Martyrum.)

PROBLEMA SECUNDUM.

Quæ fuerint præcipuæ Persecutiones Ecclesiæ Dei?

Ecclesia Dei semper ferè obnoxia fuit Persecutionibus, & vix ulla ætas ab iis immunis exstitit: Ut non immerito canat Poëta Christianus: (Ecclesiæ constans comes Persecutio.)

Sanguine fundata est Ecclesia; sanguine cœpit;
Sanguine succrevit; sanguine finis erit.

Testatur id Historia tam Sacra, quàm Ecclesiastica: quibus agones & pericula Ecclesiæ descripta continentur. Nec obscura *ratio* est. Cum enim bellum ἄσπονδον, & inimicitiæ implacabiles atque æternæ in ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis fixæ sint inter semen mulieris &. semen serpentis, inter civitatem Dei & civitatem Diaboli; mirum non est, si semen impium semen pium indesinenter oppugnet, & illius civitas contra hanc perpetuo aliquid machinetur. Ubi tamen duo prænotanda sunt:

Ratio.

Ecclesiæ quandoque conceduntur halcyonia.

Vnum est; Deum nonnunquam halcyonia concessisse & concedere Ecclesiæ suæ, quibus respiret à persecutionibus, & in cœtus se recolligat. Neque enim Diabolum & hostes Ecclesiæ pro ipsorum libidine grassari sinit, sed definitis à se modi, temporis, ac durationis limitibus. Cujus illustria præ aliis exempla occurrunt in V. T. sub regno Salomonis, in N.T. sub Imperio Constantini Magni. Et huc pertinet quod de ligando Dracone ad annos 1000. prædictum est *Apoc.* 20.v.1,2. *& seqq.*

Persecutiones N.T. graviores quam V.T.

Alterum est; Etsi Persecutiones communes sunt utriusque Testamenti Ecclesiæ; tamen & plures, & diuturniores, & illustriores quoque obvenisse in Nov. Test. quam in Vetri. Cujus discriminis non una *ratio* dari potest. I. Ecclesia Vet. Test. fuit infans, sub pædagogo constituta *Galat.* 4.v.1,2. quæ nec luce cognitionis, nec ardore zeli conferenda est cum Ecclesiâ Nov. Test. ipso Christo attestante *Matth.* 11.v.11, 12. Sicut igitur Christus discipulis pepercisse legitur, nondum satis præparatis ad duriora exercitia ac certamina *Matth.* 9.v.15. ita Deus pepercit populo Israëlitico. Nec obstant perpetuæ quasi afflictiones ejus. Eas enim majorem partem non tam propter religionem, quàm propter defectionem à Deo, aliaque peccata sustinuit. II. Ecclesia V.T. non ita latè diffusa fuit, sed angustis unius provinciæ finibus inclusa. Proinde nec ubique permixta gentibus profanis & idololatricis: neque etiam earum omnium odiis, contradictionibus, & persecutionibus exposita, ut Ecclesia N.T. *Actor.* 28.v.22. III. quia Satanas in V.T. & longius tempus habuit ad concitandas & exercendas persecutiones, & quietam regni possessionem in omnibus gentibus obtinuit. At in N.T. novit tempus suum breve esse; ut dicitur *Apoc.* 12.v.12. & à fortiore possessione regni in gentibus est dejectus *Mat.* 12.v.29. sicut fulgur de cœlo cadit *Luc.* 10. v.18.

Rationes. I.

II.

III.

v.18. Unde nunc magis furit, acrius instat, & majori violentiâ grassatur.

His præmissis accedo ad commemorationem *præcipuarum Persecutionum*, quas passa est Dei Ecclesia. Memoriæ verò causâ eas distinguo pro conditione Ecclesiæ in Persecutiones *Veteris & Novi Testamenti*.

Persecutiones Vet. Test. dicuntur, quas Ecclesia Dei ab initio mundi usque ad Christum in carne exhibitum perpessa est; & κατ' ἐπιτομὴν recensentur Hebr. 11. cap. Harum autem aliæ *Particulares* fuerunt, aliæ *Universales*. *Persecutiones V.T.*

Particulares sive *Personales* sunt, quæ adversus certas personas in populo Dei, inprimis vero adversus sanctos Dei Prophetas susceptæ sunt atque exercitæ. De his *Christus* loquitur *Matth. 5. v. 12. Ita persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos* & expressius *cap. 23. v. 29 & seqq.* inprimis *v. 35.* & 37. ubi Hierosolyma *trucidatrix Prophetarum, & lapidatrix eorum qui ad eam missi sunt*, dicitur. *Stephanus* item *Act. 7. v. 52. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? trucidarunt, inquam, eos qui prænunciarunt adventum Iusti illius, cujus nunc vos proditores & interfectores facti estis. Exempla* ad hanc classem pertinentia sunt ista. *Abel* protomartyr V.T. odio religionis à Caino fratre interfectus *Genes. 4. v. 8.* Patriarchæ *Abraham, Isaac & Iacob* à Cananæis aliisque, inter quos vixerunt, variè exagitati & infestati; ut historia *Geneseos* testatur: cum tamen fuerint Prophetæ Dei *Ps. 105. v. 9, 10. seqq. Isaac* ab Ismaële derisus & injuriis affectus *Genes. 21. v. 9.* quod exemplum peculiariter allegat Apostolus *Galat. 4. v. 29. Iacob* propter benedictionem & primogenituram ab Esavo ad mortem quæsitus & domo pulsus *Genes. 27. & 28. capp. Ioseph* propter somnia & revelationes divinas à fratribus odio habitus, neci destinatus, & tandem in Ægyptum venditus *Genes. 37. Moses* propter officium divinum minis fratrum Ægypto pulsus *Exod. 2.* de quo plenius Stephanus *Act. 7. v. 25. & seqq. Iob* propter justitiam & sincerum Dei cultum calumniis & injuriis Satanæ ad extrema redactus *cap. 1. & 2. David* propter vocationem divinam ad munus Regis & Prophetæ variis persecutionibus jactatus, & tandem in exilium pulsus à Saule 1 *Sam. 21. & seqq. capp. Elias* à Iezebelâ ad mortem quæsitus, & ejectus 1 *Reg. 19. Michas* in carcerem conjectus & duriter tractatus 1 *Reg. 22. Elisæus* à Syris postulatus, & à Joramo Rege Israëlis morti destinatus

Particulares.

Exempla.

natus 2 *Reg.6.*v.13.31.*Zacharias* filius Jojadæ Sacerdotis lapidibus obrutu 2 *Chron.*24.v.20,21,22.*Amos* injuriis affectus & pulsus *cap.*7.v.12.*& seqq.Esaias* serrâ ligneâ sub Menasse dissectus; quo spectat Apostolus *Hebr.*11.v.37. *Ezechiel* variis injuriis affectus à popularibus suis, teste prophetiâ ipsius.*Vrias* ex Ægypto reductus supplicio afficitur *Ierem.*26.v.21.*seqq.Ieremias* ter incarceratus; in Ægyptum captivus abductus; & tandem sub Aprye rege lapidibus obrutus, ut liber ipsius docet. *Sadrach, Mesach & Abednego* in fornacem ignis conjecti à Nebucadnezare, quod cultum idoli recusassent *Dan.*3.*cap.*Daniel in foveam leonum conjectus, ob negatum Dario Regi honorem religiosæ adorationis *Daniel* 6.*cap.* Hæc de Persecutionibus Particularibus sive Personalibus.

Vniversales. *Vniversales* succedunt, quæ adversus totam Ecclesiam, sive adversus totum populum Dei ab hostibus ejus institutæ fuerunt. Et sunt sex potissimæ: *Ægyptia*, *Israelitica*, *Assyria*, *Samaritana*, *Persica*, & *Syria*.

I. Ægyptia. ÆGYPTIA est, quam impius tyrannus Pharao exercuit adversus Israëlitas, tum in Ægypto commorantes adhuc, *Exod.*1.2.*& seqq.capp.*tum ex eâ jam dimissos *cap.*14 Hanc ut inter persecutiones religionis causâ censeam, duo faciunt: I. quia suscepta adversus Israëlitas tanquam populum Dei, miraculosè multiplicatum & conservatum. II. quia Apostolus *Hebr.*11. v.26. ærumnas populi vocat probrum Christi, quod Christi causa tolerabant, & in Christum ipsum, caput hujus populi, redundabat

Persecutiones Cananæorũ, Midianitarum, &c. non fuerunt institutæ religionis causâ. Huic persecutioni nonnulli subjiciunt alias, quas populus toleravit à *Cananæis, Midianitis, Moabitis, Philistæis*,&c.& in *Iudicum libro* describuntur. Sed huc propriè non pertinent. *Ratio* duplex est: *Vna* quia inflictæ à Deo sunt populo propter apostasiam & multiplicem idololatriam: ut historia docet. *Altera*: quia hostes non tam religionem quam regionem petiverunt: Ideo sibi vectigalem fecerunt populum.

II. Israelitica. ISRAELITICA, quam Achab Rex Israëlis & conjunx ejus Jezebel moverunt adversus Prophetas Dei, & populum perseverantem in sincero Dei cultu. Et *Prophetas* quidem alios occiderunt, qui nim. non fuerunt subducti ipsis & occultati, alios in exilium pepulerunt 1 *Reg.* 18. v.13. 2 *Reg.*9.v.7. *Populum* verò pium ad illam paucitatem redegerunt, ut conquereretur Elias se solum relictum esse 1 *Reg.*19. v.14. Quod tamen refutat divinum responsum.*vers.*18.& Paulus ad Ecclesiam sui temporis applicat *Rom.*11.v.3,4,5.

III. Assyria. ASSYRIA, quam

Rex

Rex Assyriæ Sanacherib movit adversus Jerusalem & Judæos: quos à fide veri Dei blasphemis sermonibus & pollicitationibus avertere conatus est. Describitur 2 *Reg.* 18, 19. *&* *Esa.* 36, 37. *capp.* SAMARITANA, quam Samaritani duce Sanaballat, & alii populi circumjacentes concitarunt adversus Iudæos in patriam reduces, & templi cultusque publici instaurationem molientes. Describitur in libris *Esdræ & Nehemiæ.* Et ad tempus quidem impedierunt opus. Post verò cum perfectum jam esset, litem moverunt Iudæis de veritate religionis, & loco adorationis in monte & templo Garizim: cujus etiam meminit mulier Samaritana *Ioh.* 4. — IV. Samaritana.

PERSICA: Hæc in Perside mota est contra reliquam captivorum Judæorum multitudinem sub Assuero Rege, quem Xerxem fuisse ostendit Scaliger, idque instigatu impii Hamanis. Describitur autem in libro *Esthræ.* — V. Persica.

SYRA à Syriæ Regibus Antiocho Epiphane, Antiocho Eupatore, & eorum successoribus excitata. Hæc gravior fuit cæteris omnibus, & à quibusdam sola numeratur inter persecutiones, quod tantum propter religionem & ejus odio suscepta est ab impiis tyrannis. Nobilitatur inprimis martyrio Eleazari, septem fratrum & matris eorum 2 *Maccab.* 6. *&* 7. *capp.* Allegat etiam nonnulla Apostolus *Hebr.* 11. *cap.* Plena descriptio habetur in *duobus libris Macabæorum.* Non displicet sentententia eorum, qui putant hanc persecutionem prænunciam fuisse aliarum, quæ sub Nov. Test secuturæ erant, multò etiam hâc ipsa graviores: Ut vel hinc moniti intelligerent, sub Nov. Test. exspectandum non esse regnum terrenum. Satis de persecutionibus Veteris Testamenti. — VI. Syra.

Persecutiones Nov. Test. vocantur, quas Ecclesia Dei inde à Christo incarnato ad hoc usque tempus sustinuit, & deinceps usque ad finem mundi passura est. — *Persecutiones* N.T.

Etsi enim Christus *princeps pacis* appellatur, *Esa.* 9. v. 6, 7. tamen pax illa non est *pax mundi, Ioh.* 14. v. 27. sed *pax Dei, Rom.* 5. v. 1. captum omnem humanum excedens *Phil.* 4. v. 7. De *Mundi* vero *pace* loquitur Matth. 10. v. 34, 35. *Ne putate me venisse immissurum pacem in terram; non veni immissurus pacem, sed gladium. Nam veni facturus ut dissideat filius à Patre suo, & filia à matre suâ, & nurus à socru suâ.* Quod tamen accidit non per se, sed per accidens, hominum culpâ, pertinaciter adversantium Euangelio, quod est odor vitæ juxta & mortis 2 *Corinth.* 2. v. 16. Cæterum etsi variæ ac penè innumerabiles sunt persecutiones N.T. — Christus Princeps pacis, & quatenus.

tamen

tamen non incommodè ad quinque hasce classes, tanquam summa genera, revocantur: ut sunt Persecutio *Iudaica*, *Pagana sive Gentilis*, *Ariana*, *Mahometana*, & *Antichristiana*.

I. Iudaica.

Prima ordine & tempore est JUDAICA, quam Judæi, horumque Proceres Ecclesiastici & Politici adversus Christum ejusque Ecclesiam moverunt. Ea multifariam prædicta fuit in Vet. Test. atque etiam adumbrata persecutione Ismaëlis contra Isaacum *Galat*.4.v.29. Certis autem gradibus processit & exercita est, sensimque invaluit. *Initium* factum est à *pueris Bethlehemiticis*, quos nulla ipsorum culpa, sed Christi causa, mactari jussit Herodes Magnus Rex Judæorum *Matth*.2.v.16. *Secundus* fuit *Iohannes Baptista*, quem Herodes Antipas capite truncari curavit *Matth*.14.v.10. *Tertius* fuit ipse Servator noster *Christus*: in cujus historiâ, ab Euangelistis descriptâ, tres gradus persecutionis notari possunt. I. est *Exilium infantis*, in Ægyptum metu Herodis deportati *Matth*.2.v.14,15. II. *Pericula Ministerii*; quæ creata ipsi partim à Diabolo tentatore *Matth*. 4. partim à Judæis, qui modo Christum capere *Iohan*.7.v.30.44. modo interimere, lapidare *Iohan*.5.v.16.18. & *cap*.8.v.59. modo de præcipitio montis deturbare voluerunt *Luc*.4.v.29. partim denique ab Herode Antipâ, qui vitæ Christi insidiatus est *Luc*.13.v.31.32. III. *Supplicium crucis*, quo prodente Judâ, & flagitantibas Judæis affectus est à Pontio Pilato præside *Matth*.26.27.*capp*. Successerunt deinde post resurrectionem & adscensionem Christi, Apostoli & discipuli ipsius: prout historia *Actuum Apostolorum* docet. *Petrus* & *Iohannes* capiuntur, & cum gravi interminatione dimittuntur *Actor*.4. v.1, & *seqq*. *Apostoli* capiuntur in templo, & virgis cæduntur *Act*. 5.v.11. *Stephanus* lapidibus obruitur *Actor*.7.v.60. qui *protomartyr N.T.* dici consuevit, nim: eorum respectu, qui pro confessione Jesu Christi, resuscitati à mortuis, vitam posuerunt. Nonnulli *Protomartyrem* vocant ipsum *Christum*, tum quia dicitur ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς *Apocal*. 1.v.5. tum quia supplicium ipsius finis minus principalis respectu, fuit martyrium veritatis *Iohan* 18.v.34. Sed usitatius est prius. *Ecclesia Hierosolymitana* dissipatur violentiâ persecutionis *Actor*.8.v.1,2. *Iacobus* gladio percutitur ab Herode Agrippâ; *Petrus* autem incarceratur & divinitus liberatur *Act*.12.v. 1. & *seqq*. *Paulus* Damasci corbe demittitur è muro, ut capitis periculum evadat *Actor*.9.v.25. pellitur Antiochiâ unà cum Barnaba

[Margin notes: in statu Exinanitionis Christi. — in statu Exaltationis Christi. — Protomartyr N.T. cur dicatur Stephanus. cur item Christus.]

naba, *cap.*13.v.50. ejicitur Iconio, *cap.*14.v.5,6. lapidatur Lystris *vers.*19. Philippis virgis cæsus in custodiâ ponitur, *cap.* 16. vers. 22,23. Corinthi in jus vocatur, *cap.* 18. v.12. Ephesi graviter periclitatur *cap.*19.v.29,30. Hierosolymis cęditur in templo, capitur, vinctus Cæsaream primùm, inde Romam periculosissimo itinere & facto naufragio raptatur, *cap.*21.*& seqq. usque ad finem:* Has aliasque ἀγωνίας suas ipse refert 1 *Corinth.* 4. vers. 11, 12, 13. 2 *Corinth.* 11. *cap.*

Secunda Persecutio est PAGANA sive GENTILIS, quam Imperatores Romani, & alii religione vel potius superstitione Pagani sive Gentiles, odio Christianæ Religionis, incredibili immanitate exercuerunt. Sub hâc classe vulgo comprehenduntur decem illæ insignes Persecutiones Christianorum sub Impp. Romanis: quem numerum nonnulli veterum opinati sunt respondere decem plagis Ægypti: Iidemque in hâc sententiâ fuêre, post decem illas unam solum restare, vid. quæ sub Antichristo secuta est. Sed eam meritò confutavit Augustinus *lib.*18.*de Civit. Dei cap.*52. ubi ostendit & alias Persecutiones, quæ in Euangeliis & Actis describuntur, præcessisse; & plures secutas esse & secuturas usque ad mundi finem: ut numerus persecutionum omnium non videatur ita exactè esse definiendus. In quo judicio etiam nos acquiescimus. Nihilominus tamen distinctionem illam tritam & familiarem non simpliciter improbamus, sed cum restrictione admittimus: vid. ut intelligatur de persecutionibus generalibus, ante Constantinum Magnum ab Impp. Ethnicis excitatis. Persecutiones igitur omnes secundæ hujus classis *partim* antecesserunt Imperium Constantini Magni, *partim* secutæ sunt. *Præcesserunt* decem illæ nobiliores, modo commemoratæ. *Prima* sub *Nerone*, quâ Paulus capite truncatus est, Petrus palo affixus: teste Eusebio *lib.* 2. *hist. Eccles. c.* 25. *Secunda* sub *Domitiano*, qui Johannem Apostolum Epheso relegavit in Pathmum, ut annotat Eusebius *lib.* 3. *cap.*17.*& seqq.* Nicephorus, Cedrenus, & alii eâdem hâc persecutione Timotheum quoque, Onesimum, & Dionysium Areopagitam martyrio coronatos esse prodiderunt. *Tertia* sub *Trajano*, qua Simon Cleophæ cruci adfixus, Ignatius bestiis laniandus objectus fuit. Eusebius *lib.*3. *cap.* 32. *Quarta* sub *Antonino Vero*, cognomento *Philosopho*, quæ nobilitata est martyrio Polycarpi discipuli Johannis, itemque Justini Philosophi & martyris. Eusebius *libr.*4.

II. Pagana:

De numero persecutionum N. T. Veterum sententia.

Rejicitur.

Persecutiones Paganæ

ante Constantinum Magnum, decem.

Quinta ſub *Severo*, in quâ Leonides, pater Origenis glorioſâ martyrii morte defunctus eſt. Euſebius *lib.*5. *Sexta* ſub *Maximino*, quæ ſolo odio in Alexandrum Severum Imp. qui non obſcurè faverat Chriſtianis adverſus ipſos, & maximè contra Eccleſiarum Antiſtites exarſit. Euſebius *lib.6. cap.*28. *Septima* ſub *Decio*, quæ multos ſanctos homines, & inter hos Fabianum Epiſcopum Romanum, itemque Laurentium abſtulit. *Octava* ſub *Valeriano*, in quâ periit Cyprianus, capite truncatus. *Nona* ſub *Aureliano*, quæ tamen non diu duravit, ſed morte ipſius fuit interrupta. Ideò à quibuſdam inter decem perſecutiones non numeratur. *Decima* ſub *Diocletiano*, quæ fuit ſuperioribus omnibus & diuturnior, utpote decennalis; & crudelior atque immanior. Perierunt eâ multa millia, ut apud Euſebium, Sulpitium Severum, & alios videre eſt. *Secuta ſunt* nonnullæ aliæ, non minus memorabiles. *Prima* ſub *Iuliano Apoſtata* Imperat. quæ quia perſuaſione mixta erat, ut Nazianzenus ait, ideo ſuperioribus omnibus & nocentior fuit & pernicioſior. Artes ejus & technæ notæ ſunt ex hiſtoriis. Inter cæteros Epiſcopos inprimis perſecutus eſt Athanaſium. *Secunda Perſica* ſub aliquot Perſarum Regibus continuata, Iſdigerde, Gororane ſive Bararane, Coade ſive Cobade, & Coſroë, qui immani ſævitiâ graſſati ſunt in Chriſtianos, teſte Theodoreto *lib.*5.*cap.*39. Nicephoro *lib.*16. *cap.* 36. Procopio *lib.*2.*belli Perſici*, & aliis. *Tertia Gothica, & Alemannica*, quâ Gothi Totilâ Rege, horumque auxiliatores Alemanni, crudeliſſimè perſecuti ſunt Chriſtianos. Continuata perſecutio etiam ſub Totilæ ſucceſſoribus quibuſdam. *Quarta Longobardica:* Nam Longobardi Pannonias egreſſi duce Albino Italiam invaſerunt, voveruntque omnes Chriſtianos gladio deleturos. Quod etiam ſtrenuè fecerunt. Et hanc crudelitatem etiam ſequentes Longobardorum Reges plerique imitati ſunt.

poſt Conſtantinum M. quatuor.

III. Ariana.

Tertia Perſecutio eſt ARIANA, quam Impp. Reges, Principes Arianâ hæreſi infecti, & impulſu Arianorum commoverunt. Licet enim Arius Synodo Nicenâ gravi judicio damnatus eſſet; hæreſis tamen ipſius exſtingui nequivit, ſed latè propagata eſt. Qua occaſione Eccleſia Chriſti non jam ab hoſtibus externis, ſed à membris ſuis infeſtari cœpit. Hujus Ordinis Perſecutiones ſunt. I. *Conſtantii*, filii Conſtantini Magni qui ab Ario & Arianis deceptus Anno Chriſti 339. Epiſcopos Orthodoxos

Perſecutiones hujus ordinis.

xos in exilium pellere, & Arianos fovere, promovere cœpit. Quam crudelitatem post Annum 350. vehementius exercuit, cum exstinctis duobus fratribus solus imperavit. Quo tempore fugere coactus est Athanasius; quem præcipuè oderat. II. *Valentis* Imperat. qui cum esset Orthodoxus initio, non minus quàm Valentinianus frater, persuasione conjugis Dominicæ factus est Arianus, & in baptismo Episcopo Ariano defensionem Ariani dogmatis, & diversum sentientium persecutionem, jurejurando spopondit. Hac persecutione quæ longè atrocissima fuit, innumeri Episcopi Orthodoxi Ecclesiis suis dejecti: Basilius Magnus variè exagitatus: virgines nudæ ad ignem admotæ, ut se Arianas esse dicerent; viri acerbissimè excarnificati. Quin etiam Valens odio Orthodoxorum eò processit amentiæ, ut Gentibus etiam ac Judæis, nec non Hæreticis omnibus licentiam daret, sacra sua celebrandi. III. *Justinæ Augustæ*, Conjugis Valentiniani I. & Matris Valentiniani Junioris, quæ minore & immaturâ Filii ætate in gratiam Arianorum, quibus jampridem favebat, Orthodoxos plerosque Episcopos, & in his Ambrosium quoque Mediolanensem persecuta est: ut præter Scriptores Ecclesiasticos ipse Ambrosius narrat *Epist.* 33. IV. *Vandalorum*, qui sedibus suis duce Genserico egressi, & Arianâ perfidia maculat, occupata Hispania in Africam trajecerunt, & in Orthodoxos crudelissimè sævierunt. Immanitas ipsorum vix verbis satis exaggerari potest. Excogitârunt nova suppliciorum genera: nulli ætati pepercerunt: infantes à matrum uberibus raptatos vel saxis illiserunt, vel medios dissecuerunt. Eandem crudelitatem post patrem Gensericum exercuit Filius Hunericus Anno Christi 475 & seqq. ut Victor, Utieensis Episcopus, memorat. Et qui ei successerunt Reges, etsi aliqui mitiores fuerunt ergà Orthodoxos, plerique tamen ipsi quoque in Christianos sævierunt, & inter hos præcipuè Gilimer: Cujus meminit Gregorius Magnus *lib.* 3. *Dialogorum cap.* 33. Denique V. ad hanc classem referri potest *Donatistarum* in Africa crudelitas, quæ tamen prior fuit Vandalorum persecutionibus. Nam ipsi initio Schismatici, post Hæretici, & Ariani facti, immani sævitia grassati sunt in Africa: cœtus Orthodoxorum disturbarunt, ac obvios sibi quosvis in plateis & agris homines, à suis erroribus alienos, cæciderunt, & furiosè

jugulârunt. Vide Augustinum multis locis, & nominatim *Epistola* 52. *ad Bonifacium Comitem.*

IV. Mahometana.

Quarta Persecutio est MAHOMETANA, quam Mahometani, hoc est, Saraceni & Turcæ, sibi invicem succedentes concitarunt adversus Christianos & Ecclesias eorum. Hi ducuntur à Propheta suo Mahometo, qui novam religionis formam condidit, Alcorano comprehensam, & Arabum rebellium viribus & auxiliis adjutus, novum regnum constituit Heraclio Imperante, Anno Christi 622. à quo tempore nunc millesimus currit annus. Statim autem crudeliter sævire cœperunt in Christianos, primò in Syriâ, Phœniciâ & Arabiâ, ubi regni sui primordia locarunt, & radices quasi fixerunt: Inde in Babyloniâ & Persia; post in Africa & insulis quibusdam maris mediterranei: porrò in Asia Minore, Thracia, Græcia, Sardinia, Hispania, & aliis Provinciis: & infinitum recensere omnes persecutiones, quæ hodieque continuantur. Cæterum duæ *causæ* notandæ sunt immanitatis Mahometanæ: *Una* est, peculiaris quædam Lex Mahometi, quà dira supplicia, onera, & tributa minatur iis, qui non amplexi fuerint religionem suam; ut qui profiteruτ, venisse se ad novam legem dandam, non per miracula sicut Moses & Christus, sed per gladium. *Altera* est Usus & Cultus Imaginum in Ecclesiis Christianorum, illis & succedentibus temporibus. Hanc idololatriam Homar princeps Sarracenorum maximè oderat & carpebat in Christianis, & ea propter persecutiones movebat & exasperabat: sicut constat hodieque, Turcas à nulla re magis quam ab imaginibus aversos esse.

Causæ crudelitatis Mahometicæ.

V. Antichristiana.

Quinta & Ultima Persecutio est ANTICHRISTIANA, tum diuturnior cæteris omnibus, tum etiam sævior. Hæc in *Apocalypsi* multis locis prædicta est: Describitur autem in *Centuriis Magdaburgicis, Catalogo Testium veritatis, Martyrologiis, Mysterio Iniquitatis Plessæi*, & aliis in libris. *Initium* ejus computamus à stabilita Hierarchiæ Romanæ tyrannide sub Phoca Imperatore, qui Bonifacium III. Episcopum Universalem sive Oecumenicum totius Ecclesiæ Catholicæ declaravit, Anno Christi 607. *Gradus* Persecutionis tres constitui possunt. Siquidem Papa Anti-Christus I. Ecclesiasticos omnes, & qui sacri ordinis, sibi subjugavit, & in verba sua adegit: quod alibi citius, alibi serius factum; imprimis in Gallia. II. Impp. Reges & Principes sibi inaugurationis Sacris, &

Ejus initium.

Gradus.

obedien-

obedientiæ Ecclesiasticæ titulo subjecit, & ab horum Imperio Ecclesiasticos suos exemit: quod solenni transactione factum in Germaniâ Henrico V. Imper. Anno Christi 1122. III. Eos qui se Sedi Romanæ opponere, imprimis autem placitis ejus de Religione contradicere ausi fuerunt, ferro & igne persecutus est. Exempla edita superioribus seculis in Valdenses, in Wiclefum mortuum, Johannem Huss, & Hieronymum Pragensem vivos: nostro seculo in martyres innumeros: de quibus Martyrologia consulenda sunt. Et quid nunc moliatur in Rhetiâ, Bohemiâ, Austriâ, Germania, Galliâ, Belgio notum est. Deus misereatur Ecclesiæ suæ!

PROBLEMA TERTIUM

Quænam sint causæ Persecutionum Ecclesiæ?

UT aliis in rebus necessaria est cognitio causarum, ad plenam earundem intelligentiam: Scire enim est rem per causas cognoscere: ita hic vel inprimis. Siquidem ignorantia causarum facit, ut profani homines negent, cœtum profitentem doctrinam Christi, & propter eam tot ærumnas perferentem, esse Ecclesiam: Imo negent esse aliquam in terris Ecclesiam; ut infirmi multi resiliant à Confessione Euangelii, & ab Ecclesia deficiant, ut est *Luc.* 8. v. 13. Earundem causarum minus attenta consideratio efficit, ut etiam sanctissimi calamitatibus Ecclesiæ graviter offendantur: ut exemplis Asaphi, *Psal.* 73. & Jeremiæ, *cap.* 12. constat. Nec verò remedia & malagmata salutarium consolationum adversus persecutiones conquiri & adhiberi possunt, nisi fontibus earum ante investigatis & exploratis. Ea propter hanc disquisitionem superiori subjicere visum est. Non agitur autem hîc de causis omnium universim ærumnarum, quibus obnoxia est Ecclesia in hac vita: sed de causis persecutionum propriè, quæ propter confessionem Euangelii sustinentur ab impiis. *Cur necessaria sit causarum consideratio.*

Eæ generatim sunt vel *Efficientes*, vel *Impulsivæ & Finalis*, Efficientes sunt Deus, Diabolus, & Homines: quibus Impulsivæ & Finales suo ordine respondent. Mirum autem videri non debet, quod Deus, Diabolus, & Impii hic conjunguntur: quasi Deus vel socius esset Diaboli & Impiorum, in immani illa Persecutionum sævitia, vel saltem approbator tyrannidis ipsorum. *Conjun-* *Causæ Persecutionum.* *Deus, Diabolus & Impii cur & quomodo conjunguntur.*

guntur enim non ut causæ homogeneæ, sed ut heterogeneæ; imò tanquam natura & actionibus sibi contrariæ: quæ tamen decreto Dei insciæ, volentes, nolentes, subserviunt. *Conjunguntur* non velut iisdem causis impulsivis & finalibus motæ ad agendum; sed diversis, & inter se contrariis: quæ faciunt actionum discrimina. *Denique* una eademque persecutio Deo convenit ut judicium explorationis sive probationis: Diabolo & impiis attribuitur, ut extremum maleficium, & summum scelus.

Deus causa Efficiens est persecutionum.

Deum esse causam *Efficientem* persecutionum probatur I. Dictis generalibus de tota Ecclesia, ac membris ejus indefinitè: *Psal.* 74.79.80. Esa. 54. v. 16. *Ego creavi interfectorem ad perdendum. Daniel.* 8. v. 15. ubi à Deo definitur tempus, quandiu persecutio esset duratura. 1 Petr. 3. v. 17. *Melius est ut benè agentes, si ita velit Dei voluntas, malo afficiamini, quam malè agentes.* & cap. 4. v. 19. *Qui malis afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas bene agendo.* Apoc. 13. v. 7. *Datum est bestiæ bellum gerere cum Sanctis.* II. Dictis specialibus de Christo tanquam capite Ecclesiæ, quo nemo graviores persecutiones sustinuit. Zachar. 13. v. 7. *Gladie, evigila contra Pastorem meum, & contra virum proximum meum, dictum Iehovæ exercituum; percute Pastorem & dispergentur oves*, quod ipsum repetitur *Matth.* 26. v. 31. Joh. 19. v. 11. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset supernè.* Actor. 2. v. 23. *Hunc*, Christum, *definito illo consilio & præcognitione Dei deditum cum accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis.* & cap. 4. v. 28. *Congregati sunt* Herodes, Pilatus, &c. *ut facerent, quæcunque manus tua, & consilium tuum prius prædestinavit ut fierent.* III. Ab argumento Providentiæ ipsius, quo Christus consolatur suos speciatim adversus Persecutiones *Matth.* 10. v. 29. *& seqq. Luc.* 21. v. 12. *& seqq.* IV. Ab ordine mediorum salutis divinitus constituto: inter quæ etiam est Persecutio: Actor. 14. v. 22. *Oportet per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.* 2 Timoth. 3. v. 12. *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

Impulsivæ respectu

Impulsivæ & Finales Causæ, quæ movent Deum, ad immittendas Ecclesiæ hujuscemodi persecutiones, aliæ *Ipsummet*, aliæ *Ecclesiam*, ejusque membra spectant.

Dei, gloria veritatis.

Primi ordinis est *Gloria* Dei *Iohan.* 21. v. 19. & quidem Gloria *Veritatis*; qua testatum fit, Deum veracem in verbo suo esse, ut qui Confessores invicto animi robore induit, ut non dimoveantur à fide Euangelii.

præsentiæ,

Præsentiæ in Ecclesia; cui in mediis persecutionum

num flammis præsens est, *Daniel. 3.cap.* tanquam Dominus & Rex ejus *Psalm.* 110.v.2. *Potentiæ*; quiâ ita tuetur Ecclesiam, ut ne quidem portę inferorum possint adversus eam prævalere, *Matth.* 16.v. 18. suas oves conservat ut non possint rapi è manibus suis, *Iohan.* 10.v.28.29. hostes autem potentissimos pessundat *Psalm.* 2. v. 9. *Iustitiæ*; quâ constantes Confessores prçmiis ornat in hac & futura vita: Impios contra Persecutores æternùm damnabit, 2 *Thessal.* 1. v.4,5,6,7. *Secundi ordinis* sunt: I. *Castigatio & expurgatio peccati* ac reliquiarum ejus inhęrentium etiam sanctissimis. Hujus respectu, etsi innocentes sint Confessores quoad Homines, non tamen item quoad Deum 1 Corinth. 11. v.32. *Dum judicamur à Domino, erudimur, ne cum mundo condemnemur.* 1 Petr. 4.v.17. *Tempus est, ut incipiat judicium à Domo Dei.* Jerem. 30.v.11. *Castigaturus sum te modicè, non autem prorsus impunem relicturus te.* Atque huc pertinet illa dissimilium comparatio apud Petrum, quod passus sit Christus justus pro injustis, 1 *Epist.* 3.v.19. II. *Obedientia erga Deum*, cui non minus in adversis, quàm in secundis obtemperandum, dicente Christo: *Si quis vult pone me venire, abdicet semetipsum, & attollat crucem suam, ac sequatur me* Matth. 16.v.24. III. *Exploratio fidei nostræ, patientiæ*, aliarumque virtutum; quarum tum constantia, tum sinceritas persecutionibus haud secus, quam aurum igne probatur, 1 *Petr.* 1.v.6,7. *cap.* 4.v.12. *Apoc.* 2.v.10,11. & *cap.* 3.v.10. IV. *Conformitas cum Christo*, tanquam membrorum cum capite, *Rom.* 8. v.17.29. 2. *Timoth.* 2.v.11,12. *Phil.* 3.v.10. 1 *Petr.* 4.v.13. V. *Testimonium doctrinæ*, quod à nobis perhiberi vult veritati, de quâ persuasi sumus per Spiritum Sanctum: Matth. 10.v.32,33. *Quisquis* inquit Christus, *agnoscet me coram hominibus, agnoscam & ego ipsum coram Patre meo, qui est in cœlis. Quisquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo.*

potentiæ. justitiæ. Ecclesiæ: I. castigatio. II. obedientia. III. exploratio fidei. IV conformitas cum Christo. V. testimonium doctrinæ.

Diabolum esse causam Persecutionum *Efficientem*, nihil attinet demonstrare, cum sit per se clarum *Apocal.* 12.v.3. & *seqq. Cap.* 20.v.3,7,8. id ostenditur de totâ Ecclesiâ. Alibi de membris Ecclesiæ; Jobo, *cap.* 1. Davide, 1 *Sam.* 19. *cap.* Michâ, 1 *Reg.* 22. Christo capite Ecclesiæ, *Matth.* 26. contra quos Satanas per sua organa extrema movit. *Causæ impulsivæ*, quæ movent Satanam ad persequendum sunt. I. *Odium* adversus Deum, Ecclesiam, & ipsam veritatem. Est enim professus, juratus, & implacabilis hostis Dei & Ecclesiæ; unde *Satan* dicitur, *Iob.* 1.v.6 & *inimicus Matth.* 13.v.39.

Diabolus efficiens Persecutionum. Impulsivæ I. odium Dei & Ecclesiæ.

Est

guntur enim non ut causæ homogeneæ, sed ut heterogeneæ; imò tanquam natura & actionibus sibi contrariæ: quæ tamen decreto Dei insciæ, volentes, nolentes, subserviunt. *Conjunguntur* non velut iisdem causis impulsivis & finalibus motæ ad agendum; sed diversis, & inter se contrariis: quæ faciunt actionum discrimina. *Denique* una eademque persecutio Deo convenit ut judicium explorationis sive probationis: Diabolo & impiis attribuitur, ut extremum maleficium, & summum scelus.

Deus causa Efficiens est persecutionum.

Deum esse causam *Efficientem* persecutionum probatur I. Dictis generalibus de tota Ecclesia, ac membris ejus indefinitè: *Psal.* 74.79.80. Esa.54.v.16. *Ego creavi interfectorem ad perdendum. Daniel.* 8.v.15. ubi à Deo definitur tempus, quandiu persecutio esset duratura. 1 Petr.3.v.17. *Melius est ut benè agentes, si ita velit Dei voluntas, malo afficiamini, quam malè agentes.* & cap.4.v.19. *Qui malis afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas bene agendo.* Apoc.13.v.7. *Datum est bestiæ bellum gerere cum Sanctis.* II. Dictis specialibus de Christo tanquam capite Ecclesiæ, quo nemo graviores persecutiones sustinuit. Zachar.13.v.7. *Gladie, evigila contra Pastorem meum, & contra virum proximum meum, dictum Iehovæ exercituum; percute Pastorem & dispergentur oves*, quod ipsum repetitur *Matth.*26.v.31. Joh.19.v.11. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset supernè.* Actor.2.v.23. *Hunc*, Christum, *definito illo consilio & præcognitione Dei deditum cum accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis.* & cap.4.v.28. *Congregati sunt* Herodes, Pilatus, &c. *ut facerent, quæcunque manus tua, & consilium tuum prius prædestinavit ut fierent.* III. Ab argumento Providentiæ ipsius, quo Christus consolatur suos speciatim adversus Persecutiones *Matth.*10.v.29. *& seqq. Luc.*21.v.12. *& seqq.* IV. Ab ordine mediorum salutis divinitus constituto: inter quæ etiam est Persecutio: Actor.14.v.22. *Oportet per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.* 2 Timoth.3.v.12. *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

Impulsivæ respectu

Impulsivæ & Finales Causæ, quæ movent Deum, ad immittendas Ecclesiæ hujuscemodi persecutiones, aliæ *Ipsummet*, aliæ *Ecclesiam*, ejusque membra spectant.

Dei, gloria veritatis.

Primi ordinis est *Gloria* Dei *Iohan.*21.v.19. & quidem Gloria *Veritatis*; qua testatum fit, Deum veracem in verbo suo esse, ut qui Confessores invicto animi robore induit, ut non dimoveantur à fide Euangelii.

præsentiæ,

Præsentiæ in Ecclesia; cui in mediis persecutionum

num flammis præsens est, *Daniel. 3.cap.* tanquam Dominus & Rex ejus *Psalm.* 110.v.2. *Potentiæ*; quiâ ita tuetur Ecclesiam,ut ne quidem portę inferorum possint adversus eam prȩvalere, *Matth.* 16.v. 18. suas oves conservat ut non possint rapi è manibus suis, *Iohan.* 10.v.28.29. hostes autem potentissimos pessundat *Psalm.* 2.v.9. *Iustitiæ*; quâ constantes Confessores prȩmiis ornat in hac & futura vita: Impios contra Persecutores æternùm damnabit, 2 *Thessal.* 1. v.4,5,6,7. *Secundi ordinis* sunt: I. *Castigatio & expurgatio peccati* ac reliquiarum ejus inhȩrentium etiam sanctissimis. Hujus respectu, etsi innocentes sint Confessores quoad Homines, non tamen item quoad Deum 1 Corinth. 11. v.32. *Dum judicamur à Domino, erudimur, ne cum mundo condemnemur.* 1 Petr. 4.v.17. *Tempus est, ut incipiat judicium à Domo Dei.* Jerem. 30.v.11. *Castigaturus sum te modicè, non autem prorsus impunem relicturus te.* Atque huc pertinet illa dissimilium comparatio apud Petrum, quod passus sit Christus justus pro injustis, 1 *Epist.* 3.v.19. II. *Obedientia erga Deum*, cui non minus in adversis, quàm in secundis obtemperandum, dicente Christo: *Si quis vult pone me venire, abdicet semetipsum, & attollat crucem suam, ac sequatur me* Matth. 16.v.24. III. *Exploratio fidei nostræ, patientiæ*, aliarumque virtutum; quarum tum constantia, tum sinceritas persecutionibus haud secus, quam aurum igne probatur, 1 *Petr.* 1.v.6,7. *cap.* 4.v.12. *Apoc.* 2.v.10,11. & *cap.* 3.v.10. IV. *Conformitas cum Christo*, tanquam membrorum cum capite, *Rom.* 8. v.17.29. 2. *Timoth.* 2.v.11,12. *Phil.* 3.v.10. 1 *Petr.* 4.v.13. V. *Testimonium doctrinæ*, quod à nobis perhiberi vult veritati, de quâ persuasi sumus per Spiritum Sanctum: Matth. 10.v.32,33. *Quisquis* inquit Christus, *agnoscet me coram hominibus, agnoscam & ego ipsum coram Patre meo, qui est in cœlis. Quisquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo.*

potentiæ.
iustitiæ.
Ecclesiæ: I. castigatio.
II. obedientia.
III. exploratio fidei.
IV conformitas cum Christo.
V. testimonium doctrinæ.

Diabolum esse causam Persecutionum *Efficientem*, nihil attinet demonstrare, cum sit per se clarum *Apocal.* 12.v.3. & *seqq. Cap.* 20.v.3,7,8. id ostenditur de totâ Ecclesiâ. Alibi de membris Ecclesiæ; Jobo, *cap.* 1. Davide, 1 *Sam.* 19. *cap.* Michâ, 1 *Reg.* 22. Christo capite Ecclesiæ, *Matth.* 26. contra quos Satanas per sua organa extrema movit. *Causæ impulsivæ*, quæ movent Satanam ad persequendum sunt. I. *Odium* adversus Deum, Ecclesiam, & ipsam veritatem. Est enim professus, juratus, & implacabilis hostis Dei & Ecclesiæ; unde *Satan* dicitur, *Iob.* 1.v.6 & *inimicus Matth.* 13.v.39.

Diabolus efficiens Persecutionum.
Impulsivæ I. odium Dei & Ecclesiæ.

Est

guntur enim non ut causæ homogeneæ, sed ut heterogeneæ; imò tanquam natura & actionibus sibi contrariæ: quæ tamen decreto Dei insciæ, volentes, nolentes, subserviunt. *Conjunguntur* non velut iisdem causis impulsivis & finalibus motæ ad agendum; sed diversis, & inter se contrariis: quæ faciunt actionum discrimina. *Denique* una eademque persecutio Deo convenit ut judicium explorationis sive probationis: Diabolo & impiis attribuitur, ut extremum maleficium, & summum scelus.

Deus causa Efficiens est persecutionum.

Deum esse causam *Efficientem* persecutionum probatur I. Dictis generalibus de tota Ecclesia, ac membris ejus indefinitè: *Psal.* 74.79.80. Esa. 54. v. 16. *Ego creavi interfectorem ad perdendum. Daniel.* 8. v. 15. ubi à Deo definitur tempus, quandiu persecutio esset duratura. 1 Petr. 3. v. 17. *Melius est ut benè agentes, si ita velit Dei voluntas, malo afficiamini, quam malè agentes.* & cap. 4. v. 19. *Qui malis afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas bene agendo.* Apoc. 13. v. 7. *Datum est bestiæ bellum gerere cum Sanctis.* II. Dictis specialibus de Christo tanquam capite Ecclesiæ, quo nemo graviores persecutiones sustinuit. Zachar. 13. v. 7. *Gladie, evigila contra Pastorem meum, & contra virum proximum meum, dictum Iehovæ exercituum; percute Pastorem & dispergentur oves*, quod ipsum repetitur *Matth.* 26. v. 31. Joh. 19. v. 11. *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset supernè.* Actor. 2. v. 23. *Hunc*, Christum, *definito illo consilio & præcognitione Dei deditum cum accepissetis, manibus sceleratis cruci affixum interemistis.* & cap. 4. v. 28. *Congregati sunt* Herodes, Pilatus, &c. *ut facerent, quæcunque manus tua, & consilium tuum prius prædestinavit ut fierent.* III. Ab argumento Providentiæ ipsius, quo Christus consolatur suos speciatim adversus Persecutiones *Matth.* 10. v. 29. *& seqq. Luc.* 21. v. 12. *& seqq.* IV. Ab ordine mediorum salutis divinitus constituto: inter quæ etiam est Persecutio: Actor. 14. v. 22. *Oportet per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.* 2 Timoth. 3. v. 12. *Omnes qui volunt piè vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

Impulsivæ respectu Dei, gloria veritatis.

Impulsivæ & Finales Causæ, quæ movent Deum, ad immittendas Ecclesiæ hujuscemodi persecutiones, aliæ *Ipsummet*, aliæ *Ecclesiam*, ejusque membra spectant. *Primi ordinis* est *Gloria* Dei *Iohan.* 21. v. 19. & quidem Gloria *Veritatis*; qua testatum fit, Deum veracem in verbo suo esse, ut qui Confessores invicto animi robore induit, ut non dimoveantur à fide Euangelii.

præsentiæ,

Præsentiæ in Ecclesia; cui in mediis persecutionum

num flammis præsens est, *Daniel.* 3.*cap.* tanquam Dominus & Rex ejus *Psalm.* 110.v.2. *Potentiæ;* quià ita tuetur Ecclesiam, ut ne quidem portę inferorum possint adversus eam prevalere, *Matth.* 16.v. 18. suas oves conservat ut non possint rapi è manibus suis, *Iohan.* 10.v.28.29. hostes autem potentissimos pessundat *Psalm.* 2. v. 9. *Iustitiæ;* quâ constantes Confessores prǫmiis ornat in hac & futura vita: Impios contra Persecutores æternùm damnabit, 2 *Thessal.* 1. v.4,5,6,7. *Secundi ordinis* sunt: I. *Castigatio & expurgatio peccati* ac reliquiarum ejus inhęrentium etiam sanctissimis. Hujus respectu, etsi innocentes sint Confessores quoad Homines, non tamen item quoad Deum 1 Corinth. 11. v.32. *Dum judicamur à Domino, erudimur, ne cum mundo condemnemur.* 1 Petr.4.v.17. *Tempus est, ut incipiat judicium à Domo Dei.* Jerem.30.v.11. *Castigaturus sum te modicè, non autem prorsus impunem relicturus te.* Atque huc pertinet illa dissimilium comparatio apud Petrum, quod passus sit Christus justus pro injustis, 1 *Epist.*3.v.19. II. *Obedientia erga Deum*, cui non minus in adversis, quàm in secundis obtemperandum, dicente Christo: *Si quis vult pone me venire, abdicet semetipsum, & attollat crucem suam, ac sequatur me* Matth.16.v.24. III. *Exploratio fidei nostræ, patientiæ*, aliarumque virtutum; quarum tum constantia, tum sinceritas persecutionibus haud secus, quam aurum igne probatur, 1 *Petr.*1.v.6,7.*cap.*4.v.12. *Apoc.*2.v.10,11. & *cap.*3.v.10. IV. *Conformitas cum Christo*, tanquam membrorum cum capite, *Rom.*8. v.17.29. 2. *Timoth.*2.v.11,12. *Phil.*3.v.10. 1 *Petr.*4.v.13. V. *Testimonium doctrinæ*, quod à nobis perhiberi vult veritati, de quâ persuasi sumus per Spiritum Sanctum: Matth.10.v.32,33. *Quisquis* inquit Christus, *agnoscet me coram hominibus, agnoscam & ego ipsum coram Patre meo, qui est in cœlis. Quisquis autem abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo.*

Potentiæ. | Iustitiæ. | Ecclesiæ: I. castigatio. | II. obedientia. | III. exploratio fidei. | IV conformitas cum Christo. | V. testimonium doctrinæ.

Diabolum esse causam Persecutionum *Efficientem*, nihil attinet demonstrare, cum sit per se clarum *Apocal.*12.v.3. & *seqq. Cap.* 20.v.3,7,8. id ostenditur de totâ Ecclesiâ. Alibi de membris Ecclesiæ; Jobo, *cap.*1. Davide, 1 *Sam.*19.*cap.* Michâ, 1 *Reg.*22. Christo capite Ecclesiæ, *Matth.*26. contra quos Satanas per sua organa extrema movit. *Causæ impulsivæ*, quæ movent Satanam ad persequendum sunt. I. *Odium* adversus Deum, Ecclesiam, & ipsam veritatem. Est enim professus, juratus, & implacabilis hostis Dei & Ecclesiæ; unde *Satan* dicitur, *Iob.*1.v,6 & *inimicus Matth.*13.v.39.

Diabolus efficiens Persecutionum. | Impulsivæ I. odium Dei & Ecclesiæ.

Est

Est mendax & pater omnis mendacii *Iohan.*8.v.44. II. *ἐπιχαιρεκακία*, studium nocendi hominum saluti, & singularis ex eo voluptas. Est enim homicida à principio, *Iohan.* 8. v. 44. leo rugiens, quærens quem devoret, 1 *Petri* 5. v. 8. item *ὁ πονηρὸς*, nequam malignus, qui fidelibus malitiosè negotium facessere amat, *Matth.*6. v. 13. III. *Vindicta* adversus Ecclesiam, quod homines per Euangelium ex ipsius servitute & regno transferuntur in regnum Dei 2 *Timoth.* 2. v. 26. *Vide Apocal.*12.v.4.*& seqq. inprimis vers.* 17.

2. ἐπιχαιρεκακία.

3. vindicta adversus Ecclesiam.

Homines denique esse causam *Efficientem* omnium Persecutionum proximam & immediatam historiæ docent. Sunt autem illi non unius, sed diversorum ordinum: ut illustri exemplo ostenditur *Actor.* 4. v. 27. Alii siquidem sunt *aperti* hostes Ecclesiæ, ut Pagani, Antichristiani; alii *occulti*, ut hæretici, schismatici, *Actor.* 20.v.28,29,30. falsi fratres, 2 *Corinth.* 11.v.26. Alii *Politici*, ut Imperatores, Reges, Principes, *Ps.*2. alii *Ecclesiastici*, & in his inprimis primores sive Præsules Ecclesiæ, *Matth.*20.v.18,19. *Iohan.*18. v.12,13. *Actor.*4.v.1.*& seqq.& cap.*23.v.2. Alii *Peregrini* sive *alieni*, ut plerique Persecutores: alii *populares* consanguinei, aliique conjunctissimi *Matt.*10.v.21.34,35,36. 1 *Thess.*2.v.14,15. *Impulsivæ* sunt Communes vel propriæ. *Communes* sunt tres I. *Ignorantia* veri Dei in Christo, *Iohan.*15. v. 21. *& cap.*16.v.3. Quæ in aliis *simplex* est, ut in Paulo, 1 *Timoth.*1.v.13. quibus spes veniæ proposita est: unde etiam Christus pro iis oravit, *Luc.*23. v. 34. In aliis *affectata* & malitiosa, qui volentes scire nolunt, 2 *Petr.*3. v. 5. ut Pharisæi, & alii; de quibus Christus loquitur, *Iohan.*15.v.22.24. *Matth.* 12. *cap.* quibus proinde nulla spes veniæ reliqua est. II. *Odium Euangelii*, & Confessorum ejus, *Iohan.*15.v.19. Cujus *causa* duplex notari potest: *Vna:* quia separant se ab impiis moribus mundi, *Iohan.*15. v. 19. nam ut similis simili gaudet, sic dissimilis dissimilem aversatur. *Altera:* quia opera ipsorum mala reteguntur luce veritatis *Ioh.*3.v.19,20,21.& redarguuntur *cap.*16.v.8.*& aliquot seqq.* Unde disertè Christus *cap.*7.v.7. *Me, inquit, odit mundus quoniam ego testor de eo, opera ejus mala esse.* III. *Superstitio* ex ignorantiâ profecta, quâ putant se persecutionibus adversus Ecclesiam cultum Deo præstare, *Iohan.*16.v.2. quæ cum zelo ignorantiæ ferè est conjuncta. Exemplum est Paulus *Actor.*22.v.34. *Propriæ* sunt certorum ordinum: ut est in *Ecclesiasticis* ambitio, qui nec meliora docen-

Homines. Efficiens. Persecutionum proxima.

Impulsivæ Communes. 1. Ignorantia Dei simplex

affectata.

2. Odium Euangelii. causæ.

3. Superstitio

Propriæ. Ecclesiasticis.

docentem, nec vitia taxantem ferre possunt: exemplo Scribarum & Pharisæorum. In *Politicis* ἀυτονομία, & absolutæ potestatis persuasio, qua de Sacris juxta & profanis se statuere posse arbitrantur: exemplo Nebucadnezaris, *Daniel.* 3. *cap.* Antiochi Epiphanis in *Maccab. libris*. In *Plebejis* avaritia & privati quæstus studium, exemplo herorum ancillæ Pythonissæ, *Act.* 16. v. 19. & Demetrii *cap.* 19. v. 24, 25. Hoc tamen vitium sępè commune est tum *Ecclesiasticis*, exemplo Judę proditoris, *Matth.* 26. v. 15. tum *Politicis*, exemplo Felicis *Act.* 24. v. 26.

Politicis.

Plebeiis.

PROBLEMA QUARTUM.

Quænam sint præcipuæ Consolationes adversus Persecutiones Ecclesiæ?

Consolationum in Persecutionibus necessitas.

INvestigatis atque explicatis *Causis* Persecutionum, quibus Ecclesia sine fine & modo iniquissime infestatur: proximum est ut conquirantur & declarentur remedia *Consolationum*, quibus adversus eas se erigat & sustentet. Absque iis enim si sit, aut offensa resiliet à fide Euangelii, *Luc.* 8. v. 13. sicut temporarii omnes; aut malorum magnitudine fracta ac oppressa succumbet. Et notum est, quam caro nostra, mollis, delicatula, aversa sit non solum à cruce, sed etiam à concione crucis *Matt.* 16. v. 12. 13. Sicut igitur Moses aquas amaras deserti injecto ligno edulcavit, *Exod.* 15. v. 25. sicut prudentes Medici potiones amaras, saccaro aliisve condimentis dulces, odoratu ac gustatu suaves reddere consueverunt: ita etiam doctrina de horribilibus Persecutionibus, quæ nostris cervicibus jam jam imminent, malagmatis suavium ac salutarium Consolationum temperanda est: quarum jugi meditatione ac certa fide non solùm adversus eas subsistamus, sed etiam plusquam victores evadamus: ut loquitur Apostolus *Rom.* 8. v. 37.

Earum sedes.

Sunt autem innumeræ, sparsę, per omnes libros Vet. & N. T. & illustribus exemplis confirmatæ. Earum aliquot conjungit & conjunctim proponit Servator noster, *Matth.* 10. v. 17. 18. & *multis seqq.* item *Luc.* 21. v. 12. & *seqq.* Similiter Paulus, *Rom.* 8. v. 17 & *seqq. usque ad finem*, & Petrus 1 *Epist.* 2. v. 19. & *seq. cap.* 3. v. 14 & *seqq. cap.* 4. v. 12. & *seqq.* Quæ loca omnia, tanquam propriæ sedes consolationum, adversus persecutiones habenda & ponderanda sunt

da sunt. *Cyprianus*, qui & ipse Martyrii coronam obtinuit, eruditissimè complexus est præcipuas consolationes libello singulari *ad Fortunatum, de Exhortatione Martyrii. Augustinus*, cum Gothi immani sævitiâ grassarentur in Ecclesiis Italiæ & Africæ, easdem inseruit libris *de Civitat. Dei*, & nominatim *lib.* 1. *cap.* 10, 11. 20. *Philippus Melanchthon in Locis Communibus & Examine Theologico* certas consolationum classes confecit, & in generales quosdam locos eas distribuit. Eorum ordinem *Ursinus* approbavit, & repetiit in *Catecheticis*: & nos pauculis immutatis in explicatione Problematis sequi constituimus. Sunt autem decem numero: *Remissio peccatorum: Voluntas Dei & Providentia: Obedientia erga Deum: Bona Conscientia: Causæ finales: Spes compensationis seu præmiorum: Exempla Christi & aliorum sanctorum: Præsentia & auxilium Dei in persecutionibus: Liberatio in hâc & futura vitâ: Pœnæ hostium in hoc & futuro seculo.*

Loci.

I. Remissio peccatorum.

Primus Locus Consolationis est *Remissio peccatorum* gratuita per & propter Christum. Nim: quia est prima consolatio, & fundamentum reliquarum omnium. Nam sine hâc aliæ nos non consolantur, incertos de amore Dei in Christo, & nostri per ipsum reconciliatione: Et sic persecutiones non sunt martyria aut probationes, sed pœnæ peccatorum. Ubi autem hæc benè posita est, reliquæ sponte sequuntur, & animos inprimis confirmant. Ea ad persecutiones speciatim transfertur, & applicatur cum aliis, tum hisce locis; *Rom.* 5. v. 1, 2, 3. *Cap.* 8. v. 31. *& seqq. usque ad finem*, 1 *Pet.* 3. v. 18.

II. Voluntas Dei & Providentia.

Secundus est *Voluntas Dei & Providentia:* Persecutiones non temerè sive casu fortuito, vel etiam pro lubitu Diabolorum ac hominum concitantur, sed certo ac definito Dei consilio nobis immittuntur: ut docet Scriptura innumeris locis, *Deut.* 32. v. 39. 1 *Sam.* 2. v. 6, 7. *Iob.* 1. v. 21. *cap.* 2. v. 10. *Psal.* 39. v. 10, 11. & 75. v. 9. *Esai.* 45. v. 6, 7. *Cap.* 54. v. 16. *Actor.* 14. v. 22. 1 *Thessal.* 3. v. 3. 1 *Pet.* 3. v. 17. *cap.* 4. v. 19. *Apoc.* 13. v. 7. Hinc jam multiplex emergit consolatio, sive *singulos fideles*, sive *totam Ecclesiam* spectes. *Illos* quidem quia I. Deus immittit eas tanquam pater filiis, *Hebr.* 12. v. 6, 7, 8, 9. ut Paterfamilias domesticis 1 *Pet.* 4. v. 17. Ergo paterno affectu, ac optimo sapientissimoque consilio. II. Immittit eas in bonum, ac ad salutem nostram *Rom.* 8. v. 28. 1 *Corinth.* 11. v. 32. III. Persecutores ne pilum quidem nobis detrahere, multo minus corpus

respectu

I. Singulorum fidelium.

pus occidere possunt, sine voluntate Dei; animam autem occidere non possunt. Ergò salus animæ in tuto est *Matth.* 10. v. 28. & *seqq.* *Luc.* 21. v. 12. & *seqq.* IV. Deus mittens persecutiones eas attemperat viribus nostris: tum quoad molem & magnitudinem injuriarum, 1 *Corinth.* 10. v. 13. 2 *Corinth.* 1. v. 5. tum quoad earundem durationem, *Psalm.* 30. v. 6. *Iohan.* 16. v. 20, 22. 2 *Corinth.* 4. v. 17. Huc facit similitudo de poculo *Matth.* 20. v. 22. *Psalm.* 75. v. 9. *Istam* verò: quia irriti conatus hostium sive persecutorum adversus Ecclesiam. Nec enim vel consilium Dei de conservatione Ecclesiæ mutare, vel manum omnipotentem impedire possunt. *Confer Psalm.* 2. *Actor.* 4. v. 24, 25. 2 *Timoth.* 2. v. 9, 10. Ad hanc classem etiam referendæ sunt *Prædictiones crucis* & persecutionum, sive indefinitè & communiter, *Iohan.* 16. v. 4. sive certis personis factæ *Matth.* 20. v. 23. *Iohan.* 21. v. 19. *Actor.* 9. v. 16. *cap.* 20. v. 23. 2. totius Ecclesiæ.

Tertius est *Obedientia erga Deum.* Tolerantia persecutionum est pars officii, ad quam vocati, 1 *Petr.* 2. v. 21. constituti sumus 2 *Thessal.* 3. v. 3. Sic enim Christus *Matth.* 11. v. 29. *Attollite jugum meum in vos, & discite à me.* & Cap. 16. v. 24. *Si quis vult pone me venire, abdicet semetipsum, & attollat crucem suam, & sequatur me.* Ergo non adversa, sed grata esse debet. Petimus quotidie ut fiat voluntas Dei per nos & in nobis, non minus in adversis, quàm in prosperis *Matth.* 6. v. 10. Quidni ergò etiam tum ipsius voluntati nos subjiciamus, cum nos castigat? Et si bona innumera corporalia, spiritualia accepimus à Deo, *Ephes.* 1. v. 3, 4. & *seqq.* 1 *Petr.* 1. v. 3, 4, 5. cur non mala quoque ad testandam obedientiam recipiamus, perferamus? *Iob.* 2. v. 10. *Thren.* 3. v. 22, 23. III. Obedientia erga Deũ.

Quartus est *Bona Conscientia*: quod toleramus persecutiones propter conscientiam Dei, h. e. quia studemus Deo bonâ Conscientiâ servire, nim: rectè credendo & piè vivendo 1 *Petr.* 2. v. 19. Clarius: Diabolus & Impii insurgunt in nos non propter impietatem & scelera, quæ nos commiserimus, iis enim ipsi unicè delectantur, 1 *Petr.* 2. v. 20. *cap.* 4. v. 14, 15. sed propter Christum, Christi causâ, propter nomen ipsius, *Matth.* 5. v. 11. *Rom.* 8. v. 36. 1 *Petr.* 4. v. 14. quia veri Christiani, *ibid.* v. 16. (unde etiam in Christum omnes nostræ injuriæ recidunt, *Psal.* 89. v. 51. 52. *Actor.* 9. v. 4. *Hebr.* 11. v. 26. *Matth.* 25. v. 45.) propter justitiam, *Matth.* 5. vers. 10. 1 Petr. 3. v. 14. propter sanctam in Christo conversatio- IV. Bona Conscientia.

nem, 1 *Petr*.4.verſ.16. ut qui piè vivere volumus in Chriſto Jeſu 2 *Timoth*.3.v.12. Hoc autem plenum eſt conſolationis. Si enim teſte Poëta *Nil conſcire ſibi, nullâ pallescere culpâ, murus aheneus eſt*; quanto magis hæc Dei conſcientia ſecuros nos reddit; cum ſciamus, non tam nos quàm Chriſtum peti; quando ita fidem & vitam inſtituimus, ut nos ipſi probatos ſiſtamus, nullius mali nobis conſcios.

V. Cauſæ Finales quoad I. Deum: ejus Gloria.

Quintus ſunt *Cauſæ finales*, tum *quoad* Deum, tum *quoad* Eccleſiam Dei ac membra ejus, tum *quoad* Nos ipſos. *Illa* eſt *Gloria ipſius*, cui non minus mors, quàm vita noſtra debet eſſe conſecrata, *Rom*. 14.v.7.8. quæque ex morte piorum cæteriſque perſecutionibus elucet clariſſimè, *Iohan*. 21.v.19. unde 1. *Petr*.4.v.14. cum conviciis afficiuntur, ille gloriæ & ille Dei Spiritus glorificari dicitur. Nim. quia ſuſtinemus perſecutiones, ut obediamus ipſius mandato, quo confeſſionem nominis ſui nobis imperavit. Obedientiâ autem glorificatur inprimis à nobis.

2. Eccleſiam: ejus propagatio,

Iſta: quia Perſecutiones inſerviunt; tum Eccleſiæ *propagandæ*, *Act*.8.v.14. *cap*.11.v.19.20. *Phil*.1.v.12. 2. *Timoth*.2.v.9. Hinc illud: *Sanguis martyrum ſemen Eccleſiæ*.

ædificatio,

Tum eidem *ædificandæ*, quæ illius ædificatio conſiſtit, *partim* in membrorum ejus jam converſorum confirmatione, quo ſenſu Paulus ait ſe vinctum pro Epheſiis, *Epheſ*.3.v.1. pati pro Coloſſenſibus, & reliquias explere afflictionum Chriſti, *Colos*.1.v.24. omnia tolerare propter electos, 2. *Timoth*.2.v.10. *partim* in aliis ab eâ alienis ad Eccleſiæ communionem adducendis, & ad Chriſtum convertendis *Actor*. 16.v.30.31.

3. Noſmet ipſos. dignitas.

Hæc denique multifaria eſt, ſicut multifaria eſt utilitas noſtri reſpectu. I. Summa dignitas & gloria *Actor*.5.v.41. *Epheſ*.3.v.13. 1 *Petr*.2.v.20. *cap*.4.v.13. Cujus *cauſa* eſt duplex. *Una*, quia ſingularis gratia eſt in negotio Chriſti non ſolum in eum credere, ſed & pro eo pati. *Phil*. 1.v.29. *altera*, quia conformes reddimur imagini Chriſti, cum eo patiendo, *Rom*.8.v.17.29. 2 *Timoth*.2.11.12. tanquam membra capiti.

gratia.

II. Gratia apud Deum, quam conciliat tolerantia 1 *Petr*. 2.v.19.20.

gaudium.

III. Gaudium *Matth*.5.v.11.22. *Actor*.5.v.41. 1 *Petr*.4.v.13.

tolerantia, probatio fidei,

IV. Tolerantia, experientia, ſpes *Rom*. 5.v.2,3,4. V. Probatio fidei, quod fides noſtra ſit ſincera, 1 Petr. 1.v.6. *cap*.4.v.12. quodque nos ſimus veri diſcipuli Chriſti *Matt*.10.v.38. *cap*.16.v.24.

ſignaculum ſpiritus.

VI. Signaculum Spiritus reſidentis in nobis, qui docet patienter ferre illatas injurias, non ulciſci 1 Petr. 4.v.14.

Sextus

Sextus est *Spes Compensationis* secundùm promissiones Dei, quæ exstant longè amplissimæ, *Matth*.5.v.10,11,12. *Cap*.19.v.28. 29. *Iohan*.12.v.25,26. *Rom*.8.v.18. ubi præsentis temporis perpessiones gloriæ in nobis revelandæ non pares dicuntur, tum magnitudine, quia ineffabiliter major futura est gloria, 1 *Corinth*. 2. v.9. tum duratione, quia pondus gloriæ æternum 2 *Corinth*.4.v. 17. Sic 2 *Timoth*.2.v.11,12. 1 *Petr*.1.v.4,5,6. *Apoc*.2.v.26,27, 28.*cap*.3.v.5.12.20.21. Hæc autem *Spes* firma est: non modo *quia* nititur infallibili promissione Dei, mentiri nescii, *Tit*. 1. v. 2. *Hebr*.6.v.17,18. verum etiam *quod* persecutiones sunt media salutis, *Actor*.14.v.22. 2 *Timoth*.3.v.12. (nam per eas digni reddimur regno Dei in Christo, 2 *Thessal*.1.v.5.) ejusque indicium *Philip*.1. vers. 28.

VI. Spes compensationis.

ejus firmitas.

Septimus sunt *Exempla* tum *Christi*, tanquam capitis; tum *Sanctorum*, ut membrorum ejus. *Christi* exemplum præ cæteris illustre est *Matt*.20.v.18,19. *Ioh*.15.v.18. *Hebr*.13.v.13,14. Is enim I. passus est persecutiones & mortem ipsam, ut caput, Dominus, Præceptor: Ergo nos lubentes quoque illas sustinere, hanc adire debemus. Quia servus non est major domino suo, *Iohan*. 15. v. 20. nec discipulus supra doctorem *Matth*. 10.v.24,25. Nec decet *membrum deliciari, sub capite spinis coronato*, inquiebat Bernhardus. Quia oportet nos ipsi conformari, *Rom*.8.v.17.29. *Phil*. 3.v.10,11. 2 *Timoth*.2.v.11,12. consortes fieri afflictionum ipsius 1 *Petr*.4.v.13. II. passus est ut relinqueret nobis exemplar, 1 *Petr*. 2.v.21. & præcursor noster factus est *Hebr*.12.v.1,2. Ergo nos eum imitari, & vestigia ejus sequi oportet. III. passus est justus pro injustis, innocens pro nocentibus 1 *Petr*.3.v.18. Ergo nos nocentes coram Deo, gratitudinis ergo propter nomen Christi & testimonium ipsius, perpeti non debemus defugere. *Sanctorum* quales fuerunt in Vet. Test. Patriarchæ, *Hebr*.11.v.36,37,38. & Prophetæ *Matth*.5.v.12. *Cap*.23.v.34,35. In Nov. Test. Johannes Baptista, *Matt*.14.v.3.4.5.10.11. Apostoli, *Actor*.4.v.5. *& per totum librum*. Stephanus, *Actor*.7. Ecclesia Hierosolymitana, *cap*.8. adeòque tota fraternitas omnium fidelium 1 *Petr*. 5.v.9. Non debemus igitur aut propriam fortunam postulare, qui deteriores etiam ipsis: aut communem recusare. Sicut ipsi & liberati à Deo, & in mediis afflictionibus sustentati fuerunt, ita & nos liberabi-

VII. Exempla Christi.

Sanctorum.

berabimur pariter, & sustentabimur ne succumbamus *Psal.* 66. v. 10, 11, 12. & 85. v. 2. & *seqq.*

VIII. Præsentia Dei.

Octavus est *Præsentia & Auxilium Dei* in Persecutionibus. Quam Præsentiam testatus est multis promissionibus; *Psal.* 91. v. 15. *Esai.* 41. v. 10. 11. 14. *Cap.* 42. v. 26. 27. *Cap.* 46. v. 3. 4. *Cap.* 49. v. 15, 16. *Iohan.* 14, 15, 16. *capp.* Confirmavit etiam illustri typo rubi ardentis *Exod.* 3. insigni apparitione, *Dan.* 3. & innumerabilibus exemplis, tum eorum qui perierunt in persecutionibus ut 2 *Maccab* 6. 7. *Act.* 7. tum aliorum, qui liberati sunt, de quibus postea.

Modi ejus.

Modi Præsentiæ ostendendæ multiplices sunt: I. *Protectio fidelium* in persecutionibus, ut ne pilus quidem de capitibus ipsorum cadat, nisi quatenus & quando ipsius gloriæ & saluti ipsorum expedit *Matth.* 10. v. 28. *seq.* II. *Donatio sapientiæ* & sermonis, ut absque sollicita præmeditatione fidei suæ defensionem edere queant, *Luc.* 21. v. 12. & *seqq.* Spiritu S. eos docente eo ipso momento, quæ oporteat dicere *cap.* 12. v. 11, 12. Hoc evidentissimum in iis, qui etiam resectis linguis locuti sunt sub persecutione Vandalorũ, de quibus Gregorius Magnus *lib.* 3. *Dialogor. cap.* 33. & Justinianus Imper. *lib.* 1. *Codicis tit.* 27. *de officio præfecti Prætorio.* III. *Donatio constantiæ* & invicti roboris, ut in Apostolis *Act.* 4. & 5. *cap.* IV. *Preces & exauditio* earum: quas excitat cum suspiriis inenarrabilibus Spiritus Sanctus, *Rom.* 8. v. 26, 27. exemplo Pauli & Silæ *Act.* 16. v. 25, 26. V. *Liberatio* quorundam, quoties visum Deo: de quâ post. VI. *Victoria mundi* & persecutorum in omnibus martyribus, etiam sexu, ætate infirmis, ut in mulieribus & pueris, (verbi gratia: in Paulillo puero, cujus incredibilis constantia enituit persecutione Genserici Vandalorum regis.) 1 *Ioh.* 5. v. 4. qui plus quam victores *Rom.* 8. 37. Nim: quia potentior qui est in ipsis, quã qui in mundo est 1 *Ioh.* 4. v. 4. Et hic prior vicit mundũ *Ioh.* 16. 33.

IX. Liberatio in hâc vitâ;

Nonus est *Liberatio in hâc & futurâ vitâ*: de quâ Christus *Matth.* 19. v. 28. 29. Paulus 2 *Timoth.* 4. v. 17, 18. Liberationis *in hâc vitâ* exempla illustria proponit Scriptura in populo Israëlitico educto ex Ægypto, *Exod.* 3. & *seq. capp. usque ad* 15. in Davide, 1. *Sam.* 24. & 26. in Elia, 2 *Reg.* 1. in Elisæo, 2 *Reg.* 6. in tribus sociis Danielis, qui conjecti in fornacem ignis, *Dan.* 3. in Daniele ipso, *cap.* 6. in Christo *Matth.* 2. & *seqq.* in Apostolis, *Act.* 5. v. 19. in Petro, *Actor.* 12. in Paulo & Sila *Act.* 16. & 2 *Timoth.* 3. v. 11. *cap.* 4. v. 17.

Cautio.

Ubi tamen *cautio* addenda, non omnibus accidere hanc liberationem

rationem

rationem, cum quia ferè miraculosa est: tum quia sic nulli occiderentur: sed pro sapiente ac paternâ voluntate Dei, cui se humiliter subjiciunt Martyres, cum sociis Danielis *cap.* 3. v. 17, 18. Ad hanc liberationem referenda est *benedictio in bonis terrenis* quæ amissa, eorumque multiplicatio, juxta promissionem Dei, *Matt.* 19. v. 28. 29. cujus exemplum in Jobo *cap.* 42. & multis Confessoribus. Sed iterum intelligenda est exceptio castigationis & crucis, ex *Marc.* 10. v. 30. ubi Christus quidem centuplicia nos recepturos dicit, verum *cum persecutionibus*. Liberationis *in vitâ futurâ* sunt certi gradus, ad gloriam & felicitatem Sanctorum Martyrum pertinentes: Cujusmodi sunt. I. Receptio animarum, quæ occidi non possunt, in cælum *Apoc.* 7. v. 13, 14. & *Cap.* 14. v. 13. II. Gloriosa resuscitatio corporum, quâ se solantur, cum in corpore patiuntur *Iob.* 19. v. 25, 26. 2 *Maccab.* 7. v. 9. III. Confessio Christi de ipsis in ultimo judicio *Matt.* 10. v. 32, 33. & *cap.* 25. v. 34. & *seqq.* IV. Æterna felicitas ipsorum in gaudio & gloriâ *Apocal.* 20, 21. *capp.* Quæ secundum gradum excellentior in ipsis futura est, quàm in aliis; ut *Matth.* 19. v. 28. & in *Apocalypsi* docetur. Quidam putant etiam cicatrices vulnerum retenturos, ut Christus à resurrectione, *Iohan.* 20. tanquam trophæa & monumenta victoriæ suæ. Hæc omnia dabit Deus non solum secundum misericordiam; sed etiam secundum justitiam, ut justus judex 2. Timoth. 4. v. 7. 8. Nam *justum est apud Deum, vicissim reddere vobis qui affligimini, relaxationem nobiscum, in revelatione Domini Iesu de cælo* 2 Thess. 1. v. 6. 7.

Benedictio in bonis terrenis post persecutionem, quomodo intelligenda.

in vitâ futurâ ejus gradus.

Decimus sunt Pœnæ *Hostium* & Persecutorum omnium *in hâc & futura vitâ*: qui non solum inexcusabiles redduntur in persecutionibus per confessiones Martyrum, *Luc.* 21. v. 12. & *seqq.* verum etiam quibus ipsæ persecutiones sunt indicium exitii *Phil.* 1. v. 28. Exempla Pœnarum *in hâc vitâ* illustriora proponuntur in Pharaone & Ægyptiis, *Exod.* 14. v. 28. in Saule, 1 *Sam.* 31. in Achabo, 1 *Reg.* 22. Jezebelâ & totâ ejus posteritate, 2 *Reg.* 9. in militibus quinquagenis Achasiæ, 2 *Reg.* 1. in Hamane, *Esth.* 7 in Antiocho, 1 *Maccab.* 6. & 2 *Maccab.* 9. in Herode Agrippâ, *Act.* 12. v. 22, 23. Prætereo alia innumera exempla quæ *Iosephus* proponit in Herode Magno Ascalonitâ, *lib.* 17. *Antiq. cap.* 7. & *de bell. Iud. lib.* 1. *cap.* 21. in Herode Antipâ, qui Joh. Baptistam occidit, *lib.* 18. *Antiq. cap.* 9. in Pontio Pilato, *ibid. cap.* 5. in Herode Agrippâ *lib.* 19. *Antiq. cap.* 7.

X. Pœnæ hostium.

in hâc vitâ.

& in

& in Judæis suis, *passim*: quæque Historiæ Ecclesiasticæ horum & superiorum temporum inde ab Impp. Ethnicis usque commemorant maximè horrenda & atrociâ. De Pœnâ autem *æternâ* est 2*Thess*.1.v.6,7,8,9.*Apoc*.19.v.20.*cap*.20.v.10.Et si *Matt*.25. v.41.*& seqq*.in ignem æternum abjiciuntur, qui neglexerunt, aut omiserunt opera misericordiæ ergà sanctos, quanto magis ii, qui atrociter eos persecuti sunt, omnibusque injuriis affecerunt. Hujus autem pœnæ pro naturâ contrariorum tot constitui possunt *gradus*, quot fuerunt liberationis finalis: idque argumento locorum *Luc*.16.*Ioh*.5.*Matth*.10.*&* 25.*cap*.

æternæ:

gradus.

PROBLEMA QUINTUM.

An, Quibus, & Quatenus licita sit fuga in Persecutionibus?

TRactatio Problematis, quod grave est & necessarium explicatu, quadrimembris erit. I. exhibebit historicam narrationem de hâc quæstione. II. Rationes exponet in utramque partem. III. Decisionem quæstionis subjiciet secundum verbum Dei. IV. addet confutationem argumentorum contra fugam.

I. Historia.

Origo quæstionis.

Quæstio non est nova, nuper demum nata; sed vetus, excitata & agitata sub persecutionibus Impp. Gentilium, maxime Severi Imp. circa Annum Christi 200. vel paulo post: inde autem variè repetita.

Martyria damnabant Gnostici & Valentiniani.

Fugam damnabant Marcionitæ

& Montanistæ.

Prima occasio exstitit partim ex Martyriis Christianorum, partim ex eorundem Fugâ & redemtionibus à Persecutione. *Martyria improbabant* & damnabant *Gnostici* ac *Valentiniani*, docentes non esse adeundum vitæ periculum confessionis causâ; & mortem sibi consciscere, quotquot per mortem Christum confiterentur: teste Clemente Alexandrino *lib*.4.*Stromatum*. *Fugam improbabant* & damnabant *Marcionitæ*, qui in odium Creatoris, ut loquitur Clemens libro jam citato, morti se temerè ingerebant, & licet possent se subducere persecutionibus, nolebant tamen. Post Marcionitas verò etiam *Montanistæ*. Hi cum initio nullam aut levem paterentur persecutionem, eamque omni ratione declinarent; hocque

hocque ipsis exprobrarent Catholici : versi in contrarium, cœco affectu quævis Martyria affectarunt, nec fugam quamcunque amplius tolerarunt. His se adsociavit *Tertullianus*, celebris priscæ Ecclesiæ Doctor, tum quod vir asperioris ingenii ac vitæ Montanistarum amaret propter severitatem, id est, similitudinem disciplinæ; tum quod invidiâ Romani Cleri premeretur. Ideo in Catholicos (quos *Psychicos*, spirituales usitatè nominat per ironiam) invectus, librum contra eos scripsit *de fugâ in persecutione* : ubi eam in totum improbat. *Redemtiones* denique *damnabant* iidem *Montanistæ*, & ex ipsis primus *Tertullianus*, eodem *lib. de Fugâ cap.* 12. 13. Erat autem *Redemtio* solutio certæ pecuniæ, quam vel totæ Ecclesiæ, vel singula earum membra numerabant fisco Imperat. pro impetranda pace & immunitate à persecutionibus, juxta dicta *Proverb.* 13. v. 8. *Luc.* 16. v. 9. Eaque primum urgente sævissimâ persecutione Severi excogitata est. Inter extrema hæc opinionum *mediam viam* & sententiam *tenuerunt Catholici Orthodoxi*, qui parati sanguinem fundere pro fide Christi, ex mandato ipsius, *Matth.* 10. v. 23. fugâ sibi consulebant, quoties occasionem ejus divinitus sibi præberi animadvertebant : Capti verò impulsu Spiritus ad manendum excitati, intrepidè quævis supplicia adibant & perferebant. Clem. Alexand. *Stromat. lib.* 4. Origenes super *Iohannem cap.* 32. & alii.

cumque his Tertullianns.

Redemtiones damnabant Montanistæ.

Redemtio quid.

Fugam probant Orthodoxi.

Hæc est prima origo Controversiæ. Quæ *renovata* est deinceps sub Arianorum Persecutionibus. Tum enim lis mota de fugâ Athanasio, qui persecutioni Constantii Imperatoris se subduxerat, dicentibus Arianis, debuisse eum divinam voluntatem operiendo exspectare, non fugere. Socrates *Hist. Eccles. lib.* 3. *cap.* 6. Ideò *Apologiam* de fugâ suâ scripsit & edidit Athanasius. Post quem quæstionem de fugâ tractavit & eruditè explicavit Augustinus *Epist.* 180. *ad Honoratum*.

renovatio controversiæ.

Denique *repetita* est hæc ipsa controversia in persecutionibus superioris seculi, ubi diversi eam moverunt, sed affectu & scopo diverso. *Alii* improbarunt fugam, tanquam ex timiditate nimiâ & erga Deum diffidentiâ profectam : *Alii* improbarunt, quod manentes sub Antichristi imperio, & veritatem agnitam omissâ confessione dissimulantes, se commodis suis consulere, & possessiones suas retinere posse cernerent. Qui absque dubio gravissimè peccârunt. Atque hâc occasione quæstionem hanc resum-

repetitio Eiusdem.

sumserunt, & de novo explicarunt cum alii Theologi, tum inprimis Petrus Martyr in *Locis communibus & Epistolis Theologicis.*

II. *Rationes in utramque partem.*

Tres propositæ sunt sententiæ de fugâ in persecutione. Earum *prima* quia apertè repugnat Verbo Dei, & ne specie quidem aliquâ veritatis nititur, probationes ejus prorsus omittemus. Examinabimus verò utriusque sententiæ posterioris Rationes: quarum *illa* statuit suo modo licitam esse fugam: *ista* verò asserit nullo modo licitam esse.

Prioris firmamenta sunt ista.

I. Licitam esse fugam probatur. Dictis.

Dicta Scripturæ: Matth. 10. v. 23. *Cum persecuti fuerint vos in urbe hâc, fugite in aliam.* Christus hîc Apostolis non tantum permittit fugam, sed etiam præcipit, fugam nimirum periculi, non officii. Cap. 24. *v.* 16, 17, 18, 19. *Tunc qui in Iudæâ fuerint, fugiant in montes. Qui in solario, &c. Væ autem prægnantibus & lactantibus per illos dies. Orate verò ne fiat fuga vestra hyeme, neque Sabbato.* Hic Christus suadet piis fugam, condolet iis quibus facultas fugiendi ademta erat & jubet non deprecari fugam, sed orare commodam tempestatem fugæ opportunam.

Exemplis.

Exempla: tum Veteris Testamenti, ut sunt *Iacobi*, Gen. 27. 28. capp. *Mosis* Exod. 2. & Actor. 7. *Davidis*, 1 Sam. 21. & seqq. *Prophetarum* ab Obadiâ occultatorum, 1 Reg. 18. *Eliæ*, cap. 19. *Vriæ*, Jerem. 26. *v.* 21. *Sanctorum* illorum, qui *sub Maccabæis* vixerunt, quorum elogia recitantur; Hebr. 11. v. 37, 38. tum Nov. Test. ceu sunt *Iosephi*, cui mandavit Deus, ut cum Christo infante fugeret in Ægyptum, propter persecutionem Herodis, Matth. 2. vers. 13. ipsius *Christi*, qui non semel fugit tum vim apertam, tum insidias inimicorum; nimirum, quando hora ipsius nondum venerat: Vide Matth. 12. v. 15. Johan. 7. v. 8. cap. 10. v. 39, 40. *Fidelium in Ecclesiâ Hierosolymitanâ*, qui, demtis Apostolis, fugâ se subduxerunt, Actor. 8. v. 1. Apostoli *Pauli* fugientis Damasco, Actor. 9. v. 25. 2 Corinth. 11. v. 32, 33. *Ecclesiæ Primitivæ* sub persecutionibus Impp. Gentilium, quæ sæpissimè migravit propter pericula, Eusebio teste; *Sanctorum Patrum*, ut *Polycarpi*, post Martyris, de quo Eusebius; *Cypriani*, qui impellente Dei spiritu se ad tempus,

pus subduxit, vide *Epist. ejus 9. ad* Presbyteros *Ecclesiæ Carthaginensis*, item 15. *ad Clem. Rom. Gregorii Thaumaturgi*, qui non solum fugit ipse, sed suos quoque fugere jussit; *Athanasii*, qui persecutione Constantii Alexandriâ profugit, & factum suum editâ *Apologiâ* defendit. Repetiit quoque fugam sub persecutione Juliani Apostatæ. *Chrysostomi*, qui ad declinandam tempestatem secessit Constantinopoli; *Augustini* denique jam senis, qui patriâ Hipponâ obsessâ à Wisigothis Ecclesiæ suæ consensu secessum quæsivit. Quin etiam ex nostrorum temporum persecutionibus, & earum historiis, exempla innumera dari possunt. *Consulantur inprimis Martyrologia.*

Rationes. Rationibus.

Prima: Deum tentare grave est peccatum. Non fugere in persecutionibus, dum patet via ac modus fugiendi, est Deum tentare. Ergò. *Major* exstat *Deut.* 6. v. 16. *Matth.* 4. v. 7. *Minor* probatur: Qui se citra necessiatem conjicit in periculum corporis & animæ, is Deum tentat. Qui non fugit in persecutione, dum patet via ac modus fugiendi, citra necessitatem se conjicit in periculum corporis & animæ. *Corporis* quidem; quia vitam suam, quam veluti pretiosum depositum acceperat à Deo, prostituit injuriis persecutorum, & sibiipsi decurrat, contra sextum præceptum. *Animæ* vero; quia de viribus suis nimium confidens, seipsum conjicit in discrimen abnegationis Christi, & defectionis ab Euangelio ipsius. Ideò dictum illis: *Qui videtur sibi stare, videat ne cadat* 1 Corinth. 10. v. 12. *Ne effertor animo sed time* Rom. 11. v. 20. *Exemplo* sit Petrus *Matth.* 26. v. 33. In Ecclesia primitivâ multi grassantibus Impp. Ethnicorum persecutionibus, cum robustiores sibi viderentur, & periculum operiendo experiri vellent ultima, sub onere defecerunt, & idolis thura adoleverunt, aliosque cultus præstiterunt, *Euseb. lib.* 6. *cap.* 35. Superiore seculo etiam non pauci, cum exire nollent Babylone, uti jussi erant divinitus, *Apoc.* 18. v. 4. sed in eâ manere, ut aliquid paterentur Christi causâ, fœdâ Apostasiâ prolapsi sunt in exitialem ejus idololatriam. Ergo.

quia non fugiendo tentatur Deus.

Secunda: Quod nec cum pietate in Deum, neque cum charitate in proximum, hoc est, cum neutrâ tabula Legis pugnat, id licitum merito censetur. Fuga in persecutionibus, dum libertas

q. fuga nec cum pietate neque cum charitate pugnat.

fugiendi conceditur, nec cum pietate in Deum, neque cum charitate in proximum pugnat. Ergo. *Minor* est bimembris, & distinctè probatur. De *Pietate in Deum*. I. quia fugientes ignorant Dei de se consilium, & definitum sibi tempus. Id enim soli Deo notum est, *Deut*. 29, v. 29. & si innotesceret ipsis, parati essent ad manendum & patiendum: ut Christus & Paulus. II. quia fugiendo id agunt, ut gloriæ Dei commodius inserviant, seque ipsosmet deputatæ sibi divinitus horæ reservent. De *Charitate in proximum*: I. quia sæpè fugere contingit, ubi nec præsentia nostra manentibus prodesse, neque absentia nocere potest. II. quia fuga servit propagationi Euangelii, & conversioni multorum: ut docet dispersio & fuga Ecclesiæ Hierosolymitanæ *Actor*. 8. v. 1. & *seqq*. III. quia etiam hostibus consulitur, quatenus per fugam ipsis materia subtrahitur, ne se cæde nefariâ & innocenti sanguine contaminent. Ergo.

q. fuga est species confessionis Christi.

Tertia: Species Confessionis Christi, verbo ipsius approbata, non potest esse illicita. Atqui fuga, quæ fit tempore & loco, propter veritatem Euangelii, est species Confessionis Christi, verbo ipsius approbata. Ergò. Probatur *Minor*. I. quia qui sic fugiunt, relinquunt Christi causâ cognationem, possessiones, patriam, &c. *Matth*. 19. v. 27, 29, 30. eoque non verbis, sed re testantur, quam charum sibi sit Christi Euangelium. In Veteri Ecclesiâ hi Confessores dicebantur *Extorres*, qui ne Christum negare cogerentur, dimissis omnibus se subtrahebant. Hi voce quidem non confitebantur Christum coram Judice; confitebantur tamen facto; quia ut Christi fidem salvam custodirent, bona sua fisco relinquebant, & in exilium concedebant, Cyprianus *Epist*. 20. & alii. II. quia abnegantes se ipsos, cum Christo crucem suam tollunt *Matt*. 16. v. 24. Notum enim, quæ mala & incommoda sequantur exilium: quæ ipsâ morte sæpè graviora sunt. Huc faciunt exempla Eliæ. 1 *Reg*. 17. & 19. *capp*. Sanctorum sub Maccabæis, *Heb*. 11. v. 37, 38. & Athanasii exulis, qui passus est vix humana.

q. ex fide fit.

Quarta: Quod fit ex fide, non est peccatum: quemadmodum quod non fit ex fide peccatum *Rom*. 14. v. 23. Atqui quædam fuga in persecutionibus fit, sive suscipitur ex fide. Nam fugam & exilia sanctorum sub Maccabæis Apostolus inter fidei energemata refert & commendat *Hebr*. 11. v. 37, 38. Ergò.

Quinta:

Quinta: Deus omnibus hominibus indidit naturale vitæ retinendæ tuendæque desiderium: idem non minus pedes eis suppeditavit, quibus discedere valeant, cum res tempusque postulat, quam reliqua membra attribuit. Ergò fuga in persecutione non potest esse plane illicita. *Ratio* consequentiæ est; quia tum vita maximè petitur & periclitatur: quæ fugæ & pedum beneficio servari potest, secundum voluntatem Dei. q. studium vitæ omnibus naturâ insitum est.

Posterioris sententiæ fundamenta sunt hæc ferè. II. Illicitam esse fugam probatur.

Dicta Scripturæ: *Ioh.* 10. v. 12, 13. Ubi qui fugiunt veniente lupo, vocantur *Mercenarii*, quibus fideles Pastores opponuntur. *Cap.* 15. v. 13, 14. & 1 *Iohan.* 3. v. 16. hoc summæ charitatis esse dicitur, quam fratribus præstare teneamur, ut animas pro ipsis deponamus: quod non fit, ubi quis fugam capessit vitæ conservandæ ergò. Dictis.

Exempla eorum, qui cum possent fugâ elabi, intrepidè martyria adierunt: *Christus* Servator noster, Matth. 26. Johan. 18. cap. *Iohannes* & *Petrus*, Actor. 4. *Apostoli*, cap. 5. *Petrus* & *Iacobus*, c. 12. nec ullus ferè Apostolorum fuit, qui non morte violentâ obierit: teste Eusebio *lib.* 2. *cap.* 1. & 8. Idem fecit *Ignatius*, lib. 3. cap. 30. *Polycarpus*, *Iustinus*, & alii innumeri martyres Christi. Nec desunt exempla similia in historiis persecutionum nostri temporis. Exemplis.

Rationes: Rationibus.

Prima: Præceptum temporarium & personale in imitationem trahendum non est. Præceptum de fugâ *Matth.* 10. v. 23. est temporarium & personale. *Temporarium:* quia abrogatum est, non minus quam alterum, *in viam gentium ne iveritis.* Vide *Matt.* 28. v. 19. 20. Hinc Apostoli nullum præceptum Ecclesiis dederunt de fugâ. *Personale* quoque; quia solis Apostolis datum est. Ergò. q. præceptum de fugâ sit temporarium & personale.

Secunda: Qui metuendi non sunt, ab iis quoque non est fugiendum. Atqui persecutores, qui possunt corpus occidere, non sunt metuendi, ut est *Matth.* 10. v. 28. Ergo. q. hostes non sint metuendi.

Tertia: Quod conjunctum est cum abnegatione nominis Christi, id non potest esse licitum. Fuga in persecutionibus conjuncta est cum abnegatione nominis Christi. *Ratio:* quia ideo fu- q. fuga conjuncta sit cum abnegatione Christi.

giunt, quod ipſum confiteri nolint, etiam cum periculo capitis *Matth.* 10. v. 33. Ergò.

q. perſecutio ſit bona.

Quarta: Bonum non eſt fugiendum. Perſecutio Eccleſiæ eſt bona: tum ratione *Efficientis*, quia à Deo immittitur: tum ratione *Finis*, quia ad nos explorandos, humiliandos comparata eſt. Ergò.

q. fuga ſit ſtulta & impia.

Quinta: Quod eſt ſtultum & impium non eſt admittendum. Fuga in perſecutionibus eſt ſtulta & impia. *Stulta*: quia Dei manus non poſſumus effugere, ſi nos apprehendi velit *Pſal.* 139. v. 1. 2. 7. *ſeqq.* *Impia* quoque; quia qui fugit, Deo videtur quaſi inſultare, ac ſi etiam ipſo nolente, ſuo arbitratu, ſubducere ſe poſſit. Ergo.

q. fuga ſuſcipiatur aut diffidentiâ de Deo, aut odio crucis.

Sexta: Fuga ſuſcipitur aut diffidentiâ de Deo, aut odio crucis. Utroque modo illicita eſt. Illo: quia Deo maxime fidere debemus in periculis, & ex fide invocare *Pſ.* 91. v. 1, 2. *& ſeqq.* Iſto etiam; quia crucem nobis imperavit, & patienter à nobis ferri vult *Matt.* 16. v. 24. Ergò.

III. *Deciſio Quæſtionis.*

Quæſtio hæc ex earum eſt genere, quæ ſimpliciter nec affirmari, nec negari poſſunt. Et varia eſt reſponſio tam quoad objecta, quàm quoad circumſtantias objectorum. Nos necubi impingamus, diſtinctè reſpondebimus primò in Genere, inde in Specie.

Licita eſt Fuga. 1. Si fugiens dubitet de conſtantiâ ſuâ.

In Genere aſſeveramus *Licitam eſſe fugam* in Perſecutionibus, poſitis tribus hiſce conditionibus. *Prima:* Si fugiens exploratis ante viribus ſuis, & imploratâ ſollicitè & ardenter Dei ope, tamen dubitet de conſtantiâ ſua in profeſſione Euangelii; metuat verò ejus abnegationem & ejurationem. *Ratio:* quia ſi nihilominus maneret, & Deum tentaret, & ſe manifeſto abnegationis periculo exponeret. Ideò Chriſtus dimitti voluit diſcipulos ſuos, cum ipſe caperetur, *Iohan.* 18. v. 8. & cum Petrus nihilominus ſe ingereret, Dominum abnegavit *cap. eod. verſ.* 25. Hæc etiam cauſa eſt, cur tam multi & ſub veteribus & ſub recentioribus perſecutionibus fugâ ſe ſubduxerint. Atq; hoc conſilium etiam *Melanchthoni* & *Bucholcero* fuiſſe, ipſorum de ſeipſis confeſſio teſtatur.

2. Si ſpectet non commoda ſua, ſed gloriam Dei & aliorum ſuique ædificationem.

Secunda: Si in capeſſendâ fugâ non ſpectet quietem ſuam aut commoda temporalia; nec ideo fugiat, quod Chriſtum confiteri erubeſcat: ſic enim omnibus modis illicita eſt: ſed ſpectet gloriam Dei, cui etjam

iam alibi servire possit; ædificationem aliorum; & sui ipsius tum à lapsu præservationem, tum ampliorem confirmationem. *Probatur* I. ex scopo generali vitæ juxta ac mortis nostræ *Rom.* 14. v. 7. 8. II. Exemplis Apostolorum & Ecclesiæ primitivæ, *Matth.* 10. v. 23. *Actor.* 8. v. 1. *& seqq. Iohan.* 18. v. 8. ubi voluit Christus suos abire propter infirmitatem ipsorum; de quâ est *Matth.* 26. v. 41. *Tertia:* Si adsint legitimæ occasiones fugæ: absint verò necessaria ejus impedimenta. *Occasiones legitimas* voco, quæ nec cum pietate in Deum, neque cum charitate in proximum pugnant; & divinitus nobis quasi monstrantur, & patent ad abeundum & evadendum periculum. Quod *intus* fit per impulsum Spiritus S. qui notatur in historiâ Christi, & Cypriani; *foris* variis modis. *Impedimenta* tria sunt: I. *Specialis vocationis & officii:* quod non est, etiam metu periculi, deserendum. Ad id enim obstricti & obligati sumus: Ideo addidit ei Deus specialem permissionem *Psal.* 91. v. 12. II. *Interni impulsus:* cum quis intus movetur ac impellitur per Spiritum S. ad manendum & intrepidè adeundum periculum, Confessionis causâ. *Ratio:* quia illo monitore certior fit de voluntate Dei: cui non reluctari, sed obtemperare debet, tam in morte, quàm in vitâ. *Exempla* hujus nobis proponuntur in Christo, *Iohan.* 13. v. 1. in Paulo, *Actor.* 20. v. 22. *& seq.* in Justino Martyre & aliis. Martyrologium etiam recitat exemplum *Aimundi la Voye*, ministri Burdigalensis; qui monitus de imminente periculo, & ut fugâ sibi consuleret rogatus, sibi id persuaderi non est passus; boni Pastoris esse dicens manere, ne dissiparentur oves, & Euangelium, quod annunciaret, fabulas aut somnia, aliave Deo contraria fuisse crederetur. III. *Politicæ potestatis:* cum quis jam incidit in manus & potestatem Magistratus persequentis, ejusque custodia asservatur. Tum enim fugiendum non esse, vel hinc patet: quod inde nobis constare potest de voluntate Dei, quod velit nos supplicium pati pro nomine suo, & advenerit terminus vitæ nostræ. Cui voluntati non est reluctandum. Hinc Apostoli nunquam effregerunt carceres & aufugerunt: sed vel castigati & dimissi sunt à magistratu, *Act.* 5. *cap.* vel supplicium subierunt, ut Jacobus, *cap.* 12. vel divinitus fuerunt liberati, ut Petrus, *cap. eod.*

3. Si adsint legitimæ occasiones, absint necessaria impedimenta. Occasiones legitimæ quæ

Impedimenta Specialis vocatio.

Internus impulsus.

Politica potestas.

In Specie distinguimus varios status ac ordines hominum secundum Oeconomiam, Politiam, Ecclesiam: de quibus variat responsio.

In Oeconomiâ quibus fuga concessa, quibus non

In *Oeconomiâ* permissa est fuga, & licita est vel integris familiis, vel quibusdam personis in iis; sed cum consensu, si sint obligatæ. *Ratio:* quia sunt Personæ privatæ, non impeditæ specialis officii functione. *Personæ obligatæ* autem sunt tum Conjuges, qui sibi invicem devincti, tum parentes & liberi. Uxor igitur non potest fugere, nisi consentiente marito; & vicissim: *argumento loci* 1. *Corinth.* 7. v. 4. 5. nec liberi fugere, nisi de consensu Parentum; inprimis cum his necessaria est eorum opera. Nam hoc pertinet ad honorem debitum parentibus. Servorum alia nunc ratio est, quam olim: tum enim perpetua ferè erat servitus & personalis *Exod.* 21. v. 6. *Philem.* v. 15. Nunc omnes servi sunt liberi & servitus ipsorum est brevis temporis pro voluntate ipsorum. Tamen, quoad obstricti, non discedent invitis Dominis.

Personæ obligatæ quæ.

In Politiâ quibus fugere liceat.

In *Politiâ* facilis est & expedita responsio. *Magistratus* aut sunt *Superiores*, habentes jus summi Imperii; aut *Inferiores*, iis subordinati, qui quod habent potestatis ab illis acceperunt & illorum nomine exercent. *Illi* aut ipsi *movent* persecutiones, cum sunt hostes Ecclesiæ; & sic nulla est quæstio: aut *patiuntur* persecutiones, cum sunt membra Ecclesiæ; & sic non fugere, sed armis religionem, Ecclesiam, ex officio tueri debent, ceu nutricii Ecclesiæ, *Esai.* 49. v. 23. exemplis piorum Regum aut Impp. *Isti* subjecti *hostibus* dejiciuntur suis muneribus, & in formam privatam rediguntur; & sic eadem responsio est de iis, quæ de aliis privatis. Subditi verò *piis* non fugere, sed juvare debent Magistratum superiorem in depellendis persecutionibus & injuriis religionis causà.

In Ecclesiâ Pastoribus fugere non licet.

In *Ecclesiâ* Pastoribus sive Ministris Ecclesiæ non est licita aut permissa fuga. I. quia obstat illud Christi de mercenariis, *Iohan.* 10. v. 12. 13. II. quia obstricti & obligati sunt certis Ecclesiis, *Act.* 20. v. 28. 1. *Pet.* 5. v. 2. III. quia eorum tum maxima necessitas, quoad doctrinam, consilium, & exemplum. IV. quia reddere rationes tenentur de animabus ovium suarum *Ezechiel.* 3. v. 2. *& seqq. cap.* 33. v. 7. *& seqq. Hebr.* 13. v. 17 *Excipiuntur* tamen certi *casus*, quibus fugere possunt, I. Si persecutio sit personalis, contra hujus vel illius ministri personam suscepta. Ita Uria secessit in Ægyptum, ut evitaret furorem Regis Jojakim *Ierem.* 26. v. 21. Paulus fugit Damasco, dimissus in corbe è muro urbis *Actor.* 9. v. 25. Athanasius Alexandriâ abiit *Socrat. lib.* 3. *cap.* 6.

Casus in quibus fuga ipsis concessa.

cap. 6. Chrysostomus Constantinopoli, *Sozom.lib.* 8. *cap.* 27. salvis Ecclesiis earumque ministerio. II. Si in eâdem Ecclesiâ numerosi vel saltem plures sint ministri, ne omnes simus & semel periclitentur, & iis orbetur Ecclesia, possunt aliqui secedere, & se reservare futuræ necessitati, de consensu Ecclesiæ. Quinam autem ex pluribus dimittendi sint, judicio Ecclesiæ, aut presbyterii permittatur: Vel, ne quis aut invitus manere cogatur, aut alius nimium de viribus suis præsumens permanere eligat, sorte, cum invocatione nominis divini, res dirimatur: uti factum *Actor.* 1. *cap.* *Ratio* hæc est: quia sic ministerio Ecclesiæ nihil decedit; imo etiam prospicitur in futurum. Ita occultati fuerunt prophetæ ab Obadiâ 1 *Reg.* 18. Ita dimissus est Paulus Damasco; manente Ananiâ & aliis *Actor.* 9. Separantur Paulus & Barnabas ministerii causâ, *Actor.* 13. v. 2. quidni ergò ad tempus dimitti queant, conservationis ergò? Testatur etiam Historia Valdensium ad Annum 1561. quod ad tempus dimiserint omnes suos Ministros, contenti Senioribus & Diaconis, ne eorum jacturam facerent: simul tamen etiam ferociam suorum persecutorum mitigarent. III. Si tota Ecclesia migret aut dissipetur. Tum enim aut unà migrare, discedere licebit: ut Prophetæ qui cum populo migrarunt in Babel; Simeon Cleophæ Hierosolymâ migrans Pellam cum piis, monitu divino, ut refert Eusebius; & ut Johannes à Lasco discessit cum Ecclesiis peregrinorum ex Angliâ, Marianis temporibus: aut dissipato cœtu, Ecclesiæ desinit esse minister, & fit privatus; & tum licet ei quod aliis privatis. Exempla plura occurrunt in historiis antiquis, cum gentes barbaræ infuderunt se in Italiam & Africam, eversis Ecclesiis. Et nunc, proh dolor, ob oculos sunt in Palatinatu: ubi passim pagi, vici ab habitatoribus suis planè deserti conspiciuntur. Extra hos casus licitam esse ministro fugam non censemus: idemque sentiunt Augustinus *Epist.* 180. *ad Honoratum*, Martyr, & alii.

Cæterum sententiæ huic obstare videntur exempla in sacris: Eliæ, 1 *Reg.* 19. Uriæ prophetæ, *Ierem.* 26. v. 21. Pauli Apostoli, *Actor.* 9. v. 25. imò ipsius Christi, *Iohan.* 7. 8. 10. *capp.* qui cum essent Pastores Ecclesiæ; Christus etiam ἀρχιποιμὴν princeps pastorum, 1 *Petr.* 5. v. 4. tamen fugerunt in persecutionibus. *Respon-* Exempla Eliæ, Uriæ, Pauli, Christi fugientium quatenus imitanda sint.

ſio gemina eſt. *Prior* diſſimilitudinis in exemplis. Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli, mandato vel ſaltem impulſu ſpeciali & extraordinario incitati fuerunt ad fugam: quod ſcirent tum horam ſuum nondum veniſſe, tum alia quoque alibi in miniſterio ſuo ſibi peragenda eſſe: ſicut de Eliâ dicitur, 1 *Reg.* 19. quod Angeli mandato iter quadraginta dierum ſuſceperit: Paſtores & Doctores Eccleſiæ ordinarii hujuſmodi mandatum nullum habent. Illi non fuerunt certo loco alligati, ſed modo hîc, jam illic munus ſuum exſequebantur, ut hiſtoria docet: & Paulus Gentium Apoſtolus teſtatur ſibi incumbere curam omnium Eccleſiarum, 2 *Corinth.* 11. v.28. at Paſtores, Doctores Eccleſiæ, oppidatim vicatim conſtituti, *Actor.*14. *v.*23. *Tit.* 1. v. 5. ſingulis Eccleſiis ſigillatim obſtricti ſunt, & cum iis manere debent. *Altera* verò analogiæ ſive alicujus ſimilitudinis. Sicut Urias, Paulus fugerunt in perſonali perſecutione; ita etiam miniſtro illo caſu licere oſtendimus: inprimis cum alii adſunt miniſtri, ut erant Hieroſolymis & Damaſci, qui ipſorum vicem gerere poſſint, ne quid Eccleſia detrimenti capiat.

Scholaſticis num fuga ſit licita?

Unum ſupereſt de *Scholaſticis*, hoc eſt, de docentibus & diſcentibus in Academiis & Scholis: quid de ipſorum fugâ ſit ſentiendum? *Reſpond.* Non repetam, quæ hic ordo communia habet cum aliis. Tantùm quæ ei peculiaria ſunt, ſubjiciam. In omnibus bellis, etiam non ſuſceptis contra Religionem, quæ Auguſtinus alicubi vocat *ſteriles perſecutiones*, diſſipantur ac dilabuntur hujuſmodi cœtus. Inter arma ut leges ſic Muſæ ſilent. Quanto magis in perſecutionibus, ubi cœtus hujuſmodi primum omnium petuntur: quod factum in Perſecutione Juliani Apoſtatæ; & hodieque exempla ob oculos habemus tum hîc, tum in totâ Provinciâ. Diſcentes non ſunt obſtricti certo loco, non obligati uni alicui Eccleſiæ: ſed educantur in ſpem miniſterii. Poſſunt igitur liberè diſcedere, quo volunt. Ipſis autem abeuntibus, quis uſus docentium: aut quod impedimentum fugæ ipſorum? Imo ut in contagionibus publicâ autoritate diſſolvuntur hujuſmodi cœtus, & aliò ablegantur; ita ferè in bellis. In Scripturis nihil diſertè habemus de Scholis: ſed non incommodè huc refertur fuga & occultatio prophetarum, 1 *Reg.* 18. qui ex parte ſaltem fuerunt filii prophetarum, ex collatione 2 *Reg.*2.*cap.*

& ſic

& sic Candidati solum ministerii, sive studiosi liberi, non autem ministri.

IV. *Confutatio argumentorum contra Fugam.*

Dictorum: quæ impertinenter allegantur ob fallaciam à dicto secundum quid. *Iohan.* 10.v.12,13. non quævis fuga culpatur, interdicitur; sed fuga Pseudopastorum sive mercenariorum; qui quando volunt, se à gregibus suis subducunt, non cum à tyrannis vi ejiciuntur. Idque ideò, quia quæstum tantum suum, non gregum suorum salutem quærunt. *Iohan.* 15.v.13,14. & 1 *Iohan* 3.v.16. quod dicitur de animâ ponendâ pro fratribus, id tum locum habet, cum præsentia nostra & utilis ipsis est in persecutionibus, & necessaria. At sæpe fuga utilior est, nim: quoties magis expedit Ecclesiæ Dei nos manere in carne, ut est *Phil.* 1.v.24. Quandoque etiam est magis necessaria: cum fratribus captivis non possumus; nobis autem liberis adhuc debemus consulere. *Vindiciæ dictorum* *Ioh.* 10. v. 12. 13. *Ioh.* 15. v. 13. 14. & 1 *Ioh.* 3. v. 16.

Exemplorum: quæ id tantùm concludunt, fugam nec cuivis, nec quovis loco & tempore esse licitam. Idem verò nos decisione quæstionis aperte asseruimus. Quod verò simpliciter non sit illicita, hæc ipsa exempla evincunt. Nam & Christus quandoque fugit, & fugerunt Apostoli ipsius: fugit etiam Polycarpus & alii: de quibus suprà.

Rationum: quas ordine illo, quo propositæ sunt, dissolvemus.

Prima: Minore falsa est, secundum utrumque membrum. *Quoad prius*: quia perpetuum est præceptum, nullibi revocatum aut abrogatum; sicut duo illa, de viis gentium & urbibus Samaritanorum, *Matth.* 28. *Marc.* 16. vel si abrogatum, quia istis conjunctum; cætera quæ præcedunt & sequuntur similiter fuerint abrogata; quod nunquam audebunt profiteri. Observatio hujus præcepti etiam post Christi adscensionem, idque in gentibus, ostendit perpetuum ejus vigorem. Nec obstat quod Apostoli nihil præceperunt de fugâ in persecutione, I. quia hoc non erat necessarium, tum quia id jam ante factum à Christo; tum quia naturale desiderium vitæ retinendæ dictat fugam, & ad fugiendum impellit. II. erat etiam valde difficile, quia speciales casus, quando licita sit fuga, quando non, non ita possunt definiri. Præcepto igitur generali contenti esse voluerunt. *Quoad* Confutatio argumenti primi.

alterum: quia aliis commune est cum Apostolis, ut docet ipse Servator, *Matth.* 24. v. 16, 17. & praxis Ecclesiæ Apostolicæ, *Act.* 8. v. 1. *& seqq.* evincit: in quâ manentibus Apostolis dissipati sunt & fugerunt discipuli.

secundi. *Secunda:* habet fallaciam à dicto secundum quid. Non metuendi sunt, vid. in tantum, ut metu mortis, & vitæ retinendæ spe induci nos patiamur ad Christum abnegandum: ut circumstantiæ textus clarè docent. Simpliciter non esse metuendos, falsum est. Cur igitur hoc ipso capite fugam in persecutionibus imperat Dominus?

tertii. *Tertia:* aut particulariter tantum concludit, quod quædam fuga sit illicita: & datur totum. Siquidem in confesso est, fugam quæ conjuncta est cum abnegatione nominis Christi esse illicitam. Aut concludit universaliter, & falsa est Minor; nim: quod omnis fuga conjuncta sit cum abnegatione Christi. Multi fugiunt in persecutionibus, ne Dominum abnegent per infirmitatem carnis suæ. Et dum fugiunt ipsum confitentur, ut qui ipsius causâ domos, cognationem, patriam, & omnia relinquunt *Matth.* 19. v. 28, 29. Hi in veteri Ecclesia peculiari appellatione *Extorres*, id est, Christi exules vocabantur.

quarti. *Quarta:* laborat fallacia accidentis. *Major* vera est de bonis per se: *Minor* de iis, quæ per accidens sunt talia. Ea verò si non licet suo ordine & modo fugere, etiam bellum, fames, pestis, morbi, & alia fugienda non sunt; quæ & ipsa à Deo immittuntur, & ad commodum fidelium comparata sunt, quibus omnia simul adjumento sunt in bonum *Rom.* 8. v. 28.

quinti. *Quinta:* recurrit fallacia à dicto secundum quid. Stulta, impia est fuga, quando certò constat de voluntate Dei, sive *externo* verbo; ut Paulo constabat ex prædictione Agabi, *Act.* 21. v. 11. sive *interno* instinctu, ut Christo *Iohan.* 13. v. 1. quod vid. velit Deus nos manere, & pati supplicium pro veritate. Talis quodammodo fuit fuga Jonæ, in casu licet dissimili *cap.* 1. v. 3. 4. Sed qui legitimè fugiunt prout nos fugam hîc defendimus, ignari sunt consilii & voluntatis divinæ de sese; utunturque occasionibus divinitus oblatis. Proindè nec stultitiæ, neque impietatis insimulari jure possunt.

sexti. *Sexta:* habet insufficientem partium sive causarum enumerationem. Fugiunt pii in persecutionibus nec diffidentia erga Deum,

Deum, neque odio crucis: sed diffidentia de viribus suis, quod spiritum quidem promptum at carnem infirmam sentiant, *Mat.* 26. v. 41. item reverentia erga Deum, quem manendo tentare nolunt, neglecta opportunitate evadendi periculum: denique etiam studio tum gloriæ Dei, tum salutis proximi, imò totius Ecclesiæ, cui superstites diutius servire desiderant, secundùm voluntatem Dei.

Coronidis loco addo duas *Regulas*, circa quæstionem de Fuga observandas.

Prima: *Fuga, etiam licita, sæpe conjuncta est cum infirmitate carnis & defectu.* Probatur I. quia spiritus quidem promptus, at caro infirma *Matt.* 26. v. 41. II. quia variæ ac difficiles circumstantiæ in fuga licita: quæ aut non semper succurrunt, aut non semper observantur. Illustratur *exemplis* Eliæ, 1 *Reg.* 19. v. 1. 2. *seq.* Uriæ, *Jerem.* 26. v. 21. & Apostolorum *Matth.* 26. v. 56. Ideò rogandus Dominus, ut Spiritu suo bono regat hujusmodi consilia, & in fuga nos sua manu ducat *Psal.* 143. v. 10. Fuga etiam licita non sine defectu.

Altera: *Nec fugientes à manentibus contemni, tanquam leves aut timidi; neque manentes à fugientibus ut confidentes, præsumtuosi culpari debent.* Probatur I. quia utrique nituntur testimonio rectæ conscientiæ secundum verbum Dei, cujus ipse solus est judex. II. Utrique examen & modulum virium suarum sequuntur. III. Utrique Dei gloriam & ædificationem Ecclesiæ ex animo quærunt: licet modis diversis, imò contrariis. Illustratur argumento à pari ex *Epist. ad Roman. cap.* 14. de infirmorum mutua tolerantia. Ubi tamen dissimilitudo est. Quia qui infirmi dicuntur, non intelligebant libertatem suam in Christo. Hic autem non omnes fugientes sunt infirmi: nisi & Christum, & Paulum iis quoque accensere lubeat. Fugientes & manentes se invicem culpare non debent.

PROBLEMA SEXTUM

Cur Deus permittat lapsus Sanctorum in persecutionibus? & num lapsi in communionem Ecclesiæ recipiendi sint?

SErvator noster de Cruce & Persecutionibus disserens, non solùm quorundam constantem confessionem, sed etiam cæterorum fœdam abnegationem prædixit. *Matth.* 10. & 24. *capp.*

Constantes in persecutione Martyres, Confessores.

Illorum: tres quasi ordines fecit Antiquitas. Erant enim alii *Martyres* κατ' ἐξοχὴν sic dicti, qui vitam inter diros cruciatus ponebant pro veritate Euangelii. Alii *Confessores*, quod Christum confessi, & propterea tormenta passi, dimitterentur à Persecutoribus. Hi tamen etiam Martyres vocantur à Cypriano *in Epistolis:* ab aliis Martyres designati. Alii *Extorres*, qui ne Christum negare cogerentur, relictis omnibus fiebant exules: qui tamen etiam inter Confessores numerabantur. Nam etsi coram Judice liberâ voce non confiterentur, tamen facto id præstabant, quatenus Christi causâ omnia suo fisco relinquebant, & in spontaneum exilium concedebant.

Extorres.

Inconstantes.

Istorum etiam non leve est discrimen. Nam alii abnegârunt Christum ejusque Euangelium corde & ore simul; ut omnes temporarii, qui radicem non habent, *Luc.* 8. v. 13. in quibus excellunt peccantes in Spiritum Sanctum, *Heb.* 6. & 10. *capp.* & uno communi nomine *Apostatæ* vocantur. Qualis fuit Judas, Hymenæus, Philetus, Julianus Imp. & alii. Nonnulli verò ore tantum negant, non corde: ut Petrus, de quo notum est dictum Augustini: *Non defecit Petrum fides in corde, cum deficeret confessio in ore.* Item Origenes Epiphanio teste, *heres.* 64. Marcellinus Episcopus Rom. & innumeri alii, inprimis sub persecutione Decii Imp. Hi uno communi nomine *Infirmi* dici queunt. Distinguuntur verò & ipsi inter se specialibus nominibus apud Cyprianum *in Epist.* & alios: qui duplex genus Lapsorum faciunt. Nam alios vocant *Sacrificatos*, *thurificatos*, vel communi nomine *Idololatras*: alios autem *Libellaticos*. *Sacrificati* erant, qui quomodocunque immolassent Diis, idolis Gentium, vel immolata, gustassent. *Thurificati*, qui thus obtulissent, vel adolevissent. *Idololatræ*, qui quemvis religionis cultum idolis publice exhibuissent. *Libellatici* denique, qui exhibito Magistratui libello Christum se abnegare profitebantur: cæterum necessitatem sacrificandi idolis pecuniâ redimebant, & libellum securitatis à Magistratu vicissim accipiebant. Erat igitur *Redemtio* illa alia longè, quam de qua dictum Problem: antecedenti. Nam illi redimebant pacem salvâ confessione & veritate: hi negatâ veritate. Quæ nomina pro qualitate lapsuum etiam nostris temporibus accommodari possunt.

Apostatæ; Infirmi; iique Sacrificati, Thurificati, Idololatræ, Libellatici.

Status Controversiæ.

Nos hoc Problemate non de quibusvis Lapsis, etiam Apostatis, Hæreticis, peccantibus in Spiritum Sanctum; sed de infirmis, sive

sive lapsis ex infirmitate agimus. Unde de *Lapsibus Sanctorum* quæritur. Neque etiam indefinitè de omnibus ipsorum lapsibus, qui varii sunt in vitâ communi: sed definitè de Lapsibus in Persecutione, circa Professionem Christi & Euangelii ipsius, ac cultum religionis. Exempla illustriora hujusmodi lapsuum historia Sacra proponit in *Aarone*, Exod. 32. & *Petro Matth.* 26. Ecclesiastica in *Origene*, *Marcellino*, *Osio*, & aliis.

Definito & explicato Statu quæstionis, sequitur tractatio ipsa Problematis, quod est bimembre. Nam quæritur I. *Cur Deus permiserit & permittat lapsus illos Sanctorum?* II. *Num Sancti Lapsi recipiendi sint in communionem Ecclesiæ?*

De Primo.

Quod Deus permittat lapsus illos Sanctorum, certum est. Nam permittit omne peccatum *Psal.* 81. v. 13. & *Act.* 14. v. 16. Et ipso non permittente, sed impediente, nullum omninò patrari & evenire posset. Et si ne pilus quidem de capite piorum cadit aut cadere potest in persecutionibus: ut ipse Christus testatur, *Matth.* 10. v. 29, 30. sine voluntate Dei: quomodo ipsi in persecutionibus caderent, inciderent in tam grave peccatum abnegationis Christi, sine voluntariâ Dei permissione. Deus permittit lapsus sanctorum.

Sed *causa* hujus Permissionis non est ita obvia: Et pugnare videtur cum illâ Dei promissione, quæ exstat 1 Corinth. 10. v. 13. *Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis; sed unà cum tentatione præstabit etiam exitum, ut possitis eam sufferre.* In causas igitur Permissionis hujus inquiremus; non prout latent in arcano Dei consilio; sic enim ipsi soli notæ sunt: sed quatenus nobis patefactæ sunt in verbo; & eventu ipso innotescunt. Rectè Augustinus: *Nullum malum in operibus suis sineret Omnipotens, nisi adeo esset omnipotens & bonus, ut etiam benefaceret de malo.* Permittit igitur lapsus Sanctorum in Persecutionibus, ut eos vertat in bonum: quod Veteres dixerunt, *Deum abuti peccatis*, id est, à suo naturali quasi fine ad alienum ea traducere: sicut dicitur Genes. 50. v. 20. *Vos cogitaveratis adversus me malum, sed Deus cogitavit illud in bonum convertere.* Causa permissionis.

Causæ igitur hujusce Permissionis in Finibus, propter quos Deus permisit illos lapsus spectandæ sunt. *Fines* porrò illi sunt triplices, sunt fines quoad.

triplices, alii Deum, alii Sanctos lapsos, alii Proximum attinentes.

I. Deum. Gloria gratiæ, fidei, potentiæ.

Quoad Deum Finis est *Gloria* gratiæ, fidei, & potentiæ ipsius. *Gratiæ*, quia ejus amplitudo illustrior fit, ex iteratâ remissione etiam tam gravium lapsuum. *Confer Psalm.* 103. v. 10, 11. *& Psalm.* 51. *Fidei*, quia veritas geminæ promissionis commendatur: tum quod nolit lapsos abjicere, *Psalm.* 89. v. 31. *& seq.* tum quod eosdem velit erigere, *Ierem.* 3. v. 9, 17. adeóque labentibus supponat manum, *Psalm.* 57. v. 24. *Potentiæ*, quod nemo possit rapere oves Christi ex manibus ipsius & Patris, *Iohan.* 19. v. 28. 21. quin imò quod ne portæ quidem inferorum prævalere possint adversus singula membra Ecclesiæ, *Matth.* 16. v. 18. ut quæ virtutis Dei præsidio custodiuntur ad salutem per fidem 1 *Petr.* 1. vers. 3, 4.

2. Sanctos lapsos Humilitas. Vigilantia. Mansuetudo ergà lapsos. Desiderium vitæ futuræ.

Quoad ipsosmet Sanctos Lapsos fines sunt I. *Humilitas*: ut humilientur per lapsus suos, nè vel elatè nimis de se sentiant, vel abjectè & contemtim de proximo suo *Phil.* 2. v. 3, 4. Exemplum Petri, *Matth.* 26. v. 33. *& vers.* 74. 75. *inter se collatis* id ostendit: unde *Iohan.* 21. v. 15. *& seq.* comparatè rogatus, absolutè respondet. II. *Vigilantia* & cautio: ne securitati carnis suæ amplius indulgeant; sed lapsibus suis moniti, deinceps eos diligentius caveant, & ut cavere possint Dei gratiam interdiu ac noctu implorent: adeóque cum timore & tremore salutem suam operentur. *Confer Rom.* 11. v. 18. *& seqq.* 1 *Corinth.* 10. v. 12. III. *Mansuetudo* ergà fratres lapsos, ut iis condoleant; non contemnant eos, sed suscipiant: ut qui ipsi etiam lapsi. Huc pertinet illud Christi *Matth.* 18. v. 21. 22. *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*, scilicet, remittes fratri tuo peccanti in te, & Pauli Galat. 6. v. 1, 2. *Fratres etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquâ offensâ, vos spirituales reconcinnate hujusmodi hominem cum spiritu lenitatis: considerans unusquisque temetipsum, & ne tu tenteris. Alii aliorum onera portate, & ita complete Legem Christi.* IV. *Desiderium vitæ futuræ*, in quo demum liberandi sunt à peccato inhabitante, à quo tam fœdi Sanctorum Lapsus promanant. *Vide Rom.* 7. v. 24, 25. *cap.* 8. v. 23. *Apoc.* 22. v. 20.

3. Proximum. Solatium infirmorum. Informatio ad pœnitentiam.

Quoad Proximum Fines sunt. I. *Solatium infirmorum* & remedium desperationis, ne desperent in his aut similibus peccatis. *Vide* 1 *Timoth.* 1. v. 15, 16. II. *Informatio ad veram pœnitentiam*: quæ in Sanctis resurgentibus à lapsu suo graphicè depingitur, ut in Davide,

de; *Psal.*51. in Petro, *Matth.* 26. *Iohann.* 21. in muliere peccatrice, *Luc.*7. in filio prodigo *Luc.* 15. III. *Dehortatio à superbiâ & securitate:* quam Paulus proponit *Rom.* 11. *cap.* & alibi. Dehortatio à superbiâ.

Ex quibus omnibus planum est, *quomodo Lapsus Sanctorum* in Scriptura nobis *considerandi* sint. *Non ad contemtum ipsorum;* hoc enim esset retegere pudenda ipsorum: *Nec ad imitationem;* quia in ipsis culpantur, & castigati sunt divinitus: *Neque etiam ad excusationem aut extenuationem lapsuum nostrorum;* hoc enim esset sibi blandiri in peccatis, iisque folia ficulnea obducere: *sed ad doctrinam, correctionem, institutionem, consolationem:* uti dictum. Lapsus Sanctorum quomodo considerandi.

Superest nunc ut satisfaciamus objectioni ex Paulo 1 *Corinth.* 10.v.13. Deus non sinet tentari suos supra vires. Ergò non sinet eousque tentari Sanctos, ut labantur in persecutionibus. *Respond.* Deus dupliciter dici potest tentare supra vires: *Semel*, cum ita tentat ut peccent, succumbant tentationi. *Iterum*, ut etiam ruant in exitium, nec inveniant exitum. *Secundo* modo nunquam tentat Sanctos: & de hoc propriè loquitur promissio, ut docet exegesis. Semper enim etiam in peccantibus manet semen Dei. *Primo* autem modo aliquando tentat justo judicio; nim: cum elati, securi sunt. *Simplicius* sic: *Supra vires;* id est, ut non detur exitus, sive ad exitium. Est enim Tentatio *juxta vires*, iis attemperata, quam possumus superare per Dei gratiam vigilando, orando *Matth.* 26. Est etiam *supra vires*, cui succumbunt, qui eâ tentantur, unde non datur exitus, sive quæ ad exitium est. Illâ, non istâ tentantur Sancti. Explicatur dictum 1.Cor.10.v.13.

De Secundo.

De *Receptione Sanctorum Lapsorum* gravis & diuturna fuit controversia in Ecclesiâ Primitivâ: orta sub Persecutione gravissimâ Decii Imp. & ad Constantinum usque Magnum, & ultrà continuata: quæ ne quidem in Concilio Niceno quievit. *Occasionem* controversiæ præbuerunt crebræ defectiones & abnegationes fidelium infirmorum, maxime sub Decio Imp. Ii desævientibus persecutionibus, & pace redditâ Ecclesiis, recipi cupiebant in ejus societatem & communionem. Cœptum igitur disputari de Receptione eorum. Fuerunt autem de eâ tres sententiæ inter se contrariæ, duæ extremæ & una media. Origo controversiæ.

I. Novatus lapsis omnem veniam negabat.

Prima fuit *Novati*, qui omnem semel lapsis veniam præcisam esse asseverabat: argumentis cum aliis, tum inprimis duorum locorum, *Hebr.6.v.4,5,6.& cap.10.v.26.& seqq.* quæ tamen non de quovis lapsu, sed de Apostasiâ universali, & peccato in Spiritum Sanctum loquuntur. Fuit *Novatus* Afer natione; & cum esset Presbyter & Episcopatum affectaret, repulsæ dolore ad res novas movendas animum adjecit. Primum virus suum sparsit in Africâ; inde etiam in Italiâ. Sectatores ejus dicti fuerunt *Novatiani*, itemque *Cathari*, quod se reliquis vitâ moribusque puriores esse jactitarent.

II. Novatianus omnes promiscuè admittebat.

Secunda Novatiani, & socii ipsius *Felicissimi*, perditissimorum hominum; qui ut Orthodoxis Episcopis ægrè facerent, contendebant lapsos omnes promiscuè, absque pœnitentiâ mox suscipiendos. Fuit autem *Novatianus* Presbyter Ecclesiæ Romanæ qui excusso per calumnias Cornelio Episcopo, in sedem illam se intrusit: unde tamen paulò post est ejectus. Sectatores ejus *Novatianenses* dicti sunt: qui cum Novatianis sæpe confunduntur.

III. Orthodoxi recipiebant sed non absque præviâ pœnitentiâ.

Tertia est *Ecclesiæ Orthodoxæ*: quæ mediâ viâ incedens, lapsos recipiendos esse statuit, sed non absque præviâ pœnitentiâ. Hæc est doctrina Cypriani *lib. de lapsis*, approbata in Concilio Carthaginensi, in Conciliis Romanis duobus, & aliis sequentibus. Eandem etiam tenent ac tuentur *Ecclesiæ Reformatæ* contra Anabaptistas, qui soboles quædam sunt Novatianorum. Ideò utrumque paucis demonstrabimus ex Scripturâ.

Lapsi sunt recipiendi.

Prius: Quod recipiendi sint lapsi, revertentes ad Ecclesiam, ostenditur *Dictis* Scripturæ: Ezechiel. 18. v. 21. & seqq. *Quum improbus conversus ab omnibus peccatis suis quæ fecit, observabit omnia statuta mea, & exercebit jus & justitiam, omnino vivet, non morietur. Omnes defectiones ejus quas commisit non commemorabuntur ei; in suâ justitiâ, quam exercet vivet. An ullo pacto delector morte improbi? dictum Domini Iehovi: annon cum revertitur à viis suis, ut vivat?* Esa. 1.v.16,17,18. *Lavate vos, purificate vos, amovete malignitatem actionum vestrarum ex adverso oculorum meorum: desinite malefacere. Discite benefacere, quærete jus, beate oppressum, jus dicite pupillo, suscipite causam viduæ; Venite jam & disceptemus, inquit Iehova, si fuerint peccata vestra velut dibapha, tanquam nix exalbescent: si rubra fuerint velut coccineum, similia lanæ erunt.* Jerem.3.v.7,8,9. *Revertere aversa*

re aversa Israel, dictum Iehovæ, non faciam ut irruat facies mea irata in vos; nam benignus sum, dictum Iehovæ, non asservo iram in seculum. Tantummodo agnosce iniquitatem tuam, te à Iehova Deo tuo defecisse. Revertimini filii aversantes, dictum Iehovæ; nam ego conjugio junctus sum vobis, & recipiam vos. & vers. 17. *Revertimini filii aversantes, curabo aversiones vestras.* Matth. 18. v. 21, 22. *Petrus dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? an usque septies. Dicit ei Iesus: non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies.* 1 Joh. 2. v. 1, 2. *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut ne peccetis. Quod si quis peccarit, advocatum apud Patrem habemus, Iesum Christum justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: nec pro nostris solum, sed etiam totius mundi peccatis. Exemplis:* Aaronis, *Exod. cap.* 32, 33. Menassis, 2. *Chron.* 33. Thomæ, *Iohan.* 20. totius populi Israël in deserto, sub Judicibus & Regibus, *Psalm.* 106. ut alia exempla lapsuum in vitâ & moribus longè gravissimorum prætercam. *Similibus* Ovis perditæ, drachmæ amissæ, filii prodigi, *Luc.* 15. Regis ineuntis rationes cum servis suis, & omnia remittentis, *Matth.* 18. Filii nolentes ire in vineam sed resipiscentis *Matt.* 21.

Alterum: Quod recipiendi sint præviâ pœnitentia sive resipiscentiâ, similiter demonstratur, tum *Dictis* Scripturæ: *Luc.* 17. v. 3. 4. *Si peccaverit in te frater tuus, objurga eum; & si resipuerit, remitte ei. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die revertatur ad te, dicens, Resipui: remittes ei.* Actor. 8. vers. 22. *Resipisce ab istâ tuâ malitiâ, & deprecare Deum, si fortè remittetur tibi machinatio cordis tui.* tum *Exemplis:* Petri, *Matth.* 26. *Iohan.* 21. Thomæ, *Iohan.* 20. incestuosi, 2. *Corinth.* 2. Davidis 2. *Samuel.* 12. tum *Similibus:* Filii prodigi, *Luc.* 15. Servi debitoris *Matth.* 18. Filii immorigeri *Matth.* 21. Hæc causa est, quod Hieronymus *in cap.* 16. *Ezechiel.* Pœnitentiam *alteram salutis tabulam* appellavit. Nam primam, Baptismum, esse ait evadendo naufragio peccatorum ante conversionem patratorum: alteram contra peccata post eam commissa valere docet. Quæ sano sensu admitti possunt. Prævia tamen pœnitentia.

Modus agendæ pœnitentiæ *Internus* coram Deo, unus idemque est & esse debet in omnibus lapsis: qui verbo ipsius nobis describitur, & illustribus exemplis Veteris ac Novi Testamenti graphicè depingitur. *Externus* coram Ecclesiâ alius atque alius est in Ecclesiis particularibus, constitutionibus ipsarum Modus agendæ pœnitentiæ.

atque ipsa praxi sancitus. Isque alibi rigidior, severior, alibi lenior. In *veteri Ecclesiâ* quæ ratio obtinuerit, & circa lapsos observata sit, ex historia Ecclesiastica, inprimis autem ex Scriptis Cypriani cognosci potest. I. Agebant pœnitentiam squalido & lamentabili habitu, manentes seorsim, & in gradu pœnitentium consistentes. II. Confitebantur crimen apud Sacerdotes Dei. III. Confessionem rursus sequebatur pœnitentia. IV. Hanc excipiebat Exomologesis, id est, publicus pœnitentiæ actus in Ecclesia. V. Manus imponebantur lapso ab Episcopo aut Clero, sicque in jus communicationis recipiebatur. Quod phrasi illius ævi dicebant, *Dare pacem*. VI. Data pace publicis Ecclesiæ precibus lapsum commendabant, tandemque Eucharistiam ipsi impertiebant. Vide Cyprianum *libr.* 3. *Epist* 14. & alios. Ideò autem hæc tam rigidè urgebant. I. ut exploraretur sinceritas ipsius pœnitentis. II. ne Ecclesia obnoxia fieret criminationibus hostium, quasi approbaret aut foveret lapsus. III. ut severitate disciplinæ alii, quoad ejus fieri poterat, à lapsu præservarentur. Quomodo hæc paulatim in Papatu abierint in abusum, imò in tyrannidem versa sint, ex doctrina Pontificiorum de Pœnitentiâ, nec non ex ipsâ praxi notum est.

in Veteri Ecclesia qualis.

Causa rigoris.

PROBLEMA SEPTIMUM.

Num metus mortis in Persecutionibus sit vitiosus?

Metus mortis

damnatus à Montanistis.

QUæstio connexa est cum superioribus. *Metus mortis* sub persecutionibus *alios* in fugam expulit; *alios* ad apostasiam impulit. Hinc non minus de metu mortis, quàm de fugâ cœptum disputari. *Montanistæ*, & ex his *Tertullianus*, damnarunt illum metum simpliciter: non metuendam, sed exspectandam & alacriter subeundam mortem dictitantes. In quo secuti sunt dogma Stoicorum, qui ἀπάθειαν exigentes, metum mortis abesse voluerunt à viro forti: Imo mortem non malum, sed bonum dixerunt. *Alii* contra Metum illum non damnarunt, sed probarunt & laudarunt, tanquam naturalem, & nobis ad vitæ præ-

præsidium necessarium. *Vtriusque* partis argumenta ordine proponemus primo loco: inde decisionem quæstionis subjiciemus.

Sententiæ Negantis argumenta sunt. I. Christus interdixit metum illum, *Matth.* 10. v. 28. deditque discipulis suis spiritum, non metus & formidinis, sed constantiæ & roboris 2 *Timoth.* 1. vers. 7. II. Metu illo Petrus, & innumeri alii fideles sub persecutionibus, ad ἀποστασίαν fuêre impulsi. Jam si vitiosus est effectus, certè causam quoque talem esse necesse est. III. Mors non est mala, sed bona, beata, piis desiderabilis & optabilis *Apoc.* 14 v. 13. *Luc.* 2. v. 29. *Phil.* 1. v. 23. Ergo non metuenda. IV. Exempla eorum, qui mortem intrepidè adierunt, & pertulerunt; nullo autem modo metuerunt: ut *Christus*, Matth. 26. Luc. 22. capp. *Apostoli* in Actis, & historiâ Ecclesiasticâ. *Ignatius*, *Polycarpus*, *Laurentius*, & alii innumeri; Fuitque sub persecutionibus tantus zelus multorum, ut ultrò se offerrent capiendos, & in carceres ipsi se intruderent, quo socii fierent sanctorum Martyrum in suppliciis. Testis est Historia Ecclesiastica.

I. Non metuendam esse mortem.

Sententiæ Affirmantis argumenta sunt. I. Metus ille est affectus animi naturalis, cum ipsâ naturâ nobis à Deo insitus. Non igitur est per se vitiosus. II. Omnia animantia rationis expertia horrescunt mortem, tanquam sui destructionem, absque vitio aut defectu naturæ. Ergò non est per se vitiosus in homine. III. Objecta sensus & affectus afficiunt, prout in se sunt. Atqui mors est horribilis, & omnium horribilium maxime horribile, Aristotele teste. Ergo meritò timetur & metuitur ab homine. IV. Deus comminatus est & inflixit quoque homini mortem in pœnam peccati, *Genes.* 2. & 3. *capp.* item *Deuter.* 30. v. 15. Est igitur mala: eoque etiam metuenda. V. 1 *Corinth.* 15. vers. 26. Mors dicitur ultimus noster hostis. Hostes autem, inprimis tam potentes & pertinaces, jure metuuntur. VI. Exempla Sanctorum in promtu sunt, qui mortem metuerunt. *David* in persecutionibus & morbis fugit & deprecatus est mortem multoties. Similiter *Prophetæ* latitantes in speluncis, 1 Reg. 18. cap. *Elias*, cap. 19. *Hiskias*, 2 Reg. 20. cap. *Sancti* illi sub Maccabæis, de quibus Hebr. 11. v. 37. 38. Denique ipse *Servator* noster quâ homo, metus hujus expers non fuit, *Ioh.* 12. v. 27. *Matt.* 26. v. 37. *Hebr.* 5. v. 7. & tamen expers fuit omnis peccati.

II. Mortem esse metuendam.

ἐπίκρισις

Decisio Quæstionis constat tribus Propositionibus.

I. Metus mortis non est per se vitiosus.

Prima: *Metus mortis non est per se, sive suâ naturâ vitiosus.* Patet: *tum* quia mors est res mala, non bona, per se; eoque etiam jure metuenda: *tum* quia metus est affectus naturalis, à Deo naturæ autore homini inditus. Pro quâ assertione militant omnes rationes sententiæ affirmantis.

2. Immoderatus est vitiosus

Secunda: *Metus mortis immoderatus est vitiosus.* Dicitur autem *immoderatus metus* trifariam; ex objecto, modo, & fine. *Ex objecto*, quando metuitur, quod non est metuendum: *Ierem.* 10. vers. 2. item *Matth.* 10. v. 28. & alibi. *Ex modo*: quum nimis timetur, quàm par est; nec modus servatur ipsi objecto proportionatus *Matth.* 8. v. 26. *Ex fine*: cum non metuitur in eum finem, propter quem debeat metui. Mercenarius metuit lupum, propter suum, non ovium periculum *Iohann.* 10. v. 12. 13. Multi famam, conscientiam pauci metuunt. Sic ergo *Metum mortis* tripliciter dicimus posse esse vitiosum. I. cum Mors spectatur tantum ut mala, maledicta per se; non etiam ut bona, benedicta per accidens in Christo, & propter eum. II. cum quis terrore & horrore ejus in tantum percellitur, ut Christum etiam ejusque Euangelium abneget, *Matth.* 10. v. 33. exemplo Petro *Matth.* 26. III. cum quis mortem metuit propter rerum suarum dispendia & jacturam: non autem per eam spectat & quærit gloriam Dei, & ædificationem proximi: ut mercenarius. *Iohann.* 10. v. 12. 13. *Vitia* autem illa, quæ insunt Metui, ex corruptione naturæ sunt & proveniunt: per quam non solum amissa sunt dona supernaturalia, prout nunc vocantur; sed etiam naturalia corrupta. In Christo etiam fuit metu, sicut alii quoque affectus; sed minime vitiosus. cur? quia ipse expers fuit peccati. In nobis igitur vitium contrahit ex peccato: sicut generosum & purum vinum corrumpitur ab impuro vase: juxta illud Horatii: *Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit.* Pro hac assertione inprimis valent argumenta sententiæ negantis.

3. Mors.

Tertia: *Mors piis & fidelibus partim metuenda, partim expetenda: Impiis contra & infidelibus tantùm metuenda est.* Fundamentum hujus assertionis est distinctio eorum, quæ insunt morti per se & per accidens. *Piis metuenda est mors*: I. quia est destructio naturæ humanæ, in ipsis & aliis. Hæc etiam Christus exhor-

Piis metuenda

rescebat,

rescebat, sine peccato. Cum enim sit pœna, vel potius castigatio propter peccatum à Deo irrogata, 1 *Corinth.* 11. v. 30. 32. utique non contemni, aut voluptati duci, sed cum fugâ & aversatione metui ac sentiri debet. II. quia est grave damnum Ecclesiæ, Reipublicæ, quæ præcipuis columnis suis privantur: imò totius societatis humanæ; tum quia propter pios Deus clementer sæpè parcit, *Genes.* 18. *cap.* tum quia mors piorum sub persecutionibus trahit secum gravem Dei vindictam *Apocal.* 6. v. 10. *Iisdem etiam mors est expetenda*: I. quia est insignis obedientia, quam Deo ita jubenti præstant usque ad sanguinem, *Hebr.* 12. v. 4. imo usque ad mortem, *Apoc.* 2. v. 10. exemplo Christi *Matth.* 26. v. 32. & *Philip.* 2. v. 8, 9. Ideoque comparatur cum sacrificio suavis fragrantiæ, 2 *Timoth.* 4. v. 6. II. quia est abolitio peccati: Nam exuviis corporis depositis tandem desinunt peccare, & peccatis Deum offendere. Sic Paulus exclamat, *Rom.* 7. v. 24, 25. III. quia est finis malorum omnium hujus vitæ, à quibus liberantur morientes *Apoc.* 14. v. 13. & *cap.* 21. v. 4. IV. quia est transitus in vitam, quietem, & gloriam cœlestem, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venit 1 *Corinth.* 2. v. 9. Hinc Paulus dicit: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, Phil. 1. v. 13. Ecclesia clamat: *Etiam veni Domine Iesu* Apocal. 22. v. 17. 20. V. quia est Martyrium veritatis, quâ Deus glorificatur, & tota Ecclesiæ ædificatur. Nam sanguis Martyrum est semen Ecclesiæ. *Impiis contra & infidelibus tantum metuenda est mors*: quia mors est non minus ipsis quàm piis destructio naturæ, & amissio omnium bonorum corporalium, & quicquid omninò est hujus vitæ, *Psalm.* 49. v. 18. II. quia nullam in morte consolationem Spiritus Sancti, nullam mitigationem mali habent: ac nihil prorsus boni cum ipsorum morte est conjunctum, quod malis opponi, aut ea compensare saltem aliquatenus possit. III. quia mors corporalis est illis æternæ mortis, desperationis, & cruciatus infernalis initium: idque sine ullâ spe liberationis: ut exemplo Epulonis docetur *Luc.* 16. *cap.*

[Margin: & expendenda.]

[Margin: Impiis tantum metuenda.]

PRO-

PROBLEMA OCTAVUM.

Sintne licitæ Imprecationes adversus Persecutores & hostes Ecclesiæ?

Imprecationes quid.

IMprecationes sunt vota, ut Deus certa mala, temporalia vel æterna, peccatoribus infligat. De his *quæritur* non generatim, ut etiam comprehendantur Imprecationes Divinæ & Propheticæ quæ à Spititu Sancto suggestæ sunt Prophetis & aliis Sanctis; nam eas licitas esse nulli est dubium: sed speciatim, prout à privatis concipiuntur, & humanæ dici solent. *Deinde* spectantur hic, non prout in quosvis peccatores feruntur indiscriminatim; sed quatenus adversus hostes & persecutores Ecclesiæ diriguntur.

Sunt autem contrariæ de iis sententiæ. *Nonnulli* esse eas planè illicitas censent: inter quos eminet Augustinus *lib.* 1. *de Sermone Domini in monte.* Et quod ad Imprecationes Prophetarum, ait, esse eas non preces, sed vaticinia sive oracula Spiritus Sancti, de futuro Impiorum interitu ultimam quasi sententiam ferentis. *Alii* contra censent esse licitas: & loco ac tempore secundum verbum Dei sanctè usurpari posse.

Rationes quod sint I. Illicitæ.

Rationes adferuntur in utramque partem: *Negantes* I. à Mandato tum *Christi*; Matth. 5. vers. 44. *Ego verò dico vobis: diligite inimicos vestros, benedicite iis qui devovent vos, benefacite iis qui oderunt vos, & precamini pro iis qui vobis infesti sunt, & persequuntur vos*; tum *Pauli*, Rom. 12. vers. 14. *Benedicite iis, qui vos insectantur; benedicite, inquam, & ne imprecamini.* II. ab Exemplis tum *Christi*, *Esai.* 53. *vers.* 12. *Luc.* 23. *vers.* 34. tum *Stephani*, *Actor.* 7. v. 60. qui pro persecutoribus suis orarunt. III. quia pugnant cum dilectione proximi in *genere*; quia diligere eum jubemur sicut nos ipsos: at nemo sanus sibi imprecetur exitium, nemo odit carnem suam *Ephes.* 5. v. 29. in *specie*; quia est contra sextum præceptum. IV. Spiritus Novi Testam. est spiritus mansuetudinis, lenitatis, tolerantiæ *Luc.* 9. v. 55. Non igitur imprecationis. V. Imprecationes tales ferè proficiscuntur ex vindictâ privatâ & ἐπιχαιρεκακία. Vitiosæ igitur sunt, eoque illicitæ.

Affir-

Affirmantes: I. ab Exemplis Imprecationum, quæ passim in Scriptura commemorantur, *Deut.* 27. *cap. Iud:* 4. v. 23. in *Psalmis* passim, inprimis *Psal.* 69. v. 23. *& seqq.* & *Psal.* 109. v. 6. *& seqq. Ierem.* 18. v. 20. *& seqq. Matth.* 11. v. 21. *& seqq.* 1 *Cor.* 16. v. 22. *Galat.* 5. v. 12. II. A Comminationibus Pœnarum. Deus hostibus Ecclesiæ in verbo minatur temporales ac æternas pœnas *Psal.* 2. *Matth.* 21. *Apoc.* 17. *& seqq. capp.* Ergò licet etiam eas imprecari secundum verbum Dei. III. Non est orandum pro peccantibus ad mortem 1 *Iohan.* 5. v. 16. Ergo licet iis imprecari. IV. Zelus pro gloriâ Dei & salute ac conservatione Ecclesiæ pius, laudabilis est. Imprecatio est talis Zelus, vel quædam ejus species. Ergò. — II. Licitæ.

De his Assertionibus & utriusque Rationibus quid sentiendum ex *Decisione Controversiæ* liquebit. Constat ea quatuor omnino distinctionibus, hîc accuratè observandis: Personarum, Causæ, Modi, & Graduum. — ἐπίκρισις per distinctiones.

Prima distinctio est *Personarum*, quibus imprecamur. Hæ I. sunt sanabiles vel insanabiles. *Sanabiles* censentur, qui ex ignorantia vel cœcâ superstitione peccant & persequuntur Ecclesiam. Et pro his est orandum. Exemplo *Christo, Luc.* 23. & *Stephani Act.* 7. Qui etiam hujusmodi precibus sæpè conversi sunt, ut Judæi, *Act.* 3. v. 17. *& seqq.* & Paulus 1 *Tim.* 1. v. 13. *Insanabiles* contra, qui scienter & petulanter peccant, & Ecclesiam ejusque doctrinam oppugnant. Et his tanquam hostibus Dei & organis Satanæ licet imprecari. Exemplo Christi, *Matth.* 12. v. 31. *& seqq.* item *vers.* 43. *& seqq.* & Pauli, *Gal.* 5. v. 12. qui etiam regulam generalem proponit 1 *Cor.* 16. v. 22. II. Considerantur *indefinite*, sive in specie, vel *definite* & in individuo. *Priore* modo citius & tutius adhiberi possunt imprecationes, quam *posteriore*: tum quia facilior est error circa singularia: tum quia sinisterior & iniquior sæpe est affectus in eâ. — I. Personæ sunt Sanabiles. — Insanabiles. — Spectatæ indefinitè, definitè.

Secunda est *Causæ*, propter quam imprecamur: quæ à Personis diligenter & prudenter secernenda est. Causa illa vel nostra est, vel Dei. *Nostra* sunt injuriæ, damna, ab hostibus persecutoribus accepta, in bonis, honoribus, ipso etiam corpore: ob quæ non imprecari, maledicere, sed benedicere hostibus nostris debemus: juxta mandatum Christi & Apostoli. *Dei*, cum ipsius veritatem insectantur hostes, & gloriam obscurare ac opprimere — II. Causa est. — Nostra. — Dei.

nefariè volunt. Hîc Causa primo & præcipue execranda & damnanda est, tum etiam hostes propter causam. *Ratio* duplex est. I. quia secus socii, & approbatores tantæ impietatis & tam nefariorum hominum videri possemus. II. quia reapse ostenderemus, non affici nos etiam extremâ Dei ignominiâ ac contumeliâ.

III. Modus est Sub conditione,

Tertia est *Modi*, quo imprecamur. Modus ille in eo consistit. I. ut imprecemur non absolute sive Categoricè, sed *hypotheticè*, sive sub conditione; si sint insanabiles, & destructionem hostium vindicatio gloriæ Dei, & salus Ecclesiæ Dei postulet. *Ratio:* quia non constat nobis, ut olim Prophetis, *Ierem.* 14. 15. *capp.* ex revelatione Dei, sintne pœnitentiam acturi & convertendi, nec ne. II. Imprecemur *absque pravo affectu* impatientiæ, vindictæ, ἐπιχαιρεκακίας: item absque inconsiderato omni Zelo. *Ratio:* quia hujusmodi affectus damnat Christus in discipulis suis, *Luc.* 9. v. 55. & vindictam Deo relinqui vult Apostolus, dicenti *Rom.* 12. v. 19. *Mea est ultio; ego rependam.* III. Imò imprecemur *diviso quasi affectu:* ita nim: ut precemur contra ipsos; quoad gloriam Dei, salutem Ecclesiæ, & destructionem peccati: rursum pro ipsis, propter communionem naturæ & infirmitatis; si fieri possit Exempla in Christo circa Judæos, *Matth.* 21. & in passione *cap.* 26.

absque pravo affectu,

diviso quasi affectu.

IV. Gradus, orando ut emendentur sine pœnâ.

Quarta est *Graduum*, qui tres sunt in precibus circa hostes. I. optandum & orandum ut emendentur à Deo sine ullâ pœnâ: quò gratia Dei conspectior fiat. Ita deprecatione Stephani conversus est Paulus *Act.* 9. Nec enim pœna præcessit, ut in Menasse 2 *Chron.* 33. & aliis. II. si sic non sunt sanabiles, ut pœnis temporalibus emendati serventur. Psal. 83. v. 17. *Imple facies eorum ignominiâ, ut quærant nomen tuum.* Huc referri potest exemplum Latronis in cruce *Luc.* 23. *vers.* 40. 41. III. Si nullo modo sunt sanabiles, ut dejiciantur in exitium: Psal. 69. vers. 28, 29. *Pone iniquitatem super iniquitatem ipsorum: nec ingrediantur ad justitiam tuam. Deleantur è libro viventium, & cum istis non scribantur.*

ut emendentur castigatione.

ut perdantur

Quæcunque Imprecationes cum his conditionibus conjunctim non divisim sumtis conveniunt, licitæ sunt; quæ non conveniunt illicitæ & vitiosæ censendæ sunt, vel simpliciter, vel secundum quid; per se, aut per accidens. *Pii* verò, qui filii sunt Spiritus Christi lenis & mansueti, rarò admodum eas usurpant,

Pii cur raro imprecentur.

imò plerique ab iis abstinent. 1. quia benedicere malunt, quàm imprecari; salutem hostium optare potius, quàm desiderare exitium. 2. quia difficile est rectum modum tenere in hujusmodi imprecationibus, nec iis admiscere privatos affectus.

Responsio ad rationes negantes.

Rationes Negantes, si simpliciter accipiantur, sic dissolvendæ sunt: *Prima* loquitur de inimicis nostris, qui nos affecerunt injuriâ, non de hostibus Dei: ut textus docet. Sic igitur nihil ad rem. *Secunda* pro peccantibus ex ignorantiâ militat: juxta limitationem quæ additur *Luc.* 23. v. 34. *Nesciunt quid faciant:* quo etiam Petrus respicit *Act.* 3. v. 17. Pro omnibus peccatoribus rogasse negatur *Iohann.* 17. v. 9. *Tertia*, dilectio Dei & gloriæ ipsius potior esse debet dilectione proximi, & hæc illi cedere *Actor.* 5. v. 29. *Quarta:* Spiritus Novi Testam. est Spiritus lenitatis, mansuetudinis in condonandis, non ulciscendis injuriis privatis, ut patet *Luc.* 9. v. 54, 55. Est etiam Spiritus Zeli in asserendâ gloriâ ac veritate Dei *Psal.* 69. *vers.* 10. *Ioh.* 2. v. 17. *Quinta:* Imprecationes ex vindictâ nascuntur per accidens, & sic per carnis affectus polluuntur, & vitiosæ fiunt; prout antê dictum.

PROBLEMA NONUM.

An & quomodo inter Papistas vivendum, & cum iis conversandum sit?

Origo Quæstionis.

QUæstio hæc ex earum est genere, quæ *occasione Reformationis*, superiore seculo factæ, mota est. Cum enim omnibus corde exeuntibus è Papatu quibus detestationi erat impia superstitio, *nonnulli* insuper corpore, mutatione domicilii, eum desererent, inque alia loca concederent: *alii* verò in eo manerent, hique circa sacra Papistarum, & Conversationem cum ipsis plus minusve sibi, indulgerent; quidam etiam Confessionem fidei suæ planè dissimularent, qui quod se Nicodemi exemplo tuerentur, *Nicodemitæ* dicti sunt: disquiri cœptum est, An & quatenus id licitum esset, & salvâ pietate ac charitate fieri posset. Et exstant quidem de eo Judicia summorum Theologorum *Lutheri*, *Melanchthonis*,

Qui eam tractarint.

chthonis, *Buceri*, *Calvini*, *Martyris*, & aliorum; quæ utut in circumstantiis quibusdam sive casibus particularibus non conveniunt per omnia: tamen in summâ rei & fundamentis ejus præcipuis probè pulchreque consentiunt. Nos quid de re totâ secundum verbum Dei sentiendum videatur, salvo meliore judicio paucis exponemus.

Licita est conversatio cum Pontificiis salvâ Pietate.

Responsio duplex est, Una Generalis, Specialis altera.

Generalis hæc est: *Licitam esse habitationem inter Papistas, & cum iis conversationem, siquidem salvâ tum pietate erga Deum, tum charitate erga proximum concedatur.* Salva est *Pietas*, cum Deo cultus suus integer, illibatus præstatur, non solum internus in fide, spe, & dilectione consistens; sed etiam externus, qui Confessione nominis ipsius, Invocatione, Gratiarum actione & Obedientiâ externâ secundùm mandata ipsius declaratur. Hoc enim est, quod in primâ Legis tabulâ, nec-non in Euangelio à nobis requirit. Salva quoque est *Charitas*, cum proximum sive firmum, sive infirmum non offendimus, nec scandalum ei damus, quo vel lædatur, vel contristetur etiam justâ de causâ. His duabus conditionibus licita est Cohabitatio & Conversatio cum Pontificiis. Sic enim integra & illæsa manet conscientia nostra, tum quoad Deum, tum quoad Homines, ut Apostolus loquitur *Actor.* 24. *v.* 16. Contra illicita est, si vel utraque vel alterutra, inprimis verò prima condicio deficiat. *Probatur* partim expressis *mandatis*: cujusmodi sunt *Apoc.* 18. *v.* 4. ubi duæ rationes dissuasoriæ cohabitationis & conversationis adferuntur, I. ne participes fiant peccatorum Babylonis: II. ne ex plagis ejus accipiant: 2 *Cor.* 6. *v.* 14. *&* 17. *Cap.* 7. *v.* 1. partim *exemplis* Abrahami, *Genes.* 11. *vel ut alii* 12. *cap.* Populi Israël ex Ægypto educti, *Exod.* 12. *& seqq. capp.* inprimis *Cap.* 20. ubi Lex promulgata. Naomi cum Ruthâ discedentes ex agris Moabitarum *Ruth.* 1. *&* 2. Israëlitarum ex Babylonia reducum, juxta vaticinia *Esa.* 48. *vers.* 20. *Ierem.* 51. *vers.* 6. *& Cap.* 53. *vers.* 8. *&c.*

Charitate.

Secus illicita est.

Specialis, posita est in distinctione tum Papistarum, tum ipsius Communionis cum eis.

Papistæ Magistratus 1. concedunt publicum exercitium Relig.

Papistæ, nominatim vero *Magistratus*, quorum proprium est Jus Hospitii sive habitationis concedere, non sunt ejusdem census ac conditionis. *Sunt* qui veram Religionem, ejusque publicum exer-

exercitium liberum faciant, nec ullo gravamine conſcientias conſtringant: idque ſecundum leges ac ſtatuta regni, provinciæ, aut civitatis alicujus. Exempla ſunt in Galliâ, Poloniâ, Hungariâ, & nuper adhuc in Bohemiâ, provinciiſque vicinis. Sub talibus liberum eſſe habitare, vix quiſquam ſanæ mentis inficiabitur. *& licet manere.* Etenim Eccleſia non debet tolli ex mundo. *Joh.* 17. v. 15. aut exire ex eo 1 *Cor.* 5. v. 10. ſed manere in eo uſque ad finem. Et pii in Vet. Teſtament. ſub idololatris Ægyptiis, Babyloniis; in Novo Teſtamento ſub Paganis vixerunt, uſque ad Conſtantinum Magnum. *Sunt* iterum alii, qui veram religionem nullo modo ferunt; *2. nullo modo ferunt,* ſed omnes promiſcuè ad Sacra Papiſtica adigunt; recuſantes autem ſupremis ſuppliciis afficiunt. Talis ratio obtinet in Hiſpaniâ, & pleriſque Provinciis Hiſpanicis; item in diſtrictibus nonnullis Italiæ, & alibi. Inter hos non eſt manendum, ſed ab iis diſcedendum: *& diſcedendum eſt.* vigore mandati, *Exite ex eâ populi mi*; *Apocalypſ.* 18. v. 6. niſi forte quis ita ſit affectus, ut Chriſtum conſtanter confiteri, & pro nomine ipſius fortiter pati velit: ut multi Martyres fecerunt. *Sunt* denique, qui liberum non faciunt veræ religionis exercitium publicum; neque tamen Confeſſores ejus atrociter perſequuntur: *3. non concedunt exercitium, ſed citra perſecutionem.* Sed eos juxta Leges communes viventes ferunt, & ſenſu ſuo frui ſinunt. Tales ſunt nonnulli Principes & Magiſtratus civitatum in Germania, ſub quibus innumera millia Euangelicorum degunt. Nec deſunt in aliis Regnis & Provinciis. De his categoricè reſponderi non poteſt: *Et conditiones obſervandæ.* ſed ferendum eſt judicium juxta certas cautiones & conditiones, quæ ex objectis, in quibus conſiſtit *communio*, emergunt.

Diſtinguuntur *Objecta* illa in *Sacra* ſive Eccleſiaſtica, & *Politica* ſive Civilia. *Communionis.*

In SACRIS alia fugienda ſunt, alia contra facienda. *in Sacris.*

Fugienda ſunt illa:

Primò: Ne qui inter Papiſtas morantur Miſſas accedant, iiſque interſint. *Non interſit Miſſæ.* *Ratio.* I. quia Miſſa eſt depravatio, vel potius abolitio Cœnæ Dominicæ à Chriſto inſtitutæ: ut docet antitheſis ſive collatio. II. quia eſt abnegatio unici illius Sacrificii Jeſu Chriſti: Siquidem Miſſarii negant Chriſtum perfectè meruiſſe remiſſionem peccatorum, & fingunt aliud ſacrificium pro peccatis viventium & mortuorum. III. quia eſt horrenda Idola-

lolatria; ut quæ statuit adorationem idololatricam in pane.
Excipe 1. coactos.
Excusantur tamen qui Missis intersunt I. *Coacti*, qui violentiâ & armis, fustibus, instrumentis violentiæ ad eas adeundas compelluntur: quemadmodum superiori seculo in Galliâ factum multis locis. Talis Coactio fuit sub Maccabæis; cum nonnullorum ora per vim diducerentur, quo infarciretur suilla.
2. officiales Politicos.
II. *Officii Politici & civilis obedientiæ ergò*; ut cum quis Officialis Regem aut Principem necessario comitatur ad sacra, propter officium speciale. Cujus exemplum historia sacra proponit in *Naamane Syro*, 2 Reg. 5. v. 18. Ecclesiastica in *Valentiniano I.* qui Julianum Apostatam deduxit ad Fortunæ fanum, *Theodor. lib.* 3. *cap.* 15. Sic *Saxo* ensem præferens Carolo V. Missam adiit: approbantibus Theologis, quod ad suum officium evocatus esset, non ad Missam velut ad cultum divinum, *Sleidan. lib.* 7. Sed & hîc *Cautio* adhibenda est: Ne hoc quis faciat reclamante, aut etiam dubitante conscientiâ: alioquin satius foret cedere munere *Roman.* 14. v. 23. Ne item ullum reverentiæ signum mysteriis impiis exhibeat, quod vel in speciem consensus trahi possit. De quo memorabile est exemplum ejusdem *Valentiniani*, æditum gentilem, à quo aqua lustrali aspersus fuerat, pugno ferientis. Sufficit autem manifesta improbatio sive detestatio. *Calvinus* tamen *Epistolâ* 340 *ad Cursolium*, etiam præsentiam in Missâ propter officium Politicum non admittit, vel saltem dissuadet. Tum quia hujusmodi exemplis tristitia piis, infirmis scandalum adfertur: Tum etiam, quia datur occasio impiis, Dei & veritatis hostibus, sese efferendi, adeóque os impurum aperiendi, quo veram religionem traducant.

Cautiones hîc observandæ.

Ne ullum honorem exhibeat idolis.

Secundò: Ne incurvent se idolis adorabundi, nec ullum genus honoris genuflexione, capitis detectione, nutu, aut ullo alio modo iis habeant. *Ratio*: quia externa hæc & crassa idololatria expresso Dei interdicto damnatur: non solum in vetere *Exod.* 20. v. 3. 4. & alibi; sed etiam in Novo Testam. *Act.* 15. v. 29. 1 *Cor.* 6. 8. 10. *capp.* 1 *Ioh.* 5. v. 20. Exemplo trium Virorum *Dan.* 3.

Ne communicet eorum concionibus vel precibus.

Tertiò: Ne vel concionibus, vel Precibus, & horis Canonicis Papistarum communicent. *Non illis*: quia cavere jubemur à fermento hominum; quo permixtæ sunt ipsorum conciones *Matth.* 16. v. 6. 12. II. quia illis damnatur vera & salutaris doctrina

doctrina Ecclesiarum Reformatarum; quam damnationem non fert zelus pro domo Dei *Psal.* 69. v. 10. Silentium verò ad eam etiam speciem consensus præfert. *Nec istis*: quia superstitiosæ & idololatricæ sunt, pro mortuis juxta ac vivis conceptæ: ad Sanctos etiam directæ, & eorum meritis ac intercessione suffultæ. Et vetat Deus vel nomina falsorum Deorum à nobis in os sumi, aut sermone usurpari *Psal.* 16. v. 4. *Hos.* 2. v. 16. 17. Nonnulli tamen, & quidem *Bucerus* & *Martyr* nominatim, concedunt, licere communicare concionibus & precibus Papistarum, saltem ex parte; ita nim: ut pii amplectantur in iis Dei & Christi instituta: improbent autem & detestentur non modò secum in animo, sed pro opportunitate oblatâ etiam apud alios, vitia & corruptelas doctrinæ & precum ex superstitione humanâ: idque secundum regulam Christi *Matt.* 23. v. 1, 2.

Quartò: Ne Pædobaptismum petant aut suscipiant à Sacerdotibus Papisticis. *Ratio*: I. A genere doctrinæ de absoluta necessitate Baptismi, ejusque efficacia ex opere operato: quos errores probare videntur, qui liberos suos à Pontificiis Sacerdotibus baptizari petunt vel sinunt. II. A Superstitiosis cæremoniis humanitus Baptismo additis: quia Baptismus fœdis & detestandis superstitionibus est conspurcatus & vitiatus: ut sunt Exorcismus, oleum, sal, sputum, flatus, &c. III. A fine Baptismi; quia inseruntur Ecclesiæ Papisticæ; ac eo ipso profitentur, se & suos liberos Antichristianæ factionis membra esse. Nam Sacramenta sunt notæ professionis & societatis cum Ecclesia. IV. Quia hoc facto approbatur ministerium Antichristianum, si ab ipsius potius, quàm à Christi Ministro Baptismus petatur. *Melanchton* tamen & *Bucerus* permittunt hunc Baptismum, si modo quis detestetur corruptelas & abusus cum institutione Christi pugnantes. Verum id in Papatu absque vitæ discrimine nemo fecerit. *Objicitur* autem hoc loco: Baptizatos in Papatu non rebaptizari in nostris Ecclesiis. Videri igitur ipsorum baptismum legitimum ac licitum esse. *Resp.* Sanè Baptismus Papalis non est simpliciter illegitimus aut illicitus. Retinet enim institutionem Christi, ex qua adoptionis nostræ signum est: Sed propterea non excusantur, qui eum liberis suis petunt. Norunt enim multiplices ejus corruptelas ac abusus. Et liberati à superstitionibus Papa-

Ne Pædobaptismum ab eis petat.

Baptismus Papistarum cur non iterandus.

Papalibus per fidem Euangelii, hoc facto testantur, se ad eas velle reverti, & iisdem denuò implicari.

Ne compatrū officium à Papistis petat,

Quintò: Ne vel ipsi Compatres seu Patrimos & testes Baptismi ex Papistis sibi deligant: vel etiam tales se aliis sistant, in Baptismo Papistarum. *Ratio prioris* est: quia Papistæ non sunt idonei fidejussores & sponsores pro infante, quem ad superstitionem suam raperent, non ducerent ad veram religionem: Damnant enim Ecclesiam nostram, & totam ejus doctrinam. *Ratio posterioris* est: I. quia tacitè approbarent corruptelas & abusus Baptismi Papalis. II. quia non sine scelere sese obstringerent sponsionibus impiis, quas Patrimi in Papatu facere tenentur: & majore etiam scelere sponsiones illas implerent. Quod utinam à multis Euangelicis attentius cogitaretur!

Papistis præstet.

Ne benedictionem conjugii à Papistis fieri sinat.

Sextò: Ne consecrationem sive Inaugurationem sacri Conjugii sive novorum Conjugum à Sacerdotibus Papisticis fieri sinant. *Rationes*: I. quia approbatur tum vocatio & ministerium Sacerdotum, etiam lusus magicorum rituum & auspiciorum, quibus conjugia consecrant. II. quia fit tacita promissio defectionis ad illam religionem, à quâ suscipitur benedictio. III. quia quæritur benedictio, ubi nulla est, 2 *Cor*. 6. vers. 14. 16. & ab iis qui sunt maledicti à Deo *Deut*. 27. vers. 15.

Ne Syncretismum religionis cum eis moliatur.

Septimò: Ne Syncretismo copulent, aut sociare studeant veram & falsam religionem: cultum veri Dei, & cultum idolorum. Talis Syncretismus quæsitus fuit libro *Interim*, *Consultatione Cassandri*, & aliis Scriptis. *Ratio*: I. quia nulla inter ea communio: non magis quàm luci cum tenebris aut Christo cum Belial 2 *Cor*. 6. v. 14, 15. item 1 *Cor*. 10. vers. 21. Et *Esa*. 5. vers. 20. Væ pronunciatur in eos, qui tenebras dicunt lucem, & amarum dulce. Hinc Dagon corruit ad præsentiam arcæ 1 *Sam*. 5. v. 3. II. quia non claudicandum in utrumque latus, 1 *Reg*. 18. vers. 21. non dimidiandum sive dividendum cor inter Deum & idola, *Hos*. 10. vers. 2. & duobus ita inter se contrariis Dominis simul servire est impossibile *Matth*. 6. v. 24.

Ne simulatione aut dissimulatione consensus cum ipsis speciem præbeat.

Octavo: Ne denique simulatione aut dissimulatione se impiis Papatus superstitionibus subscribere, aut affines esse ostendant. Verbi gratiâ: ut qui, dum Sacra Pontificia peraguntur, in templis obambulant: qui caput aperiunt, dum Sacerdos sacrum circumfert, ut ipsum honorent, &c. *Ratio*: I. quia illa sive simula-

mulatio, sive dissimulatio pugnat cum sincerâ ac constanti fidei nostræ professione. II. quia abstinendum etiam ab omni specie mali 1 *Thess.* 5. v. 22. Hæc sunt, quæ circa Papistarum sacra præcipuè fugienda sunt.

Sed contra *Objiciuntur* nonnulla, quæ paucis diluemus.

Primum: Fideles inter Papistas viventes, etiamsi corpore intersint Sacris eorum, & externis gestibus ea probare videantur, tamen animo ea improbant & detestantur. Non videntur igitur magnopere culpandi aut damnandi. *Resp.* Negatur sequela. Deus enim non minus cultum externum corporis, quàm internum animi verbo suo requirit. Etiam corpus condidit ad imaginem suam; redemit per Christum; sanctificat sibi in templum per Spiritum Sanctum; & beatæ immortalitati destinavit 1 *Cor.* 6. & 2 *Cor.* 6. *capp.* Ergò non vult idolis pollui illud, aut spirituali scortatione contaminari. Paulus præcipit, ut purgemur ab omnibus inquinamentis tam carnis quàm Spiritus 2 *Cor.* 7. v. 1. Ergò non magis corpus quàm animus superstitiosis cultibus polluendum est, 1 *Reg.* 19. v. 18. laudat Dominus servos suos, quod non flexissent genua imagini Baalis, nec manum ejus deosculati essent: contra mandat, ut sibi flectatur omne genu. *Esa.* 45. *vers.* 23. Proinde graviter peccant, qui geniculatione, aut aliis gestibus corporis idola honorant. Postremò: Mentiri non licet homini Christiano: cum omne mendacium ex Satanâ sit, *Iohann.* 8. vers. 44. & expressâ Dei lege damnetur. At simulare corpore, quod animo improbas, est mentiri. Ergò.

Non sufficit animo detestari impietatem Pontificiam.

Secundum: Si qui inter Papistas vivunt, aversentur & negligant Sacra ipsorum & conventus, erunt ipsis scandalo, & in criminationem ἀθεότητος apud ipsos incurrent. *Resp.* Scandalum illud erit acceptum, non datum. Non præbent scandalum, qui à Deo prohibita fugiunt, sed qui ea faciunt: Omittendi igitur *Matth.* 15. v. 14. Præterea est fallacia accidentis in calumniâ atheismi: Nam illi non debent opinionem suam sequi, sed causam neglectorum sacrorum sciscitari, quo & ipsi erudiantur. Quod Judicium Melitensium fuit de Paulo, *Actor.* 28. v. 6. quandiu ex suâ solum opinione pronunciarint? Valet ergo hic etiam axioma Apostolicum: Non sunt facienda mala, ut eveniant bona *Rom.* 3. v. 8.

Non licet externis gestibus imitari Papistas ne atheus ab ipsis habearis.

Tertium : Naaman Syrus incurvavit se in æde Rimmonis, 2 *Reg*. 5. v. 18. cum tamen esset veræ Religionis. Ergo etiam licet se incurvare in templis Papistarum. *Resp*. I. negatur sequela: quia legibus, non exemplis vivendum est. II. Incurvatio illa fuit Civilis & ministerialis, quam ex officio præstabat Regi suo, oranti in in templo illo: sic, ut esset ei scipionis loco. Talem autem præsentiam licitam esse, supra docuimus. Quia tamen Naamani scrupulum conscientiæ injecit, apparet simpliciter licitam non fuisse.

Exemplum Naamanis non patrocinatur.

Quartum : Paulus *Actor*. 21. cæremonias adventu Christi jam abrogatas usurpavit, nuncupato voto, & susceptâ purificatione Judæorum. Ergò licet ritibus tamdiu receptis interesse. *Resp*. Est ingens dissimilitudo in exemplis. Cæremoniæ illæ Legales erant à Deo institutæ: Ritus Papistici in Sacris ipsorum humanitus confic̄ti, & in Ecclesiam introducti sunt. Cæremoniæ illæ tempore Apostoli indifferentes erant, usque dum plenè abrogarentur: nec damnabantur in Euangelio, nisi quatenus cum opinione necessitatis, cultus, & meriti observabantur: at ritus illi Papistici sunt illiciti, & verbo Dei damnantur.

Nec exemplum Pauli *Act*. 21. cap.

Facienda porrò sunt hæc:

Primò : Qui inter Papistas degunt, improbent, & arguant errores, superstitiones, & abusus Papatus. *Ratio*: I. quia hoc est pars confessionis Deo debitæ: nim. ut non solùm quæ illius sunt agnoscamus & prædicemus; sed etiam quæ Antichristi sunt detegamus, improbemus, & homines ab iis revocare studeamus. II. quia idem fecisse legimus Apostolos, partim in Synagogis Judæorum, partim in templis Ethnicorum. Hîc tamen Prudentiæ leges observandæ sunt: ne id vel importunè, vel præter occasionem; vel etiam absque spe ullâ profectus fiat: nè etiam omnia, & quicquid displicet, statim & sine exceptione reprehendatur.

Improbet errores & abusus Pontificios.

Sed prudenter.

Secundò : Fidem suam profiteantur, non solum privatim, sed etiam publicè; quoties nim. & quandocunque opus est ad gloriam Dei & ædificationem proximi. Id enim Deus verbo suo postulat ab omnibus fidelibus adultis *Matth*. 10. v. 32. *Rom*. 10. vers. 9, 10. 1 *Petr*. 3. vers. 15. Sic præcepto tertio interdicitur, Ne assumatur nomen Dei in vanum: Præcipitur igitur ut rectè assumatur, & sincerâ Confessione celebretur. Edenda autem est hæc

Fidem suam profiteatur etiam publicè

hæc confessio. I. *adhibitâ lenitate*, ne adversus eos, qui fidei rationem à nobis exigunt, stomachemur, aut difficiles nos præbeamus. II. *adhibitâ* insuper *reverentiâ*; eaque tum *ergà Deum*, ne leviter aut negligenter in fide nostrâ exponendâ versemur: tum *ergà Superiores*, maximè Principes ac Magistratus, qui fidei confessionem à nobis postulant; ne illos contemnere videamur, sed debitum illis honorem deferamus. Exemplo Stephani, *Act*.7. v.2. & Pauli *capp*. 22. v. 1. *&* *cap*. 26. v. 2, 3. cum lenitate. cum reverentiâ erga Deum & superiores.

Tertiò: Conventus privatos & clandestinos cogant & celebrent: in quibus prædicetur verbum Dei, & Sacramenta administrentur. Quod fecisse legimus Apostolos, *Actor*. 2, 3, 4. *&* *seqq. capp*. itemque Ecclesiam primitivam sub persecutionibus. *Ratio* hujus petenda est, tum à promissione Dei, *Matth*. 18. v. 19, 20. tum à multiplici utilitate, quæ inde redundat in totam Ecclesiam. Unde etiam præcipit Apostolus, ne conventus hujuscemodi deserantur *Hebr*. 10. vers. 25. Nec obstat interdictum Magistratus, quo conventus illi prohibentur. Hîc enim valet illud: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus *Act*. 5. v. 29. Clandestinos conventus frequentet.

Quartò: Sanctitate vitæ & morum innocentia ita se gerant, ut Papistæ ipsi non solùm desinant blasphemare veram religionem, sed etiam Deum glorificare incipiant, ac Christo lucrifiant: juxta dicta 1 *Petr*. 3. vers. 16. *Matth*. 5. v. 16. 1 *Petr*. 3. v. 1, 2, 3. Sanctitate vitæ blasphemantes ad silentium adigat.

Hactenus de Sacris. Jam in POLITICIS ista partim fugienda, partim sequenda & facienda sunt. In *Politicis*.

Primò: Honestis & æquis legibus Magistratus Papistici obtemperent, *argumento locorum* *Matth*. 22. v. 21. *Roman*. 13. v. 1. *&* *seqq*. 1 *Pet*. 2. v. 13. *&* *seqq*. *Ratio*: quia *Euangelium non abolet Politias*: ut habet axioma Theologicum. Honestis & æquis legibus pareat.

Secundò: Connubia cum Papistis idololatris ne contrahant; contracta verò ne dissolvant. *Rationes Prioris* sunt. I. Interdictum Dei, *Deut*. 7. v. 3, 4. ubi rationes ponderandæ, quas duas inculcat: 1. periculum seductionis in idololatriam, & II. vindictæ divinæ, & pœnarum certissimarum. Sic 1 *Cor*. 7. v. 39. 2 *Cor*. 6. v. 14, 15, 16. II. Quia conjugium est typus, imago conjugii Spiritualis inter Christum & Ecclesiam *Eph*. 5. v. 32. Ergò. III. Exempla eorum, quibus infeliciter cesserunt hujus- Connubium cum Pontificiis non contrahat.

modi conjugia: *Esavi*, Genes. 26. vers. 35. *Salomonis*, 1 Reg. 11. v. 1. & seqq. *Iorami*, filii Josaphati, 2 Chron. 21. v. 6. & seqq. *Iudaeorum* tempore Nehemiae cap. 13. vers. 23. & seqq. *Posterioris* sunt. I. quia indissolubile est vinculum Conjugii, ex repetitâ etiam sanctione Christi in Nov. Testam. *Matth*. 19. vers. 9. II. quia Apostolus disertè interdicit separationem etiam illo casu, hoc est, propter dissidium in Religione, 1 *Cor*. 7. v. 12. *& seqq.* etiamsi fideli ab infideli plurima eaque gravissima toleranda sint. III. quia fidelis debet infidelem lucrifacere, 1 *Pet*. 3. v. 1, 2. Ergo non deserere.

Contractum non dissolvat.

Tertiò: Fugienda nimia familiaritas Papistarum, nec facile frequentanda ipsorum convivia: nisi fortè spes aliqua nobis affulgeat eos aedificandi. *Illius ratio* est: quod bonos pios mores corrumpunt prava commercia, 1 *Cor*. 15. vers. 33. quorum Corinthiorum exemplum Apostolus perstringit *cap*. 6. 8. 10. 2 *Cor*. 6. 7. *capp*. *Istius* verò: I. quia preces ipsorum & benedictiones non carent superstitione. II. Quia Apostolus propterea reprehendit Corinthios, 1 *Epist*. 6. 8. 10. *capp*. quod interessent conviviis Sacris Idololatrarum, etiam cum infirmorum offendiculo. Memorabile hîc est exemplum Danielis adolescentis adhuc, & Sociorum ipsius, qui fugerunt lautitias regias pio & prudenti proposito, *Dan*. 1. *cap*. quod iis captari viderent, ut paulatim abstraherentur à sincero Dei cultu.

Fugiat nimiam cum eis familiaritatem.

Convivia ipsorum.

PROBLEMA DECIMUM.

Num Ecclesia hodierna Romana verè dici possit Ecclesia Christi?

QUaestio est non *de* omni *Ecclesiâ Romanâ*, etiam illâ quae Apostolorum aetate floruit, & Epistolâ Pauli ad Romanos scripta celebratur: sed de *hodiernâ Papali*, quae Papae dominatui & potestati spirituali subest. Eaque non *repraesentativa*, quae in ipso Papâ, ejusque Cardinalibus & Praesulibus conspicitur; sed *collectiva*, quae clericos & laicos sive Pastores & Oves simul complectitur.

Ecclesia Romana hodierna Papalis collectiva.

Eam *propriè & simpliciter dici non posse Ecclesiam Christi*, utut hoc

dici potest Ecclesia Christi non propriè.

hoc titulo inprimis superbiat, seseque jactitet, apud omnes Euangelicos extra Controversiam est. Est enim Synagoga Antichristi; est Apostatica à Christo & doctrinâ ipsius; & membra veræ Ecclesiæ capitaliter odit ac persequitur. Cæterum *impropriè*, *καταχρηστικῶς*, *& secundum quid sic dici posse* non negamus: idque duplici respectu. *Primò*: *Ratione* populi Dei sive *Electorum*, qui adhuc reliqui sunt in Papatu. *Apocal.* 11. v. 4. jubentur exire etiam sub tempus excidii Babylonis; Ergo istic sunt. 2 *Thess.* 2. v. 4. sedet Antichristus in templo Dei, id est, in Ecclesiâ. Ergò superest aliqua Ecclesia. Idem ostendi potest argumento à pari. Sub regno idololatrico Achabi, cum tota Ecclesia Israëlitica videretur defecisse; Deus sibi servavit multas reliquias 1 *Reg.* 19. *capp.* Et cum abductus esset populus Israëliticus in Assyriam, reliquias tamen ejus ad renovandum fœdus & Pascha celebrandum Hierosolymam vocârunt pii Reges Ezechias & Josias 2 *Chron.* 30. *&* 34. *capp.* Sic igitur etiam in Papatu sibi servavit reliquias; licet eæ multo pauciores nunc sint, quàm fuerunt initio Reformationis. *Deinde* etiam *ratione ruderum quorundam Ecclesiæ dissipatæ*: in quibus vestigia ejus hodiéque conspiciuntur. Retinet enim Ecclesia Papalis verbum Dei Vet. & Novi Testamenti, humanis licet tum scriptis amplificatum, tum glossematis adulteratum. Retinet præterea Sacramentum Baptismi, etsi vitiatum variis superstitionibus & abusibus. Sic etiam partes nonnullas doctrinæ orthodoxæ de Deo uno ac trino, de Christo Deo ac homine in unâ personâ, de Creatione, Providentiâ, Resurrectione mortuorum &c. profitetur: ut eorum tectorio occultet, & commodius instillet errores & corruptelas suas.

Sed impropriè & secundum quid.

Ratione Electorum, qui adhuc sunt in Papatu.

Ratione ruderum quorundam Ecclesiæ dissipatæ.

Duo porrò sunt, quæ in contrarium moveri solent. *Unum* hoc est: Qui retinent scripta Prophetica & Apostolica, & usum Sacramentorum, quæ divinitus sunt instituta, ii rectè nominantur Ecclesia Christi. Atqui Ecclesia hodierna Romana ea retinet. Ergo. *Respond.* *Major* vita est de retinentibus doctrinam Legis & Euangelii, & usum Sacramentorum sine exitialibus corruptelis & Idolis. Manifestum autem est Ecclesiam hodiernam Romanam defendere multos tetros & exitiales errores, pugnantes cum doctrinâ Legis & Euangelii: stabilire item manifestos abusus, alienos ab institutione Sacramentorum: idque

Verbum Dei & Sacramenta in Papatu servantur sed cum exitialibus erroribus,

non ex ignorantiâ aut simplici errore; sed ex malitiâ & pertinaciâ, conjunctâ cum odio & persecutione verè fidelium. *Alterum* est istud: Ubi est ministerium Ecclesiæ Christianæ, ibidem est Ecclesia Christi. Atqui in hodiernâ Ecclesia Romana est ministerium Ecclesiæ Christianæ. Ergo. *Resp.* Datur *Major* de ministerio à Christo instituto, eoque incorrupto. Tale autem esse ministerium Ecclesiæ Romanæ hodiernæ, est apertè falsum.

Ministerium in Papatu corruptum est.

PROBLEMA UNDECIMUM.

Ubi & qualis fuerit vera Christi Ecclesia, ante Reformationem à Luthero Zuinglioque institutam?

Ecclesia semper fuit & erit in terris.

SEmper fuisse in terris veram Christi Ecclesiam, & ad finem usque mundi perpetuò in iis permansuram esse, indubitatum est omnibus fidelibus. Siquidem promisit Christus se futurum cum Ecclesiâ suâ ad consummationem usque seculi, *Matt.* 28. v. 20. ac ne ipsas quidem inferorum portas adversus ipsam prævalituras esse *Cap.* 16. v. 17, 18. Cum verò tum ipse Servator noster. *Matt.* 24. tum etiam Apostoli ipsius, Johannes *in Apocalypsi*, & Paulus 2 *Thess.* 2. v. 3. 4. *& seqq.* 1 *Tim.* 4. v. 1, 2. *& seqq.* prædixerint secuturam universalem quandam defectionem à fide Christi: quam evenisse etiam & superiorum seculorum historia, & nostri temporis experientia plus satis testantur; quæritur ubinam tum fuerit, & quâ conditione vixerit, & conservata sit in terris vera Christi Ecclesia. *Pontificii* quidem sicut crimen apostasiæ longissimè à se amoliri, frustra licet, conantur; ita negant olim aliam fuisse Ecclesiam præter suam; Euangelicas autem Ecclesias nuper admodum per schisma natas esse: cum nec locus, ubi ante sedem habuerint, monstrari; nec successio Pastorum per quos collectæ sint, probari; nec conditio, quâ floruerint, designari possit. Ut igitur à novitatis & falsitatis criminationibus Ecclesias nostras vindicemus, Explicatione Problematis

De Superiorum seculorum Ecclesia sub defectione universali quæritur.

matis accuratiore opus est. Erit autem bimembris, primo de *Loco*; secundo de Conditione.

De Primo.

Ubinam fuerit vera Ecclesia ante Lutherum & Zuinglium ambiguè quæritur, & bifariam accipi potest. *Primò: Definitè*, de certa & constanti sede Ecclesiæ, & in eâ continuatâ Episcoporum sive Pastorum serie; qualis est urbs Roma, & in ea successio Pontificum. Hoc sensu Pontificii intelligunt Problema; & calumniantur Doctores nostros, quod propterea invisibilem fingant Ecclesiam, quia in sua Ecclesia nec certam sedem, nec certam seriem Pastorum ostendere possint. Quod falsissimum est. Siquidem ideo Ecclesiam docent esse invisibilem, ut in particularibus Ecclesiis hypocritas à verè fidelibus distinguant. Problema autem ita accipiendum esse negant. *Ratio* duplex est. I. quia Ecclesia Nov. Testam. non est alligata certo loco, ut olim in Vet. Testamento; sed est ambulatoria, migrans de loco in in locum: ut tum *Apocalyps.* 1, 2, 3. *Capp.* tum veritate historiæ, & experientia de interitu & ruina multarum florentissimarum Ecclesiarum constat omnibus. II. quia etiam non habet illam successionem; cum ea aut plane deficiat & desinat cun ipsis Ecclesiis; aut mutetur in successionem luporum, qui diripiunt gregem, *Act.* 20. v. 30. tyrannorum, qui ei superbè, impiè dominantur 2 *Thess.* 2. v. 3,4. *& seqq.* *Deinde* accipitur etiam *indefinitè*, de sede & domicilio in genere, quod variè, modo hic, modo illic, juxta dispensationem Dei fuit sortita. Hoc sensu admittitur à nobis, respondeturque *Vtrum Christi Ecclesiam ante Lutherum & Zuinglium fuisse in ipso Papatu.* Quod partim declarandum, partim demonstrandum est. Ubi fuerit? *Resp.* in Papatu.

Declaratio est hæc: Ecclesiæ Euangelicæ, amplexæ Euangelium æternum, de quo Angelus *Apoc.* 14. v. 6. fuerunt in Papatu. I. non quoad communionem cum eo; nam commmunione & professione ab eo fuerunt disjunctæ, utpote cujus errores ac superstitiones improbârunt ac damnarunt: Verùm quoad commorationem ac hospitia, quia in medio Ecclesiarum Papisticarum vixerunt. II. non conjunctim, sed sparsim per regna, provincias, civitates, vicos, collegia, sodalitates sive socie- quoad commorationem. & sparsim.

societates, familias: in quibus Deus suum populum, electos suos habuit.

Probatur Dictis.

Demonstratio triplex est: *Prima* constat Dictis Scripturæ 2 *Thess.* 2. v. 3, 4. *& seqq.* Antichristus sedet in templo Dei, id est, in Ecclesiâ tanquam Deus; quia se Ecclesiæ caput esse jactat. Ergo fuit aliqua vera Ecclesia, licet jam tyrannide potito Papâ Romano. *Apoc.* 7. *cap*. signantur Electi. Ergò sunt. *Cap.* 11. v. 1. 2. exclusâ urbe & atrio servatur sanctuarium sive Ecclesia, & *vers.* 3. duo testes. *Cap.* 12. mulier in deserto alitur, id est, servatur Ecclesia. *Cap.* 14. Angeli, id est præcones Euangelii, prophetant in Ecclesia; item *Cap.* 18. *vers.* 4. sub tempus excidii Babylonis, populus Dei, id est vera Ecclesia, è medio ejus exire jubetur: Ergò fuit adhuc tum in eâ. *Secunda* nititur fide historiæ, & catalogo testium veritatis, qui omnibus seculis contradixerunt erroribus & abusibus Papatus, ac veritati testimonium perhibuerunt. In quorum ordine Waldenses inprimis excellunt. Vide *Catalogum Testium veritatis* ab Illyrico & aliis confectum: itemque *Mysterium iniquitatis Plessæi. Tertia* habet exempla paria sive similia Ecclesiæ tum Veteris, tum etiam Novi Testamenti sub initium. *Exempla Vet. Testam.* sunt ista. I. Ecclesiæ tempore Nahoris, Tharæ, & Abrahami in Chaldæa, quæ vix apparuit, & idololatria corrupta fuit: Josua teste *cap.* 24. *vers.* 2. II. Ecclesiæ in Ægypto post mortem Jacobi, Josephi, & fratrum ipsius *Ezech.* 16. *Cap.* III. Ecclesiæ Israëliticæ sub Elia, qui se solum relictum fuisse opinabatur, cum tamen Deus reservasset sibi *septem*, id est multa millia 1 *Reg.* 18. *&* 19. *capp.* IV. Ecclesiæ Israëliticæ in Samaria, post adductas in Assyriam decem tribus. 2 *Chron.* 30. *&* 30. *capp.* V. Ecclesiæ Judaicæ in Captivitate Babylonica, qua cum non obscurè confertur status Ecclesiæ sub tyrandide Antichristi *Apoc.* 17. *&* 18. *caqp. Exempla Novi Testament.* sub initium sunt duo hæc. I. Ecclesiæ, quæ fuit cum nasceretur Christus in terris. Ea non erant Scribæ, Pharisæi, & cæteri Sectarii, hostes Dei & veritatis ipsius, utut gloriarentur Ecclesiæ, & Mosaicæ cathedræ titulis: Sed Zacharias, Simeon, Joseph, Elisabeth, Maria, Anna, Pastores; & alii, exspectantes redemtionem Israëlis, qui de vera doctrina consentiebant, *Luc.* 1. 2. *capp.* & alibi. II. Ecclesiæ Judaicæ tempore Pauli,

fide historiæ.

Exemplis. V. T.

Exemplis N. T.

cum in populo rebelli & apostatico, electis ex Judæis defecisse videbantur, ad solum usque Paulum *Rom.* 11. v. 1, 5.

De Secundo.

Conditio vera Ecclesiæ, quâ vixit sub Papatu per aliquot secula, misera & afflicta fuit; sicut nullas habet promissiones speciales, de statu & fortunâ externâ in hâc vitâ. *Primo*: fuit obscura, gloriâ & splendore suo destituta; & variè latuit. Quod abumbratum fuit imagine mulieris fugientis in desertum *Apoc.* 12. *cap.* Cœpit tamen magis magisque innotescere, & publicè conspici in Waldensibus, circa A.C. 1160. *Secundo*: fuit exigua numero, ad magnam raritatem & paucitatem reducta. Quod significatur *Apocal.* 11. v. 1, 2. dimensione templi & exclusione atrii: item *vers.* 3. per duos testes. *Tertio*: fuit etiam ex parte corrupta, aliquid participans de erroribus Papatus, etsi fundamentum salutis salvum & integrum retinuerit. Patet ex scriptis illorum temporum, inprimis Wiclefi & Hussi, itemque Confessionibus Waldensium. *Quarto*: fuit etiam separata à Papatu; non loco, sed fide, religione, & improbatione impietatis & superstitionis. Hinc tot oppositiones & contradictiones auditæ. Waldenses verò separatos suos conventus, & eos quidem publicos variis in locis instituerunt ac celebrârunt.

Conditione vera Ecclesia sub Papatu fuit. obscura. numero exigua. ex parte corrupta. separata à Papatu.

Ex his jam facilis est & expedita *responsio*, quid de salute eorum, qui sub Papatu vixerunt & mortui sunt ante Reformationem, sentiendum sit? *In genere salvatos dicimus omnes Electos*, qui sub Papatu fuerunt. *Ratio*: quia Electio tota assequitur, id est omnes Electi *Rom.* 11. v. 7. Unde etiam obsignati fuerunt, ne quo modo læderentur quoad animæ salutem *Apoc.* 7. *cap.* *In specie salvatos censemus* I. *rectè sentientes*, hoc est, eos qui illuminatione divinâ errores & superstitiones Papatus agnoverunt & detestati sunt: contra autem veritatem Euangelii fide amplexi, & sincerè constanterque usque ad sanguinem confessi fuerunt: quales sunt duo illi testes *Apoc.* 11. v. 3, 4, 5. II. *infirmos*, qui inter multiplices errores fundamentum de Christo utcunque retinuerunt, & vel in agone mortis Christo se verâ fide commendârunt: dociles etiam in reliquis se præbituri fuissent, si occasiones discendi ipsis contigissent. Probâri potest dicto Apostoli

Salvati fuerunt sub Papatu omnes Electi. rectè sentientes. infirmi.

1 *Cor.* 3. *verſ.* 12. *& ſeqq.* Ignis ipſis fuerunt tentationes Spirituales, in quibus experti ſunt, nihil juvari animam nugis traditionum humanarum, aut ullis bonorum operum meritis.

PROBLEMA DUODECIMUM.

Quibus mediis Eccleſia ſub Papatu tum conſervata, tum propagata fuerit?

Media fuerunt

MEdia eadem prorſus fuerunt, quibus Deus inde ab initio mundi uſus eſt in colligendâ ſibi Eccleſiâ: videl: *Spiritus, Verbum, & Miniſterium Verbi,* prout ſcitè conjunguntur *Eſaiæ* 59. *verſ.* 21.

Spiritus S.

Primum eſt *Spiritus Sanctus*, efficax per verbum ad Converſionem ab erroribus ad veritatem, ab idololatria ad verum Dei cultum; qui Eccleſiæ illi non defuit. *Probatur* I. ex promiſſionibus Eſa. 59. v. 21. *Spiritus meus qui eſt in te, non recedet à te, ait Iehova, ex hoc tempore uſque in ſeculum.* Matth. 28. v. 20. *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi.* Johan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* II. ex effectis ipſius, in illorum temporum fidelibus, & confeſſoribus: quæ *Apocalypſ.* 12. verſ. 14. & alibi deſcribuntur.

Verbum Dei.

Secundum eſt *Verbum Dei*, Scriptis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſum: quod etſi lingua Latina concluſum, & velut obſeratum fuit, tamen etiam illa lingua pluribus fuit lectum & intellectum. Exſtiterunt præterea etiam ſub Papatu nonnullæ verſiones in linguis vernaculis cardinalibus, Germanicâ, Gallicâ, Anglicâ: quæ à plurimis Laicis, licet non promiſcuè ab omnibus, legebantur. Denique omnibus nota fuerunt capita Religionis Chriſtianæ in Symbolo, Decalogo, oratione Dominica, Baptiſmo & Cœna: quibus quicquid creditu factuque neceſſarium eſt ad ſalutem continetur.

Miniſterium Verbi ordinarium.

Tertium eſt *Miniſterium verbi* Ordinarium, extraordinarium; Publicum, Privatum. *Ordinarium* fuit Epiſcoporum & Sacerdotum Papalium, qui cum verbum Dei prædicarent, licet variè corruptum & depravatum, Deus, qui per vitioſa etiam organa ſuum

suum opus perficere novit, efficax fuit in suis, quando & quantum voluit. Qua ratione moti Melanchthon & Bucerus, suaserunt iis qui sub Papatu degunt, ne saltem conciones prorsus negligerent. Et sic factum, ut sanctiora sæpe fuerint corda auditorum, quàm ora sacerdotum & doctorum. Extraordinarium fuit fidelium illorum testium, quos Deus subinde excitavit & animavit, ut se Papatui opponerent, & superstitiones ejus redarguerent *Apoc*.11. & 14. *capp*. Quales fuerunt Waldus, Wiclefus, Hussus, Hieronymus Pragensis, & alii. Sic *Publicum* ministerium fuit, quod publicè, publicis solennibusque conventibus exercebatur, ordinariè & extraordinariè. *Privatum*, quod privatim intra privatos parietes instituebatur, tum *in Collegiis ac Monasteriis*, cujus illustria exempla & evidentes fructus exstant in Luthero, Zuinglio, Oecolampadio, Bucero, Brentio, Martyre, & aliis, qui Monachi didicerunt Religionem suis in claustris: tum *in Familiis*, quæ precibus, lectione & meditatione capitum religionis, & Euangeliorum quoque Dominicalium; item Scriptorum vernaculorum, semen veritatis conservarunt, liberis suis instillarunt, & ad posteros propagarunt.

extraordinarium.

publicum,

privatum.

Postremò; quod de futura Gentium vocatione prædixit *Esaias* cap. 65. v. 1. & de eâ usurpat *Paulus* Rom. 10. v. 20. *Inventus sum ab iis, qui me non quærebant; manifestus factus sum iis, qui de me non interrogabant:* id hîc etiam locum habet. Nam ut olim Raab ad famam & nuncium Dei Israëlis concepit semen aliquod fidei, *Ios*. 2. *Hebr*. 11. *vers*. 31. sic multos sub Papatu etiam ex sono & famâ Euangelii fidem hausisse probabile est: Deo, qua est benignitate, extraordinariè & efficaciter in iis agente.

Extraordinarius modus.

PROBLEMA DECIMUM TERTIUM

An Ecclesiæ Euangelicæ dicendæ sint Hæreticæ aut Schismaticæ; quia secessionem fecerunt ab Ecclesiâ Romanâ?

EST hæc pervulgata criminatio Euangelicorum, quod innovatione doctrinæ & rituum Schisma fecerint in Ecclesiâ Dei, & hæresin

hæresin excitarint. Est etiam valdè speciosa: cum verum vulgo censeatur, quod longâ consuetudine receptum est; quodque autoritate & dignitate conspicui profitentur & defendunt. Nihilominus tamen criminatio falsa & calumniosa est; cum non Ecclesiæ Euangelicæ, sed potius Ecclesia Romana Papalis sit hæretica & schismatica. Utrumque distinctè ostendo.

Ecclesiæ Euãgelicæ non sunt Schismaticæ vel hæreticæ.

Prius quatuor argumentis.

q. Dei jussu deseruerunt Papatum.

I. *à Causâ Efficiente secessionis.* Qui Dei jussu & mandato secessionem fecerunt à Papatu, & Ecclesia Papali Romanâ, non sunt dicendi hæretici aut schismatici; ut patet. Nam Deus hæresin & schisma pariter prohibet. Est autor pacis, non exagitationis 1 *Cor.* 14. v. 33. Atqui Ecclesiæ Euangelicæ Dei jussu & mandato secessionem fecerunt à Papatu, & Ecclesiâ Papali Romanâ *Apocalyps.* 18. v. 4. 2 *Cor.* 6. v. 17. 1 *Ioh.* 5. v. 21. *Gal.* 1. v. 8. 9. Ergò.

q. discesserunt à falsa Ecclesiâ.

II. *ab objecto sive termino à quo secessionis.* Nullus discedens à falsâ Ecclesiâ est hæreticus, aut schismaticus. Atqui Romana Ecclesia hodierna, à quâ discesserunt Euangelicæ, non est vera sed falsa Ecclesia. Ergo nec Ecclesiæ Euangelicæ dicendæ sunt hæreticæ aut schismaticæ. Probatur *Minor:* Qui cœtus non solum errat in fundamento fidei & salutis, sed etiam sciens veritati adversatur, Deum contumeliâ afficit stabiliendis idolis, & adjuvat ac confirmat parricidia animarum & corporum, is non est vera, sed falsa Ecclesia. Atqui hodierna Ecclesia Romana est talis cœtus: ut multifariam totis centum annis demonstratum est. Ergò.

q. nullum errorem fundamentalem pertinaciter defendunt.

III. *à definitione hæreseos.* Hæresis est error pugnans cum fundamento religionis Christianæ, isque pertinax, cum pertinaciâ defensus, contra omnes eum monstrantes & oppugnantes ex verbo Dei: definiente Paulo *in Epistolis ad Timotheum & Titum.* Ecclesiæ Euangelicæ neque tenent, neque pertinaciter tuentur ullum errorem pugnantem cum fundamento religionis Christianæ: utcunque vel imperiti propter ignorantiam, vel improbi propter odium veritatis eas damnent nomine hæreseos: quod & Paulo accidit *Act.* 28. v. 22. Ergo.

q. non discesserunt ab unitate veræ Ecclesiæ.

IV. à *definitione schismatis.* Schisma est ubi disceditur ab unitate veræ Ecclesiæ; quale fuit schisma Jeroboami 1 *Reg.* 12. *cap.* Nec locum habet schisma, ubi non prius fuit vera unitas.

At

At Ecclesiæ Euangelicæ non discesserunt ab unitate veræ & Catholicæ Ecclesiæ; sed eam studiosè retinent: ut quæ normam Doctrinæ Apostolicæ sequuntur; & fide, invocatione, ac studio servandæ concordiæ conjunctæ sunt cum omnibus piis, eundem Christum sincerè, secundum Euangelii doctrinam amplectentibus: Discesserunt autem ab unitate Ecclesiæ Romanæ Papalis, quia non fuit eis cum ipsâ vera unitas, hoc est, ea quæ in veritate fundata erant *Ephes.* 4. *vers.* 4. 5, 6. Ergò.

Posterius duobus argumentis. Ecclesia Rom. Papalis est hæretica.

I. Quæ Ecclesia defecit à fide Christi, & amplexa est ac pertinaciter defendit doctrinas dæmoniorum; denique in Synagogam Antichristi degeneravit, ea est hæretica & apostatica dicenda. Atqui hodierna Ecclesia Romana hæc egit: ut est 1 *Tim.* 4. v. 1, 2, 3. 2 *Thess.* 2. v. 3, 4. *& seqq.* Ergò.

II. Quæ Ecclesia discessit ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, & nominatim Veteris Romanæ, ad quam Paulus scripsit, ea est schismatica. Atqui hodierna Ecclesia Romana discessit ab unitate tum Ecclesiæ Catholicæ, ut longâ inductione per omnes ejus ætates doceri potest: tum nominatim veteris Romanæ; quod probat collatio fidei hujus, discriptæ à Paulo, cum fide istius. Ergo. & schismatica.

PROBLEMA DECIMUM QUARTUM.

An Ecclesiæ Euangelicæ sint veræ Christi Ecclesiæ, quæ tam gravibus dissidiis laborant, & à se invicem distrahuntur?

QUàm grave vulnus dissidii, in ipsius Ecclesiæ renascentis primordiis, inflictum sit Ecclesiis Euangelicis, dum *Lutherus* & *Carolostadius* moverunt controversiam Sacramentariam, & eos secuti Theologi *Saxonici* & *Helvetici* continuarunt, nec dici satis, nec dignè deplorari potest. Eam Pontificii, Anabaptistæ, & alii sectarii in rem suam verterunt contra Euangelicos, & vehementur exagitarunt: tam ut doctrinam puriorem in contemtum Dissidii Ecclesiarum Euangelicarum origo.

adducerent, & infirmiores absterrerent ab ejus, sicut & ipsarum Ecclesiarum communione: tum ut nævos illos exaggerando commodius occultarent tetros errores & crassas superstitiones, quas in cœtibus suis ipsimet fovent. Est verò minimè nova criminatio, sed vetus, qua olim Donatistæ Catholicos incesserunt & oppugnarunt; multoties confutata ab Augustino, & aliis. Nos priusquam ostendamus *propter illa dissidia Ecclesias Euangelicas non desinere esse veras Christi Ecclesias*, tria præmittemus cognitu necessaria. I. Privatas dissensiones Doctorum, sive de quibusdam Scripturæ locis eorumque interpretationibus, sive de quæstionibus nonnullis Theologicis minus principalibus, non habendas esse pro dissidiis Ecclesiarum. *Ratio*: quia Doctores sunt personæ singulares; Ecclesiæ autem publici cœtus ac congregationes: nec Placita Doctorum sunt Dogmata Ecclesiastica. II. Dissidia Ecclesiarum non ex privatis scriptis Doctorum, sed ex Confessionibus publicis Ecclesiarum & cognoscenda & constituenda esse. *Ratio*: quia Confessiones communem Ecclesiarum doctrinam sonant & explicant; cum in scriptis privatis ferè admisceantur opiniones privatæ: publica etiam & communis sententia non rarò inibi aut truncetur, aut commodè minus enuncietur. III. *Dissidia* Ecclesiarum Euangelicarum longè & pauciora & minora futura, siquidem ea moderaretur Lex tum fraternæ charitatis, tum mutuæ tolerantiæ: quam hîc servandam sancit Apostolus *Eph.4.vers.2,3. Phil. 3. vers. 16.* Quod experientia docente plus satis notum est.

Dissensiones Theologorum non sunt dissidia Ecclesiæ.

Dissidia Ecclesiarum ex Confessionibus earum æstimanda sunt.

Dissidia imminuere queat.

Nunc assertionis nostræ veritatem duobus præcipuè argumentis adstruemus.

Propter dissidia sua Ecclesiæ Euangelicæ non desinunt esse veræ Ecclesiæ

Primum ita habet: Quæ Ecclesiæ retinent unicum fidei & salutis fundamentum Christum Jesum, sed fundamento illi superædificant aliæ quidem aurum, argentum, gemmas: aliæ vero lignum, fœnum, stipulas: eæ verè sunt, & rectè dicuntur Christi Ecclesiæ. Atqui Ecclesiæ Euangelicæ in Germania & alibi, quantumvis schismaticis nominibus Lutheri, Zuinglii, Calvini vocatæ, retinent unicum fidei & salutis fundamentum Christum Jesum; sed fundamento illi superædificant, aliæ quidem aurum, argentum, gemmas: aliæ verò lignum, fœnum, stipulas. Ergo. *Major* est Apostoli *1 Corinth. 3. vers. 12. & seqq.* *Minor* confirmatur collatione doctrinæ, Confessionibus, aliisque scriptis

q. retinent unicum fidei ac salutis fundamentum.

scriptis publicis testatæ. Insuper etiam hoc argumento : In quibus Ecclesiis sonat unum idemque Euangelium de gratuita remissione peccatorum propter Christum per fidem, non aliud ac aliud, eæ retinent unicum fidei & salutis fundamentum, Christum Jesum *Gal.* 1. v. 8, 9. Atqui in Ecclesiis Euangelicis id fit: uti constat. Ergò.

Alterum hoc est : Si in Ecclesiâ tam Apostolicâ, quam Primitivâ dissidiâ fuerunt de Religione, & nihilominus cœtus illi manserunt vera Christi Ecclesia, etiam nunc Ecclesiæ Euangelicæ propter dissidia sua veræ Christi Ecclesiæ esse non desinunt. Verum prius. Ergò & posterius. *Consequentia* firma est ex similitudine & paritate exemplorum : De similibus enim idem est judicium. *Assumtionis* utrunque membrum distinctè probatur inductione. *Prius de Ecclesiâ Apostolicâ.* I. Fuit dissidium inter Apostolos ex una parte, & alios multos doctos fratres ex altera, de ritibus Mosaicis, quod compositum est *Actor.* 15. salva utrimque Ecclesia. II. Fuit dissidium inter Paulum & Barnabam, *Actor.* 15. inter Paulum & Petrum *Galat.* 2. de discrimine ciborum, & tamen non solum membra Ecclesiæ, sed etiam Apostoli manserunt. III. Magnæ dissensiones imò & schismata excitata sunt in Ecclesia Corinthiaca, 1 *Epist.* 1. 3. 4. itemque in Ecclesia Philippensi, *Capp.* 1. *Epistola ad ipsos* : nec tamen propterea veræ Ecclesiæ elogium Apostolus ipsis detrahit aut derogat. Et dignum est notatu, quod dicit Apostolus 1 *Cor.* 11. *vers.* 18, 19. Oportere esse inter nos non solum hæreses, sed etiam schismata; ut qui probati sunt manifesti fiant. Quo cum concordat Christi illud : Zizania omnia demum in fine seculi ex agro Ecclesiæ integrè evellenda & concremanda esse *Matth.* 13. *vers.* 30. Est igitur hæc perpetua conditio Ecclesiæ hisce in terris, ut dissidiis, schismatis obnoxia sit, & tamen maneat. *Posterius de Ecclesiâ primitivâ* : I. Dissidium fuit gravissimum inter Ecclesias Occidentales & Orientales, sive Latinas & Græcas de Paschatis Festo, quod duravit annos prope ducentos : & tamen utræque veræ Christi Ecclesiæ erant. II. Multæ & graves dissensiones fuerunt inter Patres Concilii Niceni, quibus tamen inde nihil præjudicatum aut detractum. III. Plurima dissidia Ecclesiarum commemorat Socrates *lib.* 5. *cap.* 22. de Jejunio, de

Cere-

quia veritatem Ecclesiæ non aboleverunt dissidia.

in Ecclesiâ Apostolicâ.

in Ecclesiâ primitivâ.

Cæremoniis circa Synaxin, de Connubio Clericorum, Baptismo, precibus, Ecclesiasticis, & aliis rebus permultis: & tamen Ecclesiæ illæ erant veræ Christi Ecclesiæ. IV. Non levia certamina & conflictus fuerunt inter Ecclesias Africanas & Italicas, de rebaptizandis hæreticis, & tamen illæ omnes habitæ fuerunt pro veris Ecclesiis. V. Ecclesiæ Latinæ & Græcæ acriter inter se contenderunt de Processione Spiritus Sancti: Nihilominus Ecclesiæ jus & elogium ipsis permansit. Plura exempla ex historiis Ecclesiasticis peti possunt: sed in præsentiarum ista sufficiunt.

PROBLEMA DECIMUM QUINTUM.

Liceatne Reformatis Orthodoxis petere & suscipere Baptismum à Lutheranis?

Origo Problematis.

MOta est hæc quæstio ab Ecclesiis peregrinis Anglorum & Belgarum in Germaniâ, cum propter persecutiones Francofurtum, Wesaliam & alia in loca concessissent A.C. 1555. & seqq. Ibi enim cum vel non haberent proprium ministerium, vel haberent quidem, sed absque Baptismo; de ejus administratione cœptum est disputari. Qui aut firmi, aut remissiores erant in Controversiis, licitum esse dicebant illum Baptismum, & inter adiaphora censebant receptam administrationis formam. Infirmi contra aut Zelotæ, licitum esse negabant. Inde ne Schismata vel offendicula nascerentur, exquirenda sibi putârunt celeberrimorum de eâ Theologorum judicia. Et exstat quidem sententia *Calvini* in archivo Ecclesiæ Gallicæ Francofurtensis; quæ cum Epistolis reliquis non est evulgata. *Martyris* responsum habetur in ipsius Epistolis. *Zanchii* judicium, nomine facultatis Theologicæ Heidelbergensis perscriptum, etiam legitur lib. 1. Epistolarum ipsius.

Sunt verò *Martyris* & *Zanchii* sententiæ in speciem contrariæ super hâc quæstione, *Illo negante* Licitum esse Baptismun Lutheranorum: *Isto affirmante* esse licitum: quæ tamen quomodo reduci possint ad concordiam, in decisione Problematis videbitur.

Rationes

Rationes Negantes apud *Martyrem* præcipuæ ſunt iſtæ : *Prima*: Baptiſmus eſt obſignatio fidei ejus qui tingitur ; aut ſi is infans, eorum qui ipſum offerunt Baptiſmo. Atqui Reformatorum non eſt eadem fides cum Lutheranis, ſed diverſa. Ergò. *Secunda*: Qui Baptiſmum accipiunt à Lutheranis, eorum fidei conſentire videntur,& ſuum ſenſum ac fidem ad ipſorum Eccleſiam tranſtuliſſe. Nimirum, quia non baptizant in aliam fidem, quàm in eam, quæ illic viget ac traditur. *Tertia* ducitur ab exemplis tum *Miniſtrorum Lutheranorum*, qui ſuos liberos noſtris minimè tingendos committerent : tum *Iudæorum veterum*, qui liberos ſuos Jeroboamitis idololatris circumcidendos non dediſſent : tum denique *veterum Chriſtianorum*, Theodoſii Magni, Valentiniani Junioris, & Satyri fratris Ambroſii, nec non aliorum, qui à rectè ſentientibus, non ab errantibus Epiſcopis baptizari voluerunt. *Quarta* : Qui baptizantur, Eccleſiæ Dei viſibiliter inſeri dicuntur. Atqui Orthodoxi nolunt ſentire cum Eccleſiis Lutheranorum. Igitur nec inſeri ipſis debent. *Quinta* : Lutherani etiam graviter errant de Sacramento Baptiſmi. Nam ei plus nimium tribuunt ; Dei gratiam Baptiſmo alligant ; Baptiſmum ad ſalutem faciunt ſimpliciter neceſſarium : nam alioquin noſtris non magis eum impertirent, quam Euchariſtiam : denique parvulos fide præditos eſſe credunt. *Sexta* : Suſceptio Baptiſmi à Lutheranis conjuncta eſt cum ſcandalo & offendiculo infirmorum:quod cum proficiſcatur ex purioris doctrinæ ſummo ſtudio ac Zelo, omnibus modis eſt cavendum. *Septima* : Nihil emolumenti vel ſpiritualis ædificationis habetur ex Baptiſmo à Lutheranis ſuſcepto. Nam Infantes non periclitantur de ſalute, etiamſi abſque Baptiſmo intereant: cum ei non ſit alligata gratia ſalutis. Nec parentibus fraudi erit Baptiſmi Lutherani prætermiſſio, cum ex contemtu Sacramenti non accidat, ſed tantum ut conſcientiæ & fidei conſulatur. *Octava* : Sumtio Sacramentorum à Lutheranis res eſt vel interdicta, vel ad ſalutem neceſſaria, vel neutra. Ad ſalutem neceſſaria non eſt, cùm Sacramentis gratia Dei non ſit adſtricta. Sin prohibita eſt, eò magis abſtinere debemus. Si adiaphora, ſaltem cum ſcandalo infirmorum uſurpari non debet.

Non eſſe licitum Baptiſmũ Lutheranorum. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

Rationes Affirmantes apud *Zanchium* præcipuæ ſunt hæ. *Prima*: Lutherani retinent idem nobiſcum fundamentum ſalutis, licet

Licitum eſſe Baptiſmum Lutheranorũ. 1.

de Cœnâ, & aliis quibusdam Capitibus doctrinæ à nobis dissentiant. Igitur Baptismus ipsorum non est negligendus. *Secundæ*:
2. Privati inter Lutheranos degentes non debent facere schisma, nec discedere ab illorum communione, aut eos damnare ut hæreticos, causâ nondum legitimo judicio cognitâ atque decisâ. Non
3. igitur subducere se debent à Baptismo ipsorum. *Tertia*: Lis illa, quæ nobis intercedit cum Lutheranis, propriè non attinet Baptismum; nec damnari potest administratio Baptismi, prout recepta ac usitata est in ipsorum Ecclesiis. Proinde neque Baptismus est prætermittendus. *Quarta*: In veteri Ecclesiâ dissidia fuerunt
4. de capitibus Fidei nihil levioribus, atque etiam de Baptismo ipso: nec tamen fideles ab Ecclesiis & Ministeriis illis, eorumque Baptismo abstinuerunt. Ergò nec nobis abstinendum à Baptismo Lutheranorum.

Conciliatio sententiæ utriusque.

Hæ sunt præcipuæ Rationes utriusque assertionis in speciem quidem inter se contrariæ, sed quæ facile conciliantur distinctione ipsorum Lutheranorum: Qui vel *Moderati* sunt, æqui & pacifici; ut omnes Philippici: & de his loquitur *Zanchius*: aut *Immoderati*, furiosi, ac blasphemi; quales tum erant Joachimus Westphalus, Flaccius Illyricus, & Flacciani: & de his propriè sermo est *Petro Martyri*. Ut verò plenior sit explicatio & decisio Problematis, tribus propositionibus eam complectemur, & exsequemur.

Opera danda ut vivamus in Ecclesiâ Reformatâ.

Prima: Danda est opera; quoad ejus fieri potest, ut vivamus in communione Ecclesiæ, ubi est pura prædicatio verbi Dei, & recta administratio utriusque Sacramenti tam Baptismi, quàm S. Cœnæ. *Ratio* evidens est: quia sectari debemus veritatem & sinceritatem cultus divini, secundùm normam divinitus traditam: etiam cum incommodo & dispendio rei familiaris. In Ecclesiis Lutheranis autem Orthodoxi nec purum Dei verbum habent, quod suis opinionibus quandoque corrumpunt; vel potius ad eas illud detorquent: nec Baptismum planè sincerum: S. Cœnâ verò ut plurimum carent. Nihil nunc dicam de improbatione & insectatione sanæ doctrinæ, quam volentes nolentes audire coguntur.

Quibus cautionibus admittendus Lutheranorum Baptismus.

Secunda: Si qui inter Lutheranos degunt, nec facile ab ipsis discedere possunt, his licitus est ipsorum Baptismus sub cautionibus sive conditionibus quatuor sequentibus. *Prima*: Si Ministri, à qui-

à quibus petitur & suscipitur Baptismus, fuerint moderati, non furiosi, blasphemi & hostes Reformatorum Orthodoxorum. Cum his enim nulla nobis esse debet Sacrorum Communio, cum sint hostes Dei & veritatis ipsius. *Secunda*: Si petentes Baptismum rotundè & sincerè ediderint Confessionem suam cum de aliis capitibus doctrinæ, tum de Baptismo inprimis: sicque admittantur. Silentium enim sive dissimulatio Confessionis haberet speciem consensus in totam doctrinam Lutheranorum; etjam quâ erronea est. *Tertia*: Si in formula administrationis Baptismi, quam *Agendam* vocant, non contineatur expressa vel improbatio sanæ doctrinæ Orthodoxorum, vel approbatio falsæ doctrinæ Lutheranorum. Cujusmodi, verbi gratiâ, ante annos non ita multos, odio nostrorum, inserta est *Agendæ VVormatiensi*, additis duabus quæstionibus, quæ susceptoribus proponi assolent: Una, *An doctrinam de utroque Sacramento, quæ illâ in Ecclesiâ sonat, veram esse agnoscant, profiteantur*? Altera: *Num Infantem baptizandum in illâ ipsâ instituendum curare velint?* Cujusmodi asseveratio directè incurrit in fidem & pietatem, & obnoxia est Comminationi Esaiæ Prophetæ *cap.* 5. v. 20. *Quarta*: Si in Conscientiis suis persuasi sint, se ita agendo nihil peccare sive in Deum, sive in Ecclesiam. Nam quicquid fit dubitante conscientiâ peccatum est *Rom.* 14 v. 23.

Tertia: Baptismus à Lutheranis quomodocunque, hoc est, non observatis illis conditionibus perceptus, etiamsi vitiosus sit propter illarum conditionum neglectum: tamen repetendus sive iterandus non est. *Ratio*: quia manet nihilominus institutio Christi ejusdemque efficacia in Baptismo secundum promissionem suam. Quam ob causam ne Pontificiorum quidem Baptismus iterari solet. Satis igitur fuerit, si qui hic peccarunt delicti veniam petant à Deo & fratribus suis; sicque scandalum datum aboleant.

Baptismus Lutheranorum non est iterandus.

Hoc pacto facile conciliantur dissidentes sententiæ de Baptismo Lutheranorum. Quod si verò quis sententiam negantem eousque extenderit, ut Baptismum Lutheranorum simpliciter illicitum esse Orthodoxis asserat: non erit difficile respondere ad argumenta negantis sententiæ. In *Primo* negatur *Minor*, quod fides Lutheranorum non sit eadem cum nostra, saltem in fundamento salutis. Neque enim habent, aut prædicant aliud Euangelium.

Refelluntur argumenta negantia.

2. gelium. *Secundum* dissolvitur ex conditione secundâ propositionis Secundæ; quia Confessionem fidei præexigimus, dissimula-
3. tionem non ferimus. Ad *Tertium* dicimus in genere, Non exemplis, hominum præsertim odio & affectibus excæcatorum, sed legibus vivendum esse. In specie autem Lutheranos, si non Doctores, saltem auditores, inter nostros degentes, suos infantes nobis baptizandos offerre. Quod attinet Jeroboamitas, apostatas à religione Israëliticâ, & Arianos hæreticos, quorum baptismum recusârunt Theodosius & Valentinianus Impp. eo-
4. rum valde dispar est ratio. In *Quarto* admittitur fallacia à dicto secundum quid. Inseruntur Ecclesiæ baptizati, etiam particulari, quatenus ipsamet corpus Christi est. Id autem est, quate-
5. nus sana est in fide, *Ephes.* 4. v. 4. 5. 6, non aliter. Ad *Quintum* respondemus. Errores illos non solùm non haberi in Augustanâ Confessione, sed ne quidem in plerisque Agendis Lutheranorum, quæ administrationi Baptismi præmitti solent. Nihil igi-
6. tur ad illam liturgiam. Ad *Sextum* respondemus: Si Zelus eorum qui offenduntur hujusmodi Baptismo sit ex notitiâ verâ & certâ, secundum Informationem ex verbo Dei supra traditam, jam desinet omnis offensio; vel certè degenerabit in morositatem & pertinaciam.
7. *Septimum* quoad primum membrum æquè facile vertitur contra Baptismum, ejusque usum universim; quam contra Baptismum Lutheranorum sigillatim. Secundum membrum deficit ob elenchum petitionis principii, & accidentis fal-
8. laciam. Ad *Octavum* dicimus, Baptismum Lutheranorum iis, qui inter ipsos degunt, necessarium esse ad salutem, tanquam cæremoniam divinitus mandatam, ut Augustana Confessio loquitur: Quatenus quidem juxta institutionem Christi haberi potest. Atque hæc salvo meliore judicio de Problemate proposito.

PRO-

PROBLEMA DECIMUM SEXTUM.

Sitne Baptismus legitimus, qui privatim & à privatis, sive viris, sive mulieribus, administratur?

NEcessitatem tractandi hujus Problematis mihi imponit non tam controversia, quæ nobis est cum Pontificiis & Lutheranis de Baptismo privato, etiam mulierum; quam temporum præsentium, quibus proh dolor! nunc vivimus, conditio. Notum est quantam vastitatem, solitudinem, in Palatinatum florentissimum, populosissimum induxerit Martis iniquitas. Ecclesiæ complures dissipatæ sunt; Ministri metu tyrannidis, recentibus sævitiæ exemplis huc illuc dispersi. Reliquiæ cœtuum Ecclesiasticorum miserè vivunt absque ministerio verbi, Sacramentorum. Cum nascitur infans in Pagis, ne cogantur eum impio Missificatori tingendum offerre, aut ipsi privatim eum baptizant, aut Ludimoderatori, si qui est, baptizandi partes demandant. De tali baptismo quid sentiendum sit, disquiritur. Et opus est explicatione, non solum ut juniores informentur, sed etiam ut infirmorum conscientiis consulatur. Occasio Problematis.

Responsio constat duabus distinctis Propositionibus.

Prima: Baptismus privatim & à privatis, sive viris, sive mulieribus administratus, haberi nequit pro legitimo Baptismo. *Ratio generalis* una est: quia hujusmodi Baptismus proficiscitur ex erroneâ opinione de absolutâ necessitate Baptismi ad salutem; quasi absque eo servari infans non posset: Cum tamen salus infantis non à Baptismo, sed à gratiâ tum Electionis, tum Fœderis dependeat: cujus respectu etiam sancti nominantur infantes ab Apostolo 1. *Cor.* 7. v. 14. *Rationes speciales* tres sunt. I. quia Baptismus non privatim, sed publicè in conspectu totius Ecclesiæ administrandus est: tum quia pars est ministerii publici, tum quia administratio ejus separata à verbi prædicatione facilè transfertur ad magicas Cæremonias & superstitiones Pontificiorum. II. quia administrare Baptismum non est privatorum, sed eorum Baptismus privatim à privatis utriusque sexus administratus, non est legitimus.

rum, qui ad ministerium verbi vocati sunt. Nam duo hæc Christus conjungit in institutione *Matth.* 28. v. 19. & *Marc.* 16. v. 15. 16. Nullus autem debet sibi sumere honorem, nisi qui vocatus est *Hebr.* 5. v. 4. *Ioh.* 3. v. 27. III. quia Mulieres disertè & nominatim excluduntur ab omni ministerio Verbi & Sacramentorum, 1. *Cor.* 14. v. 34. 35, 1. *Tim.* 2. v. 12. ubi etiam rationes adduntur ab Apostolo gravissimæ, nec ullatenus negligendæ. Nec obstat exemplum Zipporæ, quo Mulierum Baptismum ferè tueri solent, *Exod.* 4. *cap.* Est enim dissimile. I. quia administratio Baptismi expresſè mandata est ministris Ecclesiæ; circumcisionis non item: quæ mandata fuit singulis Patribus familiàs, non autem Sacerdotibus & Levitis. II. quia Zippora circumcidit filium, non quod salutem ejus æternam à circumcisione pendere arbitraretur, sed ut maritum liberaret à morte corporis, quem propter neglectam Filii circumcisionem Deus volebat occidere. Quod autem Deus peractâ circumcisione destitit à Mose, hinc nihil aliud potest colligi, quàm quod probârit factum, id est, ipsam circumcisionem infantis, lege imperatam; non quod similiter probarit modum agendi, hoc est, quod mulier circumcidisset: idque invita, indignabunda.

Exemplum Zypporæ quale.

Secunda: Baptismus in dissipatione Ecclesiæ privatim à viro administratus, idque secundum institutionem Christi, non est repetendus: à muliere verò administratus pro nihilo ducendus est. Assertionis hujus duo sunt membra: *Prius est de Baptismo virorum.* Eum non dicimus licitum aut legitimum esse; est enim trifariam vitiosus; ut ostendimus: sed non esse iterandum, cum hác duplici conditione sive limitatione. I. Si administratus sit juxta institutionem Christi, Infante aquâ asperso in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. II. Si id factum in dissipatione Ecclesiæ: qualis nunc passim cernitur in Palatinatu. Siquidem illo Ecclesiæ statu multa Deus condonat, quæ nullo modo admittere fas esset in Ecclesiâ benè ordinatâ. Olim cum vitiata esset religio in populo Israël, haud dubiè multis vitiis & corruptelis implicita fuit circumcisio; quam tamen iteratam fuisse non legimus, cum revocaretur populus ad purum cultum. Ita superiore seculo Baptismus Papistarum fœdatus & vitiatus fuit multis superstitionibus; nec tamen repetitus in Ecclesiis Reformatis, cum secesſio fieret à communione Papatus.

Baptismus in dissipatione Ecclesiæ administratus à privatis viris non est repetendus.

Alterum

Alterum de Baptismo Mulierum, quem pro nihilo ducimus, eoque iterandum censemus. Quia non modo Lex Dei expressissima, sed etiam ordo ipse naturæ violatur, cum mulieres se ingerunt in partem aliquam ministerii Ecclesiastici. Ideo Gynæcobaptismus Veteri decreto Concilii Carthaginensis simpliciter interdicitur. Tertullianus *lib. de Baptismo* confert hoc peccatum cum peccato Evæ. Epiphanius autem *hæresi 69. contra Collyridianos*, Insaniam vocat, & Euæ rursus deceptæ morbum: imò potius serpentis. Erant autem *Collyridiani* hæretici, qui Mulieribus Baptismum & Sacra publica permittebant, quin etiam Mariæ Virgini sacrificabant.

A Mulieribus est repetendus.

Rectissimè igitur fecerint in hâc rerum confusione Pagani nostri, & alii, si ut olim Judæi in quadraginta annorum peregrinatione Circumcisionem, sic ipsi Baptismum differant tantisper, donec eum legitimo modo, & à Ministro ordinario habere possint: idque citra omne præjudicium & damnum salutis infantum: de quo adulti ex Verbo Dei plenius sunt informandi.

PROBLEMA DECIMUM SEPTIMUM.

Num bonâ conscientiâ possint fideles ad Mensam Domini accedere, in quâ panis non frangitur?

OCcasionem hujus Problematis nobis præbent non tam Lutherani, de quibus agetur Problemate sequenti; quam Ecclesiæ nonnullæ Reformatæ; quæ etsi rectè sentiunt de Cœnâ Domini, tamen ritum fractionis negligunt. Tales ante annos non ita multos fuerunt in Hassiâ *Cassellani*, & vicini omnes; nunc sunt *Bernenses*, & alii alibi. De quibus priusquam dicam duo præcognita præmittenda esse censeo.

Etiam Reformatæ quædam Ecclesiæ fractionem negligunt.

Vnum est hoc: Fractio panis ritus est necessarius in administratione Cœnæ Dominicæ; non quidem ut pars essentialis, quæ materiâ & formâ comprehenduntur: nec ut pars inte-

Fractio panis est ritus necessarius.

integralis præcipua, à quâ tota essentia quodammodo dependeat: sed ut pars integrans minus principalis, ut sunt digiti, manus, oculi in corpore humano. Porrò *necessitas* hujus ritus est tum *Efficientis*, ex mandato Christi; Hoc facite ad mei memoriam 1 *Cor.* 11. v. 24. tum *Finis*, non solum ad distributionem & communionem fidelium; sed etiam ad repræsentationem corporis Christi fracti pro nobis in cruce 1. *Cor.* 10. v. 16. 17. & *cap.* 11. 24.

Sine eâ Cœna non est integra.

Alterum: Deficiente ritu fractionis Cœna non est integra. Non dicimus Cœnam amplius non esse: manent enim substantialia sive essentialia: nec dicimus Cœnam non habere, qui fractionem omittunt: sic enim damnaremus totas Ecclesias, rectè sentientes de doctrinâ fidei & Sacramentorum. Hoc verò asserimus, intermissione hujus ritus Cœnam Dominicam tum mutilari, tum deformari. *Mutilatur*, quia destituitur ritu necessario, ad integritatem ejus juxta Christi institutionem pertinente. *Deformatur* quoque, quia nævum contrahit, & retinet ex reliquiis sordium Papatus, sicut venusta facies deformatur contractâ maculâ. Atque hic defectus Cœnæ *levior* est, si proficiscatur ab impedimento externo; id est, si omittatur fractio panis, vel ob interdictum Magistratus, nolentis quicquam immutari in usitatis ritibus: vel propter metum schismatis & disipationis in Ecclesiâ. *Gravior* verò est, si ab impedimento interno exsistat, hoc est, vel ab errore, quasi ritus fractionis sit adiaphorus; vel etiam à negligentiâ tum Magistratus, non curantis hanc conformitatem ritus cum institutione Christi; tum Ministerii detinentis populum in ignorantia, nec ritè instituentis.

qui defectus est levior.

gravior.

Fideles bona conscientia sic communicare possunt.

His præmissis *respondetur*: Non obstante illo defectu posse fideles bonâ conscientiâ accedere mensam Domini, ubi panis non frangitur: hâc lege si communicaturi testentur, se quidem non probare omissionem & neglectum ritus necessarii in administratione Cœnæ, qui ex superstitione Papali remanserint in Ecclesiis quibusdam Euangelicis: interim propterea abstinere nolle à sacrâ communione cum iis, quibuscum de fide idem sentiant.

Confirmatur. 1.

Argumenta assertionis hujus præcipua sunt ista: *Primum*: Quod non attingit aut lædit doctrinam fidei ac salutis, id communionem fidelium in participatione S. Cœnæ dissolvere aut

distrahere non debet. Atqui fractio panis omissa non attingit aut lædit doctrinam fidei ac salutis. Ergo. *Major* per se patet: quia communio illa est symbolica, alteram fidei præsupponens. *Minor* est extra controversiam. *Secundum:* Quæ est ratio do- 2.
ctrinæ, eadem est ratio Sacramentorum, quæ sunt appendices doctrinæ ejusque Symbola. Atqui doctrinæ ea ratio est, ut non quævis dissensio aut quivis error dissolvat unitatem fidei. Quid alioquin factum fuisset Ecclesiis Apostolicis, Antiochiæ, Corinthi, in Galatiâ. Ergò. *Tertium:* Quibuscum Cœnam 3.
sumere detrectamus, eorum fraternitati tacitè quasi renunciamus. Atqui propter omissionem illius ritus non est renunciandum fraternitati: Quia potior nobis esse debet dilectio fraterna externis ritibus & cærimoniis. *Matth.* 12. *vers.* 7. Ergo. *Quar-* 4.
tum: Apostolus accommodavit se infirmis, ut schismata evitaret, & unitatem sive communionem Ecclesiæ conservaret. Nam apud Gentes non observabat cæremonias Judaicas; quod tamen fecit in gratiam infirmorum Hierosolymis *Actor.* 21. *cap.* Ergo idem nobis faciendum. *Quintum:* Olim non erant eæ- 5.
dem cæremoniæ Orientalium & Occidentalium in celebrandâ Cœnâ Dominicâ; & tamen testandi causâ consensus in doctrinâ, inter se communicarunt. Ergo & nos communicare debemus, non obstante illo defectu. *Sextum:* Dogma est Donati- 6.
starum & Anabaptistarum, debere esse exactam conformitatem in cæremoniis Ecclesiasticis. At illi damnati sunt ab Ecclesiâ. Ergò.

PROBLEMA DECIMUM OCTAVUM.

Vtrum apud Lutheranos Orthodoxi, bonâ conscientiâ ad Sacram Cœnam accedere possint?

QUæstio est frequens & pervulgata apud eos, qui inter Lutheranos degunt. Ad cujus solidam dijudicationem & decisionem initio repeto distinctionem Lutheranorum, supra Problem. XV. traditam in Moderatos & Immoderatos.

Lutherani sunt Immoderati.

Immoderati sunt, qui non modo improbant & damnant sanam doctrinam de Personâ & Cœnâ Christi, sed etiam eam furiosè insectantur, omnesque ejus Confessores anathematizant & excommunicant. De his nulla quæstio est. Nec enim quantumvis enixè flagitantem admittent ad sacrorum suorum communionem. Hoc igitur casu meritò ab eâ abstinent Orthodoxi, & patienter ferre debent injuriam. Culpa enim quare careant communione, non est ipsorum, sed ministrorum injustè eos excludentium. Et licet grave ipsis sit, quod usu Sacramentorum carere coguntur; tamen nôrunt, non privationem eorum, sed contemtum solum obesse saluti. In hâc etiam exclusione hoc est commodi, quod liberantur à molestiâ cæremoniarum & opinionum, quibus usus legitimus Cœnæ Dominicæ ab adversariis obscuratur.

& cum istis non communicandum.

Moderati.

Moderati sunt, qui etsi diversum sentiant ab Orthodoxis, & sanam doctrinam improbent: nihilominus tamen Orthodoxos à se dissentientes ferunt: quin etiam cupientes se adjungere Communioni S. Cœnæ admittunt. Apud hos possunt Orthodoxi ad S. Cœnam accedere, pièque cum ipsis communicare, positis his conditionibus. *Prima:* Si Ecclesiam & Ministerium purius in loco in quo vivunt, aut circa illum non habeant: aut si habeant, ab accessu ejus arceantur à Magistratu. *Secunda:* Si communio cum Lutheranis non habeatur & exigatur tanquam Symbolum approbationis falsæ, & improbationis veræ doctrinæ. *Tertia:* Si præcedat clara & ingenua confessio sanæ doctrinæ: tum apud Ministros à quibus sumenda est Cœna; tum etiam apud alios, postulantes ab ipsis fidei suæ confessionem, sive privatim, sive publicè: secundum Petri præceptum 1 *Epist.* 3. vers. 15. Dissimulatâ autem Confessione nec potest, nec debet quisquam Orthodoxorum ad eam accedere. Facit enim se suspectum approbationis falsæ doctrinæ: Deo honorem debitum non tribuit; quin & infirmis *scandalum*, quod *datum* vocant, præbet. *Quarta:* Si Conscientiæ suæ hoc pacto satisfaciant, quam si liberare non possint ab omni scrupulo, melius fecerint si abstineant, quam si dubitante conscientiâ accedant. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum est. Eo tamen casu debent Orthodoxi causam abstinentiæ suæ provocatione & occasione

Cum his communicare licitum est observatis conditionibus.

ſione non celare, ut vitent ſcandalum, & opinionem centemtus Sacramentorum.

Confirmatio hujus ſententiæ: Confirmatur

I. à conſenſu in doctrinâ fundamentali fidei ac ſalutis: quem aliquoties jam aſſeruimus.

II. à ſtudio retinendæ unitatis in Eccleſiâ, & odio ſchiſmatis: de quo etiam antè dictum.

III. ab exemplis veteribus Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum: qui uſi ſunt miniſterio Sacerdotum ac ſcribarum corrumpentium multis modis doctrinam & cultum Dei: nec propter erroneas ipſorum opiniones nova ſacrificia inſtituerunt, aut ſeparatim in Dei cultu ſe exercuerunt: donec tandem Apoſtoli prædicare inciperent Euangelium omnibus gentibus per totum orbem. Exemplis.

IV. à teſtimoniis Clariſſimorum ſuperioris & noſtri ſeculi Theologorum: *Capitonis*, *Buceri*, *Calvini*, *Martyris*, *Zanchii*, *Urſini*, *Toſſani*, *Parei*, *Sculteti*, & aliorum, qui ita de propoſitâ quæſtione ſenſerunt & reſponderunt. Tum etiam à nonnullorum Theologorum, factis & exemplis. *Melanchthon* Witebergæ, etſi improbabat errores & ſuperſtitiones in Cœnâ, à communione tamen non abſtinebat. *Iohannes à Laſco*, qui rigidus & acris defenſor erat ſanæ doctrinæ de Perſonâ & Cœnâ Chriſti, non dubitavit tamen Witebergæ cum Philippo Cœnam ſumere. *Martyr*, cum primum veniſſet in Angliam, & dogma corporalis præſentiæ adhuc ibi vigeret, idem planè fecit, & ſalvâ Confeſſione ſuâ admiſſus fuit: licet Cæremoniæ ipſi permoleſtæ eſſent. *Urſinus* idem ſe feciſſe Uratiſlaviæ teſtatur *in Epiſtolâ ad Dudithium*: ut alios taceam. teſtimoniis

Quæ in contrariam ſententiam *objiciuntur*, paucis diluenda ſunt. Contrariæ rationes.

Primum: Ubi non eſt panis, vel fractio panis, ibi non eſt Cœnâ: atque ita nec acceſſus ad eam datur. Apud Lutheranos non eſt panis, vel fractio panis. Ergò. *Reſp.* I. Eſt fallacia plurium interrogationum in *Majore*. De fractione panis, quod ejus omiſſio non deſtruat Cœnam, ſed mutilet; ante dictum eſt. Et nihilominus ſupereſt adumbratio & memoria mortis Chriſti in ſeparatione panis & vini. II. *Minor* q. apud Lutheranos neque panis ſit, neque fractio panis.

 falſa

falsa est, quoad prius membrum, quod simpliciter non sit panis. Equidem non est panis cibarius, qui aptior ad declarandam virtutem Spiritualem nutriendi in Christo: interim est tamen panis. Etsi propterea abstinendum à Cœnâ Lutheranorum; pariter abstinendum erit à Cœnâ Genevensium & Bernensium, qui alio pane non utuntur.

q. eorundem Cœna erroribus & vitiosis ceremoniis corrupta sit.

Secundum: Cœna Lutheranorum erroneis opinionibus depravata, & vitiosis cæremoniis corrupta est. Non debent igitur eam accedere & usurpare Orthodoxi. *Resp.* Negatur *consequentia*. I. quia salvum est & manet fundamentum doctrinæ. II. Quia errores & cæremoniæ illæ non approbantur, sed improbantur & taxantur. Ita Prophetæ, Christus & Apostoli communicarunt sacris Sacerdotum. Est igitur fallacia accidentis.

q. sic pollui videantur orthodoxi.

Tertium: Orthodoxi pollui videntur, cum utuntur ministerio errantium, & vitiosas cæremonias observant. Ergo abstinere debent. *Resp.* negatur *antecedens*. Non polluuntur, si modò errores disertè & constanter improbent, & neque verbis, neque factis aliquid palam & per se impium, & verbo Dei repugnans committant: humanas verò traditiones pro verbo Dei se non habere profiteantur.

q. scandalum præbeatur infirmis.

Quartum: Scandalum præbetur infirmis, qui videntes Orthodoxos communicare cum Lutheranis, suspicantur eos probare ipsorum opiniones, sicque ipsos in erroribus suis confirmari. *Resp.* Est hoc scandalum acceptum, non datum: modo Communicantes non omittant confessionem suam etiam apud hos infirmos: ostendantque quâ de causâ, qua occasione, quo denique fine sacris Lutheranorum communicent.

PROBLEMA DECIMUM NONUM.

Num quis ad veram fidem & Religionem jure cogi possit?

Negant Donatistæ.

DOnatistæ & alii in Primitava Ecclesia contendebant neminem ullo pacto adigendum esse ad Religionem Christianam, sed sibi suæque conscientiæ quemque permittendum. Quo ipso confirmabant

firmabant multorum contumaciam, & eos detinebant in impietate & superstitione. Augustinus etiam fuit aliquando in illâ sententiâ, prout ipsemet fatetur *Epistolâ* 48. *ad Vincentium*: sed experientiâ magistrâ rectius edoctus, eam mutavit & abjecit; contrariam verò sententiam eruditè & operosè asseruit. *vide dictam Epistolam; item Epist.* 50. *ad Bonifacium; item Sermon.* 33. *de verbis Domini secundum Lucam.* *Anabaptistæ*, qui propago quædam sunt Donatistarum, nec non *Libertini*, aliique profani homines, idem nostro & superiore seculo asseruerunt; & variis argumentis demonstrare conati sunt. Quo autem rectum & solidum sit de re totâ judicium, I. declarabo orthodoxam sententiam, II. eam demonstrabo, III. heterodoxam confutabo. & Anabaptistæ.

Declaratio hæc est: Ad media veræ fidei, puta auditum verbi, obedientiam ministerii, & alia, homines non solum verbis invitandos, sed etiam, si indociles, contumaces, refractarii fuerint, vi adigendos esse. *Primò* igitur *Fides* sive Religio intelligitur non falsa, sed vera, Scripturis Propheticis & Apostolicis nobis tradita & commendata: nec fides cordis, quam solus Deus largitur, sed medium & adminiculum externum ad eam perveniendi, divinitus ordinatum. *Deinde*: *Coactio* non est tyrannica, quæ nullas justas causas habet: ut cum quis minis aut injustâ vi cogitur ad falsa & mala: sed est pia Christianæ, cùm Ministerii, severitate disciplinæ instantis apud contumaces; tum Magistratus Christiani, eosdem præceptis, minis & pœnis, ad obedientiam ministerii urgentis. *Denique* ii qui *cogendi* sunt, non sunt vel extranei, vel alienæ jurisdictioni subditi; ut enim de illis non judicat Ecclesiâ; sic in istos Magistratus non habet imperium: sed tum baptizati, tum Magistratui subjecti ut cives.

Affirmant Orthodoxi. Intelligitur autem. Fides vera, non cordis. Coactio Christiana. Cogendi baptizati & Magistratui subjecti.

Demonstratio Sententiæ Orthodoxæ: I. *ab officio Ministerii Ecclesiastici* quod non solum invitare homines debet ad communionem Ecclesiæ, sed etiam compellere, cogere: ut est *Luc.* 14. v. 23. non solum charitate & spiritu lenitatis, sed etiam virga tractare auditores 1 *Cor.* 4. v. 21. Unde etiam Claves regni cœlorum ei datæ sunt *Matt.* 16. v. 18, 19. II. *ab officio Magistratus Christiani*, qui debet esse

Probatur. I. ab Officio Ministerii.

 nutri-

nutricius Ecclesiæ, *Esa.* 49. v. 23. & datus est subditis ad bonum ipsorum procurandum, non solum temporale, sed etiam spirituale & æternum *Rom.* 13. v. 4. Ergo si contumaces, eos huc adigere ex officio tenetur. III. *ab exemplis* tum piorum *Regum* in V. Test. tum *Impp. Christianorum* in Novò : qui idem fecêre. IV. *ab exemplis eorum, qui vi quodammodo ad fidem adducti sunt*; uti ferrea est multorum contumacia. Tales fuerunt Menasses, 2 *Chron.* 33. *capp.* Latro in cruce, *Luc.* 23. v. 40. *& seqq.* Paulus, *Actor.* 9. & alii.

3. ab Exemplis cogentium.

4. ab Exemplis ita adductorum.

Objectiones refutantur.

Confutatio sententiæ heterodoxæ. I. Nemo potest dominari fidei nostræ præter unum & solum Deum 2 *Corinth.* 1. v. 14.
1. Ergo nec ad eam cogere quisquam potest. *Resp.* negatur sequela, Nam dominari fidei, est præscribere quid sit credendum: Cogere autem non est adigere mentem ad fidem ejusque assensum; sed cogere loco motivam, ut audiat veram doctrinam, caveat blas-
2. phemias, & scandala. II. Fides est gratuitum Dei donum, quod ipse solus largitur in cordibus Electorum suorum. Ergo frustranea est coactio. *Resp.* negatur sequela. Quia Deus largitur fidem per prædicationem Euangelii. Hoc igitur medium non est negligendum: & qui respuunt, ad illud adigendi sunt. Etiam doctrina, sapientia, est donum Dei; & tamen non negliguntur
3. Scholæ. III. Coactione redduntur auditores verbi hypocritæ; quia pœnarum metu simulant se verbum Dei amare; profitentur religionem lingua, animo autem aversantur & damnant. Ergo non est adhibenda: *Resp.* 1. Satius est malos continere se juxta Leges, saltem quoad obedientiam externæ disciplinæ, non turbare bonos, non oppugnare veritatem : quàm palam contrà niti, blasphemare : Annon melius est metu contineri aliquem à latrociniis, quàm latrocinari absque metu, suo & proximi exitio? II. Homines metu etiam in rectam viam nonnunquam reducuntur: quodque initio metu, post sua sponte faciunt. Vehementes affectus non domantur, nec curantur, nisi acriore me-
4. dicina. IV. Apostoli neminem coëgerunt, nisi vi veritatis. Ergo non debet esse alia coactio, etiam politica. *Resp.* 1. Sed ut cogi possint vi veritatis, ante cogendi sunt ad auditum verbi. II. Docuerunt Apostoli in Euangelio, unumquemque debere doctrinam Euangelii promovere in sua vocatione. Quod præ cæteris incumbit Magistratui, qui datus est subditis in bonum,

Rom. 13.

Roman. 13. verſ. 4. & portas ſuas Chriſto aperire debet *Pſam.* 24. *verſ.* 7. *& ſeqq.*

PROBLEMA VIGESIMUM.

Vtrum Hæretici corporalibus atque etiam capitalibus ſuppliciis ſint afficiendi?

ORigo atque etiam hiſtoria hujus Problematis eadem planè eſt cum ſuperiore. *In Eccleſiâ Primitivâ* litem hanc primi moverunt Donatiſtæ, qui contendebant, Hæreticos nullo modo, Magiſtratus quanquam pii & fidelis autoritate, coërcendos vel comprimendos eſſe, cum tamen ipſi interea obvios ſibi quoſvis in plateis & agris homines à ſuis erroribus alienos, cæderent & furioſè jugularent. Contra hos exſtant copioſæ diſputationes Auguſtini in Epiſtolis & alibi; imprimis *Epiſt.*48.*&* 50. *In Eccleſiis Euangelicis* poſt factam Reformationem eadem controverſia geminâ occaſione renovata eſt. *Primam* dederunt Anabaptiſtæ fanatici in Belgio, Germaniâ, & Helvetiâ, qui idem ſenſere cum Donatiſtis, quorum etiam ſoboles ſunt. *Alteram* dedit Servetus, Valentinus Gentilis & alii, qui interpolârunt horrendas blaſphemias Samoſateni & aliorum contra Filium Dei, ſupplicio propterea affecti, ille Genevæ, Ann. Chriſt. 1553. iſte Bernæ Ann. Chriſt. 1555.

Origo quæſtionis olim.

ſuperiore ſeculo.

Judicia Theologorum diverſa fuerunt: In eo quidem conſenſum, furioſos, ſeditioſos, pacis publicæ perturbatores eſſe plectendos: at de Hæreticis, blaſphemis diſparia vota audita. Lutherus *Tom. II. Epiſt. pag.* 381. non probat horum ſupplicia, maximè ob pernicioſam ſequelam apud Pontificios contra Euangelicos. Exemplum adducit è Vet. Teſtam. Ibi cum ſancitum ut Pſeudoprophetæ, ſeductores interficerentur, ferè hâc occaſione tantum in Prophetas & fideles Dei ſervos ſævitum fuit. Satius igitur eſſe pronunciat, ſi relegentur, & in exilium mittantur: Quâ pœnâ ſi abuti velint Pontificii, mitius omnino peccaturos eſſe. Idem ferè hodierni Lutherani ſentiunt de illâ quæſtione; & cum ipſis plerique Politici. Contra Zuinglius, Oecolampadius, Melanchthon, Calvinus, Bullingerus, & innumeri alii

Theologorum diſcrepantia judicia.

Negantia.

Affirmantia.

alii pronunciarunt, Hæreticos blaſphemos etiam capite mulctandos eſſe. Et D. Beza edidit peculiarem tractatum *de hæreticis capitali ſupplicio afficiendis*; qui vel propter ſolam Inſcriptionem in multorum reprehenſionem incurrit. Verum intellexit non quoſvis hæreticos, ſed blaſphemos in Deum, Chriſtum, & totam religionem, ac seductores.

Quia vero Quæſtio eſt ardua, & maximi momenti; primo loco recenſebimus argumenta in utramque partem: inde ἐπίκρισιν ſubjiciemus.

Argumenta negantium. *Argumenta pro ſententia negante* Anabaptiſtæ & alii iſta adferunt.
1. I. Nihil præceptum legitur in Novo Teſtam. de pœnâ corporali Hæreticorum, aut blaſphemorum: quæ autem habentur in Vet. Teſtam. ad politiam Moſaicam, non ad noſtras
2. Politias pertinent. Ergo. II. *Matth.* 13. v. 29. 30. dicit Chriſtus: Sinite Zizania creſcere, uſque ad tempus meſſis. Non igi-
3. tur hîc puniendi, aut ſeparandi ſunt hæretici & blaſphemi. III. Apoſtoli nunquam gladium civilem implorârunt, ſed tantum prædicatione Euangelii pugnârunt contra hæreticos. Ergò ne
4. nunc quidem aliter agendum eſt. IV. *Tit.* 3. v. 10. docet Paulus quomodo tractandi ſint hæretici, dum eos vitari jubet. Non
5. igitur occidendi & tollendi ſunt. V. Conſilium Gamalielis in cauſâ Apoſtolorum datum, *Act.* 5. v. 28. etiam hîc attendendum & ſequendum eſt. Nam ſi ex hominibus ſunt, quæ cenſentur hæreſes, ſua ſponte diſſolventur. Sin ex Deo, fruſtrà & impiè contra
6. eas machinantur homines. VI. Vera Eccleſia non movet ſed patitur perſecutionem. Aut igitur Eccleſiæ Euangelicæ non ſunt veræ Eccleſiæ; aut à vi, perſecutionibus eorum, quos hæreti-
7. cos pronunciant, abſtinere debent. VII. Fides & Infidelitas ſunt res, quæ in cordibus hominum latent abſconditæ. Ergò
8. Magiſtratus propterea neminem plectere debet. VIII. Non eſt armanda & acuenda ſævitia Tyrannorum & Papiſtarum; qui ſunt hoſtes veræ doctrinæ. Armatur autem ſævitia multorum, ſi audiant vi corporali tuendam & vindicandam eſſe doctrinam.
9. IX. Qui non eſt judex, non debet punire, quia cognitio debet antecedere pœnam. Magiſtratus Politicus non eſt Judex dogma-
10. tum. Ergò ne puniat. X. Chriſtiani nihil poſſunt aut debent contra charitatem. Fidei autem causâ quenquam occidere eſt contra charitatem. Ergò.

Argu-

Argumenta pro sententiâ affirmante Orthodoxorum sunt ista.
I. Expressima Lex Dei apud Mosen: de Blasphemis, *Levit.* 24. 1.
v. 14. *& seqq.* exemplo sancita: de pœnâ Apostatarum, suaden-
tium apostasiam, *Deuter.* 13. v. 5. 6. cujus rationes adducuntur,
vers. 11. *&* 17. de Pseudoprophetis *Deut.* 18. v. 20. *& seqq.* II. 2.
Ab Exemplis Regum & Prophetarum in Vet. Test. Asa & Josias
interfecerunt idololatras, etiam in alieno regno; Jojadas At-
taliam sustulit: Elias mactavit Baalitas: Elisæus laudavit vindi-
ctam Jehu in idololatricam Achabi familiam, 1. *Reg.* 25. *&*
2. *Chron.* 15. 2. *Reg.* 23. *&* 2. *Chron.* 34. 2. *Reg.* 11. 1 *Reg.* 18.
2. *Reg.* 9. 10. *capp.* III. Ab Exemplis Apostolorum in Nov. Test. 3.
qui homines contumaces & fidei rebelles corpore & vitâ multa-
runt. Petrus Ananiam & Saphiram interfecit, *Actor.* 5. Paulus
Elymam magum excœcavit *Actor.* 13. Quæ si ab Apostolis pe-
culiari Dei instinctu facta sunt, à quorum vocatione alioquin a-
lienum vindicare pœnis corporalibus; quantò magis id convenit
Magistratui, cujus proprium est gerere & stringere gladium? Nec
obstat, quod Apostoli *verbo* usi, non *gladio.* Quia ad rem
sufficit, quod pœnas corporales irrogârunt contumacibus. IV. 4.
Ab officio Magistratus, qui custos est utriusque tabulæ, & ordi-
natus est nobis in bonum, non tantum corporale, sed etiam spiri-
tuale *Rom.* 13. v. 4. Ergò debet etiam vindicare contumaciam
adversus primam tabulam, & punire, qui bonum spirituale ne-
fariè impediunt, & Ecclesiem turbant. V. Adulteria, homicidia, 5.
latrocinia, furta, & alia scelera puniuntur pœnis corporalibus &
capitalibus. Ergò multo magis blasphemiæ, apostasiæ, perjuria.
Ratio: quia illa in proximum, ista in Deum feruntur immedia-
te: Illis corporis & fortunæ, istis animæ bona certò amittun-
tur. VI. A lumine Naturæ; cujus instinctu Magistratus Gen- 6.
tiles gravissima religione edicta condiderunt; eaque pœnis cor-
poralibus & capitalibus sanciverunt: Nebucadnezar, *Dan.* 3.
Artaxerxes, *Esdr.* 7. cap. & alii. Ergò multo magis id fieri
convenit à Magistratu Christiano. VII. Impp. Christiani 7.
Constantinus, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Ar-
cadius, Honorius, Valentinus, Marcianus, & alii plures gra-
vibus edictis prohibuerunt impia dogmata, & in autores eo-
rum, quotquot erant pacis Ecclesiasticæ & Politicæ contuma-
ces perturbatores, gladio, exilio, carcere, & aliis modis a-

nimadverti voluerunt; ut testatur Historia Ecclesiastica: item
8. Jus Civile *Cod. lib.* 1. *tit.* 5. *de hæreticis, Manichæis*, & aliis. VIII. A judicio Ecclesiæ primitivæ contra Manichæos & Donatistas; de quo Augustinus *in Epistolis*; item *Tractatu* XI. *in Ioannem*, ubi docet suæ ætatis pios Impp. Donatistas vitâ multasse, & eorum furores coërcuisse.

Ἐπίκρισις. Hæc de argumentis præcipuis utriusque partis: Nunc *decisio* & *dijudicatio* controversiæ addenda est. Ea pendet ex distinctione sive discrimine triplici; Personarum, Peccatorum, & Pœnarum.

Personæ sunt. *Personas* distinguit Augustinus *lib. de utilitate credendi cap.* 1. in hæreticos & credentes hæreticis: nos planius in

Seductores, *Seductores* & *Seductos*. *Illi* sunt autores blasphemiarum & hæresium, quas obtentu vocationis cœlestis, & Enthusiasmi, & sub specie singularis sanctimoniæ spargunt, disseminant, pertinaciter contra quosvis tuentur; & unà cum sectatoribus suis turbant pacem, & Magistratui etiam se opponere non verecundantur.

seducti, *Isti* sunt blasphemiarum & hæresium approbatores, de quibus ita persuasi sunt à suis Seductoribus: eoque magis errore judicii & stulto zelo, quàm malitiâ peccant.

Peccata. *Peccata* sunt falsa dogmata & erroneæ doctrinæ: quarum aliæ aliis graviores. *Sunt* hæreses pugnantes cum fundamento salutis: sed simplices absque blasphemiâ. *Sunt* deinde blasphemiæ in Deum, & Sacrosanctum Nomen ipsius, in Christum, in Euangelium. *Sunt* etiam dogmata, quæ ad dissidium & interitum Ecclesiæ, ad dissipationem Reip. & status civilis dissolutionem spectant.

Pœnæ. *Pœnæ* sunt vel *graviores*, ut supplicia capitalia qualiacunque: vel *minus graves*, ut carceres, exilia, infamia, mulctæ pecuniariæ, & aliæ.

Hæretici seductores blasphemi capitali supplicio afficiendi sunt. Secundum has distinctiones statuimus hæreticos *seductores* qui vel blasphemias in Deum & Christum pertinaciter evomunt; vel pacem Ecclesiæ & Reipubl. malitiosè turbant, interim hæc non agnoscunt & revera pro malis non habent, capitali supplicio afficiendos esse; vel saltem perpetuis carceribus mancipandos, ne spargant virus suum, & latius noceant.

non seducti. *Seductos* autem commiseratione potius, quàm suppliciis dignos censemus; qui verbis, minis castigandi, & fideli institutione ab erroribus revocandi sunt in viam veritatis. Facile autem fuerit pio ac prudenti Magistratui ex circumstantiis judicare,

care, cujus quisque culpæ reus, quâque pœnâ dignus sit. Nec negliget gravium & prudentum Theologorum pia judicia ac consilia.

Superest nunc ut *Objectiones* Anabaptistarum & aliorum paucis diluamus. *Ad Primum*: Falsum est *Antecedens* utroque membro. *Priore*: quia etsi in specie nihil præcipitur, quod Magistratus esset tum infidelis: in genere tamen id fit *Rom.* 13. & alibi. *Posteriore*: quia illæ Leges Mosaicæ etiam nos spectant: tum quia sunt morales, eoque perpetuæ; ut quæ declarant primum, secundum, & tertium præceptum primæ tabulæ; tum quia rationibus sive argumentis nobis communibus sanciuntur. Refelluntur arg. negantia 1.

Ad Secundum: *Matth.* 13. in parabola docet Dominus, quænam sit sors & conditio Ecclesiæ in hâc vitâ: nimir: quod mali semper permixti sint bonis, neque possint hîc penitus exstirpari, aut ab iis separari. Haud quaquam verò improbat, aut abrogat officium Ministerij in redarguendis blasphemiis, hæresibus, schismatis: aut Magistratus in iisdem puniendis. Præterea non simpliciter jubet zizania non eradicare, sed cum exceptione nempe cum metuendum, ne simul bonum semen eradicetur. At id non est metuendum, cum puniuntur manifestè blasphemi, seductores, turbones. 2.

Ad Tertium: Idem olim à Donatistis Augustino objectum fuit, & solvitur *Epist.* 50. *ad Bonifacium*. Summa est: Aliam fuisse rationem illis temporibus, cum Magistratus nondum esset Christianus: aliam esse nunc, cum Deo serviunt non solum ut Christiani homines, sed etiam ut Christiani Magistratus. 3.

Ad Quartam: *Tit.* 3. Ministros Ecclesiæ instruit de officio suo erga hæreticos, non item Magistratum. 4.

Ad Quintum: Verba Gamalielis non habenda sunt pro regulâ aut solidâ doctrinâ, quæ ubique obtineat: sed pro consilio particulari, quod protulit causæ præsentis gratiâ, huc spectans, ut Apostolos periculo liberaret. 5.

Ad Sextum: Persecutio adversus blasphemos seductores non tam est Ecclesiæ, quàm Magistratus; qui cum Christianus est, non movet nisi justam persecutionem, contra eos qui sunt tales. Vera tamen Ecclesia ejecit ancillam Agar cum filio *Genes.* 21. *Gal.* 4. 6.

Ad Septimum: Non punitur sive vindicatur vel ab Ecclesiâ, vel à Magistratu infidelitas in corde latens: de occultis enim non judicat Ecclesia: sed punitur à Magistratu manifesta blasphemia, hæresis cum pertinaciâ, schi- 7.

 smate,

ſmate, & quietis publicæ perturbatione conjuncta. Huc facit ſimile gangrænæ 2. *Tim.* 2. v. 17.
8. *Ad Octavum*: admittitur fallacia accidentis. Fit illud per accidens, non per ſe. Quia blaſphemi ſeductores puniuntur à Magiſtratu non pro ipſius libitu, ſed ſecundum legem Dei, *Deut.* 17. neque abſque prævià cognitione, ſed cognitione plenâ & ſolidâ præcedente, tum ipſius Magiſtratus, tum piorum & doctorum Theologorum.
9. *Ad Nonum*: *Minor* propoſitio vel falſa eſt, vel laborat fallaciâ à dicto ſecundum quid. Magiſtratus Politicus ſolus non eſt Judex: ſed quum pars eſt Eccleſiæ cum eâ judicat: controverſiâ rectè inquiſitâ, & auditis judiciis rectè docentium in Eccleſiâ. Confer *Deuter.* 17.
10. *Ad Decimum*: Si hoc valeret, jam nulli facinoroſi eſſent afficiendi ſupplicio: quibus parcere non charitas, miſericordia, ſed ſævitia eſt. Igitur I. limitanda eſt *Major*: Nihil poſſunt aut debent contra charitatem agere: Dei quidem ſimpliciter; proximi verò ſecundum quid, quem diligere debent ſecundum Deum, non contra Deum. II. *Minor* falſa eſt de fide blaſphemorum hæreticorum: quæ non eſt fides. Imò ut occidantur propter blaſphemias & ſeductiones, requirit charitas tum Dei, qui cædem illam imperavit: tum proximi, ne is ſeducatur: tum ipſorummet, ne plus peccent, & pœnas ſibi aggravent. Valet autem Minor contra Pontificios, qui veræ fidei causâ homines occidunt: eoque peccant, tum in ipſam fidem, quam damnant & perſequuntur; tum in charitatem erga Deum & proximum, quem innocentem occidunt.

PROBLEMA VIGESIMUM PRIMUM.

Vtrum Iudæi in ſocietate Chriſtianorum tolerandi ſint?

Conditio Iudæorum miſera.

HOrrenda Dei judicia in Judæos propter ingratitudinem & incredulitatem ipſorum exercita, non ſolùm olim in excidio urbis Hieroſolymæ, clade totius gentis, & Politiæ Moſaicæ deſtructione propoſita fuerunt; ſed & nobis in hodiernum uſq; diem ob oculos verſantur. Quippe videmus eos diſperſos degere inter omnes gentes per totum ferè orbem; ſubjectos imperiis aliorum duris

duris ferè & iniquis, omnibus despectui, contemtui esse; nec aliter quàm servitia aut manicipia tractari tam à Christianis, quàm à Mahometanis, aliisque infidelibus: denique ab aliis non recipi, ab aliis receptos jam, diuque toleratos expelli: alicubi etiam vix transitum aut salvum conductum per provincias, itineris faciendi causâ, grandi ære redimere. Certè superioribus seculis non minus quam Templarii simul & semel totâ Galliâ exclusi sunt. Similiter exulant totâ Britanniâ. Rupertus senior Palatinus Judæos, nescio quâ de causâ, non solum Heidelbergâ, sed etiam toto Palatinatu ejecit: & Synagogam ipsorum, quæ nunc in Auditorium Medicum conversa est, & plærasque ædes Academiæ, quam non multò post fundavit, proprias donavit. Et notum est, quid proximis hisce annis partim Francofurti, partim Wormatiæ in eas designatum. Nec desunt speciosæ rationes quibus non tolerandos esse suaderi solet. Sunt, inquiruut, hostes Dei & Christi, blasphemi. Sunt hostes Christianorum, Usurarii, fœneratores; qui affligunt, exsugunt pauperes. Sunt etiam proditores, qui arcana Christianorum Turcis produnt, & quæ sunt hujus generis. E contrario inveniuntur etiam qui Judæorum patrocinium suscipiant, & eos vel tolerent, vel de novo recipiant, vel etiam recipiendos, tolerandos esse suadeant: sed alii ducti lucri, quæstusve spe, quem ex Judæis percipiunt: alii impulsi studio charitatis & conversionis ipsorúm. Ut igitur quid hîc statuendum sequendumve sit, constare possit, explicationem Problematis ex verbo Dei exstructam, subjiciam. Præmitto autem duo theoremata, observatu necessaria.

eos quidam tolerandos negant.

affirmant.

Vnum: Judæos quadrifariam à nobis considerari oportere. Spectandi sunt I. ut Homines, ejusdem carnis ac sanguinis nobiscum participes, & ex eodem parente Adamo orti *Actor*. 17. *vers*. 28. *Luc*. 3. *vers. ult*. II. ut posteri Abrahæ, ut primogentii familiæ Dei *Rom*. 9. v. 3. 4. 5. Quo respectu Apostolus Judæos sui temporis, amentes licet, rebelles, ac incredulos; *Sanctos* tamen appellare non dubitat: Patrum vid: hoc est, primitiarum & radicis ratione, ex quibus massa ac rami sanctificari censentur *Rom*. 11. *vers*. 16. III. ut Hostes Christi & veræ Ecclesiæ, blasphemi, infideles, fœneratores, usurarii: quibus de causis sunt καθάρματα mundi, & odia publica totius orbis

Iudæi spectandi ut 1. homines.

2. posteri Abrahæ,

3. Hostes Christi &c.

 Chri-

4 converten-di. Christiani. IV. ut Convertendi ad fidem Christi, secundum gratiam Prædestinationis, & promissionem Fœderis æterni, cum Abrahamo initi: & quidem magno numero & multitudine, Quam Conversionem, velut mysterium divinitus sibi revelatum, proponit Apostolus *Roman.* 11. *vers.* 25. *& seqq.* & partim rationibus, partim testimoniis Prophetarum luculenter confirmat.

Quatuor hi modi conjunctim considerandi sunt.

Alterum: Quatuor illos considerandi modos, non divisim, aut sigillatim singulos, sed conjunctim universos à nobis spectari debere. Cum igitur quæritur, Num tolerandi sint Judæi inter Christianos, non separatim judicandum est ex modo tertio, quo dicuntur esse hostes Christi, infideles, fœneratores; sed simul etiam ex cæteris, inprimis autem ex secundo & quarto pronunciandum: quibus dicuntur semen Abrahæ, convertendi ad Christum, & ad societatem fœderis reducendi. *Ratio* hæc est: quod Apostolus eo & non alio modo de ipsis loquitur & judicat Rom. 11. vers. 16. *Quod si primitiæ sancta, sancta etiam massa; & si radix sancta est, etiam rami.* item vers. 28. *sunt inimici propter vos, dilecti autem propter Patres.*

Iudæi tolerandi sunt in societate Christianorũ.

Secundum hæc nunc respondemus affirmativè: nim: *Iudæos in societate Christianorum tolerandos esse*: *Rationes* sunt istæ:

1. quia miraculosè à Deo conservantur.

Prima: Etsi Deus pœnam dispersionis ipsis imposuit, ut sine Rege, sceptro, & lege civili sparsim degant inter alias gentes, per universum prope orbem terarrum: tamen eos mirabiliter, quin etiam miraculosè conservat, ut neque deleantur, aut deleri possint, licet à multis id fuerit tentatum: neque etiam confundantur cum aliis gentibus, ritibus, cæremoniis, conjugiis, & totius vitæ consuetudine. Et ut Cain signo notatus fuit divinitus, ne occideretur ab obviis propter fratricidium: ita Judæi videntur in vultu & frontibus suis notati à Deo, propter cædem Christi primogeniti, ut dignosci primo ferè intuitu possint, ne occidantur. Dei igitur consilio repugnare videntur, qui Judæos tolerare nolunt.

2. quia eorum dispersio Christianis est utilis.

Secunda: Nobis Christianis utilis est dispersio Judæorum per orbem Christianum: idque bifariam. I. propter spectaculum severitatis & iræ Dei, quod nobis perpetuò ob oculos versari debet. Nam ostenduntur nobis ut rami defracti propter incredulitatem; quò per fidem manere discamus in vera olea

Rom. 11.

Rom. 11. *v.* 22. *& seqq.* II. propter testimonium sanæ doctrinæ, quod in Scripturis V. T. circumferunt: ut ita Ecclesia ubique locorum religionis Christianæ testes reperiat; ut docet Augustinus *lib.* 18. *de Civitate Dei Cap.* 46. Et hoc testimonium tanto firmius est, quod ab ipsismet hostibus, & quidem juratis, doctrinæ perhibetur. Idcircò Patres Iudæos dixerunt *Bibliothecarios Christianorum, in cordibus hostes, in codicibus testes.* Proinde ne nobismet ipsis obsimus, Judæos in societate nostrâ ferre debemus.

Tertia: Ab Exemplis Apostolorum: Petrus & Paulus illis ipsis Iudæis, qui Dominum Iesum in crucem egerant, licet & doctrinam ipsius auribus suis accepissent, & miracula oculis suis spectassent; quique testes gloriosæ resurrectionis ipsius pecuniis corruperant, adeoque Judæis hodiernis multo detestabiliores erant, summam charitatem demonstrarunt, ac conversionem ipsorum omnibus modis, etiam cum dispendio propriæ salutis, quærere, procurare non dubitarunt: tantum abest ut eos tolerare noluerint *Act.* 2. *&* 3. *capp. Rom.* 9. *cap.* Ergo nos idem multò magis facere convenit circa Judæos hodiernos. 3. quia Petrus & Paulus tolerarunt multo hodiernis pejores.

Quarta: Judæi, juxta doctrinam Apostoli *Rom.* 11. *cap.* iterum sunt convertendi ad Christum, & fidem in ipsum. Id verò cum ab infidelibus fieri non possit; qui ipsimet ignorant Christum, & non recipiunt: sed faciendum sit ministerio Christianorum & fidelium, utique inter eos commorari & conversari debent. 4. quia sunt convertendi.

Quinta: Apostolus docet non solum convertendos esse Judæos maximo numero; sed etiam modum conversionis: quem in eo constituit, ut ad æmulationem provocentur *Rom.* 11. v. 14. id est, ut exemplo fidelium ex Gentibus, gratiam Christi ipsi quoque desiderent & amplectantur. Si à nobis, nostro exemplo, ad æmulationem provocandi sunt Judæi, utique tolerari à nobis, & inter nos versari debent. Hinc autem duo porrò colligimus: I. Versari Judæos debere inter Euangelicos & Orthodoxos potius, quam inter Papistas. *Ratio*: quia hi minus idonei sunt ad excitandam in ipsis æmulationem: cum sint idololatræ, quos ipsi toto pectore aversantur & execrantur. II. Conversionem illam totius Israëlis, sive Judæorum maximo numero, de quâ Apostolus vaticinatur *Rom.* 11. proculdubio proximè secuturam esse excidium Papatus, & destructionem urbis Romæ: 5. quia ad æmulationem provocandi sunt.

quum

quum Papiſmus ſit præcipuus obex, & maximum impedimentum converſionis Iudæorum ad Chriſtianiſmum, quem illi idololatrico Papiſmo ferè metiuntur.

6. quia ab omnibus ejectî non poſſent habere doctores fidei.

Sexta. Si omnes Magiſtratus Chriſtiani excluderent Judæos è ſocietate Chriſtianorum, nec tolerare amplius vellent; utique ad Garamantas & Indos, ad Caribes & Canibates relegandi eſſent, ut vitam inter eos tranſigerent. Sed ita malè profectò eis proſpiceretur de Doctoribus, qui ad Meſſiam, quem quærunt; inveniendum viam ipſis commonſtrarent. Concludimus igitur Judæos inter Chriſtianos tolerandos eſſe.

In tolerandis Iudæis

Cæterum cum in confeſſo ſit Judæos juxta conſiderationem tertiam eſſe non ſolum infideles, ſed etiam blaſphemos in Chriſtum, hoſtes Chriſtianorum, fœneratores iniquiſſimos; tolerantia ipſorum certis conditionibus tanquam legibus quibuſdam circumſcribenda eſt. Hîc igitur Magiſtratibus Chriſtianis alia quidem cavenda & fugienda, alia contra facienda ſunt.

quæ cavenda.

Cavenda ſunt iſta : I. Ne in Synagogis ſuis, concionibus, & præcibus Chriſtum Servatorem mundi blaſphement, aut convitiis proſcindant; contra præceptum, & expreſſam Legem *Lev.* 24. v. 14. *& ſeq.* II. Ne doceant impia & falſiſſima dogmata Rabbinorum ſuorum, quibus depravatur tota lex Dei: quæque in vulgus Judæorum ferè ignota ſunt. III. Ne Chriſtianos corrumpant, & ad Iudaiſmum ſeducant. Ex cujus rei neglectu Maranorum hæreſis magnos, præſertim in Hiſpaniâ, progreſſus habuit. IV. Ne ſacroſanctas Conjugii leges & ſanctiones violent: ſive excitando ſemen fratri defuncto; quod in Cananæâ ſolum ad vitandam confuſionem hæreditatum valebat: ſive neptem in matrimonium adſciſcendo; quod ab avunculis inter Judæos fieri ſolet, contra Legem Dei. V. Ne impium fœnus, iniquas uſuras exerceant, nec pauperes Chriſtianos exedant atque exſugant. In quo tamen levius peccant Judæi, quàm Chriſtiani: I. quia ipſi non accipiunt uſuram à fratribus ſuis, ut Chriſtiani. II. quia Chriſtianos, quos illi pro alienigenis, pro hoſtibus habent, exhaurientes fœnore, nihil agunt contra conſcientiam; cum lege Moſis permiſſum ſit, in uſuram dare extraneo: at Chriſtiani fœnus exigentes à pauperibus, agunt contra conſcientiam. Omnium verò graviſſimè peccant illi Magiſtratus, qui propter

Vſuræ Chriſtianorum pejores, quàm Iudæorum.

propter fœnus & ejus participationem Judæos vel adſciſcunt, vel tolerant: quod hodie, proh dolor, nimis in uſu in Germaniâ & alibi.

Facienda porrò & curanda ſunt hæc Chriſtianis Magiſtratibus. I. Ut Judæi in Synagogis ſuis & ſacris conventibus tantum legant libros Sacros Vet. Teſt. & Deum Patrum ſuorum, Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi juxta Scripturam Vet. Teſtam. invocent. II. Ut eos inſtitui in religione Chriſtianâ, & de eâ doceri curent: quin etiam ad ſacras Chriſtianorum conciones ſubinde frequentandas adigant. Alioquin enim nec ad æmulationem provocari, nec ad fidem Chriſti converti poſſunt. Et hujus moniti neglectus eſt vel cauſa præcipua, cur tam pauci hodie Judæi convertantur. III. Ut etiam ad honeſtos labores, honeſtaque opificia eos aſſuefaciant & traducant: quo ita honeſtè, etiam abſque uſuris vitam tolerare queant. IV. Præſtent eis ſecuritatem ac defenſionem, civibus omnibus juxta Leges viventibus debitam: nec patiantur eos privatorum injuriis, ſive publicè, ſive privatim, impune vexari. Quod etiam nimis, proh dolor! in uſu eſt. Eſt verò contra Apoſtolum, graviter interdicentem nobis Chriſtianis injurias, contumelias, ac contemptum Judæorum *Rom.* 11. *cap.* V. efficiantur Judæi habitu, vel certo quodam ſigno à Chriſtianis diſcernantur; ne quis cum eis, perinde atque cum Chriſtianis, imprudens verſetur. quæ facienda

In ſumma Principes & Magiſtratus Chriſtiani, qui Judæos in clientelam ſuam receperunt aut recipiunt, & in his, & in aliis omnibus oſtendent, ſe non niſi ſanctâ charitate, ac ſalutis ipſorum procurandæ deſiderio ad illud ferri: ac proinde nihil ipſis permittent, quod ſit per ſe illicitum: inſtituendos verò in Chriſtianâ fide ac veritate curabunt: quo ita eſſe queant organa ſalutaria in opere illo, quod Deus facturum ſe per prophetam Eſaiam, & Paulum Apoſtolum promiſit.

Hæc de ipſo Problemate. Cui Coronidis loco ſubjicio quæſtiunculas tres, ad eandem materiam pertinentes.

Prima: *Vtrum Iudæi, qui ſunt poſteri Abrahæ, ſanctæ radicis ſancti rami, haberi ac dici poſſint membra Eccleſiæ?* Reſponſio eſt *negativa.* I. quia ſunt aperti hoſtes Chriſti & Eccleſiæ, quos Deus publica teſtificatione reprobavit, quod non ſint amplius populus ſuus. II. quia potiſſimam Scripturæ partem, in qua docetur comple- Iudæi non poſſunt dici membra Eccleſiæ.

mentum V. T. vid. N. T. non recipiunt. III. quia etiam V. T. non retinent; quatenus à fundamento veræ ac salvificæ fidei in eo traditæ quàm longissimè recedunt, & contradicentes ei blasphemant. Interim *Sancti* dicuntur, non in se, sed Patrum respectu; à quibus ducunt originem.

Judæi non includuntur Abrahæ.

Secunda: *Utrum Judæi, posteri Abrahæ, includantur fœderi ipsius, & jus ejus hactenus retineant?* Responsio est *negativa*. In fœdere namque duo sunt; *Substantia*, semen illud promissum, Christus Jesus, cum omnibus suis beneficiis; *& accidentia*, quæ sunt ritus sive cerimoniæ additæ fœderi; & fœdus etiam dicuntur *Gen.* 17. & alibi. Utroque modo alieni sunt à fœdere. *Illo*; quia alieni sunt à Christo. *Isto*: quia Cærimoniæ Legales per Christum impletæ & abrogatæ sunt: & earum observantia Christo etiam apertius adversantur. Interim non diffitemur: I. custodes esse & testes tabularum fœderis: quia credita ipsis sunt eloquia Dei *Rom.* 3. vers. 2. II. In gratiam fœderis denuo cooptandos esse, & radici oleæ, unde propter incredulitatem excisi sunt, iterum per fidem inserendos *Rom.* 11. *cap.*

Judæi meliores sunt Turcis, aliisque infidelibus.

Tertia: *Num Judæi meliores censendi sint Turcis, Mohometanis, aliisque infidelibus?* Responsio est *affirmativa*. I. quia Judæi habent, studiosè legunt, religioséque custodiunt totum V. T. Turcæ, Mahometani impium Alcoranum legunt. II. quia Judæi habent certam & specialem promissionem de sui conversione ad Christum, & in fœdus gratiæ receptione: Nihil hujus ostendere aut proferre queunt Turcæ & Mahometani.

DEO GLORIA.

INDEX

INDEX

Problematum Theologicorum

THEORICORUM.

An

INDEX
PRACTICORUM.

INDEX
Dictorum Scripturæ,

Petri I.

INDEX
Rerum & Verborum.

A.

E.

F.

G.

H.

Pœna

R.

S.

T.

V.

Volun-

FINIS.



HENRICI ALTING
S. Theol. Doct. & Profess.

SCRIPTORUM THEOLOGICORUM *HEIDELBERGENSIUM* Tomus Tertius:

continens

EXPLICATIONEM
CATECHESEOS PALATINÆ
cum vindiciis à Considerationibus Novatorum,
& Antithesibus Socinianorum.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM
cIↃ DC XLVI.

Præfatio ad Lectorem.

QVi brevem hanc enarrationem, vindiciasque Catecheticas, cum prolixis aliorum & absolutis in hoc genere commentariis contulerit facile animadvertet, diversum hujus scripti scopū & occasionem fuisse. De quo ut Lectori constet, paulò altius rem arcessere non pigebit. Gliscentibus indies infelicibus illis, de quibusdam capitibus Religionis Controversiis, quæ totum postea Belgium concusserunt, cum pii ac prudentes Ecclesiarum Moderatores, (quoad illa capita à Synodo aliqua generali definirentur,) formulam expeterent publici in doctrinâ consensus: Synodus Suidhollandica anno hujus seculi quinto sancivit, ut Confessio Belgica & Catechesis Palatina solenni deinceps subscriptione à singulis Pastoribus confirmaretur. Opposuerunt sese illico novorum dogmatum Patroni, acriter negantes præstari à se subscriptionem posse, nisi prius institutâ formularum ipsarum in Synodo Nationali revisione: utpote quas necessariâ censurâ & castigatione indigere observassent. Interim non obscurè id egerunt, ut doctrinam Catecheseos Palatinæ, quæ circiter annos quadraginta in templis ac scholis eorum sonuerat, tanquam suspectam, toto Belgio proscriberent & exterminarent: quin etiam illius loco novam Catechesin ex suo ingenio procudere, & in Ecclesiam Gaudanam introducere non dubitârunt. In Palatinam verò cum integras Considerationum sylvas comportâssent, easque rebus florentibus liberius & ex mente sua scriptas Ordd: Hollandiæ obtulissent; declinante postea fortunâ variè amputarunt, & sic contractas Synodo Nationali Anno M. DC. XVIII. Dordrechti habitæ tandem exhibuerunt. His porrò Considerationibus Novatorum etsi à Theologis Palatinis, speciali ad id mandato à Sereniss: Electore instructis, abunde eodem in loco est satisfactum, qui tamen Ecclesias suas, eorumque Confessionem propius tangerent, visum est Parenti nostro Heidelbergam reduci non abs re fore, si Orthodoxiam Catecheseos etiam publice assereret. Quapropter probante ac urgente institutum hoc Facultate Theologicâ & sepositâ ad tempus analyticâ expositione Institutionum Calvini, Exegesin Catecheseos prælectionibus ordinariis est aggressus: idque duplici

ferè scopo. Primò, ut juventutem Theologicam, quæ inde à teneris Catechetica institutioni assueverat, iisdem vestigiis ad altiora paulatim manuduceret; adeóque textus verbis, ceu formulæ receptæ, pressim inhærendo, de præcipuis tamen Theologiæ capitibus illorum judicium quodammodo formaret. Deinde, ut non modo Considerationes Novatorum in Synodo oblatas planè solidéque refelleret, verùm etiam palmaria eorundem dogmata, quæ dum Elenchticam traderet in Palatinatu fermè erant incognita, per digressiones opportunas auditoribus suis proponeret, eorumque animos adversus nova hæc sophismata præmuniret. Præterea, cum ex iisdem Considerationibus non obscurè liqueret qualem reformationem Novatores intenderent, siquidem ex Catechismo Polonico Smalcii (Racovianus *vulgo dicitur) quā plurima depromserant; non præter institutum judicavit Parens, si ex eodem libello Antitheses Socinianas, Catechesi oppositas, propè ipsorum verbis concinnaret, suisque singulas locis confutaret. Atque hæc sunt, quæ præsens præstat Commentarius. quem à multis efflagitatum, & his quoque locis & temporibus apprime convenientem, duobus superioribus tomis meritò adjungimus. Quod si cui inchoata tractatio non æquabiliter decurrere videatur, eo quod extrema primis mole non usquequaque respondeant, is, præterque quod de brevitatis studio alibi est dictum, hoc quoque consideret, materiæ condicionem non ubique tam diffusam explicationem postulasse; ut quæ in tertiâ Catecheseos parte paucioribus cavillis obnoxia, nec tam gravibus controversiis est implicata. Cæterùm ne hujus quidem partis brevem & accuratam analysin omninò neglectam Lector agnoscet: quæ verò ad pleniorem exegesin requiruntur, ex aliorum, Vrsini præsertim ac Parei, commentariis uberioribus facilè supplebit.*

PRO-

PROLEGOMENA IN CATECHESIN.

TITULUS

CATECHESIS *Religionis Christianæ, quæ traditur in Ecclesiis & Scholis Electoralis Palatinatus?*

EXEGESIS.



VOx *Catechesis* in multas pervulgata linguas, Græcę originis est à verbo κατηχέω circumsono, quod ex κατὰ & ἠχέω compositum, derivatur ab ἦχος & ἠχώ: ἠχὼ autem sonum, sive simplicem, sive ex reflexu & repercussione geminatum significat. *Catecheseos Etymologia.* *Vsus* berbi κατηχεῖν & κατηχεῖσθαι in scripturâ *Homonymia.* Novi Testamenti triplex occurrit. I. *Generatim* usurpatur pro audire, sive accipere aliquid ex aliorum relatu *Luc.* 1. v. 4. *Actor.* 22. v. 21. 24. II. *Speciatim* sumitur pro vivâ voce instituere: quod Gręci vocant ἀπὸ στόματος διδάσκειν *Rom.* 2. v. 18. *Gal.* 6. v. 6. Quem significatum Latinâ voce eleganter expressit Cicero *in proœmio lib. 3. Offic. ad Marcum filium*, cum ait: *Conducere arbitror talibus aures tuas vocibus undique circumsonare, nec eas si fieri possit quicquam aliud audire.* III. *Specialissimè* idem sonat, quod prima Religionis rudimenta vivâ institutione tradere, & quasi insusurrare *Actor.* 18. v. 25. 1. *Corinth.* 14. v. 19. Hic tamen significatus multo illustrior est in priscæ Ecclesiæ scriptoribus, qui usum vocis ad Elementarem hanc docendi rationem contraxerunt, eique

 propriam

propriam quasi fecerunt. Unde Catechesis propriè est Elementaris institutio Christianæ Religionis vivâ docentis voce tradita, & à discentibus repetita. Per metonymiam adjuncti verò est ipsa doctrina Religionis, tali institutionis formâ proponi solita: quo sensu in titulo hujus Libelli accipitur.

Synonymia. *Synonyma* voces sunt, quas recenset Apostolus *Heb. 5.6. capp.* ubi doctrinam Catecheticam vocat τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ; Item τὸ γάλα lac. Rursum τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον Sermonem inchoantem rudes in Christo; denique τὸ θεμέλιον, Fundamentum doctrinæ Christianæ. Nec alio sensu Tertullianus Catechesin *Rudimentum*, *Tyrocinium*, & *Initium eruditionis* appellavit *lib. de Idololat. cap.* 10. & *de Pœnit. cap.* 6.

Conjugata. Prætereundæ etiam non sunt voces *Conjugata* Catechetarum ac Catechumenorum; quarum explicatio veterem Catechizandi consuetudinem nobis repræsentat.

Catechetæ qui. *Catechetæ* sive *Catechistæ* erant Doctores Ecclesiæ, profitentes doctrinam Catecheticam, eamque auditoribus suis, tum junioribus, tum adultis ad fidem Christi recens conversis, instillantes. Quales initio quidem ex reliquis ministerii Ecclesiastici ordinibus promiscuè legebantur; ubi verò incrementum cœpit Ecclesia, propter varietatem ac molem negotiorum paulatim distingui à cæteris, ac in peculiarem classem redigi cœperunt, Ambrosio teste, *comment. in Epist. Ephes. cap.* 4. De officio fusè præ cæteris scripsit Augustinus *lib. de Catechetizandis rudibus, cap. 3. 5. seqq.* & *contra Faustum Manichæum lib.* 13. *cap.* 7. *deinceps ad finem usque.* Vivâ autem voce nonsolum imitatione Patriarcharum, Prophetarum, ac Apostolorum usi sunt: verum etiam ut summam sanæ doctrinæ latè diffusam contrahere in pauca possent; & quod vocalis traditio habet nescio quid (ut Hieronymus loquitur) latentis energiæ: Unde, sicut efficacior est, altiusque præcepta infigit auditorum animis: ita attentiores omnes reddit. Excelluerunt olim hoc in genere in Ecclesiâ Alexandrinâ, *Pantenus*, *Clemens*, *Origenes*, *Heraclas*, *Dionysius*: In Ecclesiâ Hierosolymitanâ, *Cyrillus*: In Carthaginensi, *Deogratias*: Alii alibi, ab Eusebio, Hieronymo, Augustino meritis laudibus celebrati.

Catechumeni qui. Jam *Catechumeni*, qui & κατηχήμενοι & κατήχητοι dicti sunt, ii erant, qui doctrinam Catecheticam absque librorum adminiculo solâ docentis voce discebant. Hos Apostolus nominat

nat ἀπείρους λόγου δικαιοσύνης, rudes sermonis justitiæ: Item νηπίους Infantes *Hebr.* 5.v.13. Patres verò *Audientes*, sive Auditores, Incipientes, Novitiolos, Competentes, Illuminandos appellare consueverunt: quorum nominum ratio ex praxi Veteris Ecclesiæ eruenda est. *Audientes* sive *Auditores* dicebantur, quod principia Religionis κατὰ τὸν ἦχον h. e. vivâ voce auribus insonante perciperent. *Incipientes*, quod primum inciperent discere rudimenta Christianismi. *Novitioli*, quod noviter nomen Christo dedissent, ejusque se mysteriis imbuendos tradidissent. *Competentes*, quod postquam doctrinam Religionis didicissent, peterent unà cum aliis sacro initiari Baptismo, atque Ecclesiasticæ communioni inseri. *Illuminandi* denique, quod in Baptismo uberiorem spiritualis gratiæ ac illuminationis mensuram sperarent & exspectarent. Qui verò, accepto Baptismo, & manuum impositione, ex classe Catechumenorum dimittebantur, quod stato anni tempore, maximè à feriis Paschatis & Pentecostes fiebat, *fideles* & *illuminati* vocabantur.

Triplicem porrò ordinem fuisse legimus Catechumenorum, in quibus nominum illorum ratio variat. *Vnus* erat eorum qui discebant Catechesin, & fieri Christiani volebant, sed nondum petierant Baptismum; qui propriè erant Audientes, sive auditores: *Vide* Tertullianum *lib. de Pœnit. cap.* 6. *& Præscript. advers. hæretic. cap.* 41. Cyprianum etiam *lib.* 3. *Epist.* 17. *Alter* eorum, qui jam pridem accesserant, & in fide instituti Baptismum petebant, & dicebantur Competentes, ut est apud Augustinum *lib. de curâ pro mortuis cap.* 12. & Hieronymum *epist. ad Pammachium*. *Tertius* eorum qui in infantia Baptizati, postquam nonnihil adolevissent, in Catechesi instituebantur; & impositione manuum confirmati ad sacram communionem recipiebantur; qui à Clemente & aliis *Incipientes* dicti sunt. Ordo eorum triplex.

Ab utrisque tam Catechetis quàm Catechumenis distincti fuere, quos olim *Susceptores* appellabant, quorum id munus, ut Catechumenos primum ad Catechetas adducerent, ac pro fide ipsorum & obsequio religiosè sponderent. Susceptores Catechumenorum.

Hæc de *voce Catechéseως*: Cujus descriptio ex Subjecto tum Occupante, tum Loci sumitur.

Subjectum occupans, sive *Objectum* est Religio Christiana, circa quam pro captu rudiorum explicandam versatur. *Religio*, si Religio unde dicta.

 Cice-

Ciceroni credimus, dicitur à relegendo: *qui enim omnia quæ ad DEORUM cultum pertinerent,* (inquit *lib.2.de nat.Deor.*) *diligenter pertractarent, & tanquam relegerent, Religiosi dicti sunt.* Lactantius tamen *divinarum Institutionum lib.4. cap.28.* à religando eam deducit; quod cultores numini religet, i. e. obliget atque obstringat. *Hâc,* ait, *conditione gignimur, ut generati nos Deo justa & debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo & religati sumus: Unde ipsa Religio nomen accepit; non, ut Cicero interpretatus est, à relegendo.* Et sub finem capitis: *Melius ergo Lucretius id nomen interpretatus est, qui ait, religionum se nodos exsolvere.* Ad idem ἔτυμον alludere videtur Augustinus *lib.de verâ relig.* cum inquit: Quod cultu Dei animas nostras religemus Deo, à quo defeceramus. Et *de doctrinâ Christianâ lib.3.cap.6,* de cæremoniis Veteris Testamenti loquens, ait, illas opinionem observantium ad cultum unius Dei religasse. Quid autem

quid sit. sit Religio, docet Cicero *lib. 2. de Invent. Religio,* inquit, *est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque adfert.* Item *Religionem eam,* inquit, *quæ in metu & cæremonia DEORUM sit, appellant.* Quibus verbis cultum internum & externum conjungit, quem superstitio gentilis fictitiis numinibus; Religio Christiana vero Deo exhibet. Nos eam cum Paulo definimus *Agnitionem veritatis, quæ est secundum pietatem; Tit.*1.1. ut tum recto de Deo sensu, tum pio ejus cultu constet. Ex quâ definitione pendet metonymica vocis significatio, quâ hoc loco, pro doctrinâ veritatis & pietatis, sive veri ac salutatis Dei cultus accipitur.

cur Christiana vocetur. *Christiana Religio* vocatur κατὰ διάκρισιν, ut distinguatur à Religione non Christianâ, Paganâ, Mahumetanâ, Judaicâ; vel ab Antichristianâ, Pontificiâ: quæ aut verum Deum non agnoscunt, aut cultum ejus horribiliter adulterant. Hoc epitheton jure merito veræ Religioni tribuitur; tum quia à Christo ex sinu æterni patris prolata, & nobis revelata est, *Iohan.*1.v.18. tum quia Christum Servatorem præcipuè docet, *Iohan.* 20. v. 31. 1. *Cor.* 2.v.2. per quem reconciliati Deo, & veluti religati sumus, *Ephes.* 1.v. 10. *seqq. Col.*1.v.20.21.22. tum etiam quia omnes veri Christiani hanc doctrinæ, sive Religionis formam tenent, ac profitentur *Actor.* 11. v. 26. *Matth.* 28 v. 19. 20.

Hinc jam intelligimus, verbum Dei Scripturis Propheticis & Apostolicis comprehensum, esse unicam basin ac normam doctri-

næ Catecheticæ. Si enim doctrinam Religionis tradit Catechesis; tradit veram Dei agnitionem & salutarem ejus cultum, præscriptum in verbo, extra quod Deus nec rectè agnoscitur, nec piè colitur. Si Religionis Christianæ doctrinam tradit; tradit doctrinam Euangelii de Christo, solo Dei verbo nobis patefactam. Sed quæ verbum istud sparsim ac fusè exsequitur Religionis capita, ea καλ' ἐπιτομὴν & Synecdochicè Catechesis declarat; prout nonnulla eorum commemorat Apostolus *Heb.* 6. v. 1. Quæ causa est quod ὑποτύπωσις *sanorum sermonum*, & *typus* quidam *doctrinæ* appellatur 1. *Tim.* 1. v. 13. *Rom.* 6. v. 17. Locus scriptionis.

Subjectum Loci sunt Ecclesię & Scholę Electoralis Palatinatus ut titulus docet. His namque initio peculiariter scripta fuit Catechesis: *Palatina*, sive *Heidelbergensis* ab iis denominata. *Causas, scriptionis* Serenissimi Electoris *Friderici Pij* præfatio, nec non temporum illorum historia aperit. Sunt autem duæ potissimum. *Una*, ut tam docentes quàm discentes certam formam doctrinæ in conspectu haberent, quam in templis & Scholis observarent. *Altera*, ut dissensionibus & Schismatis Ecclesiasticis obviam iretur; quæ facilè enasci & radicari solent, ubi Ecclesiarum & Scholarum moderatores pro suo singuli judicio genus doctrinæ formant aut immutant. *Scriptores* præcipui fuere Theologi Heidelbergenses; inprimis D. Ursinus, & Olevianus; qui, cum collatis inter se consiliis & operis confecissent Catechesin, censendam eam dederunt Inspectoribus Ecclesiarum Palatinarum, viris doctissimis, & rerum Theologicarum peritissimis, publicâ authoritate ad id evocatis, quorum consentientibus suffragiis approbata, sub nomine Electoris Friderici beatissimæ memorię felicibus auspiciis in lucem prodiit Heidelbergę Anno 1563. Januar. mense.

Causa scriptionis.

Scriptores.

Non defuerunt quidem qui recens editam famosis libellis insectarentur, & totâ Germaniâ proscribendam publicis Imperii comitiis vociferarentur; sed vanis clamoribus & irrito conatu. Siquidem ab illo tempore veritas doctrinę Catecheticę magis magisque illustrari, & ipsa Catechesis exteris etiam Ecclesiis commendabilior fieri cœpit: id quod cum aliis documentis tum tribus hiscè evidentissimè ostenditur. I. Quod in varias easque florentissimas orbis Christiani provincias magno piorum gaudio & fructu introducta est, atque etiamnum obtinet: cujus primùm

Approbatio ejus.

exemplum dedêre Ecclesię Belgicæ, Anno 1571. Catehesi decreto Synodico publicè receptâ atque stabilitâ. II. Quod in plurimas linguas translata fuit, Latinam, Belgicam, Saxonicam, Britannicam, Gallicam, Italicam, Bohemicam, Polonicam, Hungaricam, Græcam etiam & Hebræam, & non ita nuper in Indicam quoque. Sed authentica est sola editio Germanica, in qua omnia non rotundiora modò, sed etiam ἐμφατικώτερα sunt: Ei * proxima est versio Latina à Josuâ Lago, & Lamberto Pithopœo adornata, publicèque approbata. III. Quod innumeris commentariis, Germanicis, Latinis, & aliarum linguarum illustrata est: quos inter Ursiniani, explicationum Catecheticarum titulo evulgati, primas facile tenent.

Quæ omnia de titulo Catechéseως procemii loco dicta sufficiant.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad Titulum.*

An institutio Catechetica conveniat junioribus & adultioribus.

I. *Consideratione dignum videtur sitne instituendi ratio in Catechesi hâc usurpata, apta satis erudiendæ juventuti pro captu ejus in Religione Christianâ: cum rerum ipsarum respectu, quæ in ea tractantur & plurimæ, & gravissimæ ac difficillimæ: tum ratione modi, qui iisdem explicandis & pertractandis adhibetur, cum is talis videri possit, qui ad captum juniorum & rudiorum non sit satis accommodatus, neque ab iis facilè percipi aut retineri queat. Si verò etiam ad adultos eam referre & adhibere velimus, à primâ illius institutione & usu recedere, & homines à verbo Dei ad scripta humana nimium avocare videmur.*

Respond. Catechesis, quæ Heidelbergensis vulgo dicitur, conscripta est in usum Ecclesiarum & Scholarum Palatinarum, in quibus cum non modò juniores, sed etiam adulti informandi sint in agnitione veritatis quæ est secundum pietatem, ita omninò fuit adornanda, ut & illi lac Elementorum Christianismi, & isti solidum cibum in eâ reperirent. Modus Explicationis naturæ rei, & rectæ παιδείας τρόπῳ convenientissimus est, ab Apostolo Paulo præmonstratus in aureâ illâ *ad Romanos* epistolâ: In cujus tamen subsidium non solum quæstiones difficiliores à facilioribus asteriscis discretæ sunt in multis editionibus, verum etiam tota Catechesis in Epitomen redacta. Qui verò Catechizationem adultorum præposteram censent, nec priscæ Ecclesiæ circa Catechumenos

menos jam grandes consuetudinem multis hodieque locis receptam attendunt, oblitique videntur communis infirmitatis, quâ sæpenumero accidit, ut *quos oportuit pro temporis ratione Doctores esse, rursus opus sit doceri, quæ sint Elementa initii eloquiorum Dei*, prout de Hebræis suis conqueritur Apostolus *Heb.* 5. v. 12. Neque hoc est à verbo Dei abducere homines, sed ad illud quasi manu ducere, adeóque facilioris intelligentiæ facem ipsis accendere & præferre.

II. *Considerandum quoque videtur, an Catechesis quantum fieri potest, verbis ac phrasibus Sacræ Scripturæ constare non debeat.* An verbis Scripturæ constare debeat?

Respond. Alicubi constat verbis & phrasibus Scripturæ: ut ubique constaret, continuo quasi dictionis filo ex iis contexta, id verò necesse non fuit: partim quia præcipua capita Religionis ex Scripturâ & secundum ἀναλογίαν ejus breviter & populariter debuit declarare: partim etiam glossis & corruptelis hæreticorum viam obstruere, qui sub generaliore scripturæ phraseologiâ latere, & simplicioribus imponere solent.

III. *An Catechesin publicè pro concione populo sine textu sacræ scripturæ aperto capite prælegi ac proponi deceat: & an honor ille soli verbo Dei deferendus non sit; cum neque ex libris Apocryphis textum aliquem prælegere aut explicare ministris verbi Dei liceat.* An pro concione explicare eam liceat.

Respond. Catechesis est brevis explicatio capitum Religionis ex ipsâ Scripturâ petita, & Ecclesiæ judicio approbata; Quidni ergò prælegere eam liceat, & in conventibus publicis populo fideli proponere? Sive autem id fiat præmisso textu sacro, sive omisso; sive aperto sive operto capite; nos quidem parum interesse arbitramur. In Palatinatu tamen textus sacer rei conveniens præmitti solet, populus etiam tecto capite quæstionum explicandarum recitationem audire. Iniqua verò & plena calumniæ comparatio est, quæ inter Catechesin & libros Apocryphos instituitur: Nam libris illis fabuloso multa & falsa inesse certò constat; cujusmodi Catechesin quoque continere ipsi ne profiteri quidem audent, tantum abest ut demonstrare se posse confidant.

IV. *Cum etiam metuendum sit, ne progressu temporis multi Catechesin pro Verbo Dei, & libro aliquo Canonico habeant & reputent, considerandum est, an isti errori occurri jam aliquâ ratione non deceat: ut omnes Catechesin non Canonicum librum, sed scriptum humanum esse intelligant;* An non metuendum sit, ne pro libro Canonico habeatur.

ligant; precipuè cum in hâc Synodo, ut tali errori, quoad libros Apocryphos, occurreretur, multis modis prospectum sit.

Resp. Inanis ille metus est, obtensus potius in odium Catecheseως, quàm ex periculo aliquo, sive præsenti sive futuro conceptus. Ubi & quando vel fando auditum Catechesin haberi pro verbo Dei,, aut libro aliquo Canonico? Abunde cautum ei rei in ipsâ Catechesi. De iniquâ comparatione inter ipsam & libros Apocryphos modò diximus.

An possit dici parva Biblia?

V. *An circumspectè satis sit dictum Catechesin esse parva Biblia, ad cujus capita omnis doctrina atque conciones possunt examinari. Constat enim Bibliorum scriptoribus tribui quod errare non potuerunt: at non idem dici de Catechismi autoribus.*

Resp. Cujus id dictum sit, nos quidem latet. Nobis parva Biblia sunt quinque capita Religionis Christianæ, ad quæ omnis doctrina atque conciones possunt & debent examinari. Catechesis verò illorum Bibliorum sive capitum brevis & popularis explicatio est, ex Bibliis majoribus Veteris & Novi Testamenti collecta, humanâ opera. Unde etiam capita illa distinctis locis in Catechesi verbotim proponuntur.

An omnes responsiones ejus ad salutem necessariæ sint?

VI. *An omnes Articuli, sive Responsiones in Catechesi, ad salutem necessariæ sint.*

Resp. Ipsa capita Religionis, quæstionibus Catecheticis explicata ad salutem necessaria sunt, dispari licet necessitatis gradu. De modo explicationis id nemo affirmat.

An ministri ad singula verba ejus obligati sint?

VII. *An ministri verbi Dei tantùm ad dogmata Catholica, & substantiam doctrinæ Catecheseως, an verò, etiam ad singula verba, phrases, & circumstantias obligati & obstricti sint.*

Resp. Utinam verò definirent aliquando illa toties decantata Catholica dogmata. Si ea esse volunt, quæ omnes Christi nomen & Euangelium professi concorditer agnoscunt, nos ad illa solum docenda obligari ministros Ecclesiæ negamus, Sin ista, quæ secundum capita Religionis ordine in Catechesi pertractantur, distinguimus. Nam ad ipsa capita quidem obligantur tanquam ad normam sensus: ad explicationem verò eorum non aliter, quàm ad formam consensus Ecclesiastici, in Ecclesiâ. ad servandam doctrinæ puritatem, summè necessarii.

An quoad loca de Scripturâ & Deo sit mutila?

VII. *Annon duobus hisce modis potissimum mutila & imperfecta sit hujus scripti tractio: quod scilicet hæc duo præcipua dogmata, primum*

num, de Sacra Scriptura autoritate, perfectione, & perspicuitate; alterum, de naturâ Dei ejusque proprietatibus, ex professo & debitè usquam in eâ proponantur.

Resp. Ne illa quidem desunt, quatenus requiruntur ad Catecheticæ institutionis modum. Nam de autoritate, perfectione. & perspicuitate Scripturę non obscure agitur quæst. XXII. XXV, LXV, CIII. & aliis nonnullis. De naturâ & proprietatibus Dei, quęst. XI. XXV. XXVI. XXVII. XXXV, LIII. Meminisse etiam debebant Catechesin esse explicationem parvorum Bibliorum, sive quinque capitum Religionis: quæ cum ex professo aut fusè de dogmatis illis non disserant, nihil mirum si in Catechesi brevius aut incidenter solùm attingantur.

IX. *An ita tractentur omnia in Catechesi, prout ad pacem & concordiam inter Ecclesias reformatas servandam tractari ea oportet.* An ad pacem servandam faciat?

Resp. Pax & concordia Ecclesiarum reformatarum, quâ inter se devinctæ sunt, primò ac præcipuè consiistit in unitate fidei, ac doctrinæ Orthodoxæ consensu *Ephes.* 4. v. 9. 3. *seqq.* In quo cum conspiret Catechesis cum aliarum Ecclesiarum confessionibus, prout earundem harmonia testatur, paci quoque inter illas servandæ ac propagandæ satis accommodata est. Si verò existimant Consideratores pacis causâ dogmatum quorundam expositionem rejiciendam, & in Catechesi inducendam; nos quidem ii non sumus, qui tanto dispendio malè sartam concordiam redemtam cupimus.

X. *An loca Scripturæ ad marginem Catechismi annotata pro parte ejus haberi debeant, adeò ut si quis in eorum citatione fortè commissus fuerit error, in ipso scripto commissus censeri debeat: & an qui istis scriptis subscribunt, subscriptione ista sese obstringant, non alium in finē se locis istis usuros, quam quo in scriptis istis allegata sunt. Si affirmatur, an non sit necessarium cavere, ne quis autoritate privata ea immutet.* An dicta Scripturæ marginalia sint pars ejus?

Resp. Loca Scripturæ ad marginem Catechismi annotata veritatem quidem textus Catechetici partim declarant, partim demonstrant; non tamen ejusdem planè cum ipso textu conditionis sunt. Fieri namque potest, ut qui de textu Catechetico pulchrè consentiunt, dissentiant inter se de sensu locorum; quod ea sæpenumero aliam atquæ aliam interpretationem admittant. Ideoque salvâ Catechesi, salva etiam subscriptione, qua in illam formam doctrinæ consensum est, allegata Scripturæ non modò aliter

 accipi:

accipi: verum etiam pro concione alia iis substitui aut plura coacervari possunt. Interim & hic levitas & alienæ operæ fastidium abesse debet, caverique sedulo, ne quod publico deliberatoque consilio approbatum est, autoritate privatâ improbetur, & abrogetur.

Antitheses Catecheticæ Socinianorum *ad Titulum.*

Antithesis I.

Religio Christiana est via patefacta divinitus vitam æternam consequendi. Causa patefaciendæ viæ salutis fuit, quod eam homo nullâ ratione, per se cognoscere potuit, utpote mortalis initio creatus; deinde verò propter transgressionem mandati divini morti æternæ subjectus. Via autem salutis consistit in agnitione tum unius illius Dei, qui est pater Domini nostri Iesu Christi; tum ipsius Christi, qui verus ac divinus homo est, & voluntatem Dei nobis perfectè manifestavit, & confirmavit innocentiâ vitæ, miraculis, & ipsâ morte.

Responsio.

Religio Christiana

Definitio sive descriptio Religionis Christianæ Socinianorum, quæ primo adspectu sana & Orthodoxa videtur, penitiore intuitu & declaratione heterodoxa atque hæretica evadit, sive causam patefactionis divinæ, ex quâ pendet Religio; sive objectum ejus, in quo consistit, spectemus. Certum est hominem ex se, & per se viam salutis nullâ ratione cognoscere potuisse. Solus Deus est qui gratuitâ bonitate eam patefecit inde ab initio mundi, ante & post lapsum; quod & dicta Scripturæ, *Iohan.* 1. v. 18. *Matth.* 16. v. 17., 2. *Corinth.* 2. v. 9. 10. & alia innumera comprobant. Sicut verò post lapsum causa repetitæ & ampliatæ patefactionis, fuit caligo & cœcitas mentis humanæ, quâ notitia Dei ac rerum divinarum, quæ fulgebat in homine integro, obscurata fuit & abolita; *Iohan.* 1. v. 5. 9. 1. *Corinth.* 1. v. 21. Ita ante lapsum causa patefactionis fuit agnitio, celebratio, & cultus Dei; qui propterea hominem ad imaginem suam, hoc est, sapientem, justum, & sanctum condidit, quod ab ipso agnosci, celebrari ac coli vellet *Genes.* 1. v. 26. *Colos.* 3. v. 10. *Ephes.* 4. v. 24. *Proverb.* 16. v. 4. Falsa igitur causa est, quæ in mortalitate primo homini concreatâ ponitur. Neque enim mortalis fuit ex creatione; sed factus est

homini per se incognita.

sed à Deo revelata.

est ex peccato secundum comminationem Dei, *Genes.*2.v.17. ut infra suo loco dicetur. Et hactenus heterodoxa est Socinianorum assertio. Hæretica verò & blasphema etiam est, quod objectum hujus patefactionis & ipsius Religionis attinet. Vita æterna omnino consistit in cognitione veri Dei, & quem ipse misit Jesu Christi; *Iohan.*17.v.3. Sed solus Deus non est solus Pater, excluso à veræ Deitatis communione Filio & Spiritu Sancto; verùm unà cum Patre etiam Filius & Spiritus Sanctus, exclusis tantum creaturis & fictitiis numinibus. Nam & Filius verus ille Deus vocatur, 1. *Ioh.*5.v.20. par sive æqualis Patri: *Ioh.*5. v.18. *Phil.* 2. v.6. Et Spiritus Sanctus verus Deus est, *Actor.*5.v.3.4.1.*Corinth.* 3.v.16. consubstantialis & coæqualis Patri & Filio. 1. *Ioh.*5. v.7. *Mat.* 28.v.19. Præterea, quemadmodum Jesus Christus personâ non divinus homo, sed homo Deus, sive θεάνθρωπος est; sic in muneris sui administratione non tantum nobis manifestavit & confirmavit viam salutis, verum etiam ipsam salutem passione ac morte suâ, in quâ est plenissima pro peccatis nostris satisfactio, nobis acquisivit, & Deitatis suæ virtute eam efficaciter nobis applicat, potenterque conservat *Matt.*20.v.28. *Act.*20.v.28. *Eph.*5 v. 23. *Ioh.*10.v.28. Quâ de re alio loco ex professo agetur.

Via salutis quæ.

Antithesis II.

Veritas Religionis Christianæ ab autore ejus dependet, qui est homo divinus Christus Iesus. Is enim doctrinam à se traditam miraculis verè divinis confirmavit; & cum ejus causâ mortem acerbissimam adiisset, è mortuis à Deo excitatus fuit.

Responsio.

Autor Religionis Christus & quomodo.

In adstruendâ veritate Religionis Christianæ, efficientis respectu, tergemino errore discedunt à vero. Unus est quem modò notavimus & damnavimus, quod Christus fuerit homo divinus, non homo Deus, sive Deus & homo in unâ personâ. Alter, quod miracula verè divina ediderit, absq; verâ sibiq; propriâ Deitate; contra Scripturam *Luc.*4.v.36. *Ioh.*5.v.17.18. *cap.*20.v.31. Tertius, quod resuscitatus sit à mortuis ad confirmationem doctrinæ; non etiam ad nostri justificationem & sanctificationem morte suâ nobis acquisitam, ut est *Rom.*4. & 6. *cap.* quod item resuscitatus fuerit virtute Deitatis Patris, non suæ: contra Apostolum, *Rom.*1.v.4. & ipsum Christum *Ioh.* 2.v. 19.21. & *cap.*10.v.18.

Antithesis III.

Insuper eadem veritas ex iis rebus: quibus constat hæc Religio, ostendi potest, è præceptis nimirum & promissis. Nam & præcepta perfectam vitæ sanctimoniam, & promisse summum atque perfectissimum bonum comprehendunt.

Responsio.

Veritas Religionis in quibus consistat.

Ex præceptis & promissis divinis utique demonstrari potest veritas Religionis, sed in præceptis confundenda nō sunt Lex & Euangelium, prout Sociniani faciunt, qui totum Euangelium, in legale genus doctrinæ transformant; & ipsam fidem Euangelii per obedientiam mandatorum Dei definiunt. In promissis quoque non tantum numeranda est promissio vitæ æternæ, ejusque spes; sed inprimis promissio remissionis peccatorum per sanguinem Christi, sanctificationis per spiritum ejus, & finalis perseverantiæ, & si quæ aliæ factæ sunt fidelibus in novo fœdere *Ierem.* 31. v. 31. *seqq.* & *cap.* 32. v. 39. 40. Quas ipsi universas excludunt ab ordine promissorum divinorum. Insuper promissum vitæ æternæ ejusque spem ad solos fideles Novi Testamenti contrahunt. Rectius igitur Christianæ Religionis veritas ex Lege & Euangelio distinctè ostenditur. *Ex Lege*; quia doctrinam legis integram & incorruptam tradit, veram Dei agnitionem & syncerum ejus cultum, tam internum quam externum, tam immediatum quàm mediatum præcipiens & exigens. *Ex Euangelio*; quia tradit integram & incorruptam doctrinam Euangelii de Christo; quod is sit verus Deus & verus Homo, adeóque mediator Dei & hominum; in quo solo justitia & salus universa quærenda, & per fidem accipienda sit.

& unde ostendatur.

QUÆST. I. Quæ est unica tua consolatio in vita & in morte?

RESP. *Quod animo pariter & corpore, sive vivam sive moriar, non meus, sed fidissimi Domini & Servatoris mei Iesu Christi sum proprius, qui precioso suo sanguine pro omnibus peccatis meis plenissimè satisfaciens, me ab omni potestate Diaboli liberavit; meque ita conservat, ut sine voluntate patris mei cœlestis ne pilus quidem de meo capite possit cadere; imo verò etiam omnia saluti*

meæ

meæ servire oporteat. Quocirca me quoque suo Spiritu de vitâ æternâ certum facit, utque ipsi deinceps vivam, promtum ac paratum reddit.

EXEGESIS.

Ex lege Methodi analyticæ primo loco ponendus est finis, qui quæritur: inde subordinanda media, per quæ finis obtinetur, & in subjectum introducitur. Rectè igitur Catechesis, quæ Methodo analyticâ conscripta est, finem doctrinæ Religionis primâ quæstione & responsione præstituit & explicat; simul verò illo ipso procemio & attentionem Catecheticæ institutioni conciliat, monstrato fructu, qui ex eâ ad discentes redit: & universam ejus summam artificiosè complectitur; ut quid in sequentibus exspectandum sit, primâ statim fronte appareat. *Finis* ille non remotus aut ultimus, sed proximus est, hominem in hujus vitæ miseriis positum spectans, constitutus ex Paulo, *Rom.* 15. v. 4. & in quæstione ac responsione forma propositionis Categoricæ enunciatur & declaratur. Methodus Catecheseos.

Subjectum ipsâ quæstione expressum est *consolatio*, hoc est, argumentum consolationis, sive bonum aliquod, cujus sensu animus mediis in malis erigitur & sustentatur. Quæ vocis significatio metonymica est: nam propriè boni illius notitiam, intuitum & sensum designat. Qualis porrò sit consolatio de quâ quæritur, tribus epithetis, seu notis quibusdam exprimitur. I. *Unica*, id est, solida, firma ad consolandum sufficiens & efficax, *Heb.* 6. v. 18. in quâ anmus non modò securè, sed etiam plenè acquiescit, & præter quam aliam non desiderat *Iohan.* 4. v. 14. *& cap.* 6. v. 35. II. *Tua*, hoc est, cujusque fidelis propria. Quemadmodum enim justus non nisi ex suâ fide vivere, *Hab.* 2. v. 4. ita suo tantum bono, ad se pertinente, se solari & in adversis sustentare potest. III. *In vitâ & in morte*, hoc est, permanens & perseverans, non destituens hominem, vel in ęrumnis vitę, vel in angoribus mortis; sed in omni afflictione eum consolans, 2. *Corinth.* 1. v. 4. ut non immeritò *æterna consolatio* dicatur 2. *Thess.* 2. v. 16. Consolatio quæritur. unica. tua. in vitâ & morte.

Prædicatum sequitur in Responsione, ubi initio summa talis consolationis proponitur; inde verò distinctè explicatur. *Summa* hęc est: Quod Christus sit fidelissimus Dominus & servator fidelium suorum, & hi ipsius proprii. Fundamentum igitur con- Summa Consolationis.

 solatio-

solationis Christianæ ponitur in Dominio illo quo Christus redemtos nos à peccato & morte sibi proprios dicavit. Nec immeritò. Si enim nostri essemus, nobis relicti, sive quoad vivendi licentiam, sive quoad nos ipsos servandi facultatem; actum utique & conclamatum esset de nostrâ salute, nec quicquam bonæ spei aut firmæ consolationis reliquum nobis esse posset. Christi verò proprii dum sumus, in populum ipsius & peculium adsciti, de salute nostrâ non modò bene sperare, sed etiam certò confidere debemus. Est enim fidissimus Dominus & Servator: qui & vult nos servare, tenerrimo & vehementissimo in nos amore propendens, *Rom.5.v.8.* & potest servare, *Heb.7.v.25.* ut qui omni potestate in cœlo & terrâ salutis nostræ causâ donatus est *Math.28.v.18.* Atque hoc est, quod ait Apostolus 1. *Corinth.6.v.20. Non estis vestri juris; nam emti estis pretio.* Item *cap.3.v.23. Vos estis Christi.*

Dominium Christi in redemtos, ejus fundamentum.

Fideles Christi proprii quatenus.

Porro quomodo ipsius proprii sint singuli fideles, ex partibus eorum essentialibus, nec non ex adjuncto temporis ostenditur. *Proprii sunt.* I. *Animâ & corpore,* hoc est, quanti quanti sunt; ut nihil prorsus eximatur à salvifico hoc Christi Dominio, sicut scriptum est 1. *Cor.6.v.20. Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* II. *Sive vivant sive moriantur,* hoc est, in omni statu, tum præsente, tum futuro, tum vitæ tum mortis. *Nam sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur: sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus,* inquit Apostolus *Ro.14.v.7.8.*

Dominii hujus Efficiens.

Hæc summa est Christianæ consolationis, quæ deinceps, partim à causis efficientibus hujus Dominii; partim etiam ab effectis declaratur. *Causarum efficientium* duæ species ordine commemorantur. Una procreans, altera conservans: quæ aptè respondent duplici illi servandi modo, quo Christus Servator noster esse dicitur, merito & efficaciâ. *Procreans* est redemtio nostri per Christum; cujus quasi partes statuuntur satisfactio pro peccatis, & liberatio à potestate Diaboli. Ut enim Christus nos sibi proprios assereret, primò satisfecit justitiæ Dei vindicatrici pro peccatis nostris, non aliquibus, sed omnibus; non semiplenâ aut imperfectâ, sed plenissimâ satisfactione; atqui ita nos perfectè Deo reconciliavit: Deinde etiam ab omni potestate Diaboli, sub quâ captivi tenebamur, propter peccatum, nos liberavit; ut jam & à reatu peccati, & ab ejus servitute, & à morte æternâ liberi & immunes simus. Quæ omnia Christi beneficio consecutos nos esse

Procreans redemtio nostri per Christum.

his

his & similibus dictis evincitur. 1. *Ioh.* 1. v. 7. 9. *cap.* 2. v. 2. 1. *Tim.* 2. v. 6. *Actor.* 20. v. 28. 1. *Iohan.* 3. v. 8. *Hebr.* 2. v. 14. 15. 1. *Cor.* 15. v. 55. 56. 57. Modus redemtionis consistit in λύτρῳ sanguinis Christi, quo precio mediante à peccato & morte nos sibi redemit. Sic enim Petrus 1. *epist.* 1. v. 18. 19. *Scitis vos non corruptibilibus rebus, argento vel auro redemtos fuisse, sed precioso sanguine Christi*; ubi tamen per *sanguinem* tota humiliationis obedientia synecdochicè intelligenda est. Et pretiosus sanguis vocatur, tum quia est filii Dei, 1. *Iohan.* 1. v. 7. tum etiam, quia est agni illius inculpati & incontaminati, qui tollit peccatum mundi 1. *Petr.* 1. v. 19. *Iohan.* 1. v. 29. *Conservans* est perpetua illa Christi custodia, quâ nos in gratiâ reconciliationis & liberationis ad finem usque conservat 1. *Corinth.* 1. v. 9. 2. *Thess.* 3. v. 3. Nam quæ nostra est infirmitas & ad lapsum proclivitas: millies singulis momentis excideremus hâc gratiâ, nisi divinâ Christi virtute in eâ tum retineremur, tum stabiliremur. Quod ipse Servator prolixè ostendit, *Iohan.* 17. & alibi. Bifariam autem amplificatur hæc nostri conservatio. I. *A minori.* Ne pilus quidem de capite nostro potest cadere, sine voluntate patris nostri cœlestis; tam ei curæ sumus, ut est *Matth.* 10. v. 29. 30. Ergò multò minus graviora citra ejusdem voluntatem nobis obvenient, nec salute æterna unquam excidemus. Ratio; quia *hæc est voluntas Patris, ut quicquid dedit Christo, non perdat ex eo, sed suscitet illud ultimo illo die, Iohan.* 6. v. 39. II. *A speciali modo conservationis:* Deus, quæ nobis immittit mala, aut inferri sinit, nobis convertit in bonum, ut non obsint, sed prosint saluti nostræ, sicut scriptum est; *Diligentibus Deum omnia simul cooperantur in bonum Rom.* 8. v. 28. Igitur etiam per contraria, per ipsas ærumnas & afflictiones salutem nostram conservat & promovet. Superest, ut *Effecta* hujus Dominii videamus, quæ pro indubitatis ejus κριτηρίοις meritò habentur. Sicut enim ex fructibus arbor, ita ex effectis illis vivificum & salvificum Christi Dominium agnoscitur: & quoscunq; Christus redemit, & conservat ad salutem; illos, modò per ætatem capaces sint, spiritus sui virtute eorundem effectorum participes facit. Sunt autem duo hæc: πληροφορία sive certitudo, de nostri tum redemtione, tum conservatione: & novæ obedientiæ serium promptumque studium. *Prius* nititur testimonio interno Spiritus Sancti, contestantis Spiritui nostro, nos esse filios ac hæredes Dei; insuperque obsignantis nos in diem redem-

Conservans custodia Christi perpetua.

Dominii Christi Effecta.

Certitudo de nostri redemtione & conservatione.

Novæ obedientiæ studium.

demtionis *Rom.* 8.v.16. *Ephes.* 4.v.30. *Posterius* nititur spirituali nostri vivificatione à morte peccati: & in externis pœnitentiæ, novæque obedientiæ operibus conspicitur: quæ spiritus inhabitantis indicia, & veræ fidei testimonia sunt, *Rom.* 8.v.11.13.14. *Gala.* 5.v.6. quomodo etiam certitudinem consolationis à posteriore confirmant.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæstionem primam.*

An finis Catecheseos latius extendendus sit, & an omnia in eâ pertractata ad consolationem faciant.

I. *An non finis doctrinæ Catecheticæ latius extendi debeat, quàm in hâc quæstione factum videmus; nempè non modo ad consolationem in vitâ pariter & in morte; sed etiam ad institutionem veri, & præstationem boni, juxta id, quod* 2. Tim. 4. *dicitur: Et an omnia, quæ in Catechesi hâc pertractantur, ad solam consolationẽ commode satis referri possint.*

Resp. Finis adæquatus institutionis Catecheticæ, quoad nos, est consolatio in vitâ & morte, qui attentionis conciliandæ gratiâ primo loco meritò ponitur. Media ei subordinata sunt Institutio veri, & Præstatio boni; absque quibus firma & solida consolatio obtineri nequit: quod pulchrè docet Apostolus *Rom.* 15. v.4. his verbis: *Quæ ante scripta, ad nostram doctrinam ante scripta sunt, ut per tolerantiam & consolationem Scripturarũ spem habeamus.* Atque huc etiam suo ordine & gradu commodè referri possunt, quæ tribus partibus Catecheſεως distinctè pertractantur.

An consolatio hæc restringenda sit ad fideles?

II. *Num præstet quæstionem hoc modo proponere,* Quæ est unica consolatio hominis fidelis *&c. Consolatio enim non debetur homini, qua homini, sed qua fideli.*

Resp. Naturam ac indolem veræ fidei non intelligunt vel saltem non attendunt, qui talia movent. Annon Tua, Mea, &c. voces sunt animæ fidelis sibi speciatim applicantis promissiones Evangelii, ex quibus pendet Christiana consolatio? Et in Ecclesiis reformatis, annon fidelibus, eorumque liberis Catechesis proponitur? Infidelium sive gentilium, qui in India, Brasiliâ, & aliis locis permixti Christianis degunt, alia ratio est. Qui tamen hoc tam suavi procemio invitantur ad fidem Christi, & quales esse debeant, si tantæ consolationis participes fieri velint, præmonentur.

Ad responsionem.

I. *An verba Catecheſεως quibus certitudo consolationis exprimitur: nempè*

nempè Quocirca me quoque suo spiritu, &c. *satis aptè priori consolationi subjungantur; ac si ex illa sequeretur hoc tanquam consequens, cum videntur consolationis omnis causa efficiens esse Spiritus Sanctus.*

An certitudo consolationis suo loco collocata sit.

Resp. Consolatio est certitudo, sive firma persuasio animi, de redemtione nostri per Christum, & gratiosâ ejus conservatione: priore igitur loco rectè ponitur objectum, sive fundamentum ac basis consolationis, in nostri redemtione ac conservatione; inde certitudo hujus consolationis, ejusque causa efficiens commodè subjicitur.

II. *An verba illa,* Imò verò omnia saluti meæ servire oporteat, *occasionem cuiquam præbere possint cogitandi & statuendi, ne peccata quidem saluti ipsius officere posse: præsertim cum non desint commentatores, qui in hunc ipsum locum ista scribere non vereantur, eoque præstet, verba illa aliquo modo restringi, ne securitati fenestrā aperiant.*

An non restringendum quod dicitur, omnia saluti meæ servire oportere?

Resp. Verba illa expressa sunt ex Paulo, *Rom.* 8. v. 28. nec alio sensu intelliguntur, quàm quo ibi dicta sunt: nimirum de calamitatibus & afflictionibus piorum in hac vita. De peccatis autem cum idem quandoque affirmant commentatores, amplificationis causâ, sic intelligendum est; quòd ea per accidens, ex gratuitâ Dei condonatione per & propter Christum, eatenus serviant saluti credentium, quatenus eos tum in implorandâ, & prædicandâ Dei misericordiâ ardentiores, tum in custodiendis viis Domini cautiores & constantiores reddunt: licet per se, suâque naturâ non possint non officere saluti ipsorum; plane quemadmodum ex serpentibus venenatis antidota fiunt & medicamenta contra venena serpentum. Hoc verò qui ad peccandi licentiam & lasciviam transferunt, ii profectò vividæ hujus consolationis gustum nunquam percepêre. Nec istud magis vitio Catecheseως, quàm ipsius Scripturæ accidit; cujus dulcissimis promissionibus homines profani similiter abutuntur, Judâ teste *v.* 4.

III. *Sitne servatus ordo verus, dum certitudo vitæ æternæ promtitudini ad vivendum Christo præmittitur; cum passim sacra scriptura alium ordinem videatur inculcare* Rom. 8. 13. 14. 15. 1. Joh. 2. v. 24.

An certitudo vitę æternæ rectè præmittatur studio vivendi Christo?

Resp. Nulla hic ordinis perturbatio est. Certitudo de vitâ æternâ est πληροφορία fidei: *Rom.* 8. 38. 39. *Mihi persuasum est neque mortem neque vitam &c. neque ullam aliam rem creatam posse nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro* 2. *Tim.* 1. v. 12. *Mihi persuasum est eum posse depositum meum in diem illum servare.*

servare. Sicut igitur fides naturâ prior est sanctitate, utpote quæ purificare dicitur corda nostra, *Actor*. 15. v. 9. & per charitatem efficax esse, *Galat*. 5. 6. ita certitudo de vitâ æternâ promtitudinem ad vivendum Christo antecedit, sed ordine causalitatis, non tempore; quem pulchrè exprimit Apostolus, 2. *Corinth*. 5. v. 14. 15. nec quicquam his contrarium locis allegatis reperitur.

An promtitudini ad vivendum Christo aliquid addendum sit de actuali obedientiâ?

IV. *Sufficiatne dixisse*; Ut ipsi deinceps vivam, promtum ac paratum reddit; *an verò præstet nonnulla addere, quæ insuper ipsam actualem obedientiam exprimant, sine quâ conscientia non potest non accusare Christianum*.

Resp. Promtitudo ad vivendum Christo actualem obedientiam non excludit, sed includit & efficit, ut est *Ierem*. 32. v. 39. 40. *Ezech*. 36. v. 26. *Tit*. 2. v. 14. Videri tamen posset, verba illa prudenter accommodata esse ad conditionem eorum, qui spiritum regenerationis minore etiam mensura acceperunt; vel saltem ad eos, qui in luctâ constituti velle quidem sentiunt cum Apostolo, sed ut efficiant non assequuntur; in quibus manet & victrix emergit vivida hæc consolatio, sicut scriptum est, *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum*: Item, *Nulla est condemnatio in iis, qui sunt in Christo Iesu*.

QUÆST. II. Quot tibi scitu necessaria, ut istâ consolatione fruens beatè vivas & moriaris.

RESP. *Tria Primum, quanta sit peccati mei & miseriæ magnitudo. Secundum, quo pacto ab omni peccato & miseriâ liberer: Tertium, quam gratiam Deo pro eâ liberatione debeam*.

EXEGESIS.

Media ad Consolationem facientia.

Exposito fine institutionis Catecheticæ in consolatione Christianâ, proximè succedunt *Media*, quibus finis ille acquiritur & possidetur. Eorum tria hîc enumerantur: *agnitio Miseriæ*; *agnitio Liberationis*; & *agnitio Gratitudinis*: quæ singula ducunt ad finem illum, universa autem ei adæquata sunt. Etenim absque agnitione miseriæ non expetitur aut quæritur consolatio; absque agnitione liberationis non obtinetur: absque agnitione gratitudinis nec sentitur, nec confirmatur in cordibus nostris. Qui verò

hæc

hæc omnia ſimul agnoſcunt, eis ad ſolidam in vitâ & morte conſolationem deeſt nihil, aut deeſſe poteſt. Sed agnitio illa non nuda aut merè ſpeculativa, ſed practica eſſe debet; cum vero ſenſu peccati, ac gratiæ Dei, nec non cum ſincero novæ obedientiæ ſtudio conjuncta. Nam quæ tantum ſpeculativa eſt, conſolationem quoque merè ſpeculativam, hoc eſt, Platonicam potius, quàm Chriſtianam efficit. Media illa implicitè continentur in quæſtione prima: in Scriptura autem diſtinctè proponuntur, & evidenter confirmantur. Chriſtus quidem, dum in nomine ſuo prædicari jubet Reſipiſcentiam & Remiſſionem peccatorum, *Luc.* 24. v. 47. dum mundum arguendum docet de peccato, de juſtitiâ, de judicio, *Johan.* 16. v. 8. *ſeqq.* dum etiam laborantes & oneratos promiſſione requiei, & jugi lenis ad ſe invitat, *Matth.* 11. v. 28. *ſeqq.* mediorum illorum tum neceſſitatem oſtendit, tum ordinem commonſtrat. Non minus Apoſtolus Paulus, *Rom.* 7. v. 24. *Tit.* 3. v. 5, 6, 7, 8. & alibi eorundem numerum atque ſeriem illuſtribus dictis comprobat. Nec deſunt vel exempla: Davidis, *Pſalm.* 51. Mulieris peccatricis, *Luc.* 7. Judæorum, *Actor.* 2. vel Parabolæ, ovis, drachmiæ, Filii prodigi, *Luc.* 15. quibus praxis eorum declaretur, & ad vivum quaſi exprimatur. Sed omnibus iſtis probationibus illuſtrior eſt, quæ ex diſpoſitione Epiſtolæ Paulinæ *ad Romanos* ſumitur; cui ita reſpondet hæc partitio, ut ad eam ſingulari ſtudio conformata videatur. Quemadmodum enim Apoſtolus trium capitum pertractatione totam illam epiſtolam concludit & abſolvit: dum *primò* omnes homines tam Judæos quam gentes peccati convincit, & æternæ maledictionis reos peragit, à v. 18. *cap.* 1. *ad verſ.* 21. *cap.* 3. *deinde* credentes per Chriſtum à condemnatione, ſervitute peccati, & cruce ſeu afflictionibus ſecundum æternum Dei propoſitum liberari docet, *à verſ.* 21. *cap.* 3. *ad cap.* 12. *denique* eoſdem ad pietatis & bonorum operum ſtudium, gratitudinis teſtandæ causâ hortatur, *à cap.* 12. *uſque ad finem Epiſtolæ*: Eundem in modum Catecheſis trium iſtorum mediorum explicatione ſummam doctrinæ Chriſtianæ complectiter.

Agnitio autem debet eſſe practica.

Media illa probantur,

inprimis methodo Epiſtolæ ad Romanos.

Cæterum differunt inter ſe Media hæc non ſolum objectis, ſed etiam relatione ad finem, in conſolatione Chriſtianâ propoſitum. *Primum* habet ſe ut cauſa, ſine quâ non expetitur aut quæritur conſolatio. Quemadmodum enim æger medicam & medi-

Faciunt autem media illa ad conſolationem. Primum ut cauſa ſine quâ non.

medicinam non desiderat, nisi sciat se ægrum esse; ita nos, quamdiu peccati nostri, & miseriæ magnitudinem non intelligimus, liberatorem & liberationem ab iis haud requirimus *Matth.* 9. v. 12. *Alterum* habet se ut causa efficiens propriè dicta consolationis. Nam agnitio & fiducia nostri tum redemtionis, tum conservationis, veram consolationem in nobis gignunt *Rom.* 8. v. 31. 32. *seqq. item vers.* 38. 39. *Tertium* habet se ut propius effectus, & à posteriore consolatur. Si enim qui Christi sunt, crucifigunt carnem cum desideriis & cupiditatibus, *Gal.* 5. v. 24. ex eo certe confirmantur in fide & consolatione, quod ipsius proprii sint.

secundum ut causa efficiens propri dicta.

tertium ut proprius effectus.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad secundam quæst: & responsionem.*

An quæstio rectè cum præcedente cohæreat?

I. *Cum quantum fieri potest ordo in omnibus optimus servari debeat, & justa rerum tractandarum inter se connexio; forte non erit inutile hoc loco expendere, num quæstio hæc satis aptè cum præcedente cohæreat: cumque suprà consolatio statuatur tanquam finis ultimus, an non præstet hoc modo quæstionem hanc proponi,* Quæ sunt tibi necessaria ad fruitionem solatii istius?

Resp. Quæstio hæc aptissimè cohæret cum priore. Ut enim illa finem proposuit in consolatione hominis, ita hæc media ad finem illum assequendum subjungit, prout in tractatione Analyticâ fieri consuevit. Verba quoque quæstionis convenientissima sunt, sensu eadem cum iis quæ substitui vellent Consideratores; at significatu tum clariora, tum penetrantiora.

Annon integræ creationis mentio facienda sit antequam miseriæ ex lapsu?

II. *Annon pro verbis hisce*, Quanta sit peccati mei & miseriæ meæ magnitudo, *substitui possint hæc*, Quo statu & conditione à Deo creatus sim, & quomodo ab illo statu & conditione per peccatum deciderim: *vel*, In quem statum me ipse meâ culpâ conjecerim; *ut plenior ac perfectior sit sententia.*

Resp. Hæc ita distincta commodius dicuntur in ipsâ explicatione partis primæ, quàm in ejusdem propositione: nec quicquam causæ est cur id magis fieri bebeat in parte prima Catecheseωs, quam in partibus reliquis.

PARS

PARS PRIMA
DE
HOMINES MISERIA.

EXEGESIS.


Iseriæ nomen tam latè patet in Scriptura Sacra, ut non minus culpam, quàm pœnam declaret. Pro *culpâ* sumitur *Rom.* 7. 24. *Miser ego homo! Quis me eripiet ex hoc corpore mortis*, .i. peccati inhabitantis, de quo gemens queritur. De *pœnâ* intelligitur *Ro.* 3. 16. *Contritio & miseria in viis eorum.* Et *Iac.* 5. 1. *Flete ejulantes super miseriis vestris superventuris.* Uterq; significatus in titulo conjungitur, ut & *culpam* significet, quæ pœnæ causa est, & *pœnam* quæ culpæ est effectum, *Ro.* 6. v. 23. eoq; designet miserrimam illam hominis conditionem, post lapsum, quâ peccato corruptus, iræ ac maledictioni Dei obnoxius est. Hæc miseria mentionẽ subjecti recipientis ad certam speciem restringitur, quatenus *hominis* sive *humana* esse dicitur. Est enim Angelica quoq; miseria, illorum Angelorum, qui non servârunt suam originem, sed reliquerunt suum domicilium *Iud.* v. 6. 1 *Pet.* 2. v. 4. Est & alia quædam creaturarum irrationalium, & inanimatarum, quæ vanitati & corruptioni justo Dei judicio obnoxiæ sunt *Rom.* 8. v. 20. Neutra verò hoc loco propriè intelligitur, sed sola prima, quę hominis est; quippe cui soli quæritur consolatio, & proposita est liberatio.

Miseria & culpam & pœnam notat

estque Hominis, non Angelica,

vel creaturatum aliarum.

Merito autem *doctrina de miseriâ hominis* inter media consolationis & partes Catecheseως primum sortitur locum: Verè enim *prima est ordine*, tum naturę, tum causalitatis. *Naturæ*; quia potuimus, esse miseri, etiamsi non liberaremur aut grati essemus. At liberari & grati esse non potuimus, nisi miseri fuissemus. *Causalitatis*; quia excitat in nobis desiderium liberationis, & studium gratitudinis; insuper animos nostros ad recipiendam liberationis gratiam, & pręstanda gratitudinis officia rectè prępαrat: sicut dicitur, *Esa.* 57. v. 15. *Habito cum contrito & humili corde, ut vivificem spiritum humilium, & ut vivificem cor contritorum.* Et *Psalm.* 34. v. 19.

Ejus Agnitio prima est ordine, naturæ, causalitatis.

verſ. 19. *Propinquus eſt Iehova contritis corde, & attritos ſpiritu ſervat.*

Conſiderationes Catecheticæ Novatorum *ad primam partem Agnitione Miſeriæ In genere.*

An ſignificandum fuerit reſpondentem hic conſiderari non ut Chriſtianum, ſed ut miſerum?

I. *An non paucis verbis ſignificandum fuerit, alium hic indui reſpectum illi, cui reſpondentis partes aſſignantur, quam geſſit prima quæſtione. Iſtic enim conſideratus eſt, ut Chriſtianus, liberatus à miſeriâ; hîc conſideratur ut miſer.*

Reſp. Huic abunde cautum eſt ipſo titulo partis primæ. Si enim de miſeriâ ſuâ int errogatur Catechumenus, de ſe ut naturâ miſero reſpondet.

An rectè ante definitionem miſeriæ quæratur, unde ea cognoſcatur?

II. *Sitne res hæc eo ordine pertractata quo decet, cum ante miſeriæ definitionem quæritur, undè illa cognoſcatur.*

Reſp. Ordo tractationis optimus eſt, & rei maximè conveniens. Cùm enim rectè agnoſci miſeria non poſſit, niſi ex lege, ante omnia mentio legis facienda fuit, & ex doctrinâ ejus miſeriæ definitio per partes poſtmodum coſtituenda.

An perfecta ſit deſcriptio Miſeriæ, cum ſervitutis peccati ex actuali peccato non ſatis aperta fiat mentio?

III. *Sitne Miſeriæ deſcriptio perfecta, vel ſaltem partes miſeriæ ſic propoſitæ, ut ſatis planè intelligi queant, cum non reatus modo, ſed & ſervitus peccati ex actuali peccato perpetrato exſiſtat: cujus tamen ſervitutis ſub peccato an ſatis aperta mentio hâc prima parte fiat, conſiderandum venit.*

Reſp. Deſcriptio miſeriæ perfecta traditur, non unâ aliquâ ſed pluribus quæſtionibus & reſponſionibus Catecheticis, partis primæ. Inſuper omnes partes miſeriæ iiſdem plenè ac planè explicantur ad captum populi, quæ peccato & pœna, non reatu & ſervitute peccati adæquatè continetur. Reatuus quoque & ſervitus peccati, non ex actuali peccato à nobiſmet ipſis perpetrato primùm exſiſtunt, quod Conſideratores volunt; ſed inde ab Adamo cum naturâ corruptâ in nos propagantur, & actuali culpâ noſtrâ aggravantur. Poſtremò ſervitus illa non ſolùm mentis eſt ex cœcatæ tenebris, aut affectuum ἀταξίᾳ depravatorum; ſed inprimis ipſius voluntatis, averſæ à bono proclivis ad malum, omni tempore inde à pueritia *Geneſ.* 6. v. 5. & *cap.* 8. v. 21. Quod dum Conſideratores negant, Pelagianiſmum ſuum apertè produnt. Sed an primâ hac parte ſatis aperta mentio fiat ſervitutis peccati, id verò ex quæſt. VIII. ejuſque exegeſi liquebit.

QUÆST.

QUÆST. III. Unde tuam miseriam cognoscis?

RESP. *Ex legi Dei.*

EXEGESIS.

SIcut miseriç humanç duç sunt partes integrantes, culpa & pœna, quæ tamen ut causa & effectus necessariò cohærent, ex ordine justitiæ divinæ: ita in illis primâ sui parte distinctè explicandis Catechesis occupatur. Incipit autem ab eâ, quæ est de culpâ sive peccato hominis; & in quæstione *miseriæ* nomine significatur per synecdochen integri. Undè igitur peccatum agnosci possit, & quæ exemplaris ejus causa sit, quæritur. Hanc Catechesis in lege Dei spectandam proponit. Sicut enim regula recti pariter & obliqui est index: ita lex Dei non solum quid cum norma justitiæ divinæ conveniat, verum etiam quid ab eâ discrepet, exactè declarat: quo sensu peccatum ἀνομία dicitur 1. *Ioh.* 3. v. 4. Convenit vero cum doctrina Apostoli. *Ad Romanos* enim *cap.* 3. v. 20. ait, per legem esse agnitionem peccati; & *cap.* 7. v. 7. se peccatum non cognovisse, nisi per legem; nec concupiscentiam agniturum fuisse, nisi lex dixisset: *Non concupisces*; Denique *ad Gal.* 3. v. 19. legem trasgressionum gratiâ additam esse. Miseria culpæ. agnoscitur ex Lege

Cæterum cum Lex Dei varia sit & multiplex, alia non scripta, alia scripta; & hæc iterum vel moralis, vel cærimonialis, vel judicialis; quænam hoc loco intelligi debeat disquirendum venit. Nos non aliam quam *Moralem* legem per synecdochen generis intelligendam esse asserimus; cujus summa subjicitur quæstione sequente, & expressa mentio locis suprà allegatis habetur. Lex non scripta, sive *naturalis*, ostendit quidem peccata, deq; iis hominum conscientias redarguit, intus cogitationibus sese mutuò accusantibus & excusantibus, ut est *Rom.* 2. 14. 15. Sed nec plenè satis, nec clarè satis, nec satis efficaciter. Etenim multæ partes legis divinæ, quoad utramque tabulam, per lapsum obliteratæ sunt in mente humanâ; aliæ obscuratæ & corruptæ; & quæ reliquæ sunt notitiæ & suggestiones, pravitate & securitate carnis vel planè suffocantur, vel saltem inefficaces redduntur. Lex *cærimonialis* verò præterquã quod Veteris Testamenti propria fuit, per accidens & ex consequente solum deduxit in agnitionem peccati; quatenus nimirum umbris

& quidem Morali, non autem Naturæ, nec cærimoniali,

umbris suis Patres manuduxit ad Christum, & in victimis repetitam peccatorum mentionem fieri voluit *Hebr.* 10. v. 1. 3. Ut nihil nunc dicamus de lege *Iudiciali*, quæ certas tantum æquitatis & justitiæ civilis regulas præscripsit. Illa igitur lex index peccati merito statuitur, quæ æterna est justitiæ regula; quæ omnium gentium ac temporum hominibus communis est; quæ denique perfectam miseriæ agnitionem parit. Talis verò est sola lex moralis: Hæc ergo sola propriè est index peccati.

neque Judiciali.

QUÆST. IV. Quid à nobis postulat lex Dei?

RESP. *Id docet nos Christus summatim* Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, ex totâ cogitatione tuâ, & ex omnibus viribus tuis. Istud est primum & maximum mandatum: secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Ab istis duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent.*

EXEGESIS.

HÆc quæstio unà cum sequente declarationem continet partis prioris, à formâ sive modo; quo pacto ex lege Dei miseria culpę sive peccati agnoscatur. *Modus* ille consistit in antithesi, & collatione præceptorum legis & actionum viriumque nostrarum: ita quidem ut ex unâ parte spectetur, quid Lex à nobis requirat; ex alterâ, an nos illud pręstiterimus, aut pręstare possimus: Cujusmodi collatio practica est, cujus thesin lex suppeditat sententiâ generali; antithesin sive hypothesin addit conscientia applicatione speciali.

Modus agnoscendæ miseriæ peccati.

Primum ejus membrum hîc traditur in summâ Legis, quam ex *Deut.* 6. v. 5. & *Lev.* 19. v. 18. comportavit & contraxit ipse Servator *Matth.* 22. v. 37. *seqq.* Nec enim opus legis universę enarratione, cum sola Epitome instituto abunde sufficiat. Ea totam legem ad unam dilectionem revocat, quę, secundum Paulum, ejus πλήρωμα est *Rom.* 13. v. 10. Dilectionem porrò pro numero duarum tabularum, duobus præceptis distinguit, quę seorsim quidem declarantur; conjunctim verò generali quodam Epiphonemate approbantur.

Summa legis comprehenditur dilectione.

Explicatur dictum *Matt.* 22. *v.* 37. *seqq.*

Prim

Prius præceptum declaratur. I. Ab objecto; *Diliges Dominum Deum tuum*, q.d. illum Deum diliges, qui à se & per se exsistit, & omnibus creaturis exsistendi causa est; quique gratuitâ misericordiâ fœdus gratiæ cum populo suo iniit, quo se ei addixit in Deum; ut simul causas impulsivas hujus dilectionis contineat. II. A modo, qui ex subjectis recipientibus, & causis efficientibus illustratur per distributionem facultatum animæ, & virium hominis; factâ gradatione ab inferioribus ad superiores. *Ex toto corde tuo*, id est, omni affectu, appetitu & inclinatione. *Ex totâ animâ tuâ*, id est, totâ voluntate, omnique proposito. *Ex totâ cogitatione tuâ*, id est, totâ mente, & intelligentiâ. *Ex omnibus viribus tuis*, id est, omnibus animi corporisque facultatibus, nulla ut expers sit dilectionis Dei. Ita verò Deum *diligere*, est ex agnitione & sensu infinitæ bonitatis Dei reverenter de eo sentire, & pro summo eum habere: ità ut non solum in eo lætemur & acquiescamus, sed etiam id tantùm cogitemus, velimus, & appetamus, quod ipsi gratum esse noverimus. III. Ab adjunctis, ordinis, & dignitatis: *Primum* est, quia dilectionem proximi ex se gignit 1. *Iohan.* 4. v. 7. *seqq.* *Maximum* etiam; quia Deum, qui supra omnia est, immediate respicit.

Posterius declaratur. I. Ab iisdem adjunctis, sed gradu dispari. *Secundum* est, quia primum sequitur, eoque inferius est *Act.* 5. 29. *Simile* tamen *ei*, quia etiam in dilectione versatur. II. Ab objecto, *Diliges proximum tuum*. *Proximi* nomine is intelligitur, qui ope nostrâ indiget, sive notus, sive ignotus; sive amicus, sive inimicus, *Luc.* 10. v. 37. *Matth.* 5. v. 44. salvis tamen dilectionis gradibus, quos Apostolus tradit *Galat.* 6. v. 10. III. A modo, *Sicut te ipsum:* quo non sancitur regula dilectionis, sed exemplum ejus statuitur; ut nimirum tam promti simus ad juvandum proximum, quàm propensi sumus in nos ipsos *Eph.* 5. v. 29. Sic ergo *diligere proximum*, est ex dilectione Dei id ei optare & facere boni, quod nobis secundum legem fieri velimus: prout Christus interpretatur *Matt.* 7. 12.

Epiphonema quo utrumque præceptum approbatur, hoc est, *Ab istis duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent.* Sensus est, Quæcunque vel in Mose, vel in Prophetis exstant legis moralis præcepta, ea omnia ad duo hæc tanquam ad generalissima referri posse: cum totus cultus moralis dilectione Dei & proximi perfectè contineatur. Quâ de causâ dilectio finis & impletio legis vocatur 1. *Tim.* 1. v. 5. *Rom.* 13. v. 10. *Gal.* 5. v. 14.

QUÆST. V. Num hæc omnia perfectè servare potes?

RESP. *Minimè: Naturâ enim propensus sum ad odium Dei & proximi.*

EXEGESIS.

Homo peccator nequit dilectionem Dei proximique perfectam præstare.

SEquitur alterum membrum collationis practicæ, quo vires nostræ cum duobus legis præceptis conferuntur, & ad illa exiguntur: haud aliter, quam res mensurabilis ad mensuram suam revocatur; aut facies humana in nitidissimo aliquo speculo consideratur. Simpliciter autem negat Catechesis, quod homo corruptus perfectam Dei proximique dilectionem præstare, atque ita legem Dei perfectè servare possit. Quæ negatio non solum universali omnium hominum experientiæ, sed inprimis asseveratione Dei in verbo nititur. Singuli homines propriæ conscientiæ testimonio convincuntur peccati & ἀδυναμίας suæ, *Rom.* 2. 14. 15. nec est qui de observatione legis gloriari, aut conformitatem cum eâ sibi arrogare verè possit 1. *Ioh.* 1. v. 8. De universis verò Deus pronunciat, quod simul inutiles facti sint, *Rom.* 2. v. 11. sint arbores malæ quæ bonos fructus ferre nequeunt, *Matth.* 7. v. 18. quod legi Dei non modò non subjiciantur, sed nec possint subjici, *Ro.* 8. v. 7. denique quod non magis benefacere possint cum sint mali, quam Æthiops potest mutare pellem suam, aut pardus liventes maculas suas *Ier.* 13. v. 23. Sed Catechesis negationis suæ rationem reddit à causâ efficiente contrarii, nempè hanc: quod propensi simus ad odium Dei & proximi, idque naturâ, h.e. ex naturali & originaria corruptione. Undè sic concludit propositum. Qui naturâ propensus ad odium Dei & proximi, is non potest diligere Deum ex toto corde, proximum sicut se ipsum. Atqui nos natura propensi sumus ad odium Dei & proximi. Ergo. Et sanè *propensos nos esse ad odium Dei*, Christus testatur his verbis *Ioh.* 15. 18. *Si mundus vos odit, scitis me prius, quam vos, illis odio habitum.* Et Paulus, cum *intelligentiam carnis inimicitiam esse* dicit *adversus Deum Ro.* 8. 7. Item gentes olim *Dei osores, inimicos hostes fuisse Rom.* 1. v. 30. *cap.* 5. v. 10. *Col.* 1. v. 21. Si etiam observatio præceptorum Dei ejus dilectio est; certè transgressio eorundem ipsius odium est; & qui in eam proni, ad Dei odium proni sunt *Exod* 20. v. 5. *Ad odium proximi* verò *nos inclinatos esse*, idem Apostolus asserit, cum de irregenitis loquens,

qui propensus est.

ad odium Dei.

ad odium proximi.

quens, ait, eos *plenos* esse *invidia, contentione, dolo, malignitate Rom.* 1. v. 29. Et alio loco; *quondam fuisse nos amentes, rebelles, errantes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitiâ & invidia degentes, odiosos, odio alios prosequentes Tit.* 3. v. 3. Sicut odium proximi ejusque effecta inter opera carnis numerat *Galat.* 5. v. 19. 20. Postremo *natura* nos propensos esse ad odium Dei & proximi, *Ephes.* 2. v. 3. docetur his verbis: *Eramus natura filii iræ.* Et *Esa.* 48. 8. istis: *transgressorem ab utero vocavite.* Sic ergò factâ legis viriumque nostrarum collatione, quisque in conscientiâ suâ convincitur peccati, & reus coram Deo peragitur, cujus illustre exemplum in se proponit Apostolus *Rom.* 7. v. 5. *seqq.* inprimis autem *vers.* 14.

idque naturâ

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad responsionem tertiam, quartam, quintam.*

I. *Num plenè satis ad quæstionem tertiam respondeatur his verbis;* Ex lege Dei: *an verò ei præstet eddere, propria nostæ conscientiæ & potentiæ ad legem præstandam examinatione. Cumque ex illa legis Dei recitatione quæ solum Dei postulatum continet citra annexionem pœnæ, miseriam nostram plenè cognoscere vix posse videamur an non ad responsum quartæ quæstionis addenda fuerit comminatio hæc,* & maledictus qui non manserit in omnibus, & fecerit ea.

Sitne agnitio miseriæ præter legem etiem ex conscientiæ examine deducenda; & summæ legis comminatio pœnæ subnectenda.

Resp. Plenissimè respondetur, idque verbis Apostoli aliquoties repetitis *Rom.* 3. v. 20. *cap.* 5. v. 20. *cap.* 7. v. 7. *Gal.* 3. v. 19. Quod addendum putant de examine conscientiæ & virium nostrarum, ad præstandam legem, id commode sequitur quæstione quintâ, atque ex generali sententiâ legis subsumitur. Similiter sequitur altera pars miseriæ de pœnæ peccati quæstione decimâ, quâ etiam formula comminationis exprimitur. Non omnia dici debuerunt uno loco; nec in populari institutione perpetuo definitionum & divisionum nexu singula conjungi.

II. *An non commodius quæstio quinta sic posset proponi:* Num servâsti hæc omnia, & etiamnum ita comparatus es, ut ea præstare possis? *cui tunc responsio itidem aptari queat. Saltem annon præstet voculam* perfectè *in quæstione hac omittere, utpote quæ ad rem facere non videatur Etsi enim post legis transgressionem perfectè quis ea præstaret, miser tamen esse non desinet.*

An quæstioni quintæ eximenda sit vox *perfectè*, vel ea aliter concipienda?

Resp. Quæstio hæc nascitur ex responsione ad priorem Ut istic

iſtîc perfectam obedientiam in lege requiri docetur : ita hîc, num talis à nobis præſtari poſſit, quæritur : Ad rem igitur maximè facit. Nam quo rigor & ἀκρίβεια legis plenius intelligitur, hoc ipſum peccatum rectius cognoſcitur. Equidem verum eſt, ſi poſt legis tranſgreſſionem perfectè quis præſtaret legem, nihilominus fore miſerum : ſed liberatio à miſeria, à quâ homo miſer denominatur, non tantum eſt immunitas à culpâ præſente, verum etiam à pœna culpæ præteritæ.

An verba *Naturâ propenſus*, tollenda vel emollienda ſint?

III. *Num verba hæc;* Naturâ propenſus, *omitti, vel ſaltem, in gratiam infirmorum, aliquâ ratione emolliri præſtet aut ſcripturæ phraſes ſubſtitui, licet hæc ipſa commodè explicata nihil in ſe falſitatis contineant, utut duriuſcula nonnullis videri poſſint.*

Reſp. Qui horum verborum inductionem aut emollitionem urgent, næ illi latens Pelagianiſmi ulcus detegunt. Petita ſunt ex ipſâ Scripturâ, quæ de corruptione hominis eundem in modum loquitur. Infirmorum autem vel ideò hîc habenda ratio non eſt, quod inprimis expediat eos convinci pravitatis ſuæ, ex ſenſu ejus humiliari coram Deo, atque ita ad participandam liberationis gratiam dignè præparari : ſicut ſcriptum eſt, *Matth.* 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, &c.* & *Eſa.* 57. v. 15. *In ſpiritu contrito habitabo.*

QUÆST. VI. Num ergo Deus hominem ita pravum & perverſum condidit?

RESP. *Nequaquam; Imo vero bonum, & ad imaginem ſui condidit eum, hoc eſt, verâ juſtitiâ, & ſanctitate præditum, ut Deum creatorem ſuum rectè cognoſceret, ex animo diligeret, cum eo beatus in æternum viveret, idque ad eum laudandum & celebrandum.*

EXEGESIS.

Corruptionis humanæ origo.

POſtquam corruptio hominis, & propenſio ad malum deprehenſa, & detecta eſt ex lege, in originem ejus cauſamque inquiritur, quæ κατ᾽ ἄρσιν καὶ θέσιν non ſine gravi ratione explicatur. Siquidem ad agnitionem miſeriæ noſtræ plurimum facit, tenere noſtrâne an alienâ culpâ pravi ſimus. Et fuerunt omnibus ſeculis de origine mali diſputationes, nec paucæ, nec leves, in & extra Eccleſiam, quæ aliud atque aliud ejus principium ſtatuerunt. Catecheſis

sis igitur primo loco falsam corruptionis nostræ causam removet hâc quæstione, inde veram causam substituit, quæstione sequente.

Falsa causa est, quâ fingitur Deus hominem ita pravum ac perversum condidisse, quasi natura ejus ex primâ creatione vitiosa fuerit. Stoici, Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi, & id genus alii, sic olim opinando delirârunt; quorum deliria nostro seculo interpolârunt Libertini. Hanc causam Catechesis simplici inficiatione rejicit. Negat enim hominem ita pravum perversumque à Deo esse conditum. Id quod variis rationibus ex naturâ Dei demonstrari posset; qui cum sit summum bonum, & omnis justitiæ regula; malum verò non solum oderit, sed etiam prohibeat & puniat, tam fœdæ corruptionis autor esse non potest. Sed ad institutum propius faciunt argumenta illa, quæ à formâ & fine hominis integri deducit Catechesis per ratiocinationem ex contrariis. — non est Deus — Porbatur.

Prius à formâ, sive qualitatibus, tale est: Deus condidit hominem bonum; Non igitur pravum & perversum. Bonum condidisse docet Moses clausulâ generali, *Genes.* 1. v. 31. *Et vidit Deus quod fecerat, & ecce erat bonum valdè.* Comprobat Ecclesiastes *cap.* 7. v. 29. *Hoc inveni*, inquit, *Deum ipsum fecisse hominem rectum.* Catechesis autem peculiariter ostendit, ex imagine Dei, quâ homo insigni prerogativâ supra reliquas creaturas in creatione fuit exornatus. Deus hominem condidit ad imaginem suam, hoc est, sibi similem: Bonum igitur, non perversum condidit. Antecedens demonstratur ex Mose *Genes.* 1. v. 26. ubi sic Deum introducit loquentem; *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundùm similitudinem nostram.* Et mox subjicit v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam.* In Catechesi autem mentione partium integrantium declaratur. Sunt illę, prout à Paulo enumerantur *Eph.* 4. v. 24. Justitia & sanctitas. Sicut enim Deus justus & sanctus est, ita hominem justum & sanctum condidit; qui legi per omnia conformis, sanctitate quidem Deum coleret; justitia vero suum cuique proximo tribueret: ut sanctitas de officiis primæ tabulæ; justitia de officiis secundę intelligatur. Utraque etiam vera & sincera fuit, non affectata, aut simulata; etsi mutabilis pro conditione naturæ creatæ. Talis autem qui conditus est, is certè ex creatione pravitatis omnis expers fuit. — ab hominis Formâ.

Cæterum de *Imagine Dei*, prout hîc describitur, notanda sunt tria. I. Strictius accipi de solâ rectitudine hominis integri; sive de — Descriptio hæc imaginis Dei qualis.

bonis illis qualitatibus, quibus Deum sapientem, justum, & bonum referebat *Ephes.* 4. v. 24. *Col.* 3. v. 10. II. Justitiam & sanctitatem esse quidem partes integrantes hujus imaginis; sed præcipuas, non omnes, cum Apostolus, *Col.* 3. v. 10. etiam sapientiam, h. e. notitiam Dei & rerum divinarum istis accenseat. III. Ab imagine Dei sic consideratâ nihil differre *justitiam* illam, quam Scholæ Theologicæ *originalem* vocant; ut quæ erat perfecta conformitas omnium virium hominis cum lege; quam ipse originaliter, unà cum essentiâ humanâ, in creatione acceperat *Gen.* 1. 26. 27. *cap.* 5. 1. 3.

ab hominis fine.

Alterum argumentum à fine hominis integri, hoc est; Homo conditus est, ut Deum creatorem suum rectè cognosceret, eum ex animo diligeret, cum eo beatus in æternum viveret; idque ad eum laudandum & celebrandum: Non igitur ita pravus & perversus est conditus, ut naturâ propensus fuerit ad odium Dei & proximi. Neque enim fines hi optimi stare possunt, aut ullo pacto conciliari cum illâ pravitate & perversitate hominis. Et Deus sapientissimus ille opifex, qui hominem fines illos spectare & sectari voluit, viribus quoque convenientibus, & necessariis ad eos assequendos ipsum instruxit. Finium illorum alii subordinati sunt, alius summus. *Subordinati* sunt agnitio Dei, ut sciret homo, non tantum quis, sed & qualis esset Deus, inprimis erga genus humanum *Col.* 3. 10. Dilectio Dei, ut eum tam beneficum & munificum conditorem amaret, & coleret sincero & constanti obsequio *Gen.* 2. v. 16. 17. Deniq; ipsius hominis beatitudo, ut cum Deo æternâ felicitate frueretur, quæ possessione paradisi ei adumbrata, & sacramento arboris vitæ obsignata fuit, *Gen.* 2. v. 8. 9. *Summus* finis celebratio & gloria Dei, ad quem tendunt priores omnes, & propter quem naturæ rationales, Angeli & Homines creatæ sunt: de quo est *Prov.* 16. v. 4. *Psal.* 103. v. 20. 21. *Matt.* 5. v. 16. 1. *Cor.* 10. v. 31.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. sextam.*

An locus *Eph.* 4. v. 24. recte referatur ad primam creationem.

I. *An non verba hæc*, in verâ justitiâ & sanctitate, *respiciant ad locum Pauli*, *Eph.* 4. *& an locus ille satis commodè ad primam creationem referri possit.*

Resp. Omninò respiciunt locum illum, qui propterea ad primam creationem rectè refertur, quod ad imaginem Dei, in eâ acceptam, in Christo instauramur: quo sensu etiam alibi *factura Dei*,

Dei, & *nova creatura* dicimur *Eph.* 2. *verſ.* 10. *Gal.* 6. *v.* 15.

An homo conditus ſit ut cum Deo beatus viveret?

II. *An non Catecheſis, cum docet hominem, ut cum Deo beatus in æternum viveret, à Deo conditum eſſe, contradicat quamplurimis reformatæ Eccleſiæ doctoribus.*

Reſp. Non contradicit, quia uſum tantùm & finem imaginis Dei, homini in creatione collatæ, indicat. Is certè fuit vita beata, ſacramento arboris vitæ ipſi obſignata; Neque hoc quiſquam doctorum Reformatę Eccleſię negat.

An id ſpectet ſolos primos parentes, an totum G. H.

III. *Cum Catecheſis inquit, hominem à Deo conditum ut cum eo beatus in æternum viveret, conſiderandum venit: num hæc de duobus individuis tantùm, Adamo & Evâ, dicantur, an verò referantur ad univerſum genus humanum, in ipſis conſideratum: & ſi poſtremum hoc conceditur, quomodo cum illo conſiſtere poſſit ſententia illorum, qui docent Deum multò maximam hominum partem ad exitium creâſſe, & Adamum hoc fine condidiſſe ut laberetur.*

Reſp. Referuntur verba illa ad totum genus humanum ex primis illis duobus individuis tunc propagandum, nunc propagatum; ut vel ſeries reſponſionis docet: Nec tamen evertitur, imò ne attingitur quidem iſtorum Doctorum ſententia. Quia non agitur de myſterio Prędeſtinationis, ſed de uſu & fine imaginis Dei; quem Deus in vitę ęternę beatitudine propoſuerat, homo autem adepturus fuiſſet, ſi quidem imaginem Dei conſtanter retinuiſſet, & in obſequio & cultu creatoris ſui perſeveraſſet.

An Deus hominem eo fine condiderit abſolutè an ſub conditione?

IV. *Quin & hoc conſideratione dignum videtur; Num Deus hominem ad hunc finem abſolutè creaverit, an verò ſub conditione. Si abſolutè, quæritur, quomodo id fieri potuerit, ut Deus fine hoc ſuo fruſtraretur & maximæ partis reſpectu eo excideret, irritumque Dei decretum fieret. Sin verò dicatur, ſub conditione hominem ad eum finem condidiſſe, quæritur; Num ergo Deus hominem incerto fine condiderit.*

Reſp. Extra oleas procurrit hoc dilemma, ex falsâ hypotheſi quòd myſterium prædeſtinationis hîc explicetur, vel ſaltem attingatur. Id alibi loco convenientiore, & quidem pauciſſimis, fit. Reſpondemus tamen ad membrum poſterius dilemmatis, per inficiationem conſequentię: Licet Deus ſub conditione perſeverantię in primigeniâ integritate hominem ad ſalutem condiderit, & homo conditionem illam non pręſtiterit, non tamen propterea incerto fine ipſum condidit. Ratio eſt, quia conſilium Dei de homine non terminatur primâ ejus creatione, ſed ad omnia eventa creationem

ſecuta

secuta se extendit: alioqui dicendum esset, & lapsum & reparationem hominis, evenisse homini præter consilium Dei, quod absurdum. De his pulcrè Augustinus *lib. de corrept. & grat. cap. 10. sic*, inquit, *Deus ordinavit Angelorum & hominum naturam, ut primum in eâ ostenderet, quid posset liberum arbitrium: deinde, quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.*

An rectè dicatur hominem conditum esse verâ justitiâ & sanctitate præditum; ut Deum rectè cognosceret?

V. *Rectene dicatur, Deum hominem condidisse verâ justitiâ & sanctitate præditum ut Deum rectè cognosceret; cum cognitio Dei, aut præcedat justitiam & sanctitatem, aut justitiâ & sanctitate sub se complectatur.*

Resp. Rectè id dicitur: Nam justitia & sanctitas synecdochicè considerantur, ut bonæ qualitates animæ; sive virtutes homini in creatione inditæ, ex quibus promanare debuit, atque etiam in statu integritatis promanavit, verus Dei cultus, in agnitione ejus ac dilectione positus. Quam rectè igitur Actio dicitur finis & effectus Qualitatis, quæ est propter actionem, eamque causatur; tam rectè affirmatur hominem propter agnitionem Dei, justitiâ & sanctitate, quæ sapientiam præsupponunt, præditum fuisse.

Assertiones Novatorum de creatione hominis.

Vidimus *considerationes Novatorum* super doctrinâ catecheticâ de creatione hominis, quibus non tam explicârunt suam sententiam, quàm oppugnarunt alienam: idque occasione Phraseως, præter & contra mentem Catechismi in peregrinum sensum detortæ. Ut tamen quid ipsi eâ de re sentiant, ex editis scriptis constare possit, appendicis loco quasdam ipsorum assertiones subjiciemus atque examinabimus.

I. Agnitionem, Dei justitiam, sanctitatem, &c. fuisse dona supernaturalia.

I. *Agnitio Dei & rerum divinarum, justitia, sanctitas. &c. fuerunt dona supernaturalia, ipsam primi hominis naturam excedentia.* Rationes *sunt.* I. *In primo homine duplex fuit vitæ status, Animalis & spiritualis: ille prior, iste posterior* 1. Cor. 16. v. 46. *Sicut igitur status animalis ei fuit naturalis, ita spiritualis supernaturalis.* II. *Rebellio partis inferioris adversus superiorem, carnis adversus spiritum, ex conditione materiæ resultans homini fuit naturalis: Ergo justitia, sanctitas, & reliquæ dotes, quibus coërcita fuit illa rebellio, erant supernaturales.* III. *Regeneratio, quâ justitiam & sanctitatem recuperamus, est actio supernaturalis: quare necesse est eandem homini initio collatam fuisse actione supernaturali.* IV. *Per lapsum amissa sunt supernaturalia, corrupta naturalia, ut loquitur Augustinus: Homo igitur supernaturalia, h. e. dotes supernaturales, justitiâ, sanctitatis initia habuit.*

Resp. Hanc assertionem mutuati sunt à Pontificiis, & Scholastici

sticis Theologis, qui ut liberum arbitrium naturâ suâ omni in statu ad bonum & malum indifferens tuerentur; concupiscentiam verò, tanquam ex essentiâ hominis per se emergentem elevarent; justitiam, sanctitatem, & cæteras dotes hominis integri ei fecerunt supernaturales. Nos libenter fatemur supernaturales esse hominis corrupti respectu; quia sunt supra naturam corruptam, & conditionem ejus longissimè excedunt: quòd verò hominem integrum attinet, in primævæ integritatis statu consideratum, ei non supernaturales, sed naturales fuisse contendimus. Etenim quicquid Adamus in creatione cum ipsâ naturâ accepit, id ei naturale fuit: Sapientiam, justitiam, sanctitatem, in creatione cum ipsâ naturâ accepit: Hæc igitur dona omnia ipsi fuerunt naturalia. *Major* certa est: Nam creatio erat Adamo integro nativitas, quâ à non esse ad esse producebatur; quod autem ex nativitate est, naturale est. *Minor* probatur, partim *testimoniis Scripturæ*, quibus creatus dicitur valdè bonus, *Gen.* 1. v. 31. rectus, *Eccles.* 7. v. 29. & secundum imaginem ac similitudinem Dei, *Genes.* 1. vers. 26. 27. in vera Justitiâ & sanctitate; *Ephes.* 4. v. 24. partim *rationibus*: Si enim conditus fuit ut Deum agnosceret & coleret, certè naturales quoque vires, quibus id præstaret, in creatione accepit. Si etiam nulla substantia sine qualitatibus & accidentibus naturæ suæ consentaneis creata est; multo minus substantia rationalis sine iis fuit producta; cui maximè convenientes dotes sunt, Sapientia, justitia, sanctitas. Præterea hinc quoq; colligimus dona illa homini integro fuisse naturalia, quod toti speciei fuerunt communia, in singula ejus individua cum ipsâ naturâ generatione propaganda. Supernaturalia personalia sunt, nec generatione transeunt à parentibus in liberos: Dona illa non fuerunt personalia, propria duobus speciei humanę individuis, sed toti speciei communia; tum quia duo illa prima individua, principia & radices erant totius speciei: tum quia reliquis speciebus rerum animatarum commune fuit, quicquid primis singulorum individuis datum est in creatione; tum denique quia qualitates contrariæ, quæ per lapsum successerunt, toti speciei communes factæ sunt *Gen.* 5. 3. *Rom.* 5. 12. 1. *Cor.* 15. v. 22. Insuper generatione transitura fuissent dona illa à parentibus ad liberos, nisi primi parentes peccâssent; quia ex benedictione Dei genituri fuissent sibi integris similes, naturâ & qualitatibus, *Genes.* 1. v. 28. non minus quàm nunc corrupti gignunt sibi similes *Gen.* 5. v. 3. aut animata omnia sibi similia producunt. Denique si sapientia, Justi-

Iustitia & Sanctitas homini integro fuerunt naturales.

Justitia, Sanctitas, erant dona supernaturalia, non naturalia fuerunt super naturam integram: Sed supra naturam integram nihil esse potuit, nisi Angelicum quid, aut divinum; per quod homo non homo fuisset, sed vel Angelus, vel Deus. Sapientiam verò, Justitiam, & Sanctitatem supra naturam integram fuisse, tam absurdum est dictu, quàm si quis formam supra rem formatam, aut animam supra animatum esse, contra omnem rationem asserat.

Refutantur rationes Novatorum. prima.

Restat ut *rationes Novatorum*, quas in opinionis suæ stabilimentum attulêre expendamus & expediamus. *Prima* inconsequens est. Si maximè in homine integro fuisset duplex vitæ status; uterque tamen naturalis fuisset, quia uterque ex creatione. Nam Deus hominem animalem condidit ad imaginem suam, sapientiâ, justitiâ, sanctitate, tanquam qualitatibus naturalibus instructum, *Gen.* 1.v.26.27. nisi cum Philosophis contra Scripturam fingamus, eum in puris naturalibus fuisse conditum. Sed etiam antecedens falsum est. In homine integro non fuit duplex vitæ status, ordine distinctus, ut prior & posterior; sed fuit status unicus, quem creationis sive integritatis appellamus: licet in statu illo fuerit duplex respectus & gradus vitæ, secundum substantiam & qualitates; qui tamen nec statum multiplicat, nec vitam tali modo distinguit

1. *Cor.* 15. *v.* 46. explicatur.

1. *Cor.* 15. v. 46. Apostolus non confert inter se animale & spirituale, tanquam prius & posterius in uno Adamo; sed prius in Adamo, posterius in Christo. Prius est corpus animale, quod ex Adamo habemus per generationem in hac vitâ; Posterius corpus spirituale, quod in Christo consequemur per resuscitationem nostri in vitâ futurâ: ut progressus sit ab imperfectiori ad perfectius. Et animale vocatur prius, quod animalibus subjectum sit operationibus & passionibus, generationi, nutritioni, augmentationi: sed absque infirmitatibus & peccato ante lapsum; cum iis post lapsum: posterius autem spirituale dicitur, quod spiritualibus qualitatibus exornatum totum movebitur à spiritu, ejusque operationibus in solidum vacabit.

secunda.

Secunda etiam nullam consequentiæ necessitatem habet. Poterat rebellio carnis adversus Spiritum, si quidem fuisset naturalis ex conditione materiæ, coërceri per ejus formam; quæ erat anima originaliter & naturaliter justa ac bona. Nam formæ proprium est, non solum informare materiam, sed etiam regere: nec præter hanc causam dari potest alia, cur rebellione vacârit primus homo. Falsum verò est, quod in antecedente præsuppo-

ſupponunt, rebellionem iſtam ipſi fuiſſe naturalem. Ea ſiquidem, omnium propè Philoſophorum conſenſu, movetur præter & contra naturam ad ejus deſtructionem. An, quod deſtruit naturam, naturale eſt? quomodo etiam, ſi rebellio naturalis, Deus autor naturæ, non fuit rebellionis & peccati cauſa? Sed objicitur conditio materiæ corporeæ, ſecundùm quam appetitus ſenſuum repugnet appetitui rationis; & ille ad bonum ſenſile, iſte ad bonum ſpiritale feratur. Tenendum autem, appetitus illos in homine integro, atque etiam per ſe, diſparatos eſſe non contrarios: bonum item ſenſile & ſpirituale diverſę non repugnantis eſſe conditionis: deniq; ipſam appetentiam ordinatè abſque pugnâ propenſionum peractam fuiſſe: Secus ſi fuiſſet, nec anima & corpus in unam coire naturam, atque hypoſtaſin; nec primi parentes ante lapſum res ſenſiles, cibum & potum, appetere, vel ſaltem non ſine culpâ appetere potuiſſent. Proinde quæ nunc in illis deprehenditur repugnantia, ea per accidens ex peccato fuit ſecuta: ad ſtatum hominis integri verò perperam accommodatur. *Tertia* aberrat à quæſtione: Non quæritur an dona illa actione ſupernaturali collata ſint primo homini, ſed an ipſamet fuerint ſupernaturalia. Prius affirmatur. Nam creatio citra controverſiam ſupernaturalis Dei actio eſt, totius naturæ creatæ vires ſuperans. Negatur poſterius; quia actione ſupernaturali data fuerunt ad conſtituendam naturam integram. Nec enim, quicquid pendet ex actione ſupernaturali, eo ipſo ſupernaturale eſt. Multiplicatio panum, de quâ *Iohan.* 6. miraculoſa fuit, eoque ſupernaturalis: ſicut etiam reſuſcitatio Lazari, *cap.* 11. nec tamen vel panes illi comedentibus fuerunt ſupernaturalis cibus, propriè loquendo; vel vita, quâ Lazarus vixit reſuſcitatus, ſupernaturalis vita. Eſt præterea inconſequens argumentatio quæ hoc modo à regeneratione ad creationem inſtituitur. Quippe per regenerationem inſtauratur natura collapſa & corrupta: per creationem verò formata & conſtituta fuit natura integra. Si igitur quod conſtituit naturam naturale eſt; quod à corruptione eam reſtituit, ſupra ejus conditionem, non item: conſequens eſt dona creationis eſſe naturalia, regenerationis ſupernaturalia. *Quarta* ab autoritate Auguſtini petita hunc ſenſum habet, quod amiſſa ſint ſupernaturalia, quæ nobis corruptis ſunt talia, Sapientia, Juſtitia, Sanctitas: corrupta naturalia, quæ ipſam naturam conſtituunt, tanquam eſſentiales ejus

Margin notes: tertia. — quarta.

partes, proprietatis, aut facultatis, de quibus suo loco.

II. In voluntate hominis integri nec fuisse nec esse potuisse ullos bonos habitus.

II. *In voluntate hominis integri nulli fuerunt boni habitus sive virtutes, neque etiam locum in eâ habere potuerunt.* Rationes sunt. I. *voluntas naturâ suâ libera est ad bonum & malum: Non igitur bonâ aliquâ qualitate prædita fuit.* II. *Voluntas bona vel mala denominatur ab actione: Ergo non à qualitate sive habitu.* III. *Si voluntas bona fuit ex creatione, non potuit peccare: nec observari potest unde peccandi principium in homine exstiterit. Falsum & absurdum consequens: Ergo & antecedens.*

Resp. Assertio hæc crassior multò est priore, diversimodè impingens non tantum in principia sacræ Theologiæ, verum etiam sanæ Philosophiæ: quâ stante, tollitur peccatum Originis, & libertas voluntatis ad bonum, omni in statu salva atque illæsa homini vendicatur. Qui error gravis & perniciosus cum sit, novum opinionis portentum inferens assertionis hujus falsitas paulò operosius nobis demonstranda est. *Rationes* quibus ea demonstrari potest, hæ sunt præcipuæ.

Contrarium demonstratur rationibus.

1. I. Qui bonus & rectus creatus est, bonitate non solùm naturali, sed etiam morali; ejus voluntas ex creatione bona fuit. Primus homo talis creatus est. Ergo. *Minor* exstat *Genes.* 1. v. 31. & *Eccles.* 7. v. 29. quæ loca de bonitate morali intelligenda esse, partim ex descriptione imaginis Dei, partim etiam ex antithesi lapsus & defectionis colligitur. *Majoris* hæc ratio est: quod bonitatis moralis præcipuum subjectum sit humana voluntas, quæ actiones bonas ex se causatur, ut bona arbor bonos fructus ex se profert *Matth.* 7. v. 17.

2. II. Qui similis Deo conditus est, Justitiâ & sanctitate, is justâ & sanctâ voluntate in creatione fuit donatus. Primus homo Deo similis conditus est justitiâ & sanctitate. Ergo. *Minor* est *Genes.* 1. v. 26. 27. *Ephes.* 4. v. 24. *Major* sic demonstratur; Creatoris Dei voluntas justa & sancta est. Ergo & hominis integri ei conformati similis fuit voluntas. Ἐκτύπον enim ad ἀρχέτυπον suum exprimitur, illudque refert ἀναλόγως.

3. III. Qui diligit Deum ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ cogitatione, ex omnibus viribus; in eo omnes animæ facultates, tam superiores, quàm inferiores, plenæ sunt dilectionis Dei, & sic ipsa voluntas. *Ratio*; quia non modo causæ procreantes dilectionis Dei, sed etiam ejus subjecta statuuntur. Atqui homo integer sic Deum dilexit: tum quia in ipso acquievit Deus; tum quia vitam ex promissio legali, sacra-

sacramento arboris vitæ ei obsignavit *Genes.* 2.v.9.16. Ergo. IV. 4.
Si voluntas in regeneratione renovatur verâ justitiâ & sanctitate, certè in primâ creatione iis præditam fuisse oportet. *Ratio*, quia renovatur ad imaginem Dei in creatione acceptam *Ephes.* 4. v.24. *Colos.* 3. v.10. Atqui voluntas hominis corrupti in regeneratione renovatur verâ justitiâ & sanctitate. Ergo. *Assumtum* probatur. I. quia spiritus regenerans indit homini cor novum & spiritum novum, *Ierem.* 31.v.33.34. *Ezech.* 36. v. 25.26. 27. II. operatur in eo bonam voluntatem *Phil.*2.v.13. III. ipsum totum, hoc est, integrum ejus spiritum, animam & corpus sanctificat 1. *Thess.* 5.v.23. V. Si bonæ qualitates sive virtutes in voluntate humanâ 5.
locum habere non possunt; sequitur, quod ipsa, in se considerata, habeat se eodem modo secundum omnes status hominis, nec ulli alterationi sit obnoxia. Consequens multis modis falsum, absurdum, blasphemum est: tale igitur est ipsum antecedens. VI. Voluntas hominis potentiarum & actionum ejus domina est, dominio vel politico, vel despotico. Ex quo sic ratiocinamur. Dominium illud vel citra justitiam & sanctitatem exseruit hominis integri voluntas, vel cum eâ. Si prius, nullum ejus dominium in statu integritatis justum, sanctum fuit: Si posterius, oportet utique justitiâ & sanctitate præditam fuisse. VII. 7.
Si nulla virtus aut bona qualitas locum habere potest in voluntate, id fit vel propter ἀδυναμίαν φυσικὴν ipsius subjecti, vel propter ἐναντιότητα qualitatis, inhærentis subjecto, qualis est indifferens voluntatis ad opposita libertas. Sed nec prima causa valet; quia voluntas per se appetit bonum, sive verum, sive apparens; integra verò aut renovata voluntas appetitu ac fruitione veri boni non solum delectatur, sed etiam perficitur. Nec secunda, quia quo justior, sanctior efficitur voluntas, eò quoque liberior redditur *Iohan.* 8. v. 36. 2.*Corinth.* 3. v. 17. Quemadmodum Deus voluntate justissimus simul ac liberrimus est. Ergo. VIII. Philo- 8.
sophi habitus animæ ex subjectis dividunt in habitus, intellectus & voluntatis. Virtutem etiam per habitum voluntatis definiunt; quo ipsa inclinatur ad agendum secundùm rectam rationem: virtus igitur judicio ac testimonio Philosophorum in voluntate locum habet.

His rationibus certis, firmis, evidentibus, ex Scripturâ pariter & naturâ deductis, quas Novatores opponunt, eæ infirmæ

Diluuntur argumenta Novatorum.

primum. ac vanæ ſunt, facilique labore diſſolvuntur. *Prima* deficit infirmitate illationis. Etiam bona voluntas libera eſſe poteſt ad bonum, ſive libertas illa opponatur coactioni, ſive immutabilitati. Nam homo ſemper agit liberè, ſed ſecundum naturam ſuam; ac proinde non minus benè agit, cum bona eſt ejus natura, quàm malè, cum mala eſt. Præterea negatur antecedens, quod voluntas hominis naturâ ſuâ omni in ſtatu libera ſit ad bonum & malum. Variat enim libertas pro quadruplici ſtatu, Integritatis, Peccati ſive corruptionis, Regenerationis, & Glorificationis, de quibus ſuo loco. *Secunda* ſimiliter falſo antecedente nititur; nimirum quod voluntas à ſolâ actione bona denominetur: Imò non minus à qualitate, quàm ab actione, denominatur bona. Nam voluntas cauſa eſt actionum non tantùm quoad entitatem, ſed etiam quoad bonitatem, *Pſal.* 51. v. 12. *ſeq. Ezech.* 36. v. 26. 27. *Mat.* 7. v. 27. 28. *& cap.* 22. v. 37. 38. Ideoq; ab actionibus tantùm bona dicitur effectivè, à qualitate verò ſubjectivè, hoc eſt, formaliter & habitualiter. *Tertia* rationis inconſequentia nimis manifeſta eſt. Nec enim voluntas ex creatione immutabiliter bona fuit, prout futura eſt in gloriâ, ſed mutabiliter, hoc eſt, ita bona fuit beneficio creatoris, ut tamen fieri poſſet mala ſeductione alienâ, & defectione ſuâ; quæ duo principia peccati in hiſtoriâ lapſus clariſſima, omnibuſque obvia ſunt.

secundum. / tertium. [margin]

III. Adamum integrum nec fidem in Chriſtum habuiſſe, nec potentiam credendi.

III. *Adamus integer fidem in Chriſtum redemtorem non habuit, nec potentiam credendi in ipſum à Deo in creatione accepit.* Rationes *ſunt. I. Deus nullam dedit Adamo ante lapſum potentiam fruſtraneam, quia fruſtrà nihil facit. At ſi ei dediſſet potentiam in Chriſtum credendi ea talis fuiſſet; utpote quâ tum neque opus habuit, neque uti potuit. Ergo.* II. *Quod Deus non potuit exigere ab Adamo in primo ſtatu, ad illud præſtandum non dedit illi vires. At Deus non poterat ab illo exigere ut crederet in Chriſtum: ſimul enim poſtulâſſet ut crederet ſe peccatorem eſſe. Ergo.* III. *Quod pertinet præcisè ad ſecundam creationem; quæ per Chriſtum Mediatorem peragitur, ad illud non eſt data potentia in creatione primâ: Sed fides in Chriſtum pertinet ad ſecundam creationem. Ergo.* IV. *Quod non præcipitur lege, ſed Euangelio, ad illud præſtandum non ſunt homini datæ vires in primo ſtatu, qui erat ſub lege. Fides in Chriſtum non præſcribitur lege, ſed Euangelio. Ergo.*

Reſp. Aſſertio hæc, & quæ de eâ controverſia eſt, curioſa magis

magis, quàm necessaria, aut utilis explicatu esse videtur. Nec proponeretur hoc loco, nisi importunè eam urgerent Novatores, atque ex eâ Dei in exigendo fidei obsequio æquitatem oppugnarent; quasi fidem in Christum jure postulare ab homine non possit, nisi ipsum gratiæ sufficientis auxilio ante instruat, utpote qui facultatem credendi in Adamo neq; habuerit, neq; amiserit. Nostra hæc est sententia, Adamum integrum habuisse potentiam credendi omni verbo Dei, sive tum revelato, sive post revelando; omni item promissioni Dei, seu datæ, seu dandæ. Quemadmodum verò Deus in statu integritatis, mandatum aut promissionem de Christo redemtore nullam edidit, ita nec homo potentiam credendi circa eam exseruit vel exserere potuit; non ex defectu aliquo potentiæ, verum ex repugnante conditione status sui, qui integer cum esset, expers peccati, redemtorem à peccato nec exigebat, nec ferebat. Conditio status per se manifesta est. Credendi verò potentia ex perfectione naturæ integræ demonstrari potest. In quâ cum mens lucida, voluntas recta, omnesque affectus ad obsequium rationis compositi fuerint, non potuisset non assentiri homo integer Euangelio de Christo, ut vero; & amplecti illud ut bonum, siquidem revelari aut per voluntatem Dei, aut per ipsius naturam potuisset, vel debuisset. Positis enim causis sufficientibus in actu, effectus sequitur.

Orthodoxa de hâc quæstione sententia.

Potentiam credendi Adamus habuit.

Ad argumenta Novatorum paucis sic respondemus. In *primo* committitur fallacia à dicto secundum quid. Frustranea est potentia, non quæ singulari aut certo quopiam objecto, sed quæ omni destituitur. Christus quâ redemtor, non fuit objectum fidei Adæ; neque enim indiga redemtionis integritas: fuit tamen quà creator, quà conservator ipsius; & ad ambitum illius objecti alia præterea multa pertinuerunt. In *secundo* negatur Major. Quod Deus non potuit in specie exigere propter conditionem hominis integri, ad id potuit nihilominus in genere dare vires, propter ejusdem perfectionem. Siquidem ad perfectionem hominis integri requirebatur, ut credere posset omni Dei verbo & promissioni: alioquin non fuisset perfectè compositus ad cultum & obsequium creatoris sui. In *tertio* iterum negatur Major: Nam Sapientia, Justitia, & sanctitas, ad secundam creationem præcisè pertinent; & tamen in primâ creatione homini fuere

Diluuntur argumenta Novatorum. primum.

secundum.

tertium.

collatæ

collatæ, licet ex aliis causis, atque modo alio 2.*Cor.5.v.14.seqq.*
quartum. *Eph.4.v.24.Col.3.v.10.* In *quarto* Majorem distinguimus: Minorem ex eâ explicamus. Quod in lege non præcipitur, vel in genere, vel in specie; ad illud præstandum non sunt homini datæ vires in primo statu. Fides verò in Christum etsi in specie non præcipitur in lege, in genere tamen eatenus præcipitur, quatenus lex jubet nos omni Dei verbo, omni item promissioni credere: quo respectu fides in Christum ad primum Decalogi præceptum revocatur, & propriè accepta inter opera legis vulgò numeratur.

Antitheses Catecheticæ Socinianorum *ad quæstionem & responsionem sextam.*

Antithesis I.

Primus homo ante peccatum nullam habuit originalem justitiam,
1. *præter eam, quod nulla labe infectus esset.* Etenim *per creationem naturalia tantum bona accepit, non moralia; ut quæ est productio hominis quatenus homo est.*
2. Accedit *quod homini per creationem datum est liberum arbitrium, per quod indifferens fuit ad utrumque oppositum; ità ut potuerit, si voluisset, obedire, vel non obedire, & sic fieri justus vel injustus.*
3. Insuper, *si habuisset justitiam aliquam originalem, non tam facilè ipsius Dei creatoris sui, apertissimum simul ac severissimum, ac præterea servatu facillimum præceptum violâsset, ac contemsisset.*
4. Postremò *justitia illa, quæ originalis appellatur, aut fuit impotentia peccandi, qualis nunc est bonorum Angelorum, aut fuit Adamum non peccare, antequam peccasset. Non illud, quia peccavit. Nec istud quia ridiculum & ineptum, aliquem non peccare antequam peccâsset. Dicta Scriptura, quæ pro asserenda originali justitiâ citari solent, planè impertinentia sunt.* Genes.1.v. 26.27. *Imago & similitudo hominis cum Deo, non consistit in justitiâ & sanctitate: alioquin homo impeccabilis foret, ut Deus; nec eam post lapsum amisisset, ut qui etiamnum dicitur Dei imago* Genes.9.v.
Gen 1.26.17. 6. Jacob.3.v.9. *Consistit verò in dominatu rerum omnium, præsertim inferiorum, sex illis diebus à Deo creatarum,* Genes.1.v.26.28. *sicut imago Dei in alterâ vitâ in eo consistura est, quòd omnibus inimicis nostris plenissimè dominabimur. Sic* Genes.1.v.31, *sermo est*

non

non de Iustitiâ aliqua, sed aptitudine & convenientia ad id, quod Deus sibi proposuerat: deindè non ad singulas res creatas à Deo, sed ad universa opera, primis sex diebus facta, verba illa accommodantur. Ecclef. 7. v. 29. autem homo dicitur factus rectus & integer, quatenus naturaliter bonus à Deo fuit creatus. Neque enim vel justus vel injustus creatus fuit, sed non justus, quod medium est inter duo extrema. Eccl. 7. v. 29.

Responsio.

Quæ contra assertionem primam & secundam Novatorum supra attulimus argumenta non minus contra primam Socinianorum Antithesin militant, ut opus non sit vel illis repetendis, vel cumulandis aliis hîc occupari, aut vacare. Proximum est ut tum rationes adversariorum examinemus, tum dicta Scripturæ à corruptelis ipsorum vindicemus. *Prima* ratio unà cum probatione falsa est. Utriusque generis bona homo in creatione accepit, tum naturalia, ad constituendam essentiam, quatenus homo est: tum moralia, ad constituendam ejus integritatem, quâ integer. Secus factus non esset bonus, rectus, & secundum imaginem Dei, in justitiâ & sanctitate *Genes.* 1. v. 26. 27. 31. *Ephes.* 4. v. 24. Pura naturalia, in quibus fingitur conditus, pura puta commenta sunt humani cerebri; extra quod ipsi homini nullo tempore aut statu possunt applicari; utpote qui semper fuit, est, & erit suis vestitus qualitatibus moralibus, sive bonis, sive malis. *Secunda* habet fallaciam plurimum interrogationum, & vera falsis miscet. Verum est, quod primus homo indifferentis fuerit arbitrii ad utrumque oppositum, bonum & malum. Falsum I. quòd tam indifferentis arbitrii causa fuerit carentia justitiæ originalis: Erat enim mutabilis conditio hominis integri, qui sic erat justus originaliter, ut tamen fieri posset injustus. II. Quod non minus justus, quàm injustus fieri potuerit. Sanè fieri potuit injustus non obediendo, ut docuit eventus, expers licet omnis injustitiæ: At obediendo & perseverando in obedientiâ non primum factus fuisset justus, justitiâ originali, siquidem bonus, rectus jam erat ex creatione: sed factus fuisset justior, hoc est, confirmatior in justitiâ originali, justus insuper actuali justitiâ. *Tertia* rectè sic colligeret siquidem primus homo originalem justitiam habuisset immutabiliter, nec gravi tentatione seductus creatoris sui præceptum violâsset. *Quarta* de-

Refutantur rationes Socinianorum contra justitiam originalem hominis integri. Prima.

Secunda.

Tertia.

ta deficit ob insufficientem membrorum enumerationem: Datur tertium, nempe potentia non peccandi, ex concreato habitu justitiæ mutabilis, quam originalem vocant. Falsum quoque est assumtum posterius: Neque enim nisi hæreticis est ridiculum, Adamum ante delictum primum non peccâsse. Sequuntur jam vindiciæ locorum Scripturæ. *Gen.* 1. v. 26. Imago Dei etiam dominium hominis in creaturas inferiores complectitur, sed non solum: Neque enim particula exclusiva ad illud restringitur. Sunt præterea aliæ ejus partes, & quidem principaliores; quas Paulus, optimus Mosis interpres, commemorat *Col.* 3. v. 10. *Ephes.* 4. v. 24. Sapientia, Justitia, Sanctitas; absque quibus ipsi fatentur hæretici dominatum illum exerceri non potuisse. Nec tamen inde sequitur, hominem aut impeccabilem fuisse, ut Deum; aut etiam nunc originaliter justum fore; utpote qui adhuc sit Dei imago: quia imago Dei, cum homini tribuitur, non est æqualitas cum Deo, ex communicatione essentiæ divinæ, quomodo unigenitus ille filius est imago patris: sed quædam cum ipso similitudo, ex communicatione effectorum emergens; quâ conditorem suum conspicuis quibusdam lineamentis referebat. Ideoq; quæ in Deo est justitia, sanctitas, essentialis & immutabilis est; quæ in homine fuit, accidentalis & mutabilis erat: quæ in Deo, impotentia peccandi; quæ in homine, potentia fuit, quâ posset homo non peccare, modo nollet peccare. Quod verò homo etiam post lapsum Dei imago vocatur, latiore significatu & secundum quid intelligendum est; quatenus etiam lapsus retinuit reliquias quasdam illius imaginis, præcipuè autem animam rationalem, volentem, & immortalem. Simpliciter si mansisset Dei imago, utique instauratione ad eam non haberet opus *Iohan.* 3. vers. 3. 5. *Ephes.* 4. vers. 24. *Colos.* 3. vers. 10. Alii sic eludunt locum, *Genes.* 1. v. 26. hominem ad imaginem Dei dici creatum vel formaliter seu habitualiter, quatenus facultate naturali intelligendi & liberè volendi fuit præditus; vel finaliter, quatenus imaginem Dei vitæ sanctimoniâ, & justitiâ debebat exprimere. Sed prius illud non sufficit: Nam ad formalem rationem hominis integri, non minus qualitates morales, ceu sunt, Justitia & Sanctitas, *Ephes.* 4. v. 24. quam naturales animæ facultates requirebantur. Posterius etiam qualitates illas præsupponit. Si enim Deus hunc in finem creavit hominem; sequitur viribus

Vindicantur dicta. Gen. 1. v. 26.

quoque

quoque sufficientibus instruxisse, ad edendas operationes justas, & sanctas; cujusmodi sunt potentiæ morales, non naturales. *Genes.* 1. v. 31. perperam aptitudinem opponunt justitiæ. Justitia erat ipsa formalis aptitudo hominis, per quam aptus & conveniens erat ad id, quod Deus sibi de eo proposuerat, hoc est, ad agnitionem, celebrationem & cultum creatoris sui. Et si inanimata & irrationalia omnia bona fuerunt bonitate naturali; quomodo homo, qui ad legem & legis latorem Deum perpetuam relationem habet, non fuit bonus morali bonitate? Sed moralis bonitas, legi per omnia conformis, universalis justitia est. Verum sanè est, verba illa de cunctis Dei operibus sex diebus productis enunciari generali quodam Epiphonemate: interim ad opera singula seorsim pertinent; tum quia genus singulis speciebus suis commune est; tum quia sigillatim de singulis penè usurpantur. Ad hominem vero præcipuè applicanda sunt, quia immediate subjiciuntur creationi ipsius. *Eccles.* 7. v. 29. rectitudinem hominis moralem, non naturalem intelligi, evidens est; partim ex antithesi, quia pravitatem moralem rectitudini opponit; partim ex causâ dicendi. Nam ne quis Deum calumniaretur, ac si ipsius culpâ tam pauci sapientes & recti invenirentur, docet Ecclesiastes, Deum quidem fecisse hominem rectum, ipsummet verò suâ culpa pravum evasisse. Medium inter rectum & pravum, justum & injustum, nullum agnoscimus: sunt enim contraria ἄμεσα immediata, quorum uno posito in subjecto habili, alterum tollitur. Si igitur injustus non fuit primus homo, justum fuisse necesse est.

Gen. 1. v. 31.

Eccl. 7. v. 29.

Antithesis II.

Primus homo etiam ante lapsum naturâ fuit mortalis, id quod hæc & alia similia apertè docent. Primùm quòd ex terrâ formatus fuit. 1.
Secundò, quod simulatque fuit creatus, cibis vescendis, & liberis gignendis ab ipso Deo destinatus fuit; 2. *quarum rerum utramque cum immortali naturâ pugnare, nemo non intelligit.* 3. *Adde quod Paulus Apostolus citra ullam peccati considerationem, sed tantummodò ejus naturam & creationem expendens, ipsum primum hominem Adamum mortalem facit, eique ex alterâ parte secundum hominem, Christum Iesum à mortuis excitatum, & cœlestem factum opponit, utpote immortalem* 4. 1. Cor. 15. 45. *Et sane si Adamus immortalis creatus fuisset, nihil attinebat illi arborem vitæ unà cum aliis arboribus vescendam dare. Et si*

 natura-

naturalem mortalitatem homini peccatum attulisset, essetque ea propria peccati pœna, certè Christus qui peccati pœnam sustulit, ipsam naturalem mortalitatem sustulisset. Postremò, cum omnes causæ efficientes mortalitatis nostræ naturalis sive in nobis, sive extra nos sint, jam antequam primus homo peccaret, exstiterint non minus, quam postea; necesse est, ut ipse etiam effectus mortalitatis naturalis, non minus antea, quam postea, exstiterit.

Responsio.

Cum Sophisticè ludant adversarii in vocibus *Mortalis & Mortalitatis*, πολυσημίαν earum distinguemus primo loco: indè, quo sensu mortalis dici possit homo integer, quo non, exponemus.

Mortale quotupliciter dicatur.

Mortale dicitur aliquid quatuor modis: Potentiâ, vel Actu; Simpliciter, vel Secundum quid. *Potentiâ*, quod potest quidem mori, simul tamen potest etiam non mori; ex potentiâ contrariâ. *Actu*, quod non tantùm potest mori, sed etiam actu, & necessariò, moritur. *Simpliciter*, quod materiæ pariter & formæ respectu morti obnoxium est. *Secundum* quid, quod alterius solùm respectu ei est obnoxium. His præsuppositis hominem integrum diversimodè mortalem & immortalem dici posse ac verè fuisse asserimus.

Homo integer quatenus mortalis vel immortalis dici possit.

Mortalis fuit, primò, Potentiâ: potuit enim mori; alioquin nec Deus mortem ei fuisset comminatus, nec ipse unquam mori potuisset: Deindè, *Secundum quid*, hoc est, materię corporeę respectu. Cum enim corpus ipsius Elementare fuerit, ex contrariis qualitatibus compositum; corruptible quoque fuisse necesse est. *Immortalis* etiam fuit, primò, *Actu*; quia mortalitas nunquam venisset in actum, si nunquam peccâsset, idque vigore pacti, & promissionis Dei, Non morieris, si non peccaveris, *Genes.* 2. v. 17. Deinde, *Secundum quid* & respectu formæ; quæ erat anima originaliter justa & sancta, & hypostaticè unita corpori vitam ei immortalem impertiebat.

Non fuisse simpliciter mortalem contra Socinianos. & Novatores

Sed *Sociniani* neutrum modum immortalitatis admittunt: contendunt verò hominem omnimodè & simpliciter fuisse mortalem, certò moriturum propter naturæ suæ conditionem, etiamsi nunquam peccâsset. Quem errorem communem cum ipsis habent & tuentur *Novatores*: Utrique autem à Pelagianis eum hausêre, qui Physicos & Epicureos secuti magistros, creaturas rationales non minus quàm bruta, indè à primo ortu, morti atque corruptioni addixerunt.

probatur.

Quibus omnibus

bus rationes sequentes paucis opponimus. *Prima:* Qui ad imagi- 1. q. homo integer conditus fuit ad imaginem Dei.
nem Dei conditus fuit in justitiâ & sanctitate, is naturâ fuit im-
mortalis: Homo integer talis fuit conditus. Ergo. *Minor* ex an-
tecedentibus claret. Consequentia & veritas *Majoris* bifariam
demonstratur. I. Imago Dei fuit similitudo cum Deo, in beatâ
immortalitate tanquam proprietate communicabili, ad quam
etiam per Christum instauramur. Imago Dei fuit homini natu-
ralis, quæ ad formam hominis integri olim pertinebat. Ergò.
beata immortalitas ei fuit naturalis. II. Ubi est justitia perfecta
& naturalis, ibidem vita est perfecta & naturalis *Lev.*18.v.5.*Luc.*
10.v.28. In homine integro fuit justitia perfecta & naturalis, cum
ipsâ naturâ ei communicata. Ergò & vita fuit. Vita autem per- 2. q. mors est effectum peccati.
fecta & naturalis, est naturalis immortalitas. *Secunda*: Effectum
peccati non potest dici naturale homini integro: Mors est effe-
ctum peccati. Ergò. *Major* certa est, quia homo integer omnis
peccati expers fuit: de quo autem causa negatur, ei effectum ne-
quit esse naturale. *Minor* probatur. I. Quia Deus mortem homi-
ni fuit comminatus in pœnam peccati *Genes.* 2.v.17. II. Quia pa-
trato jam peccato eandem ipsi denunciavit, *Genes.*3.v.19. & suo
tempore irrogavit *cap.* 5.v.5. III. Quia mors passim in Scripturâ
proponitur, ut effectum sive stipendium peccati, *Ro.* 5.v.12.*seqq.*
*cap.*6.v.23. & *cap.* 8.10. Contra hanc rationem duo *excipiunt* ad- Refelluntur exceptiones
versarii: *Unum*, non mortem, sed moriendi necessitatem introdu-
ctam esse per peccatum: *Alterum*, in dictis allegatis non corpo-
ralem, aut temporalem mortem, sed æternam intelligi. Sed *prius*
inane est effugium. Si causæ omnes mortis & mortalitatis, jam prima.
ante peccatum, actu fuerunt in homine; ut ipsi volunt, quomo-
do non, ante peccatum, necessitati moriendi fuit obnoxius? Nam
positis causis sufficientibus in actu, effectus ex necessitate sequi-
tur. Si etiam causa præcipua mortis & mortalitatis, secundùm
ipsos, est materia corruptibilis; quomodo necessitas materiæ cor-
ruptibilis non effecit necessariam corruptionem ac mortem? Scri-
ptura verò mortem & necessitatem moriendi ex eodem peccati
fonte pariter deducit *Rom.* 6. 23. *Hebr.*9.27. *Posterius* audax ni-
mis textus Sacri corruptela est. Deus absolutè omnes mortis spe-
cies homini comminatus est; absolutè etiam mors peccati stipen-
dium appellatur: non minus igitur mors corporalis, quàm æter-
na, aut spiritualis intelligenda est. Accedit quod mors illa dici-
tur

tur reditus in pulverem, *Genes.* 3.v.19. cujus ipsi infantes in infantiâ morientes exempla sunt *Rom.* 5.v.14. Sed reditus in pulverem est mors corporalis, nec aliâ morte obeunt infantes, cum ex hâc vitâ decedunt. *Tertia*; Quod est præter & contra naturam, id primo homini non fuit naturale: Mors est præter & contra naturam. I. quia est destructio hominis, tum ratione compositi, quod in partes componentes dissolvitur; tum corporis respectu, quod in pulverem & cineres redigitur, II. quia omnes homines naturâ horrent & refugiunt mortem. Ergo. *Ad rationes adversariorum sic ordine respondemus. Prima* tantum probat corpus hominis absolutè & in se consideratum fuisse mortale: hoc quis negat? *Secunda* probat defuisse homini immortalitatem vitæ futuræ, quam nec nos ei arrogamus. Illa enim est impotentia moriendi, potestatem pariter & actum excludens: hæc erat potentia non moriendi, actum tollens, non potestatem. Illa sejuncta est à conditione vitæ animalis, *Matth.* 22.v.30. 1 *Corinth.* 15.v.43. hæc cum eâ conjuncta erat; ex consilio Dei, ad speciei humanæ conservationem & propagationem *Genes.* 1. v.28. 29. *Tertia* aberrat à mente Apostoli eamque multifariam depravat. I. Quod mortale faciat corpus primi hominis, citra respectum peccati: Imò animale facit non mortale, quale esse potuit, & fuit non minus sine peccato & morte, quàm cum iis. II. Quod conferat utriusque hominis corpus, respectu mortalitatis & immortalitatis: Confert ea inter se partim conditione & statu, quod alterum animale, alterum spirituale fuerit, *vers.* 45. partim etiam origine & dignitate personæ, quod ille è terra terrenus, hic Dominus è cœlo *vers.* 47. III. Quod Christus spiritus vivificus, & Dominus è cœlo appelletur, eo quod excitatus è mortuis spiritualis ac immortalis factus sit; cum tamen Apostolus divinum ejus spiritum ac veram Deitatem his ephithetis designet & exprimat. *Quarta* inconsequens est, ob fallaciam causæ. Dedit Deus homini vescendam arborem vitæ, unà cum aliis arboribus, non quod actu esset mortalis, sed quod immortalitas ipsius conjuncta esset cum conditione vitæ animalis, nutritioni, augmentationi, aliisque affectionibus animalibus obnoxiæ. Arbor vitæ verò non tam in animalis vitæ alimoniam, quàm in spiritualis sacramentum ipsi fuit concessa. *Quinta* falsa est, quod Christus non sustulerit mortem à fidelibus suis, quate-

[Margin notes: 3. q. mors est & contra naturam hominis integri. — Respondetur ad rationes Socinianorum primam. secundam. — tertiam. — quartam. — quintam.]

quatenus illa pœnæ rationem habet. Sustulit omnem maledictionem & condemnationem *Galat.* 3. v. 13. *Rom.* 8. v. 1. Ergo & pœnam. Præstitit plenissimam satisfactionem pro peccatis ipsorum 1. *Iohan.* 1. v. 7. 1. *Timoth.* 2. vers. 6. Nullam igitur partem morte corporali ipsis exsolvendam reliquit. Unde mors ipsorum non amplius maledicta, sed benedicta est, beata ac preciosa in oculis Jehovæ *Apocal.* 14. v. 13. *Psalm.* 116. v. 15. Cujus dies melior est homini quàm dies ortus *Eccles.* 7. v. 1. *Sexta* similiter falsa est. Ante lapsum nec causæ efficientes internæ mortis, & mortalitatis omnes fuerunt, quia non fuit peccatum nec pugna affectuum, nec δυσκρασία humorum. Non etiam fuerunt causæ externæ, quia nec corruptio elementorum, nec hominum inter se, aut creaturarum cum hominibus inimicitiæ; nec ullæ præterea aliæ naturam humanam infestarunt. sextam.

QUÆST. VII. Undè igitur exsistit hæc naturæ humanæ pravitas?

RESP. *Ex lapsu & inobedientiâ primorum parentum Adami & Evæ in paradiso. Hinc natura nostra ita est depravata, ut omnes in peccatis concipiamur & nascamur.*

EXEGESIS.

REmotâ falsâ causâ nostrâ corruptionis Catechesis veram substituit, eâ antithesi quæ in ipsa Scriptura reperitur *Psalm.* 5. *vers.* 5. *Eccles.* 7. *vers.* 29. *Iacob.* 1. *vers.* 13. 14. Est illa lapsus & inobedientia primorum parentum Adami & Evæ in paradiso: ut culpa pravitatis humanæ non alibi quàm in ipsis hominibus quærenda, nec aliundè quàm ab ipsis derivanda sit. Diabolus quidem sollicitavit & impulit homines ad peccandum, sed frustrà id fuisset, nisi ipsimet liberè se à Deo avertissent, & Diabolo obtemperâssent. Igitur *causæ efficientes* procreantes nostræ corruptionis sunt primi homines sexu distincti, Adamus & Eva, qui ut historia Geneseos, testatur initâ defectionis societate, peccarunt. Primò autem mulier à serpente Diabolo se-

Peccati primi.

causæ efficientes.

lo seducta descivit; quæ deinde maritum suum voce & exemplo in eandem defectionem pellexit & pertraxit: quamobrem etiam peculiariter causa fuisse dicitur transgressionis, 1. *Tim.* 2. v. 14. 2. *Corinth.* 11. 3. Quod verò *Rom.* 5. v. 12. & 1. *Corinth.* 15. v. 22. ad unum Adamum refertur prima origo mali, ideo fit, quod ipse non solum caput mulieris, sed etiam universæ speciei humanæ principium fuit *Actor.* 17. v. 26. *Modus efficiendi* vocabulis synonymis *lapsus & inobedientiæ* declaratur; quibus similia sunt alia, *peccati & transgressionis*, de eâdem defectione usurpata à Paulo, qui *Rom.* 5. eam promiscuè ἁμαρτίαν παράβασιν, παράπτωμα, παρακοὴν, sed præpositis articulis nuncupat. Ἁμαρτία, *peccatum* dicitur *vers.* 12. quia est aberratio actionis à lege Dei: παράβασις, *transgressio*, *vers.* 14. quod legem à creatore sibi propositam transgressi sunt primi homines: παράπτωμα, *lapsus*, *vers.* 16. quod prolapsi sunt à primigeniâ suâ dignitate, adeoque ab ipso conditore Deo: παρακοὴ, *inobedientia*, *vers.* 19. eo quod non auscultârunt voci Dei sui, nec mandato ejus obtemperârunt, ut est *Genes.* 3. *vers.* 11. Sed modus ille ex objecto primi peccati, ejusque actibus plenius cognoscitur. *Objectum* fuit lex specialis de non comedendo fructu certæ arboris, comminatione mortis sancita *Genes.* 2. *vers.* 16. 17. & *cap.* 3. *vers.* 3. 11. Cujus violatio totius legis transgressionem invexit; non solùm quòd determinatio esset legis generalis mentibus inscriptæ circa objectum speciale: verùm inprimis quod esset lex probationis, explorandæ obedientiæ causâ circa totam legem homini proposita; ut non immeritò, in unam impingens, reus factus sit omnium *Iacob.* 2. v. 10. *Actus* ejus in historiâ lapsus quatuor notantur præcipui *Genes.* 3. *Infidelitas* quâ homo plus credidit verbis, & promissionibus Diaboli, quàm comminationibus Dei *vers.* 4. 5. 6. *Superbia*, quâ sorte suâ non contentus affectavit æqualitatem cum Deo *vers.* 6. *Gulæ intemperies*, concupiscentiâ tum appetitus, tum sensus oculorum concitata, quâ fructum severissimè vetitum desideravit in cibum *v.* 6. *Contemtus & violatio mandati divini*, cum manifestâ apostasia conjuncta, quâ à Deo ad Diabolum deliberatò defecit. Est igitur primum hominum peccatum inobedientia primorũ parentum Adami & Evæ, quâ legẽ Dei de non comedendo fructu certę arboris, spe obtinendæ ęqualitatis

Modus efficiendi.

Objectum ejus.

Actus ejus.

litatis cum Deo ex promissione ac persuasione Diaboli transgressi sunt. Cæterum amplificatur hoc peccatum à subjecto loci, quod in Paradiso fuit patratum. Erat enim Paradisus hortus Eden, sive voluptatis *Gen.* 2. v. 15. 16. ubi homini omne genus deliciarum non tantùm ad copiam, sed etiam ad varietatem affluebat; ut facile à fructu vetito abstinere potuerit. Erat præterea symbolum paradisi cœlestis *Gen.* 3. v. 22. *Luc.* 23. v. 43. 2. *Cor.* 12. v. 4. Cujus meditatio à tam securâ violatione mandati divini ipsum debuit avocare.

Locus ubi commissum.

Hucusque de primo primorum parentum peccato; cujus geminum *effectum* subjungit Catechesis, quorum alterum est depravatio humanæ naturæ; alterum naturæ depravatæ ad posteros propagatio. Neque enim primi parentes soli labem sustinuerunt fœdissimi lapsûs, sed totam naturam suam & universam progeniem eâ coinquinarunt & perdiderunt: sicut scriptum est; *per unum hominem peccatum in mundum introiit Rom.* 5. v. 12. Item *in Adamo omnes moriuntur* 1. *Cor.* 15. v. 22. *Ratio* hujus duplex dari potest. *Vna* est, quod Adamus principium, stirps, ac radix fuit totius generis humani *Gen.* 1. v. 28. *Actor.* 17. *vers.* 26. *Rom.* 5. v. 12. *seqq.* eoque non suam modò, sed etiam totius posteritatis, tanquam naturalium hæredum suorum, personam gessit & repræsentavit. *Altera* est, quod Deus occulto, sed justo judicio peccatum Adami omnibus ejus posteris imputavit; non aliter quàm si à singulis ipsorum patratum esset. De quo sic Apostolus *Rom.* 5. v. 16. *Ex unâ offensa reatus introiit ad condemnationem,* & v. 19. *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*: Unde filii Adæ non tam ipsius, quàm suam iniquitatem ferunt, ut qui in ipso omnes peccârunt. *Rom.* 5. v. 12.

Effecta peccati primi.

Depravatio naturæ humanæ est, quod primi parentes unâ illâ actuali transgressione naturam suam, omnesque facultates tam animæ quàm corporis, tam superiores quam inferiores horribiliter corruperunt ac vitiarunt. Etenim non tantùm excusserunt imaginem Dei, ac justitiam originalem amiserunt; sed injustitiam quoque, impuritatem, perversitatem, & id genus vitiorum sibi contraxerunt. *Gen.* 5. v. 1. 3. Quo ipso utique tota natura humana in ipsis, tanquam in primis speciei humanæ principiis depravata est. De tali depravatione loquitur Apostolus Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in mundum introiit*; & 1. Cor. 15. v. 22.

Depravatio naturæ humanæ.

In Adamo omnes moriuntur. Ejusdem depravationis Adamus statim à lapsu exemplum factus est. Præterquam enim quod nudum se esse cœpit sentire, *Gen*. 3. v. 7. etiam stultitiam, malitiam, & rebellionem, non uno modo prodidit. Stultitiæ fuit quòd foliis nuditatem suam tegere, ac latitando Dei judicis conspectum & tribunal declinare se posse existimavit: Malitiæ; quod Deo in os mentiri non erubuit, culpamque suam partim in uxorem, partim in ipsum transtulit: Rebellionis; quod inordinato atque effræni appetitu concupivit contra legem & legislatorem Deum, & immoderatâ illicitâque libidine se sensit titillari, quæ omnia *Gen*. 3. distinctè satis commemorantur.

Propagatio naturæ depravatæ.

Propagatio naturæ depravatæ est, quod, qualem primi parentes post lapsum susceperunt, ac retinuerunt naturam, talem etiam liberis suis atque hæredibus communicârunt *Rom*. 5. v. 12. *seqq*. *Modus* propagationis est generatio seminalis, quâ gignens generat sibi simile substantiâ & accidentibus speciei propriis, hoc est, non tantum homo generat hominem, sed etiam peccator peccatorem, corruptus corruptum: quemadmodum in naturalibus ex patre Elephantiaco gignitur filius Elephantiacus; aut ex venenato serpente serpens venenatus nascitur. Hunc modum Scriptura speciatim & definitè in Adamo & Davide proponit *Gen*. 5. *vers*. 3. *Psal*. 5. *vers*. 7. Generatim verò notat eum in omnibus & singulis hominibus: Job. 14 vers. 5. *quis edat mundum ex immundo* scil: semine? *ne unus quidem*. Ioh. 3. vers. 6. *quod genitum est ex carne caro est*. Eph. 2. vers. 3. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri*. *Gradus* propagationis conceptione & nativitate, hoc est, fœtus concepti efformatione definit Catechesis. Primò enim concipitur fœtus ex immundo semine *Iob*. 14. v. 5. *Psal*. 51. v. 7. Inde anima à Deo infunditur *Eccles*. 12. v. 9. sed orbata originali justitia *Rom*. 5. v. 16. Tertiò anima & corpus conjunguntur in unam hypostasin humanam, quæ se mutuo coinquinant, & in uno supposito culpæ humanæ reatum ferunt *Rom*. 5. v. 12. Nam idem ordo est propagationis peccati, & naturæ: Et sicut generatio non fit in instanti, sed successivè; terminatur autem, quod perfectionem speciei attinet, hypostaticâ partium essentialium unione; ita propagatio peccati, quod hominis est, successivè peragitur, &

Modus.

Gradus.

tum demum completa est, postquam fœtus ipsum esse personale, ut vocant, est adeptus. *Subjectum recipiens* pravitatis naturalis, quæ generando communicatur, sunt omnes naturales filii & hæredes Adæ, in quos ipsius peccatum introiit; *Rom.* 5. v. 12. usque adeò, ut ne unus quidem sit justus, *Rom.* 3. v. 12. vel etiam ex immundo semine edi possit *Iob.* 14. v. 5. *Ioh.* 3. v. 6. Ideoque nec liberi sanctorum excipi possunt ab universali hâc corruptionis labe; qui licet sancti sint ex gratiâ fœderis, 1. *Cor.* 7. *vers.* 14. naturâ tamen dicuntur filii iræ sicut & cæteri: *Eph.* 2. *vers.* 3. id quod suo exemplo David comprobat *Psal.* 51. *vers.* 7.

Subjectum recipiens pravitatis quæ propagatur.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst: & respons: septimam.*

I. *Annon iis, quæ hîc dicuntur,* Ex lapsu & inobedientiâ *&c. addi possit justitia Dei puniens homines primævos, & posteros in ipsis, privatione illius justitiæ & sanctimoniæ; ex quarum carentiâ existit illa depravatio naturæ, cujus hic fit mentio.*

Annon etiam justitiæ Dei punientis hic facienda sit mentio?

Resp. Fons & scaturigo pravitatis humanæ est lapsus & inobedientia primorum parentum, Adami & Evæ in paradiso *Gen.* 3. *Rom.* 5. *vers.* 12. *seqq.* Quem lapsum punivit quidem Deus privatione justitiæ, & sanctimoniæ; sed quas homo prior abjecerat, cum sorte suâ non contentus affectaret æqualitatem cum Deo *Gen.* 3. *vers.* 5. 6. Præterea hîc non de pœnâ peccati, sed de ipso peccato, ejusque causâ propriâ quæritur.

II. *An non præstet verba illa,* In peccatis concipiamur, *numero singulari efferri, prout locus Psalmi habet,* in peccato.

Annon rectius dicatur *in peccato concipiamur?*

Resp. Scriptura de peccato originali usitatè loquitur numero singulari: non desunt tamen loca ubi pluralem quoque usurpat: *Ioh.* 9. v. 34. *Tu in peccatis natus es totus. Eph.* 2. *vers.* 1. 3. *Mortui sumus in lapsibus & offensis, natura*: quod repetitur *Coloss.* 2. v. 15. Sic *Rom.* 5. v. 6. ante reconciliationem nullis ad bonum viribus fuisse dicimur: omnes igitur vires nostræ propendebant & conspirabant in malum, corruptæ peccatis. Si etiam peccati originalis, quod in se unum est, diversorum subjectorum respectu diversæ sunt partes, quarum singulæ seorsim & per se peccata sunt; prout distinctè recensentur *Rom.* 3. v. 10. *Eph.* 2. v. 1. *seqq.* *& cap.*

& cap. 4. v. 17. *seqq. Tit.* 3. v. 3. quid obstat, quominus ad exaggerandam corruptionis nostræ magnitudinem, Catechesis de peccato originali hîc & alibi loquatur numero plurali? Præsertim cum Patres quoque ab hoc loquendi modo minimè abhorruerint, aut abstinuerint, ut qui idem peccatum pluraliter Iniquitates, Contagia, Inquinamenta naturæ, Delicta appellârunt.

Sed specie tenus de numero contendunt Novatores: reverà de ipsa peccati originalis naturâ disceptant; sit ne propriè dictum peccatum? an verò metonymicè sic appelletur? quod effectum & pœna sit propriè dicti peccati. Id ergo brevibus discutiendum venit. Posterius ipsi tenent, & hoc præcipuè argumento tuentur; Quod peccatum originis sit carentia justitiæ originalis & sanctimoniæ primævæ, cum inclinatione ad peccatum, quæ etiam ante lapsum fuerit in homine. Jam carentiam illam pœnam tantùm esse volunt peccati, non ipsum peccatum. Ratio hæc est quod nihil possit esse simul peccatum, & pœna; cum peccatum sit voluntarium, pœna involuntaria; illud actio, hæc passio. Proinde concludunt, peccatum Originale pœnam tantùm esse peccati, non propriè dictum peccatum. Sed conclusio hæc ex falsis tum præmissis, tum præmissarum rationibus deducitur; adeò veri nihil toti argumentationi inest. In *Majore* falsum est. I. quod peccatum originis tantum sit carentiâ justitiæ originalis: Imo consistit partim in contrario injustitiæ habitu, ut quæstione sequenti ostendetur. II. quod etiam ante lapsum in homine fuerit inclinatio ad peccandum. An igitur Deus hominem creavit vitiosum, & ad peccandum proclivem? Non potest ergo eum condidisse valde bonum, quod Moses asserit *Gen.* 1. *vers.* 31. Quin imo ex hâc hypothesi solus Deus est causa efficiens peccati originalis, ut qui ante lapsum homini indidit inclinationem ad peccandum: post lapsum autem eundem justitiâ originali privavit, quod certè dictu impium, blasphemum est. In *Minore.* I. falsa est ipsa propositio, quòd carentia justitiæ originalis tantùm sit pœna peccati: Etiam peccatum est, tum quia homo justitiam illam contempsit, & ultrò abjecit; tum quia naturâ, omnibusque ejus potentiis ac viribus legi Dei esse debet conformis. II. falsa quoque est ratio propositionis, quòd nihil simul esse possit culpa & pœna. Contrà: Quod simul est ἀντιμισθία peccati, & peccatum, id simul

Peccatum Originale non est peccatum metonymicè, quod Novatorib. placet.

simul culpa & pœna est. Atqui innumera peccata simul sunt ἀντιμισθία peccati, & peccatum *Rom.* 1. v. 27. 28. 2. *Thess.* 2. v. 11. *Johan.* 12. v. 39. 40. & *cap.* 9. v. 39. Ergo. Secus concidit tota illa justitiæ divinæ œconomia, secundùm quam peccata peccatis vindicare consuevit. Quod objicitur, peccatum esse voluntarium, & actionem; pœnam contra involuntariam, & passionem, id universale non est. Etiam quæ voluntaria non sunt, peccata tamen esse, paulò post docebitur. Et in propagatione peccati Originalis ipsum peccatum geniti & recipientis respectu passio quædam est, non actio; ut nihil nunc dicamus de peccatis actualibus, quorum multa in passione magis, quam in actione consistunt. Manet ergò illud, quod orthodoxi omnes concorditer, constanterque tenent, peccatum originis esse propriè dictum peccatum. Quod etiam majoris evidentiæ causâ, unico hoc argumento κατ' ἀντίθεσιν, demonstramus. Cui conveniunt nomina, attributa, forma & effecta peccati inhærentis propriè dicti, id citra controversiam est peccatum inhærens propriè dictum. Atqui peccato originali illa omnia conveniunt. Ergo. Nomina, quia absolutè, & κατ' ἐξοχὴν *peccatum*, *lapsus*, *transgressio*, *inobedientia*, *iniquitas*, *caro*, & *concupiscentia* appellatur *Rom.* 5. v. 12. 14. 16. 19. Psal. 51. v. 7. *Joh.* 3. v. 6. *Rom.* 8. v. 13. *& cap.* 7. v. 7. 8. Attributa; quia dicitur *peccatum peccans*, *Rom.* 7. v. 13. *peccatum inhærens* vers. 17. *malum adjacens*, vers. 21. *lex membrorum*, vers. 23. *corpus mortis*, vers. 24. *corpus peccati*, *& vetus homo*, *Rom.* 6. v. 6. *sensus carnis*, *cap.* 8. v. 7. *antiquum fermentum malitiæ*, totam massam corrumpens, 1. *Cor.* 5. v. 6. 8. *peccatum nos circumstans*, *Hebr.* 12. vers. 1. *Radix amaritudinis sursum germinans* vers. 15. *Forma*; quia legi contrarium est, *Rom.* 7. v. 7. 8. belligerans adversus legem mentis, v. 22. inimicum Deo, subjici nescium legi ipsius. *cap.* 8. v. 7. Effecta denique; quia tum opera carnis, *Galat.* 5. v. 17. *Matth.* 15. v. 19. *Roman.* 7. v. 5. tum etiam stipendium peccati, mortem & condemnationem, *Roman.* 5. vers. 15. 18. producit.

Sed est peccatum propriè dictum.

Cui conveniunt peccati propriè dicti

Nomina,

attributa,

forma,

effecta.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæstionem septimam.*

Peccatum Originis nullum prorsus est; nec homines propter lapsum Adæ, aut quod ab ipso ducunt originem, ulli culpæ aut pœnæ obnoxii
1. *sunt.* Rationes *hæ sunt.* I. *Omnis culpa voluntaria est, propriæ voluntatis abusu contracta: In homine dum nascitur, nullus est abusus*
2. *propriæ voluntatis. Ergo.* II. *Quod non est in omnibus hominibus naturaliter, id dici nequit peccatum originale: Pronitas ad peccandum non est in omnibus naturaliter; de quo quidem certo constet. Ergo.*
3. III. *Quod frequentibus peccatorum actibus contrahitur, & sic transit in naturam, id non manat ex peccato illo primi parentis. Corruptio naturæ, sive habitus peccandi frequentibus peccandi actibus contrahitur. Ideo Salomon,* Eccles. 7. v. 29. *non ait primum hominem peccatum commisisse, cui omnes obnoxii sint, sed homines quæsivisse cogitationes*
4. *plurimas. Ergo.* IV. *Si corruptio naturæ ex primo illo Adæ peccato profecta est, factum id vel vi illius peccati, vel Dei illud punientis decreto. Non prius.* I. *quia unus actus non facit habitum.* II. *quia ne ipsius quidem Adæ naturam ita depravavit. Nec posterius.* I. *quia hoc adversatur rectitudini & voluntati Dei, qui odio habet peccatum, & ne homines peccent apertissimè edicit.* II. *quia* Genes. 3. *nulla ejusmodi pœnæ mentio fit, ubi tamen diligens earum omnium enumeratio instituitur. Ergo. Sunt quidem testimonia Scripturæ, quæ peccatum originis docere videntur, sed solidè evinci ex iis aut exstrui nullo modo po-*
Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21. *test.* Genes. 6. v. 5. & cap. 8. v. 21. *Agitur de peccato voluntario, & priore quidem loco de tali peccato, cujus causâ pœnituit Deum, quod hominem creasset, & eum diluvio punire decrevit. Posteriore autem de eo, quod tantam vim habiturum non sit, ut Deus mundum diluvio*
Psal. 51. v. 7. *propter illud iterum punire velit.* Psal. 51. v. 7. *David loquitur non de quibusvis hominibus, sed de se tantum; nec simpliciter, sed habitâ ratione lapsus sui, & eo loquendi modo, qui manifestam habet hyperbolen, cujus exemplum etiam alibi,* Psal. 58. v. 4. *occurrit.* Rom.
Rom. 5. v. 12. 5. v. 12. *non habetur in Adamo omnes peccasse: verum in Græco verba sunt* ἐφ' ᾧ, *quæ passim interpretes reddunt* in quo, *cum tamen reddi possint per particulas,* quoniam *vel* quatenus, *ut è locis similibus,* Rom. 8. v. 3. Phil. 3. v. 12. Hebr. 2. v. 18. 2. Cor. 5. v. 4. *vide-*
Eph. 2. v. 3. *re est. Denique* Ephes. 2. v. 3. *Filii iræ dicimur, quia Adamus, hos posteros suos genuit, cum jam esset filius iræ.*

Respon-

Responsio.

Peccatum originale ambiguè dicitur, latè vel strictè. *Latè*, tum primam transgressionem Adæ omnibus naturalibus ejus hæredibus imputatam, tum depravationem naturæ ex eâ in singulis secutam complectitur. *Strictè*, solam naturæ depravationem significat, à quâ transgressio illa Adæ, tanquam causa à suo effectu, sive ut culpa originans à labe originali distinguitur. Posteriore modo peccatum Originale proponit & propugnat Catechesis: oppugnant verò Sociniani, siquidem primò negant esse aliquam pravitatem naturæ, quæ generando in nos propagetur, adeoque ab ipso conceptu nobis inhæreat: secundò negant causam hujus pravitatis esse lapsum & transgressionem Adæ. Etsi verò testimonia & rationes, quibus nititur veritas doctrinæ Catecheticæ, in ipsâ Exegesi attigimus, hoc tamen loco paulo plenius explicanda sunt. *Prius membrum* argumentis tum inartificialibus, tum artificialibus confirmatur. Inartificialia sunt: Genes. 5. v. 3. *Adamus genuit filium in imagine suâ, secundum similitudinem suam*, quæ opponitur imagini & similitudini Dei vers. 1. Job. 14. v. 5. *Quis edat mundum ex immundo semine? ne unus quidem*. Psalm. 51. v. 7. *In iniquitate conceptus sum, & in peccato fovit me mater mea*. Esa. 48. v. 8. *Transgressorem ab utero vocavi te*. Joh. 3. v. 6. *Quod genitum est ex carne, caro est*. Ephes. 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri*. Artificialia sunt. I. Quod cum ipsâ natura propagatur, id propagatur per generationem: nec enim alius datur naturæ propagandæ modus. Peccatum, sive pravitas Originalis, cum ipsâ naturâ propagatur; ut quæ inde naturæ & naturalis appellatur *Eph*. 2. v. 3. Ergò II. Quod in statu peccati omnibus, solisque hominibus, & semper convenit, id generando in eos propagari necesse est. Peccatum Originale in statu peccati convenit omnibus hominibus, quia *non est justus, ne unus quidem: omnes* autem *deflexerunt, & simul inutiles facti sunt Rom*. 3. v. 10. 12. Convenit etiam solis, ut qui soli ex immundo semine generantur *Iob*. 14. v. 5. Denique semper, quia omni tempore, indè à pueritiâ, imo ab utero proni sunt ad malum *Esa*. 48. v. 8. *Genes*. 6. v. 5. *& cap*. 8. v. 21. Ergo. III. Dato effectu proximo, datur quoque necessariò ejus causa. In infantibus datur effectus proximus, Mors *Rom*. 5. v. 14. Ergo datur

Peccatum Originale.

hîc strictè sumitur.

1. Pecc. Orig. esse pravitatem naturæ generatione propagatam probatur Dictis.

rationibus 1.

2.

3.

datur etiam ejus causa, peccatum *Rom.6.v.23.* Atqui non datur peccatum actuale: neque enim peccarunt ad similitudinem transgressionis Adæ. Ergo datur Originale cum ipsâ naturâ in eos
4. propagatum. IV. Omne generans generat sibi simile substantiâ, & accidentibus speciei propriis: quod patet partim ex definitione generationis, partim omnium generantium inductione. Atqui homo post lapsum est generans corruptum *Iob.* 14. v. 5. *Rom.*
5. 3.v. 10. *seqq.* Ergò & corruptione sibi similes generat. V. Contrariorum eadem ratio est. Quemadmodum igitur justitia inhærens nobis communicatur per supernaturalem regenerationem, ita inhærens injustitia communicatur per naturalem generationem *Ioh.* 1. v. 12. 13. *cap.* 3. v. 6. 1. *Petr.* 1. v. 23. Sed injustitia ex generatione nobis inhærens est ipsum peccatum originale. *Posterius membrum* sic demonstratur. I. Per quem peccatum introiit in mundum, is pravitatis humanæ causa, & autor est. Per Adamum ejusque lapsum introiit: *Rom.* 5.v.12. *Per unum hominem peccatum introiit in mundum.* vers.16. *Per unius lapsum reatus venit in omnes homines.* vers.19. *per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Hinc est quod lapsus ille peccatum mundi appellatur.

2.Pecc.Orig. causam esse lapsum Adami demonstratur.
1.

2. *Iohan.* 1. v. 29. Ergo. II. Qui omnibus & singulis hominibus mortis, idem peccati quoque & corruptionis causa est *Rom.* 6. v. 23. Adamus omnibus, & singulis hominibus est causa mor-
3. tis *Rom.* 5. v. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 1. *Cor.* 15. v. 22. Ergo. III. Quæ ratio est Christi ad suos, eadem Adami ad suos. Atqui Christi ad suos hæc ratio est, ut ipsis causa sit justitiæ, & sanctitatis, communicans ipsis hæc dona sua. Ergo Adami ad suos similis ratio est, ut ipsis quoque communicet injustitiam & peccatum. Utraque propositio est Apostoli: Major, *Rom.* 5. v. 14. *seqq.* 1. *Cor.* 15. v. 22. Minor, *Rom.* 5. v. 18. 19. 1. *Cor.* 1. v. 30.
4. IV. Qui est principium naturæ humanæ, & propagationis ejus, idem peccati & pravitatis quoque principium & causa est. *Ratio.* quia natura humana in primo speciei principio fuit depravata *Rom.* 5. v. 12. *Gen.* 5. v. 3. Atqui Adamus est primum principium naturæ humanæ, & propagationis ejus *Genes.* 1. v. 28. *Luc.* 3. v.
5. 38. *Actor.* 17. v. 26. Ergò. V. Non datur progressus causarum in infinitum. Aut ergo Adamus universalis pravitatis principium est, aut aliquis posterorum ipsius. Sed falsum est posterius. 1. quia Scriptura à nullo posterorum ipsius pravitatem illam

derivat.

derivat. 11. quia omnes ipsius posteri particularia solum principia, non universalia fuerunt: neque etiam prima, sed secunda principia. Verum igitur est prius.

His rationibus abundè confirmata est orthodoxæ doctrinæ veritas. *Rationes opposita*, quibus sententia adversariorum subfulcitur, non magni momenti sunt. In *prima* propositio Major ne quidem de omni peccato actuali vera est. Multa peccata omissionis, quædam etiam commissionis, quæ ex ignorantiâ, infirmitate aut perturbatione patrantur, licet à voluntate non procedant, tamen verè sunt peccata: multo minus igitur vera est de illo peccato, quod ipsius naturæ labes est & macula *Ephes*.2. v.3. Neque enim τὸ προαιρετικὸν, sive voluntarium, peccati formale est, sed τὸ ἄνομον; dicente Apostolo, *non, quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Rom*. 7. v. 15. In *secunda* falsa est Minor; tam certum est pronitatem ad peccandum, inesse omnibus hominibus naturaliter, quàm certa sunt hæc & similia Scripturæ effata, quæ de naturali omnium & singulorum pravitate testificantur: *Iob*.14.v.5. *Quis dabit mundum ex immundo semine? ne unus quidem*. Johann.3.v.6. *Quod genitum est ex carne, caro est*. Rom.3.v.10.12. *Non est justus, ne unus quidem: Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat quod bonum est, non est usque ad unum*. Ephes.2.v.3. *Eramus naturâ filii ira, sicut & cateri*. In *tertiâ* iterum negatur minor: Non contrahitur actionibus peccandi illud, quod singuli ab utero secum ferunt: *Esa*.48.v. 8. *Eph*.2.v.3. φύσει, naturâ, esse filium iræ, opponitur τῷ ἔθει, consuetudini, & assuefactioni, quâ acquiritur habitus. Quomodo etiam, si talis habitus transire potest in naturam ad ejus corruptionem, peccatum Adæ, qui stirps, & radix fuit totius generis humani, naturam nostram corrumpere nequivit? Num igitur minoris efficaciæ fuit ipsius peccatum, contra totum decalogum pugnans, in attrahendâ pœnâ; quam hominis alicujus vitiosi peccatum in corrumpendâ posteritate? Locus. *Eccles*. 7. v.29. de primo primi hominis peccato præcipuè agit. Certè primus homo is fuit, qui in principio rectus à Deo creatus est, *Gen*. 1.v.26.27 qui deindè à rectitudine suâ descivit, quærens cogitationes multas, scil. alienas à recto, hoc est obliquas & pravas; cujusmodi cogitationes fuere, quas à serpente tentatus versavit animo; Quid tibi fructus hic obesset? Aperientur oculi

Confutantur rationes Socinianorum. prima.

secunda.

tertia.

culi tui; obtinebis æqualitatem cum Deo; & similes *Genes.* 3. v. 5. 6. Ita locum interpretatur Augustinus *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 11. Nec obstat pronomen plurale *Ipsi*: Marem enim & fœminam respicit, quorum ante nomine collectivo singulari meminerat: vide *Genes.* 1. v. 26. 27. In *quartâ* manifestus est Elenchus oppositorum. Ex utroque corruptionem naturæ derivamus, tum ex peccato Adæ, qui principium fuit speciei humanæ, ejusque personam gessit: tum etiam ex decreto Dei, primi hominis defectionem justè punientis in totâ posteritate ipsius. *Rom.* 6. v. 12. 16. 19. Probationes utriusque membri falsæ & frivolæ sunt: *Prioris*; quia unius peccati actus habitum effecit, vel potius ἀδυναμίαν boni & δύναμιν mali invexit, culpâ & merito, secundum peculiarem œconomiam judicii divini *Rom.* 5. v. 16. 19. Quod verò ipsius Adami naturam depravarit id partim ex factis ipsius, & Dei, *Genes.* 5. v. 1. 3. supra pemonstratum est. *Posterioris*, quia facere aut præcipere peccatum adversatur rectitudini & voluntati Dei; non autem illud punire etiam ad posteritatem, privatione imaginis suæ *Rom.* 5. v. 16. & culpæ communis imputatione, v. 19. *Genes.* 3. pœna corruptæ naturæ in actibus, sive factis quibusdam hominis lapsi, nec non in denunciatione mortis proponitur; quæ mors omnis peccati, quod per lapsum Adæ introiit; in mundum, justissimum est stipendium *Rom.* 6. v. 23.

quarta.

Vindicantur dicta. *Gen.* 6. v. 5.

Confutatis rationibus etiam loca Scripturæ ab hæreticis glossematis vindicanda sunt. *Genes.* 6. v. 5. de utroque peccato agitur: Actuali, quod videbat Jehova indies augescere: & Originali, ex quo habitus & conditio mentis, voluntatis, affectuum mala fuisse dicuntur omni tempore. Utrumque etiam movit Deum ad immittendum diluvium: neque enim ferre diutius potuit, peccatum originale regnare per actualia, non modò in hominum, sed etiam in Dei Filiis, ut est v. 2. 3. *Genes.* 8. v. 21. etiam illustrior peccati originalis probatio est. Non loquitur textus de impiis qui ante diluvium erant, sed de indole & conditione totius generis humani. Nec erant tunc in terrâ alii homines quàm Noah justus cum suis, & tamen etiam de illis disertè affirmat, figmentum cogitationum cordis humani pravum esse. Denique ne pravis exemplis aut imitatione contracta videretur

Gen. 8. v. 21.

retur pravitas, addit, talem esse hominem à pueritiâ, indè à pri-
mâ ætate. Quæ omnes circumstantiæ liquidò ostendunt de pec-
cato originali sermonem esse. Promittit igitur Deus peculiari
quâdam indulgentiâ, se non obstante generali hâc generis huma-
ni corruptione, rerum ordinem instauraturum & conservatu-
rum; nec illuvionem universalem, quâ ordo ille turbetur aut ab-
rumpatur, deinceps usque ad finem seculi inducturum esse.
Psal. 15. v. 7. loquitur sanè David de se, sed ita ut exinde cæte- *Psal.* 51. v. 7.
rorum hominum naturalem conditionem liceat æstimare, argu-
mento gemino. A pari; quia omnium eadem ratio est *Iohan.* 3.
v. 6. *Ephes.* 2. v. 3. Et à majori; quia si David, vir secundùm
cor Dei, in peccato conceptus, natus fuit, quanto magis alii?
Habet etiam hoc genere sermonis lapsus sui rationem, sed ita,
ut ad fontem ejus assurgat, nempè conceptionem peccato in-
fectam, ut ex verâ humilitate utrumque peccatum deploret, &
ignosci sibi petat. Proinde affingenda non est hyperbole ver-
bis ipsius, sed sincera ac rotunda confessio omnium peccato-
rum in iis agnoscenda. Similem pravitatem in impiis notat
Psalm. 58. v. 4. sed cui ipsi indè à teneris indulserant non refræ-
nantes eam recto judicio, vel saltem externa disciplina. *Rom.* *Rom.* 5. v. 12.
5. v. 12. particulæ ambiguæ sunt, quas alii ad remotius referentes
reddunt *in quo*, ut est. 1. *Corinth.* 15. v. 22. Alii antecedens pro-
ximum respicientes vertunt *eò quòd*, vel *quia*, ut causæ reddi-
tionem significent: sed sensu plane eodem. Si enim ideò per
Adamum in omnes homines mors pervasit, quod omnes pec-
carunt, peccato scil. illo, quod per ipsum introiit in mundum,
ut habet membrum prius; consequens est, omnes in ipso pec-
casse δυνάμει & originaliter, cum nullus præter ipsum & uxo-
rem Evam tum exstiterit. *Ephes.* 2. v. 3. docet Apostolus, non *Eph.* 2. v. 3.
qualis fuerit Adam cum gigneret filios, sed quales nos simus ex i-
pso progeniti. Vocat autem nos filios iræ naturâ, hoc est à con-
ceptione, & nativitate: sic enim locutio illa etiam alibi usur-
patur. *Galat.* 2. v. 15. *Roman.* 2. v. 14. Et opponuntur inter se
ἔχειν τῇ φύσει, καὶ τῷ ἔθει. At quæ ἔθει, hoc est consuetudine, &
assuefactione obtinentur, acquisita sunt. Ergo quæ φύσει, natu-
râ possidentur, naturalia.

QUÆST. VIII. An verò adeò corrupti ſumus, ut ad benè agendum prorſus non ſimus idonei, & ad omne vitium proclives?

RESP. *Certè: niſi per Spiritum Sanctum regeneremur.*

EXEGESIS.

Naturæ pravitas quanta.

QUæ ab Adamo in omnes ipſius poſteros per generationem propagatur naturæ pravitas, ab adjunctâ magnitudine, ſive quantitate amplificatur. Cauſa duplex eſt: Una, ut conſtet homini poſt lapſum nihil virium reliquum eſſe ad bonum: Altera, quò etiam doceatur corruptionem naturæ humanæ non tantum eſſe privationem juſtitiæ originalis, ſed etiam originalis injuſtitiæ habitum. Ubi tamen termini Scholarum rectè intelligendi ſunt: Neque enim privatio illa propriè loquendo dici poteſt carentia habitus; cum juſtitia originalis non fuerit in primo homine per modum habitus proprii; ſicuti nec contraria injuſtitia habitus propriè dicti, cujuſmodi crebris actionibus acquiritur, rationem habet. Sed privatio notat carentiam rectitudinis & integritatis omnium virium hominis, atque illius etiam inclinationis, quâ ſponte movebatur ad ſervandum legem; habitus verò notat corruptam & inordinatam diſpoſitionem virium humanarum, nec non averſionem ab iis, quæ lex præcipit; & inclinationem ad ea, quæ prohibet. Ita tam privatio, quàm habitus ad ſecundam ſpeciem Qualitatis referenda ſunt: Et illa juſtitiæ originali opponitur privativè, tanquam ἀδυναμία moralis, hic verò eidem opponitur poſitivè, ſive contrariè, ut moralis quædam δύναμις. Affirmat igitur Catecheſis tantam eſſe naturæ noſtræ corruptionem, ut ad benè agendum prorſus non ſimus idonei, ſed ad omne vitium proclives. Cujus aſſertionis veritatem bifariam ex Scripturâ Sacrâ demonſtramus. *Generatim.* I. ex illis locis, quæ totum hominem, quantus quantus eſt, & quoad animam, & quoad corpus ſubjiciunt corruptioni peccati: cujus generis ſunt, ubi vetus homo, *Rom.* 6. v. 6. *Epheſ.* 4. v. 22. & caro, *Ioh.* 3. v. 6. appellatur, qui corpus peccati & mortis, *Rom.* 6. v. 6. & *cap.* 7. v. 24. perpetuò circumfert. II. Ex locis aliis,

Quatenus privatio juſtitiæ & injuſtitiæ habitus dicatur.

Quæ ex eâ eſt impotentia ad bonum, & proclivitas ad malum probatur.

1. Generatim.

aliis, quæ de peccato originali partim negativè, sivè privativè, partim etiam affirmativè & positivè loquuntur. Negativè: Rom. 3. v. 10. seqq. *Non est justus ne unus quidem; non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum: Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt.* cap. 5. v. 6. *Christus, cum nullis adhuc viribus essemus, pro impiis mortuus est.* cap. 7. 18. *Scio non habitare in me, id est, in carne meâ bonum.* Affirmativè: Genes. 6. v. 5. & cap. 8. v. 21. *Omne figmentum cogitationum cordis humani tantum ad malum est, omni tempore, indè à pueritiâ.* Johann. 3. v. 6. *Quod genitum est ex carne, caro est.* Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis, belligerantem adversus legem mentis meæ, & captivum me reddentem legi peccati.* *Speciatim* ex illis locis, quæ seorsim & distinctè omnibus animæ potentiis, menti, voluntati, affectibus, & appetitui, corpori item, ejusque membris ineptitudinem ad bonum & proclivitatem ad malum attribuunt. Menti ista: 2. Cor. 3. v. 5. *Non sumus idonei ex nobis ipsis ad cogitandum quicquid, velut ex nobis ipsis.* 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo non est capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei: sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere.* Rom. 8. v. 7. *φρόνημα*, hoc est, *sensus*, sive *intelligentia carnis, inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei non subjicitur: nam ne potest quidem.* Eph. 4. 17. 18. *Ambulant in vanitate mentis, tenebris obscuratam mentem habentes.* Voluntati ista: Ephes. 2. v. 1. 2. Coloss. 3. v. 12. *Eramus mortui in lapsibus & offensis nostris.* Genes. 8. v. 21. *Figmentum cordis humani tantum ad malum est, à pueritia ipsius.* Jerem. 17. v. 9. *Fraudulentum est cor ipsum, & mortiferum supra omnia; quis cognoscat ipsum.* Ephe. 2. v. 3. *Facientes quæ carni & cogitationibus libebant.* Affectibus & appetitui ista: Tit. 3. v. 3. *Eramus & nos quondam rebelles, servientes cupiditatibus, ac voluptatibus variis, in malitiâ & invidiâ degentes, alii alios odio prosequentes.* Ephes. 4. v. 19. *Dediderunt se lasciviæ, ad certatim patrandam omnem impuritatem.* Galat. 5. v. 19. *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt, adulterium, scortatio, impuritas, lascivia.* Corpori ejusque membris hæc: Roman. 6. v. 12. *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore;* & v. 13. *Ne sistite membra vestra serva injustitiæ peccato.* cap. 3. v. 13. seqq. in singulis penè membris, peccati inhabitantis vis & ἐνέργεια ostenditur: *Guttur est sepulcrum apertum, sub Labiis venenum aspidum, in Linguâ dolus, Os plenum diris & amarulentiâ, Pedes ad effundendum sanguinem veloces.* Quibus omnibus abundè demonstratum, nos in hâc

2. Speciatim.

de mente.

de voluntate

de affectibus & appetitu.

de corpore ejusque membris.

naturæ nostræ corruptione ab benè agendum ineptos, ad malum verò proclives esse. Neque propterea Catechesis hominem facit truncum vel stipitem, quasi nec intelligentia, nec voluntas ulla sit ipsi relicta; sed tantum eum benè intelligendi, benè volendi, & agendi facultate per peccatum spoliatum asserit. Quod pulcerrimâ explicat sententiâ autor libri *de vocatione gentium*; *Homo*, inquit, *à Diabolo non voluntate spoliatus est, sed voluntatis sanitate*. Quæ ergò naturâ erat bona, qualitate facta est mala. Ingens præterea discrimen est inter actiones spiritnales, & civiles, quæ externæ disciplinæ dici solent. In illis nihil potest hominis corrupti arbitrium, de quibus & hoc loco sermo est: In istis aliquid potest; si quidem gubernare actiones externas, & coërcere externa membra juxta præcepta decalogi potest suo modo, etiamsi motus interiores vel non adsint vel non consentiant. Assertioni huic de totali hominis corruptione subjicit Catechesis mentionem causæ corrumpentis, quæ est regeneratio per Spiritum Sanctum, cùm probationis, tùm præcipuè explicationis gratiâ; ut ostendat, non semper, nec in omnibus manere illam corruptionem: & quæ in nonnullis post lapsum deprehenditur aversio à malo, & propensio ad bonum, eam non à corruptione naturæ, sed ab ejusdem regeneratione ac renovatione procedere. Quod Scriptura his & similibus dictis clarissimè testatur: Joh. 3. v. 5. 6. *Nisi quis regenitus sit ex aquâ & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod genitum est ex carne, caro est, & quod genitum est ex spiritu, spiritus est.* cap. 1. v. 12. 13. *Filii Dei sunt facti, qui non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, sed ex Deo geniti sunt.* Ezech. 36. v. 26. 27. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum; & spiritum meum ponam in medio vestri; quo faciam, ut in statutis meis ambuletis*, &c. De quibus, uti quoque de naturâ, ordine, ac modo regenerationis, infrà suo loco copiosè agetur.

Manentibus tamen facultatibus; & observato discrimine inter actiones spirituales & civiles

Pravitatem naturæ tollit regeneratio per Sp. S.

Ex iis verò quæ de naturæ humanæ corruptione hactenus dicta sunt, apparet; doctrinam *de servitute peccati* non omissam in Catechesi, sed quantum puerili & populari institutioni satis est, in eâ explicatam esse. Si enim homo ineptus est ad bonum, & proclivis ad malum, quid aliud est, quàm fœdissimum mancipium peccati; cujus cupiditatibus ac desideriis perpetuò indulget & obsecundat. Si etiam libertas ab hâc servitute redemtionis ac rege-

Servitus peccati à Catechesi asserta.

regenerationis beneficio nobis obtingit, secundum doctrinam Scripturæ, *Ioh.* 8.32. 2.*Cor*.3.17. & Catecheseos: certè quoquot expertes sunt utriusque beneficii, servituti peccati obnoxii esse declarantur. De hâc servitute summatim notanda sunt quatuor. I. Metaphoricè sic dici, metaphorâ sumtâ à servitute corporali, & relatè ad dominium illud, sive imperium, quod in homine animali obtinet, & exercet innata corruptio *Rom*.6.v.12. *seqq*. II. Gradum ejus duplicem esse, quorum alter in interno sensu, & delectatione, alter in externo opere consistit *Iac*.1.v.14.15. *Gal*.5.v. 17.18. *Rom*.6.v.12.13. *&* *cap*.1.v.32. III. Principalem ejus caussam esse quidem innatam homini pravitatem, minus principalem tamen rectè statui peccandi consuetudinem; quâ fit, ut pravitas illa impotentius multò grassetur, & peccator tanto minus in eâ coërcendâ libertatis retineat. Quod probat Apostolus *Eph*.4.v.19. *&* *alibi*; approbat sana Philosophia, quatenus docet inclinationem ad vitia prævalere rectæ rationi, postquam continuatis, aut frequentioribus actibus confirmata est. IV. Servitutem illam peccati aliam esse secundùm statum, cum homo in carne & secundum eam ambulat toto corde, absque luctâ & pœnitentiâ ruens in malum, *Rom*.6.v.12. *seqq*. *cap*. 8.v.4.5.8.9. aliam secundum actum, cùm incautus, & securus uno aliquo actu in illud abripitur: quod etiam regenitis evenire exempla Sanctorum in historiâ sacrâ, & communi experientiâ nimis testantur.

Quæ de eâ notanda.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæstionem & resp. octavam.*

I. *An verbis hisce*: ad omne vitium proclives, *idem significetur, quod quæstione* LX. *istis*, ad omne malum propensus: *Id si ita habet, quæritur annon frustra addantur hoc loco ista*, nisi per Spiritum S. regeneremur; *cum regeneratio propensionem ad malum non auferat, ex mente quæstionis* LX. *eòque considerandum venit, num quis simul & eodem tempore esse possit ad omne vitium proclivis, & ad omne malum propensus, & tamen ad bene agendum idoneus: & num in eodem homine possit esse propensio ad odium Dei & proximi, & aptitudo ad bene agendum, cum odium Dei & proximi species sit propensionis ad omne malum. Quin & illud expendi meretur; num & quinta quæstio unâ responsione tam ad credentem & regenitum referri possit, quàm ad irregenitum; ideoque videri possit miseriam hominis non satis exprimi istis Phrasibus, quæ simul etiam ad regenitos applicari queant, eorumque statum non minus, quàm irregenitorum exprimant.*

An quæstiones hæc & 60. de eâdem propensitate ad malum loquantur, & hic rectè addatur, eam per regenerationem tolli?

Resp.

Resp. Verbis illis diversis locis repetitis idem significatur, at non eodem modo & gradu. In homine misero, nondum regenito, de quo hîc, est totalis propensio ad omne malum, & peccati inhabitantis plenum dominium: In homine liberato, hoc est justificato, & regenerato, de quo quæstione LX. sermo est, sunt propensionis illius reliquiæ, in aliis majores, in aliis minores; ex peccato non quidem planè regnante, nondum tamen edomito, aut planè abolito *Rom.* 6. 7. *capp.* Adduntur ergò verba illa de regeneratione Spiritus, partim faciendi discriminis causâ, partim ut ἀδυναμία hominis ad sui conversionem plenius ostendatur. Quibus observatis per se claret, quid ad porismata Consideratorum respondendum sit. Primum affirmatur de homine regenito; in quo caro, & spiritus, *Gal.* 5. v. 17. lex membrorum, & lex mentis *Rom.* 7. v. 23. 25. De irregenito negatur. Alterum eadem distinctione dissolvitur; & quia in renatis non est perfecta Dei dilectio ex toto corde, ex totâ animâ &c. superesse oportet reliquias affectus contrarii, qui in Scripturâ odii nomine venire solet. Tertium negatur, quia variat subjectum quæstionis V. & LX. quod illic homo miser, irregenitus: hîc autem liberatus & regenitus. Talia verò sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis: & tamen eadem prædicata de diversis subjectis usitatè enunciantur respectu, & modo diverso. Ita Apostolus irregenitos, & regenitos, *carnales* vocat, *Rom.* 7. v. 14. 1. *Cor.* 3. v. 3. & Johannes utrosque peccare affirmat 1. *Joh.* 2. v. 1. & *cap.* 3. v. 8. 9.

Assertiones Novatorum de corruptione hominis.

Hæc de consideratione Novatorum circa quæstionem octavam. Præter eam verò, *assertiones* doctrinæ Catecheticæ repugnantes, quæ hujus quidem loci sunt, sequentes duas tuentur.

1. Irregenitum non esse omnibus ad bonum spirituale viribus destitutum

I. *Homo irregenitus non est totaliter mortuus in peccatis, nec omnibus ab bonum spirituale viribus destituitur.* Rationes *sunt I. Quia reliquias quasdam obtinet imaginis Dei, tanquam fundamenta generalia religionis, & cultus divini. II. Quia actûs vitæ spiritualis exercere potest, ut sunt; clara, & aperta intelligentia omnium eorum quæ ad æternam salutem consequendam scitu, creditu, speratu, & factu necessaria sunt; item desiderium gratiæ, fames ac sitis justitiæ, preces, propositum ac tentamen vitæ in melius commutandæ &c.*

Corruptio naturæ est totalis.

Resp. Totalem non partialem esse corruptionem illam, quam

quam ex Adamo nascendo trahimus, in ipsâ exegesi quæstionis demonstratum est, & vel unico hoc argumento liquere potest: Ubi est totalis privatio virium omnium ad bonum spirituale, ibidem est mors totalis. Valet consequentia à definitione ad definitum. In homine irregenito est totalis privatio omnium virium ad bonum spirituale, teste Apostolo Rom. 5. v. 6. *Christus pro nobis mortuus est, cum nullis adhuc viribus essemus.* Quod alibi per partes distinctè declarat: *Rom.* 3. v. 10. *Ephes.* 2. v. 11. & *cap.* 4. v. 17. *Tit.* 3. v. 3. Est igitur in eodem mors totalis, sicut non semimortuus, sed mortuus esse dicitur in peccatis suis *Eph.* 2. v. 1. *Col.* 2. v. 13. *Ioh.* 5. v. 25. *Objectio prima* de reliquiis imaginis Dei impertinens est. Non enim assurgunt, aut pertingunt ad spirituale illud bonum, quod Pater cælestis, ejusque spiritus, non caro, & sanguis nobis revelant *Matt.* 16. v. 17. 1. *Cor.* 2. v. 10. Falsum etiam quod asserit, reliquias illas esse fundamenta generalia religionis, & cultûs Dei; tum quia doctrinam veritatis quæ est secundum pietatem, *Tit.* 1. v. 1. ne in genere quidem tradunt: tum quia timorem, ac fiduciam veri Dei animis hominum nullatenus ingenerant. De quo autem definitio, & propria effecta negantur, ei definitum ejusque natura, nec in genere, nec in specie potest attribui. *Objectio secunda* tota falsa est, naturæ corruptæ actus illos transscribens, quos illuminantis aut regenerantis gratiæ esse infra suo loco sigillatim ostendetur.

Confutatur objectio prima.

secunda.

II. *Voluntas hominis nunquam in se corrupta fuit, sed tantum per tenebras mentis & affectuum inordinationem impedita est circa electionem boni spiritualis, in quo servitus peccatii propriè consistit.*

2. voluntatem humanam non corruptam esse; & in eâ solâ servitutem peccati residere.

Resp. Assertio hæc utraque parte erronea est; tum *negativâ*, quæ negat corruptionem ac pravitatem voluntatis humanæ; tum *affirmativâ*, quæ servitutem peccati ex mente & affectibus in voluntatem derivat, inque eâ solâ collocat. Utriusque falsitas paucis ex Scriptura demonstranda est: Nec enim opus multis argumentis in re liquidâ. *Prioris.* I, Ab attributis. Quod est pravum, fraudulentum, vanum, durum, tardum, lapideum, incircumcisum, præputiatum naturâ; id in se & naturâ corruptum est. Cor, sive voluntas hominis, talis est: *Ier.* 17. v. 9. *Psal.* 5. v. 10. *Eph.* 4. v. 17. *Rom.* 2. v. 5. *Luc.* 24. v. 25. *Ezech.* 36. v. 26. *Act.* 7. v. 51. *Ier.* 4. v. 4. & *cap.* 9. v. 26. Ergò. II. Ab

Voluntas humana. 1. corrupta est.

effectis ; Quod perpetuò intentum est malis, ipsas animæ facultates intus magis corrumpit, foris autem non nisi prava opera edit, id in se & naturâ corruptum esse oportet. Cor, sive voluntas hominis perpetuò intenta est malis, *Gen.* 8. v.21. ipsas animæ facultates intus magis corrumpit, *Eph.*4.v.18. foris autem non nisi prava opera edit *Matt.* 15.v. 19. Ergò. III. A contrariis; Quod ex supernaturali gratiâ vivificatur, regeneratur, renovatur, sanctificatur, id naturâ est corruptum. Cor, sive voluntas hominis ex supernaturali gratiâ vivificatur, regeneratur, renovatur, sanctificatur *Eph.* 2. v. 1. *Col.* 2. v. 13. *Ioh.* 3. v. 5. 6. *Eph.*4. v.23. 1 *Thess.* 5. v. 23. Ergò. Atque hæc corruptio cordis sive voluntatis humanæ, propria & proxima causa est servitutis peccati, cui ipsa est obnoxia. *Posterioris.* I. In quibus facultatibus obtinet regnum peccati, in eisdem servitus ejus consistit, ex lege Relatorum. Atqui non in solâ voluntate, sed in omnibus animæ, corporisque facultatibus obtinet regnum peccati, juxta Apostolum, *Rom.* 6. 7. *capp.* Ergò. II. Secundum quas facultates homo dat operam peccato, secundum easdem peccati servus est, ipsius Christi testimonio *Ioh.* 8. v. 34. Secundum omnes animæ corporisque facultates homo dat operam peccato *Rom.* 3. v. 10. *Eph.* 4. v. 17. Ergò. III. Secundum quas facultates homo liberatur ab illa servitute, secundum eas dominio peccati fuit obnoxius. Secundum omnes facultates liberatur, non secundum solam voluntatem *Ioh.* 8. v. 36. *Rom.* 6. v.12. 1. *Thess.* 5.v.23. Ergò.

2. non sola serva peccati

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quest. & respons. octavam.*

In homine etiam post lapsum est liberum arbitrium, si modò id verum est, quod omnes concedunt, & ratio ipsa manifestè docet, primum hominem ita à Deo conditum fuisse, ut libero arbitrio preditus esset: Nulla enim causa est cur propter lapsum eo privari debuerit, quandoquidem nec rei ipsius natura id postulat, nec Dei justitia patitur, neque etiam inter pœnas, quibus Adæ peccatum punivit Deus, ejusmodi pœnæ ulla mentio exstat. Communiter quidem in homine naturâ exiguæ admodum sunt vires ad ea perficiendum, quæ Deus ab ipso requirit. At voluntas ad ea perficiendum omnibus adest naturâ. Nihilominus vires illæ non ita exiguæ sunt, quin possit

possit homo voluntati divinæ obsecundare, modo sibi ipsi vim facere velit, & auxilio divino juvetur: quod Deus nemini denegat eorum, quibus legem suam tulit.

Responsio.

Duo ἀντιθέσεως membra sunt, quorum alterum liberum arbitrium homini etiam post lapsum vendicat: alterum, quousque vis ejus pateat, exponit. *Prioris* ambigua est propositio. Non adimitur homini lapso liberum arbitrium absolutè dictum, aut Physicè consideratum; quatenus naturalem intelligendi, ac volendi facultatem significat: Sed Theologicè spectatum, & ad legem ac Euangelium relatum, quatenus bonum spirituale, quod in utroque proponitur, ex se, suisque viribus intelligere, velle, & perficere posse negatur. Ratio propositionis falsa est ob Elenchum parium: Neque enim ante & post lapsum eadem arbitrii humani conditio est. Ante lapsum fuit homo libero arbitrio ad bonum; ut qui bonus, rectus, justus, & sanctus erat conditus *Gen.* 1. v. 31. *Eccles.* 7. v. 29. *Eph.* 4. v. 24. Post lapsum verò malus, pravus, injustus, impurus factus suâ culpâ, arbitrium ad malum, liberum sibi contraxit. Quod ipsum tum primi peccati natura postulabat, quod erat totius generis humani universalis à Deo ἀποστασία atque defectio; tum Dei justitia requirebat, ut qui justo judicio peccatores constituit omnes posteros Adæ, propter transgressionem ipsius; *Rom.* 5. v. 16. 18. 19. tum etiam *Gen.* 3. in enumeratione pœnarum haud obscurè à Mose indicatur; prout supra ostensum est. In *altero* membro falsa sunt quinque hæc enunciata, quibus corrupti arbitrii vis definitur atque exprimitur. *Primum*, quod exiguæ admodum vires ad perficiendum bonum homini reliquæ sint. Apostolus enim omnes vires ipsi adimit, dicens: Christum, cum nullis adhuc viribus essemus, pro impiis mortuum esse *Rom.* 5. v. 6. *Secundum*, quod voluntas ad perficiendum bonum homini adsit naturâ. Scriptum enim est, Deum operari in nobis & ipsum velle, & ipsum perficere pro beneplacito voluntatis suæ *Phil.* 2. *vers.* 13. *Tertium*, quod possit homo etiam exiguis illis viribus obsecundare voluntati divinæ, bonumque perficere, modò non desit conatus. Non est enim volentis nec currentis sed miserentis Dei *Rom.* 9. v 16. *Quartum* quod auxilium gratiæ divinæ hominem sublevet, conatusque ejus adjuvet. Atqui vivifica-

Homo post lapsum habet Lib. Arbit physice, non theologice.

Arbitrii corrupti vires quæ.

re dicitur mortuum in peccatis, *Ephes.* 2. v. 1. regenerare corruptum, *Ioh.* 3. v. 5. 6. indere veteri homini cor novum, *Ezech.* 36. *vers.* 26. 27. absque omni ipsius sive operatione, sive cooperatione. *Quintum*, quod auxilium illud sit generale, omnibus commune, contra Apostolum, testificantem: Deum præteritis ætatibus sivisse omnes gentes suis ipsarum viis ingredi; *Actor.* 14. *vers.* 16. & ipsum Christum, dicentem; vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis non est datum *Matth.* 13. v. 11.

QUÆST. IX. Annon igitur Deus homini injuriam facit, qui ab eo in lege flagitet quæ præstare non queat?

RESP. *Minimè: Nam Deus hominem talem condiderat, ut ea præstare posset: verum homo, impulsore Diabolo, suâ ipsius contumaciâ, se, & omnem posteritatem divinis illis donis orbavit.*

EXEGESIS.

Doctrina de corruptione, & ἀδυναμίᾳ hominis ad servandam Dei legem, illustratur prolepsi, quæ ipsâ quæstione continetur formâ enthymematis. Deus in lege suâ flagitat ab homine quæ præstare non potest; Facit igitur illi injuriam. Hanc objectionem movet humana ratio, sui purgandi causâ; eaque nititur axiomate politico, sive forensi, Ad impossibile nemo obligatur: quo Pelagiani veteres, & novi in causæ hujus disceptatione frequenter usi sunt. Catechesis eam dissolvit, per inficiationem consequentiæ: Negat siquidem Deum flagitando impossibilia, injurium exsistere in hominem: duas potissimum ob causas. *Prior* est, quod Deus talem condiderit hominem, ut ea præstare potuerit, quæ nunc ipsi impossibilia sunt; Eadem igitur jure creationis meritò ab ipso requirit. Hæc ratio suprà quæstione Sextâ abundè confirmata est. *Altera* est, quòd homo suâ culpâ divinis illis donis fuerit orbatus; prout quæstione septimâ demonstratum est: Non ergo ullius injuriæ insimulare aut postulare Deum potest; qui ea non secus, quàm sacrum aliquod depositum ab ipso repetit, ac rectum

Deus flagitando impossibilia non est injustus. 1. q. condidit hominem talem qui posset ea præstare. 2. q. homo suâ culpâ donis illis orbatus est.

ctum eorum usum etiamnum exigit. Utramque rationem vehementer illustrat parabola Euangelica de iniquo dispensatore, qui dissipârat bona domini sui, *Luc.* 16. v. 1. *seqq.* & alia parabola de servo debitore, qui etsi nullâ parte posset satisfacere, ad solutionem tamen, quâcunque ratione, adigebatur *Matt.* 18. v. 23. *seqq.* Id ipsum quoque ratio justitiæ civilis comprobat. Quemadmodum enim in foro debitor is censetur, qui à creditore accepit mutuum, sive reddere possit, sive non; Ita postquam homo obediendi vires in creatione accepit à Deo, obedientiæ debitor est, sive possit eam præstare, sive non. Rursum, sicut injurius non est creditor, cum debitum postulat ab eo, qui intemperantiâ, & prodigalitate ad paupertatem redactus solvendo non est; ita nec injustus Deus, qui obedientiam legis exigit ab homine, cujus præstandæ facultatem ipse suâpte culpâ perdidit. Denique, ut judex summâ injuriâ creditorem afficeret, si debitorem prodigum excusaret: sic etiam injustus esset Deus, si hominem in injustitiâ suâ permanentem à debito legis absolveret. Cæterum ratio posterior à causis efficientibus, & subjectis in Catechesi declaratur. *Causæ efficientes* duæ indicantur, quarum altera externa fuit, & remota: altera interna, & proxima. *Illa* est *impulsus Diaboli*, sollicitantis & inducentis hominem ad peccatum *Gen.* 3. 1. *seq. Ioh.* 8. *v.* 44. 2. *Cor.* 11. v. 3. 1. *Tim.* 2. *v.* 14. *Modus* hujus impulsus fuit, quod ipse latens in serpente, eaq; instrumenta, q; ad vitę usum serpenti divinitus concessa sunt, adhibens, instituto colloquio, fructûs vetiti esum suasit, ac persuasit *Gen.* 3. *Gradus* ejus in historiâ lapsus quatuor distinctè recensentur, suntq; *Calumnia interdicti divini*, quòd iniquum esset, & malignum *Gen.* 3. v. 1. *Negatio comminationis divinæ*, quòd comedentes non essent morituri v. 4. *Insimulatio Dei tanquam invidi*, quasi invideret homini majus bonum v. 5. Et *pollicitatio æqualitatis cum Deo*, quam ex esu fructus vetiti posset consequi v. 5. *Ista* est *propria hominis contumacia*, quæ propterea cum causâ priore conjungitur, nè homo putetur culpæ expers esse, eò quòd à Diabolo seductus peccavit. Neque enim Diabolus coëgit hominem ad peccandum, sed ipse arbitrii, quâ pollebat, libertate deliberatò abusus, ultro consensit & ruit in malum. De hâc contumaciâ dictum, quod satis est, quæstione septimâ. *Subjecta* per amplificationem enunciantur; quod homo non solum se, sed & omnem posteritatem suam divinis illis donis orbaverit.

impulsu Satanæ.

propriâque contumaciâ,

se suosque posteros perdens.

Cujus ratio Exegesi quæstionis VII. luculenter explicata, & confirmata est. Illustrari verò usitatè solet feudi similitudine. Quemadmodum Vasallus, feloniâ in principem beneficiarium admissâ, feudum non sibi uni, sed toti posteritati suę deperdit; eundem in modum Adamus, qui Imaginem Dei, tanquam feudum à Deo acceperat, factâ defectione, tum sibi, tum omnibus suis hęredibus eam amisit.

Considerationes Catechetica Novatorum *ad quæstionem & resp. nonam.*

An Deus ab homine lapso obedientiam postularit, ante novum fœdus initum?

I. *Num Deus ab Adamo lapso, & defectionis reo, porrò obedientiam postulaverit, antequam novum cum illo fœdus iniverit; cum lex non videatur simul & ad obedientiam, & ad pœnam obligare; neque Deus legem præscribere credatur iis, qui fœderiis omnis prorsus expertes sunt.*

Resp. Ante promissionem de semine mulieris, Deus non quidem postulavit obedientiam novo aliquo mandato, i. Scripturis expresso: Adamus tamen obedientiam illam debuit non minus lapsus, quàm integer, cum utroque in statu fuerit creatura Dei, ad ejus obsequium obligata. Quod dicitur legem non simul obligare ad obedientiam & pœnam, de homine integro verum fuit; de corrupto falsum est. Hunc enim ad utramque obligat: ad pœnam, propter inobedientiam præteritam: ad obedientiam verò præsentem & futuram, propter officium, & obsequium Deo creatori, & conservatori perpetuò debitum. Præterea, etsi populi fœderati hæc prærogativa fuit, quòd Deus legem suam in normam cultus ei dignatus fuit promulgare, & præscribere: *Rom.* 3. v. 2. & *cap.* 9. v. 4. Nihilominus ii, qui à fœdere alieni sunt, *Ephes.* 2. v. 12. opus legis scriptum gerunt in cordibus suis; cujus magisterio intelligunt se non modò debere Deo obedientiam, verum etiam, si eam non præstent, inexcusabiles esse *Rom.* 1. & 2. *capp.*

An Deus satis excusetur ab injuria, cum privatio donorum culpæ accenseatur, quæ pœna est, à Deo inflicta?

II. *Num causa illa injuriam excuset*, Quod Deus hominem talem condiderit &c. *Cum privatio donorum sit pœna propter peccatum admissum, ab ipso Deo hominibus inflicta; propter quam num homo possit alterius criminis reus peragi à Deo, nisi ipsius alia culpa interveniat, perpendendum videtur.*

Resp. Causa in responsione Catechetica expressa sufficientissimè,

tiſſimè, & evidentiſſimè excuſat injuriam: quin imò omnem ejus ſpeciem diluit, ut modò fuit oſtenſum. Eſt ſanè privatio donorum Dei pœna antegreſſæ inobedientiæ Adæ, ſimul verò ejuſdem Adæ culpa eſt; partim quatenus dona illa contemſit, & abjecit: partim quatenus iis ornatus eſſe debuit; ſicut unum idemque in Scripturâ ſæpè culpæ, & pœnæ rationem ſuſtinet, quoties nimirum Deum peccata peccatis juſtè punire docetur. Ideoq; ex peccato originali laxius ſumto geminus reatus in nos dimanavit: Unus ex actuali tranſgreſſione Adæ nobis imputatâ *Rom.* 5. v. 12. *ſeqq.* 1. *Cor.* 15. v. 22. Alter ex eam ſecutâ depravatione, & vitioſitate naturæ quæ ſingulis inhæret, de quo eſt *Epheſ.* 2. v. 3. & alibi. Tertius, qui ex peccato actuali accedit, cum ipſo multiplicatur; ut quoties peccatur, toties novus reatus contrahatur; ſicut ſcriptum eſt Geneſ. 15. v. 16. *Nondum completa ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Et Matth. 23. v. 35. *ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, &c.*

An privatio donorum homini irrogata ſit ex merito?

III. *Num verba hæc*, Homo ſemet ipſum divinis illis donis orbavit, *ſignificent, id eum feciſſe meritoriè; ſic nempe ut ſtatuatur Deum hominem illis donis orbâſſe, hominem autem id meritum eſſe; ut iſtis à Deo privaretur. Id ſi ita habet, videndum quo loco habenda ſit illorum ſententia, qui ſtatuunt Deum ante perpetratum peccatum, homini vel ſubtraxiſſe, vel denegâſſe dona nonnulla neceſſaria, ut ſtare poſſet.*

Reſp. Expoſitionem illam verborum admittimus: cui minimè repugnat, quod de ſubtractione καταχρηστικῶς ſic dictâ, ſive donorum novorum denegatione objicitur. Nec enim illa pœnæ fuit, ſed explorationis; non etiam donorum ante collatorum privatio, ſed dilatio novorum, & omiſſio ſuccedaneæ gratiæ: quâ homo factus confirmatior conſtanter vellet permanere in ſuo ſtatu, quemadmodum prioris gratiæ beneficio permanere poterat.

An non voci *contumaciâ* ſubſtituendum *defectione voluntariâ*.

IV. *An non præſtet pro voce* moetwilligheyt / *id eſt*, contumaciȩ *ſubſtituere vocem* defectionis voluntariæ vrywilligen afval. *Cum Scriptura peccatum Adami nuſquam contumaciæ, ſed plerumque inobedientiæ nomine inſigniat.*

Reſp. Editio Germanica Catecheſeos, quæ ſola authentica eſt, habet Mutwilligen Ungehorſam / quâ voce utitur Apoſtolus *Roman.* 5. verſ. 19. Ad eam levi mutatione, hic, & alibi,

bi, versio Belgica potest revocari, si operæ precium videbitur.

An D D. Orthodoxi doceant Deum impellere hominem ad peccandum?

V. *Cum Catechesis dicat Adamum peccasse, impulsore Diabolo, quæritur; an non huic contradicant, qui dicunt Deum hominem ad peccandum occultâ ratione impellere.*

Resp. Calumnia atrox est, & palpabilis, doctores Orthodoxos affirmare, Deum impellere hominem ad peccandum, sicut impellit Diabolus. Nam Diabolus impellit ad peccatum, quâ peccatum, suggerendo illud, suadendo, instillando: Deus verò neutiquam impellit ad peccatum, quâ peccatum, sed movet creaturam corruptam ad exsequendum judicium suum, quod per accidens, vitio ac culpâ creaturæ peccatum est. Ita impulit Davidem ad numerandum populum, ex justâ irâ: quæ numeratio Davidis respectu peccatum erat, ex insolentiâ animi & propriarum virium fiducia profecta 2.*Samuel.*24 vers. 1.*seqq*.

Assertiones Novatorum.

Tria præterea alia notant Consideratores ad *ipsam* responsionem, quibus ea manifestè infringitur, penitusque evertitur.
1. *Primum*, frustra ad potentiam collatam in Adamo recurri, quando in novo fœdere Deus fœderatis promittit, se vires iis collaturum, quibus idonei reddi possunt ad ea, quæ postulantur, præstanda, pro novi fœderis ratione.
2. *Secundum*, frustra etiam obtendi amissionem donorum divinorum in Adamo: I. quia non sint amissa ab homine nisi meritoriè; hoc est, ipse homo ea non abjecit, sed Deus, ob inobedientiæ meritum, iis ipsum privavit? II. quia Deus novam obedientiam exigendo testatus sit, se hominem pro antecedentibus meritis nolle tractare.
3. *Tertium*, non removeri injuriam à Deo, si dicatur gravius hominem punire ob defectum ejus, quod in pœnam ab eo ipse abstulit, hoc est, si pœnam antecedentis peccati, sine ullo novo, eoque vitabili peccato interveniente, novâ Deus pœnâ puniat. Nam pœna non nisi iniquè in culpam imputari potest.

Resp. Tria hæc enunciata opposita sunt totidem partibus sive membris responsionis Catecheticæ, sed ordine inverso. Contradicunt autem non tam Catechesi, quàm ipsi Scripturæ, ex quâ desumta & formata est tota responsio.

Confutantur Prima.

Primum contradicit; quia Scriptura ad potentiam Adamo in creatione collatam nos revocat, *Gen.*5.v.1.*&* 3.*inter se collatis*, *Eccl.*7.v.29.*&* alibi.

Novum

Novum fœdus ad liberationis, non miseriæ doctrinam pertinet. Insuper ne externâ quidem œconomiâ commune est omnibus, ut omnes, & singuli dici possint fœderati Dei: tantum abest, ut quoad interiorem efficaciam, quâ Deus solis filiis promissionis vires confert ad præstandam obedientiam, inscribendo legem suam cordibus ipsorum, ad omnes, & singulos referri possit. *Secundum* contradicit, quia testatur Scriptura, Adamum dona divina in creatione accepta, sibi suisque amisisse *Rom.* 5. v. 12. *seqq.* 1. *Cor.* 15. v. 22. Nec valet illatio, Meritoriè dona illa amisit. Ergò non abjecit: quia abjiciendo meritus est eorum amissionem. Dum contemsit dona illa, tanquam conditione suâ inferiora, ea abjecit. Dum affectavit æqualitatem cum Deo, ea contemsit. Ergò etiam abjecit. Quod verò Deus exigendo ab homine novam obedientiam, testatus sit, nolle se pro antecedentibus meritis ipsum tractare, nec legaliter, nec Euangelicè verum est. Legaliter verum non est; quia exactio obedientiæ præsentis aut futuræ, non tollit reatum præteritæ inobedientiæ. Euangelicè quoque verum non est; quia non exactio novæ obedientiæ, sed fides in Christum adfert remissionem peccatorum ex promissione Dei: secus non rectè dixisset Johannes, iram Dei manere super incredulos *Iohann.* 3. v. 36. Quibus utique non minus nova obedientia, quam ipsa fides imperata est. *Tertium* contradicit, quia Scriptura justum Dei judicium in pœna peccati Adæ spectandum proponit *Roman.* 5. v. 16. *seqq.* Falsum verò est, quòd Deus antè abstulit homini suam imaginem, quàm ipsemet homo eam contemsit & abjecit: Falsum item, quòd nullum novum peccatum intervenerit. Certè corruptio naturæ secuta transgressionem Adæ fuit novum peccatum; quo ipse ante lapsum non laboravit. Illa autem intervenit ad novum reatum, *Ephes.* 2. v. 3. quia etiam natura ipsius conformis esse debuit legi Dei. Nec obstat; quod vitari non potuit: Nam etiam, quæ vitari non possunt, peccata sunt: & vitari non potuit culpa ipsius. Denique ambiguè dicitur, pœnam inique imputari in culpam. Valet illud de pœnâ simplice, quæ tantum pœna est: non valet illo genere pœnæ, quod subjecti patientis respectu simul culpæ rationem habet; de quo suprà.

Secunda.

Tertia.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæstionem, & resp. nonam.*

Deus in lege suâ non flagitat ab homine quæ ipse præstare non queat. I. quia alioquin illos, qui suis mandatis non obediunt, justè punire non posset. II. quia lex homini ad vitam data est Rom. 7. v. 10. *Nemo autem per legem vivit, nisi qui illam præstiterit* cap. 10. v. 5.

Responsio.

Lex homini corrupto præstitu impossibilis.

Hæc antithesis luculenter confutata est Exegesi Catecheticâ in quæstionem & responsionem quintam; quâ demonstratum fuit, & legem homini præstitu esse impossibilem, & ideò esse impossibilem, quod naturâ propensus sit ad odium Dei, & proximi. *Rationes*, quæ contra moventur, frivolæ sunt. *Prima* pura puta principii petitio est, quæ ne in humanis quidem, & civilibus obtinet; prout antè ostendimus. *Secunda* depravat mentem Apostoli. Loquitur is de lege per se, deque usu ejus circa hominem integrum, qui potest eam præstare. Hominis corrupti alia ratio est; cui si data fuisset lex ad vitam, data fuisset ad impossibile, *Roman.* 8. vers. 3. & introducta fuisset ad abolendam promissionem de Christo: quod negat Apostolus *Gal.* 3 vers. 17. 21. 22. *Rom.* 4. vers. 13. 14. Data igitur, vel potius repetita fuit lex homini post lapsum, ad agnitionem peccati & maledictionis, & ut ipsi esset pædagogus ad Christum: sicut iisdem locis fusè docetur.

Refelluntur objectiones. Prima. Secunda.

QUÆST. X. Num Deus contumaciam, & defectionem hominis dimittit impunitam.

RESP. *Imò verò horrendis modis irascitur, tum ob innata nobis peccata, tum ob ea quæ ipsimet committimus, eaque justissimo judicio, præsentibus & æternis suppliciis punit, quemadmodum ipse pronunciat;* Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut ea faciat.

EXE-

EXEGESIS.

HUcusque pertractata, & explicata est pars integrans prior miseriæ humanæ, quæ in culpâ, sivè peccato hominis consistit. Succedit posterior, *de pœnâ peccati*: quam Catechesis hâc quæstione initio declarat commemoratione pœnarum, indè sanctione divinâ legi additâ confirmat. Pœnas autem duas ordine proponit & exponit. *Prima* est *Ira Dei* adversus peccata, qui horrendis modis irasci dicitur peccatis. Est verò ira illa non πάθος, aut affectus, aut animi commotio, & perturbatio in Deo; sed justissima ipsius voluntas, quâ aversus à peccatoribus, iisque infensus vindictam in eos parat, propter peccata ipsorum; prout his, & similibus locis, vox sumitur: *Psal*. 6. v. 1. *Esa*. 5. v. 25. *Ioh*. 3. v. 36. Hæc ira Dei amplificatur ab adjunctâ gravitate, quòd horrenda, tremenda sit, *Hebr*. 10. v. 31. cujus furor ardet usque ad inferni novissima *Deuter*. 32. v. 22. & ignis instar peccatores consumit *cap*. 4. v. 24. Declaratur verò à caussis impulsivis quibus illa accenditur & concitatur. Ea sunt peccatatum innata, sive originalia, ut veteres locuti sunt, tum actualia, quæ ipsi committimus: quomodo peccatum ex caussis efficientibus, procreantibus, usitatè distinguitur. Sed cum utraque hac specie peccati conjungenda est defectio, & contumacia primi hominis, cujus in ipsâ quæstione mentio fit. Siquidem primò concitata est ira Dei transgressione Adæ adversus ipsum, & totum genus humanum: Genes. 3. v. 17. seqq. *Maledicta esto terra propter te* &c. Rom. 5. vers. 16. & seqq. *Reatus est ex unâ offensâ ad condemnationem* &c. Inde concitata incumbit toti generi humano, propter corruptionem; sicut omnes dicimur filii iræ naturâ, *Ephes*. 2. v. 3. & transgressores abominabiles indè ab utero *Esa*. 48. v. 8. Tertiò peccatis actualibus, quæ singuli committimus, quotidiè augetur: sicut scriptum est Rom. 1. v. 18. *Revelatur ira Dei è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum*. Et cap. 2. v. 5. *Thesaurizas tibi iram in diem iræ*. *Altera* est *ira hujus exsecutio & demonstratio*, quæ tamen etiam per metonymiam efficientis Ira appellatur *Rom*. 1. v. 18. *Matth*. 3. v. 7. *Ephes*. 5. v. 6. Hæc demonstratio justissima est, quæ fit justissimo Dei judicio, judicantis in justitia, & rectitudine, *Psal*. 11. v. 9.

Pœnæ peccati sunt

ira Dei,

ejusque exsecutio.

Esa. 11. v.4. secundum veritatem legis suæ, *Rom.* 2. v. 2. 12. & gemino pœnarum genere perficitur, quarum aliæ temporales sunt, aliæ æternæ: factâ earum distributione ex adjuncto durationis. *Pœnæ temporales* sunt omnes hujus vitæ calamitates, quas Deus propter peccata hominibus immittit, & irrogat: earum longum Catalogum texit Moses *Deut.* 27. *&* 28. *capp.* *Pœnæ æternæ* sunt sempiterni cruciatus damnandorum in gehennâ ignis; de quibus loquitur Christus, *Matth.* 25. v.41. & vaticinatus est Esaias *cap.* 66. v. 24. Sed Catechesis utrumque hoc genus confirmat Sanctione generali legis divinæ, quæ exstat *Deut.* 27. v. 26. *Maledictus omnis qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut ea faciat*: Ubi I. Maledictio & ira Dei omnibus, & singulis peccatis denunciatur. II. Ad pœnas temporales & æternas extenditur; ex interpretatione Mosis, *Deut.* 27. *&* 28. & ipsius Christi *Matth.* 25. v. 41.

per pœnas temporales, & æternas.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst: & respons: decimam.*

I. *Quomodo sint accipiendæ voces istæ,* Contumacia & defectio: *num defectionem & inobedientiam primorum nostrorum parentum in paradiso adversus legem tum temporis ipsis datam, an vero proprium uniuscujusque peccatum actuale, an utrumque simul designent. Si primum asseratur, expendendum est; num rectè tum quæratur, an Deus illam inobedientiam dimittat impunitam, cum jam ante dictum sit, Adamum, cum omni suâ posteritate, propter illam punitum privatione donorum divinorum; posteros verò insuper conceptione & nativitate in peccato. Secundum si dicitur, videndum num satis opportunè, & convenienter ista hoc loco dicantur, cum hucusque nulla actualium cujusquam peccatorum & propriæ defectionis facta sit mentio. Vtrumque si asseritur, cogitandum num præstet alio modo quæstionem hanc proponi; hoc nempè,* Num Deus hominis inobedientiam alio etiam modo puniat, quàm suprâ dictum est.

An contumacia hic intelligatur de peccato Adami vel uniuscujusque hominis, vel utroque simul?

Resp. Vocum illarum significatio manifesta est, ex præcedente responsione: ubi de primorum nostrorum parentum peccato in paradiso admisso explicantur, non exclusis tamen primi illius peccati effectis, quæ in vitiositate naturæ, & pravitate actionum cernuntur. Nihilominus rectè quæritur de contumaciæ illius,

illius, & defectionis pœnâ. Nam quæ de privatione donorum divinorum, & corruptione naturæ indè ab utero antè dicta sunt, ad culpam hominis referuntur, non ad justam ejus pœnam: sicut Catechesis tractationem de culpâ & pœna accuratè dispescuit. Peccati actualis verò quod commoda hîc fiat mentio, facilè intelliget, quisquis quæstionem quintam & octavam cum hac ipsâ diligenter contulerit; ut nullâ prorsus mutatione sit opus.

An corruptio nostra rectè plurali numero enuncietur?

II. *An in responsione pravitas, & corruptio, quæ nobis ex inobedientiâ primorum parentum est innata, rectè plurali numero dicatur* peccata nobis innata.

Resp. De hâc consideratione dictum, quod satis est, ad considerationem secundam quæstionis septimæ.

An rectè hîc fiat mentio peccatorum actualium?

III. *Cum nullibi antea mentio facta sit peccatorum ullorum quæ in propriis personis, præter peccatum hoc primum Adami, perpetraverimus, quæritur num aptè satis hoc loco eorundem fiat mentio in illis vocibus*, tum quæ ipsi committimus.

Resp. Consideratio hæc asserere videtur, etiam primum peccatum à nobis in propriis personis patratum fuisse: Contrà docet Apostolus omnes nos in Adamo peccasse, in quo eramus δυνάμει, sive originaliter, *Rom.* 5.v. 12. 1. *Cor.* 15.v.22. Cæterum quod peccatorum actualium hoc loco opportunè meminerit Catechesis, ex antedictis clarum est. Et proclivitas ad omne malum, de quâ quæstione VIII. est inclinatio ad quodvis actuale peccatum: propensio item ad odium Dei, & proximi, de quâ quæst.v. talis est, quæ subindè exit in actum, imò, quæ in perpetuo quasi actu occupatur.

An non etiam diserta mentio facienda sit peccatorum sub fœdere Euangelico commissorum?

IV. *Cum hæc omnia eò tendant, ut miseriæ nostræ magnitudo quàm maximè nobis innotescat, considerandum venit, num ad id sufficiat agnitio transgressionis nostræ in Adamo, quæ solummodo adversus legem & fœdus legale perpetrata est; an verò ad hoc potissimum etiam requiratur agnitio peccatorum, quæ nos singuli perpetravimus partim adversus Euangelium gratiæ, ut sunt infidelitas & impœnitentia; partim adversus legem, sed sub novo, & Euangelico fœdere nobis propositam; Cum miserior certè sit quicunque adversus gratiam Euangelicam, quàm qui adversus legem peccaverit* Hebr. 6. & 10. capp.

Resp. Parte primâ Catecheseωs traditur agnitio miseriæ & peccatorum, quæ vocationem hominis ad Christum per Euangelium, & statum regenerationis antecedunt: qualis nobis describitur,

Rom. 1. 2. 3. *capp. Eph.* 2. 4. *capp. Tit.* 3. *cap.* De cæteris peccatis, quæ vocationem ejus & regenerationem consequuntur, agetur parte secundâ & tertiâ. Interim falsum est, ad cognoscendam magnitudinem nostræ miseriæ, ex mente Catecheseως, sufficere agnitionem transgressionis nostræ in Adamo; cum ea distinctè proponatur, initiò quidem in peccato tum primo, tum originali, tum actuali: post verò in temporalibus & æternis pœnis omnium & singulorum peccatorum.

An partes miseriæ recto ordine dispositæ sint?

V. *Num partes miseriæ nostræ ordine recto satis sint dispositæ: cum peccatum Adami, & Evæ primò promeruerit iram Dei, & indè ablationem spiritus sanctimoniæ, qui est signaculum favoris divini, & sine bonâ conscientiâ consistere nequit: quâ per peccatum amissâ, etiam ipse spiritus inhabitans, regens, testificans, & consolans amittitur, & excutitur.*

Resp. Optimo ordine dispositæ sunt partes miseriæ nostræ, ad captum populi singulari prudentiâ accommodatæ; ut ante ostendimus. Ab hoc ordine simul, & ab ipsâ veritate descîscit is, quem Consideratores fingunt, ac præscribunt; quatenus privationem spiritus Sanctimoniæ, & donorum Dei pro nudâ pœnâ reputant: corruptionem naturæ peccatum propriè dictum esse tacite negant: denique homini integro, nec dum ulli miseriæ obnoxio, Spiritum consolationis attribuunt.

An sanctio *Deut.* 27. v. 26. peccato orig. quoque accommodari queat?

VI. *An locus scripturæ*, Maledictus qui non *&c. peccato innato accommodari possit, an vero peccatis tantum actualibus, quæ ipsi committimus, aptari debeat.*

Resp. Utriusque generis peccatis ritè potest accommodari. Ratio est, quia non permanemus in lege, non solum ἀνομίᾳ actionum, sed etiam ἀταξίᾳ naturæ, & potentiarum ac inclinationum ejus: ut patet ex sententiâ præcepti decimi. Et transgressores indè ab utero vocamur *Esa.* 48. v. 8. Atqui non illo modo. Ergo isto, & sic in lege, inde ab utero non permansimus. Sed demus locum intelligendum esse de peccatis actualibus, propter sequentia, *ut faciat ea*; tamen innatum illud peccatum non excluditur, sed includitur per metonymiam effecti: utpote ex quo, tanquam impuro fonte, omnia peccata actualia scaturiunt & profluunt *Matt.* 15. v. 19.

Hæc de *considerationibus* Novatorum. *Controversia*, quam circa

circa eandem quæstionem ex professo movent, est ista; *Num Deus propter innatum nobis peccatum originale irascatur*; sive, *An peccatum originale sit causa sufficiens damnationis, ut propter illud homines adulti, inprimis autem infantes condemnari possint.* Sententiam *negativam* his demonstrare, ac propugnare conatur argumentis. I. Quia peccatum originale in pœnam peccati actualis ab Adamo, & à nobis in illo perpetrati, à Deo nobis inflictum est. Foret enim progressus in infinitum, si Deus propter peccatum actuale Adami puniret nos in illo peccato originali; & rursus propter illud nobis irasceretur, & aliam pœnam infligeret, & simili de causa propter ipsam secundò inflictam pœnam tertiò irasceretur, succedentibus sibi mutuò & sæpè reatu, & pœnâ, sine interventu ullius actualis peccati. II. Quia Deus universum genus humanum in gratiam reconciliationis assumsit, & cum Adamo omnibusque ejus posteris in eo gratiæ fœdus inivit, redintegratum post modum cum Noacho, & per Christum consummatum; in quo remissionem peccatorum omnium pollicetur, quotquot in illo fœdere perstabunt, & adversus illud non prævaricabuntur. III. Cum Deus ipsi Adamo, qui in propriâ personâ peccavit liberâ voluntate, peccatum illud condonaverit; nulla est ratio, cur Deus hoc peccatum posteris ipsius, inprimis infantibus, imputare voluerit, qui in Adamo peccâsse dicuntur, cum nondum exsisterent. IV. Quia Deus sic cum infantibus rigidius ageret, quàm cum ipsis Diabolis. Rigor Dei adversus angelos apostatas fuit summus, eo quod ipsis peccatum ab iis perpetratum condonare noluit. Rigor idem adversus infantes, qui propter Aadmi peccatum condemnantur: at eò major, quòd omnes angeli, in suis propriis personis peccarunt, infantes in personâ primævi parentis Adami.

An peccatum Orig. sit causa sufficiens damnationis?
Negant Novatores.
1. q. sit pœna peccati Adæ
2. q. Deus universum Genus Hum. in gratiam assumserit.
3. q. Deus peccatum primum Adamo condonaverit.
4. q. sic pejor infantium conditio esset quam Diabolorum

Resp. Nos contrà sententiam *affirmantem*, ut veram, amplectimur, atque ex Scripturis divinis tuemur; quòd nimirum Deus irascatur, & puniat homines sive adultos, sive infantes, propter innatum peccatum originale, inque eo sufficientem justissimæ condemnationis causam reperiat; nisi fiat remissio propter Filium Dei mediatorem *Rationes* è multis hæ sunt. I. *Eph.* 2. v. 3. Dicimur filii iræ naturâ. Ergò propter corruptionem naturæ indè à nativitate iræ Dei sumus obnoxii. II. Quibus Deus mortem infligit in pœnam peccati originalis, illis irascitur propter innatum

Affirmant Orthodoxi.
1. q. sumus filii iræ naturâ.
2. q. Deus mortem infligit in pœnam peccati orig.

natum peccatum; quia Dei irasci est punire *Rom.* 1. v. 18. *Eph* 5. v. 6. Atqui infantibus mortem infligit, in pœnam peccati originalis *Rom.* 5. v. 14. Ergò. III. Quod legi repugnat, propter illud Deus irascitur, inque eo sufficientem condemnationis causam reperit. Ratio, quia maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis *Deut.* 27. v. 26. Atqui innatum peccatum originale legi repugnat, tum quia damnatur præcepto decimo, *Rom.* 7. v. 8. tum quia ἀνομίαν esse propriè dictam alibi ostendimus. Ergò.

3. q. peccatum orig. repugnat Legi.

Ἔλεγχος argumentorum contrariorum. Primi.

Ad argumenta Novatorum sic ordinè respondemus. *Primum* nititur falsa hypothesi, quòd peccatum originale tantum sit pœna transgressionis Adæ, non nova hominis culpa. Contrarium antè demonstratum est. Nec sic itur in infinitum, verum duplicato peccato, reatus quoque & pœna duplicatur, quarum una est ex actuali transgressione Adæ, *Rom.* 5. v. 12. *seqq.* altera ex inhærente singulis naturæ pravitate *Eph.* 2. v. 3. Peccata actualia, quæ ex ea proveniunt, in quantum multiplicantur, tantum etiam multiplicatur reatus, & pœna: quia singulorum peccatorum stipendium est mors *Rom.* 6. v. 23. & *cap.* 1. v. 32. *Secundum* similiter substernit falsam hypothesin de omnium & singulorum reconciliatione, & in fœdus gratiæ assumtione. Hujus fœderis formulam neque in Veteri, neque in Novo Testamento licet reperire; utrumque autem gratiam reconciliationis ad certum genus hominum restringit. Præterea gratia illa oblata est Adamo formâ simplicis promissionis, nec aliter repetita fuit Noacho: Abrahamo autem solenni fœderis pactione confirmata est *Gal.* 3. v. 17. Denique in eodem fœdere non antecedentium modò, sed etiam consequentium peccatorum venia, non tamen absque castigatione, fœderatis proponitur 2. *Sam.* 7. v. 14. *Psal.* 89. v. 31. *seqq.* iisdemque finalis perseverantia promittitur *Ierem.* 32. v. 39. 40. *Tertium* in formâ sic habet: Deus ipsi Adamo condonavit peccatum originale. Ergo nihil causæ est, cur illud in posteris ipsius punire velit. Ratio; quia ille in suâ personâ, hi in ipso peccarunt. Hic initio negatur sequela, quia condonavit ipsi ut personalem culpam, imputat posteris ipsius ut offensam universalem; *Rom.* 5. v. 12. condonavit ipsi liberrimâ gratiâ, his imputat justissimo judicio v. 16. Deindè non punit illud in omnibus posteris ipsius; sed multis eorum unà cum ipso gratiã facit; sicuti multi dicuntur justi con-

secundi,

tertii.

constitui per Christum. v. 29. Postremò, quos punit Deus propter peccatum Adæ, non propter illud solum punit, sed etiam propter aliud ex eo natum, singulisque innatum, à quo singuli in suâ personâ filii iræ, & transgressores ab utero denominantur *Eph.* 2. v. 3. *Esa.* 48. v. 8. *Quartum* est manifesta calumnia justitiæ divinæ, cujus ipsi abyssum adorare debebant, non sugillare, aut culpare incomprehensibilem ejus administrationem *Rom.* 11. v. 33. 34. Rigor Dei in infantes, quantus quantus est, justissimus est, tum quia & ipsi rei facti in Adamo, ut disertè testatur Apostolus *Rom.* 5. v. 14. tum quia in se corrupti, & iræ filii sunt, ut pote ex carne geniti *Ioh.* 3. v. 6. Hinc morti, *Rom* 5. v. 14. & aliis vitæ humanæ etiam gravissimis calamitatibus, *Gen.* 7. v. 11. *seqq. cap.* 19. *vers.* 24. *seqq.* non minus, quàm adulti subjiciuntur. Et si catulum lupinum, nec dum ullas oves deprædatum, aut juvenem serpentem jure merito occidimus, propter rapacis & venenatæ naturæ vitium; quidni Deus possit etiam infantes condemnare propter naturam peccato contaminatam & depravatam. Sunt ergò non tantùm in Adamo, sed etiam in se ipsis peccatores, & iræ filii. Quo enervatur, & rejicitur iniquissima comparatio ipsorum cum Diabolis, quorum certè pœna multò gravior, quàm quorumvis, vel saltem plerorumque adultorum futura est. Hæc in genere de jure Dei etiam in infantes; In specie autem infantes fidelium à merita condemnatione liberati confidimus per gratiam; infidelium verò, consilio, & judicio Dei humiliter permittimus.

quarti.

QUÆST. XI. An non igitur est misericors?

RESP. *Est ille quidem misericors, verùm ità ut etiam sit justus. Qua propter postulat ejus justitia, quod adversus summam Dei Majestatem commissum est, id quoque ut summis, hoc est sempternis, cum animi tum corporis suppliciis luatur.*

EXEGESIS.

OBjectio est contra doctrinam de pœnâ peccati quæstione antecedente expositam: quæ propterea movetur, nè ratio

humana obtentu misericordiæ Dei, magnitudinem iræ ejus ac miseriæ nostræ extenuet; atque etiam ut viam sternat Catechesis ad alteram partem de liberatione hominis. Est autem talis: Deus est misericors. Non igitur peccata hominis tam graviter punit. Respondet Catechesis concessione antecedentis, sed inficiatione consequentiæ, propter conjunctam misericordiæ justitiam. Est sane Deus misericors, imò summè misericors; quia misericordiam inter præcipuas suas virtutes numerat Exod. 34. v. 6. *Iehova misericors, & miserator, tardus ad iram, & multus misericordiâ, & veritate, servans misericordiam millibus.* Psal. 103. v. 8. *Misericors & gratiosus Iehova, longanimis, & multus benignitate.* Simul vero etiam justus, imò summè justus est, qui justitiam suam non minus prædicat ac commendat, Exod. 34. v. 7. *Iehova nullo pacto absolvit sontem, visitans iniquitatem Patrum in filios, & in filios filiorum, in nepotes & in abnepotes.* Psal. 5. v. 5. 6. *Deus fortis non delectatur iniquitate, non commoratutrum est apud eum malum; odit omnes, qui operam dant iniquitati, perdit loquentes mendacium.* Et hæc justitia adeò non pugnat cum misericordiâ ipsius, ut ut propter contraria effecta ei opposita videatur, ut utraque proprietas passim conjungatur, & iisdem locis Deo attribuatur *Exod. 20. vers. 5. 6. cap. 34. vers. 6. 7. Psal. 145. vers. 7. Nahum. 1. vers. 3.* Hinc subsumit Catechesis justitiam Dei postulare, ut peccatum summis suppliciis puniatur: ratione additâ ab objecto, quod est summa Dei majestas, per illud violata; sicut scriptum est, *Tibi, tibi soli peccavi Psal. 51. vers. 6.* Est enim proprium justitiæ servare proportionem inter culpam & pœnam *Rom. 2. vers. 6. 2. Thess. 1. vers. 5. 6. 7.* Proinde concludit, misericordiam Dei summa supplicia adversus peccatores neque tollere, neque impedire. Talia verò supplicia duobus describit argumentis; adjuncto durationis, & subjectis recipientibus. Adjunctum durationis est illorum æternitas, quia sempiterna sunt, nunquam finienda; ut ante dictum. Subjecta recipientia sunt, anima & corpus, quæ pariter conjicientur in gehennam ignis; quandoquidem pariter peccarunt: Anima principaliter, *Matth. 10. v. 28.* corpus instrumentaliter *Rom. 6. v. 12. 13.*

Deus est summe misericors,

& summæ justus.

Sine contrarietate.

Proportio pœna est ex objecto peccati.

summa supplicia quæ.

Conside-

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæstionem,& resp. undecimam.*

I. *An justitia, & misericordia rectè satis hic opponantur; cum justitia propriè significet rectitudinem & æquitatem, secundum quam Deus omnia administrat, quo sensu ejus misericordia etiam justa est; hic verò justitiæ nomine severitas intelligatur.* An justitia & misericordia rectè opponantur?

Resp. Nodum, quem nectunt, solvunt ipsi. Si justitia est hic severitas, sivè justitia particularis distributiva, puniens & vindicans peccata, certè non est justitia universalis, quæ tum particularem hanc, tum misericordiam, tum reliquas Dei virtutes complectitur. Opponuntur autem justitia puniens, & misericordia parcens, eo modo, quo in sanctione præcepti secundi, *Exod.* 20. v. 4. 5. nimirum contrariorum effectorum respectu, non autem quasi sint contrariæ qualitates in Deo.

II. *Num peccatum simpliciter & absolutè summum supplicium mereatur, eo quòd adversus summam Dei majestatem commissum sit; & an Scriptura hanc causam ullibi alleget; quove modo ex eo non sequatur, peccata omnia esse paria, juxta Stoicorum axioma; quod vel eo nomine Christianis maximè rejiciendum videtur, quod Sacra Scriptura apertè satis pœnarum gradus constituat, graviores quibusdam pœnas denunciet, & mensuram peccatorum impleri interdum testetur.* An peccatum, quia commissum contra Deum, summum supplicium mereatur; eoque omnia peccata sint paria?

Resp. Imò simpliciter meretur tale supplicium, quia Dei summi illius boni dedecoratio est; quam causam allegat Apostolus *Rom.* 2. v. 23. 24. & alibi. Indè verò nec sequitur, nec stabilitur παράδοξον Stoicorum de æqualitate pœnarum; quia etiam summi illius, & sempiterni supplicii gradus sunt; ut docet Servator noster *Matth.* 11. v. 22. 24. & alibi. Sophisticantur igitur in terminis simpliciter summi supplicii.

III. *Num Scriptura doceat justitiam Dei absolutè & simpliciter postulare, ut peccatum puniatur eâ pœnâ, quam secundum sui gravitatem est commeritum; sic, ut Deus non possit illud condonare, nisi illatâ vel peccatori ipsi, vel alteri alicui pœna condigna.* An justitia Dei simpliciter postulet, ut peccatum puniatur?

Resp. Docet Scriptura Deum non modò odisse, & aversari omne peccatum, *Psal.* 5. v. 5. 6. & *Psal.* 45. v. 8. sed etiam hoc esse δικαίωμα, jus ipsius, ut qui faciunt peccatum digni sint morte *Rom.* 1. v. 32. Item justum esse apud ipsum afflictionem redde-

reddere iis, qui pios affligunt 2. *Theſſ.* 1. v. 6. Eſt igitur hæc juſtitia ipſi naturalis; quam tamen non niſi liberrimâ voluntate exſerit & oſtendit: ſicut homo, cui maximè naturalis ratio eſt, actus rationis non niſi volens exercet. Sed de naturali juſtitiâ Dei quam hîc obiter attingunt Novatores, Sociniani autem apertè oppugnant, infrà articulo de morte, ac ſatisfactione Chriſti agetur.

Epilogus.

Diſcrimen Theologiæ & Philoſophiæ in tradendâ agnitione miſeriæ.

Sic igitur prima Catecheſeos pars, *de Miſeriâ humanâ*, diſtinctè explicata eſt in Culpâ & Pœnâ. Ex quâ explicatione difficile non eſt eruere, & conſtituere diſcrimen, quo Theologia, & Philoſophia, ſive ratio humana, miſeriæ humanæ agnitionem tradit. Eſt autem quadruplex. *Primum* in cauſa efficiente. *Philoſophia* ignorat primam originem peccati, ignorat etiam proximam cauſam illius corruptionis, per quam fit ut etiam illi, qui conantur mores ſuos aliquâ diligentiâ gubernare, ſæpè tamen *turpiſſimè* impingant. *Theologia* monſtrat, & explicat primam originem peccati in lapſu Adæ, *Rom.* 5. v. 12. *ſeqq.* 1. *Cor.* 15. v. 22. Cauſam item proximam pravitatis noſtræ, in vitioſitate naturæ, generando in nos propagatâ *Ioh.* 3. v. 6. *Eph.* 2. v. 3. *Alterum* in cauſa materiali, ſive in objecto. *Philoſophia* dicit, vitium eſſe, quod pugnat cum judicio rationis. *Theologia* tradit aliam regulam agnoſcendi, & dijudicandi peccata, normam ſcilicet legis divinę in verbo patefactam *Rom.* 3. v. 20. *cap.* 7. v. 7. 8. *Tertium* eſt in cauſâ formali. *Philoſophia* illa tantùm agnoſcit peccata, quæ conſiſtunt, vel in externis actionibus, vel in exceſſu craſſiorum affectuum, & immoderatioris appetitus, hoc eſt fructus peccati aliquo modo intelligit. *Theologia* verò monſtrat ipſam radicem, & peccati arguit totum veterem hominem, *Rom.* 6. v. 6. præterea peccati etiam arguit pręſtantiſſima quæque opera, quæ fiunt ſine fide, & internâ cordis obedientiâ *Rom.* 14. v. 24. 1. *Tim.* 1. v. 5. *Quartum* eſt in cauſâ finali, & effectis. *Leges Politicæ* loquuntur de pœnis civilibus: *Philoſophi* quædam addunt de cruciatibus conſcientiæ: *Poëtæ* aliquid ſomniant de pœnis poſt hanc vitam. Sola verò *Theologia* monſtrat id quod hîc præcipuum eſt, nempè reatum iræ Dei; tum etiam pœnas non ſolum corporales, ſed etiam æternas, hujus & futuræ vitæ *Ioh.* 3. v. 36. *Rom.* 2. v. 9. *Marc.* 9. v. 44.

1. quod efficientem.

2. quoad objectum.

3. quoad formam.

4. quoad finem & effecta.

SECUNDA

SECUNDA PARS

De

LIBERATIONE HOMINIS.

EXEGESIS.

LIBERATIO est nomen relativum, non minus, quàm vox primitiva *Liber*, relationem habens ad servitutem, cui homo post lapsum est obnoxius, sicut relatio illa exprimitur *Ioh.* 8. v. 34. 35. 36. *Rom.* 7. v. 24. *Servitus* autem duplex est, pro duplici parte miseriæ humanæ ante expositâ: una *peccati*, quo homo corruptus est totus; altera *pœnæ*, cui justo Dei judicio subjectus est. *Liberatio* igitur ab utraque servitute intelligitur, tùm *peccati*, quod est ejus condonatio, ut non imputetur, & abolitio per renovationem naturæ, ut non dominetur; tum etiam *pœnæ*, quæ est ejus translatio ut non irrogetur ipsi peccatori. In se una est liberatio, sed partium respectu gemina fit. Est etiam liberatio perfecta, sed perfectione partium in hâc vitâ, quia *sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato* 1. Joh. 1. v. 7. *Nec ulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu, Rom.* 8. v. 1. perfectione graduum in vitâ alterâ, ubi omnes lachrymæ abstergentur ab oculis nostris, imago Dei perfecta instaurabitur in nobis, & Deus erit omnia in omnibus *Esa.* 25. v. 8. 1. *Cor.* 13. v. 10. *cap.* 15. v. 28. Describitur autem liberatio mentione *subjecti* *seu* & recipientis, quod est homo, non universaliter, sed indefinitè consideratus, juxta explicationem quæstionis xx. Etsi enim præter hominem Angeli quoque sunt miseri, 2. *Petr.* 2. v. 4. *Judæ* v. 6. tamen non illis sed huic destinata est, & obtingit liberatio, pro illâ φιλανθρωπίᾳ, quam placuit Deo ostendere in genere humano lapso *Tit.* 3. v. 4. Ideo liberator Christus, non Angelos sed semen Abrahæ assumsit, *Hebr.* 2. v. 16. nec Angelus Angelorum, sed Homo Hominum factus est mediator 1. *Tim.* 2. v. 5. Liberatio verò quà etiam creaturæ inanimatæ vindicandæ dicuntur, à servitute corruptionis, in liber-

[Margin notes: Liberatio est. — à servitute. — peccati. — & pœnæ. — Estque perfecta. — Subjectum Liberationis Homo. — Liberatio creaturarum inanimatarum qualis.]

libertatem gloriæ filiorum Dei, *Rom.* 8. v. 20. 21. alius est generis, nec tam propter ipsas, quàm propter Filios Dei futura est, ut ad perfectam hominis liberationem referri jure possit, ac meritò debeat.

Hæc pars Catecheseos ordine secunda est, & primam sequitur, quemadmodum in medicina partem παθολογικὴν, quæ est de morbis, & causis morborum, excipit θεραπευτική, quæ agit de remediis. Nam cognito peccato ejusque pœnâ, cognoscendum est utriusque remedium, ne desperatione absorbeatur peccator, vel saltem, ne modum liberationis sibi fingat ipse, cum ignominia nominis divini, & salutis suæ jactura irreparabili. Initio autem hujus partis proponitur acquisitio liberationis, facta per mediatorem; indè participatio ejus, quæ per fidem fit, subjicitur.

QUÆST. XII. Quoniam igitur justo Dei judicio temporalibus & æternis pœnis obnoxii sumus, estne reliqua ulla ratio aut via, quâ his pœnis liberemur, & Deo reconciliemur?

RESP. *Vult Deus justitiæ suæ satisfieri, quocirca necesse est vel per nos, vel per alium satisfaciamus.*

EXEGESIS.

AD explicandam doctrinam de liberatione hominis Catechesis accedit perfecta transitione, antè dicta paucis repetens, & dicenda verbo attingens. Sicut autem in tractatione didascalica prima quæstio esse solet, An sit: ita hîc, an sit aliqua liberatio, vel, num ea possibilis sit, primo loco quæritur. Respondetur autem esse possibilem, argumento ab effecto conditionato, si satisfiat justitiæ Dei, cui ipse omnino velit satisfieri. Est enim hoc δικαίωμα, jus ipsius, ut qui faciunt peccata, digni sint morte, *Rom.* 1. v. 32. cui juri non magis renunciare, quàm se ipsum potest abnegare 2. *Tim.* 2. v. 13. Et verbo suo rotundè declaravit, quod nolit justificare impium *Exod.* 34. v. 7. Vult igitur, & exigit satisfactionem pro peccatis ipsius. *Modus satisfactionis* hic non indicatur, exponitur verò in sequentibus. Generatim

Liberatio est per Satisfactionem.

Modus Satisfactionis.

ratim duplex eſt; *Vnus* per obedientiam *Lev.*18.v.5. *Alter* per pœnam *Deut.* 27. v. 26. *Gal.* 3. v. 13. *Prior* modus poſt lapſum hominis non habet locum, quia præcedens obedientia jam eſt violata: ſequens verò obedientia pro priore offenſa ſatisfacere non poteſt, cùm homo ad eam tanquam præſens debitum quovis momento obligetur. Valet ergò modus *poſterior* ſatisfactionis per pœnam ſufficientem, æquivalentem peccato, qui & à Deo requiritur, & in Catecheſi intelligitur. Ab hac ſatisfactione, tanquam ex propriâ cauſâ pendet expurgatio peccati, & naturæ corruptæ regeneratio, *Rom.*6.v.4.5.6. *Gal.*3.v.13.14. 1.*Petr.*2.24. quâ fit, ut homo tandem deſiſtat à peccatis, nec novis offenſis gratiam liberationis irritam reddat *Rom.* 6. v.1.*ſeqq.* Hanc Deus etjam requirit ad liberationem; At non in precium ſatisfactionis, verùm in teſtimonium gratitudinis. Cæterum declaratur iſta ſatisfactio ex *cauſis efficientibus* procreantibus, per diſtributionem; Ejus cauſæ Efficientes. neceſſe eſt, vel per Nos, vel per alium ſatisfaciamus, qui nimirum ſponſor, & mediator ſit inter Deum offenſum, & nos offendentes *Heb.*7.v.22. 1.*Tim.*2.v.5. Per nos debebat fieri ſatisfactio ſecundùm ἀκριβοδίκαιον legis, ſicut ſcriptum eſt, Geneſ.2.v.17. *quocunque die comederis, morte morieris.* Ezech.18.v.4. *Anima, quæ peccavit, ipſa morietur.* Per alium fieri potuit, & facta eſt ſecundùm ἐπιείκειαν Euangelii, de quâ ita Apoſtolus, Rom.8.v.3. *Quod legi erat impoſſibile, hoc fecit Deus miſſo filio.* Et ipſe Chriſtus, Joh. 3.v.16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Hic modus in lege quidem non docetur; nam abſque lege juſtitia Dei manifeſta facta eſt, *Rom.* 3. v. 21. ſed nuſquam etiam in eâ improbatur, & excluditur, ut quæ nuſquam ponit excluſivam; neque cum juſtitiâ Dei pugnat, quæ etiam hominis pro homine ſatisfactionem acceptat *Roman.* 3. v.25.26. 2.*Cor.*5.v.21. Ex quibus neceſſitas mediatoris hunc in modum deducitur, ac demonſtratur. Si ſatisfaciendum juſtitiæ Dei, aut per nos ſatisfaciendum eſt, aut per alium, qui ſit mediator inter Deum & nos. Atqui non poſſumus per nos ſatisfacere. Ergò per alium, nempè per mediatorem ſatisfaciendum eſt: quo proinde nobis opus eſt. Propoſitio præmittitur hâc quæſtione; aſſumtio, & concluſio ſequuntur quæſtionibus XIII. & XIV.

Conſi-

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. duodecimam.*

Annon hic utriusque miseriæ, reatus & servitutis facienda sit mentio?

I. *Cum duplex sit nostra miseria, tum reatus condemnationis, tum servitutis sub tyrannide peccati, videndum an non utriusque facienda fuerit mentio, cùm hîc unius tantùm fiat mentio, & nullibi postea alterius, eo quo id fieri modo fas est & æquum.*

Resp. Utriusque fit mentio, licet non hâc ipsâ quæstione & responsione, nimirum, quia non habent se eodem modo; sed liberatio à reatu, & condemnatione habet se ut causa, liberatio à servitute peccati, ut effectum, quo ordine quæstione XVII. XVIII XL. XLIII. & alibi inter se disponuntur. Falsum itaque quod nullibi post ea, nec justo ordine, alterius fiat mentio.

Annon in quæstione sit ordo verborum inversus?

II. *Num in quæstione hâc ordo verborum sit inversus, cum primò videamur Deo reconciliari debere, quam à pœnis, quas meriti sumus, & quæ nobis justo judicio debentur, liberari.*

Resp. Ordo verborum invertitur, ex nexu cum antecedentibus, quod non magis vitiosum est, quam si quis ex posteriore prius, ex effecto causam deducat. Talibus castigationum minutiis quid aliud, quàm nodum in scirpo se quærere ostendunt.

Annon necessitas Satisfactionis pugnet cum liberrimâ Dei potestate?

III. *Cum necessitas satisfactionis hujus fundetur in voluntate ipsâ divinâ citra ullam mentionem, an Deus secundum naturæ necessitatem id velle debeat, nec ne; quæritur, num necessariò statuenda sit & agnoscenda ejusmodi naturalis necessitas, & an non illa imminuat nonnihil de summâ, ac liberrimâ Dei potestate, sapientiâ, atq; φιλανθρωπίᾳ.*

Resp. Sanè fundatur necessitas satisfactionis in voluntate divinâ, sed in voluntate naturaliter, sive essentialiter, justâ & sanctâ, aversante & abominante omnem iniquitatem. Perperam igitur hîc voluntas Dei naturæ ipsius, & justitia voluntaria justitiæ naturali opponitur: de quâ infrà ex professo. Frustra etiam verentur hoc pacto imminutum iri attributa libertatis, sapientiæ, ac φιλανθρωπίας divinæ. Nam quæstione undecima demonstratum est justitiam Dei & gratuitam ejus misericordiam inter se non pugnare. Præterea justitiam sic dicimus esse Deo naturalem, ut tamen mediante libero arbitrio exerceatur circa creaturas: quomodo v. g. homini naturalis est ratiocinatio, risus, loquela &c.

QUÆST. XIII. Possumus ne ipsi per nos satis facere?
RESP. *Nullâ ex parte: quin etiam debitum in singulos dies augemus.*

EXEGESIS.

PRopositâ duplici satisfactionis via, & modo, quorum alter ad legem, alter ad Euangelium pertinet, de priore, legali, hîc quæritur: Possimusne ipsi satisfacere pro peccatis nostris? Responsio simplicem negationem habet, quòd nulla ex parte talem satisfactionem præstare valeamus: estque assumtio negativa syllogismi hypothetici de necessitate mediatoris. Si enim, Deo peccata imputante, nemo consistere potest in judicio ipsius, *Psal.* 130. v. 3. *Iob.* 9. v. 3. nec in compensationem animæ quicquam judici Deo offerre; *Matth.* 16. v. 26. consequens est satisfactionem per nos ipsos prorsus esse impossibilem. Catechesis idem demonstrat argumento adversorum, per amplificationem: Tantum abest ut satisfacere ipsi possimus, ut etiam debita nostra indies augeamus. Debita sunt peccata, *Matt.* 6. v. 12. *collato cum Luc.* 11. v. 4. *Matt.* 18. v. 24. 35. quæ nos debitores Deo efficiunt ad pœnam. Illa qui quotidiè accumulat, adeo satisfaciendo non liberat sese à pœnâ, ut etiam delinquendo eam aggravet: Hoc verò est quod faciunt omnes homines ex congenita sibi naturæ corruptione, quibus tam familiare est peccare, quàm bibere, Jobo teste *cap.* 15. v. 16. qui duritie suâ, atque impœnitentiâ thesaurizant sibi iram, in diem iræ *Rom.* 2. v. 5. Et licet in regenitis multum imminuta sit hæc corruptio, tamen ne ipsi quidem à quotidianis lapsibus immunes sunt, 1. *Reg.* 8. v. 46. *Eccles.* 7. v. 20. 1. *Ioh.* 1. v. 9. ut qui quotidie orant: *Remitte nobis debita nostra.* Quemadmodum igitur, ut cum Augustino loquamur, qui extra semitam currit, quo celerius currit, hoc longius à viâ aberrat; ita nos, qui quotidiè peccamus, quo magis accumulamus peccata, eo magis satisfactionem nobis impossibilem reddimus.

Satisfactio Legalis hominibus impossibilis.

quia quotidie culpas peccato augent.

Etiam regeniti.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. decimam tertiam.*

I. *Si hæc intelligantur de hominibus Deo propter peccatum inimicis, &*

An homines potuerint augere quotidie peccatum ante promissum Christum, cum non violarint novum fœdus?

cis, & pœnæ obnoxiis, consideratis eo momento, & puncto, quo adhuc jacent in peccato liberatore tum actu ipso nondum dato, tum nec promissio, imò ne destinato quidem ipsis; perpendendum est, an de istis rectè dicatur, quòd debitum in singulos dies augeant, cum inter peccatum, & liberatoris destinationem, promissionem que nullum exstitisse videatur Dei justi & irati cum hominibus peccatoribus fœdus, adversus quod peccando debitum augere potuerint.

Resp. Ratio Catecheseos intelligenda est, de homine misero, liberando à miseriâ culpæ & pœnæ, per mediatorem. De hoc rectè affirmatur, quod quotidiè augeat sua debita, quia legem Dei, cujus reliquias menti suæ insculptas habet, indesinenter violat, eoque novum in dies reatum, etiam propriæ conscientiæ testimonio, contrahit *Rom.* 2. v. 14. 15. Vel dicendum erit, gentes quas exsortes fœderis vocat Apostolus, *Eph.* 2. v. 12. ante vocationem, novique fœderis pactionem, reverâ non peccasse; contra eundem Apostolum, ipsas tum maximè gravissimorum scelerum reas coram Deo, & mundo peragentem *Ro.* 1. *Eph.* 2. & 4. *cap.* Quæ igitur ratio est damnationis gentium, eadem & peccati erit, ex quo sequitur damnatio. Atqui damnationis hæc ratio est, ut sine lege scriptâ pereant, quemadmodum alii per legem illam damnabuntur *Rom.* 2. v. 12. Consimilis igitur peccati ratio est. Et ipsæ quidem gentes peccarunt in legem naturæ, alii in legem scriptam, alii insuper in Euangelium; omnes tamen verè peccarunt.

An ratio de debitis auctis confirmet impossibilitatem satisfactionis propriæ.

II. *Num verba hæc,* Debitum in singulos dies augemus, *ritè confirment responsionem datam, cum certum sit, etiamsi homo debitum in singulos dies non augeret, sed Deum perfectâ obedientiâ coleret, debitum jam ante contractum persolvere tamen ista ratione non posset.*

Resp. Verba illa confirmant responsionem, sed per amplificationem ex contrariis. Si homo debitum pœnæ ex peccato contractum etiam auget quotidiè, certè nullâ ex parte pro peccatis suis satisfacere potest. Nam satisfacere est minuere debitum, tandemque totum dissolvere. Quotidiè peccare est illud indies augere, & cumulare. In quantum enim augetur peccatum, in tantum aggravatur ejus pœna, prout parte primâ demonstratum est. Quæ ut similia opponunt Consideratores, dissimilia sunt. Obedientia succedanea non cedit in satisfactionem pro priore inobedientiâ, quia præsenti obligatione Deo debetur: Interim non auget debitum. At succedanea inobedientia etiam auget debitum

bitum prioris inobedientiæ, ut quæ novum reatum superinducit.

Quæst. XIV. Potest ne ulla creaturarum in cœlo vel in terrâ, quæ tantùm creatura sit, pro nobis satisfacere?

Resp. *Nulla; Nam principio non vult Deus, quod homo peccavit, id in ullâ aliâ creaturâ plectere: deindè nec potest quidem, quod nihil nisi creatura sit, iram Dei adversus peccatum sustinere, & alios ab eâ liberare.*

Exegesis.

Postquam demonstratum est priorem satisfactionis modum per nos ipsos, esse impossibilem, tacitè infertur modus posterior; doceturque per alium, qui *mediator* sit *inter Deum & nos*, nobis satisfaciendum esse. Hinc jam porrò disquiritur qualem esse oporteat illum mediatorem. Κατ᾽ ἄρσιν hâc quæstione & responsione asseritur, quod *esse nequeat tantum creatura*, hoc est nuda creatura; Cujus assertionis subjectum amplificatur ex signo universali negante, & distributione ex subjectis, ut sensus sit, nulla nuda creatura, sive cœlestis, ut angelus: sive terrestris, ut quævis alia præter hominem, potest esse mediator inter Deum offensum, & hominem offendentem. *Causæ impossibilitatis* duæ redduntur, quarum utraque petitur ex loco adjunctorum, & altera Deum, altera hominem spectat. *Illa* est, quod Deus non vult in ullâ aliâ creaturâ plectere quod homo peccavit, idque ex ordine justitiæ divinæ, quæ suum cuique tribuit, peccatoribus autem pro peccatis meritas pœnas retribuit. Ita ipse Deus de se testatur; *Illum*, inquit, *expungam è meo libro, qui in me peccavit*, Exod. 32. 33. & *Anima quæ peccavit, ipsa morietur* Ezech. 18. v. 4. Ideoque alibi hominis pro homine satisfactionem disertè exigit *Hebr.* 2. v. 14. 1. *Cor.* 15. 21. *Rom.* 5. v. 19. In Veteri Testamento quidem cæsi sunt, & oblati boves, oves, arietes, &c: in victimas, & expiationes pro peccatis hominum; sed victimæ illæ typi solum fuerunt victimæ unius illius hominis Jesu Christi; nec veram, sed typicam & sacramentalem expiationem habuerunt *Col.* 2. *Heb.* 9. 10. *capp.*

Mediator inter Deum & nos

non potest esse Nuda Creatura.

1. q. Deus non vult aliam creaturam pro homine plectere.

2. q. creatura nequit iram Dei adversus peccata sustinere. & alios liberare.

Ista est ἀδυναμία nudæ creaturæ, ad geminum ἀποτέλεσμα mediatorium producendum. Primò enim non potest nuda creatura sustinere iram Dei adversus peccatum; Nam omnis creatura finita est, Ira autem Dei est infinita, cujus tanta vis, ut instar ignis consumentis, *Deut*. 4. v. 24. ardeat usque ad inferni novissima; *cap*. 32. v. 22. concutiens fundamenta montium, & fundamenta cœlorum commovens *Psal*. 18. v. 8. 2. *Sam*. 22. v. 8. De hâc irâ suâ ita ipse Dominus apud Prophetam: *Ne fortè egrediatur, ut ignis, ira mea, & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam operum vestrorum* Jer. 4. v. 4. Et, si angeli, præstantissimi creaturarum, summam Dei majestatem revelatâ facie intueri non potuerunt, *Esa*. 6. v. 2. quomodo ulla creaturarum infinitam Dei iram adversus peccata perferre valeat? Deinde non potest etiam nuda creatura alios ab irâ illâ liberare, remittendo scilicet peccata, & naturam corruptam instaurando. Utrumque enim solius Dei opus est *Luc*. 5. v. 21. *seqq*. *Ephes*. 2. v. 10.

QUÆST. XV. Qualis ergò quærendus est mediator?

RESP. *Qui verus quidem homo sit, ac perfectè justus, & tamen omnibus creaturis potentior, hoc est, qui simul etiam sit verus Deus.*

EXEGESIS.

Mediator seu Liberator noster debet esse

DEinceps κατὰ θέσιν docetur, quibus ergo qualitatibus præditum esse oporteat mediatorem, & liberatorem nostrum, ut possit perfectè pro nobis satisfacere: Et *Mediator* appellatur, quod velut medius intercedat inter partes, offensam, & offendentem, eas reconcilians; *Liberator* verò, quia partem offendentem liberat ab irâ partis offensæ, adeoque ab omni miseriâ. Utrumque nomen ἔγγραφον est, in Scriptura usurpatum: prius 1. *Tim*. 2. 5. *Heb*. 9. v. 15. alterum, *Esa*. 59. v. 20. *Rom*. 11. v 26. In responsione tres qualitates, vel potius tria requisita ordine enumerantur, quæ necessaria sunt in mediatore, desumta ex partibus integrantibus, atque etiam ex alterius partis adjuncto. *Primum* est ut sit *verus homo*, non spectrum, aut φάντασμα hominis; similis hominibus per omnia; naturâ animæ rationalis, & corporis elementaris, proprietatibus essentialibus, & naturalibus utriusq;, & deniq; actionibus.

verus homo,

Secundum

Secundum est ut sit, *justus homo*, peccati omnis expers, tum Originalis, quo corrupta est natura humana indè ab Adamo; tum Actualium, quibus in suâ singuli personâ multifariam delinquunt adversus legem Dei. *Tertium* est, ut sit insuper *verus Deus*, hoc est, naturâ Deus, ut loquitur Apostolus *Gal*. 4. v. 8. non titulo, potestate, officio, aut gloriâ, quod indicat Catechesis descriptione adjunctæ potentiæ ipsius, per comparationem disparatorum imparium, quatenus mediatorem requirit omnibus creaturis potentiorem. Nam qui omnibus creaturis potentior est, creatura non est, sed ipse creator; non ens creatum sed increatum. Et meritò requirit tam potentem mediatorem, tum quia antè docuit nullam nudam creaturam sive cœlestem sive terrestrem posse pro nobis satisfacere; tum quia vindicare nos debet mediator ex potestatę Diaboli, potentissimi creaturarum *Ioh*. 12. v. 31. 2. *Cor*. 4. v. 4. *Eph*. 6. v. 12. *Col*. 1. v. 13. Quod nisi ipso & consequenter omnibus creaturis potior sit, facere nequit *Luc*. 11. v. 21. 22. tum etiam quia partes sunt inæquales; offensa Deus, cujus incomparabilis majestas, & offendens homo. Mediatorem igitur naturis quoque inæqualem esse oportet, ut una quidem respondeat homini, altera ipso superior sit, par Deo. Denique illud prætereundum non est, quod dicitur mediatorem *simul* esse debere verum Deum. Sanè verus, & justus homo esse debuit, sed simul verus Deus, hoc est, Deus & homo in unâ personâ. Neque enim de mediatoribus, sed de mediatore, nec de liberatoribus, sed de liberatore loquitur quæstio. Scriptura etiam addit numerum unitatis multis locis 1. *Tim*. 2. v. 5. 2. *Cor*. 5. v. 15. *cap*. 11. v. 2. 1. *Cor*. 8. v. 6. *Rom*. 5. v. 17. 19. *Matt*. 23. v. 8. Sic ergo particula *simul* mysterium unionis personalis indigitat: de quo alibi erit dicendi locus.

Verus Deus.

idque simul.

QUÆST. XVI. Cur necesse est eum verum hominem, & quidem perfectè justum esse?

RESP. *Quia justitia Dei postulat, ut eadem natura humana quæ peccavit, ipsa pro peccato dependat: qui verò ipse peccator esset, pro aliis dependere non posset.*

EXEGESIS.

Cur Mediator debuerit esse.
I. verus homo.

Sequentibus duabus quęstionibus necessitas singulorum requisitorum seorsim, & distinctè demonstratur; & utriusque quidem prioris hac ipsa quęstione. *Primum requisitum* demonstratur à Causa Impulsiva; Justitia Dei, quę postulat ut eadem natura humana quę peccavit ipsa pro peccato dependat. Hujus veritas paulò antè in responsione ad XIV. quęstionem asserta est: Eandem luculentius etiam confirmant hęc & similia Scripturę effata: Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiam unius hominis, justi constituentur multi.* Cap. 8. v. 2. 3. *Quod legi erat impossibile, quod viribus esset destituta per carnem, id fecit Deus misso filio in forma consimili carnis.* 1. Cor. 15. v. 21. *Per hominem mors, per hominem resurrectio mortuorum.* Heb. 2. v. 14. *Quoniam pueri participes sunt carnis, & sanguinis, ipse similiter particeps factus est eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habet imperium.* Non minus solida & illustris est illa probatio, quę à modo justitiæ & satisfactionis deducitur. Mediatorem mori oportuit pro hominibus, & sanguinem effundere in remissionem peccatorum. Gen. 2. v. 17. *Quocunque die comederis, morte morieris.* Heb. 9. v. 22. *Absque sanguinis effusione non est remissio.* Ergo debuit esse homo, qui posset mori, & fundere sanguinem. In utrâque probatione, cum abyssus sapientiæ divinæ, *Eph.* 3. v. 10. 1. *Tim.* 3. v. 16. tum omnis Christianæ consolationis fundamentum residet 1. *Tim.* 2. v. 5. *Heb.* 2. v. 17. *& cap.* 4. v. 15. *Alterum requisitum* demonstratur à causâ corrumpente satisfactionis: qui ipse peccator esset, pro aliis dependere non posset; nimirum, quia maledictus omnis, qui non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut ea faciat *Deut.* 27. v. 26. Et mediatorem non tantum ad Deum accedere oportet, sed etiam alios, offendentes, ad ipsum adducere; peccata verò aditum ad Deum intercludunt, ut quæ disterminant nos, & Deum nostrum *Esa.* 59. v. 2. Hanc probationem tradit Apostolus Heb. 7. v. 26. 27. *Talis nos decebat Pontifex, sanctus, impollutus segregatus à peccatoribus, cui non sit opus pro peccatis propriis victimas offerre.* Et Petrus 1. Epst. 3. vers. 18. *Christus semel passus fuit pro peccatis, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret.*

II. Iustus homo.

QUÆST.

QUÆST. XVII. Quare oportet eum simul etiam verè Deum esse?

RESP: *Vt potentiâ suæ divinitatis onus iræ divinæ, carne suâ, sustinere, nobisque amissam justitiam, ac vitam reparare, ac restituere possit.*

EXEGESIS.

Superest *tertium requisitum* quod mediatorum simul etiam verè Deum esse oporteat. Id ex effectis, numero tribus, demonstratur; quæ non aliundè, quam à potentiâ Deitatis proficisci, & procedere potuerunt. *Primum* est tolerantia iræ Dei, quæ velut onus Ætna gravius, nobis propter peccata incumbebat. Hanc mediator solâ carne sustinere nequivisset, sine desperatione, ac sui in nihilum redactione; quia caro finita, debilis, infirma est; ira Dei infinita, cujus ne minimum quidem ardorem perferre valent etiam hominum potentissimi *Psal.* 2. v. 12. Requirebatur igitur infinita quoque potentia, quâ infinita Dei ira placaretur ac vinceretur, salvo, & superstite ipso mediatore. Atque hanc ob causam Deus apud Prophetam sibi soli istum honorem tribuit: Esa.42.v.36. *Ego sum Iehova, neque ullus est servator, præter me* & cap.43.v.12. *Ego, ego ipse deleo defectionis tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordor.* Eadem causa est, cur mediator *Deus fortis* appelletur, *Esa.*9.v.6. qui etsi crucifixus fuit ex infirmitate, vivit tamen ex potentiâ Dei 2.*Cor.* 13. v. 4. *Alterum* est amissæ justitiæ ac vitæ reparatio, quæ ad officium ejusdem mediatoris pertinet. Non potuit autem nisi à divinâ potentiâ effici atque præstari. Etenim ad reparationem illam duo requirebantur: prædanea satisfactio pro antegressis peccatis, quâ justi fieremus coram Deo, & subsequens naturæ instauratio ad Dei imaginem, cujus virtute mortui peccatis justitiæ viveremus 1.*Pet.*2.v.24. Sed peccata non nisi ipsius Dei sanguine dignè possunt expiari 1.*Ioh.* 1.v. 7. *Actor.* 20. v. 28. Naturam etiam corruptam alius instaurare non potest, quam qui eam primitus condidit, *Coloss.* 3. v. 10. *Eph.*4.v.24. Proinde reparatio justitiæ, & vitæ, solius divinę potentię opus est. *Tertium* est utriusque, tum justitię, tum vitę restitutio: Neque enim reparâsse tanta bona

III. Verus Deus.

1. ut tolerare posset iram Dei.

2. ut amissam justitiam & vitam repararet.

3. ut justitiam & vitam restitueret.

bona satis erat, nisi etiam communicarentur, & applicarentur *Rom*.4.v.25. Quod rursum divinæ est virtutis, quandoquidem omnium creaturarum viribus ne unus quidem impius justificari, aut mortuus vivificari potest. Huc facit quòd Paulus ait Rom. 8.v.33. *Deus is est qui justificat*. Et Johannes 1. Epist.4.v.9. *Deus filium illum suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum.* Contra requisiti hujus veritatem adferri solet vulgatum illud: Pars offensa non potest esse mediator. Quod axioma si tam certum esset, quàm familiare est hæreticis, utique autoritate aliquâ divinâ communiretur: sed ne in humanis quidem rebus semper verum est, ubi sæpe numero contingit, ut qui læsus est prior redeat in gratiam cum lædente. In divinis autem apertè falsum est, quia Scriptura æquè parti offensæ, quàm offendenti imperat mediationem & reconciliationem, *Matth.* 18.v.15. *cap.*5. v.24. & tam ab illâ, quàm ab hâc præstitam fuisse, exemplis, & similibus declarat *Jud.* 21.v.2. *seqq.* 2.*Sam.*19.v.12. *seqq.* 2.*Cor.* 5.v.18.19.20. *Matth.* 21.v.37. Mediator, & mediatio sunt nomina officii, cujus susceptio & administratio si pugnat cum conditione partis offensæ, aut ideò pugnat quòd pars, aut quod offensa pars. Si prius, jam nec offendens potest esse mediator, qui & ipse pars; Ac ne homo quidem esse debet mediator hominum: Si posterius, nullus offensus debet esse placabilis, reconciliabilis, nec animum ad ignoscendum pronum gerere, aut demonstrare; quod vel dictu impium est.

An pars offensa possit esse Mediator?

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & respons. decimam septimam.*

I. *Cum dicitur, ut Christus onus iræ divinæ carne suâ sustineret, quæritur, num hoc dicatur onus iræ divinæ, quatenus id Christo à Patre est impositum, cum Pater semper dicatur amâsse filium: an verò quatenus id ipsum ex justitia est debitum peccatoribus, & ex irâ adversus peccatum, illis ipsis, qui peccatum perpetrarunt, erat inferendum.*

An onus iræ divinæ dicatur respectu patris imponentis an peccatorum quibus debeantur?

Resp. Imo utroque modo, & respectu dicitur onus iræ Dei, tum quatenus Christo à Patre impositum est, ut sponsori *Heb.* 7.v.22. tum quatenus nobis peccatoribus erat debitum. Nam ira Dei peccatis nostris concitata, nobis primo incubuit qui

qui omnes naturâ ſumus filii iræ *Eph.*2.v.3. Indè è nobis in Chriſtum mediatorem & ſponſorem noſtrum tranſlata, & derivata eſt *Eſa.*53.v.4.5.*ſeqq.* *Pſal.* 22.v.1.*ſeqq.* Ita Deus verè iratus fuit Chriſto ut ſponſori noſtro, noſtram peccatorum perſonam ſuſtinenti, ut qui dicitur factus pro nobis peccatum. 2.*Cor.* 5. v. 21. & maledictio *Gal.*3.v.13. Eundem nihilominus amavit ut filium dilectum, in quo acquieſcit *Matt.* 3.v.17.

II. *Cum dicatur quod tolerantia iſtius oneris amiſſæ juſtitia, & vitæ recuperandæ & reſtituendæ ſerviat, videndum num hinc ſequatur ex mente Catecheſeωs per juſtitiam Chriſti activam, ſeu vitæ, quæ à juſtitiâ mortis, & crucis diſtingui ſolet, remiſſionem peccatorum, & vitam impetratam non eſſe, ſed redemtionis opus paſſioni Domini noſtri Ieſu Chriſti tantum adſcribi.*

An cum tolerantiæ iſtius oneris tribuitur redemtionis acquiſitio excludatur obedientia vitæ Chriſti.

Reſp. Conſideratio hæc planè impertinens eſt. Neque enim hic de obedientia activâ, & paſſivâ, ſed de ἐνεργείᾳ, ac virtute Deitatis ad ἀποτελέσματα mediatoria requiſita agitur. Controverſia de obedientia activâ, & paſſivâ, quam avidè nimis arripiunt, & odioſè paſſim urgent, loco de juſtificatione, quantum ſatis erit, explicabitur.

QUÆST. XVIII. Quis autem eſt ille mediator, qui ſimul eſt verus Deus, & verus ac perfectè juſtus homo?

RESP. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, juſtitia, ſanctificatio, & redemtio.*

EXEGESIS.

HUc uſque in theſi actum fuit de mediatore; ab eâ deſcendit Catecheſis ad hypotheſin, in individuo oſtendens, quis ſit mediator ille, qui ſimul eſt verus Deus, & verus perfectèque juſtus homo. Docet autem eum eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in quo ſolo tria illa requiſita concurrent, & in Scripturâ notantur. Eſt enim *verus ille Deus*, 1.*Ioh.*5.v.20. qui proprio ſanguine acquiſivit Eccleſiam, *Act.* 20. v. 28. Benedictus ſupra omnia in ſecula *Rom.* 9. v.5. Eſt *verus* etiam *homo*, qui uſitatè homo, 1.*Tim.* 2. v.5. filius hominis, *Matt.* 9.v.6.& *cap.* 16. v. 13. filius Davidis & Abrahami *cap.* 1. v. 1. appellatur; & ſimilis

Chriſtus Jeſus eſt ille Mediator.

factus est hominibus per omnia, excepto peccato *Heb.* 2. v. 14. 16. 17. & *cap.* 4.v.15. *Phil.* 2. v. 7. 8. Denique est *perfectè justus homo* 1.*Ioh.*2.v.1. *Esa.*53.v.11. qui peccatum non fecit, & in cujus ore non est inventus dolus 1. *Pet.* 2.v.22. 1.*Ioh.* 3. v. 5. Quæ omnia in unâ indivisâ personâ Christo attribuuntur, iis præcipuè locis quæ per communicationem idiomatum de ipso enunciant, quæ divinæ & humanę naturæ propria sunt *Ier.* 23. v.5.6.*Ioh.* 1. v. 14. *cap.* 3.v.13. & *cap.* 8. v. 58. *Rom.* 9.v.6. 1.*Tim.*3. v. 16. Ut meritò affirmet Apostolus, Hominem Jesum Christum esse unum illum mediatorem Dei & hominum qui se ipsum dedit ἀντίλυτρον pro quibusvis 1.*Tim.*2. v. 5. 6. Sed Catechesis assertionis hujus veritatem bifariam demonstrat, testimonio speciali Apostoli Pauli, hâc quæstione, & testimonio generali totius Euangelii, quæstione sequente. Illud desumtum est ex 1.*Cor.* 1. v. 30. ubi Apostolus mediatorium Christi officium tribus ordine argumentis describit. *Primum* est à causa efficiente procreante: *Factus est à Deo*, patre scilicet, non creatione naturæ divinæ, ut cavillantur hæretici, sed partim ordinatione ab æterno, 1.*Pet.* 1. v. 18. 19. partim missione in tempore *Gal.*4. v. 4. Neque enim ipse sibi sumsit hunc honorem, ut fieret Pontifex, sed is decrevit, detulit, qui dixit ei Filius meus es tu. Ego hodiè genui te, *Heb.*5. v. 5. *Secundum* ab objecto & subjecto recipiente, *factus est nobis*, qui nimirum stulti, injusti, impuri, damnati eramus naturâ, eoque mediatoris maximè indigi, prout explicatur *Esa.* 9.v.6.*Luc.*2.v.11. *Matt.*1.v.21. *Tertium* ab effectis, sive beneficiis, quæ nobis acquisivit, & in nos confert. Ea abstractivè, & metonymicè enunciantur majoris emphaseωs gratiâ, suntque quatuor numero; quippe factus nobis dicitur *Sapientia*, hoc est, sapientiæ autor, & doctor, revelans nobis cœlestem sapientiam non solum foris per prædicationem verbi, sed intus quoque per illuminationem spiritus *Ioh.*1 .v.18.*cap.*6.v.45.*Eph.*1. v.17.18.*Iustitia*, hoc est, justificator, donans nos verâ justitiâ coram Deo per fidem *Rom.*3.v.24.25. 2.*Cor.*5.v.21. *Sanctificatio*, h.e. sanctificator, qui spiritu suo nos sanctificat ad vitam novam, ut peccato mortui, vivere incipiamus justitiæ *Eph.*5.v.26.27. 1.*Pet.* 2.v. 24. Et *Redemtio*, hoc est, redemtor, qui nos plenè tandem redemturus est, & ab omnibus vitæ hujus miseriis vindicaturus *Luc.*1.v.28. *Rom.*8.v.23. nimirum cum mortem, hostem ultimum absorpturus est in victoriam 1.*Cor.*15.v.26.55.56.

Explicatur dictum 1 *Cor.* 1.v.30.

QUÆST.

QUÆST. XIX. Undè id scis?

RESP. *Ex Euangelio, quod Deus primum in paradiso patefecit, ac deinceps per patriarchas, & prophetas propagavit, sacrificiis, reliquisque cæremoniis legis adumbravit, ad extremum verò per filium suum unigenitum complevit.*

EXEGESIS.

ALterum testimonium, quo evincit Catechesis Christum Jesum esse mediatorem θεάνθρωπον, est perpetuus consensus Euangelii, ex quo tota liberationis nostræ ratio cognoscenda est, quemadmodum peccatum & miseriam nostram ex lege didicimus. Ipsa vox *Euangelii* origine Græca est, ex εὖ & ἄγγελος composita, *lætum nuncium*, aut *nuncii præmium*, vel etiam *sacrificium* apud scriptores profanos significans. Sed Euangelistæ, & Apostoli vocem illam non à profanis scriptoribus, sed à LXX Interpretibus mutuati sunt, qui verbum בשר *bisser*, & nomen בשרה *besora*, reddiderunt per εὐαγγελίζεσθαι, & εὐαγγέλιον idque propter similitudinem significationis. Sicut enim voces Hebrææ non de cujusvis, sed bonæ ac lætæ rei annunciatione ferè accipiuntur; qualis inprimis est de liberatione ab hostibus, captivitate, aut aliis malis: 2. *Sam.* 18.v.20.26. 2. *Reg.* 7.v.9. *Ier.* 20.v.15. *Nahum.* 1.v.15. Ita voces Græcæ læti faustique nuncii significationem habent; utræque autem per Synecdochen Metaphoricam traducuntur, ad significandum lætum illud nuncium de gratiâ Dei, remissione peccatorum, & liberatione ab omnibus hostibus per Christum; quo nihil gratius, aut suavius perturbatis conscientiis contingere potest *Luc.* 2.v.11. Conferantur loco *Esa.* 52.v.7. & *Rom.* 10.v.15. *Esa.* 61.v.1. & *Luc.* 4.v.18. *Ps.* 40.v.10. & *Heb.* 10.v.5. *seqq.* Christus autem ejusq; Apostoli, ministerio N.T. hanc vocem imponere maluerunt, quàm legis, aut quamvis aliam, licet Euangelium alicubi תורה *thora*, lex, *Esa.* 2.v.3. itē Lex fidei appelletur; *Rom.* 3.v.27. tum ut illustrius esset discrimē inter doctrinā Mosis, & doctrinam Christi, *Ioh.* 1.v.17. tū ut Judæi, inprimis Ἑλληνισταὶ, intelligerent, Euangelistas, & Apostolos non comminisci novū genus doctrinæ, sed illam lætam gratiæ prædicationem adferre, quæ sub vocabulo, & appellatione Euangelii in Prophetis multoties promissa erat; *Rom.* 1.v.2. tum deniq; ut Græcis aliisq; gentibus doctrina Euangelii vel solo nomine notior fieret, & commendabilior: sicut scriptum est; *Quàm speciosi pedes Euangelizantium*

Euangelii vox unde dicta.

quid significet.

quare servat ad gratiam N. Fœderis designandam.

Definitio Euangelii. *zantium pacē, Euangelizantium bona Rom.*10.v.15. Hæc de voce. Rem ipsam sive doctrinam Euangelii quod attinet, *est* illa *Concio gratiæ de remissione peccatorum, justitiâ & vitâ æterna, per fidem, propter Christum mediatorem Es.*61.v.1.*Luc.*4.v.18.*Rom.*1.v.16.& *cap.*10.v.15. Et distinctè consideratur tum quoad promissionem mediatoris in V.T. tum quoad promissionis hujus complementum in Novo *Rom.*1.v.1.2.*Gal.*3.v.16.*Heb.*1. v. 1. 2. *Promissio* mediatoris secundum diversa tempora, diversosque gradus in Catechesi trifariam nobis describitur. I. A causa principali immediatâ cum connotatione loci, cum dicitur, quod Deus primum in Paradiso Euangelium patefecit: Ibi enim statim à lapsu hominis, etiam priusquam indè expelleretur, ipsemet edidit promissionem de semine mulieris contrituro caput serpentis, *Gen.*3.v.15. quo sciret homo, & Deum rursum propitium esse, & fore ut mors aliquando aboleretur *Rom.*5.v.10.*Heb.*2.v.14. II. A causis instrumentalibus, quales fuerunt partim Patriarchæ ante & post diluvium, partim Prophetæ à Mose ad Malachiam usque. His siquidem repetivit Deus primam illam promissionem, & per ipsos continua serie quasi de manu in manum tradi, & in Ecclesia propagari curavit. Ita ab Adamo in familiam Sethi. *Gen.*4.v.26. Enochi, *cap.*5.v.24. Noachi, Semi: *cap.*9.v.26. Ab his ad Abrahamum, *cap.*11.v.35.*&* *cap.*22.v.18. Isaacum, *cap.*26.v.4. Jacobum, *cap.*28. v.14.*&* *cap.*49.v.10. (quibus cum percussit fœdus cujus fundamentum erat Christus: *Gal.*3.v.16.) A Jacobo ad posteros ipsius in Ægypto, ac denique ad Mosem dimanavit; à quo eadem Euangelii doctrina proposita, *Deut.*18.v.18. *Ioh.*5. v.46. & per prophetas succedaneos, Davidem, 2.*Sam.*7.v.13.14. *Psal.* 132.v.11. Esaiam, *cap.* 7.v.14. *&* *cap.*9.v.7.*&* *cap.* 53.v.2. *seqq.* Jeremiam, *cap.*23.v.5. Danielem, *cap.*9.v.24.26. Micham, *cap.*5.v.2. aliosque, latius & copiosius explicata, & confirmata fuit. III. Ab adjuncta adumbratione, & obsignatione ejusdem promissionis, per sacrificia, *Heb.*7.8. 9.10.*capp.* Sacramenta, *Coloss.*2.v.11. 1.*Cor.*5.v.7. ac varios typos legales, ordinarios *Ioh.*2.v.21.*Rom.*3.v.25.& extraordinarios *Ioh.*3. v.14. *Matt.*12.v.40. Quorum omnium scopus erat præcipuus, ut prefigurarent bona futura, piosque in exspectatione Christi venturi continerent *Heb.*10.v.1.*Col.*2. v.17. *Complementum* in Novo Test. exhibitum bifariam declaratur: Ab adjuncto temporis, quod sunt dies novissimi, *Heb.*1.v.1. sive plenitudo temporis, redimendæ Ecclesiæ divinitus præfinita, *Gal.* 4.v.4. & à causa administra, quæ

Cujus consideranda.

Promissio.

Complementum.

quæ fuit unigenitus Dei Filius in carne manifestatus. Nam in ipso omnes Dei promissiones sunt etiam & Amen 2.*Cor*. 1. v. 20. Ipse est veritas typorum, & umbrarum corpus *Ioh*. 1. v. 17. *Coloss*. 2. v. 17. *Heb*. 10. v. 1. In quo consummata sunt omnia, quæ in Veteri Testamento de Messia fuerant prædicta *Ioh*. 19. v. 28. 30. *Act*. 3. v. 22. *seqq. cap*. 10. v. 43.

Ex hâc exegesi quæstionis Catecheticæ porismata tria deduci- Porismata
mus & notanda subjicimus. *Primum*: Euangelium non est natura 1.
notum, sed immediatè à Deo patefactum est, soli Ecclesiæ, *Matth*. 11. v. 26. *cap*. 16. v. 17. *Ioh*. 1. v. 18. & tam longè transscendit captum rationis humanæ, ut ne revelatum quidem approbetur absque interiore illuminatione, & persuasione Spiritus Sancti 1.*Cor*. 2. v. 8. 9. 10. 14. 15. *Ephes*. 1. v. 17. 18. *Secundum*: U- 2.
num & idem est Euangelium, quo omnes Sancti ab initio salvati sunt omnibus temporibus, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & cæteri utriusque Testamenti fideles; nec alia fuit Doctrina, & via salutis ante legem; alia sub lege; alia post legem sub Christo *Ioh*. 14. v. 6. *Actor*. 10. v. 43. *cap*. 15. vers. 11. *Actor*. 13. v.
38. *Tertium*: Doctrina Euangelii, & salutis olim obscurior fu- 3.
it in Veteri Testamento, partim propter prædictiones, & promissiones rerum futurarum; partim etiam propter earundem typos, & figuras: nunc clarior est in Novo testamento, quo Christus veritas promissionum, & corpus umbrarum in carne fuit exhibitus *Malach*. 4. v. 2. 2.*Petr*. 1. v. 19. *Hebr*. 1. v. 1. *&* *cap*. 10. v. 1. *Ioh*. 1. v. 17. Atqui hoc respectu & sensu affirmat Apostolus, patribus promissum fuisse Euangelium, nobis præstitum *Rom*. 1. v. 1. 2. Illis tacitum esse, nobis autem revelatum *Rom*. 16. v. 25. 26. *Ephes*. 3. v. 5. *Coloss*. 1. v. 26 27.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæstionem & resp. decimam nonam*.

An disertè distinguendum inter ἐπαγγελίαν & εὐαγγέλιον?

Annon paulo clarius annotandum, atque exprimendum videri possit discrimen inter ἐπαγγελίαν, & εὐαγγέλιον.

Resp. Discrimen illud non est perpetuum. Doctrina Veteris Testamenti tam dicitur Euangelium, *Gal*. 3. v. 8. 1.*Petr*. 4. v. 6. *Apoc*. 14. v. 6. quàm doctrina Novi Testamenti: & hæc

non minus ἐπαγγελία sive promissio vocatur, 2. *Tim.* 1. v. 1. *Gal.* 3. v. 14. *& alibi*, quam illa. Præterea etiam hic clarè satis exprimitur: quatenus idem Euangelium promissum, præfiguratum fuisse dicitur in Veteri Testamento, completum in Novo. Undè porro liquet discrimen illud non ad substantiam doctrinæ, quæ utrobique una & eadem est, sed ad accidentarium patefactionis modum pertinere.

Antitheses Catecheticæ Socinianorum *ad quæst. & Resp. decimam nonam.*

Antithesis. I.

Vita æterna nuspiam in Veteri Fœdere promissa fuit illius temporis fidelibus, neque ex Dei promisso ab ipsis exspectata. Rationes *sunt.* I. *Quia in Veteri Fœdere nulla vita æternæ, à Deo populo suo promissæ, fit mentio.* II. *Quia constat ex Novo Testamento vitam æternam primum fuisse per Iesum Christum à Deo promissam, & per ejus Euangelium patefactam, cum ea prius apud Deum lateret*, Johann. 1. v. 18. 2. Tim. 1. v. 10. 1. Johann. 1. vers. 2. & cap. 2. vers. 25. III. *Quia per Euangelium introducta est spes melior, quàm erat sub lege* Hebr. 7. v. 19. *Nulla igitur sub lege vitæ æternæ consequendæ spes facta fuit.* IV. *Christus præstantioris fœderis mediator appellatur quod præstantioribus promissis sancitum est.* Hebr. 8. vers. 6. *Atqui præstantiora illa promissa sunt promissa vitæ æternæ. Nihilominus aliqua spes vitæ æternæ in populo Dei etiam ante Christum fuit. Nihil enim obstat sperare quippiam, etiamsi promisso Dei careas, modo res ea sit summopere expetenda, & ejusmodi quam credibile erat Deum cultoribus suis daturum: qualis est vita æterna. Atque hoc pacto fideles Veteris Testamenti vitam æternam adeptos esse certum est. Nihil enim impedit, quo minus Deus plus det, quàm promisit: & Christus id aperte docet, cum è verbis ipsius Dei verè & subtiliter argumentatur, Abrahamum, Isaacum, & Iacobum resurrecturos à mortuis* Luc. 20. v. 37. 38. *Quem imitatus autor ad Hebræos,* cap. 11. v. 16. *ait, Deum non erubescere eorum vocari Deum, eò quòd paraverit iis urbem, & eos æternum victuros statuerit. Ideò autem Deus promissum vitæ æternæ distulit in tempus Novi fœderis, quo evidentius appareret omnibus, tam excellens bonum esse proprium ipsius munus, è merâ benignitate ipsius profluens.*

Responsio.

Ad doctrinam de Euangelio, prout ea quæstione XIX. explicata est, tanquàm ad propriam sedem meritò revocamus controversias Socinianorum *de Veteri & Novo Fœdere*, quibus id agunt, ut persuadeant; non accidentale tantùm, sed substantiale discrimen inter utrumque illud fœdus statuendum esse: & consequenter, aliam prorsus doctrinam, & viam salutis olim fuisse in Veteri Testamento, quàm nunc sit in Novo. Idem superiori seculo Servetus, Libertini, Anabaptistæ, & multò antè Scholastici, & ex priscis hæreticis nonnulli docuerunt: hâc ferè occasione quòd sicut legem libris Propheticis in Veteri Testamento; ita Euangelium scriptis Apostolicis in Novo Testamento, insigni errore definierunt. Ut autem distinctior sit tractatio, controversias omnes in quinque capita deducemus.

Controversiæ de Veteri & Novo Fœdere.

Eorum primum est *de Promissionibus Veteri Testamenti*, num vita æterna patribus in Veteri Testamento nuspiam revelata aut promissa fuerit. Ipsi negant, qui promissiones Veteres Testamenti tantùm corporales, & temporales faciunt: Nos contrà affirmamus. *Probationis affirmantis* sententiæ sunt. I. In Veteri Testamento innumeræ exstant promissiones de vitâ, salute, ac beatitudine æternâ. Ergò vita, salus, ac beatitudo æterna patribus in Veteri Testamento revelata ac promissa fuit. Antecedens vel sola promissionnm quarundam inductione patescit. De Vitâ, *Hab.* 2. v. 4. *collato cum*, *Rom.* 1. v. 17. & *Gal.* 3. v. 11. *Danielis* 12. v. 1. *coll. cum*, *Ioh.* 5. v. 29. *Deutr* 30. v. 6. *Psal.* 19. v. 11. De salute, *Deut.* 33. v. 29. *Psal.* 130. v. 8. *coll. cum* *Matth.* 1. v. 21. *Esa.* 25. v. 8. 9. & *cap.* 45. v. 17. & *cap.* 51. v. 6. 7. *Ierem.* 23. v. 6. De Beatitudine, *Psal.* 2. v. 11. & 32. v. 1. 2. & 33. v. 12. & 144. v. 15: II. Patres Veteris Testamenti crediderunt, ex fide sperarunt, tandemque secundùm fidem & spem suam adepti sunt vitam æternam. Ergò vitæ æternæ, tum patefactionem, tum promissionem habuerunt. *Consequentia* suâ luce radiat: Fides enim intuetur verbum promissionis, *Rom.* 10. v. 14. 17. & spes quæ non confundit ex fide oritur *Rom.* 5. v. 5. *Hebr.* 11. v. 1. *Antecedens* confirmatur exemplis: Jobus credidit vitam æternam, *cap.* 19. v. 25. 26. 27. quemadmodum & David, *Psalm.* 17. vers. 15. Abra-

Vita æterna Patribus in V.T. fuit promissa.

1. q. tales exstant promissiones.

2. q. Patres eam crediderunt & sperarunt.

Abraham, Isaac, & Jacob eam exspectarunt, *Hebr.* 11. vers. 10 *seqq. Genes.* 49. vers. 18. Enoch, Elias, Patriarchæ, alii per fidem secundum spem adepti sunt *Hebr.* 11. vers. 5. 2. *Reg.* 2. vers. 11. *Luc.* 13. v. 28. & *cap.* 16. vers. 22. III. Fœdus Abrahamicum fuit Vetus Fœdus. Fœdus Abrahamicum habuit promissiones vitæ æternæ. Ergò Vetus Fœdus habet promissiones vitæ æternæ. *Major* certa est; etiam confessione adversariorum. *Minor* probatur primò ex formulâ fœderis, qua pollicetur Deus se fore ipsi Deum, quoad animam & corpus; se semper ipsi fore Deum fœdere perpetuo, non minus mortuo, quàm vivo; denique se, qui sit Deus sufficientiæ, fore ipsi clypeum, & amplam mercedem *Gen.* 17. v. 1. 7. & *cap.* 15. v. 1. Secundò, ex formulæ hujus interpretatione apud Mosen, *Exod.* 3. v. 6. *Lev.* 26. v. 12. *coll. cum* 2. *Cor.* 6. v. 16. *seqq. Deut.* 33. v. 29. Davidem, *Psal.* 144. v. 15. & 33. v. 12. *coll. cum Psal.* 32. vers. 1. 2. Esaiam, *cap.* 33. v. 22. 24. Habacucum, *cap.* 1. v. 12. Lucam, *cap.* 20. vers. 37. & Paulum, *Rom.* 4. v. 3. *Gal.* 3. vers. 14. Qui omnes promissionem & benedictionem Abrahæ de vitâ æternâ exponunt. IV. Lex Mosaica habet promissiones vitæ æternæ. Ergò etiam Vetus Fœdus. *Consequentia* patet. De veritate *Antecedentis* constat ex promissionibus legalibus, *Levit.* 18. v. 5. *Deut.* 30. v. 19. *Ezech.* 20. v. 21. quæ ipso Christo interprete de vita æterna intelligendæ sunt *Luc.* 10. v. 25. 28. V. Scriptura Veteris Testamenti docet vitam æternam, & ad eam ducit credentes. Ergò etiam credentibus vitam illam patefacit & promittit. *Antecedens* demonstratur, partim manifestis testimoniis, Christi, *Ioh.* 5. vers. 39. & Pauli, 2. *Tim.* 3. vers. 15. *Rom.* 15. v. 4. partim etiam ex epithetis illis, quæ Scripturæ Veteris Testamenti per Metonymiam efficientis tribuuntur *Esa.* 40. v. 8. 2. *Corinth.* 3. v. 6. 2. *Tim.* 1. vers. 10. 1. *Pet.* 1. v. 23. 25. VI. Quibus ipsa bona corporalia symbola fuerunt bonorum Spiritualium, & vitæ æternæ; iis certè promissiones vitæ æternæ factæ sunt. Patribus Veteris Testamenti fuerunt: argumento locorum, *Rom.* 4. vers. 12. *seqq.* 1. *Cor.* 10. vers. 1. 2. *seqq. Hebr.* 11. v. 8. 9. 10. *seqq.* Ergò. VII. Si patres non habuerunt promissionem ac spem vitæ melioris, adeoque æternæ, omnium hominum miserrimi fuerunt. Atqui non fuerunt miserrimi, sed beatissimi. Ergò. *Propositio* est Apostoli, 1. *Cor.* 15.

3. q. fœdere Abrahamico fuit comprehensa.

4 q. Lex Mosis promissiones de eâ habet.

5. q. Scriptura V. T. eam docet.

6. q. bona corporalia fuere in V. T. typi vitæ æternæ.

7. q. alias Patres fuissent omnium miserrimi.

1. *Corinth.* 15. v. 9. cujus rationem tum ibi, tum alibi *Hebr.* 11. exponit. *Assumtio* Davidis *Psal.* 144. v. 15. & 32. v. 1. 2.

His satis superque confirmata est Theseos Orthodoxæ veritas. *Antithesis Sociniana* trimembris est. *Primo* membro sententiæ suæ rationes exponunt. *Altero*: quomodo Patres Veteris Testamenti vitam æternam adepti sint edisserent. *Tertio*: cur promissum vitæ æternæ in tempus usque Novi Testamenti dilatum fuerit declarant. Singula seorsim & distinctè considerabimus.

Rationes Socinianorum vel principium manifestè petunt, vel fallaciâ à dicto secundùm quid, aut aliis modis à scopo aberrant. *Primum* longa locorum inductione suprà confutavimus. Observat quidem Augustinus *lib.* 19. *contra Faustum cap. ultimo*, Regnum cœlorum nuspiam in lege expressè nominari; idem tamen satis esse docet, quod nominantur æquipollentia, *benedictio, beatitudo, vita, æternum Sabbathum, novum cœlum.* Nos vero salutis, vitæque æternæ expressam etiam mentionem in eâ exstare ex *Esa.* 45. vers. 17. *Dan.* 12. vers. 2. *Psal.* 16. vers. 11. evicimus. Ad *Secundam* dicimus, falsum esse quod vita æterna demum & primum in Novo Testamento per Christum promissa fuerit, antè verò simpliciter latuerit apud Deum. Nam docet Apostolus, *Ephes.* 3. v. 5. aliis ætatibus non innotuisse, prout nunc revelatur sanctis. Nota igitur jam olim fuit promissio vitæ, licet non tam nota, aut tam multis nota, quàm nunc, in hâc temporis plenitudine. Alium sensum in locis allegatis frustrâ quærunt. *Johann.* 1. vers. 18. sermo est de clarâ, apertâque Dei cognitione in Christo, quam neque gentes ex lumine naturæ, neque Judæi ex promissionibus & typis Veteris Testamenti percipere potuerunt. Christus autem in carne manifestatus sermonibus & operibus nobis exhibuit. Conferatur versus 17. antecedens. 2. *Tim.* 1. v. 10. loquitur Apostolus de complemento promissionum, quæ in Veteri Testamento adumbratæ fuerunt obscuris typis ac figuris; nec simpliciter ait Christum vitam & incorruptibilitatem in lucem produxisse, sed produxisse per Euangelium; ut ostendatur, promissionibus Veteris Testamenti obscurioribus novum, & coruscum lumen illatum esse ex prædicatione Euangelii de Christo exhibito. 1. *Joh.* 1. vers. 2. Christus vita æterna appellatur tum subjectivè, quia est ille æternùm vivens, qui est, & qui erat,

Diluuntur rationes heterodoxæ.

Prima.

Secunda.

Vindiciæ locorum *Ioh.* 1 v. 18.

2. *Tim.* 1. v. 10

1. *Joh.* 1. v. 2.

& qui venturus est, *Apoc.* 1. v.4.8. tum effectivè, quia vitæ æternæ autor est, & largitor *Ioh.* 11. v.25. & *cap.* 14. vers. 6. Sicut verò ipse obscurius in Veteri, clarius in Novo Testamento agnitus fuit: ita vita æterna, cujus olim obscurior erat cognitio, cum ipso in carne exhibito clarissimè innotuit. 1. *Iohan.* 2. vers. 25. promissio vitæ æternæ Christo tribuitur, non quasi tum primum cœperit, sed quod omnibus credentibus, ac in fide perseverantibus se vitam illam certò daturum verbo Euangelii declararit. Et planè inconsequens est ratiocinatio; Christus in Novo Testamento promisit vitam æternam. Ergò Deus in Veteri Testamento eam nonpromisit. Ex *tertiâ* ratione inferendum non est nullam sub lege consequendæ vitæ æternæ spem affulsisse, sed spem illam fuisse angustiorem, & obscuriorem: siquidem melior dicitur spes Novi Testamenti, *Hebr.* 7. v. 19. tum quia amplior, augustior, atque illustrior est priore: tum etiam quia Christus sacerdos Novi Testamenti ex se, & per se, in spem gratiæ divinæ nos erigit, quod Sacerdotium Leviticum nullo modo præstare potuit. *Quartæ* rationis assumtio neganda est. Præstantiora promissa non sunt promissa vitæ æternæ, propriè & absolutè: sed remissionis peccatorum, & inscriptionis legis in cordibus nostris. Vetus fœdus etiam promisit patribus æternam salutem, sed sub conditione perfectæ obedientiæ, vires verò obediendi nec promisit, nec dedit: At Novum Fœdus & vires obediendi confert fidelibus, & omnium omnino peccatorum veniam pollicetur. Hunc in modum ex *Ierem.* 31. ipse Apostolus infrà, vers. 9. 10. *seqq.* rem declarat. Nec est quod regerant, ita Patres Veteris Testamenti expertes fuisse illarum promissionum, adeoque substantiale discrimen esse inter utrumque fœdus; quia Vetus Fœdus hîc strictius accipit Apostolus, quatenus legale genus doctrinæ designat: cum latiore significatu legem pariter, & ἐπαγγελίαν complectatur. Quod ergò Patres obtinere nequiverunt ex lege, id per ἐπαγγελίαν fide apprehensam adepti sunt.

Margin notes: 1. Ioh. 2. v. 25 — tertia. — quarta.

Modus quo absque præviâ patefactione ac promissione Patres vitam æternam sperasse & consecuti fuisse dicuntur, merum commentum est hæretici cerebri. Spes, quæ quidem certa est, ac immota, non minus Dei verbo nititur quàm fides, *Roman.* 15. vers. 4. & *cap.* 5. v. 5. quæ rerum sperandarum est ὑπόστασις *Heb.* 11. v. 1.

Margin note: Patres V.T. vitam æternam præviâ revelatione crediderunt & adepti sunt.

v. 1 Et cum ignoti nulla sit cupido, quomodo ipsi desiderare ac sperare vitam æternam potuerunt, nullo Dei verbo sibi patefactam aut promissam? Neque enim cognitionem ejus vel sensibus percipere, vel cogitando assequi valuerunt, si Apostolo credimus 1. *Cor.* 2. v. 9. 10. Sic ergò vixerunt Sancti Patres in ignoratione summi boni, ultimique finis sui: media ad obtinendum illum finem nec habuerunt, nec quæsiverunt: Denique vitam ęternam planè fortuitò, præter suam intentionem adepti sunt: quæ omnia ut in ipsos summè injuria, ita à doctrinâ Scripturæ prorsus aliena sunt. *Heb.* 11. v. 9. 10. *seqq. Matth.* 20. v. 23. Potest sanè Deus plus facere, quàm promisit, imò quàm nos petimus aut cogitamus, *Ephes.* 3. v. 20. sed à posse ad velle & facere fallax est ratiocinatio. *Deus noster in cœlis est, quicquid voluit fecit Psal.* 115. vers. 3. Præterea in negotio salutis, sivè sub lege, sivè sub Euangelio à verbo promissionis semper homines suspendit *Lev.* 18. vers. 5 *Marc.* 16. v. 16. *Rom.* 10. v. 5. 9. Jam Christus *Luc.* 20. v. 37. 38. præsentem beatitudinem & futuram resurrectionem Patrum non demonstrat subtili quadam & profundâ argumentatione extra promissionem, verum ex ipsâ promissione fœderali, in Scripturâ multoties declaratâ, atque etiam in vulgus notâ, eam deducit: Deus est Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi, quoad animam & corpus, fœdere æterno *Genes.* 17. v. 7. Ergò ipsi nunc vivunt Deo, & suo tempore resurrecturi sunt: siquidem beati in hâc & futurâ vitâ prædicantur, quorum Jehova Deus est *Psal.* 33. vers. 12. *&* 144. v. 15. Eodem modo eorundem Patrum beatitudinem concludit Apostolus, *Hebr.* 11. v. 16. sic tamen ut eam antè ipsis promissam, & typo terræ Chanaan adumbratam fuisse ostendat v. 9. 10. *seqq.*

Luc. 20. v. 37. 38. explicatur.

Postremò *causa dilatæ promissionis* de vitâ æternâ in tempus Novi Testamenti, quam allegant, vera non est. Etiam Patres intellexerunt vitam æternam esse proprium ipsius Dei munus: esse insuper munus gratuitum, quod nullis operum meritis possint consequi *Gen.* 5. v. 24. *& cap.* 12. v. 3. *vel ut alii c.* 11. v. 35. *& cap.* 15. v. 6. *Deut.* 7. v. 7. 8. *Psal.* 16. v. 11. *&* 32. v. 1. 2. *&c.* Sic verò jugulat errorem hęreticorum. Nam si Deus etiam Patribus revelavit vitam æternam esse proprium ac gratuitum suum donum, utique jam tum promissiones vitæ æternæ ipsis proposuit.

Patribus notum fuit V. Æ. esse gratuitum munus Dei.

Antithesis II.

In Novo Fœdere non minus promissa sunt bona corporalia, quàm in Veteri, argumento locorum, 1. Tim. 4. v. 8. Marc. 10. v. 29. 30. *sed hoc discrimine, quòd homini Christiano data sunt promissa illa, ne desit ei quicquam, quòd ad vitam hanc tuendam necessariò requiritur. Patribus verò data olim fuere, ut etiam superflua multa, voluptates, & alia, sine quibus esse in hâc vitâ possumus, sibi pararent, modo id sine aliorum injuriâ fieret.*

Responsio.

Promissiones de bonis corporalibus communes in utroque Test.

Promissiones bonorum corporalium communes esse utrique Testamento merito agnoscimus: rejicimus verò discrimen illud quod inter eas ipsi confingunt, utique non alio fine, quàm ut stabiliant sententiam suam de brutâ ac voluptariâ Patrum vitâ, absque promissione, & fide vitæ melioris pecudum in morem traductâ. Equidem habuerunt Patres promissiones, non tantùm de sufficientiâ bonorum corporalium, sed etiam de abundantia: Et nos habemus non valdè dissimiles, licet cum manifesta exceptione castigationis crucis *Matth.* 19. vers. 29. *Marc.* 10. v. 30. Ipsi usi sunt bonis corporalibus non solùm ad conservationem vitæ, sed etiam ad piam hilaritatem: idem nobis licet, tum inprimis, cum Deus halcyonia Ecclesiæ ac Reipublicæ concedit.

Discrimine tamen triplici.

Aliundè igitur accersendum est hoc discrimen. Id nos triplex facimus. I. Vetus Testamentum habebat promissiones speciales

1. de certis quibusdam beneficiis corporalibus, de terra Chanaan Ecclesiæ danda; de Politiâ Mosaicâ in eâ conservandâ usque ad tempus Messiæ; de Messia nasciturо ex illo populo; de vita longæva, &c. Novum verò ejusmodi promissiones corporales speciales non habet, sed tantum in genere, quod Deus aliqua Ecclesiæ hospitia sit servaturus, usque ad finem, suisque necessaria vitæ subsidia largiturus 2. *Tim.* 4. vers. 2. *Ephes.* 6. vers. 8. II.

2. In Veteri Testamento bona corporalia promissa symbolica fuerunt, quæ spiritualia Christi beneficia præfigurabant, atque obsignabant fidelibus, prout ante ostendimus. In Novo Testamento autem Symbolica non sunt, neque adjunctam rerum Spiritualium significationem habent, argumento locorum *Coloss.* 2. vers.

17. *Hebr.* 10. vers. 1. III. Promissiones bonorum corporalium non modo frequentissimæ erant in Veteri Testamento, sed etiam per se proponebantur: At in Novo Testamento, præterquam quod rariores sunt, etiam velut additamenta quædam sive auctaria promissionibus bonorum spiritualium annectentur, sicut dicitur; *Quærite primò regnum Dei, & justitiam ejus, & cætera adjicientur vobis* Matth. 6. v. 33.

Antithesis III.

Expiatio peccatorum non est una, ac eadem in utroque Fœdere, sed diversa; multoque excellentior est in Novo Fœdere, quàm olim erat sub Vetere: id verò duabus potissimùm de causis. Prior *est, quòd sub Veteri Fœdere tantùm peccatis infirmitatis aut imprudentiæ constituta erat expiatio per sacrificia legalia, non item peccatis gravioribus, utpote quibus pœna mortis fuit proposita. Quod si Deus talia alicui condonabat, id non vi fœderis fiebat, sed citra fœdus, ex singulari, & liberrimâ Dei misericordiâ: sub Novo Fœdere autem non solum infirmitatis, aut imprudentiæ, sed etiam alia graviora peccata expiantur, dummodo ab iis se peccator convertat.* Posterior *verò causa est, quod sub prisco Fœdere tantum expiabantur peccata, quoad reatum pœnæ temporariæ: & sub novo etiam expiantur quoad reatum pœnæ æternæ, & ut loco pœnæ vita in fœdere promissa offerantur, ut est* Heb. 9. v. 12.

Responsio.

Unâ hâc antithesi assertiones falsas, blasphemas, quatuor conjungunt hæretici Sociniani: *Prima* est: peccata Patrum sub Veteri Testamento non esse expiata per Christum & futuro ejus sacrificio. *Secunda*: peccatis gravioribus non fuisse propositam expiationem in Veteri Fœdere, neque etiam vi Fœderis iis obtigisse. *Tertia*: peccata leviora, infirmitatis, imprudentiæ, alia, victimis legalibus verè fuisse expiata. *Quarta*: Expiationem peccatorum olim factam esse tantùm, quoad pœnæ temporariæ reatum. Nos singulas assertiones singulis rationibus oppositis refellemus & convellemus.

Quadruplex error Socinianorum.

Prima sic refutatur: Ubi idem est Servator à peccatis merito & efficaciâ, ibi una eademque est peccatorum expiatio. In utroque Testamento, Vetere, & Novo, idem est Servator à peccatis, merito, & efficaciâ, nimirum Christus Jesus. Ergò & una

I. Patrum V. T. peccata fuerunt expiata per Christum.

 eadem

eademque peccatorum expiatio. *Major* certa est; siquidem duplici illo servandi modo peccata perfectè expiantur *Rom.*4.v.25. *Minor* testimoniis Scripturę demonstratur, tum in genere, *Luc.* 1.v.70.71. *Actor.*3.v.24.25. *& cap.*10.vers.43. *& cap.*15.v.11. *Heb.*13.vers.8. *Apoc.*13.vers.8. tum in specie, *Genes.*3.v.15. *& cap.*12.v.2.3. *Psal.*22.v.1.*seqq.* & 110.v.1.*seqq.* *Esa.*53.v.4.*seqq.* *Dan.*9.v.17.24.*seqq.* *Matth.*1.v.21. *& cap.*26.v.28. *Ioh.*10.v.15.28. *Actor.*20.vers.28. & *cap.*5.v.31. *Rom.*8.v.33.34. Discrimen igitur expiationis peccatorum, quod ex *Rom.*3.vers.25.26. *Hebr.*9.v.15. aut aliunde elicitur, ad circumstantias, non ad rem ipsam pertinet. In Veteri Testamento fiebat expiatio peccatorum propter futurum Christi sacrificium: In Novo Testamento fit propter idem sacrificium jam prętitum: Illic proponebatur sub typis & figuris, hic absque involucris, clarè, apertèque exhibetur.

II.Eorum etiam graviora peccata expiata.

Secunda sic: Ubi est remissio omnium peccatorum, etiam adulterii, homicidii, idololatrię, & quidem ex promissione fœderis, ibidem gravioribus quoque peccatis proposita est, & vi fœderis obtingit expiatio. In Veteri Testamento fuit remissio omnium peccatorum. Ergò. *Major* suâ luce claret. *Minor* probatur partim dictis, *Psal.*103.vers.3. & 130.vers.3.8. & 32. vers.1.2.5. *Hos.*14.v.3. partim exemplis; Davidis, 2.*Sam.*12.v.13. & *Psal.*51.vers.3.*seqq.* Salomonis, 2.*Sam.*7.v.14.15. *Psal.*89.v.33.34. Manassis, 2.*Chro.*33.v.12.13.*seqq.* & aliorum partim etiam ratione; quia Israëlitę victimis legalibus ab omnibus iniquitatibus suis, gravibus: levibus, typicè & sacramentaliter expiabantur *Lev.*16.v.16.21. *& cap.*6.v.2.6. *& cap.*5.v.3. Quod verò ex promissione fœderis obtigerit patribus peccatorum venia, ex antedictis vel cœco queat liquere. Et præcipua promissio fœderis gratuiti est de remissione peccatorum, *Gen.*17.v.7.*coll. cum. cap.*15.v.6. *Ier.*31.v.33. sicut unica ejus basis ac fundamentum est singularis, liberrima ac gratuita Dei misericordia, *Deut.*7.v.8. quàm proindè prępostere excludunt à fœdere, & ei opponunt. His non repugnat, quod ad *Heb.*9.v.7. Pontifex dicitur obtulisse pro ignorantiis populi. Neque enim tantum dicitur obtulisse pro ignorantiis: & est affectata quædam ignorantia in peccatis contra conscientiam, quam ne ipsi quidem peccatis levioribus accenserint.

*Heb.*9.v.7.explicatur.

III. Victimæ legales nulla peccata expierunt.

Tertia sic: Quæ victimæ non potuerunt auferre peccata, nec acce-

accedentes ad Deum sanctificare in conscientiis suis, sed ea reliquerunt inexpiata, donec morte Christi expiarentur, iis nulla peccata verè & realiter expiabilia fuere. Atqui victimæ legales non potuerunt auferre peccata, *Hebr.* 10. v.4. nec accedentes ad Deum sanctificare in conscientiis suis *cap.* 9. v. 9. & *cap.* 10. v. 1. Reliquerunt autem inexpiata peccata, donec morte Christi expiarentur, ut est *cap.*9.v.15. *Rom.* 3. v.25. Ergò.

Quarta sic: Qui acceptâ per fidem remissione peccatorum beati fuerunt, eorum expiata sunt peccata; non solùm quoad temporariæ, verùm etiam æternæ pœnæ reatum. Patres Veteris Testamenti per fidem acceptâ peccatorum remissione beati fuerunt. Ergò. De *Majore* constat ex definitione beatitudinis κατ' ἐξοχὴν institutâ, ex *Galat.* 3. v. 13. *Rom.* 8. v. 1. *Minor* probatur I. Testimoniis; Davidis, *Psal.* 32. v. 1. 2. & Pauli, *Rom.* 4. v. 6. 7. II. Ratione; Qui immunes censentur ab omni peccato tum commissionis, tum omissionis, ii sunt verè beati. Patres V. Test. quibus Deus remisit peccata per fidem, immunes censebantur ab omni peccato tum commissionis, tum omissionis *Genes.* 15. v. 6. Ergò.

IV. Expiatio eis obtigit etiam quoad æternæ pœnæ reatum.

Antithesis. III.

Modus justificationis non est idem in utroque Testamento: nec justificati sunt Patres fide Christi exhibendi, quemadmodum nos fide exhibiti justificamur coram Deo, verum tota ipsorum justificatio pependit ex merâ Dei gratiâ extrà Christum spectatâ. Id probatur. I. *Quia universa Scriptura nullam fidei mentionem facit; nisi pro tempore, quo Christus jam fuit exhibitus.* II. *Quia testatur Apostolus fidem in Christum demum venisse per Euangelium.* Gal.3.v.22.seqq. III. *Quia* Hebr.11. *fides Patrum non ab objecto speciali Christo, verùm à generali, quòd est Deus Pater, ille cœli terræque opifex, describitur.*

Responsio.

Antitheseos hujus falsitas, etsi ex antedictis etiam manifesta esse potest. his tamen duobus argumentis præcipuè redarguitur. *Primum*: Qui ex Dei misericordiâ per fidem Christi venturi justificati sunt, illi non sunt justificati merâ Dei gratiâ extra Christum. Patres Veteris Testamenti ita sunt justificati. Ergò. *Assumtio* probatur inductione illustrium aliquot exemplorum. Abraham

Patres V.T. justificati sunt per Christum, non ex merâ gratiâ.

ham fide Christi justificatus est: *Genes.* 15. v.6. *Credidit Abraham Deo,* scil. promittenti semen illud benedictum, *& imputatum est ei in justitiam.* Item David, *Psal.* 32. v.1.2. *&* 51.v.9. *&* 130.v.3.4.8. *inter se collatis.* Sic Esaias *cap.* 53.v.11. se aliosque fideles cognitione Christi justificatos docet. Denique Daniel sibi & toti Ecclesiæ Deum vult esse propitium propter Dominum Christum *cap.* 9. v. 27. Ergò. *Secundum*: Quæ conferuntur inter se ut paria, & quorum unum per alterum confirmatur dictis, & exemplis, illa se habent eodem modo. Justificatio Patrum in Veteri, & fidelium in Novo Testamento, conferuntur inter se ut paria Actor.15.v.11. *Credimus nos per gratiam Iesu Christi servari, quemadmodum & illos*, scil. Patres nostros cap.10.v.43. *Huic* (Christo) *omnes Prophetæ testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus, quemvis qui crediderunt in eum* cap. 4.v.12. *Non est in alio quoquam salus: Nec enim aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari.* Rom.3.v.29.30. *An Iudæorum Deus solum, an non & gentium; certè & gentium, siquidem Deus unus est, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Insuper justificatio fidelium in Novo Testamento, dictis & exemplis justificatorum in Veteri Test. confirmatur *Rom.* 3.4. *Gal.* 2.3.*capp.* & alibi Ergò.

Sed excipiunt adversarii, dictum *Act.* 15. v.11. esse impertinens; quia vox κἀκεῖνοι, *& illi*, non referatur ad propiora verba, in quibus Patrum fit mentio, sed ad remotiora, in quibus sermo habetur de gentibus, quæ Judæis credentibus aliquoties opponantur, ut liquet ex vers.8.9.10.11. Nec officere ajunt huic interpretationi, quod vox *Patres* propior sit quam Gentes vel quod vox *gentes* in Græco Neutrius sit generis, non conveniens pronomini masculino. nam pronomina relativa ad paulo longinquiora haud raro referri in Scriptura: alicubi etiam vocem gentes, conjungi genere masculino, vel saltem ad illud respicere. Prætere cavillantur, *Actor.* 4.v.12. nullam exstare mentionem temporis præteriti, sed tantùm præsentis: & voci salutis in Græco addi articulum, nempè ut intelligatur, de novâ, ac prius inauditâ salute hîc agi; quam proponere cœpit Johannes Baptista, in remissione omnium, etiam gravissimorum peccatorum, & perpetuâ ac plenissimâ liberatione ab ira Dei. Sed tàm vanis, ac inanibus cavillis non eluduntur firmissima atque evidentissima Scripturarum testimonia, *Act.* 15.v.11. pronomine relativo non alios, quàm Patres

Vindiciæ dictorum *Act.* 15.v.11.

tres notari, docet immediata antithesis enuntiationum; negativæ vers. 10. neque nos, neque Patres nostri servari potuerunt per legem, quæ jugum est importabile; & affirmativæ vers. 11. & nos, & illi, scil. Patres servantur per gratiam Christi. Idem nexus sententiarum evincit. Quæstio erat, num salus esset ex observatione legis? Petrus negat, argumento gemino: Uno ad adjuncto legis, quòd sit jugum importabile, tum ipsis, tum Patribus v. 10. Altero à contrario, quia serventur per gratiam Christi, tum ipsi, tum Patres v. 11. Ubi membrum posterius distributionis non repetit propter solum antithetum, verum etiam, ut quo modo Patres servati essent, intelligeretur. Non negamus quidem alicubi etiam ad remotiora referri pronomina, sed id rarum est, & hîc locum habere non potest Per synthesin quoque diversi generis nomina, & pronomina aliquando conjunguntur, ut *Matth.* 28. v. 19. *Rom.* 2. v. 14. quoties nimirum sensus magis, quàm vox attenditur; idem verò etiam hîc fieri pernegamus: Nec illud evidens analogia constructionis ullo modo patitur. Quod alterum locum *Act.* 4. v. 12. attinet, ejus enunciatum non restrictivæ, sed absolutæ est universalitatis, non minus Veteri, quam Novæ Ecclesiæ conveniens: sicut Christus Catholicus est Servator, heri, & hodie idem, in secula *Heb.* 13. v. 8. Verba verò enunciati in præsenti efferuntur, pro more Scripturæ, quæ de rebus perpetuis, & quidem in actu continuo positis, ita loqui consuevit 1. *Tim.* 2. v. 5. *Joh.* 1. v. 29. *Rom.* 2. v. 11. Articulus voci σωτηρίας additur pro ratione nominum substantivorum, sicut alibi quoque fit, *Act.* 27. v. 34. *Rom.* 11. v. 11. & *cap.* 13 v. 11. non autem peculiaris cujusdam ἐμφάσεως causa. Nec nova esse potest salus, de quo jam olim vaticinati sunt omnes Prophetæ, 1. *Petr.* 1. v. 11. 12. aut inaudita remissio peccatorum, quâ etiam Patres Veteris Testamenti beati fuere *Psal.* 32. v. 1. 2.

Act. 4 v. 12.

Restat nunc ut argumenta adversariorum paucis perstringamus. *Primùm*; quòd Scriptuta Veteris Testamenti nullam fidei in Christum mentionem faciat, apertè falsum est; dicit enim, *Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam*, Gen. 15. vers. 6. Item, *Credidi, & ideo locutus sum*, Psalm. 116. v. 10. Item: *Servus meus justus cognitione sui justificabit multos*, Esa. 53. v. 11. Item, *Iustus ex fide sua vivet*, Hab. 2. v. 4. quæ omnia de fide Christi & Euangelii interpretatur Scriptura Novi Testamenti

Refelluntur argumenta contraria. Primum.

menti *Rom*.4.verſ.3.*ſeqq*. 2.*Cor*. 4. v. 13. *Iohann*. 17.v.3. *Rom*.1.v. 16.17. *Secundùm* ludit homonymiâ in vocabulo Fidei. *Galat*. 3. v.23.25. fides non eſt habitus vel actus, quo juſtificamur coram Deo, ſed metonymicè accipitur pro objecto ſuo principaliore Christo, quo veniente in carnem, ipſa fides, hoc eſt res credita veniſſe dicitur. *Tertium* bifariam diſcedit à vero: ſemel dum negat, *Hebr*. 11. deſcribi fidem ab objecto ſuo ſpeciali Chriſto: Atqui objecti illius etiam expreſſa mentio habetur verſ. 26. & in concluſione totius exhortationis, *cap*. 12. verſ.1. repetitur. Implicita autem occurrit partim in typico ſacrificio Abelis, verſ.4. partim in promiſſionibus Abrahæ, & cæteris Patriarchis factis, v. 8. *ſeqq*. quarum caput, & objectum principale fuit Chriſtus ex illorum ſemine oriundus *Gal*. 3. v.16. Iterum quatenus objectum fidei generale opponit ſpeciali, & per illud ſubvertit. At longè aliter ipſe Chriſtus ratiocinatur *Ioh*. 14.v.1. Si etiam filii reſpectu Pater eſt, & per eum creator; certè nomen Patris, & creatoris, non excludit filium, ſed includit.

Secundum. *Gal*. 3. v. 23. 25. vindicatur:

Tertium.

Antitheſis V.

Victimæ legales non adumbrarunt expiatoriam Chriſti victimam, nec typi ejus aut figuræ fuerunt; ſed ſacrificia illa, quæ populus Iſraëliticus pro peccatis offerebat, re ipſâ expiabant peccata omnia, pro quibus offerebantur; non quidem virtute propriâ, aut merito, ſed ex ordinatione Dei, propter illa tum volentis remittere peccata.

Reſponſio.

Hujus antitheſeos duo membra ſunt: *Negativum*, quod victimæ legales non adumbrarint ſacrificium Chriſti; & *Affirmativum*, quod veram & realem expiationem ipſæ præſtiterunt. Utrumque manifeſtè eſt falſum, & doctrinæ Orthodoxæ repugnans. Falſitas *poſterioris* ſupra antitheſi tertiâ demonſtrata eſt. *Prioris* hoc argumento evincitur. Umbræ, typi, figuræ, & exemplaria ſacrificii Chriſti, ipſum ejus ſacrificium præfigurarunt; & adumbrarunt. Victimæ legales in Veteri Teſtamento fuerunt umbræ, typi, figuræ, & exemplario ſacrificii Chriſti. Ergò ſacrificium ejus præfigurarunt & adumbrarunt. *Propo-*

Victimæ legales adumbrarunt ſacrificium Chriſti.

sitio argumenti patet ex naturâ relatorum, atque etiam ex notatione. *Assumtio* probatur testimoniis Scripturæ. In Epistolâ *ad Hebræas* Apostolus legalia illa vocat σκιὰν, *cap.* 8. v. 5. & *cap.* 10. v. 1. παραβολὴν, *cap.* 9. v. 9. ὑποδείγματα, *cap.* 8. v. 5. & *cap.* 9. v. 23. ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, *cap.* 9. v. 24. *Colloss.* 2. v. 17. asserit umbram fuisse in cærimoniis, corpus in Christo, quod nihil aliud est, quàm cærimonias Christum præfigurasse, *Iohan.* 1. vers. 17. dicitur legem per Mosen datam esse, gratiam & veritatem per Jesum Christum. Veritas autem ut ἀντίτυπον, typo legali respondet. Hinc Apostoli semper urserunt abrogationem legalium victimarum, & rituum, quia veritate revelata, & antitypo exhibito, meritò cessare debent umbræ, typi, & exemplaria, juxta prædictionem Danielis *cap.* 9. v. 24.

QUÆST. XX. Num igitur omnibus hominibus qui in Adamo perierant per Christum salus redditur.

RESP. ***Non omnibus, verum iis tantum qui verâ fide ipsi inseruntur, ejusque beneficia amplectuntur.***

EXEGESIS.

POst explicatam doctrinam de possibilitate ac modo liberationis per Christum mediatorem, rectè etiam quæritur de ejus Objecto, sive Subjecto recipiente: Quo suam liberet mediator: sive qui liberationis participes fiant; Omnesne, an aliqui tantùm. Si enim ulli fierent participes, frustrà facta esset. Innuitur autem in ipsâ quæstione *prolepsis*, sive *occupatio*, ex doctrina de mediatore in speciem deducta. Si Christus est mediator Dei & hominum, omnibus hominibus qui in Adamo perierant per Christum salus redditur. Atqui Christus est mediator Dei & hominum; juxta assertionem quæstionis XVIII. & confirmationem quæstionis XIX. Igitur omnibus hominibus qui in Adamo perierant per Christum salus redditur.

Responsio Catechetica constat simplici inficiatione consequentiæ, sed quæ antithesi universalitatis, & particularitatis illustratur. Negat enim, omnibus & singulis hominibus à Christo — Liberatio per Christum Mediatorem obtingit.

sto salutem reddi: contrà affirmat beneficium liberationis ad solos credentes pertinere. Utrumque membrum αὐτηθέως traditur in Scripturâ, claris & expressis testimoniis. Prius Matth. 7. v. 14. *Angusta est porta, & stricta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniant eam.* Item, v. 21. *Non quisquis dicit mihi, Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum.* Iterum Luc. 12. v. 32. *Ne metue parve grex; nam libuit Patri vestro, dare vobis regnum.* Huc pertinet descriptio ultimi judicii, *Matth.* 25. v. 34. *seqq.* & quod alibi inquit Servator, *Multi sunt vocati, pauci electi*, cap. 20. v. 16. & cap. 22. v. 14. Posterius Joh. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* & v. 18. *Qui credit in eum non condemnatur, qui verò non credit jam condemnatus est.* Sic Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur, qui verò non crediderit, damnabitur.* Ratio negatæ consequentiæ à priore hic reticetur, alibi verò docetur, & hæc est; quod Deus non omnes & singulos homines liberandos dedit Christo mediatori, sed eos duntaxat, quos ipse pro beneplacito voluntatis suæ ad vitam æternam elegit. De quâ ita ipse Servator Joh. 17. v. 9. 19. *Non pro mundo rogo, sed pro iis rogo quos dedisti mihi;* Et *eorum causâ ego sanctifico me ipsum*, hoc est, offero me tibi in sanctam victimam. Item. v. 6. *Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, selectos è mundo.* Et v. 2. *Dedisti filio autoritatem in omnem carnem, ut quotquot dedisti ei, det eis vitam æternam.* A posteriore verò Catechesis hanc affert rationem; quod soli credentes verâ fide Christo inseruntur, ejusque beneficia amplectuntur. Christus enim neminem liberat & servat, nisi qui est suus; sicut dicitur Matth. 1. v. 21. *Ipse servabit populum suum à peccatis ipsius.* Nemo autem Christi est nisi per fidem, per quam induitur, & habitat in cordibus nostris *Gal.* 3. v. 26. 27. *Ephes.* 3. v. 17. Fidem igitur hic à gemino effectu describit: ab insitione, quâ ipsi ut plamites viti, *Ioh.* 15. v. 4. 5. 6. surculi arbori, *Rom.* 6. v. 5. rami radici, *cap.* 11. v. 16. oleastri oleæ, v. 17. 20. 23. 24. inseruntur atque implantantur credentes, & cum ipso ceu membra cum capite uniuntur *Ephes.* 4. v. 15. 16. & *cap.* 5. v. 23. *seqq.* Et deindè à participatione beneficiorum ipsius, quæ sunt, remissio peccatorum, sive donum justitiæ, *Actor.* 26. v. 22. *Roman.* 4. vers. 17. υἱοθεσία, *Ioh.* 1. v. 12. purificatio cordium, *Actor.* 15. v. 19. & vita-

[Margin notes: non omnibus, | sed solis credentibus; | Quia Deus solos electos Christo dedit liberandos. | Quia soli credentes Christo inseruntur.]

ta æterna 1.*Tim*. 6. v.12.19. Quæ singula non nisi per fidem accipuntur, &obtinentur.

Huic responsioni duo præcipuè opponuntur. *Vnum* est quod *Rom*. 5. v. 18. 19. 1.*Cor*.15. v. 22. Apostolus maleficium Adæ & beneficium Christi objectis inter se exæquat; disertè docens, sicut per Adamum in omnes homines propagata sunt peccatum & mors: ita per Christum propagari in omnes homines justitiam & vitam. Undè sequitur, omnes universim, quotquot perierunt in Adamo, per Christum restitui. *Alterum* est, quod passim Scriptura testatur, Deum velle omnes homines salvos fieri, Christum esse servatorem omnium, atque adeo propitiationem pro totius mundi peccatis 1.*Tim*.2.v.4. *cap*.4. v. 10. 1.*Ioh*. 2. v. 2. Non igitur solorum credentium servator est. Huncin modum doctrinam Catecheseos oppugnare solent gratiæ universalis patroni; sed præter, & contra mentem Scripturæ. *Rom*. 5. v.18.19. & 1.*Cor*. 15. v.22. si particula *omnis* absolutæ est universalitatis: jam omnes homines non minus actu justi fiunt in Christo, & vivunt per eum, quam actu ipso injusti, & filii iræ constituuntur ex Adamo & propter eum: id quod Scripturæ pariter, & experientiæ è diametro repugnat. Præterea Apostolus eodem capite sibi manifestè contradiceret: qui *vers*.18.19. æqualitatem statuisset beneficii & malificii: antè verò v. 16.17. & post v.20.sui oblitus, utriusque inæqualitatem ostendisset, & illus supra hoc exuberantiam commendasset. Quid ergo? Dicimus restrictam quandam universalitatem intelligendam esse in ἀποδόσει comparationis, quæ vers.18. 19. instituitur, ut omnes illi sint omnes pertinentes ad Christum, & in ipsum credentes. Et probatur I. Ex scopo comparationis Apostolicæ, omnibusque ejus partibus, inde à v. 14. Confert inter se Adamum & Christum, ut duas stirpes seu arbores; quarum utraque, quæ habet, in suos ramos propagat. Adamus in omnes suos transfundit peccatum & mortem: Christus in omnes suos justitiam, & vitam. Omnes ergo justificantur, qui sunt Christi, & in Christo, h.e. credentes. II. Ex limitatione v. 17. Ubi omnes illi dicuntur quotquot donum justitiæ fide accipiunt, quales certè non sunt omnes homines 2. *Thess*.5. v. 2.sed omnes credentes *Rom*. 3.v. 22. III. Ex exegesi v.19.ubi vocabulo πάντες substituit Apostolus vocabulum πολλοὶ, idque cum articulo, qui vim habet ἀναφορικὴν q. d. multi illi, certi generis & ordinis, quorum ante facta men-

Vindiciæ locorum *Rom*. 5. v. 18 19. & 1. *Cor*. 15. v. 22.

mentio est. Sic ergo dicta illa sententiam Catecheseos non evertunt, sed stabiliunt & comprobant. Idem faciunt & reliqua loca, in quibus vel universitas, & mundus credentium, ex Judæis & gentibus coadunatus intelligitur; vel communis quædam & generalis salus omnium hominum, *Psal.*36. vers. 7. à qua salus fidelium διαφερόντως distinguitur 1.*Tim.*4. v.10.

Considerationes Catechetica Novatorum *ad quæstionem, & resp. vigesimam.*

Annon exprimendum discrimen inter impetrationem & applicationem salutis?

An non videatur hoc loco exprimendum discrimen inter impetrationem salutis, quæ ad universum genus hominum pertinet; & applicationem salutis impetratæ, quæ ad solos verè credentes pertinet, quo ita facilius intelligatur oppositio inter Adamum & Christum.

Resp. Tale verò impetrationis & applicationis discrimen non agnoscit Scriptura sacra, quæ duos illos actus mediatoris conjungit nexu inseparabili circa eosdem, hoc est, circa omnes & solos electos & credentes. Dicta nota sunt *Esa.*53.v.11. *Ioh.*10.v.15.28. *Rom.*4.v.25. *cap.* 8.vers.34. 1.*Ioh.*2. vers.1.2. Quibus vero urgeatur incommodis, & absurditatibus teneatur, infrà meliore occasione ostendetur. Oppositio inter Adamum & Christum, adeò exindè non illustratur, ut etiam obscuretur & aboleatur, sive impetrationem, sive applicationem spectes. Quoad impetrationem; quia quibus amisit Adamus justitiam & vitam, iisdem Christus eam recuperavit: Quoad applicationem; quia Adamus suis quidem communicat peccatum & mortem; at non Christus suis justitiam & vitam, sed iis offert tantùm gratiam resistibilem, per quam possint utramque obtinere, modò velint. Quæ certè comparationem Apostolicam utrobique enervant; & illic pro excellentia effectus, æqualitatem objecti; hîc pro exuberantia gratiæ, exuberantiam peccati supponunt. Denique si maximè alicujus valoris esset illa impetrationis, & applicationis distinctio, hîc tamen otiosa esset & impertinens: cum quæstione XX. non quæratur, quibus salutem Christus impetrârit, sed qui per Christum actu, & reipsa serventur.

Quæst. XXI. Quid est vera fides?

Resp. *Est non tantùm notitia quâ firmiter assentior omnibus quæ Deus nobis in verbo suo patefecit, sed etiam certa fiducia à Spiritu Sancto per Euangelium in corde meo accensa, quâ in Deo acquiesco, certo statuens, non solum aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, æternam justitiam, & vitam donatam esse, idque gratis, ex Dei misericordiâ, propter unius Christi meritum.*

Exegesis.

AB acquisitione liberationis, factæ per mediatorem, Catechesis progreditur ad doctrinam de ejusdem applicatione, quæ fit per fidem; idque occasione objecti liberationis, quæstione antecedente definiti, & in solis fidelibus propositi.

Quærit autem non simpliciter, *quid sit Fides?* sed, *quid sit vera Fides?* tacita antithesi ad alias fidei species, per quas communio Christi & beneficiorum ejus obtineri nequit. Fides est

Est enim Fides quædam generalis, quæ usitate *Historica* appellatur; non quòd tantum circa historias sacras versetur, sed qui in genere statuit vera esse quæ in verbo Dei revelata sunt simplici notiti qualis solet esse historiarum. Hęc non est vera Fides, quia etiam dęmones, infideles, & hypocritæ eam habent *Iac.* 2. vers. 14. 19. *Act.* 26. v. 27. Et in quantum per Charitatem non operatur, mortua dicitur *Iac.* 2. v. 20. Historica.

Est & Fides *Temporaria*, πρόσκαιρος, cum notitia & assensu conjungens lætitiam aliquam, verùm evanidam ex causis evanidis conceptam, & sine fiducia adoptionis *Matth.* 13. v. 21. *Luc.* 8. v. 13. Nec illa igitur esse potest vera Fides. Temporaria

Insuper est fides quædam *Miraculorum*; certa nimirum persuasio de futuro aliquo eventu miraculoso, ex revelatione aut promissione singulari Dei; *Matth.* 17. vers. 20. 1. *Cor.* 13. vers. 2. quæ cum ad salutem per se nihil conferat *Luc.* 10. vers. 17. & 20. *inter se collatis.* 1. *Cor.* 13. vers. 2. infidelibus autem & damnandis communis sit *Matth.* 7. v. 22. nomen veræ fidei miminè meretur. Miraculorum.

Alia

vera. Alia igitur ſpecies fidei inquirenda eſt, quam Scriptura diverſis epithetis inſignit, & commendat; vocans eam fidem ἀνυπόκριτον, non ſimulatam, 1.*Tim.* 1.v.5. Operantem per charitatem, *Gal.* 5. verſ. 6. efficacem 1.*Theſſ.* 1 verſ. 3. fidem electorum *Tit.* 1. v. 1. ipſis inter ſe communem *Iud.* v. 3. Catecheſis verò perfectâ definitione repræſentat, quæ Genere & Differentia continetur.

Ejus Genus Notitia. *Genus* veræ fidei ſtatuit *notitiam*. Et enim cognitio propoſitionum divinarum, de Deo, ejus naturâ, voluntate & operibus: quo nomine diſertè notatur in ſcripturâ *Eſa.* 53. *verſ.* 11. *Ioh.* 17. v.3. *Coloſſ.* 3.verſ.9. *&* *cap.*2.v.2. Et merito notatur tanquam habitus intellectualis, quorum commune genus eſt Notitia. Intelligitur autem notitia non incerta, dubia, aut fallax; ſed certa ac firma; idque propter ἀυτοπιστίαν, & veracitatem Dei mentiri neſcii *Tit.* 1. verſ. 2. 1. *Sam.* 15. v. 29. Quo ipſo diſtinguitur, tum ab Opinione quæ incerta, vel ſaltem probabilis rei cognitio eſt; tum à Demonſtratione, quæ certam quidem ſcientiam gignit, ſed propter naturam & proprietates ipſius rei, non propter autoritatem aſſeverantis Dei. Evidentia illius notitię non eſt æqualis in omnibus propoſitionibus, ſed inæqualis, ac valdè diſpar. Aliæ ſiquidem diſtinctè, aliæ confuſè cognoſcuntur: In quibuſdam τὸ ὅτι & τὸ διότι ſimul intelligitur: In aliis τὸ ὅτι tantum & tamen in omnibus fides rectè dicitur notitia, & craſſæ rerum credendarum ignorationi meritò opponitur.

deſcripta ab Effecto. Hoc genus bifariam deſcribit Catecheſis, ab effecto & objecto. *Effectum* eſt firmus aſſenſus. Nam certa notitia propoſitionum divinarum, ex patefactione Dei, urget & inducit intellectum ad aſſenſum, nec magis de iis dubitare ſinit, quàm de aliis rebus, quæ vel ſenſu deprehenduntur, vel demonſtratione evincuntur *Heb.* 11.verſ. 1. *Rom.* 4. v. 18. 19. 20. 21. Eſt igitur aſſenſus approbatio ipſarum propoſitionum, ſive judicium mentis de veritate propoſitionum, & bonitate promiſſionum divinarum. Veritatem dijudicat intellectus theoricus aſſenſum eis præbens, tanquam veris *Ioh.* 3.v.33. 1.*Tim.* 1. verſ. 15. Bonitatem practicus, ut bonas approbans, ſive eas ſequatur & apprehendat voluntas, *Luc.* 10. verſ. 42. 1. *Cor.* 1. v. 18. 24. ſive negligat aut averſetur *Luc.* 24. verſ. 15. *ſeqq.*

Objecto. *Objectum* ſunt omnia ea quæ Deus nobis in verbo ſuo patefecit; ſive eſt

totum

totum Dei verbum, nobis in ſcripturis ſacris revelatum; ultra quod vera fides nec ſapit nec aſſurgit *Deut.* 4. verſ. 2. *Iohann.* 20. verſ. 31. *Rom.* 10. verſ. 17. 1. *Corinth.* 4. verſ. 6. Quæcunque enim eo continentur, Lex, Euangelium, Hiſtoriæ, Dogmata, Prophetiæ, Promiſſiones, Comminationes, firmo aſſenſu credenda ſunt, licet multa non per ſolum aſſenſum. Secus Deus qui ἀψευδὴς *Tit.* 1. v. 2. vel in omnibus, vel in multis, vel in aliquibus mendacii arguitur *Ioh.* 3. v. 32. 33.

Differentia veræ fidei, quâ à fide generali ejuſque ſpeciebus diſtinguitur, eſt *certa fiducia*, hoc eſt, fiducialis apprehenſio Chriſti & omnium beneficiorum ipſius in promiſſione Euangelii: Siquidem in omnibus verè credentibus notitiam & aſſenſum ſequitur motus cordis, deſiderio & fiduciâ ſibi apprehendens objectum, quod bonum eſſe monſtratum eſt, ut in eo acquieſcat. Talem fiduciam ineſſe veræ fidei demonſtratur, *Primò* ex illis locis, ubi *Credere* pro Confidere, *Fides* pro fiducia ponitur Joh. 14. v. 1. *Creditis in Deum & in me credite* cap. 9. v. 36. *Quis eſt Domine, ut credam in eum.* Act. 27. v. 25. *Bono animo eſtote; credo enim Deo, quod ita erit, ſicut dixit mihi.* Rom. 10. v. 9. 10. *Si credideris in corde tuo.* Item; *corde creditur ad juſtitiam.* Quæ loca alibi per *Confidere* enunciantur *Pſalm.* 28. v. 7. & 112. v. 7. *Proverb.* 3. v. 5. Sic Matth. 9. v. 22. *Fides tua te ſervavit*: quæ fides hemorrhouſæ ſic deſcribitur v. 21. *Dicebat apud ſe, ſi ſolum tetigero veſtimentum ejus, ſanabor.* cap. 15. v. 28. *O mulier magna eſt fides tua.* Act. 14. v. 9. *Paulus cum vidiſſet quod fidem haberet claudus, ſe ſanatum iri.* Rom. 1. v. 17. *Iuſtus ex fide ſuâ vivet.* *Secundò* ex epithetis, quæ veræ Fidei tribuuntur ad naturam ejus declarandam; qualia ſunt, πληροφορία, *Rom.* 4. v. 21. *Col.* 2. v. 2. *Heb.* 6. v. 11. & *cap.* 10. v. 12. πεποίθησις, *Eph.* 3. v. 12. *Rom.* 8. 38. παῤῥησία, *Eph.* 3. v. 12. *Heb.* 3. v. 6. & *cap.* 4. v. 16. 1. *Ioh.* 1. v. 28. θάρσος, *Matt.* 9. v. 2. *Marc.* 6. v. 10. *Ioh.* 16. v. 33. καύχημα *Rom.* 5. v. 2. *Heb.* 3. v. 6. *Tertiò* ex inſignioribus ejus deſcriptionibus; Heb. 11. v. 1. *Fides eſt ὑπόστασις eorum quæ ſperantur, & ἔλεγχος eorum quæ non cernuntur.* Eas voces idem Apoſtolus de fiducia interpretatur *cap.* 3. verſ. 6. 14. 2. *Cor.* 9. *verſ.* 4. & *cap.* 11. *verſ.* 17. ſecutus LXX. interpretes *Pſal.* 39. *verſ.* 8. *Ezech.* 19. *verſ.* 8. Sic *Rom.* 4. *verſ.* 20. 21. Fides eſt, de promiſſione Dei non dubitare per incredulitatem, ſed tribuere Deo gloriam, firma

Differentia fidei certa fiducia.

hanc fidei inesse probatur

1.

2.

3.

firmâ persuasione, quòd is, qui promisit, possit etiam præstare. *Coloss.* 2. vers. 2. 5. dicitur πληροφορία cognitionis, & firmamentum fidei in Christum. 1. *Joh.* 3. vers. 21. 19. fiducia apud Deum, qua secura reddimus corda nostra in
4. conspectu Dei propter nomen filii ejus. *Quartò* ex contrariis, quæ veræ Fidei in Scriptura opponuntur, ceu sunt Diffidentia, Hæsitatio, Pusillanimitas, Timor, Metus *Matth.* 14. vers. 31. *Cap.* 21. vers. 21. *Luc.* 8. vers. 9. *Rom.* 4. vers. 20. Hinc jam, propriam formam veræ Fidei esse fiduciam, nullo negotio concluditur. Quod constituit veram fidem, & ab aliis fidei speciebus distinguit, id propria ejus forma est. Certa fiducia constituit veram fidem, ut ex dictis patet: distinguit quoque eam ab aliis speciebus Fidei: Ab Historica, ex quâ metus & desperatio *Iacob.* 2. vers. 19. A Temporariâ, quæ radicem non habet, nec verbum Euangelii, accipit & retinet bono corde *Luc.* 8. vers. 13. 15. A fide Miraculorum, quæ non facit nos Christi participes *Matth.* 7. vers. 22. 23. Ergò certa fiducia est propria forma veræ Fidei. Hanc fiduciam multifariam declarat Catechesis; à Causâ procreante; à Subjecto recipiente; ab Actu formali; ab effectu proprio; & tandem à proprio Objecto.

Veræ Fidei.

1. Causa procreans. Principalis Spiritus S.

Causa procreans Veræ Fidei alia est Principalis, alia Instrumentalis. *Principalis* est Spiritus Sanctus, qui non solum illuminat credentes agnitione Dei, sed etiam fiduciâ misericordiæ ejus eos imbuit, & quasi accendit; Metaphorâ à flammis petitâ, quibus affectus cordis similes sunt. Iis enim calor cordis intenditur, & ita cor quodammodo accenditur, inflammatur, & exardescit *Luc.* 24. vers. 32. Indefinitè quidem illud tribus personis Deitatis convenit *Matth.* 16. vers. 17. *Actor.* 16. vers. 14. *Philipp.* 1. vers. 29. *Heb.* 12. vers. 2. Et ipsa fides absolutè opus, ac donum Dei vocatur *Iohannis.* 6. vers. 29. *Ephes.* 2. vers. 8. singulariter tamen tribuitur Spiritui Sancto, qui immediatè gignit, fovet, & confirmat hanc fiduciam in cordibus credentium, missus ad id à Patre, & Filio, 1. *Corinth.* 12. vers. 9. 1. *Iohann.* 3. vers. 24. & *cap.* 4. vers. 14. Unde ipse *Spiritus Fidei,* 2. *Corinth.* 4. vers. 13. & vicissim Fides *Fructus Spiritus* appellatur *Gal.* 5. vers. 22. *Instrumentalis* est Euangelium prædicatum,

Instrumentalis Euangelii.

catum, auditum, & intellectum *Roman.* 10. verf. 14. 15. 17. Eſt ſiquidem potentia Dei ad ſalutem omni credenti, *Roman.* 1. verſ. 16. & miniſterium Spiritus, 2. *Corinth.* 3. verſ. 8. per quod ipſe liberè eſt efficax. Hinc Apoſtolus Euangelium dicit *verbum fidei, Rom.* 10. verſ. 8. & *ſermonem auditus Hebr.* 4. verſ. 2. fiduciam contra, *fidem auditus Gal.* 3. v. 2. 5.

Subjectum recipiens eſt *Cor*; Nam fides ex mente in corde fluit, & in eo radicatur; utriuſque etiam potentiæ actus cognoſcendo, aſſentiendo, confidendo, occupat, exercet. Sicut igitur notitia & aſſenſus ſunt motus mentis: ita Fiducia eſt affectus cordis, tendens in ſuum objectum, illudque arctiſſimè complectens. De quo ita Apoſtolus *Rom.* 10. verſ. 9. 10. *corde creditur ad juſtitiam*: Et Philippus ad Eunuchum, *Si credis toto corde.* Conſtat præterea, motus potentiarum animæ, Mentis ſcil. & voluntatis, ſibi mutuò reſpondere; ut qualis eſt notitia, aſſenſus, & πληροφορία in mente, tales etiam motus voluntatis ſequantur. Jam verò in mente non ſolum eſt notitia & aſſenſus promiſſionis tanquam veræ, ſed etiam ejuſdem approbatio, & adjudicatio tanquam bonæ: Quare in corde ejus deſiderium, apprehenſionem, & fiduciam ſequi neceſſe eſt. Neque evertit hanc Doctrinam vulgatum illud axioma philoſophorum, quod videlicet nullum Accidens ſingulare poſſit eſſe in duobus Subjectis. Nam hoc non eſſe ſimpliciter verum docent exempla tam potentiarum, qualis eſt Liberum arbitrium, quàm effectuum, ut ſunt, Ira, Odium, Spes, Amicitia, quos ad utramque animæ facultatem vulgò referunt. Scriptura etiam potentias illas non ſubtiliter diſtinguit ſubjectis, ſed ſimpliciter cordi tribuit fiduciam, & affectus, & ſimul etiam notitiam *Actor.* 8. verſ. 37. *Pſal.* 20. *verſ.* 3. & 33. *verſ.* 11. & alibi. Denique fides eſt habitus Theologicus & ſupernaturalis; de quo non eſt judicandum ex regulis Philoſophorum: Eſt item habitus mixtus, non ſimplex: qualis ſubjectum ſibi ἀνάλογον, hoc eſt, compoſitum omninò requirit.

2. Subjectum recipiens Cor.

Accidens ſingulare non poſſe eſſe in duobus ſubjectis non ſimpliciter verum eſt.

Actus formalis eſt *ſpecialis applicatio promiſſionis gratiæ*, quâ quiſque fidelis certò ſtatuit, eam non ad alios ſolum, ſed etiam ad ſe pertinere. Nec enim fides contenta eſt generali notitiâ &

3. Actus formalis ſpecialis applicatio promiſſionis gratię.

titiâ & assensione; in genere solum persuasa, veram esse promissionem Euangelii: sed vero ac serio motu voluntatis, & cordis eam appetit, quærit, apprehendit, ac ita applicat singulis credentibus; ut in generalem promissionem quisque eorum se quoque includat, & ita se erigat, ut sine hesitatione statuens promissionem Euangelii sibi quoque firmam esse, indè

ejus gradus. consolationem in tentationibus, vitam in ipsa morte concipiat. Sic ergò tribus quasi gradibus procedit, & perficitur actus formalis veræ fidei. *Primus* est πληροφορία, sive firma persuasio,

Primo persuasio. qua quisque statuit universalem illam promissionem privatim ad se quoque propriè, & peculiariter pertinere; se quoque includi, & comprehendi in illa universali promissione, juxta dicta Gal.2.vers.16.20. *Scientes non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi; etiam nos in Iesum Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi.* Et: *vivo ego per fidem illam Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* 1.Tim.1.vers.15.16. *Certus est hic sermo, & dignus modis omnibus qui recipiatur; Christum Iesum venisse in mundum, ut peccatores servaret, quorum primus sum ego. Verum ideò misertus est mei, ut in me primò ostenderet omnem iræ suæ cohibitionem.* Quibus similia sunt alia loca *Rom.* 4.

desiderium cordis. *vers.* 18.23.24. *& cap.* 8.*vers.* 35.38. *Phil.* 3.*vers.* 9.10.11.15. 2.*Tim.* 1.*vers.* 12. *Psal.* 103.*vers.* 3.4.*seqq.* *Secundus* est desiderium cordis, quo ex serio sensu miseriæ suæ, & iræ Dei, vult, expetit, quærit sibi donari illa beneficia, quæ in promissione Euangelii offeruntur; sicut dicitur Psal. 42. vers. 2.3. *Sitiens est anima mea Dei, Dei viventis; glocitat adspirans ad te, ô Deus.* Joh. 7.vers.37. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Matth. 11. vers. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, &c.* Illud verò desiderium æstuat intus suspiriis inenarrabilibus, *Rom.* 8.*vers.* 26. foris autem exserit se per invocationem; *Domine propitius esto*

fiducialis apprehensio. *mihi peccatori* Luc. 18. vers. 13. *Remitte nobis peccata nostra* cap. 11. vers. 14. *Tertius* est fiducialis apprehensio, qua fidelis hoc pacto confugiens ad thronum gratiæ, firma persuasione ex verbo Dei confidit Deum sibi donare, communicare, & applicare beneficia promissionis gratiæ, & se hoc modo verè apprehendere, & accipere ad justitiam & vitam ea, quæ gratuita Euangelii promissio offert; sicut scriptum est 1.Tim. 1. vers. 15. *Certus est hic*

sermo, & dignus modis omnibus qui recipiatur, &c. Actor. 26.v.28. *Vt remissionem peccatorum accipiant per fidem.* Rom. 5.v. 17. *Donum justitiæ recipiunt.* Johann. 1.v.12. *Quotquot eum receperunt dedit eis hoc jus, ut Filii Dei sint facti, nempe iis qui credunt in nomen ejus.* Proinde apprehensio illa non est Stoica quædam κατάληψις, quam Cicero *comprehensionem* vocat, aut Physica, & jejuna speculatio; sed fiducialis applicatio gratiæ divinæ, & vivificus ejus sensus, ad tranquillitatem conscientiæ, & vitam æternam *Joh*. 4.v.14.

Effectum proprium veræ fidei est acquiescentia in Deo, qua fidelis in ipso, tanquam reconciliato ac propitio Patre, suaviter acquiescit, præter ipsum nihil desiderans & expetens. Nam qui toto corde credit promissioni gratiæ, non potest non confidere promittenti, eisque se totum securè committere. Duo igitur complectitur acquiescentia fidei: *Vnum* est quies, tranquillitas, & securitas animi in benignitate Dei, per Christum nobis reconciliati; quam ipse Servator pollicetur omnibus credentibus Matth. 11.v. 28. *Venite ad me, ego faciam ut requiescatis: apud me invenitis requiem animabus vestris.* Paulus verò ex justificatione fidei immediatè deducit Roman. 5. v. 1. *justificati fide pacem habemus.* *Alterum* est sufficientia cordis acquiescentis in Deo sufficientiæ, *Genes*. 17.v. 1. & sensu gratiæ ipsius plenè satiati; quam itidem promittit Servator noster Johan. 4 vers. 14. *Quisquis biberit ex aquâ illâ, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum; sed aqua illa fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et David fidenter profitetur Psalm. 73. v. 25. *Præter te nihil desidero in cœlis vel in terrâ.* Hanc acquiescentiam sequitur gaudium Spiritus, *Rom*. 14. v. 17. gloriatio in Deo, 1.*Cor*. 1. v. 31. tripudium in adversitatibus, *Rom*.5.vers.3.4.5. & *cap*.8.v.35.*seqq*. spes in futurum, *Psal*.31.v.1. & certa exspectatio vitæ æternæ *Rom*.8.vers.23. 24.25. *Hebr*.3.v.4.

4 Effectum proprium Acquiescentia in Deo. habens securitatem animi sufficientiam cordis.

Denique *proprium Objectum* veræ fidei est promissio Euangelii, de remissione peccatorum, justitiâ, & vitâ æterna: quæ beneficia Catechesis mentione Causæ efficientis, quæ est Deus, itemque commemoratione causarum Impulsivarum, ut sunt, Misericordia Dei, & meritum Christi, amplificat & declarat. Equidem intuetur fides totum Dei verbum ut suum Objectum; sed in verbo & objecto illo generali quærit objectum speciale, in quo inveniat & accipiat reconciliationem cum Deo, & remissio-

5. Proprium Objectum promissio Euangelii de R. P. justitiâ, & V. Æ.

missionem peccatorum. Id certè esse nequit verbum Legis; quia ex Lege est agnitio peccati, *Roman.* 3. vers. 20. & maledictio, *Galat.* 3. vers. 10. Et disertè docet Apostolus, Legem non esse ex fide, *Galat.* 3. vers. 12. Justitiam verò, quam Deus donat credentibus, absque lege manifestam factam esse *Roman.* 3. vers. 21. 24. Est igitur verbum Euangelii illud Objectum: quod continet promissiones de remissione peccatorum, sanctificatione spiritus, & vitâ æternâ. De quo firma exstant & perspicua Testimonia in utroque Testamento. In Veteri Testamento, *Psalm.* 32. vers. 1. 2. 5. & 51. v. 3. *seqq.* & 103. v. 3. 8. & 130. v. 3. 4. 8. *Esa.* 53. vers. 11. *Dan.* 9. v. 17. 24. *Hos.* 2. v. 19. In Novo Testamento, *Iohann.* 3. vers. 15. 16. 18. *Actor.* 10. v. 43. & *cap.* 15. v. 11. *cap.* 26. v. 18. *Roman.* 3. v. 24. 25. *cap.* 4. v. 24. 25. *cap.* 10. v. 8. 9. 10. *Galat.* 2. vers. 16. 20. *cap.* 3. v. 8. 9. 13. 14. *Philip.* 3. vers. 9. *seqq.* Nec alia causa est, cur Euangelium *verbum fidei* appelletur, *Rom.* 10. vers. 8. Cæterum proprium hoc & principale objectum fidei bifariam distingui potest: vel ratione personarum Sacrosanctæ Trinitatis: vel ratione beneficiorum, quæ à personis illis conferuntur, & præstantur verè credentibus, ut ita objectum sit vel personale, vel reale; quæ utraque distinctio traditur in Scripturâ, & ex eâ in Catechesi exprimitur, tum hîc, tum in sequentibus. *Prior* habetur, 2. *Corinth.* 13. vers. 13. *Tit.* 3. vers. 4. 5. 6. *Apocalyp.* 1. vers. 4. 5. 6. *Roman.* 3. vers. 24. 25. Et passim in inscriptionibus Epistolarum Paulinarum, quibus celebratur Dei Patris gratia, misericordia, & φιλανθρωπία; Dei filii satisfactio, propitiatio, & reconciliatio; Dei Spiritus Sancti virtus, efficacia, & communicatio. *Posterior* exstat, 1. *Corinth.* 1. vers. 30. *Actor.* 26. vers. 18. 19. *Galat.* 3. vers. 13. 14. *Rom.* 8. vers. 29. 30. quibus locis recensentur beneficia illa, quæ verbo Euangelii offeruntur, Remissio peccatorum, Justitia, & vita æterna. Atque hoc est Objectum illud, cujus respectu fides justificans, salvifica vocatur; non excludens objectum generale, sed præsupponens: non secus quàm species præsupponit suum genus, homo animal: Et quæcunque objecti hujus ambitu continentur, per assensum & fiduciam simul creduntur. Postremo fides objecti hujus specialis, etiam promissiones de reliquis objectis ratas ac firmas facit: cum omnes Dei promissiones in Christo sint Etiam & Amen, hoc est, quando fide

Objecti hujus distinctio.

1. Ratione personarum S. S Triados.

2. Ratione beneficiorum.

de in Christum cum Deo reconciliati sumus 2. *Corinth.* 1. vers. 20.

Ex definitione fidei hactenus traditâ *dubia* tria emergunt digna consideratione, & explicatione. *Primum*: Si fides est firmus assensus, & certa fiducia cum acquiescentia in Deo; an non ii destituantur verâ fide, qui illam sive assensus firmitatem, sive fiduciæ certitudinem, sive acquiescentiæ suavitatem non sentiunt & experiuntur. *Secundum*: Cum *Ephes.* 3. v. 12. Apostolus distinguat fiduciam à fide, tanquam effectum à suâ causâ, quomodo hic fiducia statuatur forma fidei. *Tertium*: Cum vera fides viva, efficax sit per opera Charitatis, *Gal.* 5. v. 6. & absque iis ne quidem sit fides, *Iac.* 2. cur operum illorum mentio in pleniore & accuratiore hâc fidei descriptione omissa fuerit. Dubia tria.

Ad singula horum seorsim, & distinctè respondendum est.

De primo. Definitiones reales ideas rerum, quoad ejus fieri potest perfectissimas exprimere debent; ut quales sint in se suâque naturâ intelligi possit. Talem ideam veræ fidei exhibet definitio Catechetica; nativam ejus indolem, & propriam ἐνέργειαν exactè declarans: quod quidem nec absque exemplo, nec sine gravi ratione factum est. Etenim ipsa scriptura hoc modo fidem nobis describit cum aliis locis tum inprimis *Heb.* 11. v. 1. & *cap.* 10. v. 22. 23. *Coloss.* 2. v. 2. 5. 7. Exempla etiam fidei non parvæ aut modicæ, sed magnæ atque excellentis nobis imitanda proponit, *Rom.* 4. v. 23. 24. *Heb.* 6. v. 12. & *cap.* 12. v. 1. & *cap.* 13. v. 7. Ratio hęc est, ut ita discamus intelligere, qualem fidem Deus verbo suo requirat; & porrò agnitâ fidei nostræ infirmitate & defectu, proficere in eâ magis magisque studeamus. Quemadmodum verò omnes qualitates animi recipiunt magis & minus, & gradibus variant; non solum in diversis, sed etiam in iisdem subjectis: ita fides suos quoque gradus, sua incrementa & decrementa habet. Nam Deus singulis credentibus certam fidei mensuram admetitur, *Roman.* 12. v. 3. & Spiritus distribuit dona privatim singulis prout vult 1. *Corinth.* 12. v. 11. Hinc aliorum magna fides celebratur: Matt. 8. v. 10. *Ne in Israële quidem tantam fidem reperi.* cap. 15. v. 18. *O mulier, magna est fides tua.* Aliorum contra parva fides culpatur Matt. 8. v. 28. *Quid formidolosi estis, ô exiguâ fide præditi.* cap. 14. v. 31. *Exiguâ fide prædite, quid dubitasti?* Et fructus fidei valdè sunt dispares, inæquales, in aliis centeni, in aliis sexageni, in aliis triceni *Matth.*

Fides definitur qualis est in suâ perfectione.

In subjectis diversis & iisdem variatur gradibus.

quoad omnes partes: *Matth*. 13. v. 23. Deprehenduntur autem gradus illi in omnibus partibus, sive affectibus veræ fidei: in Notitiâ, Assensu, & Fiduciâ. In notitiâ: Quia vel clarior, vel obscurior est; perfectior item, vel imperfectior, *Matt*.11.v.11. & *cap*.13.v.17. *Luc*.18.v.34.*Rom*.14. v. 1. In assensu, qui alibi & alias firmior, alibi, & aliàs languidior est *Rom*.14.v.14.*Ioh*.3.v.9. In fiducia, quę jam certa, modò dubia est, cum hæsitatione & diffidentiâ conjuncta *Rom*. 4.v.20. *Matt*.6. v.30.*Marc*.9.v.24. Eadem ratio est effectorum fidei, quæ tamen non solum imminui, sed etiam amitti possunt in gravioribus tentationibus, *Psal*.42.v.3.4. & 77.v.8.9.10. nec non in peccatis contra conscientiam *Psal*.51.v.13. 14. Denique nullius fides tam fortis & robusta est, cui non aliquid infirmitatis adhæreat, ex defectu notitiæ, & debilitate fiduciæ, & assensus 1.*Cor*.13.v.11.12. *Rom*.11.v. 20. Interim etiam debilis, infirma, imperfecta fides, vera fides est, ad justificationem sufficiens; non minus, quàm homo infirmus, æger, verus homo est. Fides enim vera, & justificans appellatur; non proptereà quòd sit virtus tam firma, robusta, & perfecta: sed propter objectum quod apprehendit, Christum scilicet mediatorem, in promissione gratiæ. In hoc Objecto cùm fides non errat, sed illud verâ, quamvis languidâ fiduciâ amplectitur, vel saltem amplecti conatur, & desiderat; tunc vera est fides, & justificat. Lucta autem quæ vel in assensu, vel in desiderio, vel in fiduciâ se prodit, non est signum incredulitatis, sed est vera nota vivæ & efficacis fidei, quæ captivat & intellectum & voluntatem in obsequium Deo. Quorum omnium veritas dulcissimis Dei promissionibus, *Esa*. 42. v.3.*Matt*. 5.v.6. *Ioh*.6.v.35.37. & suavissimis Scripturæ sententiis, *Phil*. 3.v.12.*Gal*.4.v.9. 1.*Cor*. 13. v.12. quin imò ratione quoque comprobatur. Gradus enim non mutant, aut variant speciem. Robur, infirmitas; Incrementa, decrementa; Magnitudo, & parvitas, sunt gradus veræ fidei: prout ante ostensum. Ergò ipsam speciem veræ fidei non mutant. Sic igitur tam parva, quàm magna fides, vera fides est: sed illa cum defectu; hæc cum aliqua perfectione.

[Margin: & quoad effecta, idque in singulis. Fides, licet debilis, vera est & justificat. Lucta ejus nota est veræ fidei.]

Fiducia est vox homonyma. *De secunda*. *Fiducia*, πεποίθησις, non accipitur in Scriptura eodem significatu; sed aliquando pro *Objecto fiduciæ*, id est, re cui fidimus, *Iob*. 18. v.14. *Esa*. 32. v.18. alias pro *fiduciali Assensu*, & persuasione, 2.*Cor*. 1. v. 15. quo sensu ei synonyma est πεισμονὴ, persuasio, *Gal*.5.v.8. nonnunquam etiam pro *Acquiescentiâ* & securitate animi, 2.*Cor*.3. v. 4. *Phil*.3.v.4. quam *confidentiam*

non-

nonnulli appellant: licet ea vox apud Latinos temerariam fiduciam ut plurimum designet; Et ita respondet verbo πείθω, & πείθομαι, à quo dicuntur πειθοὶ λόγοι, persuasorii sermones; 1.*Cor.* 2.v.4. & quod jam persuadere, persuaderi, persuasum esse, *Rom.* 8.v.38. & *cap.* 14.v.5.14. modo confidere *Matth.* 27. vers. 43. *Rom.* 2.v.9. significat. *Secundo* significatu fiducia est forma fidei, quatenus nimirum est certa persuasio de Charitate Dei in Christo *Rom.* 8.v.38. *Tertio* autem est fidei effectus, & ex persuasione nascitur. Nam de cujus erga nos gratiâ persuasi sumus verbo promissionis, ei non possumus non confidere, & in eum toti recumbere. Hoc modo vocem πεποιθήσεως, fiduciæ, intelligendam esse, *Eph.*3.v.12. series causarum & effectorum liquidò ostendit. Conjungit, & subordinat Apostolus eodem versu quatuor hæc, πίστιν, πεποίθησιν, παῤῥησίαν, & προσαγωγήν. Πίστις est persuasio de gratia Dei in Christo. Dicitur enim fides ipsius, quæ in ipsum fertur *Rom.*3.v.25. & *cap.*4.v.24.25. Ex fide oritur πεποίθησις, fiducia, cum jam illi confidimus, in eo securo, tranquillo, & constanti animo acquiescimus, de cujus erga nos favore persuasi sumus. Ex fiducia rursus existit παῤῥησία, libertas loquendi, & agendi cum Deo, & ex hac iterum προσαγωγὴ ipse accessus ad Deum cum in quibusvis necessitatibus ad ipsum recurrimus, ipsum precibus nostris compellamus, & exoramus. Similis locus exstat 1.*Joh.* 3.v.19. *coram ipso* πείσομεν, *confidentiâ*, sive *secura reddimus corda nostra*: ubi verbum πείθειν de fiduciâ, & securitate interpretandum esse constat, partim ex antithesi condemnationis, & quæ ex eâ est inquietationis, *vers.*20.21. partim etiam, ex æquipollentia, quia explicatur per ἔχειν παῤῥησίαν, fiduciam habere *vers.* 21.

*Eph.*3.v.12. explicatur.

De tertio. Loca illa, quæ testantur fidem efficacem esse per charitatem, & hanc ex illâ provenire, ceu sunt *Gal.* 5.v.6. 1.*Thess.* 1.vers. 3. 1.*Tim.* 1.v.5. & alia, simul docent charitatem nec genus, nec formam fidei esse, sed effectum. Effecta autem non ingrediuntur definitiones essentiales, quæ partibus essentialibus, genere & differentia continentur, & absolvuntur. Et licet addi quandoque possint declarationis causâ: hic tamen opera charitatis, quæ sunt effecta fidei, meritò prętermissa sunt. I. Quia Apostolus Paulus cum fidem justificantem plenissimè, & exactissimè describit, *Rom.* 3.4. *Gal.* 2.3. *capp.* operum cha-

Bona opera sunt effecta veræ fidei.

adeoque in definitione eorum mentio non est necessaria.

charitatis nullam mentionem facit II. Quia fides justificans appellatur, non quòd operetur per charitatem, aut eam ex se gignat, sed quia Christum, qui factus est nobis à Deo justitia, apprehendit, & credenti applicat. III. Quia Pontificii assuere solent hanc particulam definitioni fidei, ut doceant fidem virtutem & efficaciam justificandi mutuari à Charitate, absque eâ ad actum justificationis prorsus esse inutilem. Et hanc fidem vocant fidem veram, & formatam, & à fide informi, quæ solo assensu, sive persuasione constat, distinguunt. Quod si tamen aliquando in definitione fidei ponatur, aut posita reperiatur hæc particula, semper addenda est declaratio; quod charitas sit tantum effectus, & nota fidei justificantis, non quod ingrediatur justificationem ut pars, vel causa: hoc est, quod fides vim justificandi à Charitate non accipiat.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & respons. vigesimam. primam.*

An rectè beneficia illa statuantur Objectum fidei?

I. *Rectene explicatum sit hoc loco objectum fidei, his verbis* Non solum aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum, æternam justitiam, & vitam donatam esse: *cum remissio peccatorum, justitia, & vita promittantur fideli in Euangelio, eoque fidem vi promissionis sequantur.*

Resp. Objectum proprium fidei justificantis rectè statuit Catechesis in remissione peccatorum, justitiâ, & vitâ æternâ propter Christum; quia promissiones Euangelii, in quas fertur fides, Christum cum omnibus suis beneficiis proponunt & offerunt credentibus 1.*Cor.*1.vers.30. Sicut vero in Objecto, verbo Euangelii, ordine distinguuntur Causa & effectus; Christus & ejus beneficia: Ita fides distinctè ea intuetur, & acceptat; primo Christum propitiatorem, & advocatum nostrum, 1.*Ioh.*2. vers.1.2. inde beneficia ipsius, ut est *Ioh.*1.vers.12. *Actor.*26.v.18. *Rom.*5.vers.17. Sic ergò illa fidem in Christum vi promissionis sequuntur, quantum ad ordinem naturę: & tamen simul sunt cum fide, tempore.

An specialis applicatio sit forma fidei?

II. *An fidei forma rectè in eo constituatur, quod certo statuo* non solum aliis, sed mihi quoque remissionem peccatorum dona-

donatam esse: *cum videri possit merito distinguendum esse inter fidem justificantem, quam Deus in Euangelio postulat ab omnibus, & singulis, quibus verbum annunciatur, & specialem applicationem, quæ tum demum exsistit in nobis, cum ex generali mandato credimus, & credere nos sentimus.*

Resp. Distinctio inter fidem justificantem, & specialem applicationem, insulsa & inepta est; divellens formam à suo formato, & naturam veræ fidei prorsus evertens. Rectè distinguimus inter fidem generalem, quæ constat notitia & assensu eorum, quæ Deus nobis in verbo suo patefecit, & fidem specialis applicationis, applicantem singulis credentibus promissionem gratiæ. Sunt enim Specie diversæ, & à se invicem separabiles. Sed fides generalis justificans non est, nisi dicere velimus, Diabolos & Hypocritas qui contremiscunt, *Iacob.* 2. v. 19. justificatos esse coram Deo, quia tali fide præditi sunt, Neque Deus fidem præcipiens in Euangelio hoc solum requirit, ut credamus in genere, omnibus fidelibus dari remissionem peccatorum; sed ut singuli in individuo credant, eam sibi dari, eòque etiam ad salutem acceptent *Rom.* 4. v. 24. 25. & *cap.* 8. *vers.* 35. 38. & *cap.* 15. vers. 4. *Galat.* 2. vers. 16. 20. 1. *Tim.* 1. v. 15.

III. *An non verba hæc;* Non solum aliis, *tanquam superflua omitti præstet.* — An verba *non solum aliis* superflua sint?

Resp. Superflua ideo non sunt, quia actum fidei formalem κατ' ἀπόδειξιν, & ἔμφασιν summâ perspicuitate declarant.

IV. *An non ex his verbis,* Remissionem peccatorum, æternam justitiam, & vitam mihi donatam esse propter unius Christi meritum; *sequatur Christum non tantum esse instrumentum pertinens ad exsecutionem decreti electionis, seu prædestinationis ad salutem: sed & inter causas recensendum esse ipsius prædestinationis, seu electionis ad salutem.* — Annon ex descriptione objecti sequatur, Christum etiam esse causam electionis?

Resp. Consideratio hæc plane impertinens est. Non enim de prædestinatione, aut electione agitur illis verbis, sed de Objecto fidei in remissione peccatorum, & æterna justitia; cujus causa meritoria, sive impulsiva externa statuitur meritum Christi; interna Dei gratia & misericordia. Ad quæstionem tamen paucis respondebimus. Est Christus instrumentum exsequendæ prædestinationis, quia est electus Dei servus, *Esa.* 42. v. 1. *Matth.* 12. v. 28. & minister circumcisionis, *Rom.* 15. v. 8. non solum manifestatus in tempore, sed etiam ante jacta mundi fundamenta præcognitus

 propter

propter nos, hoc eſt, propter noſtram ſalutem 1.*Pet.* 1. v.18. 19. Eſt etiam cauſa faciendæ, ſive decernendæ prædeſtinationis non meritoria, quâ mediator; ſiquidem prædeſtinatio non pendet ab ulla causâ extra Deum; ſed tum efficiens, quâ Deus cum Patre & Spiritu Sancto. (nam & ipſe nos dicitur elegiſſe *Ioh.*15. v 16.) tum impulſiva, ſecundum gratiam, & miſericordiam ſuam, quam cum Patre, & Spiritu Sancto communem habet. Hinc jam porrò intelligimus, quid de phraſeologiâ Novatorum ſentiendum ſit, cum Chriſtum, quatenus eſt mediator Dei, & hominum, fundamentum electionis noſtræ appellant, & quidem argumento loci *Eph.* 1. v.4. Primò Phraſis illa non eſt Scripturæ 1.*Cor.*3. v.11. *Eph.*2. v.20. Chriſtus dicitur fundamentum Eccleſiæ, & ſalutis. Sed aliud eſt fundamentum ſalutis, aliud fundamentum electionis, & prædeſtinationis ad ſalutem. Salutis fundamentum non ſolum eſt gratia Dei, ſed etiam meritum Chriſti ei ſubordinatum; & quæ aliæ cauſæ inferiores ad eam concurrunt, ſuo ordine, & efficientiâ. At fundamentum prędeſtinationis, ſive electionis ad ſalutem unicum eſt, ſola Dei gratia, & miſericordia; à nulla re extra ipſum dependens, nec ullam in cauſalitatis ſuæ ſocietatem admittens. Præterea cum Prædeſtinatio ipſis ſit decretum prædeſtinationis; fundamentum autem cauſa meritoria illius decreti, ſenſum falſum continet, ſacræ Scripturæ apertè repugnantem, prout antè oſtenſum. Locus *Eph.* 1. *verſ.*4. *Elegit nos in Chriſto,* nihil habet pro hac phraſi aut ſententia. In Chriſto eligere non eſt propter Chriſtum eligere, quaſi ipſe ſit cauſa electionis; ſed per eum. Nam ἐν ſumitur pro διὰ, cum genitivo, ut eſt *verſ.* 5 διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ. Eligere etiam eſt ad ſalutem eligere; ex collatione locorum 2. *Theſſ.*2. *verſ.* 13. & 1.*Theß.* 5. *verſ.* 9. ubi ellipſis finis expletur. Sicut ergo eligere ad ſalutem eſt conſtituere, deſtinare ad ſalutem: ita eligere ad ſalutem in Chriſto eſt conſtituere, deſtinare, ad ſalutem obtinendam in Chriſto, ſive per Chriſtum, qui mortuus eſt pro peccatis noſtris; quomodo per æquipollentiam rem declarat Apoſtolus 1.*Theſſ.*5. v. 9.10.

Chriſtus quâ Mediator non eſt fundamentum electionis.

Eph 1 v.4. explicatur.

Anti-

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & res. vigesimam primam.*

Fides vera, quam sequitur salus æterna, est fiducia per Christum in Deum, & duo complectitur, Unum, ut non solum Deo, sed & Christo confidamus. Alterum, ut Deo obtemperemus, non iis solum, quæ in lege, per Mosen lata, præcepit, & per Christum non abrogavit: verum etiam in iis omnibus quæ Christus legi addidit, quam obedientiam meritò sub fide comprehendimus. Etenim res ipsa indicio est, neminem inveniri posse qui spem certam vitæ æternæ animo concipiat, quam Christus tantum sibi obtemperantibus promisit, qui non Christi dicto audiens sit. Præterea Iacobus apertissimè testatur, ut corpus absque anima mortuum est, ita fidem sine operibus mortuam esse cap.2.v.26. *Et paulò superius* v.22. *idem ait, ex operibus fidem Abrahæ fuisse consummatam. Qua propter etiam in Scriptura homines pii & Deo obedientes duntaxat fideles vocantur; qua de re autor ad Hebræos* cap. 11. *Quod autem Apostolus fidem opponit operibus* Rom.3.4.Gal.2.3.Eph.2.capp. *de ejusmodi operibus intelligendum est, quæ & perfectam, & perpetuam obedientiam continent; qualem sub lege Deus ab hominibus requirebat; non autem de iis operibus, quæ Deus à credentibus in Christum requirit; ut sunt opera Resipiscentiæ, Novæ obedientiæ &c.*

Responsio:

In hac antithesi nihil est sani: omnia falsa, heterodoxa, etiam quæ speciem ὀρθοδοξίας præ se ferunt. Nam etsi non malè sentire videntur, dum fidem esse ajunt fiduciam per Christum in Deum, revera tamen gravissimè impingunt, quatenus per fiduciam non intelligunt fiducialem apprehensionem Christi per quem venitur ad Patrem, *Ioh.*14.v.6. sed spem vitæ ęternæ, ex doctrinâ Christi conceptam; sive obedientiam operum, sub spe vitæ æternę Christi mandatis præstitam. Christum quoque non agnoscunt mediatorem θεάνθρωπον, qui satisfecerit pro peccatis nostris, sed pro nudo homine reputant. Apertè autem falsa sunt tria hæc: I. Quod idem sint, fides, & obedientia operum. Atqui, ut species disparatas eas recenset Apostolus, 1.*Cor.*13.v.13. 1.*Thess.*1.v.3.quæ à se invicem, genere, differentia, causa efficiente, effectis, subjectis, adjunctis, & oppositis distinguuntur, *Genere*; quia fides est habitus divinitus infusus *Eph.*2.v. 8. Obedientia operum sunt actiones *Rom.* 12. *per totum. Differentiâ*; quia fides est πληροφορία, πεποίθησις *Heb.*10.

Fides & obedientia operum differunt.

Heb.10.v.22. 2.*Cor*.3.v.4. Obedientia operum ἐννομία, sive conformitas actionum cum lege *Ezech*.20.v.18.19. *Causâ efficiente*; Nam obedientia operum est ex fide: non contrà; 1.*Tim*.1.v.5. *Gal*.5.v.6. ubi fides efficax esse dicitur per Charitatem, non tanquam per suam formam; alioquin charitas efficax foret per charitatem: sed ut per suum effectum. *Effectis*; siquidem effecta fidei, ut sunt, Justificatio, *Rom*. 3.v.25. Adoptio, *Ioh*. 1.v.12. Unio cum Christo, *Eph*.3.vers.17. tranquillitas conscientiæ, 1. *Ioh*. 3.v.19.20. obedientiæ operum non conveniunt, *Subjectis*, sive *Objectis*, nam Objectum fidei est Euangelium, *Marc*.1.v.15.*Rom*.10.v.8. 9. 10. Objectum obedientiæ operum est lex *Matt*.22.v.37.38. *Rom*.13.v. 8. 9.10. *Adjunctis*; quia fides cum sit cordis, *Rom*.10.v.18. invisibilis est: obedientia operum visibilis *Iac*.2.v.18. Illa transiens cum hac vita: Ista permanens etiam in altera 1.*Cor*.13.v.12.13.*Oppositis*; quia fides opponitur dubitationi, & incredulitati; *Matt*.14.v.31. *Marc*. 9.v.24. Obedientia operum vero nec dubitationi, nec incredulitati, sed impietati & malis operibus opponitur *Rom*.2. vers. 6.7.8

Obedientia operum sub fide non comprehenditur.

II. Quod ex Scriptura demonstrari possit, obedientiam operum comprehendi sub fide: Contrarium enim jam evicimus. Et quæ adferunt nullius sunt momenti. Promissiones vitæ æternæ passim proponuntur, sub conditione fidei, non obedientiæ operum. *Marc*. 16.v.15.16. *Ioh*.3.vers.16. *Rom*.10.v.9.10. licet opera requirantur secundariò, ut fructus & testimonia fidei ad Dei gloriam *Matt*. 5. v.16. Fideles etiam spem certam vitæ æternæ, non ex obedientiâ operum, sed ex fide concipiunt, *Rom*.5.v.1.2.3. quæ τῶν ἐλπιζομένων est ὑπόστασις, *Heb*.11.v.1. Fidem autem in bonis operibus exercent, & per ea à posteriore firmam efficiunt, 2.*Pet*.1.v.10. *Iacob*. 2. v.26. τὸ πνεῦμα non est ipsa anima proprie, sed πνοὴ, halitus, respiratio, ex qua præsentia, & operatio animæ cognoscitur *Gen*.2.v.7. Sensus igitur est: Sicut corpus mortuum est, cum est absque spiritu sive cum exspiravit: ita mortua est fides, cum est absque operibus; quomodo non minus opera effecta fidei, quàm respiratio effectum animæ statuuntur. Similiter fides Abrahæ consummata dicitur ex operibus, non ut formatum per suam formam, sed ut forma per suas operationes; actus primus per secundos. Siquidem duplex est rei consummatio atque perfectio: Una essentiæ, qua in esse completo constituitur: Altera operationis, qua in esse completo constituta esse declaratur. Ita Abraham, qui ad minimum jam triginta annis ante fidem justificatus erat *Gen*.15. v.5.6.

Iacob.2 v.26. & 22. explicatur.

v.5.6.*Rom.* 4.v.4. immolato filio insuper operibus justificebatur hoc est declarabatur justificatus. Denique fideles obedientes Deo vocantur, vel obedientiâ fidei, ad quam adducuntur per Euangelium *Rom.* 1.v.5. & *cap.* 16.v.26. formaliter; *Heb.* 4.vers.9. vel obedientiâ operum, quam ex fide præstant, effectivè, quia fides per opera Charitatis actuosa & efficax est *Gal.* 5.v.9. 1.*Tim.* 1.v.5.

III. Quod Paulus à justificatione excludat tantum opera legis perfecte, & perpetua: non vero opera Euangelii imperfecta: & interrupta, quæ nihilominus Deus ex gratia pro perfectis, & perpetuis reputet. Contra est, quod Apostolus simpliciter & absolute à justificatione excludit omnia opera, removet ab eâ totum genus operum *Rom.* 3.4. *Gal.* 2.3. *Eph.* 2. *Phil.* 3.*capp.* Ergo etiam omnes species, specierum gradus. Justificatio est actus justitiæ, & judicii divini secundum veritatem *Rom.* 2.vers.2. Non reputat ergo Deus opera imperfecta pro perfectis: interrupta pro continuis & perpetuis. Accedit, quod causa meritoria justificationis ponitur non intra nos, sed extra nos in Christo, in ejus sanguine, morte, obedientiâ *Rom.* 3.5.*capp.* *Phil.* 3. & *alibi.* Quomodo igitur in operum nostrorum obedientia consistit. Postremò, hæretico hoc glossemate mera ἀδολεχία, & pudenda contradictio Apostolo impingitur. Sensus enim verborum, *justificamur fide absque operibus, Rom.* 3. *vers.* 24. Item, *non Iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi Gal.* 3.v.16. hic erit: Non justificamur ex operibus legis; justificamur autem fide, sive per fidem, hoc est, per obedientiam operum. Quæ tum nugatoria tum contradictoria, esse ipso meridiano sole clarius est.

Paulus à justificatione excludit omnia opera, tum Legis, tum etiam Euangelii.

QUÆST. XXII. Quænam sunt illa, quæ necesse est hominem Christianum credere?

RESP. *omnia quæ nobis in Euangelio promittuntur: quorum summa in symbolo Apostolico, seu in capitibus Catholicæ & indubitatæ omnium Christianorum fidei breviter comprehenditur.*

EXEGESIS.

Definitioni fidei justificantis subjicitur plenior ejus explicatio, in tribus posita. In declaratione Objecti, Effecti, & cau-

& causarum Efficientium. De *Objecto* agitur inde à quæst XXII. ad LIX. De *Effecto* à quæst. LIX. ad LXV. De *Causis* à quæst. LXV. ad LXXXVI.

Objectum fidei generale, & adæquatum esse diximus totum Dei verbum: speciale & proprium, quod respicit quatenus justificans est, sunt omnia ea, quæ nobis promittuntur in Euangelio, prout hic docetur, supra autem à nobis demonstratum est.

Objectum fidei justificantis summatim est Symbolum Apostolicum. Cæterum cum promissiones Euangelii variæ sint, & sparsim occurrant in utriusque Testamenti Scripturis, Catechesis κατ' ἐπιτομὴν eas commonstrat & exhibet in *Symbolo Apostolico*: Quod quidem fidei justificantis Objectum est, tum ratione *assensus*; nam fides omnibus in symbolo comprehensis assentitur: tum ratione *specialis applicationis*, qua quisque fidelis promissiones Euangelii symbolo contentas sibi speciatim applicat: tum denique ratione *acquiescentiæ*, sive *filialis fiduciæ*, quâ fidelis fiduciam suam collocat in Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto; quorum singulorum erga siugulos fideles beneficia in symbolo summatim enumerantur. Explicatur autem symbolum brevi descriptione ex Objectis, & Adjunctis, quod Capita Catholicæ, & indubitatæ omnium Christianorum fidei contineat. Capita hic sunt præcipua dogmata Euangelii, quę in Veteri & Novo Testamento nobis credenda proponuntur, & ex utroque ceu conclusiones ex suis principiis in Symbolo deducuntur. Usitatè appellantur *articuli fidei*, quod summam credendorum in certa quasi membra, sive particulas dividant: qua voce sophisticè abutuntur qui eam ad totum Dei verbum referunt. Fides, cujus capita summatim recensentur in Symbolo, est doctrina fidei, sive earum rerum quæ credendæ sunt homini Christiano, per Adjuncti metonymiam, & significatu vocis ipsis Scripturis usitato *Act.* 6. vers. 7. *Gal.* 1. v. 23. 1. *Tim.* 3. vers. 9. & *cap.* 4. v. 1. Undè fides ab Augustino dicitur alia *quæ creditur*, alia *quâ creditur lib.* 13. *de Trinit. Cap.* 2. Notatur autem duobus Epithetis,

Fides hic est doctrina fidei.

Estque. 1. Catholica. I. Quòd sit *Catholica*, quia una tantum est omnium Christianorum fides in mundo *Eph.* 4. v. 5. De quo scitè Vincentius *contra hæres. cap.* 3. *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est vere Catholicum.*

2. indubitata. II. Quod etiam sit *Indubitata*; idque tum ratione efficientis, quia θεόπνευστος est, Deum mentiri nescium autorem

autorem habens, 2.*Tim*.3.v.16. *Tit*. 1.v.1. eoque certus sermo, dignus modis omnibus qui recipiatur; 1.*Tim*.1.v.15. tum ratione Subjecti recipientis, quia fidelibus plena ejus fides fit, per verbum & Spiritum *Luc*.1.v.1. *Heb*.10.v.21.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & respons. vigesimam secundam.*

Annon plura credenda, quam quæ in Euangelio promittuntur?

I. *Annon plura homini Christiano credenda sint, quàm ea quæ in Euangelio promittuntur: Annon etiam quæ præcipiuntur in Euangelio credenda sint, & credenda quoque sint, quæ Deus in verbo revelavit de natura sua, proprietatibus, operibus, minis, quatenus ista ad religionem promovendam necessaria, & utilia sunt.*

Resp. Per assensum & fiduciam simul plura credenda non sunt ad justificationem, quam quæ in Euangelio promittuntur. Præcepta resipiscentiæ, & novæ obedientiæ non credenda proponuntur in Euangelio, propriè loquendo, sed facienda: Reliqua ad naturam Dei, & opera pertinentia, vel cum promissionibus Euangelii cohærent, vel saltem ad objectum generale fidei referenda sunt; quod fides justificans non excludit, sed includit & præsupponit, prout quæstione antecedente demonstratum est.

An Symbolũ Apost. omnes articulos necessarios cõplectatur;

II. *An symbolo Apostolico omnes articuli necessarii comprehendantur, cum in eo neque præceptorum Iesu Christi, neque Sacramentorum, neque bonorum operum, neque precationis aperta fiat mentio.*

Resp. Symbolo Apostolico comprehenduntur omnes articuli necessarii creditu, non factu. Symbolum credendorum summa est: Decalogus faciendorum. Et sicut illius appendix quædam est doctrina Sacramentorum, quæ sunt sigilla fidei; *Rom*. 4. v. 11. ita hujus particula quædam est precatio. Doctrina bonorum operum est legalis, & præcepta Christi de iis legalia; qui non tulit novam legem, sed veterem repetiit, vindicavit, & stabilivit.

QUÆST. XXIII. Quod est illud symbolum?

RESP. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ: Et in Iesum Christum, filium ejus unigenitum, dominum nostrum: Qui conceptus est de Spiritu*

& causarum Efficientium. De *Objecto* agitur inde à quæst XXII. ad LIX. De *Effecto* à quæst. LIX. ad LXV. De *Causis* à quæst. LXV. ad LXXXVI.

Objectum fidei generale, & adæquatum esse diximus totum Dei verbum: speciale & proprium, quod respicit quatenus justificans est, sunt omnia ea, quæ nobis promittuntur in Euangelio, prout hic docetur, supra autem à nobis demonstratum est.

Objectum fidei justificantis summatim est Symbolum Apostolicum

Cæterum cum promissiones Euangelii variæ sint, & sparsim occurrant in utriusque Testamenti Scripturis, Catechesis κατ' ἐπιτομὴν eas commonstrat & exhibet in *Symbolo Apostolico*: Quod quidem fidei justificantis Objectum est, tum ratione *assensus*; nam fides omnibus in symbolo comprehensis assentitur: tum ratione *specialis applicationis*, qua quisque fidelis promissiones Euangelii symbolo contentas sibi speciatim applicat: tum denique ratione *acquiescentiæ*, sive *filialis fiduciæ*, quâ fidelis fiduciam suam collocat in Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto; quorum singulorum erga siugulos fideles beneficia in symbolo summatim enumerantur. Explicatur autem symbolum brevi descriptione ex Objectis, & Adjunctis, quod Capita Catholicæ, & indubitatæ omnium Christianorum fidei contineat. Capita hic sunt præcipua dogmata Euangelii, quę in Veteri & Novo Testamento nobis credenda proponuntur, & ex utroque ceu conclusiones ex suis principiis in Symbolo deducuntur. Usitatè appellantur *articuli fidei*, quod summam credendorum in certa quasi membra, sive particulas dividant: qua voce sophisticè abutuntur qui eam ad totum Dei verbum referunt. Fides, cujus capita summatim recensentur in Symbolo, est doctrina fidei, sive earum rerum quæ credendæ sunt homini Christiano, per Adjuncti metonymiam, & significatu vocis ipsis Scripturis usitato *Act.* 6. vers. 7. *Gal.* 1. v. 23. 1. *Tim.* 3. vers. 9. & *cap.* 4. v. 1. Undè fides ab Augustino dicitur alia *quæ creditur*, alia *quâ creditur lib.* 13. *de Trinit. Cap.* 2. Notatur autem duobus Epithetis, I. Quòd sit *Catholica*, quia una tantum est omnium Christianorum fides in mundo *Eph.* 4. v. 5. De quo scitè Vincentius *contra hæres. cap.* 3. *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est vere Catholicum.* II. Quod etiam sit *Indubitata*; idque tum ratione efficientis, quia θεόπνευστος est, Deum mentiri nescium autorem

Fides hic est doctrina fidei

Estque. 1. Catholica.

2. indubitata.

autorem habens, 2.*Tim*.3.v.16. *Tit*. 1.v.1. eoque certus ſermo, dignus modis omnibus qui recipiatur; 1.*Tim*.1.v.15. tum ratione Subjecti recipientis, quia fidelibus plena ejus fides ſit, per verbum & Spiritum *Luc*.1.v.1. *Heb*.10.v.21.

Conſiderationes Catecheticæ Novatorum *ad quæſt. & reſponſ. vigeſimam ſecundam.*

I. *Annon plura homini Chriſtiano credenda ſint, quàm ea quæ in Euangelio promittuntur: Annon etiam quæ præcipiuntur in Euangelio credenda ſint, & credenda quoque ſint, quæ Deus in verbo revelavit de natura ſua, proprietatibus, operibus, minis, quatenus iſta ad religionem promovendam neceſſaria, & utilia ſunt.*

Annon plura credenda, quam quæ in Euangelio promittuntur?

Reſp. Per aſſenſum & fiduciam ſimul plura credenda non ſunt ad juſtificationem, quam quæ in Euangelio promittuntur. Præcepta reſipiſcentiæ, & novæ obedientiæ non credenda proponuntur in Euangelio, propriè loquendo, ſed facienda: Reliqua ad naturam Dei, & opera pertinentia, vel cum promiſſionibus Euangelii cohærent, vel ſaltem ad objectum generale fidei referenda ſunt; quod fides juſtificans non excludit, ſed includit & præſupponit, prout quæſtione antecedente demonſtratum eſt.

II. *An ſymbolo Apoſtolico omnes articuli neceſſarii comprehendantur, cum in eo neque præceptorum Ieſu Chriſti, neque Sacramentorum, neque bonorum operum, neque precationis aperta fiat mentio.*

An Symbolũ Apoſt. omnes articulos neceſſarios cõplectatur;

Reſp. Symbolo Apoſtolico comprehenduntur omnes articuli neceſſarii creditu, non factu. Symbolum credendorum ſumma eſt: Decalogus faciendorum. Et ſicut illius appendix quædam eſt doctrina Sacramentorum, quæ ſunt ſigilla fidei; *Rom*. 4. v. 11. ita hujus particula quædam eſt precatio. Doctrina bonorum operum eſt legalis, & præcepta Chriſti de iis legalia; qui non tulit novam legem, ſed veterem repetiit, vindicavit, & ſtabilivit.

QUÆST. XXIII. Quod eſt illud ſymbolum?

RESP. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ: Et in Ieſum Chriſtum, filium ejus unigenitum, dominum noſtrum: Qui conceptus eſt de Spiritu*

Sancto, natus ex Mariâ virgine: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferna: Tertiâ die resurrexit à mortuis: Adscendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: Indè venturus est judicatum vivos, & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum: Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Et vitam æternam, Amen.

Symbolum. Cur Confessio fidei vocata.

SYmbolum generali significatione dicitur, quidquid confertur à pluribus ad convivium, ἀπὸ τοῦ συμβάλλεσθαι. Deindè idem dicitur nota seu tessera, quâ alius ab alio discernitur. Rationem nominis, confessioni fidei impositi, alii hanc reddunt, quod singuli Apostoli ministerii causâ in diversas regiones profecturi, articulis fidei viritim collatis, totum hoc symbolum conflârint, & condiderint: alii istam, quòd olim Euangelicæ veritatis professores hac confessione, ceu notâ quadam & tesserâ, se invicem agnoverint, & ab infidelibus hæreticis, sectariis discreverint: non secus, quam milites è tessera militari, seu castrensi, etiamnum hodiè sese mutuò agnoscunt. Licet verò prior sententia magnos autores habeat, Clementem, Irenæum, Cyprianum, Ruffinum, Ambrosium, Augustinum: posterior tamen probabilior, imò verior est, ut jam liquebit. *Apostolicum* nominatur hoc symbolum, quia continet summam doctrinæ Apostolicæ, quam cogebantur tenere, ac profiteri Catechumeni; non autem quod ab Apostolis eo ordine, ac formâ verborum concinnatum fuerit. *Rationes* hæ sunt. I. Quia phrasis, *Descendit ad inferos*, & nomen *Ecclesiæ Catholicæ* in scriptis Apostolorum nuspiam reperitur, sed post ipsorum excessum demum inolevit. II. Quia alias fidei synopses, & periochas Catechumenis suis proposuerunt; quarum mentio fit 2. *Tim*. 1. vers. 13. *Heb*. 6. v. 1. 2. III. Quia *Heb*. 6. vers. 1. 2. Apostolus à fide in Deum apertè distinguit duos articulos; Unum, *de resurrectione mortuorum*; Alterum, *de judicio æterno*: nunquam id facturus, si communi consensu in symbolo, sub fide in Deum, comprehensi fuissent. IV. Quia autoritas Symboli non divina est, sed Ecclesiastica; qualis esse solet scriptorum

Apostolicum unde dictum.

ptorum catholicorum, publico totius Ecclesiæ nomine à doctoribus ejus scriptorum vel approbatorum; nec inter principia fidei censentur, sed inter conclusiones, quæ omnem certitudinem à principiis mutuantur. De forma hujus symboli memorabile est dictum Augustini. *serm.* 181. *de temp. Symbolum*, ait, *comprehensio est fidei nostræ, atque perfectio, simplex, breve, plenum; ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitas memoriæ, plenitudo doctrinæ.* Et præcipuè accomodatum fuisse institutioni Catechumenorum docet numerus singularis primæ personæ. Nam ipsi petentes baptismum, sigillatim interrogabantur. *Quid credis?* ad quod tum sigillatim respondebant *Credo in Deum.* Hujus Catechisationis illustre exstat exemplum in historia Philippi, & Eunuchi; *Actor.* 8. v. 37. Et ad eam alludit Petrus, 1. *Epist.* 3. v. 21. cum baptismum συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν appellat.

QUÆST. XXIV. In quot partes distribuitur hoc symbolum?

RESP. *In tres partes: Prima est de Deo Patre, & nostri creatione. Altera est de Deo Filio, & nostri redemtione: Tertia est de Deo Spiritu Sancto, & nostri sanctificatione.*

TRifariam distribui potest symbolum Apostolicum: *In duodecim articulos fidei*, qui distinctè enumerantur in symbolo, & in Catechesi ordine pertractantur: *In partes tres*; ut sunt; de Patre creatore, Filio redemtore, & Spiritu Sancto Sanctificatore: Et denique *in partes duas*, quarum una est de Deo, ejusque operibus ac beneficiis; altera de Ecclesiâ. Catechesis partitionem secundam sequitur, & aliis præfert, partim quia evidentius expressa est in ipso symbolo, partim quia in Scriptura simili penè forma traditur 2. *Cor.* 13. v. 13. *Tit.* 3. v. 4. 5. 6. *Apoc.* 1. v. 4. 5. 6. Desumta est ex Objectis, videlicet tribus personis sacræ Trinitatis, in quas nos credere profitemur; & ex Objectorum illorum effectis, Creatione, Redemtione, & Sanctificatione, quibus illæ sese nobis patefecerunt, & quotidiè patafaciunt. Etsi verò effecta illa tribus personis communia sunt, secundum doctrinam Scripturæ *Psal.* 33. vers. 6. 1. *Tim.* 4. vers. 10. 1. *Thess.* 5. v. 23. 1. *Cor.* 1. vers. 30. & regu-

Distributio symboli.

ex Objectis tribus Personis Deitatis.

eorumque Effectis.

quæ communia.

regulam Theologorum; *Opera Dei ad extra*, quæ extra se, erga creaturas exercet, *sunt indivisa*, hoc est, communia tribus personis Deitatis: tamen κατ' ἐξοχήν, & singulari quodam, modo singula opera singulis personis tribuuntur, & conveniunt. *Patri* tribuitur *creatio*: quia fons est ut Deitatis, ita omnium operationum divinarum, unde omnia ab ipso esse dicuntur, 1.*Cor*.8.v.6. *Ioh*.5.v.19. *Filio* tribuitur *redemtio*, quia solus assumsit humanam naturam, *Ioh*. 1.v.14.*Gal*.4.v.4. & in ea redemtionis negocium immediatè peregit *Act*.20.v.28.*Tit*.2.v.14. *Spiritui Sancto* tribuitur *sanctificatio*: quia ipse immediatè, sive immediatâ actione, sanctificat corda electorum ad vitam æternam 1. *Cor*. 6. v.11. *Ioan*. 3.v.5.

& singularia.

QUÆST. XXV. Cum una tantum sit essentia divina, cur tres istos nominas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum?

RESP. *Quia Deus ita se in suo verbo patefecit, quod tres hæ distinctæ personæ, sint unus ille, verus & æternus Deus.*

EXEGESIS.

QUia in partitione Symboli trium istorum fit mentio, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, quorum singuli sunt Deus, Scriptura verò meminit unius duntaxat essentiæ divinæ: oritur hinc quæstio quomodo trinitas personarum consentiat cum unitate essentiæ. Hanc quæstionem Catechesis formâ prolepseωs enthymematica concludit: Deus est unus essentia: Non ergò trinus personis. Ratio hæc est: quia unum esse, & tria esse, sunt contradictoria. Affirmatâ igitur essentiæ unitate, negari videtur trinitas Personarum. Respondet autem per negationem consequentiæ, & oppositionem enunciationis affirmatæ, quòd tres hæ distinctæ personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sint unus ille, verus, ac æternus Deus. Neque enim Deus unus, & trinus, dicitur eodem respectu; Unus essentiâ, trinus essentiâ; Unus personis, & trinus personis: sed respectu diverso; Unus essentia, & trinus personis: atque ita absque omni contradictione. Et confirmat responsionem argumento non artificiali, sed inartificiali, videl: patefactionis divinæ in verbo. Quia Deus ita se in verbo suo patefecit, quòd tres hę distinctæ personę sint unus ille, verus, ac æternus Deus.

Unitas Essentiæ, & trinitas Personarum in divinis non pugnant.

Deus. Cum enim Deum nemo viderit unquam, *Ioh.*1.v.18. ac ne videre quidem possit, ut qui lucem habitat inaccessam, 1.*Tim.*6. v. 16. solus ipse de se idoneus testis est, nec aliter de ipso sentiendum, aut loquendum est, quam ipsemet verbo suo se patefecit *Ioh.*.1.vers.18. *Matt.*11.v.26.27. & *cap.* 16.v.17. Hæc summa est Responsionis Catecheticæ, quæ, ut pluribus illustretur, ac plenius intelligatur, tria distinctè explicanda veniunt: Quid sit essentia, & persona, in divinis: Quomodò Deus sit unus essentiâ, & trinus personis: Quibus item testimoniis tum essentiæ unitas, tum personarum trinitas, demonstrari possit.

Vox *Essentiæ*, quæ Græcis οὐσία dicitur, etsi in Scripturis totidem literis non enunciatur de Deo, piè tamen & religiosè ab Orthodoxis patribus in hâc quæstione usurpata est; partim quòd ejus conjugata, undè illa pendet & necessariò deducitur, nempè יהוה *Iehova*, & ὁ ὢν, q.d. Ens ille, reperiuntur *Exod.*3.v.14. 15. *Apoc.*1. v.4. partim quòd ejus synonyma, φύσις natura, *Gal.*4.v.8. & μορφὴ forma, *Phil.* 2.v.6. Deo tributa inveniuntur. Similiter nec vox *Personæ* dicitur in Scripturâ; dicitur autem græca vox ὑπόστασις, hoc est subsistentia, seu subsistendi modus, *Heb.*1.vers.3. pro quâ Latini dicunt *Persona*, licet hæc propriè sit à voce πρόσωπον. Voces *Essentiæ* & *Personæ* rectè de Deo usurpantur.

Est autem *Essentia divina*, ipsa natura divina, ipsa Deitas, *Col.*2.v.9. sivè divinitas, *Rom.* 1.v.20. per quam Deus est substantia spiritualis, æterna, simplex, immortalis, omniscia, omnipotens, verax, justa, bona, misericors, alia à mundi corporibus, & creaturis omnibus. Essentia divina quid. *Persona* verò *divina* est subsistentia in essentiâ divinâ, *Phil.*2.v.6. certis proprietatibus distincta: sive, est ipsa essentia divina, non simpliciter & absolutè, sed cum suis quibusdam idiomatis, & proprietatibus considerata, quibus ab aliis ejusdem essentiæ personis secernitur. persona divina quid. *Discrimen* igitur inter Essentiam & Personam hoc est, quod *Essentia* notat naturam divinam absolutè, quatenus communis est tribus Personis, Patri, Filio, & Spiritui Sancto; & tota in singulis: *Persona* notat naturam divinam cum suis quibusdam proprietatibus, quibus Pater, Filius & Spiritus ita inter se distinguuntur, ut Pater non sit Filius, nec Filius Pater, & Spiritus Sanctus nec sit Pater nec Filius. Discrimen inter Essentiam & Personam. Nomen *Essentia* est nomen absolutum, quod non refertur ad aliam essentiam relatione Originationis, aut Originis: Nomen *Persona* est nomen relativum, Originationis aut Originis respectum inclu-

dens, quo Persona divina à se vel ab aliâ essentiam divinam habere dicitur, ut est *Ioh.* 5.v.26.

Deus quatenus dicatur. I. Vnus.

His præsuppositis explicatu difficile non est, quomodo Deus simul unus, & trinus in Scriptura prædicetur. *Vnus* dicitur. I. Non nudo nomine, sed re; quia etsi sint qui dicantur Dii in cœlo: ut Angeli, *Psal.*8.v.6. Diaboli, 2.*Cor.*4.vers.4. & in terra: Idola, *Ier.* 10. v. 11. Magistratus: *Psal.*82.v.1. nobis tamen unus est Deus: 1.*Cor.*8.v.4.5. II. Non voluntate, consensu, & concordia; sed naturâ, ac essentiâ, quia Deus est unus IEHOVAH *Deut.* 6.v.4. III. Unitate non generica, aut specifica, sed numerica ac individuali. Sic enim unus est, ut sit etiam solus, nec præter ipsum possit esse alius *Deut.*32.v.39. *Esa.* 43. v. 1. 6.

2. Trinus.

Trinus etiam dicitur. I. Non nomine solum, sed etiam re: quia Pater est qui genuit Filium, *Psal.*2.v.7. Filius est qui genitus est à Patre, *Iohann.* 1. v. 18. Spiritus Sanctus est qui à patre & Filio procedit *Iohann.*15.vers.26. 1.*Cor.*2.v.12. II. Non specie, formâ, aut gestu visibili; sed incommunicabili subsistentiâ, quia alius Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, *Ioh.* 5.v.32. *& cap.* 14. v.16. Et Pater & Filius duo Sunt, *Ioh.*8.v.17.18. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres. 1.*Ioh.*5.v.7. III. Non divisione essentiæ inter tres Personas, aut trium Personarum vel ab essentiâ, vel à se invicem separatione; sed communione unius numero essentiæ, & in eâ indivisâ subsistentiâ, sive coexsistentiâ. Etenim singulæ personæ sunt unus ille, verus, ac æternus Deus *Ioh.*1.v.1. *Actor.*5.v.3. 4. Singulæ subsistunt in formâ, sive essentiâ Dei, *Phil.* 2.v.6. & ita inter se coexsistunt, ut una sit in altera, *Ioh.*14.vers.10. propter ὁμουσίαν, & unitatem communis essentiæ *Ioh.*10.vers.30. 1.*Ioh.*5.v.7

Personarum divinarum cum Essentia & inter se Convenientia. Differentia.

Conveniunt igitur Personæ divinæ, tum cum essentiâ, tum inter se: & iterum differunt tum ab essentiâ, tum inter se. Conveniunt cum Essentiâ, quia singulæ personæ totam essentiam divinam obtinent: & inter se, quia non propriam singulæ, sed unam communem omnes habent. Differunt etiam ab essentiâ, modò subsistendi sive relatione, qua ipsa in communitate sua veluti restringitur: & inter se partim propietatibus personalibus, & incommunicabilibus, ut sunt, ἀγεννησία γέννησις, & πόρευσις sive gignere, gigni & procedere; partim operationibus externis, quæ licet indivisæ sint, & communes respectu principii & apotelesmatis communis, semper tamen ordine operandi, qui ordinem exsistendi

ſtendi ſequitur, nonnunquam etiam terminis diſtinguuntur, quoties nimirum operatio divina in vel ad perſonam aliquam Deitatis terminatur *Matth.* 3.v.17. *Ioh.* 1.v.14. *Actor.*20.v. 28. Ex quibus omnibus Perſonarum, in eſſentiâ creatâ & increatâ ſeu divinâ ſubſiſtentium differentiâ pateſcit. *Perſonæ creatæ* non ſolum ſunt diſtinctæ, ita ut una non ſit altera, ſed etiam ſeparatæ, & à ſe invicem diviſæ, ut una ſit extra aliam. At *Perſonæ divinæ* tantum diſtinctæ ſunt, non ſeparatæ, quia una eſt in alia *Iohan.*14.verſ.10. Rurſum *perſonæ creatæ*, ſunt tantum ὁμοιούσιοι, ſimilis ſpecie eſſentiæ, non ὁμοούσιοι, unius ejuſdemque numero eſſentiæ: ſed *perſonæ divinæ* ὁμοούσιοι ſunt; Cujus rei ratio eſt, quod eſſentia creata finita eſt, & partibilis, ita ut per partes inſit ſingulis individuis: At eſſentia increata divina, eſt infinita, impartibilis, & ſimpliciſſima, ac proindè tota in ſingulis perſonis.

Perſonarum creatarum & increatarum diſcrimen.

Supereſt ut teſtimonia videamus, quibus tam unitas eſſentiæ divinæ, quàm trinitas perſonarum demonſtratur. In iis non numerum ſpectamus, (ſunt enim ſine numero) ſed evidentiam ac proprietatem. Pro *unitate eſſentiæ* præcipuæ ſententiæ ſunt: ex *Veteri Teſtamento* Deut. 6. v.4. *Iehovah Deus noster Deus unus eſt.*cap. 32.v.39. *Videte quod ego ſum ſolus, & non eſt alius præter me.* Eſa.44. v.1.vel. 6. *Ego ſum primus & ultimus,& præter me nullus eſt Deus.* Et ex *Novo Teſtamento* 1.Cor.8.v.4. *Scimus idolum nihil eſſe in mundo, & nullum alium eſſe Deum niſi unum.* Eph.4.v.6. *Vnus Deus,& Pater omnium.* 1.Tim.2.v.5.*Vnus Deus, unus mediator Dei & hominum,homo Christus Ieſus.* Pro *Trinitate perſonarum divinarum* dicta ſunt præcipua. E *Veteri Teſt.* Gen. 3.v.32. *Dixit Iehovah Deus, ecce homo factus eſt,ſicut unus ex nobis.* Eſa.63.v.8.9. ubi tres perſonæ ordine enumerantur; *Iehovah miſericors* qui infinita beneficia præſtitit populo Iſraël: *Angelus faciei ejus*, qui populum illum per miſericordiam ſuam ſervavit: & *Spiritus ſanctitatis ipſius*, quem ipſe contriſtavit. Hagg.2.v.4.5. *Sum vobiſcum,dictum Iehovæ exercituum,cum verbo quo pepigeram vobiſcum, exeuntibus vobis ex Ægypto,& Spiritu meo ſtante in vobis; Ne timeatis.* Ex *Novo Teſt.* Matt.3.v.16.17. In baptiſmo Chriſti, ubi deſtincta revelatio trium perſonarum facta eſt, *Patris* cœlitus clamantis, *Filii* baptiſmum recipientis;& *Spiritus S.* deſcendentis in formâ columbæ. Matt.28.v.19. Marc.16.v.15. *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Iohan. 14.v.16.17. *Ego rogab. Patrem, & alium conſolatorem dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.*

Demonſtratur.

Vnitas Eſſentiæ.

Trinitas Perſonarum.

Apen-

Appendix

Ad doctrinam de Deo uno ac trino, nihil animadversionum consignarunt *Novatores*: quàm monstrosa verò & hæretica de hoc dogmate non pauci ipsorum tueantur, ex scriptis editis intelligi potest, & alias à nobis demonstratum est. Movere autem hic plerumque solent quæstionem de αὐτουσίᾳ καὶ αὐτοθεότητι Filii, & Spiritus Sancti: de quâ tribus, quod ajunt, verbis dicemus. Αὐτόθεός est Filius; sic etiam Spiritus Sanctus: non quod essentiam habeat à se ipso, aut quod non habeat eam sibi communicatam à Patre: Nam dedit Pater, Filio habere vitam in se ipso, *Ioh.* 5. vers. 26. & generando communicavit ei essentiam: Sed quia Deus est per Essentiam, quæ est à se ipsâ, non genita, non communicata, aut decisa ab aliâ aliquâ essentiâ. Ut Ens per Essentiam, Exsistens per Exsistentiam: sic Deus per Deitatem. Qualis ergo est Deitas, talis Filius Deus est. Atqui Deitas est αὐτοθεότης, quæ non est ab alia Deitate. Ergo & Filius est αὐτόθεός hoc est. Deus eâ Deitate quæ non est ab aliâ. Secus periret unitas essentiæ & Deitatis, cum essentia gignens, & genita; communicans, & communicata; quæ est à se ipsâ, & quæ non est à se ipsâ, non sit una eademque essentia.

Filius est αὐτόθεός & quatenus.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. vigesimam primam.*

In Essentiâ divinâ una tantum persona est, nempe Deus, ac Pater Domini nostri Iesu Christi. I. *Quia essentia Dei est una numero. Ergò plures numero personæ in eâ esse non possunt: cum persona nihil sit aliud, quàm individuum intelligens.* II. *Quia Pater dicitur ille solus ac unus Deus* Iohann. 17. vers. 3. 1. Cor. 8. v. 6. Ephes. 4. v. 6. III. *Quia opinio de Trinitate personarum divinarum multis modis perniciosa est; ut quæ unius Dei fidem labefactat, dum unum Deum modò fatetur, modò tres personas, quarum unaquæque Deus sit, prædicat. Item gloriam unius Dei, qui tantum Pater Christi est, obscurat, dum eam ad alium, qui Pater non sit, transfert. Item viam salutis pervertit, dum tollit discrimen inter primam, & secundam salutis causam, & quomodo eam per Christum, & Spiritum Sanctum operetur Pater, agnoscere non sinit. Postremo etiam alienis à religione Christianâ magno est impedimento, dum ea quæ veritati divinæ, & sanæ rationi adversa sunt, tradit. Nititur autem*

tem doctrina Trinitatis duobus præcipue argumentis; Unum *est, quod non solum Pater verùm etiam Filius, & Spiritus Sanctus Deus vocatur cum tamen unus tantùm sit Deus.* Alterum *quòd quibusdam locis conjuncta mentio fit Patris, Filii & Spiritus Sancti: ut sunt* Matth. 28. v. 19. 1. Cor. 12. v. 4. 5. 6. Iohan. 5. vers. 7. *Sed* respondetur *ad* Primum, *Filium dici Deum quia potestatem aliquam sublimem ab uno illo Deo habet, & Deitatis unius illius Dei aliqua ratione particeps est; ac propterea Deus ille unus Deus Deorum vocatur* Psalm. 50. v. 1. *Spiritum Sanctum vero nunquam in Scriptura expresse dici Deum. Ad* Secundum *locis illis doceri tantum esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non autem esse personas unius Deitatis*: Non Matth. 28. v. 19. *quia nihil novum in rebus divinis, conjungi Deo tum personas, ut* 1. Sam. 12. v. 18. Exod. 14. v. 31. *tum res*, Actor. 20. v. 32. Ephes. 6. v. 10. *quæ ad essentiam Dei nullo modo pertinent: Insuper Israelitas in Mosen*, 1. Cor. 10. v. 2. *& discipulos quosdam in baptisma Iohannis*, Actor. 19. v. 3. *baptisatos esse.* Nec 1. Cor. 12. v. 4. 5. 6. *quia à Deo, qui est Pater Domini Iesu, distinguantur Christus & Spiritus: & ideo illorum mentionem fieri, quod iis de rebus agatur, quas Deus per ipsos operatur.* Neque etiam 1. Johan. 5. v. 7. *Nam locum illum non haberi in antiquissimis exemplaribus: loqui etiam tantùm de hoc testimonio, quod Iesus sit Dei filius; quale perhiberi possit ab iis qui personæ non sunt, ut ἀντίθεσις docet: denique tres unum dici testimonio, non essentia.*

Responsio.

Orthodoxam & Catholicam doctrinam de Sacro sancta Trinitate bifariam impugnant hæretici Sociniani. Nam & ratiocinia quædam sua ei opponunt; & solidarum probationum nervos quantum possunt, succidunt. Nos igitur eadem viâ ejusdem doctrinæ vindicias instituemus. *Socinianorũ objectiones refutantur.*

Ad *Objectiones* adversariorum sic breviter *respondemus. Prima* valet de creaturis intelligentibus, angelis & hominibus, in quibus pro numero personarum multiplicatur essentia. Ratio, quia singulis non tota, sed secundum partes inest. In divinis ideò falsa est; quod unica illa Dei essentia simplex est, & infinita; eòque singulis tota, & indivisa inest. Falsa quoque est personæ, quam tradunt, definitio, vel saltem mutila & imperfecta est. Sic *Prima.*

enim etiam anima rationalis, sive unita corpori, sive ab eo separata, erit persona. Quid autem præterea requiratur ad esse ὑποστατικὸν, in exegesi quæstionis dictum fuit. *Secunda* implicat fallaciam à dicto secundum quid. Pater, unus ille & solus Deus vocatur, non absolute & simpliciter, etiam opposite ad Filium, & Spiritum Sanctum: sed tantum idolorum ac creaturarum respectu. Probatur prius: Nam quando divinitas intra se describitur, Christus diserte rejicit exclusivam: Joh.8.v.14.16. *Si testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum firmum est; quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.* Item vers. 28.29. *A me ipso facio nihil, sed qui misit me mecum est, & non relinquit me solum.* cap.16.v.32. *Non sum solus, quia Pater mecum est.* Posterius etiam; quia exclusiva diserte opponitur idolis & creaturis. 1. Cor. 8.v.4.5. *Scimus idolum nihil esse in mundo, & nullum esse Deum nisi unum: Nam etsi sint qui dicantur Dii* &c. 1. Thess. 1. v. 9. *Annunciant quod converteritis vos ad Deum, relictis idolis, ut serviretis Deo vivo, & vero.* Similia loca sunt *Ier.*10.v.10.11. *Exod.*20.v.23. *Gal.*4. v.8. *Tertia* est mera blasphemia, fidem Trinitatis appellans opinionem, & salutarem agnitionem veri Dei in tribus Personis, ut dogma perniciosum criminans. Absurda quatuor totidem calumniæ sunt sanæ doctrinæ. *Primo*, non labefactat fidem unius Dei, quia Trinitatem in unitate credendam, colendam, adorandam proponit *Ioh.*5. & alibi. Contra labefactat eam Sociniana impietas. Quisquis enim negat filium, nec Patrem habet 1.*Ioh.*2.v.22. *Secundò* non obscurat gloriam Dei Patris, sed multis modis illustrat; tum quia Filius est effulgentia gloriæ, & character personæ Patris, *Heb.*1.v. 7. tum quia in assumtâ carne manifestavit gloriam suam, tanquam unigeniti à Patre, *Ioh.*1.v.14. tum etiam quia ad gloriam Patris omnia retulit, exinanitus in forma servi *Phil.*2.v.6. *Ioh.*7. v. 18. & *cap.*17.v.4. *Tertio* non pervertit viam salutis, nec discrimen personarum in agendo confundit. Distinctio enim Personarum, quæ in exsistendo est, etiam valet in agendo. Et in negotio salutis agit Pater per Filium & Spiritum Sanctum, non tanquam per caulas inferiores essentiâ distinctas, sed tanquam per personas, solo subsistendi modo distinctas, essentiâ verò easdem & inter se coæquales *Ioh.*5.v.17.*seqq.* *Tit.*3.v.4.5.6. *Postremò* doctrina hæc multorum conversioni impedimento est non per se, sed per accidens; quatenus rationem in consilium adhibent circa divina mysteria, nec

Secunda.

Tertia.

totos se volunt addicere in obsequium Christi, & verbi ipsius 2. *Cor.*10.v.5.6. Quod autem eo offendantur, quia doctrinam hanc veritati divinæ adversari vident, nova calumnia est, & turpis principii petitio.

Iam secundo loco *probationes sententiæ Orthodoxæ vindicandæ* sunt. Circa *Primam* bifariam peccant. Semel fallacia Causæ; quatenus Filium dici putant Deum propter potestatem aliquam sublimem divinitus acceptam. Atqui ipse, *Ioh.* 5. se unum cum Patre Deum esse ostendit, ex communicatione unius numero essentiæ cum Patre; nec non ex æqualitate attributorum, operum, & honoris cum ipso. Et Paulus *Phil.*2.v.6. ὕπαρξιν ei tribuit in essentia divina, per quam ipse par sit & æqualis Deo. Iterum, impudenti negatione multorum evidentissimorum locorum, quæ Spiritum S. Deum vocant, *Act.*5.v.3.4. 1.*Cor.*3.v.16. 2.*Cor.*6.v.15.16. *Act.*28. v.25.26.*Esa.*6.v.3.9.*inter se collatis. Num.*12.v.6.1.*Pet.*1.v.11. Proinde cum *Psal.* 50. v. 1. Pater Deus Deorum appellatur, non respectu Filii & Spiritus Sancti, sed respectu creaturarum, angelorum videlicet, & regum terræ, sic dicitur. Nec ita appellatur nomine personali, sed essentiali, utrique cum ipso communi. In *secunda* manifestè detorquent, & depravant testimonia Trinitatis. Conjungunt ea Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non tantum ut res verè exsistentes, sed etiam ut coessentialiter subsistentes. Nam exæquant eas potestate, cultu, & operationibus; & tanquam homogeneas, vel potius ὁμοȣσίȣς, locant in eodem ordine, absque omni graduum sive respectu, sive distinctione. Nuspiam ministri Dei, Prophetæ, vel Apostoli eo modo juncti Deo reperiuntur. Nam quod 1. *Sam.*12. v. 18. Israëlitæ dicuntur timuisse Iehovam, & Samuelem: item *Exod.* 14. v. 31. credidisse Iehovæ, & Mosi servo ejus: loquitur res ipsa, id de ministerio ipsorũ, & eloquiis Dei nomine prolatis, intelligendum esse. *Actor.*20. v. 32. Deo jungitur verbum gratiæ, id est, Euangelium tanquam organum communicandæ gratiæ. *Ephes.* 6. v. 10. autem Virtus, roboris Dei est tota armatura Dei, v. 11. *seqq.* descripta.

Vindiciæ argumentorum orthodoxorum. primi.

Psal. 50. v. 1. explicatur.

secundi.

Sed nunc singula loca seorsim asseramus, *Matt.* 28: baptizari in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti, est baptizari in fidem eorum & cultum. At 1. *Cor.* 10. baptizari in Mosen; est Mose duce atque administro sub nube per mare traduci; vers. 1.2. Et baptizari in baptisma Iohannis, *Actor.* 19. est baptizari in doctrinam à Iohan-

Vindicantur dicta Matth. 28.19.

hanne prædicatam, & baptiſmo obſignatam: non in ipſum Iohan-
1. Cor. 12. v. 4. 5. 6. nem *cap.* 18. v. 25. 1. *Cor.* 12. Filius & Spiritus Sanctus diſtinguuntur à Patre, ut perſonæ divinæ à perſona divina: non tanquam creaturæ à creatore, vel effecta à ſua cauſa. Ἀποτελέσματα de quibus iſthîc agitur, divina ſunt, arguentia ſuppoſitum divinum; eaque tribus illis perſonis non inæqualiter, ſed æqualiter, diſtinctè licet, convenire oſtendit ordo æqualium Effectorum, verſ. 4. 5. 6. propoſitus; atque etiam ſententia verſus 11. antecedenti verſui 6. reſpondens.
1. Ioh. 5. v. 7. Poſtremò, locus 1. *Ioh.* 5. v. 7. exſtat in melioribus & antiquiſſimis exemplaribus, & in quibus deſideratur ex iis perfidia Arianorum eraſus eſt. Sanè ea quoque quæ ὑποστάσεις non ſunt, teſtari de Chriſto ſuo modo poſſunt. Sed hic Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ponuntur tanquam ejuſdem ordinis teſtes ſub eodem genere. Ut igitur Pater eſt teſtis Perſonalis; ita Filius quoque & Spiritus Sanctus: Ut Pater teſtis eſt qua perſona divina: eodem modo etiam Filius & Spiritus Sanctus. Quomodo autem hi tres unum ſint, ex ipſa phraſeologia κατ' ἀντίθεσιν intelligitur, quia non dicuntur εἰς τὸ ἕν εἰσι, ſed τὸ ἕν εἰσι, tum etiam ex loco ſimili *Ioh.* 10. v. 30. Ubi Pater & Filius dicuntur eſſe unum, eſſentia ſcilicet, & potentia v. 28. 29. 33. ſeqq.

De

DEO PATRE

QVAEST. XXVI. Quid credis cum dicis: Credo in Deũ Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

RESP. *Credo æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cœlum & terram, cum omnibus quæ in iis ſunt, ex nihilo creavit, quique eadem æterno ſuo conſilio & providentiâ ſuſtentat ac gubernat, propter Chriſtum Deum meum, & Patrem meum eſſe. Itaque ſic ei confido, ſic in eo acquieſco, ut non dubitem quin proviſurus ſit omnibus, cum animo tum corpori meo neceſſariis; tum etiam quæ mihi mala in hâc ærumnoſâ vita immittit, ea in meam ſalutem ſit converſurus; cum & facere id poſſit ut omnipotens Deus, & facere id velit ut benignus Pater.*

EXE-

EXEGESIS.

PArtitionem Symboli Apostolici supra propositam deinceps ordine exsequitur Catechesis, initio facto à Deo Patre prima in Deitate persona. De quo priusquam speciatim agamus, generatim prænotanda & præcognoscenda sunt tria. *Primum* est: In symbolo usurpari numerum singularem *Credo*, non credimus, pro consuetudine Veteris Ecclesiæ: ubi Catechumeni interrogati de fide pro se quisque sigillatim respondebant. Tum etiam ad declarandam naturam veræ fidei, quę promissionem universalem, omnibus in genere vel specie factam, individuo cui inest, ceu propriam vendicat. *Alterum* est: Differre ex usu symboli, credere in aliquid, & credere aliquid: credere in Deum, & credere Ecclesiam. *Credere in Deum*, est in ipsum ferri motu cordis, ei credendo adhærere, & in eo fiduciam collocare. *Credere Ecclesiam*, est certo persuasum esse, quòd sit Ecclesia, & ad nos pertineat ejus communio. Vulgo etiam distingui solent Phrases: *Credere Deum*, *credere Deo*, & *credere in Deum*; ut *illud* sit assentiri, quod sit Deus, *istud*, credere vera esse, quæ dicit Deus; *hoc*, etiam ipsi fidere. Sed discrimen illud non est perpetuum. Nam Credere in Deum idem quandoque est in Scriptura, quod ei assentiri, non fidere, *Ioh*. 2. v. 23. & *cap*. 12. v. 42. & vice versa, Credere Deum, & Deo idem quod fidere, non assentiri tantum *Genes*. 15. v. 6. *Rom*. 4. v. 3. *Heb*. 11. v. 6. *Tertium* est: Nomen Dei rectius hic synecdochicè & Personaliter de Deo Patre, quàm essentialiter de tribus Deitatis personis intelligi: siquidem determinatione objecti, credo in Deum Patrem de ipsius persona explicatur; Ex articulo sexto, ubi eadem verba recurrunt, illo sensu citra controversiam sumitur. Nec insolens est in Scriptura, voce Dei etiam absolute posita persona Patris significari, propter originis principatum. Dicitur autem *Omnipotens* Deus Pater. I. Quia potest omnia, non solum quæ vult, & facere decrevit, *Psal*. 115. vers. 3. sed etiam quę non vult, etsi ea velle possit; *Matth*. 3. vers. 9. & *cap*. 26. v. 53. sive, quia potest omnia, quæ sint potentiæ, non quæ sunt impotentiæ; ut peccare, mentiri, mori, contradictoria simul vera facere 2. *Tim*. 2. 13. *Tit*. 1. vers. 1. 1. *Tim*. 1. vers. 17. 2. *Cor*. 1. v. 19. 20. II. Quia omnia solo nutu & verbo, sine difficultate, impedimento,

Cur in Symbolo dicatur singulariter *Credo*.

Quid differant *credere in aliquid*; & *credere aliquid*.

In primo articulo Deus hypostatice accipiendum de patre.

Cur Pater dicatur *Omnipotens*.

mento, aut resistentiâ peragit *Psal.* 33. vers. 9. *Esa.* 43. vers. 13. *Rom.* 9. vers. 19. Insuper *cœli ac terræ creator* appellatur, quia, ut principium omnis actionis, creat à se, non ab alio: quemadmodum à se non ab alio existit *Ioh.* 5. v. 17. 19. *Actor.* 17. v. 24. Sed de his ipsam responsionem videamus, in qua fides in Deum Patrem, prout enunciatur articulo primo, ex Objecto atque Effecto distinctè declaratur.

Creator cœli & terra.

Objectum aliud generale est, aliud speciale: prout nimirum vel per notitiam & assensum, vel per fiduciam simul nobis credendum offertur.

Deus Pater est fidei objectum.

Ad *Objectum generale* pertinent, quæ ex locis relatorum, & effectorum de Patre prædicantur: cujusmodi sunt. I. Quod sit æternus Pater Domini nostri Jesu Christi: quem ipse æternâ ac ineffabili generatione per communicationem vitæ subsistentis in se ipso genuit *Psal.* 2. vers. 7. *Proverb.* 8. vers. 22. & *seqq. Ioh.* 5. vers. 26. Quo sensu κατ' ἐξοχὴν Pater Jesu Christi *Heb.* 2. vers. 4. 5. *Ephes.* 1. vers. 3. καὶ ἀγαπητόν proprius ejus pater vocatur *Iohan.* 5. vers. 18. De hâc paternitate & generatione infra ex professo. II. Quod cœlum & terram cum omnibus, quæ in iis sunt, ex nihilo creaverit. Quanquam enim opus creationis commune est tribus in Deitate personis: Patri tamen peculiariter vendicatur in Scriptura, quod ipse sit prima persona, tam operationis, quam exsistentiæ respectu, quæ à se creavit non ab alio. Et ita loquitur ipsa Scriptura. 1. Corinth. 8. vers. 6. *Vnus est Deus, Pater ille à quo omnia.* Genes. 1. vers. 1. 3. *In principio creavit Deus Cœlum & terram: & dixit Deus, fiat lux.* Item Psal. 33. vers. 6. *Verbo Iehovæ facti sunt cœli, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Nec aliam ob causam Pater peculiari quasi elogio, *Dominus cœli ac terræ* appellatur *Matth.* 11. vers. 25. III. Quod eadem quoque æterno suo consilio ac providentia sustentet ac gubernet; succedanea quasi, & continuata creatione. De quâ ita Nehemias, cap. 9. vers. 6. *Tu ille Iehova solus es: tu fecisti cœlos, cœlos cœlorum, & omnem exercitum eorum, terram, & quicquid est in eâ, maria, & quicquid est in eis: & tu conservas hæc omnia.* Et Christus Iohann. 5. vers. 17. *Pater meus operatur usque ad huc*: ab initio mundi ad hoc usque tempus, & deinceps, continuo actu versans in rerum creatarum conservatione, ac gubernatione.

Generale, qua

I. Pater Iesu Christi.

2. Cretor.

3. conservator ac gubernator.

Obje-

Objectum speciale etiam deducitur ex loco relatorum: nimirum, quod sit Deus, & Pater Meus, tuus, & cujusque credentis propter Christum. Nam in ipso adoptavit nos in filios, & dilectos effecit in dilecto illo *Eph.* 1. v. 5. 6. *Matth.* 3. v. 17. Hinc toties repetita occurrit Patris & Filiorum appellatio, quum nobis ut filiis suis Deus loquitur *Ier.* 31. v. 1. & 2. *Cor.* 6. v. 18. *Luc.* 11. v. 13. *Heb.* 12. v. 5. 7. Hinc etiam Christus ipse nos fratres suos nuncupat, *Heb.* 2. v. 11. 12. *Ioh.* 20. v. 17. & communem sibi Deum & Patrem nobiscum esse profitetur: *Ascendo*, inquit, *ad Deum meum, & Deum vestrum, ad Patrem meum & Patrem vestrum Ioh.* 20. v. 17. Quod quantæ sit gratiæ, Johannes vix ac ne vix quidem assequitur 1. *Epist.* 3. v. 1. Nè verò titularis videatur hæc paternitas & filiatio, in solo nomenclaturæ honore posita; Scriptura insuper declarat, Nos ita esse filios, ut etiam simus hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi *Rom.* 8. v. 17. Hæreditas est ex verâ, ac reali paternitate & filiatione. Quum igitur hæredes simus, Deus verò pater sit in Christo, nos verò sumus ipsius filii. Sed adoptio illa ac dignitas filiorum Dei hîc occulta est quæ intus in cordibus fidelium obsignatur per Spiritum Sanctum *Rom.* 8. *vers.* 16. *Eph.* 1. v. 14. Olim verò in resurrectione justorum, *Luc.* 20. v. 36. & ἀποκαλύψει filiorum Dei, *Rom.* 8. v. 19. planè patefiet, quando videbimus Patrem illum nostrum sicuti est 1. *Ioh.* 3. v. 2. — Speciale, quâ Deus, Pater meus, tuus.

Ita se habet Objectum fidei primo symboli articulo. *Effectum* quod inde dependet est confidentia, sive acquiescentia in Deo Patre: quum de paterno Dei favore ac gratia persuasi, nos ac singuli nostrorum toti in ipsum recumbimus, benignitati ipsius nos, nostraque omnia, quocunque rerum statu, secundo, adverso, læto, tristi, securè committimus *Psal.* 23. *vers.* 1. *seqq. Psal.* 37. v. 4. *seqq. Rom.* 8. *vers.* 38. 39. Hujus benignitatis duo præcipui actus commemorantur, de quibus certi sumus, ac esse debemus per fidem. *Vnus* est bonorum necessariorum collatio, quod Deus nobis de omnibus, quæ animo & corpori necessaria sunt, sufficienter sit provisurus. De quo exstant promissiones innumeræ in Veteri & Novo Testamento: *Psal.* 37. *vers.* 3. 4. & 40. v. 18. *Esa.* 46. *vers.* 3. 4. *Matth.* 7. *vers.* 11. *Luc.* 11. *vers.* 13. Eodem pertinent, quæ de paternâ Dei cura pro nobis Christus prolixè & patheticè disserit *Matth.* 6. & *Luc.* 12. *capp.* *Alter* est conversio malo- — Effectum fidei hujus Confidentia in Deo Patre. — de collatione bonorum necessariorum.

de conversione malorum in bonum. malorum in bonum. Deus varias calamitates suis immittere solet in hac vita: sed immittit non malo, sed bono ipsorum; non in exitium, sed in salutem. *Castigat nos*, inquit Apostolus, *ad commodum nostrum*, Hebr. 12. vers. 10. *ne cum mundo condemnemur* 1. Corinth. 11. vers. 32. *Et diligentibus Deum omnia simul adjumento sunt ad bonum* Rom. 8. vers. 28. Quod David expertus prædicat *Psal.* 119. *vers.* 71. Et Ioseph de omnibus tribulationibus confitetur, & gratus celebrat *Genes.* 50. vers. 19. 20. Utrumque hunc actum ætiologiâ causatum sufficientium, ex articulo primo deducta, demonstrat Catechesis hunc in modum. Qui potest & vult nobis omnibus & singulis providere de omnibus necessariis: quin etiam mala omnia in salutem nostram convertere; de eo possumus utrumque confidere, in eo possumus & debemus securè acquiescere. At Deus ille, de quo singuli profitemur in symbolo, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, utrumque illud potest & vult. Ergo. *Major* certa est ex sufficiente enumeratione causarum; Neque enim in agente προαιρετικῷ plura requiruntur ad agendum, quam facultas & voluntas. *Minor* confirmatur argumento Subjecti: *Potest*, quia est Deus omnipotens, *Genes.* 17. vers. 1. *Psal.* 115. v. 3. *Vult*, quia est benignus pater *Psal.* 103. v. 13. *Esa.* 49. vers. 15. *Matth.* 7. v. 11.

Ad hanc quæstionem & responsionem, referendus est locus *de Creatione*, cujus summam brevi hâc definitione complectimur: *Gratia est actio Dei externa, quâ omnes creaturas in tempore, spacio sex dierum, solo nutu & verbo, ex nihilo valde bonas produxit.* Præcipua membra definitionis sunt ista. I. Dicitur *actio Dei*; Quia Deus creavit cœlum & terram *Genes.* 1. v. 1. Sed actio tum unius Dei, nec enim plura principia concurrerunt ad hoc opus, *Mal.* 2. v. 10. 1. *Cor.* 8. v. 6. tum solius Dei; quia præter ipsum non potest esse alius creator, *Esa.* 45. vers. 6. 7. *Ier.* 10. v. 10. 11. tum etiam Dei subsistentis in tribus personis; Nam est opus in divisum ipsis personis inter se commune *Gen.* 1. v. 1. 2. 26. 27. ordine solum operandi distinctum. II. Dicitur actio Dei *externa*, quam ipse extra se erga creaturas exseruit, vocans ea quæ non erant, ut essent, exsisterent *Psal.* 33. v. 10. III. Est actio Dei *edita in tempore*; si quidem in principio creavit Deus cœlum & terram *Gen.* 1. v. 1. Quod principium, initium fuit temporis

Creatio est actio Dei

externa

edita in tempore.

poris compositi ex vespera & mane diei primi *vers*.5. Et hoc non aliud tempus, sed ipsa æternitas antecessit *Prov*. 8. v. 22. *seqq*. IV. Produxit hac actione *omnes creaturas*, sive omnia, quæcunque sunt, & exsistunt extra essentiam divinam, *Gen*. 1. 2. *capp*. non tantum visibila corpora, & inferiores naturas, sed invisibilia; thronos, dominatus, potestates, *Ioh*.1.v.3.4. *Coloss*.1.v. 16. 17. quæ angelorum sunt epitheta. V. Produxit creaturas *spatio sex dierum Gen*. 1. Non qnod momento temporis id effectum dare nequivisset, sed ut per partes, veluti in tabella, contemplandum nobis proponeret suum opificium *Rom*. 1.vers.20. Et hâc temporis distinctione ipsa opera creationis commodissimè distinguuntur. Opus primi diei fuit massa informis, ex aquâ & terrâ, quam *chaos* vocant; nec non primæva lux: Secundi, expansum, & divisio aquarum: Tertii, collectio aquarum inferiorum in alveos terræ; exsiccatio terræ, & germinum productio: Quarti, Sol, Luna, & cæteræ Stellæ: Quinti, pisces, & aves: Sexti, animalia terrestria, & homo. VI. Produxit creaturas *solo nutu & verbo*, *Gen*.1.v.3. *Psal*.33.v.6.10. absque omni defatigatione, *Esa*. 40. v.28. vel alteratione *Psal*.102.v. 26.27.28. VII. Produxit eas *ex nihilo*, non tanquam ex re levi aut nihili, vel tanquam ex materia, sed nulla præexsistente materia, sive cum ante nihil esset: quo sensu phrasis græca, ἐξ οὐκ ὄντων, usurpatur & explicatur 2.*Machab*. 7.v.28. *Rom*.4.v.17. Ei similes sunt aliæ locutiones, ut cum *Heb*. 11.v.3. Mundus dicitur compactus μὴ ἐκ φαινομένων, *ex non apparentibus*, id est, ex nihilo: non entis nulla sunt accidentia. Et 2.*Cor*.4.vers. 6. è tenebris splenduisse lux, id est, post tenebras, quæ, nondum creatâ luce, omnia occupabant, *Gen*. 1. vers.2. VIII. Et ultimo, produxit Deus creaturas *valde bonas*, *Gen*.1.v.31. bonitate naturali & morali, pro singulorum conditione, *Eccles*.7. v.29. non solum absolutè in essentiâ & qualitatibus, sed etiam relatè & ad se invicem, inprimis autem ad ipsius creatoris gloriam *Prov*.16.v.4.*Psal*.8.v.2. *seqq*. & 19.v.2.*seqq*.

quâ omnes creaturas.

spatio sex dierum.

solo nutu & verbo.

ex nihilo.

valde bonas produxit.

QUÆST. XXVII. Quid est providentia Dei?

RESP. *Omnipotens, & ubique præsens Dei vis, quâ cælum at teram cum omnibus creaturis, tanquam manu sustinet ac gubernat: ut quæ terrâ nascuntur, pluvia item & siccitas;*

citas; fertilitas, & sterilitas; bona, & adversa valetudo; divitiæ, & paupertas; omnia denique non temerè aut fortuitò, sed paterno ejus consilio, & voluntate contingant.

EXEGESIS.

DEus pater, quem cœli, terræque creatorem profitemur in Symbolo, non momentaneus creator est, qui semel duntaxat opus suum absolverit, sed ejusdem etiam perpetuus est moderator, qui idem opus actu continuo sustentat & gubernat. Hæc causa, est quod Scriptura sub creatione providentiam complectitur multis locis: *Psal.*45.v.5.6.7.& 123.v.8. *Iob*.12.v.9.10. Catechesis quoque creationi doctrinam de providentia subjicit. Cujus primò nomen videbimus: indè definitionem.

Providentiæ significatio.

Vox *Providentia*, quæ πρόνοια dicitur, non reperitur in Scriptura illo significatu, sed ex Philosophorum, maximè Stoicorum de mundi gubernatione disputationibus, in Theologiam introducta est. *Proprie* actum mentis, sive præscientiam significat: voce tamen Latinâ à sensu ad intellectum translatâ: *Synecdochicè* verò notat etiam actum voluntatis, hoc est, rerum præscitarum curam ac gubernationem; idque ex idiotismo Hebræorum, quo verba notitiæ affectum indicant *Gen*.22.vers.8. *Exod*. 18.vers.21. 1.*Sam*. 16.vers.17. 1.*Tim*. 5.v.8. *Heb*.11.v.40. Hic significatus declarandæ naturæ Providentiæ est peridoneus, sive ad decretum Dei, cujus hac & antecedente etiam quæstione mentio fit, sive ad ejus exsecutionem referatur. Si quidem *priore* modo, providentia est πρόγνωσις, ἡ βουλή, præcognitio, & consilium, Dei *Act*.2.vers.13. & *cap*.4.v.28. de omnibus & singulis, quæ in tempore fiunt, conservandis, & gubernandis: ut qui omnia agit ex consilio voluntatis suę, *Eph*.1.v.11. & cui ab omni ævo nota sunt omnia opera sua *Actor*. 15. *vers*. 18. *Posteriore* modo est notitia, & cura, quam habet Deus de omnibus, & singulis; nec tam oculorum est quibus prospiciuntur res, quàm manum, quibus diriguntur. Atque hoc demum sensu in responsione accipitur, & explicatur.

notat. Decretum. Exsecutionem.

Providentiæ.

Definitio genere, & differentia constat, pro more.

Genus, vis.

Generis loco ponitur *vis*, non quæ violentia, aut coactio est,

est, sed quam virtutem, efficacem, efficacem actionem, & operationem dicimus, secundum illud Christi Ioh. 5.v. 17. *Pater meus operatur usque adhuc, & ego operor.* Et duobus Epithetis declaratur, quod sit *vis omnipotens*, & *omnipræsens*; nimirum, ut intelligatur non esse inanem aut otiosam providentiam, sed operosam, in actu continuo positam, & efficientem quicquid intendit & vult: non etiam principium generale confusi motus, longo interstitio distans à causis secundis, sed iis præsentissimum, & ad singulos ac particulares motus sese extendens, & pertingens. Omnipotentiam ejus prædicat Psaltes Psal 89. vers. 14. *Tibi brachium est cum potentiâ, robusta est manus tua, elata dextra tua.* Et Iobus cap. 42. vers. 2. *Novi te omnia posse, neque averti te posse à cognitatione perficiendâ.* De sua omnipræsentia ipsemet apud Prophetam: *An Deus è vicino sum ego, & non Deus è longinquo, annon cœlum & terram impleo ego?* Ier. 23. vers. 23. 24. Et Apostolus Actor. 17. vers. 27. 28. *Deus non longè abest ab unoquoque nostrum: In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Sed præsentia Dei illa generalis est omnibus creaturis communis, non excludens aut confundens modos & gradus præsentiæ specialis, quibus Deus beatis angelis & hominibus in cœlo secundum gloriam, *Matth.* 18. vers. 10. 1. *Ioh.* 3. v. 2. *Heb.* 12. v. 22. 23. Sanctis in Ecclesiâ secundum gratiam, *Matth.* 18. v. 20. & *cap.* 28. vers. 20. in Christo verò etiam κατ σῶμα, sive ὑποστατικῶς, *Coloss.* 2. v. 9. præsens esse dicitur. Omnipotens. Omnipræsens.

Differentia Providentiæ ab actibus ejus formalibus, Objectis & causa efficiente describitur. Differentia habet

Actus formales statuuntur, *sustentatio*, & *gubernatio* omnium rerum: quibuscum notitia earum, & omnium quæ in mundo fiunt, cohæret ordine naturæ: *Psal.* 33. v. 15. *De cœlo respexit Dominus; vidit omnes filios hominum; qui finxit pariter corda eorum, intelligit omnia opera eorum.* Et 94. v. 9. 10. 12. *Qui plantavit aurem, annon audiat? qui formavit oculum, annon videat? qui docet scientiam, annon cognoscat? Iehova cognoscit cogitationes hominum.* Heb. 4. v. 13. *omnia sunt nuda, intimè patentia oculis ipsius* Hic tamen omittitur vox notitiæ, sive cognitionis, quia in definitione ab actu potiori providentia describitur. *Conservatio* est, quâ creaturæ omnes à Deo sustentantur; tum ratione substantiæ in speciebus continuæ, in individuis quam diu ipsi visum fuerit; tum ratione virtutum, & operationum Actus formales qui sunt. Conservatio.

rationum: atque ita in ordine divinitus instituto perseverant. De hâc dicta sunt: Nehem. 9. v. 6. *Tu Deus conservas omnia* Heb. 1. v. 3. *Sustinet omnia verbo illo suo potente.* Colloss. 1. v. 17. *Omnia per ipsum συνέστηκε, consistunt*, id est, in suo systemate, vigore, & ordine manent. Psal. 36. v. 7. *Homines & jumenta conservas, Iehova.* Act. 17. v. 28. *In ipso vivimus, movemur, & sumus*: hoc est, ipsius præsentis verbo & virtute. Et ostendit Scriptura hanc conservationem multis, iisque illustribus exemplis, in natura superiore & inferiore. Etenim luminarium cœlestium cursum, & efficaciam, seu ut Deus loquitur, statuta cœli, & dominatum ejus in terra, *Iob.* 38. v. 33. *Psal.* 104. v. 19. *seqq. Ierem.* 31. v. 35. 36. temporum vices, *Gen.* 8. v. 22. soli proventus, *Hos.* 2. v. 21. 22. *Psal.* 104. v. 14. 15. maris fines, v. 8. 9. animalium, *Gen.* 8. v. 17. fructumque *Psal.* 104. 13. 14. 1. *Cor.* 15. v. 37. 38. inprimis autem hominis *Gen.* 9. v. 1. *Iob.* 10, v. 9. *seqq.* propagationem perpetuam. *Gubernatio* est, qua Deus universa & singula beneplacito suo gubernat, & ad fines à se præstitutos, medios, ultimumque flectit, dirigit ac deducit. De hac dicta sunt Eph. 1. v. 11. *Omnia agit ex consilio voluntatis suæ.* Rom. 11. v. 36. *Ex eo, per eum, & in ipsum sunt omnia.* Dan. 4. v. 35. *Pro voluntate suâ facit in exercitu cœli, & in habitatoribus terræ: neque est qui prohibeat manum ejus, aut dicat ei quid facis?* Et cap. 2. v. 21. *Ipse mutat tempora, & tempestates, transfert reges, & constituit reges, dat sapientiam sapientibus.* Esa. 43. v. 6. 7. *Ego Iehova, & nemo præter me, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Modus* hujus gubernationis varius est, *Ordinarius*, qui communem naturæ ordinem observat *Gen.* 8. v. 22. *Hos.* 2. v. 21. 22. Et *extraordinarius*, qui præter ordinem illum exsistit, & cum alibi tum in miraculis conspicitur. Item *Mediatus*, cum Deus utitur ministerio causarum secundarum, *Matth.* 4. *vers.* 6. 7. *Actor.* 27. v. 24. 31. quæ sunt necessatiæ, *Iob.* 38. v. 27. contingentes, *Exod.* 21. v. 12. 13. animatæ, *Psal.* 104. v. 13. inanimatæ, v. 5. 6. *seqq.* bonæ, *Psal.* 91. v. 11. malæ *Iob.* 1. v. 12. Et *immediatus*, cum Deus per se solum, immediatè operatur; *Gal.* 1. v. 1. idque vel absque mediis, *Gen.* 2. v. 5. 6. *Exod.* 34. v. 28. vel contra media, & naturam ipsorum *Exod.* 14. v. 16. 2. *Reg.* 6. v. 6. *Dan.* 6. v. 20. Uterque hic actus illustratur similitudine, cum Deus omnia tanquam manu sustentare ac gubernare dicitur: Si quidem quæ in manu nostra consistunt, gestantur, sustinentur à nobis, ne corruant, & planè nostri arbitrii sunt, ac potestatis; & ita loquitur ipsa scriptura Iob. 12. vers. 9. 10.

[Margin notes: Gubernatio. / cujus Modus / ordinarius. / extraordinarius. / mediatus. / immediatus.]

Manus

Manus Iehovæ facit illud, in cujus manu est anima omnis viventis, & Spiritus totius carnis humanæ. Idem recurrit *Psal.*89. v. 14. *Esa.*10.v.5. & *cap.*10.v.12.

Objectum providentiæ statuitur duplex; generale & speciale. *Generale* proponitur his verbis, *quâ cœlum & terram cum omnibus creaturis tanquam manu sustinet* &c. De quo requirantur testimonia ante allegata. *Speciale* aliquot exemplis declaratur, sub quibus comprehendi cætera omnia docet complexus universalis sub finem additus. Sunt autem sex numero. I. Terra nascentia; nempè plantæ, arbores, & reliqua, de quibus Psaltes divinus Psal. 104. v.14. *Faciens ut germinet fœnum ad jumentum, & herba ad hominis usum.* Et Christus Matth. 6. v. 28. *Discite quomodo lilia agrorum crescant* &c. II. Pluvia & siccitas, quarum illa à Dei benedictione, hæc à maledictione deducitur *Deut.*28.v. 11. *Act.* 14. vers. 17. *Amos.*4.v.7. III. Fertilitas & sterilitas. Sic enim de fertilitate Moses Deut.28.v.11. *Faciet Iehova ut excellas bonis in fructu ventris tui, & in fœtu jumentorum tuorum, & in fructu terræ tuæ.* Et Deus ipse apud Hoseam *cap.*2.v.21.22. *Erit autem in die illâ; Exaudiam cœlos, & ipsi exaudient terram, terra verò exaudiet triticum.* Sterilitatis autem se autorem esse Deus testatus est, cum per Elisæum famem ad septennium proclamavit 2.*Reg.*8. vers.1. Per Esaiam vero amoturum se esse omnem scipionem panis, & aquæ, minatus est *Esa.*3.vers.1. IV. Cibus & potus; Nam *Deus est qui dat omnibus escam tempore oportuno*, Psalm.104. v.26.27. qui *dat jumentis suum cibum, pullis corvorum qui crocitant*, Psalm. 47. v.9. *& vino lætificat cor mortalis; nitidam efficiet faciem oleo; & cibo cor ejus suffulcit.* *Psalm.* 104.v.15. *Actor.*14.v.17. V. Bona, & adversa valetudo. De bona valetudine testatur David, cum inquit. Deum vindicare foveâ vitam suam, & renovare tanquam aquilam *Psal.* 103.v.5. Item mittere ad ægros verbum suum, & curare eos *Psal* 107. vers.20. De adversa autem valetudine ita Deus ipse *Levit.*26.v.16.*Deuter.* 28. v.21. *Constituam super vos terrorem, tabemque, & febrim, consumentia oculos, & dolore afficientia animam.* VI. Divitiæ & paupertas. Nam ipse est qui pauperat, & ditat; humiliat & exaltat; suscitat è pulvere pauperem, & è sterquilinio tollit egenum 1.*Samuel.* 2. v.7. *Luc.* 1. v.53. Unde Salomo; *Pauper & dives occurrunt sibi mutuo, sed utrumque Dominus fecit.* Prov. 22.v.2. Ex hac Objecti distinctione vul-

Objectum generale.

Speciale.

Providentia quatenus distingui queat in Universalem & particularem.

vulgò distin guitur Providentia, in Universalem, & Particularem, quam sic admittimus. Si primò non solum ex condi tione Objecti, sed etiam ex diversis Dei actionibus exstruatur, & emergat: Secundò, Providentia quoque specialis certis iterum gradibus dividatur. Præcipuè enim commendatur in gubernando genere humano 1.Cor.9.v.9. *Num boves curæ sunt Deo? propter nos hoc scriptum est*, quorum scilicet causâ ipsos boves creavit Matth.10.v.31. *Vos multis passerculis præstatis.* In genere humano verò peculiari quadam ratione pios & fideles complectitur. 1.Tim.4.v.10. *Est Servatòr omnium hominum, maximé autem fidelium.* Et Psal.33.v.13. *Videt omnes filios hominum.* Et v.16. *Oculi Iehovæ super justos, & aures ejus ad vociferationem eorum.*

Causam efficientem, Consilium Dei

Causa Efficiens Providentiæ, sive sustentationis, & gubernationis omnium rerum, est *Dei consilium* ac voluntas, *qui omnia agit ex consilio voluntatis suæ* Eph. 1. v. 11. *Est magnus consilio ac multus ope. cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum hominum. ut det unicuique secundum vias suas* Ierem. 32. v. 19. Est autem *æternum*

æternum,

consilium, utpote actio Dei interna, & immanens, quam statuit in se ipso *Ephes.* 1.v.5. *Liberum*, utpote consilium voluntatis, non

liberum,

necessitatis v.11. *Immutabile*, utpote sapientissimum, & optimum quod semper fit, *Hebr.*6.v.17.*Rom.*11.v.33.*Esa.*46.v.10. *Paternum*

immutabile,

denique respectu fidelium, quibus Deus ut Pater Filiis procurat utilia, ac salutaria; contra arcet ab eis noxia, & exitialia. In Catechesi illustratur antithesi adversorum. Nam consilio Dei opponitur tum *temeritas*, cum absque consilio, & ratione aliquid geritur aut evenit: tum *fortuna*, quam gentiles finxerunt esse Deam sine ratione gubernantem res humanas, & cœco affectu distribuentem hominibus, bona & mala. Utramque à mundi administratione removet, & excludit Dei Providentia. Si enim ipsius consilio omnia eveniunt, nihil fit temerè: Si etiam omnia sapienter antè definita sunt, quàm fiunt nihil omnino fortuito contingit.

paternum,

Hæc est brevis explicatio doctrinæ orthodoxæ de Providentiâ Dei, definitione comprehensæ, cui enodationem duorum dubiorum addimus majoris lucis gratiâ. *Primum*; num Providentia Dei circa peccatum etiam sit omnipotens, & ubique præsens Dei vis. *Secundum*; an non ex rebus creatis, inprimis humanis, tollatur omnis contingentia: siquidem æterno ac immutabili Dei consilio cuncta regantur.

Di

De Primo: In peccato tria concurrunt accuratè distinguenda: Motus, sive actio creaturæ; Ανομία, seu vitium actionis; & Judicium Dei. *Motus* est subjectum actualis peccati, in quo illud hæret ut accidens in Subjecto, & cujus mentione concretivè definitur. Ανομία est vitium motus sive actionis, & forma peccati, utpotè per quam deflectit à normâ legis divinæ, & à justitiâ ejus aberrat 1.*Ioh*.3.v.4. *Iudicium* est accidens peccati, quod Deus per peccatum & peccatores, tanquam organa justitiæ suæ, justissimè exsequitur. Quo sensu ἀντιμισθία peccati ponitur in ipso peccato, *Rom*.1.v.27. & judicium Dei in excæcatione infidelium *Ioh*9.v.39. 2.*Thess*.2.v.11. Est autem judicium illud non solùm pœnæ, *Exod*. 7.v.6.*Rom*.1.v.24.26.28. sed etiam castigationis, 2.*Sam*.12.v.11. 12. & *cap*.24.v.1. nec castigationis tantùm, verum etiam probationis, *Iob*.1.v.21. & *cap*.2.v.10. nec illud modò, sed etiam beneficii corporalis, *Gen*.50.v.20. & spiritualis *Act*.2.v.23. 24. & *cap*. 3. v. 17.18. Ratio quoque illius judicii aliquando occulta est, *Gen*.3.v.1. *seqq*.*Iob*.1.v.21. aliquando manifesta, 2.*Sam*.12.v.11.12. & hæc iterum magis vel minus manifesta, prout visum Deo eam revelare. Quibus præmissis distinctè respondemus. I. Motum sive actionem dependere ab omnipotente & ubique præsente Dei virtute: tum quia in Deo vivimus, movemur, & sumus, *Act*.17.v. 28. & absque ipso, ceu causâ primâ, nulla creatura se movere potest, *Prov*. 21.v.1. *Ier*. 10.v.23. tum quia motus ille est bonum naturale, non nisi ab autore naturæ proveniens. II. Ανομίαν seu vitium actionis, non esse ab omnipotente & ubique præsente Dei virtute, movente creaturam, aut vitium in efficiente: tum quia procedit à vitio creaturæ peccatricis, & prava ejus voluntate, *Matth*. 15. v. 19. *Rom*.7. v. 8. sicut claudicatio equi est à vitio equi, non à sessore movente equum, fœtor itidem cadaveris ex vitio ejus, non à sole illud calefaciente: tum quia ἀνομίας respectu Scriptura permissionem peccati Deo tribuit, quia illud non impedit, cum posset; sed evenire, & cum judiciis suis concurrere sinit *Psal*. 81.vers.13. *Actor*. 14.v.16. III. Iudicium non minus, quam motum, ad omnipotentem, & ubique præsentem Dei virtutem referendum esse. Deus enim non minus judex est mundi, quam primus & universalis motor rerum omnium *Gen*.18.v.25. Nec minore virtute aut efficacia judicia sua exsequitur in creaturas, quàm motus, & actiones in ipsis ciet. *Exod*.9.v.15.16. *Esa*. 10. v. 5. *seqq*. Hoc respe-

Concursus providentiæ in Peccato.

quoad 1. motum.

2. ἀνομίαν.

3. Iudicium.

respectu Scriptura venditionem Iosephi, *Gen.* 50. v. 19. 20. indurationem Pharaonis, *Exod.* 7. v. 6. spoliationem Iobi, *cap*, 1. v. 21. stupra Absolomi, 2. *Sam.* 16. v. 22. maledicta Simei vers. 11. crucifixionem Christi, *Actor.* 2. v. 23. & *cap.* 4. v. 28. & alia scelerata hominum opera Deo autori vendicat, non tanquam operatio iniquitatis in ipsis: Deus enim non vult iniquitatem *Psal.* 5. v. 5. Sed tanquam judici justissimo, ac moderatori rerum omnium sapientissimo, qui etiam per vitiosa organa sanctum opus suum perficere novit, ut est *Esa.* 10. 12.

Providentiam non tollere contingentiam probatur.

De Secundo: Contingentiam ex rebus creatis, inprimis vero ex hominum actionibus non tolli per Dei providentiam, secundum quam omnia æterno, ac immutabili ejus consilio eveniunt, bifariam demonstrari potest: à posteriore, & à priore; quantum ad τὸ ὅτι, & τὸ διότι. *Illo modo.* quibus actionibus & eventibus concurrunt, necessitas ex parte causæ primæ, & decreti ipsius; & contingentia ex parte causarum secundarum: in illis contingentia non tollitur aut aboletur per necessitatem decreti & providentiæ, in omnibus actionibus & euentibus concurrunt necessitas, ex parte causæ primę & decreti ipsius, & contingentia ex parte causarum secundarium. Ergò. *Minor* confirmatur. I. Inductione quarundam actionum, & eventuum qui diverso respectu necessarii, & contingentes, statuuntur Matt. 18. v. 7. *Necesse est, ut veniant scandala.* cap. 26. v. 54. *Sic oportet fieri.* Marc. 18. v. 31. *Oportet filium hominis multa pati.* Luc. 17. v. 25. *Oportet filium hominis multa pati, & reprobari à natione ista.* cap. 22. v. 21. *Filius hominis abit prout definitum est.* cap. 24. v. 7. *Oportet filium hominis tradi in manus peccatorum.* v. 26. *Nonne oportuit Christum ita pati.* v. 46. *Ita scriptum est, & ita oportuit pati.* Ioh. 3. v. 14. *Ita exaltari oportet filium hominis.* cap. 19. v. 36. *Facta sunt hæc ut Scriptura impleretur, non frangetis ei ullum os.* Actor. 17. v. 3. *Proponens oportuisse Christum pati.* 1. Cor. 11. v. 19. *Oportet esse hæreses inter vos.* His dictis eventuum illorum necessitas asseritur: At non quoad homines, *Act.* 2. v. 23. & *cap.* 4. v. 28. Ergo quoad Deum. Contra aliis locis eorundem eventuum contingentia docetur: Matt. 18. v. 7. *Væ illi homini per quem veniunt scandala.* Marc. 14. v. 2. *Dicebant, non in festo ne fiat tumultus populi.* Matth. 26. v. 15. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.* Cap. 27. v. 4. *Peccavi prodito sanguine innoxio.* Iohann. 19. v. 32. 33. *Milites confregerunt crura utriusque latronis:*

à posteriore.

Ad

Ad Iesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non confregerunt ejus crura. Actor. 20. v. 29. *Scio lupos graves non parcentes gregi, ingressuros esse in vos, post discessum meum.* Atqui hæc contingentia non est quoad Deum, cui nota sunt ab omni ævo omnia opera sua *Actor.* 15. v. 18. Ergò quoad homines, & causas secundas. II. Ratione, quod etiam ea quæ in se maximè contingentia, & fortuita sunt, divino subesse regimini sacræ literæ demonstrant. Hujus generis sunt; cædes casualis, *Exod.* 21. v. 13. inconstans ventorum flatus, *Psal.* 107. v. 23. 24. fluctuum motus v. 29. 30. dubius avicularum, capillorum & sortium casus *Matth.* 10. v. 32. 33. *Prov.* 16. v. 33. Quicquid autem regitur à Deo id antè tum immutabiliter decrevit, *Ephes.* 1. v. 11. tum infallibiliter cognovit *Actor.* 15. v. 18. *Isto modo.* In quibus actionibus, & eventibus immutabili Dei providentiæ ita subordinatę sunt, ac subserviunt causæ secundæ, ut agat in eis, & per eas, pro ipsarum naturâ; aliter per causas necessarias; aliter per contingentes; aliter per liberas; sive per divinitas, & indefinitas ad suum effectum, alio atque alio modo: in iis contingentia & libertas non tollitur aut læditur ex immutabilitate providentiæ, & quæ ex eâ est, eventus necessitate. Atqui in omnibus actionibus & eventibus causæ secundæ ita subordinatæ sunt, ac subserviunt immutabili Dei providentiæ. Sicut enim faber lignarius aliter agit per instrumenta activa; servos, pueros; aliter per passiva, securim, serram, malleum; ita providentia cum causis secundis definitis, & indefinitis diversimodè concurrit. Cum definitis concurrit, ut vires earum naturales cieat, operationes dirigat, & quo instinctu naturæ tendunt ipsæmet, eas perducat. Cujus exemplum exstat *Hos.* 2. v. 21. 22. Cum indefinitis imprimis rationalibus concurrit, ut potentias animæ rationalis, intellectum & voluntatem variè afficiat, moveat, flectat, determinet non solum objectivè, & ethicè, sed aliis quoque occultioribus, nobis ineffabilibus modis: nec tamen vel judicium mentis exstinguat, vel libertatem voluntatis, ejusque propriam determinationem lædat, aut elidat. Cujus illustre exemplum *Rom.* 10. v. 13. 14. *seqq. collato cum Actor.* 16. v. 14. & *cap.* 2. v. 42. reperitur. Sic ergò contingentia & libertas causarum secundarum non tollitur ex immutabilitate, & necessitate divinæ providentiæ: Imò ne scriptura quidem nomina, casus & eventus in causis secundis aversatur *Luc.* 10. v. 21. *Eccl.* 9. v. 4. 5.

Exod. 2. v. 4. Sicut verò in omni concursu causarum subordinatarum, ad producendum unum eundemque effectum, effectus ille à causis diversis diversas sortitur appellationes, & à necessariis necessarius, à contingentibus contingens denominatur: Ita actiones, & eventus in rebus creatis, & humanis, contingentes dicuntur à causis secundis contingenter agentibus; necessarii verò respectu causę primę, cujus nec consilium mutari, nec potentia impediri, nec præscientia falli potest. Quia etiam actiones, & eventus usitatè denominantur à causis proximis,& immediatis; non à remotâ aut primâ causâ: hinc fit, ut pleraque in vitâ communi vulgato sermone contingentia, multa etiam casualia appellentur; licet pii omnia illa ad causam primam revocantes, necessaria esse & intelligant, & profiteantur.

Considerationes Catholicæ Novatorum *ad quæst. & resp. viges. septimam.*

An descriptio providentiæ ad vitam spiritualem sit extendenda?

I. *An hæc descriptio providentiæ non sit inconcinna, quandoquidem videatur extendi tantum ad ea, quæ ad temporalem hanc vitam pertinent: Annon potius, & inprimis quidem extendi debeat ad ea, quæ spectant ad vitam spiritualem ac supernaturalem.*

Resp. Descriptio Catechetica non restringitur ad hujus vitæ bona, sed etiam spiritualia ac supernaturalia Dei beneficia complectitur: quod constat, partim ex verbis quæstionis antecedentis, undè hæc deducitur; nimirum, quòd Deus provisus sit omnibus, tum animo, tum corpori meo necessariis; partim ex complexu universali hujus quæstionis, quo omnia paterno Dei consilio evenire docetur. Ideò autem spiritualia illa beneficia speciatim non recensentur, sicut corporalia, quia ad prædestinationem Dei, (quę pars est Providentię, & in redemtione, ac sanctificatione spectatur,) propriè pertinent, & series articulorum symboli ea non sub creatione, sed sub redemtione ac sanctificatione proponit.

Annon in ea mentio facienda punitionis impiorum?

II. *Annon hæc descriptio manca sit, & mutila, cum in eâ nulla mentio fiat punitionis impiorum, & miseriarum, ac calamitatum, tàm corporalium, quàm spiritualium, quas Deus in hâc vitâ peccatoribus sæpenumero immittit: Quam providentiæ, & gubernationis divinæ partem*

non

non minus tenemur credere, quàm eam quæ versatur circa bona, quibus Deus nos afficit.

Resp. Descriptio hæc præcipuè accommodata est consolationi fidelium, exstructa ex sensu fidei, quâ credimus Deum nobis Deum ac patrem per Christum factum esse. Ea igitur præcipuè commemorat, quæ ad filialem de Deo fiduciam gignendam & alendam faciunt. Præterea ista, & quę alia sunt hujus generis, sub exemplis illis specialibus per synecdochen speciei, sub clausulâ generali verò, tanquam species sub suo genere, comprehenduntur.

III. *An omnipotentia Dei rectè describatur ac declaretur, cùm ea ad solos pios, & fideles extenditur: annon cùm nos in Deum omnipotentem credere profitemur, simul & illius omnipotentiæ consideratio ob oculos versari in nobis debeat, quâ Deus impios, & incredulos punire potest.* Annon ea omnipotentiam Dei ad impios extendere debeat?

Resp. Consideratio hæc coincidit cum priore. Eadem igitur responsione dissolvitur.

IV. *An sufficiat in descriptione gubernationis divinæ, meminisse ejusdem omnipotentiæ, præteritâ ejusdem justitiæ, sapientiæ, &c. mentione.* An justitiam & sapientiam exprimere debeat?

Resp. Omnipotentiæ Dei peculiaris mentio fit propter attributum Dei patris omnipotentis, & quia ea præcipuè declaratur rerum omnium conservatione, & gubernatione. Interim synecdochicè connotantur reliqua attributa omnia. Sapientia verò vocabulo consilii; & Justitia nomine voluntatis, quæ omnis justitiæ norma est, apertè satis exprimitur.

V. *An providentia sit solummodò omnipotens Dei vis, & si id concedatur, quomodo providentiæ huic etiam peccata subjiciantur? Si negetur, quomodo providentia rectè describatur, & an peccata providentiæ Dei non subsint.* An Providentia sit omnipotens vis etiam circa peccata?

Resp. Quomodo providentia Dei sit omnipotens Dei vis, etiam circa peccatum, modò declaratum est; nimirum, tum ratione motus & actionis, quam Deus omnipotente virtute etiam in peccantibus ciet, *Actor.* 17. v. 28. tum respectu judicii, quod per vitiosa organa potenter exercet, *Esai.* 10. v. 5. *seqq.* non autem quantum ἀνομίαν, seu vitium ipsius actionis attinet, quod Deus non efficit omnipotente suâ virtute, (nec enim id potentiæ, sed impotentię foret,) verum majoris boni gratiâ permittit.

QUÆST. XXVIII. Quid nobis prodest hæc cognitio creationis, & providentiæ divinæ?

RESP. *Ut in adversis patientes, in secundis grati simus, in futurum vero optimam in Deo fidissimo patre spem repositam habeamus, certò scientes nihil esse quod nos ab ejus amore abstrahat, quandoquidem omnes creaturæ ita sunt in ejus potestate, ut sine ejus arbitrio non modò nihil agere, sed ne moveri quidem possint?*

EXEGESIS.

Usus Creationis & Providentiæ.

1. Patientia in adversis.

DOctrinæ de Creatione, & providentiâ duabus quæstionibus & responsionibus pertractatę usus, seu fructus, triplex subjicitur. *Primus*, est *patientia in adversis*, quam gignit in nobis consideratio, & fides creationis & providentiæ, quia scimus ipsum esse Dominum nostrum qui habeat summam in nos potestatem 1. *Sam.* 3. v. 18. esse etiam patrem nostrum, paternè erga nos affectum, qui res adversas nobis immittat, non ut perdat, sed ut servet, adeoque in salutis nostrę bonum *Rom.* 8. v. 28. 1. *Corinth.* 11. v. 32. *Heb.* 12. v. 10. Sic Joseph patienter tulit injurias illatas à fratribus, *Gen.* 45. v. 4. *seqq.* & *cap.* 50. v. 19. 20. Jobus patienter tulit calamitates à Chaldæis acceptas, *cap.* 1. v. 21. David patienter tulit maledictionem Simei, & amissionem regni, 2. *Sam.* 16. v. 11. & *cap.* 15. v. 25. 26. Christus verò etiam mortem crucis, *Matth.* 26. v. 39. 54. *Luc.* 22. v. 33. & *cap.* 23. v. 34. *Secundus*, est *gratitudo in secundis*, quod novimus bona omnia non aliundè quàm à Deo, unico illorum autorę, & largitore nobis provenire, *Iac.* 1. v. 17. ut qui tum rebus inanimatis vim inspirat, ut nobis utiles esse possint, *Luc.* 12. v. 15. *Lev.* 26. v. 26. *Esa.* 3. v. 1. *Hagg.* 1. v. 6. 1. *Reg.* 19. v. 8. tum res animatas, nominatim verò animos, & actiones hominum inclinat, ut nobis benè velint, ac benefaciant, *Gen.* 32. v. 6. *collato cum cap.* 33. v. 4. 12. 15. *cap.* 39. v. 4. 21. aut certè licet malè velint, non tamen malefaciant, quin potius benefaciant *Exod.* 3. v. 21. Et *cap.* 12. v. 35. 36. *Num.* 22. 23. *capp.* Hujus gratitudinis illustria exempla in servo Abrahami, *Genes.* 24. v. 27. In Jacobo, *cap.* 32. v. 10. In Davide, 2. *Sam.* 7. v. 18. 19. & passim in aliis occurrunt. *Tertius*, est *spes bona de futuris.* Efficit siquidem fides creationis, & Providentiæ, ut certò statuamus, quia

2. Gratitudo in secundis.

3. Spes bona de futuris.

quia Deus non ex malis hactenus eripuit, bonis verò necessariis instruxit, in posterum quoque fidei patris erga nos officium semper esse facturum, nec unquam non ita deserturum, ut pareamus *Iof.* 1. v. 9. *Heb.* 13. v. 5. 6. Hoc modo sperabat David maledicta Simei sibi cessura in bonum 2. *Sam.* 16. v. 12. Idem sperabat victorem se Goliathi futurum, quia recordabatur providentiæ Dei, quâ ereptus fuerat ab urso, & leone 1. *Sam.* 17. v. 37. Sic Paulus confidebat liberandum se ab omni malo, atque in regnum cœleste servandum, quòd antè ex ore leonis, i. e. Neronis ereptus fuisset 2. *Tim.* 4. v. 17. 18. Sed Catechesis confirmat hanc de futuris spem argumento omnipotentiæ Dei Patris, quod ratiocinatione à minori hunc in modum amplificatur: Omnes creaturæ etiam potentissimæ ita sunt in manu ac potestate Dei, ut absque ipsius nutu, & voluntate sese ne movere quidem possint *Psalm.* 9. v. 14. *Prov.* 21. v. 1. *Esa.* 10. v. 5. *Matth.* 8. v. 31. *Actor.* 17. v. 28. Igitur multò minus nostræ saluti incommodare, aut ullo pacto nobis nocere poterunt.

Considerationes Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. viges. octav.*

I. *An sufficiat dicere fidem illam, quâ firmiter credimus Deum omnia creâsse, & adhuc providentiâ suâ gubernare, eos nobis usus præbere qui hic recitantur: annon necesse sit addere horsum nobis illam fidem servire debere ut omnipotentem illum Deum colamus, timeamus, & mandatis ejus cum timore & tremore obtemperemus, ne in omnipotentis Dei ultrices manus incidamus.* Annon addendus usus de cultu Dei?

Resp. Quid verò est patientem esse in adversis, gratum in secundis, benè sperantem de futuris, nisi Deum illum omnipotentem ac in Christo Patrem colere, timere, & mandatis ejus cum timore obtemperare. Tria illa vel præcipua pars sunt cultus, & timoris ipsius; nec postrema aut facillima pars ejus obedientiæ, quam ipse à nobis requirit. Causa autem illorum omnium rectius statuitur paterna Dei pro nobis cura, & erga nos benevolentia, quàm justa ipsius vindicta: quia non est timor, & obedientia servilis, minis aut plagis extorta; sed filialis, ex amore & reverentiâ filiali ultrò præstita.

II. *Cum dicitur nullam creaturam sine voluntate Dei movere se posse,*

Annon etiam lo untas permissiva peccati hic intelligatur.

posse, annon per voluntatem Dei intelligenda sit tum ea voluntas, quâ Deus ipse aliquid vult facere, tum ea, quâ quid vult permittere, in damnum & detrimentum piorum: quandoquidem absonum videatur istis verbis præterea hoc complecti, nullam creaturam sese movere posse ad liberè peccandum adversus voluntatem Dei.

Resp. Ita est, uterque actus voluntatis intelligitur pro diversâ consideratione objectorum. Motus, & judicia ipsa facit, & vult facere; Peccata, quà peccata permittit, & vult permittere. Creaturæ igitur, etsi liberè se movent ad peccandum, tamen non antè se movere possunt, quam Deus efficere vult ipsarum motus; *Actor.* 17. v. 28. nec ante movere ad peccandum, quam Deus vult permittere peccata ipsarum, *Gen.* 20. v. 3. *seqq. Matt.* 8. v. 32. non etiam ultra peccare quàm ipse vult permittere *Iob.* 1. 2. *capp. Esa.* 10. Quo sensu non absonum, sed veritati maximè consonum dictu est, quòd nulla creatura absque Dei voluntate ad peccandum se movere possit. Vel falsa erunt hæc Petri Apostoli effata 1. Epist. 3. v. 17. *Melius est ut benè agentes, si ita velit Dei voluntas, malis afficiamini, quàm malè agentes.* Et cap. 4. v. 19. *Qui malis afficiuntur ex voluntate Dei, tanquam fideli conditori commendent animas suas benè agendo.*

De DEO FILIO.

QUÆST: XXIX. Quare Filius Dei appellatur Jesus, hoc est, Salvator.

RESP. *Quia nos salvat ab omnibus peccatis nostris; nec ulla salus vel peti aliundè debet, vel alibi reperiri potest.*

EXEGESIS.

Filius Dei dicitur.

TAlis est prima pars explicationis symboli Apostolici, de Deo Patre: sequitur altera de Deo Filio cujus nomina, persona, & officium, secundum diversos status & gradus ad quæstionem usque LIII. enarrantur.

Iesus.

Hâc quæstione agitur de nomine Jesu, ac notatione ejus. Nomen Ἰησοῦς, Latinè *Iesus*, à LXX. Interpp. inclinatum è voce Hebræa, יהושע *Iehosuah*; estque nomen proprium, ut Jehosuæ filii

filii Nunis, *Jos.* 1. v. 1. & Jehosuæ summi sacerdotis Judæorum *Zach.* 3. v. 1. Ex notatione vero est radice ישע *jasha*, servavit, eripuit: quod in Hiphil habet הושיע *hoshiah*, salvum fecit. Hoc nomen impositum quidem fuit redemtori nostro ut esset nomen ejus proprium, quo nominaretur, agnosceretur, & ab aliis distingueretur, sicut in circumcisione, *Luc.* 2. v. 21. pro communi Judæorum consuetudine, *Luc.* 1. v. 59. 60. illud accepit. Sed hæc non est propria aut præcipua ejus ratio quæ hic attenditur. Propria autem ratio est ista, quod datum ei fuit, ut esset nota ac symbolum officii mediatorii, ex voluntate Dei suscipiendi & exsequendi. Ideoque nomen illud non temere, aut humano consilio, sed mandato divino ipsi fuit impositum *Matth.* 1. v. 21. Nec in circumcisione demum excogitatum, sed jam in Veteri Testamento typicè præfiguratum, & ante conceptionem virgini Mariæ ab angelo significatum *Luc.* 1. v. 31. Porro notatio nominis ex effecto & adjuncto declaratur, atque ita duabus de causis Jesum appellatum fuisse nostrum mediatorem, docetur. *Prior* ex effecto est, quia nos salvat ab omnibus peccatis nostris: eaque nititur testimonio divino Angeli *Matth.* 1. v. 21. *Ipse servabit populum suum ex peccatis ipsius:* nec non divino oraculo Prophetæ regii Davidis *Psalm.* 130. v. 8. *Ipse redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus.* Quo loco exprimitur nota universalis, quemadmodum & alibi 1. *Ioh.* 1. v. 7. *Sanguis Christi Filii Dei purgat nos ab omni peccato.* Rom. 8. v. 1. *Nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu.* Servavit autem nos à peccatis duobus modis merito, & efficacia. *Merito* quia suâ obedientia, passione, morte ac intercessione acquisivit nobis reconciliationem cum Deo remissionem peccatorum, justitiam, & vitam æternam *Matth.* 20. v. 28. Et *cap.* 26. v. 28. *Rom.* 3. v. 25. *Gal.* 3. v. 13. 14. 1. *Ioh.* 2. v. 2. *Efficacia* quia omnia redemtionis beneficia spiritus sui virtute per fidem nobis confert, applicat, & conservat, *Colos.* 1. v. 14. *Rom.* 3. v. 25. & *cap.* 4. v. 25. *Act.* 5. v. 31. *Eph.* 4. v. 11. *seqq.* & *cap.* 5. v. 27. *Ioh.* 10. v. 28. illud imprimis efficiens, ut peccatis mortui justitiæ vivamus 1. *Petr.* 2. v. 24. *Altera* ab adjuncto est, quia nec ulla salus aliunde peti debet, nec alibi reperiri potest. *Non debet peti*, quia placuit Patri, ut omnis plenitudo in ipso habitaret, & ut pace per sanguinem crucis facta per ipsum sibi reconciliaret omnia *Colos.* 1. v. 19. 20. Ipsum proposuit placamentum per fidem in sanguine ipsius *Rom.* 3. v. 25. Et fecit Dominum ac Christum, ad resipiscentiam

ab officio

quia salvat nos à peccatis.

quia nulla salus extra eum.

tiam, & remissionem peccatorum, *Actor*. 5. v. 31. *Nec potest reperiri*: quia non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos servari *Act*. 4. v. 12. Summa igitur hæc est: Quod solus sit servator, qui torcular iræ Dei solus calcavit, *Esa*. 63. v. 3. qui tantùm est servator, ut præter ipsum non sit alius, *Esa*. 45. v. 11. sicut dicitur 1. *Tim*. 2. v. 5. 6. *Vnus est mediator Dei, & hominum, qui dedit semetipsum* ἀντίλυτρον *pro omnibus*: Sic etiam perfectus servator, in quo omnia consummata, & nos completi sumus, perfectâ felicitate *Iohann*. 19. v. 30. *Col*. 2. v. 10. *Heb*. 10. v. 14. Et qui servare potest παντελὲς, perfectissimè, qui per ipsum accedunt ad Deum; semper vivens, ut interpellet pro nobis *Heb*. 7. v. 25.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. viges. nonam.*

An vocetur Jesus tantum, quia actu nos servat?

An Christus tantum vocetur Servator, vel Iesus, quia nos actu servat, & liberat à peccatis, annon & servator vocandus sit, quia salutem peccatoribus impetravit, quanquam salutis illius propter incrudelitatem non fiant participes, & actu non serventur, nec à peccatis liberentur.

Resp. Christus tantum vocatur *Servator* quia nos actu servat à peccatis, *Matth*. 1. v. 21. hoc est, quia nos servat merito, & efficacia, sive tali merito quod non est inefficax, vel tantùm efficax pro voluntate hominum, sed quod efficax est in omnibus, & singulis, quorum est meritum, idque secundum æternum, ac immutabile consilium Dei, donantis illud, & applicantis solis credentibus per Spiritum Sanctum *Esa*. 53. v. 10. Impetratio salutis absque applicatione, vel actuali salute eam consequente illusoria est, ignominiosa Deo, ut ante dictum, & post pluribus dicetur.

QUÆST. XXX Creduntne igitur illi in unicum servatorem Jesum, qui à sanctis, aut à se, aut aliundè felicitatem aç salutem quærunt?

RESP. *Non: Etsi enim verbo quidem eo servatore gloriantur: reipsâ tamen abnegant unicum servatorem Iesum. Necesse est enim, aut Iesum non esse perfectum servatorem, aut qui eum servatorem verâ fide amplectuntur,*

eos

eos omnia in ipso possidere, quæ ad salutem requiruntur.

EXEGESIS.

EX præcedenti doctrina de nomine Jesu deducitur porisma Elenchticum contra Pontificios, qui de nomine servatoris Jesu gloriantur, interim salutem vel totam, vel ex parte quærunt alibi, extra hunc Jesum; aut à sanctis, eorumque intercessione; aut à se, ac operum suorum meritis; aut aliunde, ex indulgentiis, sacramentis, missis, & id genus superstitionibus. De his respondet Catechesis negative; quod non credant in unicum illum servatorem, sed re ipsa eum abnegent, utut verbo de eo glorientur. Fides enim non oris, sed cordis est *Rom.* 10.v.9.10. Et sincera ejus professio non ex nudo nomine, sed ex veritate doctrinæ, & ipso facto æstimatur *Tit.* 1.v.16. Hæc responsio conformis est sententiis Apostolicis 1.*Corinth.* 1.v.13. *Quid? num dispertitus est Christus? num Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Galat. 5.v.4. *Facti estis inanes Christi, & gratia excidistis quicunque per legem justificamini*, id est, justitiam, aut aliquam ejus partem quæritis ex operibus legis. Sed Catechesis rationem negationis concludit syllogismo disjunctivo primi modi: Aut Jesus non est perfectus servator: aut omnia ad salutem pertinentia in ipso reperiuntur. At non omnia ad salutem pertinentia reperiri in Christo credunt Pontificii, ut qui à sanctis, aut à se, aut aliunde, felicitatem & salutem quærunt. Ergo iidem credunt Jesum non esse perfectum servatorem.

QUÆST. XXXI. Quare appellatur Christus, hoc est unctus?

RESP. *Quod à Patre ordinatus, & Spiritu Sancto unctus sit summus Propheta & doctor, qui nobis arcanum consilium, & omnem voluntatem Patris, de redemtione nostri, patefecit: & summus Pontifex, qui nos unico sacrificio sui corporis redemit, assidueque pro nobis apud Patrem intercedit: & Rex, qui nos suo verbo, & Spiritu gubernat, & partam nobis salutem tuetur ac conservat.*

EXEGESIS.

Dicitur *Christus.*

QUemadmodum nomen proprium redemtoris est Jesus: ita cognomen appellativum est *Christus*, eoque non nomen, sed appellatio, ut notat Tertullianus *adversus Praxeam*. Est autem Christus, χϱιςὸς, vox Græca, à χϱίομαι ungor, respondens Hebræo משיח *Maschiach*, quod Græce effertur Μεσσίας, à radice משח *maschach*, unxit. Quæ voces ut synonymæ conjunguntur explicationis gratiâ *Iohan*. 1. v. 41. & *cap*. 4. v. 25. Et licet utraque appellatio aliis quoque communis sit propter officium, Jesu tamen κατ' ἐξοχὴν, & cum articulo in utroque Testamento tribuitur, *Psalm*. 2. v. 6. *Daniel*. 9. v. 25. 26. *Iohan*. 1. v. 41. & *cap*. 20. v. 31. qui est Messias Messiarum, & Christus Christorum *Psalm*. 105. v. 15. Totum etiam Euangelium occupatur in demonstranda hac propositione, quod Jesus sit Christus, hoc est, ille in Veteri Testamento promissus Messias *Ioh*. 20. v. 31. Quo nomine notissimum olim fuisse mundi servatorem, vel unius Samaritanæ confessione constare potest *Ioh*. 4. v. 25. Ratio igitur nominis consistit in adjuncto personæ Mediatoris, quod ipse sit unctus, hoc est, persona destinata officio Mediatorio, & ad illud exsequendum donis necessariis divinitus instructa. Hujus unctionis Causa efficiens, Partes integrantes, & Finis, in responsione ordine declarantur.

ad adjuncto, Unctione.

cujus.

Efficiens Deus Pater.

Efficiens est *Deus Pater*, qui Jesum unxit in mediatorem, ac servatorem mundi. Id ipse de se testatur *Psal*. 2. v. 6. *Ego inunxi regem meum super Sionem*. Filius etiam de Patre prædicat: *Esa*. 61. v. 1. *Luc*. 4. v. 18. *Iehova*, hoc est Deus Pater *unxit me ad Euangelizandum mansuetis*. &c. Nec enim ipse sibi tribuit honorem, ut fieret Pontifex, sed is qui dixit ei, Filiis meus es tu, &c. *Heb*. 5. v. 6. quæ causa est quod Christus vocationem suam ubique ad Patrem refert, *Iohan*. 5. v. 36. & *cap*. 7. v. 28. & *cap*. 10. v. 25. eundemque primum redemtionis principium statuit, *Ioh*. 3. v. 18. & alibi.

Partes.

Partes unctionis duæ sunt: *Ordinatio* ad officium mediatorium; & *Vnctio* specialiter sic dicta, sive donorum ad id necessariorum collatio: quarum utraque communi unctionis vocabulo in Scriptura significatur, ut id multi negent. *Prior*, Prov. 8. v. 23. *Ante seculum inuncta sum, scil.* in Regem & gubernatorem mundi, hoc est ordinata *Ps*. 2. v. 6. *Ego inunxi regem meum super Sionem*, id est, ordinavi Christum in regem Ecclesię. *Esa*. 61. v. 1. *Iehova unxit me ad Euangeli-*

gelizandum, id eſt, miſit me,prout ipſe explicat. *Poſterior*,Pſalm. 45.v.8. *Vnxit te, ô Deus, Deus tuus oleo lætitiæ ſupra conſortes*, Actor. 10.v.38. *Ieſum Nazarenum unxit Deus Spiritu Sancto, & potentiâ*,&c. Diſtinguuntur autem hæ partes Ordine,& Subjectis recipientibus. *Ordinatio* eſt prima ac præcipua unctionis pars, propter quam facta eſt promiſſio , & collatio donorum; ſicut dicitur Johan.3.v. 34. *Ei quem miſit Deus, non admetitur Spiritum*. Propter quod autem unum quodque tale eſt, illud magis tale eſt. Illa ad utramque naturam mediatoris ; hæc ad alteram tantum, hoc eſt, ad ſolam ejus humanitatem pertinet. Ordinatio eſt deſignatio , & deſtinatio Chriſti ab obeundum munus mediatorium ; quæ terminis ſynonymis ejus Miſſio, Vocatio, Sanctificatio appellatur *Iohan*.10.v.36. Hujus gradus tres in Scriptura notantur : Præcognitio facta à Deo jam inde ab æterno 1.*Pet*.1.v.20. 2.*Timoth*. 1.v. 10. Miſſio facta in plenitudine temporis, *Galat*.4.v.4. cum Deus manifeſtaretur in carne 1.*Timoth*.3.v.16. Et ſolennis Inauguratio in Baptiſmo,cum cœlitus clamaret Pater ; *Hic eſt filius ille meus dilectus in quo acquieſco Matth*.3.v.17. *Vnctio* ſpecialiter ſic dicta, eſt donorum ad muneris mediatorii adminiſtrationem neceſſariorum collatio ; ſive effuſio donorum Spiritus Sancti ſuper Chriſtum , qui propterea Spiritu Sancto, id eſt, ſingularibus gratiæ donis, *Actor*. 10.v.38.*Iohan*.3.v. 34. tanquam oleo lætitiæ, *Pſal*.45. v.8. unctus fuiſſe dicitur. Etſi verò abſolutè , & in ſe dona illa finita fuerunt , ſicut & ipſa Chriſti humana natura finita eſt , manet in æternum : noſtri tamen reſpectu ſunt abſque menſura, *Pſal*.45.v.8. *Iohan*. 3.v.34. ut qui ex eorum plenitudine accipimus gratiam pro gratia *Ioh*.1.v.16. Hujus unctionis etiam tres ſunt gradus. Sanctificatio humanæ Chriſti naturæ in utero virginis; *Luc*.1.v.35. Incrementum donorum cum increſcente ætate acceptum; *cap*.2.v.40.52. Et eorum plenitudo in Baptiſmo ipſi collata , & requie columbæ ſuper ipſo adumbrata *Matth*.3.v.16.17. Ex quo tempore Spiritus Jehovæ pleniſſime & efficaciſſime ſuper ipſo requievit; *Eſa*.61.v.1. factus ipſi Spiritus ſapientiæ, & intelligentiæ; Spiritus conſilii , & potentiæ; Spiritus ſcientiæ & reverentiæ Jehovæ, ut eſt *Eſa*.11.v.2.

Ordinatio.

ejus gradus.

Unctio

ejus gradus.

Finis unctionis triplex indicatur : ſiquidem ordinatus à Patre & Spiritu Sancto unctus fuiſſe dicitur , ut eſſet *Propheta, Sacerdos,ac Rex noſter*. Quemadmodum olim in Veteri Teſtamento hi tres hominum ordines , tanquam typi ipſius ad munus ſuum unctione

Finis ad triplex obeundum munus.

ctione sacri olei consecrabantur: ordinarie quidem summi sacerdotes, *Exod.*29.v.29.& Reges, 1.*Sam.*9.v.16.& *cap.* 16.v.12. extra ordinem vero Propheta Elisæus, 1.*Reg.*19.v. 16. nimirum ut Prophetici quoque muneris Christi figura aliqua exstaret. Hinc triplex Christi officium constituitur; *Propheticum, Sacerdotale, Regium;* Quæ membratim totum munus mediatorium complectuntur: ipsi vero in una indivisa persona diversis relationibus conveniunt. Horum singula à suis quibusdam ἀποτελέσμασι, sive propriis effectis describuntur: quæ tamen alibi copiosius explicantur. *Propheticum* describitur à patefactione arcani, consilii, ac voluntatis Patris, de nostri redemtione: de qua ita Baptista Johan. 1. v.18. *Deum nemo videt unquam, filius ille unigenitus, qui est in sinu patris ipse nobis revelavit.* Et servator noster cap.15.v.15. *Omnia quæ audivi à Patre, patefeci vobis.* Hæc patefactio voluntatis divinæ non solum cum singulari autoritate, *Matt.*6.v.28.29.*Luc.*4.v.22.*Ioh.* 7. v.46. sed etiam cum interna illuminatione mentium ad fidem conjuncta fuit, *Matth.*16.v.16.*Luc.*24.v.45.*Iohan.*6.v.45.68.ejusque respectu Christus κατ' ἐξοχὴν *Propheta* vocatur *Deut.*18.v.15.18. *Actor.*3.v.22.23. *Sacerdotale* describitur à gemino actu, sive effectu: quorum alter est oblatio corporis & sanguinis sui, in precium redemtionis, pro peccatis nostris semel facta *Hebr.*9.10.*capp.Matt.* 20.v.28. 1.*Petr.*1.v.18.19. Alter, intercessio pro nobis apud patrem in cœlis, *Heb.*7.v.25.*cap.*9.v.24. quæ tamen, modo licet diverso, jam ante in terris inchoata fuerat *Ioh.*17.*Heb.*5.v.7. Utrumque actum pulcre non jungit Johannes 1.epist.2.v.1.2. *Advocatum apud patrem habemus Iesum Christum, qui est propitiatio pro peccatis nostris.* Et Paulus Rom 8.v. 39. *Christus est, qui mortuus est, imo vero qui etiam suscitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Hujus officii respectu Christus, vel absolute *Pontifex, Sacerdos, Heb.*3.v.1.*cap.*8.v.1.4.vel cum adjectione, *sacerdos secundum ordinem Melchisedec Psal.* 110.v.4.appellatur. *Regium* similiter à duobus effectis describitur; quę sunt Gubernatio Ecclesię per verbum & spiritum, sic nimirum ut foris verbo significet voluntatem suam, intus per Spiritum Sanctum vires eam præstandi largiatur *Ps.* 110. v.2.& 119.v.105. *Ierem.*31.v.33.*Psal.*143.v.10. Et ejusdem protectio ac defensio contra omnis generis hostes, spirituales & corporales *Iohan.*10.v.27.*Matt.*16.v.18.*Rom.*8.v.31.35.38. Ab hoc munere ipse *Rex, Psal.*2.v.6. *Zach.*9.v.9. *Princeps, Ezech.*37.v.35.

Propheticum

Sacerdotale.

Regium.

Prin-

*Princeps Regum terræ, Apoc.*1.v.4. *Rex Regum,& Dominus Dominantium cap.*19.v.16.denominatur. Regnum vero ipsius non mundanum, *Iohan.*18.v.36. sed cœleste, 2.*Timoth.* 4.v.18. & Spirituale, *Luc.*17.v.21.esse docetur.

Antitheses Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. trigeſ.primam.*

Munus Christi in eo consistit, quod est Propheta, Rex & Sacerdos noster. Propheta *est, quatenus nobis voluntatem Dei de nostra salute tum perfecte manifestavit, tum plenè confirmavit absoluta vitæ innocentia, miraculis admodum magnis & innumeris, & ipsa morte.* Rex *est, quatenus Deus eum suscitatum à mortuis, & in cœlos assumtum à dextris suis collocavit, data ei omni potestate in cœlo, & in terrâ, ut fideles suos gubernare, tueri, & æternum servare possit.* Sacerdos *est, quatenus nobis subvenire vult, ac porro subvenit, sicut, ut Rex, potest nobis subvenire. Et hæc subveniendi, & opis afferendæ ratio sacrificium ejus appellatur.*

Responsio.

In explicatione muneris Christi, nudis nominibus nobiscum conveniunt hæretici Sociniani: re autem, & genere doctrinæ toto cœlo à nobis dissident, sive munus illud in genere, sive etiam in specie consideremus. *In genere*; persona mediatoris, in qua gerit hoc munus, nobis est θεάνθρωπος, *Colos.*2.v.2. *Phil.*2.v.6.*seqq.* sive Immanuel, Deus nobiscum, id est, in carne nostra *Matth.*1. v. 23. 1.*Timoth.*3.v.16. Ipsis est ψιλὸς ἄνθρωπος, nudus homo, vel homo divinus absque Deitate. Nobis Christus ante sacerdos est, quàm Rex, ante exinanitus ad mortem in actu sacerdotii, quam exaltatus ad actus gloriosos regni sui *Luc.*24.v.26.*Phil.*2.v.8.9.10. Ipsis ante Rex, quam Sacerdos. *In specie* omnes partes muneris mediatori evertunt, & in singulis multos, ac graves errores admittunt. I. Errant in *Prophetico* Christi munere, quatenus docent ipsum in tempore demum didicisse Dei voluntatem, non ab æterno scivisse: item, aliis revelare hanc voluntatem externo ministerio, non interna virtute Deitatis suæ: item innocentiam vitæ ipsius, ac mortem crucis, vel solum, vel præcipue ad confirmandam veritatem doctrinæ directam fuisse. II. Errant in munere *Sacerdotali*, dum illud cum regno Christi multis modis confundunt. Negant Christum sacerdotio in terris functum esse, abolent propitiatorium

[Margin notes: Sociniani errant circa Munus Christi. 1. in genere. 2. in specie quoad propheticum. sacerdotale.]

 rium

rium ejus sacrificium pro peccatis, ac in hujus locum solam opitulandi voluntatem, contra totius Scripturæ consensum, substituunt.
Regium. III. Errant in munere *Regio*, ut qui duos ejus actus, gubernationem, & defensionem Ecclesiæ non rectè definiunt, & post abdicationem regni œconomici & mediatorii, ultimo die futuram, 1. *Corinth*.25.v.28. Christum regno, & regiâ potestate destituunt. Horum errorum Elenchum & indicem hic loci proposuisse satis est: Refutatio sequetur suo ordine, ubi ad statum exinanitionis, & exaltationis Christi, in quibus diversimodè functus est munere mediatorio, deventum fuerit.

QUÆST. XXXII. Cur verò tu Christianus appellaris?
RESP. *Quod per fidem membrum sum Iesu Christi, & unctionis ipsius particeps, ut & nomen ejus confitear, meque sistam ipsi vivam gratitudinis hostiam, & in hac vita contra peccatum & Satanam, libera, & bona conscientiâ pugnem, & postea æternum cum Christo regnum in omnes creaturas teneam.*

EXEGESIS.

Fideles dicuntur *Christiani*. EXpositioni nominis Christi commode subjicitur nomen conjugatum *Christianus*, ac si à Messia, Missianum dicas. Sic primum apellati sunt fideles Antiochię, *Actor*. 11.v.26. cum ante *discipuli* vocarentur, à quo tempore hoc potissimum nomine innotescere cœperunt cœtus profitentium Christum, in & extra Judæam per totum orbem; quemadmodum ex scriptoribus sacris; Luca, *Actor*.26.v.22. Petro, 1.*epist*.4.v.16.& prophanis; Suetonio, Tacito, Plinio, & aliis constat. Ratio nominis sumitur ex adjun- (ab adjunctis) ctis; Unione cum Christo per fidem; & quæ ex ea pendet communione cum ipso in donis Spiritus Sancti. I. Uniti, conjuncti (unione cum Christo.) Christo sumus per fidem, ceu membra capiti: Ephes.3.v.17. *Per fidem habitat Christus in cordibus nostris* cap.5. v.30. *Membra sumus corporis ejus, ex carne ejus & ex ossibus ejus*. 1. Corinth.6.v.15. *An ignoratis corpora vestra esse membra Christi*. Rom.12.v.5. *Multi sumus unum corpus in Christo* cujus ipse caput est: *Ephes*. 4. v. 14. Meritò igitur quod capitis est, membris certa analogia tribuitur. II. Sumus uncti-
onis

nis ipsius participes. Sic enim Johannes 1.epist.2. v. 27. *Vos unctionem habetis à sancto illo profectam, & nôstis omnia.* Item *unctio quam vos accepistis ab eo, manet in vobis.* Et Paulus 2.Corinth. 1.v.20. *Deus est qui confirmat nos in Christum, & unxit nos.* Nec id mirum. Christus enim non accepit Spiritum Sanctum ad mensuram, sed eâ plenitudine, ut ex ipso omnes accipiamus gratiam pro gratiâ, *Ioh.* 1. v. 16. ut ex ipso tanquam capite, in nos ejus membra gratiæ Spiritualis magnâ copiâ defluant *Tit.*3. v. 6. planè sicut sacrum oleum, in caput Aaronis effusum, in barbam ipsius, oramque vestium destillabat *Psalm.*133.v.2. Non mirum ergo & hoc, si in aliquam nominis Christi communionem veniamus. Utraque porro tum unio, tum communio cum Christo, declaratur ex fine triplici, similitudine quâdam respondente triplici ejus officio. Quemadmodum enim ipse unctus est in Prophetam, Sacerdotem, & Regem: ita nos unctionis suæ participes effecit, ut essemus Prophetæ, Sacerdotes, & Reges Deo nostro *Apoc.*1.v. 10. Essemus genus electum, regale, sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus ut proprium vendicat 1.*Petr.*2. v.9. Quorum officiorum singula propriis actibus, sive effectis explicantur. *Propheticum* est, congessio Christi nominis ad conversionem & confirmationem proximi *Mat.*10.v. 32.33. *Marc.*8.v.38. 1. *Pet.*3.v.15. *Luc.*22.v.32. *Sacerdotale* est, victimarum spiritualium oblatio, in testimonium gratitudinis: sive illę consistant in mortificatione carnis, *Rom.* 12.v.1. *seqq. Psalm.*51.v.19. sive in Dei laudibus, & erga proximum beneficentia, *Heb.*13.v.15.16. sive etiam in martyrio pro Christi nomine 2.*Timot.*5.v.7. *Iohann.*21.v.19. *Regium* est, partim pugna spiritualis in hâc vitâ: quæ ex objectis suis diversi generis hostibus, *Ephes.*6.v. 14.*seqq.* 1.*Pet.*5.v.9. atqui etiam ex formâ, sive modo, 1. *Timoth.* 1.v.18. explicatur; partim æterna dominatio in omnes creaturas, quam in alterâ vitâ cum Christo obtinebimus *Luc.* 22. *vers.* 22. 1. *Corinth.*3. *vers.*21. & *cap.*6.v.2.3. 2. *Timot.*2.v. 12. *Apoc.*2.v.26. 27. & *cap.* 3.v. 21. & *cap.* 5. v. 20.

participatione unctionis ejus.

quę declarantur similitudine numeris.

prophetici.

sacerdotalis,

regii.

Considerationes Catecheticæ Novatorum, *ad quæst. & resp. triges. secund.*

I. *An vera & propria causa, ob quam Christiani vocamur sit hæc, quæ hîc assignatur, quòd per fidem membra sumus Iesu Christi; & unctionis ipsius*

Annon Christiani vocemur, quia nos Christi discipulos profitemur?

ipsius participes: & non potius, quia publicè profitemur nos esse Iesu Christi discipulos, & sectatores, juxta illud Act. 11. v. 26.

Resp. Si vera & propria causa, cur Jesus appellatur Christus, est ejus unctio, non potest esse alia causa ob quam nos ab ipso denominamur Christiani; nisi communio, sive participatio unctionis ipsius. Nam positâ causâ sequitur effectus: & admissâ convenientiâ rei, negari non potest convenientia nominis. *Act.* 11. solùm narratur discipulos Antiochiæ dictos fuisse Christianos. Ratio nominis nulla redditur, quàm hîc Catechesis rectè declarat.

In quas creaturas regnaturi simus?

II, *Quid significetur per illas creaturas, in quas cum Christo in æternum regnaturi dicimur?*

Resp. Id verò ex allegatis Scripturæ testimoniis obscurum non est. Creaturæ illæ sunt, tum hostes Ecclesiæ, Diaboli, & omnes infideles, consentientibus Christi & fidelium judiciis æternum damnandi; *Luc.* 22. v. 29. 30. 1. *Corinth.* 6. v. 2. 3. tum cœlum novum, & terra nova, quæ instaurata à corruptione, & ab omni vanitate vindicata, *Rom.* 8. v. 20. 21. subjicientur, & servient fidelibus 1. *Cor.* 3. v. 21. 22. *Apoc.* 5. v. 10.

QUÆST. XXXIII. Quam ob causam Christus vocatur filius Dei unigenitus, cum nos quoque simus filii Dei?

RESP. *Quia solus est coæternus, & naturalis æterni patris filius: nos autem propter eum, ex gratiâ, à patre adoptati sumus.*

EXEGESIS.

SEquuntur duo alia cognomina sive appellationes Christi Jesu Servatoris nostri, cum *Filius unigenitus Dei Patris*, ac *noster Dominus* vocatur. De priore hic quæritur. Certum est hoc epitheton ipsi soli attribui in Scriptura. Sic enim Johannes cap. 1. v. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre*, id est, qualis unigenitum Dei decebat ad demonstrandam suam Deitatem. Nam particula ὡς, non similitudinis, sed causæ nota est, rei ipsius veritatem exprimens. Et paulo post vers. 18. *Deum nemo vidit unquam; filius ille unigenitus, qui est in sinu patris, ipse nobis revelavit.* Et ipse Christus cap. 3.

cap.3.v.16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret,* &c. Quibus similia sunt cætera dicta v.18.& 1.*Iohan*.4.v.9. Cùm verò etiam nos sumus, & vocemur Filii Dei, prout quæstione XXVI. demonstratum est, quæritur hoc loco, quomodo Christus dicatur unigenitus Dei Filius. In quæstione talis est Objectio: Nos etiam sumus filii Dei, Ergò Christus non est filius Dei unigenitus. Vel plenius sic: Qui habet fratres non est unigenitus. Christus habet fratres: Nam & nos sumus filii Dei. Ergò Christus non est unigenitus. Respondetur distinctione filiationis Christi, & nostræ. Aliter Christus, aliter nos filii Dei sumus. Solus Christus est coæternus, ac naturalis æterni patris filius: Nos sumus filii Dei propter Christum, ex gratiâ à patre adoptati; Duplex igitur inter Christum & nos filiationis discrimen constituitur.

Discrimen filiationis divinæ inter Christum & nos.

Vnum est in causâ procreante (si modò fas, ita hîc loqui) Christus est naturalis Dei filius, ex naturâ, sive essentiâ patris genitus, per ejus communicationem *Psalm*.9.v.7.*Filius meus es tu, ego hodiè genui te*. Quæ verba de Christo interpretantur discipuli in Actis *cap*.4.v.25.26. Et Apostolus *Hebr*.1.v.5.Item *Iohan*.5.v.26. *Sicut Pater habet vitam in se ipso, ita dedit filio habere vitam in se ipso*. Hinc pater dicitur ἴδιος, proprius pater Christi, *Iohan*. 5.v. 18. Christus vicissim ἴδιος, & proprius ejus filius; *Rom*.8.v.32.cujusmodi alieno quod est extra rem, vel saltem ad essentiam rei non pertinet, opponitur *Actor*.3.v.12. Nec aliam ob causam filius Dei viventis vocatur *Matt*.16.v.16. Quia proprium est viventium, gignere sibi simile in essentiâ. Ex quibus porrò sequitur Christum esse Filium coëssentialem, & coæqualem patri. *Coëssentialis* est, quia pater communicavit ipsi essentiam, ut una & eadem sit essentia in patre, & filio, & illa sit utrique communis *Iohan*.5.v. 26.*cap*.16.v.15. Item, quia pater & filius essentiæ respectu unum sunt *Iohan*.10.v.30. Et *Iohan*.5.v.7. *Coæqualis* est: Nam ipse docet Deum ita esse proprium suum patrem, ut se faciat ei æqualem *Joh*.5.v.18. Apostolus quoque in formâ Dei æqualem fuisse Deo claris verbis asserit *Phil*.2.v.6. Nos contra non sumus naturâ filii Dei, quia potius naturâ sumus filii iræ *Ephes*.2.v.3. Sumus autem filii Dei adoptione, ex hostibus ac inimicis ejus, *Rom*.5. v. 6. 10. in filios adoptati. Sicut scriptum est Galat.4.v.4. *Deus emisit filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut adoptionem filiorum*

1. quoad causam. Christus filius Dei per generationem.

adeoque Patri coëssentialis

coæqualis.

Nos filii Dei per adoptionem.

*Dei reciperemus.*Eph.1.v.5.*Prædestinavit nos, quas adoptaret in filios.* Rom.8.v.15. *Accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater.* Hęc tamen adoptio generationi filii Dei analogiâ quâdam, ac similitudine respondet: Undè etiam filii adoptivi dicuntur esse ex Deo geniti, *Ioh.*1.v.13. 1.*Ioh.*3.v.9. Sicut enim filius naturalis ex essentiâ patris genitus, *Iohan.*1.v.14.18. *cap.*5.v.26. Ita filii adoptivi gignuntur ex semine Dei, hoc est, ex verbo ipsius, 1*Pet.*1.v.23.& sermone veritatis, *Iacob.*1.v.18. Et sicut ille naturam patris refert, tanquam essentialis ejus imago, *Colos.*1.v.15. ut qui ipsum videt, videat & patrem, *Iohan.*14.v.9. Ita hi sunt imago Dei accidentalis, qui instaurati ad ipsius imaginem, *Ephes.*4.v.24. tum participatione naturæ, hoc est, qualitatum divinarum, 2.*Petr.*1.v.4.tum imitatione operum divinorum, *Luc.*6.v.36. *Math.*5.v.45.Deum, patrem suum, repræsentant. Cæterum nec causæ hujus adoptionis prætereundæ sunt, quæ in Catechesi indicantur. Sunt autem duæ. *Impulsiva interna* est Gratia Dei, sive εὐδοκία illa, qua nos complexus est in Christo, *Ephes.*1.v.5. de quâ ita Johannes 1.epist.3.v.1. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater ut filii Dei vocemur.*Et Euangelii sui cap.1.v.12.*Dedit credentibus ἐξουσίαν,* id est, gratiam, dignitatem, ac prærogativam *filiorum Dei.* Jacobus autem cap.1.v.18. βουληθεὶς i.e. *volens,* sive voluntariè *progenuit nos sermone veritatis*, quæ voluntas ipsius φύσει, sive naturæ, qua ipse Deus est, & genuit filium, opponitur *Galat.*4.v.8. *Externa* est Christus, ejus satisfactio, & meritum, quia adoptavit nos in filios per Christum.*Eph.*1.v.5.Et Christus tum adoptionem, *Gal* 4.v.4. tum Spiritum adoptionis, *Galat.*3.v.14. *Rom.*8.v.15.nobis acquisivit. Ut non immerito tota familia filiorum Dei, in cœlis & in terrâ, ex ipso, tanquam primogenito inter multos fratres, nominetur. *Eph.*3.v.5.

Adoptionis causæ.

Gratia Dei,

Christus ejusque meritum.

Alterum est in adjuncto durationis. Christus non cœpit aliquando esse filius Dei, sive in Veteri, sive in Novo Testamento: sed semper fuit filius Dei. Est filius coæternus, æterni patris, ut, quemadmodum Pater est æternus pater, sic ipse sit æternus filius. De quo dicta sunt, Proverb. 8.v.22.23.*Iehova possidebat me principio viæ suæ, ante opera sua, ante ullum tempus.*Mich.5.v.2. *Exortus ejus est inde à principio, à diebus seculi.* Joh.1.v.1.3. *In principio erat sermo; & omnia per eum facta sunt.* Cap.17.v.5. *Glorifica me, pater, apud temet ipsum, eâ gloriâ, quam habui apud te priusquam mundus esset.* Nos vero non

2.quoad adjunctum durationis. Christus est Filius Dei æternus.

non ſumus æterni filii, ut qui in tempore demum exſiſtere cœpimus, non minùs quàm aliæ creaturæ: nec ſemper fuimus filii Dei, quia eramus filii iræ naturâ, *Epheſ.* 2.v.3. Facti autem ſumus filii per fidem in Chriſtum, *Ioh.* 1.v.12.13. ex quo videlicet in ipſum credidimus. Verum quidem eſt, nos jam ante jacta mundi fundamenta ad hanc filiationem prædeſtinatos fuiſſe, *Epheſ.* 1.v.5. ſed illa decreti eſt in Deo, non exſecutionis aut exſiſtentiæ in ipſis creaturis.

Nos in tempore cœpimus.

Utrumqûe hoc diſcrimen, inter Chriſti & noſtram filiationem, vehementur illuſtrat phraſeologia Scripturæ, cum de ipſo, ut unigenito Dei filio; de nobis, tanquam de filiis adoptivis loquitur. I. Deus eſt, & vocatur credentium pater, Eſa. 63.v.16. *Tu pater noſter es; quamvis Abraham neſcit nos, & Iſrael ignorat nos, Iehova pater noſter, &c.* Ut autem conſtaret, quod aliâ ratione ſit pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, aliâ ratione noſter pater, dicitur *Ioh.* 5.v.18. Πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεὸν: Cujus vocis vim & ἔμφασιν exprimunt Judæi, cum addunt, *æqualem ſe faciens Deo.* II. Deus etiam credentes appellat filios ſuos 2, Corinth.6.v.18. *Vos eritis mihi pro filiis, ac filiabus:* Sed ideo de υἱοθεσίᾳ, ſive gratuitâ adoptione interpretatur Scriptura *Epheſ.* 1.v.5. *Iohan.* 1.v.12. Cùm naturâ ſimus filii iræ, ſicut & cæteri *Epheſ.* 2.v.3. De Chriſto autem dicit Paulus, *Proprio filio non pepercit Deus* Rom. 8.v.32. III. Credentes quoque dicuntur nati ex Deo, *Iohan.* 1.v.13. Verum Scriptura rationem illius generationis diſertè explicat. *Iacob.* 1.v.18. *Volens*, ſivè voluntariè *progenuit nos ſermone veritatis.* Et 1.Petr. 1.verſ. 3. *Ex multa miſericordiâ regenuit nos.* Item *verſ.* 23. *Regeniti ex ſemine incorruptibili, per ſermonem Dei.* De filio vero dicit, *Iohan.* 1. v.14. quod ſit unigenitus à Patre, quia ex eſſentia Patris genitus eſt. Item, quod dederit ipſi pater habere vitam in ſe ipſo, *Iohan.* 5.v.26. IV. Cum credentes dicuntur filii Dei, nullum attributum verè divinum, ſolius Dei proprium de ipſis enunciatur. De Chriſto vero unigenito illo Patris multa hujuſmodi prædicat Scriptura; ut, cum dicit eſſe æqualem patri, *Iohan.* 5.v.18. *Phil.* 2.v.6. Filium ſcrutari corda & renes, *Apoc.* 2.v.23. omnia per ipſum condita eſſe, *Coloſ.* 1.v.16.17. portari verbo ejus potente, *Heb.* 1.v.3. & quæ ſunt hujus generis alia.

Filiationis diſcrimen ex Scripturâ probatur.

Antitheses Catecheticæ Socinianorum *ad quæst. & resp. triges. tertiam.*

Antithesis. I.

Appellatio unigeniti non evincit, filium Dei ex essentiâ Patris genitum esse. I. *Quia aliud significat in Scripturâ: Nam & Isaac appellatur unigenitus Abrahæ,* Genes.22.v.2.12. Hebr.11.v.17. *cùm tamen & Ismaël esset ejus filius, & quidem tum vivens.* II. *Quia testatur Scriptura unigenitum illum ac proprium Dei filium mortuum esse* Joh.3.v.15.16. Rom.5.v.10. & cap.8.v.23. *Sed mori non potuit substantia illa divina quæ in Christo fuit. Ergo non divina, sed humana substantia est filius Dei unigenitus.* III. *Quia generatio in Deum nullo modo cadit, tum quia indignum Deo, more animantium sibi similem generare in essentiâ: tum quia id pugnat cum æternitate, & immutabilitate Dei; cum sui similis generatio propterea suscipiatur in naturâ, ut genitum in locum generatis quodammodo succedat, ad conservationem speciei. Etsi Christus filius ille Dei ex essentiâ patris genitus fuisset, aut partem essentiæ sumsisset, aut totam. Essentiæ partem sumere non potuit, eò quod impartibilis sit divina essentia: neque totam cum sit una numero, ac proinde incommunicabilis. Sequitur ergo Christum ex essentiâ Patris non fuisse genitum.*

Responsio.

Firmam esse probationem æternæ generationis Filii à Patre quæ ex epitheto unigeniti deducitur, in exegesi quæstionis ostendimus. Proximum igitur illud est, ut, quæ contra objiciunt adversarii, paucis consideremus, & confutemus. *Prima* objectio inconsequens est, ut quæ ex puris particularibus concludit. Impertinens quoque propter dissimilitudinem exemplorum. Isaac dicitur unigenitus Abrahę non simpliciter, quia jam antè ex Agara susceperat Ismaëlem; & post ex Keturâ alios quęsivit liberos: Sed secundùm quid, & Sarę respectu, ex quâ solum Isaacum vi promissionis adeptus erat. Christus autem simpliciter, & absolutè unigenitus Dei vocatur, qui solus est Dei filius, & præter quem non potest esse alius *Heb.*1.v.4.5. *Secunda* habet fallaciam quatuor terminorum, ex confusione abstracti & concreti. Sane mortuus est proprius Dei filius, sed non secundum utramque naturam,

Confutatio objectionum primę.

secundæ.

turam, in quibus consistit; nec secundum illam naturam, à quâ proprius Dei filius denominatur: verùm assumtæ humanitatis respectu; quomodo hanc, & similes alias propositiones ipsa Scriptura limitat, & explicat 1.*Petr.* 3.v.18. *&* 2.*Corint.* 13.v.4. *Tertia* nimis manifestâ μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος impingit ac deficit. Frustra divinam illam, & plus quàm supernaturalem generationem cum physicâ generatione conferunt, & ad eam examinant. Aliæ sunt viæ Dei, quàm viæ nostræ, cogitationes Dei, quàm cogitationes nostrę *Esa.*55.v.8.9. Gignit Deus sibi similem in essentiâ, quia filium genuit sibi coëssentialem, *Psal.*2.v.7. *Iohan.*5.v.28.*&*.*cap.* 10.v.30. sed non gignit more animantium, ut qui spiritualis est essentię, *Iohan.* 4.v.24. hoc est, non gignit ex se materialiter, quia expers est omnis materię, purus, & simplex actus; nec extra se terminativè, quia genitum non est extra gignentem, sed in eo, *Iohan.*14.v.10. & cum eo subsistit in unâ indivisâ essentiâ: *cap.*10. v. 30. non etiam ad propagationem, & conservationem speciei, quæ non magis datur in divinis, quam dari possunt plures Dei *Deut.*6.v.4.& *c.*32.39. Dilemma hæreticum altero cornu non ferit, sed labascit. Totam essentiam Pater communicavit filio in generatione Joh. 16.v.15. *Omnia quæcunque pater habet, mea sunt.* Et cap.4.v.26. *Sicut pater habet vitam in se ipso, Sic dedit filio habere vitam in se ipso*: totam utique non aliquam ejus partem, nisi velint hæretici, etiam Patrem duntaxat partem ejus habere. Nihilominus est, & manet una numero essentia, quia Pater, & Filius sunt unus numero Deus, ut est *Iohan.*10. v. 30. 1.*Iohan.*5.v.7. hoc vero est mysterium mysteriorum, quod ridet humana ratio, fides autem in verbo revelatum adorat.

tertiæ.

Dilemma Socinianum refellitur.

Antithesis. II.

Communiter & in genere Christus filius Dei appelletur, non quòd sit alius naturæ, aut filiationis, quàm cæteri Dei filii, angeli & homines, sed quod inter omnes excellentissimus sit, & præstantissimus, quales erant primogeniti in Veteri Testamento: Isaac in familia Abrahæ: Tribus Iudæ ob delatum sibi principatum inter reliquas tribus. In specie *autem quinque causæ notari possunt ex Scripturâ, ob quas filius Dei vocatur, & in quibus excellentia filiationis ipsius consistit.* Prima *est conceptio Christi ex Spiritu Sancto, quæ est generatio ipsius ex Deo plane singularis Luc.*1.v.

 35.Spi-

Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi inumbrabit te, propterea etiam, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Secunda *est sanctificatio Christi, qua ipse fuit à Patre sanctificatus, hoc est, copiose nactus Spiritum Sanctum, & cum divino imperio ac potestate in mundum missus, ad servandum genus humanum. Iohan.* 10. v. 35. 36. Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura, méne quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum? Tertia *est peculiaris illa dilectio, quâ hunc filium præ cæteris omnibus Pater complectitur. Matth.* 3. v. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo acquiesco. Quarta *est resuscitatio Christi ex mortuis, quâ ipsum à morte ad vitam revocavit, atque ita de novo quasi genuit. Actor.* 13. v. 32. 33. Deus implevit promissionem, suscitato filio; ut etiam Psalmo secundo scriptum est, Filius meus es tu, ego hodiè genui te. Quinta *est exaltatio Christi ad gloriam, qua Pater ipsum collocavit ad dextram suam in cœlis, & donavit nomen quod est supra omne nomen. De hac filiatione loquitur idem Apostolus Heb.* 5. v. 5. Christus non ipse sibi hunc honorem tribuit, ut fieret Pontifex, sed is, qui dixit ei, Filius meus es tu, Ego hodie genui te.

Responsio.

Ex brevi hac periocha doctrinæ Socinianæ de filiatione Christi Filii Dei apparet extrema impietas ac impudentia horum hæreticorum, nec non improbum in corrumpendis Sacræ Scripturę dictis studium: Quas ipsorum artes toto pectore horrent & detestantur omnes pii. Nos pro vindicandâ gloriâ Filii Dei, & confirmandis in Orthodoxia juniorum animis, fundamenta firma ac evidentia tam monstrosis opinionibus opponemus. In genere autem pro æterna generatione filii ex essentia Patris contra fictitiam illam ὑπεροχὴν, quam supra reliquos filios Dei ejusdem ordinis fingitur obtinere, hæc proponimus. I. Quod non solum filius Dei vocatur cum articulo præpositivo, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *Matt.* 3. v. 17. & *cap.* 16. v. 16. sed etiam cum epithetis; Unigeniti, *Ioh.* 1. v. 18. Proprii, *Rom.* 8. v. 32. Veri, 1. *Iohan.* 5. v. 20. Item cum ejusmodi attributis quæ in nullam creaturam cadunt, aut cadere possunt; ut, quod genitus sit à Patre, *Iohan.* 1. v. 14. 18. sine matre, *Hebr.* 7. v. 3. gignenti per omnia æqualis, *Iohan.* 5. v. 18. *cap.* 16. v. 15. genitus ab æterno, ante omnia tempora, & opera Dei; *Prov.* 8. v. 22.

Æterna generatio filii ex essentia Patris probatur
1.

v.22.23.*Mich*.5.v.2.*Iohan*.17.v.5. Undè ſic concludimus: Qui ſic eſt Filius Dei, ut ſit unigenitus, proprius, ac verus filius, ut ab æterno genitus ſit ex patre, abſque matre, patri per omnia æqualis, eum ex ipsâ Patris eſſentiâ, ſive ſubſtantiâ, genitum eſſe oportet; aliâs non erit æqualis patri ex illâ geniturâ; nec capax illorum Epithetorum, & attributorum, quæ ante commemoravimus. Atqui Chriſtus ſic eſt, & dicitur Filius Dei. Ergo. II. 2.
Si tantum excellentiæ cauſa vocatur Filius Dei, abſque participatione eſſentiæ divinæ, non πρωτότοκος, ſed πρωτόκτιςος πάσης κτίσεως dicendus eſſet, prout olim contendebant Ariani; ratio quia non minus pertineret ad creaturas Dei, quàm ii quibus ipſe excellentior & dignior cenſetur. At falſum eſt conſequens; ſiquidem primogenitus vocatur, quòd genitus ſit ante omnes creturas, *Coloſſ*.1.v.15.16.17.*Proverb*. 8.v.22.*ſeqq*. Tale igitur eſt ipſum antecedens. III. Ex quo, & propter quem omnes fideles, 3.
Veteris & Novi Teſtamenti, ſunt Filii Dei, is non eſt ejuſdem naturæ ac ordinis filius cum ipſis. Neque enim frater filius eſt ex fratre, aut propter eum, ſed ex parente, ad quem originis ſuæ relationem habet: Non Eſau propter Jacobum filius Iſaaci; neque Juda propter Rubenem filius Jacobi. Atqui ex Chriſto, & propter eum, tanquam unigenitum, & proprium Dei Filium, omnes fideles Veteris & Novi Teſtamenti ſunt filii Dei, *Epheſ*.1.v. 5.6. *Prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum, & nos ſibi dilectos effecit in dilecto illo*. cap. 3. v.15. *Ex quo*, ſcilicet Chriſto, filio, *tota familia*, ſcilicet filiorum Dei, *in cœlis & in terrâ nominatur*. Iohan. 1.v. 12. *Quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem ut filii Dei ſint facti*. Ergò. IV. Si Chriſtus Filius Dei vocatur reſpectu ex- 4.
cellentiæ, quam ſupra reliquos, filios ſibi homogeneos & coëſſentiales, obtinet, non genere aut ſpecie, ſed ſolo gradu filiationis ab ipſis differt, & diſtinguitur: Erit enim differentia filiationis ſecundum plus, & minus, quæ graduum eſt propria. Atqui non gradu, ſed plus quàm genere, aut ſpecie, à reliquis filiis diſtinguitur ſecundum Scripturam. Hebr. 1.v.4.5. *Tantò præſtantior factus eſt angelis, quantò excellentius præ illis ſortitus eſt nomen. Nam cui dixit unquam angelorum? Filius meus es tu, Ego hodiè genui te. Ac rurſum; Ero ei pater, & ipſe erit mihi filius*. Undè ſic colligimus: Quibus nec nomen, nec res filiationis cum Chriſto communis eſt, illi non gradu, ſed genere & ſpecie filiationis, ab ipſo diſtinguuntur.

Sancti

Sancti Angeli, qui tamen præcipui sunt inter Filios Dei & in Scripturâ hoc nomine aliâs insigniuntur, nec nomen filiationis cum Christo commune habent, utpote quod ipsis adimitur; nec rem, quia disertè negatur ipsos esse ex Deo genitos. Ergò.

Refutantur Socinianorum causæ filiationis Christi.

His præmissis in causas filiationis Christi, quas novo audaciæ exemplo commenti sunt, speciatim est inquirendum. In quibus omnibus fallaciam, quam non causæ vocant Scholæ, admittunt. Neque enim conceptio, sanctificatio, aut reliqua, causæ sunt filiationis Christi à priore, ut propterea sit, & dicatur filius Dei, quia conceptus ex Spiritu Sancto, & à Patre sanctificatus est: sed declarationes & demonstrationes filiationis ipsius à posteriore, ex quibus ipse talis declaratur, & agnoscitur; sicut aliud est filiatio κατὰ φύσιν, aliud κατὰ φανέρωσις. Et si quinque illæ causæ sunt veræ causæ filiationis Christi aut totales singulæ, aut partiales. Si totales, quintuplex erit totalis & completa filiatio. Nam positâ causâ sufficiente in actu, ponitur effectus. Id autem est contra Scripturam, quæ filiationem, ex quâ Christus dicitur Filius Dei, non nisi unam agnoscit. Sin partiales, autè exaltationem inchoatione solum fuit Dei Filius, post etiam consummatione: Item filiatio ipsius suscipit gradus, quorum utrumque est contra Scripturam; posterius etiam manifestam absurditatem implicat, perindè ac si quis dicat, Davidem magis factum filium Isai cùm Rex designaretur, quàm antè. Sed jam causas illas sigillatim inspiciamus & examinemus.

Causa filiationis Christi.

1. Non est conceptio ex Spiritu S.

I. Conceptio Christi ex Spiritu Sancto filiationis ipsius causa non est. Etenim jam ante conceptionem erat filius Dei. Esa. 9.v.6. *Filius datus est nobis* Galat. 4.v. 4. *In plenitudine temporis emisit Deus filium suum, factum ex muliere.* Effectus autem causam suam non antegreditur. Præterea nec Spiritus Sanctus dicitur Pater Christi, nec ipse uspiam ejus filius appellatur. Quinimo Spiritus Sanctus dicitur esse Christi, *Rom.* 8.v.9. *Gal.* 4.v. 6. & mitti, accipere ab eo *Ioh.* 15.16. *capp.* Igitur conceptio illa non est causa filiationis. Insuper Apostoli incarnationem Christi ad filiationis ipsius manifestationem referunt. Paulus, 1. Timoth. 3.v.16. *Deus* id est, Dei Filius *manifestatus est in carne.* Et Johannes, Euangelii sui cap. 1. v. 14. *Sermo factus est caro, & habitavit inter nos, & vidimus gloriam ejus,* &c. At manifestatio rei non est ejus productio. Productio enim est de non esse, ad esse: at manifestatio est esse producti revelatio

velatio. Locus *Luc.*1. v. 35. violenter huc torquetur. Tum quia agit de manifestatione Filii Dei in carne; nec enim dicit, fiet, aut erit filius altissimi, quod posterius tamen idem sæpè est, quod esse agnoscetur; sed *vocabitur*, κληθήσεται, id est, manifestabitur, palam patefiet. Tum quia particulæ διὸ καὶ, quæ illationis vim habent, non ad conceptionem Christi, tanquam causam filiationis ipsius, sed ad vaticinium Esaiæ, de quo *versu* 31. referendæ sunt. Id ex analysi nuncii angelici planum fiet. Propositio exstat *versu* 31. enunciata verbis Esaiæ *cap.*7.v.14. prout particula demonstrativa, & res ipsa docet; & explicata de Christi personâ & officio, *versu* 32.33. Esaias autem duo vaticinatus erat, & virginem parituram, & parituram eum, qui sit filius Dei. Horum prius cùm non assequeretur Maria, quippe quæ virum non cognosceret, *vers.*34. Angelus id ipsi petenti declarat, ostendens conceptionem hanc futuram non secundùm consuetum naturæ ordinem, sed per planè singularem Spiritus Sancti superventum & operationem, *versu* 35. Ex priore autem infert posterius, *versu* 35. ipsam, quia paritura sit virgo, parituram eum qui sit Filius Dei, sive filius Altissimi, *versu* 32. Ratio, quia utrumque eodem oraculo ab Esaiâ prædictum fuerat. Ideoque Matthæus etiam testatur, conceptu illo totum vaticinium Esaiæ completum fuisse *cap.*1. v.20.21. *Luc. 1.v. 35. explicatur.*

II. Sanctificatio Christi, & missio in mundum, ad servandum genus humanum, non est causa filiationis. I. Quia qui erat Filius Dei, sanctificatus & missus fuit *Iohan.*3.v.34.35.*Galat.*4.v.4. II. Quia sanctificatio Christi, & dona ipsius sunt à Spiritu S. *Ps.*45. v.8 *Esa.*11.v.1.2.*Ioh.*3.v.34. At nec Spiritus S. Pater Christi est, nec ipse ejus filius, prout ante ostendimus. III. Dona Christi numero & gradu distinguuntur à donis fidelium, ut est *Ps.*45.v.8.*Ioh.*3.34. Si ergò propter illa est Filius Dei, filiatio ipsius eodem modo distinguitur. At hoc falsum esse argumento loci, *Heb.*1.v.4.5. supra evicimus. Prius igitur similiter falsum est. Locus *Iohan.*10.v.36. impertinens est, quia causa filiationis non ponitur in sanctificatione, & missione Christi, sed Christus ostendit se blasphemum non esse, quòd se unum dixisset cum patre, hoc est, ut Judæi rectè interpretabantur, quòd se dixisset Deum, & Filium Dei; duobus argumentis. I. A minori: Magistratus civiles absque blasphemiâ Dii vocantur. Ergo multò magis ego. Antecedens probat ex *ps.*82. ubi

2. Nec Sanctificatio & missio in mundum.

Ioh. 10.v. 36. vindicatur.

ubi ipse Spiritus Sanctus hoc titulo eos insignit. Consequentiam verò collatione imparium: Magistratus tantùm Dii sunt propter sermonem, sive mandatum Dei, quo divinum ipsis officium impositum est *Deut*.1.v.17.2. *Chron*.19.v.6. Ego verò, Filius Dei unigenitus, sanctificatus sum, & missus in mundum, ut mediator essem inter Deum & homines. Nam ita explendum esse ἀποδώσεως subjectum docent loca omnia, quibus Filius Dei missus esse, & de cœlo descendisse, dicitur. II. Ab Effectis: Ego facio opera patris mei, quæ solus ipse facit, & facere potest v.37.38. Sum igitur unum cum ipso, verus Deus, & Filius Dei unigenitus. Utrumque argumentum à posteriore declarat filiationem Christi: à priore causam ejus non attingit.

3. Nec dilectio Dei Patris.

III. Dilectio Dei patris non est causa filiationis Christi. Nec enim factus est filius quia Pater ipsum dilexit, sed quia est unigenitus à patre, effulgentia gloriæ, imago, & character personæ patris, ei consubstantialis, & coæqualis; ideo ipsum diligit Pater: ideò filius ille dilectus, *Ephes*.1.v.6.& dilectionis, *Coloss*. 1.v.13. appellatur. In filiis adoptivis, quos Deus ex filiis iræ facit filios gratiæ, *Ephes*.1.v.6. non naturâ, sed voluntate, *Iacob*.1.v. 18. charitas ipsius est causa filiationis 1.*Iohan*.3.v.1. Sed unigenitum & proprium illum filium non facit; sed gignit Pater, nec voluntate sed naturâ gignit, tanto à cæteris filiis discrimine, ut nè nomen quidem commune cum ipsis sortiatur, *Heb*.1.v.4.5. Locus

Matt.3.v.17. vindicatur.

Matth.3.v.17. hanc glossam non habet aut fert, quod nimirum Christus propter dilectionem patris dicatur Filius Dei: Nam primò filius, pòst dilectus vocatur, ut etiam de Isaaco legitur *Gen*. 22.v.1.2. Ergò quia filius, ideo dilectus est; non quia dilectus, ideò filius. Præterea, ita dilectus est, ut etiam nos dilecti simus propter ipsum, ut ejus causâ pater omnem iram adversus nos deponat. Nec enim tantùum dicit ὁ ἀγαπητός, sed etiam ἐν ᾧ εὐδόκησα. At nos dilecti, reconciliati, per & propter filium *Rom*.6.

& explicatur.

v.9. *Ephes*.1.v.6. *Coloss*.1.v.13. Ergò. Contra, hic locus æternam generationem filii ex essentiâ patris multis modis adstruit. I. Quia dicitur, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητός. Quid illud? nisi quòd unicus ille, proprius, ac unigenitus Dei Filius, ex essentiâ patris genitus. Nam cui unquam angelorum dicit? Filius meus es tu. *Heb*.1.v.4.5. II. Quia dicitur ὁ υἱός μου, *Meus*, scilicet propriâ & perfectissimâ filiatione. Nam eo ipso eximit eum è numero aliorum

liorum filiorum. Propria autem & perfectissima filiatio est, quæ ex ipsius gignentis substantia procedit. III. Dicitur *dilectus ille*, propter quem scilicet diliguntur, & in gratiam recipiuntur omnes fideles. Est igitur proprius ac naturalis Dei filius; quia redemtio, regeneratio, adoptio, opera nudæ creaturæ esse non possunt. IV. A fine hujus revelationis. Cur cœlitiùs clamavit *Pater Hic est filius ille meus?* Nimirum ut palam testatum faceret, hunc esse proprium ac naturalem suum filium, quantumvis formâ servili tectum, & contemtum; atque ita autoritatem muneri ipsius conciliaret. Proinde talem epithetis illis significari necesse est.

IV. Etiam resurrectio Christi causa non est filiationis ipsius. I. Quia jam ante fuit unigenitus ac proprius filius Dei viventis *Iohan*.3.v.16.18.*Rom*.8.v.32.33.34.*Matth*.16.v.16.*seqq*.II. Quia testatur Apostolus, per resurrectionem declaratum esse Dei Filium *Rom*.1.v.3. Atqui hoc modo exponendus est locus ejusdem Apostoli, *Actor*.13.v.32.33. quem nobis objiciunt. Docet enim, in resurrectione manifestatum & declaratum fuisse, quòd antè sub infirmitate & formâ servili latebat; scilicet, quòd illa persona ab æterno genita esset à patre, sicut inquit Iohannes cap. 1.v.14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam ut unigeniti à Patre*. Nam ex consequente progreditur ad antecedens, & ex complemento promissionis rei ipsius veritatem concludit. Similis concludendi modus est *Iac*.1.v.23. Ubi ex complemento, hoc est, oblatione Isaaci, v.22. arguit Apostolus veram Abrahami fidem. Quare resurrexit Christus, non ut filius Dei fieret, sed quia erat Filius Dei.

4. Nec resurrectio.

Act.13.v.32.33. vindicatur.

V. Exaltatio & potestas officii Christi causa filiationis ipsius esse nequit; tum, quia jam ante exaltationem erat filius Dei, & quidem modo perfectissimo, *Coloss*.1.v.15. *Hebr*.1.v.3. utpote qui exsistens in formâ Dei, erat æqualis Deo *Phil*.2.v.6. Tum, quia nisi Deus, & filius Dei fuisset; officium illud, ejusque potestatem suscipere & gerere non potuisset prout alibi à nobis demonstratum est. Locum *Hebr*.5.v.5. ex *Psalm*.2.v.7. meritò ad φανέρωσιν æternæ filiationis Christi referimus. Quem enim pater genuit filium, eum ordinavit Pontificem ac Sacerdotem Ecclesiæ, ut ita ex divino munere divina ejus filiatio innotesceret.

5. Neque Exaltatio & potestas officii.

Heb.5.v.5. vendicatur.

sceret. Id nexus sententiarum, *Psalm*.2.v.7.8. clarissimè ostendit.

QUÆST. XXXIV. Quâ de causâ appellas eum Dominum nostrum?

RESP. *Quia corpus & animam nostram à peccatis, non auro nec argento, sed precioso suo sanguine redemit, & ab omni potestate Diaboli liberavit, atque ita nos sibi proprios vindicavit.*

EXEGESIS.

Christus dicitur *Dominus*

POstremum nomen, sive cognomen Christi servatoris est, quòd *Dominus noster* appellatur. Hoc nomen in Scripturâ non communi, sed singulari quâdam notione, & καθ' ἐξοχὴν ei tribuitur, 1 Corinth.8.v.5.6. *Etsi multi sunt Domini, nobis tamen unus est Dominus Iesus Christus, &c.* Non etiam uno, sed triplici modo & significatu, ipsi convenit. I. Ratione Deitatis absolutæ, cum vox κύριος respondet vocibus Hebræis יהוה *Iehova* & אדני *Adonai*: Ioh.20.v.28. *Dominus meus, & Deus meus.* 1 Cor.15.v.47. *Secundus homo ipse Dominus è cœlo.* II. Ratione creationis: 1 Corinth.8.v.6. *Nobis unus est Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* III. Ratione redemtionis: quo sensu Christus usitatissimè in Novo Testamento *Dominus* vocatur. Hoc significatu nomen illud ei adscribitur in Symbolo, & ratio ejus redditur ab effecto, sive apotelesmate mediatorio, quod est nostri redemtio & liberatio, sive, ut habet textus germanicus originalis, *nostri redemtio & emtio.* Quæ duo differunt ut Genus & Species. Nam redemtio est species quædam emtionis: Et redimuntur propriè, qui ab hostibus capti, vel pœnæ alicui obnoxii sunt, soluto pro ipsis precio. Dominus igitur noster est, & dicitur, quia emit nos, & redemit 1 Corinth.6.v.20.& cap.7.v.23. *emti estis precio*, scilicet à Christo. Gal.3.v.13. *Christus nos redemit ab exsecratione legis.* Tit.2.v.14. *Dedit semet ipsum, ut redimeret nos, &c.* Redemtio autem Objecto, causâ instrumentali & meritoriâ, nec non terminis suis explicatur.

(Margin: ratione Deitatis, creationis, redemtionis.)

Redemtionis autem spectatur

Objectum.

Objectum est populus Dei, *Matth*.1.v.21. sive Israël Dei, *Psal*.130.v.8, *Gal*.6.v.16. hoc est, omnes electi & credentes *Rom*.8.v.33.34.

33.34.*Iohan.*3.*v.*16.Sed in Catechesi enunciatur & illustratur distributione partium integrantium, ut sunt Anima & Corpus cujusque electi & fidelis. Utrumque enim redemisse Christum testatur Apostolus 1 Corinth.6.v.20. *Precio emti estis; glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Et quidni redemisset, qui totos nos, integrum nostrum Spiritum, & animam, & corpus, ad vitam æternam sanctificat, 1 *Thess.*5.v.23. Utroque captivi eramus peccati & Satanæ 2 *Cor.*7.v.1. Utroque igitur nos redimi oportuit.

Causa instrumentalis & meritoria est preciosus sanguis Christi Filii Dei; quæ causa antithesi ac collatione imparium, amplificatur, ex testimonio Petri 1. epist.1.v.18.19. *Redemti estis non auro, nec argento, sed precioso sanguine agni inculpati & incontaminati, nempè Christi.* Nudè autem proponitur multis aliis locis: 1.Ioh.1.v.7. *Sanguine Iesu Christi, Filii Dei, mundat nos ab omni peccato.* Heb.9.v.14. *Sanguis Christi, qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum Deo, emundat conscientias à mortuis operibus.* Act.20.v.28. *Deus acquisivit Ecclesiam proprio sanguine.* Atque hic sanguis cum totâ obedientiâ exinanitionis Christi, *Rom.*5.v.19. *Phil.*2.v.8. est illud λύτρον, sive ἀντίλυτρον, quod ipse dependit pro peccatis nostris. *Matth.*20.v.28. 1 *Tim.*2.v.5.6. Causa instrumentalis & meritoria.

Termini redemtionis duo exprimuntur, à quo, & ad quem. Est enim vindicatio è captivitate & servitute, in libertatem; assertio à tyrannide iniquè detinentis, in proprietatem & dominium legitimi domini. *Termini à quo* sunt peccata, & potestas Satanæ. Eramus servi peccati, *Rom.*6.v.16.20. *Iohan.*8.v.34. & corruptionis, 2 *Pet.*2.v.19. servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis. *Tit.*3.v.3. Et facientes, quæ carni & cogitationibus libebant, *Ephes.*2.v.3. Insuper eramus captivi Satanæ, 2 *Tim.* 2. v. 26. qui potestatem in nos obtinebat, partim jure belli, ex subjugatis & occisis primis parentibus, & omnibus ipsorum posteris in ipsis, *Gen.*5.v.5. *seqq.* 1 *Cor.*15.v.22. partim etiã jure judicialis traditionis, quâ homines lapsi, justo Dei judicio traditi sunt Diabolo, tanquam tortori & carnifici, in pœnam peccati, *Heb.*2.v.13.14. *Rom.*6.v.23. Proindè Christus, ut suos plenè assereret, tum à servitute peccati, tum à captivitate ac potestate Satanæ eos redemit. De priore parte redemtionis est Tit. 2.v.14. *Dedit semet ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate,* 1.Pet.1.v.18. *Re-*

Termini.

à quo.

demti estis ex vanâ conversatione vestrâ Eph. 1.v.17. Colos. 1.v.14. *In Christo habemus Redemtionem per sanguinem ejus, remißionem scilicet peccatorum,* De alterâ parte est, Col. 1.v.13. *liberavit nos à potestate tenebrarum,* Act. 26.v.18 *Vt convertant se à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum:* videlicet efficaciâ redemtionis Christi. His similia sunt plura alia 2 *Tim.* 2.v.26. *Heb.* 2.v.14.15. 1 *Ioh.* 3.v.

Ad quem

8.9. *Terminus ad quem*, est Dominium ac proprietas Christi, & Dei patris, in nos tam carè emtos, tam precioso sanguine redemtos: Eoque sensu etiam Deo nos redemisse dicitur *Apoc.* 5.v.9. De hâc proprietate notanda sunt dicta: 1. *Pet.* 2.v.9. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus quem sibi Deus ut proprium vindicat.* Tit. 2. 14. *Dedit semet ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem, &c.* 1 Cor. 6.19. 20. *Non estis vestri juris. Nam emti estis precio, &c.*

Redemtio hæc est propriè dicta redemtio?

Sic ergò hâc quæstione expressa sunt omnia & singula requisita, veræ & propriè dictæ redemtionis. Est redimens, Christus, *Galat.* 3.v.13. *Christus nos redemit.* Sunt redimendi, homines peccatores, inimici, *Rom.* 5.v.6.8.10. qui redemti, & emti dicuntur. 1 *Pet.* 1.v.18. 1 *Corinth.* 6.v.20. Est pretium redemtionis λύτρον, sive ἀντίλυτρον Christi *Matth.* 20.v. 28. 1 *Timoth.* 2.v.6. Est denique qui precium illud accipit, Deus. *Apoc.* 5.v.10. *Redemisti nos Deo. Rom.* 5.v.10. *Reconciliati fuimus Deo.*

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. trigesquartam.*

Annon Christus dicatur Dominus ob jus condendi leges?

I. *An nullam aliam ob causam, quàm ob eas quæ hic commemorantur, Christus vocetur noster Dominus; cùm ut Dominus, jus potestatemque habeat, leges nobis præscribendi; & incredulos vel à fide deficientes temporali & æternâ morte puniendi, gratiosa sua beneficia iis subtrahendi, & benevolentiâ gratiâque suâ eosdem, vel in totum, vel ex parte, orbandi.*

Resp. Causæ plures sunt, ob quas Christus est & vocatur noster Dominus; sed hîc ea attenditur propter quam noster Dominus dicitur in symbolo, quæque ad doctrinam redemtionis propriè pertinet. Præterea fides ita respicit speciale hoc Dominium, ut tamen non negligat, sed salutariter consideret partes & actus Dominii generalis, sive illi in legislatione sive in punitione

tione, sive aliis in rebus consistant, prout in explicatione Objecti fidei generatim, & semel monuimus.

II. *An Christus Iesus Dominus noster vocetur eam solummodo ob causam, quia nos actu, quoad corpus & animam, ab omnibus peccatis nostris liberat; an potius, quia jus & potestatẽ in nos habet, sive actu à peccatis liberemur, sive in iis obstinatè perseveremus atq; ab ipso liberari nolimus.*

An ita vocetur, quia nos actu à peccatis liberet?

Resp. Priorem ob causam hoc loco noster Dominus appellatur, quòd nimirum actu ipso nos redimat & liberet. Patet argumento contrariorum, quia Dominium hoc opponitur dominio ac potestati Satanæ, quam priùs actu in nos habuit, & exercuit. Pater itidem ex conditione Objecti, quod est homo fidelis, verè, & reipsâ liberatus per Christum à peccatis suis. Altera causa vel pertinet ad generale Dei dominium, quod est ex creatione, & jam explicata est primo articulo: vel certè est falsa causa, quatenus ex universali, & pro hominis ipsius voluntate efficaci aut inefficaci impetratione salutis, deducitur.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. trigess. quart.*

Redemtio per Christum nobis præstita, non est vera ac propriè dicta redemtio, sed metaphorica tantùm, liberationem à peccatis, eorumque pœnâ, quam ipse attulit credentibus, significans. I. *Quia de Deo in Veteri & Novo Testamento scribitur, eum redemisse populum suum ex Ægypto, Exod.* 15. v. 13. *per Mosen redemtorem, Actor.* 7. v. 36. *nullâ factâ veri precii mentione.* II. *Quia scriptum est, quòd Deus redemerit Abrahamum,* Esa. 29. v. 22. *Et Davidem,* Psalm. 31. v. 6. *sin interventu veri precii.* III *Quia nos dicimur redemti à nostris iniquitatibus,* Tit. 2. v. 14. *E vanâ conversatione,* 1. Pet. 1. v. 18. *à maledictione legis,* Galat. 3. v. 13. *quibus tamen nihil solutum est liberationis causâ.*

Responsio.

Certum est, verbum *redimendi*, & vocabula substantiva *redemtionis*, & *redemtoris*, sæpè accipi in Scripturâ pro simplici liberatione, quæ fit non expenso λύτρῳ, sive redemtionis precio. Ita Deus populum suum redemit, id est, liberavit ex Ægypto, *Exod.* 15. per Mosen redemtorem, id est, liberatorem, *Actor.* 7. Davidem redemit, id est, liberavit sæpenumero ex variis periculis

Redimere & Redemtio variè usurpantur.

Ps. 31.

*Psalm.*31. Certum & hoc, quòd significatio illa non sit propria; *Redimere* enim propriè est, solvere aliquem è vinculis, & captivitate, soluto precio: Sed impropria, & Tropica, & quidem partim Synecdochica; nam per Synecdochen speciei pro genere, Liberatio *Redemtio* appellatur: partim etiam Metaphorica, propter similitudinem eventus, sive effectus, qui analogus est in liberatione, & redemtione. Illud verò falsum, imò falsissimum est, cum de Christo ejusque redemtione sermo est, Scripturam simplicem tantùm liberationem intelligere. Contrà paulò antè ostendimus, redemtionem Christi non modò propriissimè sic dici in Scripturâ, sed etiam ab omnibus propriæ redemtionis requisitis, & κριτηρίοις, exactissimè describi, quibus nihil nunc addimus.

de Christo propriissimè.

Ad argumenta priora duo jam responsum est, quòd impertinentia sint, & nihil concludant, propter puras particulares. His, illis locis redemtio est simplex liberatio. Ergò & aliis, quibus de Christo prædicatur. Ad tertium dicimus, λύτρον solvi non omni à quo detinetur captivus. Quis vinculis, carceribus, lictoribus, custodibus, precium pendat pro liberatione captivi? Solvitur principaliter detinenti, cui ubi satisfactum est, vinculis exsolvitur, carceribus & custodibus liberatur captivus. In captivitate spirituali hominis, principaliter detinens est Deus judex ille universæ terræ, *Genes.*18.v.15.*Rom.*11.v.32. Vincula, quibus ipsum mancipavit, sunt peccata & maledictio *Rom.* 1.v.24.26.28.*Galat.* 3.v.10. Tortores, custodes, quibus tradidit ipsum, sunt Diaboli, 2 *Timoth.*2.v.26.*Matth.*5.v.25.Deo igitur λύτρον Christus persolvit, cui se obtulit inculpatum. *Hebr.* 9.v.14.& nos reconciliavit, *Apoc.*5.v.10.*Rom.*5.v.10.eoque ab irâ ipsius, à potestate Satanæ, à peccatis, nos liberavit. Nec valet *instantia*, eripi captivum, & vindicari *Apoc.*5.v.10. non per alienationem sed per reconciliationem, *Rom.*5.v.10. Quemadmodum subditi rebelles, & ob rebellionem ad carceres, metalla, triremes damnati, redimuntur, non ut subducantur principis imperio, sed ut in gratiam ipsius restituantur.

Refellitur arg. 3. Socinianorum.

QUÆST. XXXV. Quid credis, cum dicis, conceptus est per Spiritum Sanctum, natus ex Maria virgine?

RESP. *Quod ipse Filius Dei, qui est & permanet verus ac*

æternus

æternus Deus, naturam verè humanam ex carne & sanguine virginis Mariæ, operatione Spiritus Sancti assumsit, ut simul sit verum semen Davidis, fratribus suis per omnia similis, excepto peccato.

EXEGESIS.

EGimus huc usque, ex articulo secundo Symboli Apostolici, de nominibus Jesu Christi, Filii Dei unigeniti, & Domini nostri; quibus tum Deitas ipsius, tum etiam officium mediatorium indicatur & explicatur. Sequitur nunc *Incarnatio*, ἐνσάρκωσις, sive ἐνανθρώπωσις Filii Dei; quæ articulo tertio, in conceptione ipsius ac nativitate, distinctè proponitur Et conceptio quidem facta dicitur ex Spiritu Sancto Matth. 1. v. 20. *Quod in eâ genitum est, ex Spiritu Sancto est*; Non materialiter, quasi ex essentiâ Spiritus Sancti conceptus fuerit; sed efficienter, quia efficaci, & omnipotente ejus virtute est productus, ut *Ex*, idem sit quod *A*, vel *Per*. In quâ significatione eadem propositio accipitur *Iohan*. 1. v. 13. *cap*. 3. v. 5. 6. *Rom*. 11. v. 36. 1. *Cor*. 8. v. 6. 1. *Iohan*. 3. v. 9. Nativitas verò ex Mariâ virgine non eò intelligenda est, quasi ipsa præter gestationem & partum nihil præstiterit filio Dei; siquidem non modò *in eâ*, *Matt*. 1 v. 20. sed etiam *ex eâ* genitus, v. 16. factus, *Gal*. 4. v. 4. dicitur: Verùm quod filius Dei naturam humanam ex substantiâ virginis Mariæ assumserit, ab eâ justo tempore gestatus, tandemque partu ejus in lucem editus fuerit, juxta vaticinium Esaiæ in ipsâ completum; *Virgo concipiet, & pariet filium Matth*. 1. v. 23. Quæ omnia in ipsâ responsione dilucidè explicantur, in quâ doctrina de incarnatione filii Dei, membris sex distinguitur & pertractatur, videlicet Subjecto recipiente, Objecto, Materiâ, Causâ efficiente, Formali, & Finali.

Incarnatio Christi. circa eam considerandа.

Subjectum recipiens est ipse filius Dei, unigenitus ille à patre, *Iohan*. 1. v. 14. quem pater ab æterno genuit per communicationem essentiæ *Psalm*. 2. v. 7. *Iohan*. 5. v. 26. Nam in plenitudine temporis emisit Deus filium suum, factum ex muliere *Galat*. 4. v. 4. Et filius missus venit in carnẽ, 1. *Ioh*. 4. v. 20. ortus ex semine Davidis, *Rom*. 1. v. 3. & factus caro *Iohan*. 1. v. 14. Quo veritas dicto fieret, *filius datus est nobis Esa* 9. v. 6. Etsi enim Patris, Filii, & Spiritus Sancti, una est, & indivisa essentia, non tamen vel Pater, vel Spiritus Sanctus, sed solus Filius dicitur incarnatus. Etenim sicut ipse propter

I. Subjectum recipiens Filius Dei, non pater vel Sp. S.

pter incommunicabilem ſubſiſtentiam alius eſt à Patre, & Spir. S. *Ioh.*5.v.32.& *cap.*14.v.16.ita quoque incarnari potuit illis non incarnatis: tū non ſimpliciter natura divina,ſed natura divina determinata in Filio,i d eſt,ὑπόστασις,ſeu perſona Filii,incarnata eſt.Deſcribitur autem Filius Dei à tribus attributis. I. Quòd ſit verus Deus, ſive naturâ Deus, *Galat.*4.v.8.cui non titulo tenus, 1.*Cor.* 8. v.5.6. vel propter poteſtatem officii; ſed propter naturæ divinæ veritatem id nomen competit,ſecundum illud Johannis 1.Epiſt. 5. v.20.*Sumus in verace illo, in filio ejus Ieſu Christo: Hic eſt verus ille Deus.* II. Quòd etiam ſit æternus Deus, qui non eſt factus,vel ante tempora, vel in tempore, quâcunq; ratione; ſed qui ab æterno genitus eſt,*Proverb.*8.v.20.*ſeqq. Mich.*5.v.2. quâ de causâ ſpiritus æternus appellatur *Heb.*9.v.14. III. Quòd denique talis ſit & permaneat immutabiliter, cujus vera ac æterna Deitas nec mutatur in naturam humanam, nec ullo pacto cum eâ confunditur, aut miſcetur,ut eſt Heb.1.v.10. *Tu permanes,tu idem es,& anni tui non deficient.* Et Jacob. 1.v.17. *Apud patrem luminum non eſt obtenebratio, aut converſionis obumbratio.* Ideoque etiam poſt incarnationem, natura divina filii Dei ab humanitate ejus καὶ ἀντίθεσιν diſtinguitur *Rom.*1.v.2.3.4. 2.*Cor.*13.v.4. 1.*Pet.*3.v.18. & *cap.*4.v.1.

II.Objectum, natura humana:

Objectum eſt natura verè humana. I. Dicitur natura humana, non homo, aut perſona humana. Cur? Quia non perſona perſonam,ſed perſona naturam aſſumſit. Λόγος, ſive Filius Dei factus eſt caro, *Iohan.*1.v.14. aſſumſit ſemen Abrahæ *Hebr.*2.v.14. At illa ſunt nomina naturæ, quam ſynecdochicè & materialiter ſignificant. Factus quoque ſimilis hominibus, *Phil.*2.v.7.fratribus ſuis *Hebr.*2.v.17. Non homini, fratri, eandem ob cauſam; quia aſſumſit quod omnibus commune, non quod cuique proprium eſt. Natura eſt omnibus communis, ut quæ in omnibus eadem eſt: ὑπόστασις verò ſua cuique propria, quâ unus ab altero diſtinguitur.II:Dicitur natura verè humana, non quæ videtur, aut habetur talis, κατὰ δόκησιν, καὶ φαντασίαν, ſed quæ revera talis eſt,ut loquitur Eſaias c.53.v.4.*Verè tulit noſtros languores.* Veritas illa naturæ humanæ in Chriſto ex partibus eſſentialibus, & integralibus, nec non ex earundem proprietatibus, & operationibus deprehenditur:quippe conſtat, animâ,*Mat.*26.v.38.*Luc.*23. v.46.*Iohan.* 10.v.17. & corpore, *Heb.* 10.v.5. *Iohan.*2.v.22.& *cap.* 19.v.38. habet carnem & oſſa, *Luc.*24.v.39. caput, *Matt.*8.v.20.

Manus

Manus, pedes,digitos,latus,& reliqua membra: *Ioh.*20.v.27. Eſt intelligens,*Luc.*2.v.42.52.volens,*Matth.*23.v 38.& *cap.*26.v.39. viſibilis,palpabilis,ſitu & interſtitio partium diſtincta *Luc.* 24.*v.* 39.*Iohan.*20.v.27. 1.*Iohan.*1.v.1. Operationes etiam & effecta, quæ in hiſtoriâ Chriſti magno numero deſcribuntur, veritatem naturæ humanæ luculentiſſimè comprobant. Poſtremò vel maximè huc facit,quòd opinionem phantaſmatici ac ſpiritualis corporis ipſe à ſe removit, & facto ipſo confutavit,tum ante reſurrectionem, cùm inambularet aquis *Matth.* 14.v.25.26. 27. *Marc.* 7.v. 49.50. tum poſt eam, cum ſe, redivivum à mortuis, diſcipulis oſtenderet *Luc.*24.v.37.38.39. *Ioh.* 20.v.19.20.

Materia eſt caro & ſanguis virginis Mariæ,ex quâ humana Chriſti natura formata eſt, & per quam ipſe particeps factus eſt carnis & ſanguinis *Hebr.*2.v.13.14. In communi generatione,procreandis hominibus materiam conferunt Vir & Mulier, ex inſtitutione Dei,*Geneſ.*1.2.*capp.*ſed in incarnatione filii DEI ſola mulier eam ſubminiſtravit: juxta dicta Galat.4.v.4.*Emiſit Deus filium ſuum factum ex muliere.*Et Rom.1.v.3.*Ortus ex ſemine Davidis ſecundùm carnē*,ſcilicet mediante ſolâ muliere: ſicut ipſe ſemen mulieris, *Geneſ.* 3.v.15. fructus ventris ejus, *Luc.*1.v.42. & quoad carnem ἀπάτωρ nominatur *Heb.*7.v.3.Qui matrem tantùm habuit carnis ſuæ,non etiam patrem *Heb.*12.v.9.Nam animam, quæ immortalis eſt, non ex carne & ſanguine materno progenitam,ſed divinitus à patre illo ſpirituum, *Heb.* 12. v. 9.ei infuſam eſſe,piè & convenienter Scripturis creditur. Porrò mulier illa gemino adjuncto notatur: uno nominis, quòd fuerit *Maria*, cujus originem ad Davidē Euangeliſtæ referunt,Matthæus *cap.*1.Lucas *cap.*3.Altero ſtatus;quòd fuerit *virgo*, quæ virum non cognoverat *Luc.*1.v.34.Nam prædixerat Eſaias,*cap* 7.v.14. virginem concepturam,& pariturā filium Immanuelem,quod in ipsâ completum fuiſſe docet Matthæus *cap.*1.v.23. III. Materia, caro & ſanguis Virginis Mariæ.

Cauſa efficiens eſt Spiritus Sanctus, qui efficaci virtute ſuâ, & immediatâ operatione, humanam Chriſti naturam ex carne & ſanguine virginis Mariæ produxit & efformavit; de quâ ita Angelus ad Mariam *Luc.*1.v.35.*Spiritus Sanctus ſuperveniet in te,& virtus Altiſsimi inumbrabit te,propterea etiam quod ex te naſcetur Sanctum, vocabitur filius Dei.* Hâc operatione qui Spiritum Sanctum vices viri impleviſſe, & opus ejus peregiſſe vovâ audaciâ contendunt, ut impiè ſentiunt, ita blaſphemè loquuntur: *Inumbratio* Mariæ IV.Efficiens, Spiritus S.

non fuit actio physica, sed hyperphysica, & planè divina, quæ cum actione viri ne genere quidem convenit. Actio viri generantis impura est, inquinata peccato, & medium propagandi peccatum *Iohan*.3.v.6. Quam igitur analogiam, & communionem habet cum eâ actione, quâ semen ab omni peccato expurgatur, & ex eo genitus peccati omnis expers procreatur? In generatione hominis vir non tantùm se habet ut principium activum; sed etiam ut materiale. An ergo Spiritus Sanctus materiam quoque ex se contulit formandæ naturæ humanæ? Quod si etiam generatio naturalis, & regeneratio supernaturalis per Spiritum Sanctum, in Scripturâ opponuntur. *Iohan*.1.v.13. *& alibi*, quo jure aut specie rationis conceptionem Christi ex Spiritu Sancto, & conceptionem nudi hominis ex mare & fœminâ, ipsi inter se componunt, & invicem declarant? Cæterum in hâc conceptione actus tres Spiritus Sancti miraculosè operantis notare & distinguere licet, ex ipsâ Scripturâ. Unus est *formatio naturæ humanæ* ex substantia virginis, & in ejus utero, sine semine virili; atque ita præter ordinem rerum à Deo in naturâ institutum. Luc. 1. v. 35. *Virtus altißimi inumbrabit te*, &c. Alter est *sanctificatio naturæ humanæ*, quâ effecit Spiritus Sanctus, ut illa in ipso conceptionis momento, ab omni labe originali, (quæ, ut in cæteris sanctis omnibus, sic & in Mariâ reliqua mansit,) segregata & purgata fuerit, Luc. 1. v.35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, propterea nascetur ex te sanctum.* Tertius est *unitio*, quâ Spiritus Sanctus humanam naturam univit filio Dei in unâ personâ Hebr. 10. v. 5. *corpus adaptasti mihi*. sc. per Spiritum Sanctum, ut est *Luc*.1. v.35.

Cujus actus tres

V. Forma, Assumtio Humanæ naturæ.

Forma est assumtio humanæ naturæ, quæ vocabulis synonymis ἐπίληψις, *Heb*. 2. v. 16. μετοχὴ σαρκὸς καὶ αἵματος, v.14. λαβὴ τῆς μορφῆς δούλου, *Phil*.2.v.7. vocatur. Siquidem filius Dei in tempore assumsit semen Abrahæ; accepit formam servi, & assumendo, accipiendo, particeps factus est carnis & sanguinis *Heb*. 2. v. 14. 16. *Phil*.2.v.7. Assumsit verò eam non in naturam divinam absolutè; sic enim humana natura unum esset cum Deo essentialiter, & tres Deitatis personæ quibus illa communis est, simul essent incarnatæ: sed assumsit eam in suam ὑπόστασιν, *Phil*.2.v.6.7 hoc est, ita ut humanam naturam propriâ hypostasi destitutam, in suâ hypostasi sibi univerit, & factus ei sit hypostasis, extra quam nec subsistit unquam, nec subsistere vel momento posset. Hinc est quod tota ple-

in hypostasin τοῦ λόγου.

plenitudo Deitatis habitat in ipsâ σωματικῶς, id est, personaliter *Coloss.* 2. v. 9. Et ipsa vicissim est propria caro, proprius sanguis Filii Dei, *Iohan* 6. v. 54. 55. *Actor.* 20. v. 28. 1. *Iohan.* 1. v. 7. Patres concilii Chalcedonensis, & qui eos secuti sunt, modum assumtionis, & unionis quinque epithetis expresserunt, & definiverunt contra hæreticos, quòd ἀτρέπτως, ἀχωρίςως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, καὶ οὐσιωδῶς facta sit. Ἀτρέπτως, sine omni conversione, vel λόγου in carnem, vel carnis in λόγον. Ἀχωρίςως, sine omni separatione naturarum, quâ distrahatur unitas personę, & duæ personæ constituantur. Ἀσυγχύτως, sine omni confusione vel duarum naturarum, vel proprietatum earundem. Ἀδιαιρέτως sine omni divisione. Οὐσιωδῶς denique, quia duæ Christi naturæ sunt veræ substantiæ, verè & substantialiter inter se unitæ, non autem accidentaliter.

Finis duplex est: *Prior*, complementum promissionis Davidi factæ, quod Christus ex ipsius semine homo nasciturus esset, 2. *Sam.* 7. v. 14. *seqq.* *Psalm.* 132. v. 11. *Actor.* 2. v. 30. quam præstitit Deus, filio suo ex Mariâ, quæ semen Davidis erat, *Rom.* 1. v. 3. *Luc.* 3. in carne exhibito *Galat.* 4. v. 4. *Alter*, similitudo cum fratribus per omnia, non solùm in naturâ, ejusque proprietatibus: sed etiam in infirmitatibus, tentationibus, variisque passionibus, absq; tamen peccato. De quâ est *Rom* 8. v. 3. *Phil.* 2. v. 7. 8. *Hebr.* 2. v. 17. & *cap.* 4. v. 15. Et opus erat tali similitudine, partim propter veritatem naturæ humanæ, partim etiam ad nostram consolationem, ut misericors esset, & fidelis Pontifex, qui possit affici sensu calamitatum nostrarum *Heb.* 2. v. 17. & *cap.* 4. v. 15.

VI. Finis complementum promissionis.

Similitudo cum fratribus.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. trigesi. quintam.*

Christus Iesus est verus homo; est etiam divinus homo propter conceptionẽ ex Spiritu Sancto, & alias ob causas: sed naturam divinam nequaquam habet. Nam id non solum rationi sanæ, verum etiam Scripturæ repugnat. Rationi; *quia duæ substantiæ, proprietatibus adversæ, coire in unã personam nequeunt; ut sunt, mortalẽ & immortalem esse; principium habere, & principio carere: mutabilem, & immutabilẽ exsistere. Deinde duæ naturæ, personam singulæ constituentes, in unam personam convenire itidem nequeunt. Nam loco unius duas personas esse oporteret, atque ita duos Christos, quem*

 tamen

tamen unum tantùm esse, omnes citra controversiam agnoscunt. Scripturæ *quoque* : I. *Quia ea nobis unum tantùm naturâ Deum proponit, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi.* II. *Quia testatur Iesum Christum naturâ esse hominem, quo ipso illi naturam divinam adimit.* III. *Quia quicquid divinum Christus habet, eum patris dono habere, ipsa apertè docet.* Matt.28.v.19.Phil.2.v.9.1.Corin.15.v.17. IV. *Denique, cum Scriptura apertissimè ostendat, Iesum Christum omnia sua facta divina, non sibi, nec alicui naturæ suæ divinæ, sed Patri suo vendicare solitum fuisse,* Joh. 5.v.19.& cap.10.v.25. *planum facit, divinam in Christo naturam prorsus otiosam, ac sine omni causâ futuram fuisse.*

Responsio.

De Divinâ natura Christi.

Scriptura vocat Christum Immanuelem, Hominem-Deum, *Matth.*1.v.23.Deum manifestatum in carne, 1.*Tim.*3.v.16.Hominem divinum nuspiam dicit, neque propter conceptionem, neque aliam ob causam. Naturam divinam, quam nos supra multis locis Christo vindicavimus, frustrà ei adimere conantur rationis aut Scripturæ obtentu. *Ratio* nihil videt, aut valet, in hoc capite doctrinæ, quod Apostolus magnum pietatis mysterium nuncupat 1. *Tim.*3.v.16. Et falsum est principium Socinianorum, nihil credendum quod rationi repugnat. Fides est ἔλεγχος eorum quæ non videntur, *Heb.* 11.v.1. Sapientia carnis inimicitia est adversus Deum, *Rom.*8.v.7. Stultitia ei sunt omnia Dei mysteria, 1.*Cor.* 2.v.14. & captivandus est omnis intellectus in obsequium Christi 2. *Corinth.* 10.v.5. *Scriptura* verò adeò non derogat Christo naturam divinam, ut vix aliquid evidentius adstruat, quemadmodum jam diversimodè ostensum est. Nihilominus utriusque generis & ordinis argumenta perstringemus.

Ratio non potest judicare;

Scriptura eam adstruit.

Refutantur rat. prima.

Ex ratione primò objicitur, quòd substantiæ, proprietatibus adversæ, coire nequeant in unam personam. Id si ita est, nè quidem anima & corpus uniri possunt in unam personam, quia corpus mortale est, anima immortalis. Sed manifestè petunt principium, & Scripturæ contradicunt. Quod ipsi negant fieri posse, docet Scriptura factum esse. Deus immortalis, 1.*Tim.*6.v.16. assumsit carnem mortalem, *Ioh.*1.v.14. *Hebr.*2.v.14 in qua pateretur 1.*Pet.*3.v.18. Cujus exortus est à diebus seculi, qui jam erat in principio omnium rerum, is in tempore natus est Bethlehemi, & caro factus *Mich.*5.v.2. *Iohan.*1.v.1.3.14. Qui idem est & permanet,

manet, *Hebr.* 1.v. 10. carnis variis mutationibus obnoxiæ, particeps rat. secunda.
factus est *cap.* 2.v.14.& *cap.* 5.v.7. *Deinde* objicitur duas naturas, quarum singulæ constituunt personam, in unam personam convenire non posse. At sciendum est, quòd humana Christi natura, ut ut singularissima sit, personam tamen non constituat. Neque enim per se, subsistit seorsim aut separatim à λόγῳ, sed ei facta est ἐνυπόστατος, & in ipso subsistit: Natura intelligens, & singularis, quæ non trahitur ad subsistentiam alterius, personam facit: contrarium verò, de humanâ Christi naturâ, antè probatum est.

Ex scripturâ quatuor opponunt. I. unum tantùm esse naturâ Deum, scilicet Patrem Jesu Christi. Sed Christus dicitur unum cum Patre, hoc est, quoad essentiam unus cum ipso Deus *Ioh.* 10. v.30. 1. *Iohan.* 5.v.7. Non igitur Patris mentione à Deitate excluditur. II. Jesum esse naturâ hominem: Ergo non Deum. Quod valet extra unionem, ubi Deus & homo sunt disparatæ hypostases; in unione falsum est, quia idem suppositum Deus & homo appellatur, sed καὶ ἄλλο, καὶ ἄλλο *Rom.* 1.v.2.3.& *cap.* 9.v.5. III. Quicquid divinum habet, habet Patris dono; sed dono voluntario, quod officii est, *Matt.* 28. *Phil.* 2. Dono naturali, quod est personæ, *Iohan.* 5. v.26. *Sicut Pater habet vitam in se ipso: ita dedit filio habere vitam in se ipso.* Quanquam satiùs videtur abstinere ab usu illius vocabuli, quia donum ferè voluntarium ac gratuitum χάρισμα significat. IV. Quòd omnia ad Patrem referat. Ita est; sed non eâdem de causâ ad ipsum omnia refert. Vel enim ideò, quia pater fons est & principium Deitatis Filii & Spiritus Sancti: vel quia ipse exinanitus in assumtâ carne, patre minor factus est. Posterius est voluntariæ œconomiæ, & dispensationis. Prius autem Deitatem ipsius confirmat. Nam quia essentiam divinam accepit à Patre, meritò quoque opera divina ad ipsum, ceu primum eorum principium, revocat. Insuper sua omnia ita tribuit Patri, ut tamen sese ei æqualem faciat, & reverâ esse luculenter ostendat. *Ioh.* 5.v.19. *seqq.*

Objectiones ex Scriptura: prima. — secunda. — tertia. — quarta.

QUÆST. XXXVI. Quem fructum percipis ex sanctâ conceptione, & nativitate Christi?

RESP. *Quod is noster sit mediator, & suâ innocentiâ, ac perfectâ sanctitate, mea peccata, in quibus conceptus sum, tegat, ne in conspectum Dei veniant.*

EXE-

EXEGESIS.

Fructus Sanctæ conceptionis Christi confirmatio fidei.

SUperest fructus sanctæ conceptionis & nativitatis Christi, isque duplex. *Vnus* est confirmatio fidei nostræ, quòd Christus sit promissus ille Messias, ac Mediator. Is enim noster Mediator est, qui est verus ille Immanuel, conceptus & natus ex virgine secundum vaticinium Esaiæ *cap*.7. v.14. Sed Christus est verus ille Immanuel,&c.testimonio Matthæi *cap*.1.v.23. Patet igitur Christum esse nostrum mediatorem. Atque hoc est, quod Apostolus disertè confirmat 1.Tim.2.v.5.*Vnus Mediator Dei & hominum,homo Iesus Christus*. *Alter* est sanctificatio nostræ immundæ conceptionis, & impuræ nativitatis. Nos concepti sumus in peccatis *Psalm*. 51.v.7.sumus transgressores ab utero, *Esa*.48.v.8.& filii iræ naturâ. *Eph*.2.v.3. Christus igitur absque peccato concipi ac nasci voluit, & debuit, quo ita non minus hoc, quam cætera peccata nostra sanctâ victimâ corporis, *Iohan*. 17.v 19. & precio innocui sanguinis sui expiare posset 1.*Petr*.1.v.19. Talis enim nos decebat pontifex, sanctus, impollutus segregatus à peccatoribus; *Hebr*.7. *vers*. 26.

Sanctificatio immundæ conceptionis nostræ.

Considerationes Catechetica Novatorum, *ad quæst.& resp.trigesi.sextam.*

An Scriptura alicubi sanctâ conceptione Christi nostram conceptionem sanctificari asserat?

I. *Quis Scripturæ locus, vel quæ ratio inde desumta probet Iesum Christum innocentiâ suâ, & perfecta sanctitate, (in quâ nimirum conceptus, & natus sit, uti habet hæc interrogatio) peccata nostra, in quibus concipimur & nascimur, in conspectu Dei tegere: an nullus eorum locorum quæ in margine notantur, id adstruat, & quis?*

Resp. Tum loca in margine notata, *Hebr*.7.v.26. *Apoc*.1.v.5. tum plura alia, 1. *Pet*.3.v.18. *Ioh*.17.v.19. *Esai*.53.v.11. id manifestè probant. Nam quorsum oportuit Christum sancto & immaculato conceptu nasci,ac edi, nisi ut esset sanctus Sacerdos, & sancta victima ad expiationem peccati originalis, & cæterorum peccatorum *Luc*.1.v.35.*Heb*.7.v 36. 1.*Pet*. 1.v.19. Horsum ergo si prodest sanctitas conceptionis Christi, frustra Consideratores carpunt phrasin Catecheseos, aut etiam ulteriorem sententiæ ejus probationem requirunt.

II. *An rectè dicatur pluraliter, nos esse conceptos in peccatis.* — An concepti simus in *peccatis.*

Resp. Considerationi huic responsum & satisfactum est ad considerationem secundam septimæ quæstionis; quæ inspiciatur.

QUÆST. XXXVII. Quid credis cum dicis *passus est?*

RESP. *Eum toto quidem vitæ suæ tempore quo in terris egit, præcipuè verò in ejus extremo, iram Dei adversus peccatum universi generis humani corpore & animâ sustinuisse, ut suâ passione, tanquam unico sacrificio propitiatorio, corpus & animam nostram ab æternâ damnatione liberaret, & nobis gratiam Dei, justitiam, & vitam æternam, acquireret.*

EXEGESIS.

PErsonæ Christi subsistentis in duabus naturis, divinâ & humanâ, prout quæstione XXXV. declaratum fuit, duplex est status: Exinanitionis & Exaltationis, *Phil.* 2. v. 7. 8. 9. 10. *Luc.* 24. v. 26. exsequendo officio ejus mediatorio singulariter accommodatus. Uterque suis quibusdam gradibus in symbolo distinguitur. Et prioris quidem gradus quinque ordine enumerantur; Passio, Crucifixio, Mors, Sepultura, & Descensus ad inferos.

De Passione hîc quæritur: de quâ id notandum, voce *Passus est* per synedochen intelligi postremum illum actum passionis Christi, qui post institutam & celebratam cœnam, in horto Gethsemane, inchoatus, usque ad crucifixionem ejus extenditur. Passio siquidem hæc in symbolo non tantum à crucifixione & morte distinguitur: sed etiam ad ea restringitur, quæ sub Pontio Pilato, tanquam judice politico, passus fuit. Rectè tamen Catechesis etiam antecedentes passiones hoc verbo complectitur: tum quia in historiâ Christi diligenter annotatæ sunt; tum etiam quia ad idem pretium redemtionis pertinent. — Passio Christi describitur

Primò igitur declarat passiones Christi ab adjuncto temporis, per distributionem, quæ collatione imparium amplificatur. Passus est *toto quidem vitæ suæ tempore, præcipuè verò in ejus extremo.* Nam — à tempore.

 alias

alias passiones toleravit ante extremum vitæ suæ actum, alias in ipso actu extremo pertulit. *Prioris* generis sunt, Paupertas longè maxima, *Matt.*8.v.20.2.*Corinth.*8.v.9. Pericula innumera, quibus perpetuo fuit obnoxius; & propter quæ tum infans abductus est in exilium, *Matth.*2.v.14.15. tum furori hostium sæpè ad tempus cessit, *Marc.*3.v.6.7.*Iohan.*7.v.1. *& cap.*11.v.53.54. vel etiam mirabiliter se subtraxit; *Ioh.*8.v.59.*Luc.*4.v.29.30. Præterea, infirmitates corporis *Matt.*4.v.2.& *cap.*21.v.18. *Iohan.*4.v.6.7. & *cap.* 11.v.35. tentationes Satanæ, *Matth.*4.v.1.*Luc.*4.v.13. perturbatio animæ, *Iohan.*12.v.27. multiplex ignominia à popularibus atque etiam fratribus ipsi illata, *Matth.*11.v.18.& *cap.*12.v.24. *Marc.*6. v.3.4.*Iohan.*4.v.48. & quæ aliæ sunt formæ malorum, quibus ipse penè continuè afflictus & divexatus fuit. *Posterioris* generis sunt passiones illæ, quas partim in horto, partim in aulâ Pontificis, palatio Herodis, & prætorio Pilati sustinuit, quæ à quatuor Euangelistis prolixè narrantur *Matt.*26.27.*Marc.*14.15.*Luc.*22.23.*Ioh.*13. 18.19.*capp.* Suntque multò graviores, & atrociores prioribus; quarum solâ etiam recordatione Christus cohorruit; ut est *Iohan.* 12. v.27.& deinceps ostendetur.

totius vitæ suæ.

in extremo ejus.

ab objecto Iræ Dei.

Secundo indicat Objectum, quid passus sit Christus; nimirum iram Dei, id est, pœnas à Deo irato inflictas; metonymiâ causæ pro effecto usitatâ Scripturæ, *Rom.*1.v.18.*Ephe.*5.v.6. siquidem torcular iræ Dei ipse solus calcavit, *Esa.*63.v.3. factus peccatum, 2.*Corint.*5.v.21.& maledictio *Galat.* 3.v.13. Quod illustratur & amplificatur ex causâ impulsivâ externâ, quæ sunt peccata universi generis humani, quibus ira illa provocata, & concitata fuit *Rom.*1.v.18. Non incubuit Christo ira Dei propter sua quædam peccata, nam expers fuit omnis peccati, 1.*Pet.*2.v.22.*Ioh.*8.v.46. nullius sibi conscius 2.*Cor.*5.v.21. Incubuit autem propter peccata aliena, *Psal.*65.v.5. videlicet generis humani, quæ Pater ipsi imposuit, *Esa.*53.v.6. & ipse voluntariâ sponsione suscepit, *Hebr.*10. v.5. tanquam agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi *Iohan.* 1. v.29. Non aliter ergò sustinuit iram Dei quàm sponsor noster: *Hebr.*7 v.22. nec iratus ei fuit Deus, nisi quatenus sponsor noster fuit *Esa.*53.v.6. Quâ Filius erat, Pater tenerrimè & constantissimè ipsum dilexit *Matt.*3.v.17.*Eph.*1.v.5.

à subjecto

Tertio loco commemorat Subjectum recipiens, distributione è partibus integrantibus humanæ naturæ. Equidem passus est

est totus Christus, passus est Filius Dei, ipse Deus, & Dominus gloriæ: argumento locorum *Iohan.*3. vers. 16. *Actor.* 20. v. 28. 1. *Cor.*2. v. 8. 1. *Ioh.* 1. v. 7. Sed non passus est totaliter; nec passus quâ filius Dei, Deus aut Dominus gloriæ; quia πάθος passionis supposito, sive personæ Christi, non absolutè, sed restrictivè & secundum quid, tribuitur: & cum absolutè videtur attribui, synedochicè tamen intelligendum est, juxta explicationem Scripturæ 1. *Petr.*4 v. 1. *Christus passus est pro nobis carne*; & *cap.*6. v. 16. Humana verò natura in unitatem ὑποστάσεως assumta à λόγῳ, & unâ indivisâ ὑποστάσει in & cum ea subsistens, est subjectum passionum secundum animam & corpus; quemadmodum hoc loco, filius Dei iram Dei animâ & corpore sustinuisse dicitur. Nam quoad *animam* perpessus est gravissimos, & horrendos planè cruciatus, ortus ex sensu iræ divinæ, & metu abjectionis æternæ *Matth.*26. v. 38. *Psalm* 22. v. 2. 15. *Hebr.*5. v. 7. De quibus articulo de descensu Christi ad inferos ex professo. *Corpore* autem quę quantaque perpessus fuerit; locuples testis est historia Euangelica, externas Christi passiones longâ narrationis serie referens. De quibus etiã Petrus loquitur 1. Epist. 2. v. 24. *Christus peccata nostra tulit in corpore suo super lignum*; Et David vaticinatus est Psa. 22. v. 17. 18. *Foderunt manus meas & pedes meos*; *enumerare possem omnia ossa mea.* Dum igitur carni, sanguini, & morti Christi, hoc est, corporalibus ejus pasionibus tota salus nostra adscribitur, non fit illud exclusivè, quasi pasiones spirituales animæ eò non pertineant sed inclusivè per synecdochen membri, pro integro. Et ideò fit, tum quia pasiones corporis externæ sunt, in oculos incurrentes, quas rudiores & infirmi facilius percipiunt; tum quia in sanguinis effusione, & morte corporis, certius deprehendi potuit veritas corporis Christi, & veritas pasionis ipsius, ne κατὰ δόκησιν vel corpus assumsisse, vel in eo passus, mortuus fuisse, censeri posset; tum denique, quia evidentius cernitur veritas & complementum, sanguinis, & mortis pecudum in Veteri Testamento mactatarum velut figurarum sacrificii Christi. Obiter etiam hoc loco explicanda est phrasis Augustini *epist.*58. *ad Dardanum*, quod ad solam carnem passio Christi pertineat, sive quod sola ejus humanitas passa sit; quam Ubiquetarii in Neotericis quibusdam scriptoribus tanquam Nestorianismo affinem exagitant. Latet autẽ æquivocatio in vocabulo *sola*, quæ aliàs στερητικῶς, aliàs ἀποφαντικῶς usur-

Humana natura.

secundum animam & corpus.

Cur corpori potissimum adscribatur passio.

Vindicatur dictum Augistini.

usurpatur. Στερητικῶς, sola humanitas; separata videlicet ab hypostosi τοῦ λόγου, passa non est, ut quæ separatim à λόγῳ non exsistit: sed ἀποφατικῶς rectè dicitur passa sola, ὁ λόγος, sive Christus, non in utrâque naturâ, in quibus subsistit, sed in alterâ humana, & quidem solâ, passus est.

à fine: Liberatione corporis & animæ nostræ.

Quartò & ultimò, recenset duplicem finem passionum Christi, quorum *prior* est liberatio corporis & animæ nostræ ab æternâ damnatione; quam sui corporis suæque animæ passione, tanquam unico sacrificio propitiatorio, nobis peperit; secundum Scripturam *Heb*.9.v.12.& *cap*.c.2.v.13.14.*Coloss*.1.v.13.1.*Corinth*.6.v.20. *Luc*. 1.v.71.74. *Posterior*, isque tripartitus, est acquisitio gratiæ, justitiæ, & vitæ æternæ: siquidem eâdem passione Christus, & gratiam Dei nobis reconciliavit, qui hostes, inimici ipsius eramus, *Rom*.5.v.2. *Iohan*. 1.v.17.& justitiam impetravit, quam Deus gratis propter Christum nobis donat, & imputat, *Rom*.5.v.19.2.*Cor*. 5.v.21. & vitam æternam promeruit *Iohan*.3 v.15.16.*cap* 6.v.51. *Iohan* 4.v.9. Atque hi sunt fines principales passionum Christi; præter quos etiam alii, minus principales, in Scripturâ inveniuntur, tam Christi, quam fidelium respectu. *Illius* respectu, ut ipse per passiones introiret in gloriam, & in principem salutis consecraretur *Luc*.24.v.24. *Hebr*.2.v.10. *Horum* respectu, ut compati sciret ipsorum infirmitatibus, tentatus in omnibus similiter, excepto peccato, *Hebr*.2.v.18.& *cap*.4. 15. tum etiam ut ipsis relinqueret exemplum obedientiæ, quod imitarentur in patiendo pro veritate & justitiâ Dei 1.*Pet*.2.v.21.

Acquisatione gratiæ, justitiæ, vitæ æternæ.

Considerationes Catecheticæ Novatorum, *ad quæst.& resp.trigesʃ.septimam.*

An Passio extendatur ad totum vitæ Christi tempus?

I. *An verisimile sit, ullo modo vocem* passus est *complecti omnem passionem, quam toco vitæ suæ tempore Dominus Iesus Christus sustinuit, & unde hoc probari possit: an nonnulla ad marginem notata loca id inferant, & quænam ea sint, & quomodo Passio tum rectè in symbolo restringatur ad eo quæ Christus sub Pontio Pilato passus est.*

Resp. Non verisimile modò, sed certum est, vocabulo *passionis* omnem Christi passionem aliquando significari in Scripturâ. Fidem faciunt hæc & similia loca: *Hebr* 2.18.*Ex iis quæ passus fuit, cum tentatus est, potest & iis, qui tentantur, succurrere*: Confer *cap* 4. v.15.

v. 15. Sic 1. *Petr.* 2. v. 21. *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplar, ut subsequeremini vestigia ipsius.* Quòd si in decalogo sub uno verbo aut nomine comprehenduntur quæ ad integrum aliquod præceptum pertinent, quid mirum si in symbolo idem fiat? quod non minus est ἐπιτομὴ credendorum, quam Decalogus faciendorum. Nec obstat restrictio sive limitatio passionum Christi ad personam Pilati: Neque enim adhibita est excludendis antecedaneis Christi passionibus; sed designandis iis, quæ inter omnes fuerunt præcipuæ, & quasi colophon reliquarum. De quibus etiam Euangelistæ loquuntur; Matthæus *cap.* 17. v. 21. Marcus *cap.* 8. v. 31. Lucas, *cap.* 22. v. 15. & *cap.* 24. v. 26. 46.

II. *Quandoquidem hîc iterum expressè dicitur, Christum eo fine passum esse, ut suâ passione, tanquam unico sacrificio propitiatorio, corpus & animam nostram ab æternâ damnatione liberaret, nobisque gratiam Dei, justitiam, & vitam æternam acquireret; considerandum venit, an non & activâ suâ justitiâ, vel obedientiâ vitæ, Christus nos Deo reconciliaverit, & nobis Dei gratiam, &c. acquisiverit, vel hoc tantum perfecerit justitiâ passionis & mortis.* An Christus quoque activâ justitiâ nos redemerit?

Resp. Iterum verò opponunt Novatores, quæ Scriptura componit, & inter se subordinat; Obedientiam sanctæ vitæ, obedientiam passionis & mortis Christi. *Talis nos decebat Pontifex, sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus; cui non sit quotidiè necesse, quemadmodum illis pontificibus, priùs pro peccatis propriis, indè pro peccatis populi victimas offerre Heb.* 7. v. 26. Ergò nec passio sine sanctitate, nec sanctitas sine passione, esse potuit sacrificium propitiatorium pro peccatis nostris; sed utrâque opus fuit, ne esset sanctus sacerdos, & sancta victima. Quâ de re infrà pluribus.

III. *Cum supra, responsionibus* XIV. & XVII. *dictum sit, Christum iram Dei sustinuisse; ut pro peccatis satisfaceret, & hic repetatur ipsum iram Dei sustinuisse adversus peccata universi generis humani; quæritur an non hinc firmißimè concludi poßit, quòd pro peccatis universi generis humani, ac per consequens non pro electorum tantùm peccatis, satisfecerit.* An Christus universi generis humani peccata expiarit.

Resp. Illa illatio est valdè infirma: imo prorsus deficit ob fallaciam æquivocationis. Universum genus humanum non sunt omnes & singuli homines absolutè, sed est totus mundus, ut Johannes loquitur, 1. *epist.* 2. v. 2. id est, omnes & singuli electi & credentes, ex toto mundo, sive ex Judæis & gentibus coadunati. Quam expositionem confirmat locus ex *Esa.* 53. v. 3. 4. 5. hic allegatus.

Quòd si maximè per universum genus humanum, omnes & singuli homines intelligantur, ne sic tamen procedit consequentia. Sustinuit Christus iram Dei adversus peccata universi generis humani, hoc est, quæ non unius aut paucorum, sed omnium hominum peccatis concitata erat. An ut omnes & singulos ab irâ illâ liberaret, iisdemque justitiam ac vitam acquireret? imò verò ut nobis credentibus eam acquireret, ut habent verba Catecheseos. Ratio hæc est, quia sustinuit iram illam non pro omnibus, id est, omnium ac singulorum vice & loco; alioquin omnes ab eâ forent immunes, nec ullus amplius ei subjaceret; contrà quàm Scriptura, *Rom.* 1. v. 18. *Iohan.* 3. v. 36. & experientia testantur: verùm pro electis, & credentibus, quorum ipse peccata à Patre sibi imposita susceperat, *Esa.* 53. v. 3. 4. 5. *Rom.* 8. v. 3. 2. *Cor.* 5. v. 21. quorum sponsor factus erat *Hebr.* 7. v. 22.

An Christus non pro solis electis, sed pro omnibus & singulis satisfecerit? Argumenta Novatorum.

CÆTERUM quia in his verbis Catecheseos Novatores erronei sui dogmatis, *de universalitate redemtionis ac satisfactionis Christi pro omnibus & singulis*, fundamentum quærunt; nos in dogmatis illius examen ac discussionem paucis digrediemur.

Summa doctrinæ ipsorum hæc est: Christum non pro solis electis, & credentibus; sed pro omnibus, & singulis hominibus passum ac mortuum esse; & passione ac morte suâ impetrâsse omnibus, & singulis reconciliationem cum Deo, ac remissionem peccatorum: ita tamen, ut fructus impetrationis hujus ad alios non perveniat, quàm ad solos credentes, & in fide perseverantes. Utrumque membrum hujus assertionis, aliquot argumentis munire, & confirmare allaborant.

Pro Membro priore.

I. Pro *priore* hæc adferunt præcipua. I. Quod nullo modo necessarium erat, imò per quod impossibile erat obtinere finem illum, qui intendebatur; illud Christo tribuendum non est. At ut moreretur pro iis qui jam ante electi erant, nullo modo necessarium erat, & per mortem impossibile erat finem illum obtinere, qui intendebatur. Ergò. *Majoris* veritas extra dubium est. *Minoris* pars *prior* sic demonstratur. Quod jam plenariè habetur, id acquiri & impetrari adhuc non est necessarium: haberetur enim alioquin una & eadem res simul, & non haberetur; quod contradictionem implicat. Atqui electi illi qui dicuntur, habebant jam antè id quod per mortem Christi acquisitum, & impetratum deindè dicitur, Ratio; quia jam erant in gratiâ apud Deum

Deum patrem, utpote ex amore summo, nominatim, absolutè,& peremtoriè ab ipso destinati vitæ æternæ. Quocirca ut in gratiam cum Deo restituerentur, per mortem Jesu Christi necessarium non erat. Ergo. Ex quo fundamento *altera* pars minoris æquè solidè adstruitur; quia, cum finis mortis sit reconciliatio peccatorum, sive reductio eorum in gratiam cum Deo, impossibile erat finem illum per mortem obtineri; cum jam ira Patris sublata esset, ac proinde reconciliationi locus amplius non esset. II. Cujus passio, & mors: ipsam fidem & electionem ordine antecedit, is pro electis & credentibus, quà talibus passus, & mortuus non est. Atqui passio & mors Christi, fidem & electionem ordine antecedit. Ergo Christus pro electis & credentibus, quà talibus, passus & mortuus non est. *Major* certa est. *Minor* confirmatur ex ordine decretorum salutis, loco de Prædestinatione tradito, & in Scripturis fundato.

Pro *posteriore* membro argumeuta ipsorum sunt. I. Qui ex dilectione illâ Dei, quâ Pater mundum dilexit, datus est; quique se ipsum dedit pro mundi vitâ, & pro totius mundi peccatis propitiatio factus est: ille pro omnibus & singulis peccatoribus mortuus est, & remissionem peccatorum morte suâ impetravit. Atqui Christus sic datus est, &c. Ergò. *Majoris* veritas ex terminis liquet; quia totus mundus, contradistinctè ab his, & illis; omnes in universum reliquos homines peccatores complectitur. *Minor* ostenditur dictis *Iohan.*3.v.16. & *cap.*6.v.51. 1.*Iohan.*2.v. 2. Nam quominus *primo* loco vocabulum *mundi* de solis electis accipiatur, obstat illud, quod alioquin absurda esset oratio, Deum dedisse filium suum propitiatorem iis, quos ipse jam ab æterno dilexit: Item, quia inter electos nulli sunt qui perire possunt, & quos Deus perire velit, nisi credant: Denique, quia sic adductio electorum ad fidem, esset solus finis missionis filii Dei; quod falsum esse docet mandatum de fide, præscriptum omnibus & singulis hominibus. *Secundi* loci eadem ratio est. In *tertio*, etiam inde res est manifestior, quod *totus mundus* appellatur; & quod generalitas propitiationis cum emphaticâ adversativâ proponitur. II. Si Deus omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire, neque ullum perire vult; sequitur Christum pro omnibus & singulis hominibus mortuum esse. Verum

Pro membro posteriore. 1.

prius

prius 1. *Timoth.* 2.v.4.5.6. 2.*Petr.*3.v.9. Ergò & posterius. Nam particula πάντες apud Paulum collectivè, non distributivè, accipienda est: quia Deus omnibus & singulis præcipit fidem & agnitionem veritatis: vult etiam nos orare pro omnibus & singulis omnino hominibus; Et erit alioquin ratio hæc Apostoli frivola, & inefficax, ad exhortandum Christianos, ut orent pro singulis magistratibus sub quibus degunt. III. Quicunque in Christum Jesum credere tenentur, pro illis Christus est mortuus. Atqui omnes & singuli, tam electi, quos vocant, quàm reprobi, tenentur credere in Christum. Ergò. *Minor* per se manifesta est. Reprobi damnantur, quòd non crediderunt, *Iohan.* 3.*vers.* 19.36. 2.*Thess.* 2. *vers.* 10.11. Ergo tenentur credere. *Major* hâc ratione confirmatur: quia alioqui tenerentur ii, pro quibus Christus mortuus non est, mendacio credere, quod per se absurdum est. Fides concipi non potest, nisi suppositâ prius Objecti veritate in se. Nemo igitur tenetur credere Christum pro se mortuum esse, nisi verum sit Christum pro ipso esse mortuum.

Resp. Dogmatis Novatorii de universalitate redemtionis ac satisfactionis Christi, duo membra sunt, si antithesis, quatuor verò, si res ipsa spectetur; in quæ illud majoris perspicuitatis gratiâ distinguemus, ac deducemus. *Primum* est, quòd Christus non sit mortuus pro solis electis & credentibus. *Secundum*, quòd mortuus sit pro omnibus & singulis hominibus. *Tertium*, quòd omnibus & singulis impetrârit reconciliationem cum Deo, ac remissionem peccatorum. *Quartum*, quòd fructus impetrationis hujus, non ad alios quàm ad solos credentes, & in fide perseverantes perveniat. De singulis seorsim.

1. Christus mortuus pro solis electis, credentibus.

Primum manifestè repugnat Scripturæ Sacræ, quæ Christum pro solis electis & credentibus passim, mortuum esse docet. Pro *electis* Rom. 8. v. 33.34. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Christus est, qui mortuus est*, scilicet pro electis Dei. Apoc. 5.v.9. *Mactatus es, & redemisti nos Deo, ex omni tribu, linguâ, natione, & populo.* His similia sunt illa loca, quibus Christus pro populo suo, *Matth.* 1.v.22. *Tit.* 2. v. 14. *Heb.* 2.v.17. pro Ecclesiâ, *Actor.* 20.v.28. *Ephes.* 5.vers. 25. pro *ovibus*, *Iohan.* 10.vers. 12.15. *Hebr.* 13. v. 20 mortuus esse dicitur. Pro *credentibus*, Joh. 3.v.15.16. *Filium hominis exaltari oportet. Deus filium suum unigenitum dedit, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam*

ater-

æternam. Idem repetitur *Actor.* 10.v.43. *Rom.*3.v.22.25.& alibi passim. Frustrà verò excipiunt in dictis illis non addi particulam exclusivam. Etsi enim disertè non exprimitur; subintelligitur tamen tacitâ antithesi, cum dicta illa emphaticam electorum, Populi, Ecclesiæ, omnium credentium mentionem faciant. Secus sermo Scripturæ ineptus futurus esset, & propter superfluitatem futilis; electis, ovibus, fidelibus, illud singulariter attribuens, quod reprobis, hœdis, infidelibus, ex æquo commune est.

Nec magni momenti sunt duo illa argumenta, vel potius Sophismata, quæ nobis opponunt. Nam in *Priore* minor propositio falsa est: falsa etiam assumtio prosyllogismi, unà cum utriusque partis propositionibus. Absque satisfactione Christi, & citra ejus respectum, electi nullo modo, nedum plenariè habuerunt aut habent reconciliationem cum Deo *Rom.*8.v.33. 34.*&* *cap.*5.vers.10. Fuerunt in gratiâ apud Deum jam indè ab æterno, *Ephes.*1.v.4.5. 2.*Timoth.*1.v.9. sed ita ut Christus pro peccatis ipsorum justitiæ Dei satisfaceret, *ibidem*, *&* *Rom.*3.v.24.25. Insuper ex summo amore Dei, nominatim, absolutè, & peremtoriè distinati sunt vitæ æternæ; quia Deus pro benevolentissimo affectu voluntatis suæ, in seipso, non motus ab externâ aliquâ causâ, idque immutabiliter, singulos eorum ad vitam æternam elegit *Ephes.*1.v.4.5. 2. *Timoth.*2.v.19. Sed summus amor Dei erga creaturam, non tollit summum amorem erga justitiam irascentem peccatis, & satisfactionem pro iis exigentem; nec constitutio finis ordinem mediorum, sub quibus ille intenditur, & per quæ obtinetur, evertit. Duabus igitur falsissimis hypothesibus tota sophismatis hujus structura nititur. *Vna* est, quòd gratia dilectionis, & electionis divinæ, non consistat cum reconciliatione cum Deo per Christum; cum tamen Apostolus hanc illi substernat ac subordinet ad demonstrationem justitiæ ipsius 2 *Timoth.*1. v.9. 10. *Rom.* 3. v. 24. 25. 26. Nec aliam ob causam Electio nostri in Christo facta sit *Ephes.*1.v.4. *Altera*, quòd Deus non possit diligere electos suos, & iis irasci diverso respectu. Atqui licet filium illum suum unigenitum perfectissimè semper dilexerit, eatenus tamen quoque ipsi succensuit, quatenus sponsor noster, & peccatum ac maledictio pro nobis factus est. Quantò magis igitur potuit nos diligere, ut electos, ut filios in Christo, &

Respondetur ad argumenta contraria

primum.

dd tamen

secundum.

tamen irasci nobis, ut peccatoribus, donec præstaretur satisfactio. Hæc de priore Sophismate. In *posteriore* est fallacia plurium interrogationum, exinde nata, quod Electio & Fides non habent se eodem modo ad mortem Christi. Passio & mors Christi sequitur electionem ad vitam, ut medium sequitur suum finem; eoque posterius est in intentione agentis 1.*Petr.*1.v.20. 1.*Thessal.*5.v.9.10. Antecedit autem fidem, tum Objectivè; quia est res illa quæ creditur, *Rom.*10.v.9. 1.*Corinth.*2.v.2. tum Effectivè, quia Christus spiritum fidei, & ipsam fidem, passione ac morte suâ nobis acquisivit *Galat.* 3.v.13.14. 1. *Corinth.* 1.v.30. Igitur passus, mortuus dicitur Christus, pro electis antecedenter, hoc est, qui jam ante ipsius passionem, ac mortem, Electi erant ad vitam æternam: pro credentibus autem consequenter, hoc est, qui virtute mortis ipsius credituri erant, eamque sibi applicaturi. Ex quibus ambiguitas majoris, & falsitas minoris abundè intelligitur.

II. Non est mortuus pro omnibus & singulis.

Secundum membrum in Scripturis non reperitur. Ajunt quidem illæ Christum pro omuibus mortuum esse, 2. *Corinth.*5.v.15. 1.*Timoth.*2.v.6.*Hebr.*6.v.9. at pro omnibus & singulis mortuum esse nuspiam dicunt aut docent. Et quominus notam universalem de absolutâ universalitate interpretari liceat Novatoribus, duo obstant. *Vnum*, quòd Scriptura in hoc argumento omnium mentionem faciens, vel restrictivè intelligat omnes credentes, *Iohan.*3.v.15.16.*Rom.*3.v.22. vel distributivè quosvis, hoc est, cujuscunque ordinis, conditionis, ac status homines, ex omni tribu, linguâ, natione, & populo *Apocal.*5.v.9. *Actor.*10.v.34.43. 1. *Timoth.*2.v.6. *Tit.*2.v.11. *Alterum*, quod mori pro aliquo, hîc est vice ac loco alicujus mori, ut is non moriatur, sed vivat liberatus à morte; argumento locorum *Rom.*5.vers.6.8. 2. *Corinth.*5.v.15. 1. *Iohan.*3.v.16. & *cap.*4.v.9. Quo modo si Christum pro omnibus ac singulis mortuum esse volunt, jam omnes ac singulos in gratiæ, justitiæ, ac vitæ statum per Christum restitutos concedunt. Sufficientiam mortis Christi pro omnibus & singulis hominibus, si omnes & singuli crederent, nemo negat. Sed hanc Novatores non modò rejiciunt, sed etiam rident, tanquam Diabolis quoque communem; quibus, ob dignitatem personæ, mors Christi non minus ad redemptionem

Sufficientia mortis Christi qualis.

tionem

tionem sufficiat, vel saltem sufficere possit, quam ipsis hominibus. Quasi verò sufficientia mortis Christi non præsupponat convenientiam naturæ cum hominibus, pro quibus eam obivit *Hebr.* 2. v. 11. 14. 1 *Timoth.* 2. v. 5. Et justitia Dei postulat, ut homo, qui peccavit, ipse in naturâ suâ pro peccato dependat. Secus etiam pro equis, mulis, & omnibus creaturis vanitati & corruptioni obnoxiis, sufficiens dici possit. Tria porrò sunt quæ secundo hoc membro complectuntur. *Primum*, quòd Christus pro omnibus & singulis hominibus indiscriminatim, tam pereuntibus, quàm salvandis, mortuus sit. *Secundum*, quòd ex decreto, consilio, ac intentione Dei Patris pro iis sit mortuus. *Tertium*, quòd ità sit mortuus, ut omnibus, & singulis aliquid impetraret. Sed de tertio hoc infrà dicitur. Priora autem duo falsissima sunt. *Prius* quidem, tum quia Christus non indiscriminatim, sed discriminatim, pro populo suo, pro Ecclesiâ, pro ovibus; nec tantùm in genere, aut specie pro hominibus, sed etiam in individuo, sigillatim, & nominatim, pro Hoc, Illo homine, Petro, Paulo, mortuus esse dicitur, Johan. 10. v. 15. *collato cum versu* 3. *cap.* 17. v. 19. *Galat.* 2. v. 20. tum quia venit, ut servaret, non qui perirent, sed quod perierat *Luc.* 19. v. 10. scilicet datum sibi à Patre *Iohan.* 6. v. 39. Ex quibus nec periit quisquam, *cap.* 17. v. 12. nec perire potest *cap.* 10. v. 29. *Alterum* verò, quia ipse Christus clarissimis verbis ei contradicit Johan. 6. v. 39. *Hæc*, inquit, *est voluntas ejus qui misit me*, *Patris*, *ut quicquid mihi dederit*, scilicet redimendum, *non perdam ex eo*, *sed suscitem illud in ultimo die*. Et quos pater non elegit, aut prædestinavit in Christo, eos etiam servare per ipsum non intendit & decrevit. Omnes & singulos, tam pereuntes, quàm salvandos, non elegit, aut prædestinavit in Christo *Ephes.* 1. v. 4. *Rom.* 8. v. 29. inprimis autem *cap.* 9. Non igitur omnes & singulos tam pereuntes, quàm salvandos per ipsum servare intendit & decrevit. Hæc aliaque cum alibi prolixè à nobis confutata sint, non persequemur nunc fusius. Solum argumenta, quæ in defensionem erronei dogmatis attulêre, discutiemus.

Respondent ad argumenta contraria.

ad primum.

Primi argumenti propositio *Major* meritò negatur: cujus veritas ex æquipollentiâ terminorum, Mundi, totius mundi; & Omnium ac Singulorum, ideò nequit demonstrari, quia hoc

est ipsum κεκινόμενον, an Mundus illis locis universos ac singulos
Vindiciæ locorum. significet. Contrarium alibi luculenter evicimus, stabilitâ etiam orthodoxâ locorum allegatorum expositione, quam novis commentis in vanum oppugnant. *Iohan.* 3. v. 16. Dilectio electorum
Ioh.3.v.16. non absolutè, sed sub hâc conditione proponitur, ut pro peccatis eorum præstetur satisfactio per filium Dei, ex eâdem dilectione ipsis à patre donatum; quomodo absurdi nihil ponit, sive in re, sive in oratione. Nec dicitur, esse inter electos qui perire possint, aut quos Deus perire velit, nisi credant: utrumque enim ἀδύνατον; cum electio immutabilis: *Matth.*24.v.24.*Rom.* 11.v.29. Fides autem electorum propria sit *Tit.*1.v.1. *Actor.*13. v.48. Sed salus æterna, quam Deus ipsis ex dilectione destinavit, filius morte suâ acquisivit, ipsi per fidem consequuntur, illustratur antithesi contrarii, ad amplificandum hoc gratuitæ dilectionis & redemtionis beneficium. Denique, adductionem ad fidem esse finem missionis Filii Dei, non falsò, sed verè dicitur; etsi non sit solus finis 1 *Corinth.*1.v.30.*Galat.*3.v.13.14. *Tit.*2.v.14. Venit enim filius hominis, ut esset lux mundi, *Ioh.* 8.v.12. & vocaret peccatores ad fidem & resipiscentiam; cui non magis repugnat mandatum fidei, quàm medium fini suo repugnat. Interim mandatum illud non solum est odor vitæ ad vitam, sed etiam odor mortis ad mortem, pro conditione ac di-
1.Ioh.2.v.2. versitate Subjectorum 2 *Corinth.*2.v.15.16. Alter locus 1 *Iohan.* 2.v.2. intelligendus est de generalitate propitiationis, non pro omnibus & singulis, sed pro omnibus electis, ac filiis Dei, per totum mundum dispersis; quomodo Johannes optimus sui interpres rem declarat in Euangelio *cap.* 11. vers. 51. 52. Vox *mundi* ipsi usu familiaris est, ad ostendendam amplitudinem gratiæ sub Novo Testamento; & docendam vocationem gentium, in Veteri Testamento terminis universalibus multoties promissam *Genes.* 12. v. 3. & *cap.* 32. v. 18. *Deuter.*32.v.43.*Psalm.* 117. v.1. *Esai.*49. v. 6. & alibi. Particula *totius*, universalitatem electorum, ac credentium ex toto mundo, sive ex omni tribu, & linguâ, & natione, & populo, notat *Apocal.* 5.v.9. Adversativa autem, *nec pro nostris solùm, sed etiam*, &c. significat propitiationem illam factam esse non solis Judæis, qualis erat Johannes, cum iis, quos sibi accenset: sed omnibus gentibus per totum mundum, sublato jam per Christum populorum discrimine,

ſcrimine, ut eſt *Iohan.* 11. v. 51. 52. In *argumento ſecundo* nulla eſt conſequentia propoſitionis, quia 1 *Timoth.* 2. v. 4. per *omnes*, intelligi quoſvis conditionis homines loci contextus evincit, & aliâs à nobis demonſtratum eſt. Nunc diluendæ ſunt exceptiones Novatorum. Si voluntas Dei hîc eſt voluntas præcepti de Fide; ne ſic quidem dici poteſt abſolutè univerſalis, quia nec in Veteri Teſtamento talis fuit, *Actor.* 14. v. 16. nec eſt in Novo Teſtamento, experientiâ teſte. Sed voluntatem decreti intelligendam eſſe ſequentia oſtendunt. At illa ſemper, & in omnibus fit, *Pſalm.* 115. v. 3. *Eſai.* 46. v. 10. Fierent igitur omnes, & ſinguli ſalvi, ſi eos ſalvos eſſe vellet. Præterea nec illud verum eſt, pro omnibus omninò hominibus orandum eſſe. Nam Johannes disertè excipit peccantes in Spiritum Sanctum 1 *Epiſt.* 5. verſ. 16. Poſtremò falſum eſt expoſitione noſtrâ enervari vim exhortationis Apoſtolicæ. Exhortatio eſt ut oremus pro regibus, & omnibus, id eſt, aliis quibuſlibet in eminentiâ conſtitutis. Ratio eſt, quia Deus vult omnes, id eſt, omnes ordinis homines ſalvos fieri. Sic ergò colligit: Deus vult omnis ordinis homines, ac proinde etiam reges, ac alios quoſvis in eminentiâ conſtitutos ſalvos fieri. Ergò pro illis quoque orandum eſt. Hæc optimè cohærent inter ſe, & urgendæ exhortationi idonea ſunt. Quod addunt, etiam pro ſingulis magiſtratibus, ſub quibus degimus, orandum eſſe; id quidem non negamus: ſed ad rem non facit; quia ne ſic quidem conficitur abſoluta univerſalitas, ex uſu vocis; tum etiam non adſtruitur univerſalis Dei voluntas de ſalute omnium. Officii namque noſtri eſt, quibus ignota ſunt arcana electionis, etiam de illorum ſalute benè ſperare, & pro eâ orare ex charitate, quos Deus ſalvos facere non vult. In *tertio argumento*. I. *Minor* falſa eſt. Nam quibus Chriſtus non prædicatur, & qui de morte ipſius nihil audiverunt, non tenentur credere Chriſtum pro ſe mortuum eſſe; quorum tamen eſt longè maximus in orbe numerus: nec damnabuntur in extremo judicio quòd in Chriſtum non crediderint, ſed quòd legem naturæ nòn ſervârint, ut eſt *Rom.* 2. *verſ.* 12. II. In *Majore* eſt fallacia à dicto ſecundùm quid. Quibus prædicatur Chriſtus ii non tenentur abſolutè, & ſine conditione credere, ipſum pro ſe mortuum eſſe, ſed ita demum ſi reſipiſcant, credant,

ad ſecundum 1 Tim. 2. v. 4. vindicatur.

ad tertium.

convertantur ad ipſum. Non aliter enim de Chriſto credendum eſt, quàm ipſe credendus nobis proponitur in Euangelio. Ibi autem proponitur non ut redemtor, ſervator omnium hominum abſolutè, tam infidelium, quàm fidelium; ſed ut Redemtor, ſervator fidelium. Sicut ſcriptum eſt Rom. 3. v. 25. *Chriſtum propoſuit Deus placamentum per fidem in ſanguine ipſius.* Hæc igitur eſt veritas Objecti, quam fides præſupponit ac intuetur in verbo Euangelii. Alterum, quod Chriſtus abſolutè, & ſine conditione fidei, ſit omnium ac ſingulorum hominum redemtor ac ſervator, eſt falſitas ac mendacium contra Euangelium; ſicut ſcriptum eſt: *Qui non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuprà eum.* Johan. 3. v. 36. Sed *inſtant*: damnantur igitur ſaltem reprobi vocati, & qui Chriſtum agnoverunt, quod per incredulitatem ipſum rejecerint. Ergò ad ipſos mors ejus pertinet. *Reſp.* Sanè pertinet ad ipſos prædicatione, oblatione externâ per verbum & Sacramenta; ſed ſub conditione fidei; non autem deſtinatione Dei, & applicatione. Planè ſicut pax Apoſtolorum annunciatione pertinebat ad omnes domeſticos; intentione Dei autem, & re ipsâ, ad ſolos filios pacis inter ipſos *Luc.* 10. v. 5. Deindè, reprobi per incredulitatem Chriſtum rejiciunt, non quòd ſciant ipſum ad ſe non pertinere; id ſoli Deo notum eſt: ſed quòd ipſum oderint, ac corruptæ naturæ vitio ultrò ruant in ipſius contemtum, ac contumeliam. An verò propterea Dei irâ ac condemnatione digni non ſint?

III. Non omnibus & ſingulis impetravit reconciliationem & R. P.

Tertium membrum phraſi pariter, & ſenſu, à Scripturâ alienum eſt. *Phraſi*, quia nuſquam ſic Scriptura loquitur, Chriſtum impetrâſſe omnibus, & ſingulis, reconciliationem: ſed dicit Deum in Chriſto ſibi reconciliâſſe omnia in cœlo, & in terrâ; reconciliâſſe ſibi mundum; Chriſtum reconciliâſſe omnia per ſanguinem ſuum *Coloſſ.* 1. v. 11. 12. 2 *Corinth.* 5. v. 19. *Senſu*, quia reconciliationem cum Deo, ac remiſſionem peccatorum non omnibus ac ſingulis attribuit; ſed omnibus electis ac credentibus, (quorum una pars in cœlis triumphat, altera per totum mundum militat,) eam ut propriam vendicat. Et ſi Chriſtus utramque verè acquiſivit & obtinuit omnibus & ſingulis; cur non omnibus & ſingulis per mortem Chriſti remiſſa

ſunt

sunt peccata, omnesque & singuli Deo reconciliati sunt? Sed quia Novatores impetrationem hanc ab applicatione & participatione sejungunt, & illam omnibus ac singulis, hanc solis credentibus attribuunt, ut membro sequente dicetur; apparet ipsos per reconciliationem & remissionem, re verâ nil nisi remissibilitatem & reconciliabilitatem intelligere. Eam autem scriptis privatis & publicis hunc in modum declarant. I. Deum filium suum unigenitum tradidisse in mortem, ut genus humanum hactenus sibi reconciliaret, ut & ipse jam liberè & plenè posset & vellet de novo cum hominibus agere de ratione salutis præscribendâ; & Filius potestatem ac jus acquireret peccata remittendi, & salutem conferendi iis conditionibus, quas pater præscriberet, atque ita januam cœli & salutis hominibus aperiret. II. Destinâsse autem filium suum in mortem, cùm nihil adhuc apud se statuisset de quoquam hominum nominatim servando. Si enim alicui certò salutem ex dilectione destinâsset, jam Christi mortem irritam futuram fuisse, nullasque conditiones salutis præscribi potuisse, in quo tamen tota religionis ratio consistit. III. Potuisse etiam Patrem, peractâ jam Christi morte, opera legis, sive perfectam legis obedientiam non minus in conditionem salutis præscribere, quàm ante lapsum: sed pro beneplacito suo præscripsisse fidem; ejusque mediocrem; ac præstabilem obedientiam, quam non imputatis defectibus pro exactâ, & rigidâ legis obedientiâ, habere velit. IV. Fieri præterea potuisse, ut nemine ex adultis conditiones præscriptas præstante, omnes perirent, vel omnibus eas præstantibus, omnes servaretur. Morti verò, & oblationi Christi suam utilitatem, dignitatem, & necessitatem, omnibus numeris sartam tectam constare potuisse, etiamsi nemo credidisset, aut salvatus fuisset; cùm Christus in hunc finem propriè sit mortuus, ut Pater de novo posset, & vellet conditiones salutis præscribere, sive januam salutis aperire. V. Christum, cum suâ morte & merito, non esse promissum, aut donum Novi Fœderis; sed hoc effecisse, ut pater fœdus illud novum de possibili quâdam obedientiâ cum hominibus inire voluerit. Ex quorum omnium simplici, sed verâ narratione planum est, quàm monstrosa errorum portenta Novatores sub specioso impetrationis titulo occultant;

quid

quid ipsis sit Christi satisfactio, & λύτρον, quid patri secundum ipsos per illud accesserit, quid ipsi Christo, quid omnibus & singulis hominibus.

Impetratio Christi non tantum possibilitatem reconciliationis sed ipsam reconciliationem acquisivisse ostenditur.

Nos hanc peregrinam, & portentosam Novatorum Theologiam, ex Socini, & Pelagii fœcibus haustam, Christianis fidelium auribus intolerandam, toto pectore detestamur; quia I. Filius possibilitatem aut modum reconciliationis non acquisivit Patri, sed ipse Pater, cujus infinitæ sapientiæ deesse non poterant modi alii, hanc viam invenit, nobisque verbo
1. suo patefecit: sicut scriptum; *Placuit Patri, ut pace per sanguinem crucis Christi factâ, per eum sibi reconciliaret omnia* Coloss.1.vers.
2. 19.20. II. Nec Patrem Filius reconciliabilem solùm aut placabilem, sub dubiâ quadam, & contingente conditione; sed reconciliatum, placatum reddidit: sicut scriptum est; *Cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus* Rom.5.vers. 10. *Deus erat in Christo, reconcilians sibi mundum, non imputans eis*
3. *offensas* 2 Corinth.5.v.19. III. Similiter ipse filius morte suâ non acquisivit sibi nudum jus remittendi peccata, & conferendi vitam iis, qui conditiones præscriptas præstare vellent: sed acquisivit ipsam remissionem peccatorum, ipsam justitiam, & ipsam vitã; & quibus acquisivit, iisdem etiam hæc beneficia certò confert: sicut scriptum est; Esai.53.v.11. *Servus meus justus cognitione sui justificabit multos, quorum iniquitates ipse bajulavit.* Matth. 26. vers.28. *Hoc est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Galat. 3. vers. 13. 14. *Christus nos redemit ab exsecratione legis, ut in gentibus exstaret benedictio Abrahæ; & promissum illum spiritum acciperemus per fidem.* Iohan. 6.vers.51. *Panis, quem ego*
4. *dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vitâ.* IV. Pater destinavit Filium in mortem pro Electis, quos ipse elegerat ad vitam æternam: & Filius mortem illam subivit pro ovibus, quas ipse etiam nominatim agnoscebat: sicut scriptum est Rom. 8.vers.33.34 *Quis intentabit crimina adversus electos Dei, Christus est, qui mortuus est*, scilicet pro electis Dei. Iohan.17. vers.6. *Manifestum feci nomen tuum hominibus quos dedisti mihi, selectos è mundo.* cap. 10.vers.15.14.3. *Animam meam depono pro ovibus; agnosco eas; &*
5. *voco eas nominatim.* V. Quibus Deus ex dilectione certò destinavit salutem, pro iis nihilominus Christum mori, & placamentum fieri oportuit, ad demonstrationem justitiæ divinæ, Rom.3.

Rom. 3.v.24.25.26. ſicut ſcriptum eſt Galat.2.v.20. *Christus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Et Johan.3.verſ.16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* VI. Si peractâ jam Chriſti morte, perfecta legis obedientia præſcribi potuit in conditionem ſalutis, Chriſtus fruſtrà mortuus eſt; ut ratiocinatur Apoſtolus *Galat.* 2. verſ. 21. VII. Si juſtitia noſtra coram Deo conſiſtit in mediocri, ac præſtabili obedientiâ fidei, quam pro obedientiâ perfectâ Deus reputat; jam nec juſtitia eſt ex fide, & per fidem, nec judicium Dei ſecundum veritatem: quorum utrumque eſt contra Scripturam *Rom.*1.v.17.& *cap.*2.v.2.& *cap.*3.v.22.& *cap.*10.v.6.*Philip.*3.v.9. VIII. Si morti Chriſti dignitas ſua atque utilitas conſtare potuit, etiamſi nemo crederet & ſalvaretur; potuit etiam Chriſtus eſſe ſervator ſine ſalute, redemtor ſine redemtione, ſacerdos ſine populo, rex ſine regno, caput ſine corpore; quæ omnia in Dei ſapientiam, ac Chriſti meritum ſummè contumelioſa ſunt. IX. Si, non obſtante Chriſti morte, omnes aut ſalvari, aut damnari potuerunt; prout conditiones præſcriptas ipſimet obſervare vellent aut negligere; neceſſariò ſequitur, nulli peccatori reverâ peccatum propterea remitti, aut quenquam juſtificari eo, quòd Chriſtus ipſius loco pœnas peccatorum luerit: ſed quòd peccator ipſe conditiones Novi fœderis, interventu mortis Chriſti gratioſè præſcriptas præſtiterit. Quin & illud ſequitur, inter mortem Chriſti, & juſtitiam & vitam credentium nullam dependentiam nullumque nexum eſſe, niſi eventualem, ac omnimodè contingentem. X. Chriſtus eſt præcipuum promiſſum, ac donum Novi fœderis, in quo reliquæ omnes fœderis promiſſiones ut factæ, ita ratæ ſunt. *Gen.*12.v.3. *Matt.*26.v.28.*Gal.*3.v.16.17.*Heb.*7.v.22.& *cap.* 9.v.15.17.2.*Cor.*1.v.20.

6. 7. 8. 9. 10.

IV. Chriſtus ſolis electis impetravit & applicat reconciliationem.

Quartum membrum, ſecundùm ſtylum & explicationem Scripturæ acceptum, certum eſt, & extra controverſiam: ex mente Novatorum verò intellectum, & cum membro antecedente tertio collatum, producit famoſam illam, ac inſidioſam diſtinctionem Impetrationis & applicationis; cujus priore parte cum Socino deſtruunt ſatisfactionem ac meritum Chriſti; poſteriore cum Pelagio juſtitiam ac vitam ab arbitrio voluntatis humanæ ſuſpendunt. Quod cum evidenter, & ſolidè jam demonſtratum ſit; illud tantùm ſupereſt, ut duos hoſce actus officii

Christi Acquisitio & Applicatio necessario connexæ sunt.

Christi, Impetrationem videlicet, & applicationem, nexu necessario, ac inseparabili cohærere, ex Scripturâ doceamus. Dicta præcipua nota sunt: Esai 53. v. 11. *Servus meus justus cognitione sui justificabit multos, quorum iniquitates ipse bajulavit.* Johan. 10. v. 25. 28. *Animam meam depono pro ovibus, & vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum.* Rom. 4. v. 25. *Traditus in mortem propter lapsus nostros, & resuscitatus ad nostri justificationem.* Et cap. 8. v. 34. *Christus est qui mortuus est, qui suscitatus est, qui sedet ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* 1 Johan. 2. v. 1. 2. *Advocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quin & Apostolus Paulus ex impetratione immediatè deducit applicationem, argumentatione à majore ad minus: Rom. 8. v. 32. *Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non etiam omnia cum eo nobis gratificabitur?* Iterum cap. 5. v. 10. *Si cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus; multò magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.* Et si impetrationis proprius finis est applicatio, & ideò impetravit Christus, ut applicaret; profectò ridiculi sunt, qui hanc ab illâ divellunt, & separant.

QUÆST. XXXVIII. Quid causæ fuit, cur sub judice Pilato pateretur?

RESP. *Vt innocens coram judice politico damnatus, nos à severo Dei judicio, quod omnes manebat, eximeret.*

EXEGESIS.

Cur in Symbolo judicis Pilati fiat mentio.

ARticulo quarto ita describitur passio Christi, ut simul judicis Pilati fiat mentio: cujus causa duplex, quarum utraque desumta est à fine, in responsione exponitur. *Prior* est, ut publicum innocentiæ testimonium ab hoc judice consequeretur; ex quo constaret omnibus, nihil passione aut morte dignum admisisse, nec pro se tam atrocia passum esse. Equidem alii complures perhibuêre Christo innocentiæ testimonium: ipse proditor Judas, *Matth.* 27. v. 4. Herodes, *Luc.* 23. v. 15. uxor Pilati, *Matth.* 27. v. 19. mulieres in viâ ad locum supplicii, *Luc.* 23. v. 27. item alter latronum, qui fuit conversus *Luc.* 23. v. 41. Sed omnibus

omnibus hisce illustrius est judicis Pilati testimonium; tum quia publicum fuit; tum quia non nisi causâ probè cognitâ prolatum; tum denique quia multoties repetitum *Matth.* 27.v.23.24. *Marc.* 15. v.4. *Luc.* 23.v.14.15. *Iohan.* 18.v.37.&*cap.* 19.v.4.6.24. *Altera est*, ut nihilominus à judice politico damnatus nos à severo Dei judicio eximeret. Judicium, quo damnatus est Christus, Dei fuit: Nam ipse est summus præses judiciorum *Deuter.* 1.vers.17. 2.*Chron.* 19.v.6. Et Pilatus potestatem judiciariam etiam adversus Christum supernè acceperat; ut ipse Christus testatur *Ioh.* 19. v.11. Deus autem adduci voluit filium suum in judicium, ne nos in judicium suum veniremus; venire in condemnationem, ut nos ab illa liberaremur. Quem fructum condemnationis Christi proponit Esaias, *cap.* 53.v.7.8.11.& Paulus 2. *Corinth.* 5. v.21. *Galat.* 3.v.13. De eodem etiam Christus loquitur, *Iohan.* 5.v. v.24.ubi promittit credentes nunquam venturos in judicium, cum ipse pro eis illud subiverit,& ex eo sublatus sit *Esai.* 53. v.11. 11. Venient quidem in judicium cum Christus rediturus est judicatum vivos & mortuos; sed in judicium discretionis & absolutionis: non verò rejectionis & condemnationis *Matth.* 25.v.32. 34. Quia nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu *Rom.* 8.vers.1.

QUÆST. XXXIX. Estnè verò quiddam amplius, quòd affixus est cruci, quàm si alio genere mortis affectus esset?

RESP. *Sanè amplius. Ex hac enim re sum certus, eum maledictionem, quæ mihi incumbebat, in se recepisse: Nam mors crucis à Deo erat maledicta.*

EXEGESIS.

SEcundus gradus exinanitionis Christi est ejus *Crucifixio*: quæ collatione diversorum imparium in quæstione illustratur. Varia erant apud Judæos suppliciorum capitalium genera; Lapidatio, ignis, suspendium sive crucifixio, gladius. Crucifixio autem gentibus quoque in usu erat, sed modo à Judæis diverso. Nam Judæi vivos in crucem non agebant, sed lapidatione prius

Crucifixio Judæorum & Gentium.

interfectos, quorum postea cadavera cruci alligabant, & usque ad vesperam in ea relinquebant. Gentes verò vivos agebant in crucem, & clavis per manus & pedes adactis eidem affigebant: ideoque cruces gentilium, maximè Romanorum, lignis tribus constitisse legimus; uno in altitudinem erecto, & terræ infixo, in quo requiescebat corpus; altero priori transversim parte superiore immisso cui affigebantur manus; tertio itidem priori se parte inferiore immisso, in quo extendebantur & distinctis clavis affigebantur pedes. Quemadmodum Irenæus, & Cyprianus formam earum accuratè describunt. Crucifixio Christi more gentilium peracta est à Romanis; qui jam ante id tempus judicia capitalia Judæis ademerant, ut ipsi fatentur *Ioh.* 18.v.31. Et hoc genere supplicii quo ipse affectus fuit, id verò longè majoris momenti esse quàm si alio quovis genere mortis periisset, vel sola Apostoli gloriatio comprobat *Galat.*6.v.16. *Absit*, inquit, *à me gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et 1 Corinth.2.vers.2. *Nihil statui scire, nisi Iesum Christum, eumque crucifixum.* Rursum cap.1.vers.23. *Nos prædicamus Christum crucifixum.* Catechesis autem momentum illud observat,& eruit ex fine atque effectu crucifixionis Christi; qui est fidei nostræ πληροφορία de sublatâ à nobis Dei maledictione. Propter peccatum obnoxii eramus iræ Dei, ac maledictioni ipsius, sicut scriptum est: *Maledictus omnis qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis* Deuter.27.v.28. Nec liberari ab eâ potuimus, nisi alius eam à nobis in se derivaret; quod Christum fecisse Apostolus his verbis testatur Galat.13.v.13. *Christus nos redemit à maledictione legis, dum pro nobis factus est maledictio.* Probat etiam ab adjuncto signo, quod certitudinis ergo in textu etiam allegatur: quia mors crucis ipsius Dei voce maledicta erat Deut.21.v.22. 23. *Maledictus qui pendet in ligno.* Jam Christus pependit in ligno. Causa maledictionis non fuit suspendium in ligno, sed peccatum; Et Christus prius fuit maledictus, quàm suspensus, aut crucifixus, quia fecerat eum Deus peccatum pro nobis 2 *Corinth.* 5. vers.21. Suspendium verò ipsius, erat externum & publicum testimonium maledictionis nostrâ vice & loco susceptæ; cum hoc genere supplicii non nisi in sceleratissimos, & diris omnibus devotos, blasphemos, idololatras, seditiosos, secundum legem animadversum sit. Cæterùm atrocitatem crucifixionis Christi non parum

Christus cur crucifixus.

rum exaggerant ejus circumstantiæ, quæ in historiâ Evangelica notantur; quòd medius inter duos latrones, velut omnium nequissimus, suspensus fuit; quòd coactus fuit videre divisionem vestimentorum suorum inter milites; audire maledicta & sannas, tum plebejorum prætereuntium, tum summorum sacerdotum, itemque scribarum & seniorum, tum militum, tum denique alterius latronum unà suspensorum: sentire etiam sitim intolerabilem ex gustu iræ Dei, & quæ sunt aliæ hujus generis.

QUÆST. XL. Cur necesse fuit ut Christus ad mortem usque se demitteret?

RESP. *Propterea, quod justitiæ & veritati Dei nullo alio pacto pro nostris peccatis potuit satisfieri, quàm ipsâ morte filii Dei.*

EXEGESIS.

Tertius gradus exinanitionis Christi est ipsius *Mors*, cujus creberrima mentio fit in sacris literis. In historiâ passionis tribus hisce phrasibus declaratur. *Exspiravit*, Marc. 15. v. 37. Luc. 23. v. 46. *Emisit spiritum*, Matth. 27. v. 50. *Tradidit spiritum*, Johan. 19. v. 20. nimirum ut intelligatur Christum non δοκήσει, & specie, sed ὄντως & verè mortuum esse; mortuum verò solâ separatione animæ à corpore, non Deitatis à carne: quæ cum utraque parte naturæ humanæ in ipsâ morte personaliter unita permansit. Necessitas quoque mortis multis locis inculcatur; iis inprimis, quibus dicitur ita scriptum fuisse, & ita oportuisse fieri; *Luc.* 24. v. 26. 44. 46. impossibile fuisse ut transiret ab ipso calix iste; *Matth.* 26. v. 39. absque sanguinis effusione nullam fieri remissionem *Hebr.* 9. v. 22. Quæ necessitas est decreti, ac voluntatis divinæ *Actor.* 2. v. 23. & *cap.* 4. v. 28. Et necessitas ex hypothesi, sive consequentiæ, vocari solet. Catechesis rationem necessitatis iterum deducit ex causâ finali, quæ est satisfactio pro peccatis, justitiæ ac veritati divinæ debita. *Iustitiæ* quidem, quia hoc est δικαίωμα, sive jus Dei, ut qui faciunt peccata digni sint morte *Rom.* 1. v. 32. Est enim peccatum dedecoratio Dei, læsio

Christi Mors

Necessaria.

ſummi illius boni *Rom.2.v.23.24.* Non poteſt igitur dignè expiari, niſi ſummo ſupplicio, & ultimâ deſtructione naturæ peccantis, quæ eſt mors *cap.6.v.23.* Quia ergò Chriſtus ſe ſponſorem ſtiterat pro nobis, ac noſtram peccatorum perſonam induerat, qui mortem eramus commeriti; ipſum quoque ad mortem ſe demittere neceſſe fuit. *Veritati* etiam, quia dixerat Deus ſe puniturum peccata deſtructione & morte peccantis Geneſ.2.v.17. *Quocunque die comederis, morte morieris.* Hanc comminationem Dei oportuit impleri admiſſo peccato: inſuper impleri quoque oportuit promiſſiones patribus factas, tum verbis, ut *Gen.3.v.15. Pſal.22.v.16.17. Eſa.53.v.5.ſeqq. Dan.9.v.26.27.* tum typis, & figuris; inprimis autem ſacrificiis, quibus ſignificavit Deus Chriſtum victimam fore pro peccatis.

Antitheſis Catechetica Socinianorum *ad quæſt. & reſp. quadrageſimam.*

Antitheſis I.

Sententia Euangelicorum, quòd Chriſtus morte ſuâ nobis ſalutem meruit, & pro peccatis noſtris plenariè ſatisfecit, fallax eſt, erronea, & multis modis pernicioſa. Fallax *eſt, quia perſpicuis Scripturis demonſtrari nequit, ſed vanis conſequentiis nititur.* Erronea *eſt, ut quæ tum Scripturæ repugnat, paſſim teſtificanti Deum peccata hominibus gratuitò remittere; cum quâ remiſſione conſiſtere nequit ſatisfactio: tum etiam rationi.* I. *quia Chriſtus non ſubivit mortem æternam, quæ tamen peccatis noſtris debebatur.* II. *quia ſequeretur nos Chriſto, quàm Deo patri devinctiores eſſe: quippe qui ſatisfactione multum gratiæ nobis oſtendiſſet, Deus verò exactâ ſatisfactione nullâ prorſus gratiâ nos proſequutus fuiſſet.* Pernicioſa *denique, quia hominibus feneſtram ad peccandi licentiam aperit, aut certè ad ſocordiam, in pietate colendâ, invitat.*

Reſponſio.

Error hic Socinianorum circa meritum, & ſatisfactionem Chriſti planè fundamentalis eſt, & exitialis, ipſum Chriſtianiſmum radicitùs convellens; & verum diſcrimen, quo Chriſtiani à Mahumetanis, Paganis, aliiſque infidelibus diſtinguuntur,

Doctrina de satisfactione Christi est

tur, prorsus abolens. Eum verò non aliundè hausêre, quàm ex speculationibus philosophicis, & cæcæ rationis stultis conclusionibus: cujus luculentam nobis fidem faciunt ineptissimi ipsorum paralogismi, in tanti momenti re probationum loco adducti.

1. Vera.

I. Doctrinam de merito ac satisfactione Christi certam ac firmam esse, non fallacem aut dubiam, evincunt omnia illa loca, quibus docetur Christum nostrâ vice, & loco mortuum esse *Rom.* 5 v. 6. 9. 2 *Corinth.* 5. v. 15. 21. *Galat* 3.v.13. Dedisse se λύτρον, ἀντίλυτρον pro nobis *Matth.*20.v.28. 1 *Timoth.*2.v.6. Acquisivisse Ecclesiam proprio sanguine *Actor.*20.v.28. Redemisse nos precioso sanguine suo 1 *Petr.*1. v.19.20. Nec refert, quòd ipsum *satisfactionis* vocabulum, quod forense est, non reperitur in Scripturâ. Reperiuntur in eâ alia, planè æquipollentia; λύτρον, ἀντίλυτρον, λύτρωσις, ἀπολύτρωσις, περιποίησις, & similia: traduntur etiam omnia & singula requisita propriè dictæ satisfactionis. Est enim hic satisfaciens, Christus, qui factus est exsecratio & propitiatio *Galat.*3.v.13. *Rom.*3.v.25. 1 *Iohan.*2.v.2. Est cui satisfecit, seseque obtulit, Deus *Hebr.*9.v.14. & *cap.*10.v. 5.*seqq.* Sunt pro quibus satisfecit, homines impii, peccatores, inimici, *Rom.*5.v.6.8 10. qui pro se ipsis satisfacere non poterant; *Rom.*8. v.2.3.4. in Christo autem satisfecisse censentur *Galat.* 3. v.13. 2 *Corinth.*5.v.15.21. Est denique λύτρον, sive pretium satisfactionis, sanguis & mors Christi, filii Dei *Matth.*20.v.28. *Rom.* 3.v.25.& *cap.*5.v.10. *Phil.*2.v.8. 1 *Ioh.*1.v.7. Ex quibus sic colligimus: ubi definitio rei, & omnia ejus requisita non obscurè, sed apertè; nec indirectè sed directè traduntur; ibi res ipsa perspicuè, expresè, & directè docetur, non autem incertis, aut falsis consequentiis adstruitur. In Scriptura definitio satisfactionis Christi pro peccatis, & omnia ejus requisita, dicto modo traduntur. Ergò.

2. Consentanea Scripturæ & rationi sanæ.

II. Eadem doctrina Scripturæ, aut rationibus ex eâ legitimè deductis, nullo modo repugnat: nisi ipsi Deo repugnantiam impingere velimus, in quem non cadit Etiam & Non de re eâdem 2 *Corinth.*1.v.19 Gratuita remissio peccatorum adeò non pugnat cum Christi satisfactione, ut neget Apostolus absque eâ fieri remissionem, *Hebr.*9.v.22. ut affirmet commendari nobis charitatem Dei, quòd, cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est *Rom.*5.v.8. Et gratiam Dei ad remissionem peccatorum nobis obtingere per redemtionem, quæ est

in

in Christo, quem posuit Deus placamentum per fidem in sanguine ipsius *Rom.*3.vers.25. Mors Christi non fuit quidem æterna duratione: Nam tertiâ die resurrexit à morte, quòd impossibile esset ut ab eâ retineretur *Actor.*2.vers.24. Fuit tamen æterna immensitate angorum & cruciatuum, quorum respectu Christum mortem æternam sustinuisse Scriptura haud obscurè indicat, *Psal.*22.v.1.*seqq. Esai.*53.v.11. *collato cum Iohan.* 5.v.24. *Galat.*3.v.13. *Hebr.*2.v.9. *collato cum Ioh.*8.v.52. Neque hinc sequitur, nos Christo quàm Deo Patri devinctiores fore; tum quia Patris & Filii una est ac eadem essentia, gratia & gloria, *Iohan.*10 v.30. tum quia Pater dedit Filium in mortem pro nobis, *Iohan.*3.v.16. *Rom.*8.v.3. fecit eum pro nobis peccatum, & in ipso nos sibi reconciliavit 2.*Corinth.*5.v.19.21.*Coloss.*1.v.14. *Rom.*3.v.25.26. Postremò doctrina illa non gignit vel peccandi licentiam, vel bonorum operum neglectum, sed contra odium ac fugam peccati, & serium pietatis studium in hominibus accendit *Rom.*6.v.1.*seqq.*2.*Corinth.*5.v.15.16.*Tit.*2.v.14. Ratio hæc est, quod Christus non solum remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem spiritus nobis acquisivit, *Gal.*3.v.13. cujus virtute mortui peccatis justitiæ vivimus 1.*Pet.*2.v.24.

Mors Christi quatenus æterna.

3. non perniciosa est.

Antithesis II.

Iustitia satisfactionem requirens pro peccato Deo non inest naturaliter, neque inter proprietates ipsius numerari debet. I. *quia si talis justitia naturâ Deo inesset, nullum peccatum remitteret, sed semper illud puniret: cum adversus ea quæ sunt naturæ suæ nihil faciat, aut facere possit. Constat verò Deum non semper puniri peccata.* II. *Iustitiam quâ Deus punit peccata nusquam sacræ literæ hoc nomine insigniunt: verùm iram & furorem appellant, quæ Deo impropriè solùm conveniunt.* III. *Iustitia Dei in Scripturis hoc attribuitur quod Deus peccata condonat* 1. Joh. 1. v.9. Rom.3.v.25.26. *Igitur pœnam peccati non requirit.*

Responsio.

Iustitia vindicatrix est.

Justitiam distributivam, quæ vindicatrix & correctiva dici solet, Sociniani volunt esse Effectum liberrimæ voluntatis ipsius quod velle, aut non velle possit; planè sicut liberum Deo fuit creare mundum, vel non; & liberum est hodiè pluere vel non.

Nos contra justitiam illam ipsi facimus naturalem, termino rectè explicato; ut naturale dicatur, non quod merè pendet & fluit ex principiis naturæ, ut igni naturali est urere, soli lucere, Deo esse unum essentiâ, & trinum personis: sed ad quod natura ita inclinat, ut tamen non nisi mediante liberâ voluntate instituatur, & exerceatur; quomodo, verbi gratiâ homo intelligit, ratiocinatur, loquitur naturaliter; Deus item bonus, misericors, & verax est erga creaturas suas naturaliter. Pro cujus sententiæ confirmatione paucula hæc in medium proponimus. I. Qui justus, sanctus, bonus, omnisque peccati osor est naturâ, modo perfectissimo; is naturâ pronus est ad pœnam peccati, eamque naturæ suæ convenienter exercet. Atqui Deus talis est: *Exod.* 34. v. 6. 7. *Deuter.* 32. v. 4. *Iob.* 34. v. 10. 11. 12. *Psalm.* 5. v. 6. *Esai.* 6. v. 3. *Rom.* 1. v. 32. 2. *Thessalon.* 1. v. 6. Ergò. II. Immutabilis Dei voluntas ei naturalis est. Justitia vindicatrix est immutabilis Dei voluntas Ergo. *Minor* probatur partim ex Scripturâ, quæ de Deo id constanter testatur, *Genes.* 18. v. 25. *Exod.* 23. v. 7. *Iob.* 24. *per totum. Soph.* 3. v. 5. *Rom.* 1. v. 18. 32. 2. *Thessal.* 1. v. 6. partim ex natura rationali, cui firmiter impressum hoc principium, Justitiam Dei postulare pœnas scelerum, in hoc & futuro seculo. III. Si Deus non naturâ, sed contingenter, non per se, sed per accidens justus est, potest etiam esse non justus: ratio, quia accidens citra subjecti corruptionem ab eo abesse potest. At Deus non potest esse non justus *Genes.* 18. v. 25. *Iob.* 40. v. 3. *Rom.* 3. v. 6. Ergò. IV. Peccatum est Dei contemtus & contumelia 1 *Samuel.* 2. v. 30. & *cap.* 15. v. 23. *Rom.* 2. v. 23. 24. Atqui Deus non potest ferre sui contemtum, & contumeliam; ut qui non patitur se irrideri, *Galat.* 6. vers. 7. neque se ipsum negare potest 2. *Timoth.* 2. v. 13. Ergò nec ferre potest peccatum.

[Margin: Deo naturalis. — Probatur 1. — 2. — 3. — 4.]

Ad *objectiones* adversariorum sic *respondemus*. In *primâ* falsum est assumtum. Constat enim testimoniis Scripturæ, atque experientiæ, Deum punire omne peccatum, sive in ipsis peccantibus, sive in sponsore eorundem; idque partim in hoc seculo, partim in futuro. Ad *secundam* dicimus: Justitiam hanc etiam iram & furorem vocari in sacris literis, ἀνθρωποπαθῶς & impropriè; sed propriè justitiæ nomine insigniri: quod hæc & similia loca ostendunt *Rom.* 1. v. 32. 2. *Thessal.* 1. v. 6. *Psalm.* 9. v. 5. & 119. v. 137. *Tertia* manifestâ inconsequentiâ laborat; tum quia remissionem

[Margin: Refutantur adversariorum objectiones: prima. — secunda. — tertia.]

ſionem peccatorum,& ſatisfactionem pro eis, craſſiſſimo Elencho opponit, tum quia concludit ex puris particularibus. Juſtitia Dei aliquandò pro miſericordiâ ponitur : Ergò ubique ſic ſumitur, nunquam autem pro juſtitiâ vindicatrice. Allegata etiam nihil faciunt pro ſtabiliendo illo ſignificatu; Quia 1 *Iohan.* 1.v. 9. Juſtitia eſt veritas, & conſtantia Dei in ſervandis promiſſis. *Rom.* 3. v. 25. 26 autem , eſt ipſa vindicatrix juſtitia,ut quæ ex placamento ſanguinis & mortis Chriſti deducitur.

1.Ioh.1.v.9. & Rom.3. v. 25.26.vindicantur.

Antitheſis III.

Duæ cauſæ fuêre paſſionis ac mortis Chriſti. Una,*ut moveret credentes exemplo ſuo, ut in viâ ſalutis, quam ſemel ingreſſi ſunt perſeverarent, juxta illud Petri* 1.Epiſt. 2.v.21. Altera, *ut eſſet miſericors Pontifex, ad opitulandum, & ſuos liberandum promtus , utpote tentatus in omnibus ſimiliter,excepto peccato* Heb.2.v.18.& cap.4.v.15.

Reſponſio.

Exemplum & συμπάθεια non ſunt ſoli fines paſſionis & mortis Chriſti.

Duas haſce cauſas inter fines paſſionis & mortis Chriſti jam ſupra recenſuimus: ſed nec ſolitarii fines ſunt , cum alii plures notentur in Scripturâ ; neque etiam præcipui, cùm finis principalior ſtatuatur in propitiatione Dei per ſanguinem Chriſti , ad demonſtrationem juſtitiæ ipſius *Rom.* 3.*v.* 25.26. Verè exinaniunt mortem Chriſti, qui ſublimius in eâ nihil ſpectatum, aut per eam effectum fuiſſe blaſphemant.

QUÆST. XLI. Quarè etiam ſepultus eſt?

RESP. *Vt eo teſtatum faceret ſe verè mortuum eſſe.*

EXEGESIS.

Cur Chriſtus ſepultus.

QUartus gradus exinanitionis Chriſti eſt ejus *Sepultura* , quæ ab omnibus Euangeliſtis ſuis circumſtantiis deſcribitur. Hic autem declaratur à fine , qui eſt veritas mortis Chriſti , ac veræ mortis teſtimonium. Non enim vivi ſepeliuntur , ſed mortui tantùm. Undè Pilatus non antè conſenſit in ſepulturam Chriſti, quàm certo indicio deprehendiſſet verè mortuum eſſe *Marc.* 15.v. 42.43.44.45.Eſt & alius finis ſepulturæ ipſius. Voluit ſepeliri,nè nos

nos exhorresceremus sepulcrum, sed sciremus eum nostra sepulcra sanctificasse suâ sepulturâ; ut jam nobis non sint sepulcra, sed cubilia, in quibus placidè quiescimus, donec in vitam resuscitemur. Denique hoc facto suo typum Jonæ, *Matth.* 12. v. 40. & vaticinia Prophetarum de sepulturâ Messiæ, implevit *Psal* 16. v. 10. *Esa.* 53. v. 9.

QUÆST. XLII. At cum Christus pro nobis mortem oppetierit, cur nobis quoque est moriendum?

RESP. *Mors nostra non est pro peccatis nostris satisfactio, sed peccati abolitio, & transitus in vitam æternam.*

EXEGESIS.

Est *objectio* contra primum finem & fructum mortis Christi, supra quæstione XL. propositum, in satisfactione pro peccatis nostris, & ita habet: Si nobis quoque moriendum est, Christus non est mortuus pro nobis. At nobis quoque moriendum est. Non mortuus est igitur Christus pro nobis. *Responsio* constat inficiatione consequentiæ, quæ antithesi & distinctione finium declaratur. Non ideò morimur, ut ipsi satisfaciamus pro peccatis nostris; nam id nec possibile nobis, cum satisfactio pro peccatis non sit opus nudæ creaturæ; nec necessarium, cum Christus perfectâ satisfactione nos liberaverit ab omni reatu & condemnatione peccati *Rom.* 8. v. 1. 3. 4. *Galat.* 3. v. 13. Sunt verò fines alii mortis nostræ, quorum duo hîc commemorantur. *Vnus* est abolitio peccati, ut illud plenè in nobis aboleatur. In hâc vitâ inchoatur quidem abolitio, sed non perficitur & consummatur. Semper enim, etiã in sanctissimis, manent peccati inhabitantis reliquiæ, quæ negocium ipsis facessunt *Heb.* 12. v. 1. *Rom.* 7. v. 16. *seqq.* *Galat.* 5. v. 17. In morte verò penitus aboletur peccatum, perductâ jam ad finem sanctificatione, 2. *Cor.* 7. v. 1. & spiritibus justorum in eâ consummatis *Heb.* 12. *v.* 23. Quia cœlũ nihil ingreditur impurum: *Apoc.* 21. v. 27. Et in Domino mortui in conspectum ejus adducuntur sine rugâ, & maculâ *Ephes* 5. v. 27. *Alter* est transitus in vitam æternam; qui hîc fit per fidem & spem, *Iohan.* 5. v. 24. *Rom.* 8. v. 24. tunc verò fit re ipsâ; sicut Lazarus reipsâ transportatus

Cur fideles etiam moriantur.

tatus est in sinum Abrahæ *Luc.* 16. Hic transitus respectu termini à quo, dicitur ἀνάλυσις animæ à corpore; *Phil.* 1. v. 23. respectu termini ad quem, accessus ad Deum, Christum, myriadas angelorum, conventum Electorum, vocatur *Hebr.* 12. vers. 22. 23.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. quadrag. secundam.*

An mors piorum abolitio peccati dici queat?

I. *An mors corporalis, quâ anima à corpore separatur, verè & secundum stylum Scripturæ, appellari poßit peccati abolitio, quippe cum ista tantum in hâc vitâ, & quam diu illa durat, peragatur, & ab homine ipso, per virtutem Spiritus S. poßit ac debeat effici. Mors verò econtra omnem potentiam, & voluntatem operandi homini penitus adimat.*

Resp. Mortem corporalem verè & convenienter Scripturis dici abolitionem peccati, jam demonstratum est: diversum si videtur Novatoribus, alterutrum horum ostendant oportet, aut sanctificationẽ fidelium in hâc vitâ ita perfici, ut etiã ante mortem immunes sint à peccato; aut obnoxios etiam peccato manere, postquam ex hâc vitâ discesserunt. Utrumque verò est contra Scripturam. Efficitur quidem abolitio virtute Spiritus Sancti in homine, & per eum, in hâc vita, sed non perficitur: ex parte fit, non in totum. Consummatio in morte proposita est, ut idem sit vitæ & abolitionis istius terminus 2. *Cor.* 7. v. 1. *Heb.* 12. v. 23. Verba ultima, quòd mors omnem potentiam & voluntatem operandi homini penitus adimit, ψυχοπαννυχίαν Libertinorum apertè sapiunt & produnt, quam suis autoribus relinquimus.

An Rom. 7. v. 24 25. corpus peccati notet mortale corpus?

II. *An* Rom. 7. v. 24. 25. *per* corpus peccati *intelligatur hoc animale nostrum, & mortale corpus, quod in hâc vitâ nobiscum circumferimus; an non potius peccatum ipsum, quod occasione sumtâ per legem, nos seducit, & occidit; prout Apostolus ante testatus fuerat.*

Resp. Nihil absurdi erit, si dicamus *corpus peccati* esse corpus animale, peccato & morti obnoxium; quia per corpus ejusque membra peccatum regnat ad mortem *Rom.* 6. 7. *capp.* Impertinens tamen est ipsa consideratio, cum neque in textu, neque in allegatis, loci hujus fiat memtio.

QUÆST.

QUÆST. XLIII. Quid præterea capimus commodi ex sacrificio & morte Christi in cruce?

RESP. *Quòd virtute ejus mortis vetus noster homo unà cum eo crucifigitur, interimitur, ac sepelitur; nè pravæ cupiditates, & desideria carnis, posthac in nobis regnent, sed nos ipsos ei hostiam gratitudinis offeramus.*

EXEGESIS.

Traditur hîc secundus finis & fructus mortis Christi, nemirum sanctificatio nostri, sive naturæ corruptæ instauratio, cum fine priore immediatè cohærens 1 *Corinth.*1.v.30. *Galat.*3.v. 13.14. *Hebr.*9.v.14. 1 *Pet.*2.v.24. Ideoque primo loco ponitur mors Christi, ejusque virtus, tanquam causa procreans hujus sanctificationis; de quâ præclarè Apostolus *Rom.*6.v.4,5,6. Indè effectus allegoricus triplex subjicitur, crucifixioni, morti, ac sepulturæ Christi, analogiâ quâdam respondens. Quamadmodum enim Christus crucifixus est; ita pr ipsum in fidelibus ecrucifigitur vetus homo, cum omnibus suis desideriis ac cupiditatibus: *Rom.*6.v.6.*Gal.*5.24. Ut ipse mortuus est; ita fideles mortui sunt, & moriuntur peccato: *Rom.*6.v.8.11. Sicut ipse sepultus fuit; ita hi sepeliuntur unà cum eo per baptismum *Rom.* 6. v.4. *Coloss.*2.v. 12. Postremò etiam additur finis horum effectorum, privativè & positivè καὶ ἀντιθέσιν enunciatus. Ille est, nè pravæ cupiditates, & desideria carnis posthac in nobis regnent; non autem nè amplius sint, aut nè se exserant & moveant amplius in nobis *Rom.* 6. v. 6. 14. Manet enim lucta inter carnem & spiritum, quoad hîc vivimus *Galat.*5.v.17. Iste est, ut nos ipsos ei hostiam, non propitiationis, qualis est solius Christi hostia, sed gratitudinis offeramus, *Psalm.*51.v.19. *Rom.*6. v. 13. quam pulcrè describit Apostolus *Rom.*12.v.1.2.

Fructus ad pios rediens.

analogus crucifixioni, morti, & sepulturæ Christi.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. quadrag. tertiam.*

Cum fideles ex sacrificio & morte Christi hunc fructum obtineant, quod scilicet virtute mortis Iesu Christi vetus homo in illis crucifigitur, interimitur,

An ex crucifixione veteris hominis in piis, sequatur eos in peccata gravia incidere non posse?

tur, ac sepelitur: ita ut nulla pravæ concupiscentiæ, & cupiditates carnis, in illis dominentur, sed ipsi sese Deo in gratitudinis sacrificium offerant; quæritur, annon hinc firmiter concludatur, verè fideles in gravia & horrenda peccata contra conscientiam non posse incidere, & quidem longum tempus. Quòd si tamen hoc fieri posse dicatur; videndum, an ii tales in hujusmodi peccata prolapsi, & in iis permanentes, nihilominus verè fideles, qui veterem hominem adhuc crucifigunt, occidunt & sepeliunt, haberi debeant; an verò peccata, quæ ipsi faciunt, tam horrenda non sint, quia ab ipsis, ut electis & dilectis Dei filiis, committuntur, quibus omnia in bonum cedere oporteat: sin minus, an ergò illi de quibus legitur, quod in peccata talia inciderint, judicandi sint verè fideles non fuisse.

Resp. Multa hic cumulant & connectunt Novatores, quæ se habent ut diversæ interrogationes, distinctè & seorsim expendendæ. I. In fidelibus crucifigitur, interimitur, & sepelitur vetus homo, nè regnet, aut dominatum obtineat: non autem nè sit, aut ut non rapiat aliquando regnum, uno aut pluribus actibus. Finis notatur, non effectus, qui non semper sequitur propter infirmitatem nostram. II. Fideles prolapsi in peccata, & ad tempus viventes in iis, ut David, non permanent aut perseverant in iis, sed per fidem & resipiscentiam ab iis resurgunt, & dum vivunt in iis, fideles dicuntur, quoad semen fidei in ipsis manens, 1. *Iohan.* 3. v. 9. non autem, quoad actus ejus vitales, in crucifixione & mortificatione veteris hominis, qui à peccato prævalente intercipiuntur & impediuntur. III. Peccata fidelium contra conscientiam sunt horrenda peccata, quibus Deum gravissimè offendunt; nec eo extenuantur, quòd ipsi electi sunt & fideles: cæterum non imputantur eis in damnationem, quia electi sunt à Deo immutabili servandi proposito, & quia per fidem Christi certò consequuntur veniam. IV. Lapsi igitur fideles quidem sunt sed fideles infirmi, paroxysmum, & deliquium fidei passi; à quo cum Davide, & Petro resurgunt.

QUÆST. XLIV. Cur additur, descendit ad inferos?

RESP. *Vt in summis doloribus, & gravissimis tentationibus, me consolatione hâc sustentem, quòd Dominus meus Iesus Christus inerrabilibus animi sui angustiis, cruciatibus,*

tibus, & terroribus, in quos cùm antea, tùm maximè in cruce pendens fuerat demersus, me ab angustiis & cruciatibus inferni liberavit.

EXEGESIS.

QUintus & ultimus gradus exinanitionis Christi, est *Descensus ejus ad inferos*, cujus sensus initio redditur, post finis etiam & fructus explicatur. *Sensus* non est literalis, quasi Christus localiter in infernum, locum illum damnatorum, descenderit: neque enim vel animâ descendisse potuit, cum moriens eam deposuerit in manus patris, & secundum eam cum altero latronum in paradisum sit receptus, *Luc.* 23. v. 46. 43. vel etiam corpore, quod in tertium usque diem requievit in sepulcro. Et verò sensus allegoricus, sive metaphoricus, usitatus Scripturæ, quæ vocabulo *inferni*, & phrasi *descendere ad inferos*, summas angustias, dolores, & cruciatus significare solet 1. *Sam.* 2. v. 6. *Psalm* 40. v. 3. & 69. v. 3. & 116. v. 3. 139. v. 8. & alibi. Sic ergò notantur inenarrabiles illi cruciatus, & infernales angores animæ Christi, quos, cum ante crucifixionem, tùm in eâ pendens in cruce, sensit & sustinuit. Antè. I. Hierosolymis, cum imminente agone cohorrescens exclamaret; *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater serva me ex hâc horâ!* Johan. 12. v. 37. II. In horto, cùm in agoniâ jam constitutus diceret; *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26. v. 38. cumque inter precandum luctans sudaret grumos sanguinis, & angelus eum consolaretur. In cruce autem, cum distentus in eâ vociferaretur, *Deus mi, Deus mi, cur deseruisti me!* Matt. 27. v. 46. In quibus omnibus tria hæc observare & distinguere licet, *horrorem* & pavorem ingentem, conjunctum cum extremâ dejectione & perturbatione, ortum ex intuitu peccati, & adspectu Dei summè irati: *Dolorem* incredibilem & ineffabilem, quo sanctissima Christi anima, sc. horrore isto jã correpta, insuper pressa & circumsepta fuit, usque ad mortem, & *luctam* gravissimam conscientiæ Christi, cum tentatione desertionis, & abjectionis à facie Dei, cum terroribus mortis æternæ, peccatis nostris tanquam stipendium debitæ. Hęc de sensu Finis & fructus hujus descensus Christi, est consolatio nostra, nè metu cruciatuum infernalium animum despondeamus, certò confisi, cum Christus nostrâ vice & loco illos cruciatus sustinuerit, nos æternũ ab iis immunes fore *Esa.* 53. 3. 5. 1. *Cor.* 15. 52. 57.

Descensus Christi ad inferos qualis.

ejus fructus.

Con-

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. quadrag. quartam.*

An hæc articuli hujus expositio consona sit Scripturæ & antiquis symbolis?

An cum stylo Sacræ Scripturæ, & antiquis symbolis inter se collatis, satis conveniat explicatio, quam hic Catechesis adfert, super articulo de descensu Christi ad inferos.

Resp. Satis nobis est, & esse debet, quòd cum stylo Scripturæ convenit explicatio; prout modò ostendimus. Antiqua symbola alia habent, alia non habent hunc articulum: Et Patres eum diversimodè interpretantur, etiam contra Scripturam. Proindè consensus eorum non magnoperè hîc quærendus, aut curandus est.

QUAEST. XLV. Quid nobis prodest resurrectio Christi?

RESP. *Primùm resurrectione suâ mortem divicit, ut nos posset ejus justitiæ, quam nobis suâ morte pepererat, participes facere. Deindè, nos jam quoque ejus potentiâ ad novam vitam excitamur. Postremò, resurrectio capitis nostri Christi nobis gloriosæ resurrectionis nostræ pignus est.*

EXEGESIS.

HActenus explicatus fuit status Exinanitionis Christi, sequitur status Exaltationis, plenus gloriæ & majestatis *Phil.* 2. v. 9. 10. In quo Christus Deitatem suam, sub formâ servi eò usque occultatam clarissimè manifestavit: humanitatem verò non solùm ab omnibus animæ corporisque infirmitatibus liberavit, sed etiam qualitatibus gloriosis, suprà omnes creaturas, salvâ tamen manente ipsâ essentiâ, ejusque proprietatibus, coronavit. Gradus exaltationis quatuor recensentur in symbolo; Resurrectio, Adscensio in cœlum, Sessio ad dextram patris, & Reditus ad judicium.

Igitur primus gradus est *Resurrectio* Christi à mortuis, cujus veritas tam certa & fundata est in novo Testamento, ut demonstratione nullâ egeat inter Christianos. In symbolo à circumstantiâ temporis describitur, quòd tertiâ die resurrexerit à mortuis. Nam die parasceves jam declinante positus est in sepulcro *Iohan.* 19. *v.* 42. die Sabbathi in eo requievit, *Matth.* 27. v. 62. *seqq.* tum die

die proximo, qui fuit primus dies hebdomadis, & in tantæ rei memoriam à Christianis *Dominicus* nominatus est, *Apoc.* 1. v. 10. summo manè resurrexit *Matth.* 28. v. 1. *seqq.* quò ita typum Jonæ, post tres dies & noctes è ceti ventre in terram ejecti impleret. *Ion.* 2. v. 1. 2. *Matt.* 12. v. 40. In Catechesi missa explicatione, propter evidentiam ipsius articuli, solùm commemorantur fructus resurrectionis Christi, numero tres. *Primus* est victoria mortis, & donatio justitiæ, per eam nobis acquisitæ. Quia resurrexit Christus à mortuis, vicit mortem; quia vicit, pro peccatis nostris plenè satisfecit 1. *Cor.* 15. v. 7. Nam vel unicum peccatum eum in morte detinuisset; quæ in stipendium omnium & singulorum peccatorum nostrorum ipsi erat inflicta. Quia etiam resurrexit ad nostri justificationem, hoc est, ad justitiam nobis conferendam & applicandam, Apostolo teste *Rom.* 4. v. 25. eam nobis certò donat, nè frustra resurrexisse videatur. *Secundus* est resuscitatio nostri à morte peccati, ad vitam novam, per Spiritum Sanctum. De quâ ita Apostolus Rom 6. vers. 4. 5. *Sicut excitatus est Christus ex mortuis, in gloriam patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus, conformatione mortis ejus, nimirum etiam resurrectionis conformatione coalescemus. Tertius* est pignus gloriosæ nostræ resurrectionis, sive confirmatio fidei nostræ de resuscitatione corporum nostrorum 1. *Cor.* 15. v. 20. 21. 1. *Thess.* 4. v. 14. 15. I. Quia Christus est caput nostrum, nos ejus membra: non convenit autem gloriæ capitis, membra relinqui in morte & ignominiâ. *Ephes.* 2. *vers.* 23. 27. II. Idem Spiritus habitat in nobis, qui in Christo: proindè non minus nos, quàm Christum ipsum, à mortuis excitabit *Rom.* 8. *vers.* 11. III. Christus vitam & gloriam pro se & pro nobis accepit. Ergo eam nobis quoque impertiet 1. *Cor.* 15. v. 21. *Eph.* 5. v. 23.

ejus fructus tres.

1.

2.

3.

Consideratio Catechetica Novatorum, *ad quæst. & resp. quadragesimam quintam.*

Cum Iesus Christus dicatur nobis morte suâ æternam justitiam acquisivisse; quæritur, utrum obedientiæ vitæ Christi acquisitio hujus justitiæ nullatenus tribuenda sit?

An æternæ justitiæ acquisitio obedientiæ vitæ Christi tribuenda sit?

Resp. Quoties verò cramben hanc nobis reponunt? de quâ

jam dictum est multoties, & infrà, loco de justificatione, pluribus agetur. Potius urgere hic debebant, vel saltem proponere, dogma paradoxum & heterodoxum; quo statuunt, Christum non resurrexisse pro omnibus, pro quibus mortuus est; mortuum esse pro omnibus, & singulis, resurrexisse autem pro solis fidelibus. Atqui scriptura mortem & resurrectionem ipsius arctissimo nexu copulat *Rom.*4.v.25. *Traditus in mortem propter lapsus nostros, & resuscitatus ad nostri justificationem.* cap. 8. v. 34. *Christus est, qui mortuus est, imò verò qui etiam suscitatus est, qui sedet ad dextram Dei.* Similia dicta sunt *Rom.*14.v.9. 2. *Cor.*5.v.15. & alibi passim. Et si mortuus est pro omnibus, resurrexit autem pro solis fidelibus; pro his vicit mortem, pro illis morti succubuit; pro istis plenè satisfecit, pro illis non item: cum resurrectio ipsius, tum plenariæ satisfactionis, tum gloriosæ victoriæ, certissimum sit testimonium.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst.& resp.quadrag.quintam.*

Antithesis I.

Christus resurgens non excitavit se ipsum à mortuis, sed excitavit eum Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi, qui est Pater Christi Eph.1.vers.19. 20. 21. Act.5.v.30.31. *Quod adeò verum est, ut Scriptura Novi fœderis, sæpius, Dei nomine non expresso, ita eum describat, is qui Christum excitavit à mortuis* Rom. 4. v. 24. & cap. 8. v. 11.

Responsio.

Excitatio. Christi toti Trinitati communis est.

Sane tribuitur Patri excitatio Christi à mortuis, istis, & aliis locis, sed non exclusive, hoc est, ut filio adimatur. Nam & ipsi, tanquam opus indivisum, toti Trinitati commune, convenit, secundum Scripturam *Ioh.*18.v.10. & *cap.*2.v.19.21. *Rom.*1.v.4. Pater igitur excitavit filium à mortuis, per ipsum filium, tanquam personam sibi coëssentialem, & coæqualem *Ioh.*5.v.18.19. Et subest peculiaris quædam ratio, cur exercitatio illa toties Patri tribuatur. Is filium suum tradiderat pro nobis in mortem, & gravissimam iram suam, peccatis nostris debitam, in ipsum converterat & conjecerat. Dum ergo eundem ipsemet gloriosè reduxit à mortuis, palam ostendit, se morte ipsius plenè nobis reconciliatum esse: quod ad fidei nostræ πληροφορίαν plurimum facit.

cur Patri peculiariter tribuatur.

Antith. II.

Antithesis II.

Corpus Christi inde à resurrectione, ad adscensionem ipsius, non minus corruptibile fuit, & mortale, quàm antè; quippe cum legamus, eum comedisse atque bibisse cum discipulis suis, & vulnerum vestigia in manibus, pedibus, & latere, iisdem ostendisse.

Responsio.

Hoc verò est in os contradicere Apostolo, qui *Rom.* 6. *v.* 9. 10. disertis verbis docet; Christum peccato mortuum esse semel; resuscitatum ex mortuis jam non amplius mori; mortem illi ultra non dominari: nimirum, quia per mortem destruxit eum, qui mortis habet imperium *Heb.* 2. v. 14. Quòd Christus edit, & bibit à resurrectione, illud non fecit ex indulgentiâ, aut necessitate naturæ, sed voluntariâ dispensatione, condescendens ad infirmitatem discipulorum suorum: & hâc etiam ratione veritatem resurrectionis suæ ipsis certiorem reddens. Eodem fine cicatrices etiam ostendit in corpore resuscitato *Ioh.* 20. v. 25. 27. Quæ non notæ mortalitatis, sed victoriæ à morte reportatæ, testimonia fuerunt.

Christi corpus post resurrectionem non fuit corruptibile.

Cur ederit, biberit à resurrectione.

Antithesis III.

In negocio salutis nostræ, longè plus situm est in resurrectione Christi, quàm in morte ipsius, quod ipsa Scriptura testatur Rom. 5. v. 10. & cap. 1. v. 34. *Et tamen creberrimè morti Christi totam salutem nostram adscribit; quia via erat ad resurrectionem & exaltationem ipsius; & charitatem Dei potissimum nobis ostendit, & ob oculos ponit.*

Responsio.

Scriptura passim conjungit mortem & resurrectionem Christi in salutis nostræ negocio; ita tamen, ut satisfactionem pro peccatis, ac meritum salutis morti, applicationem resurrectioni, adscensioni, sessioni ad dextram patris, attribuat. De quo insignes loci sunt *Rom.* 4. v. 25. Et *cap.* 8. v. 24. Nisi mortuus fuisset, non satisfecisset pro nobis; nec quicquam nobis meruisset. Nisi resurrexisset, sed à morte absorptus fuisset; nihil nobis profuissent mors, satisfactio, & meritum ipsius; quod tamen fieri non poterat, quandoquidem per mortem justitiæ Dei plenè jam satisfecerat. Licet igitur in opere redemtionis connexa sint hæc duo, tamen præcipua

Meritum salutis morti applicatio resurrectioni, adscribitur.

cipua & difficilior pars, in quâ etiam Deus Pater dilectionem, misericordiam, & justitiam suam potissimum ostendit, citra controversiam est mors Christi: quod *Rom.* 5. v. 10. tam non inficiatur Apostolus, ut etiam manifestè comprobet, argumentatione à minus probabili ad magis probabile. *Cap.* 8. v. 34. autem distinguit varios gradus redemtionis Christi, qui ordine naturæ & causalitatis se invicem consequuntur: eorum tamen primus & princeps est mors Christi. Ex quibus intelligitur, quomodo salus nostra morti Christi adscribatur in scriptura; quo item sensu mors illa via ad gloriam resurrectionis, & exaltationis, dici possit. *Vide Luc.* 24. v. 26. *Phil.* 2. v. 8. 9. 10. *& alia loca.*

Vindiciæ locorum. Rom. 5. v. 10. Rom. 8. v. 34.

QUÆST. XLVI. Quomodo intelligis illud: Adscendit ad cœlos?

RESP. *Quod adspicientibus discipulis Christus de terrâ in cœlum sublatus est, atque etiamnum nostra causa ibidem est, & erit donec redeat ad judicandum vivos & mortuos.*

EXEGESIS.

SEcundus gradus exaltationis Christi est *Adscensio ipsius in cœlum,* quadragesimo post resurrectionem die facta *Act.* 1. De cujus sensu inprimis quæritur propter Ubiquetarios; qui adscensionem hanc in disparentiam, evanescentiam, & invisibilem Ubique-præsentiam corporis Christi, convertunt. Docetur autem, sensum esse literalem, & articulum ipsum κατὰ τὸ ῥητὸν, secundum literam, esse intelligendum; ideoque ordine, & distinctè, ex quatuor generibus argumentorum declaratur. I. Ab adjuncto modi, quòd visibiliter, adspicientibus, & visu quo usque poterant prosequentibus eum discipulis, adscenderit. Quos etiam duo angeli à diuturniore spectatione dehortati sunt *Actor.* 1. v. 10. 11. Et ita futurum ipse Christus prædixerat *Ioh.* 6. *vers.* 62. II. A propriâ formâ, quæ est translatio Christi localis de terrâ in cœlum. Sic enim adscensionem Christi Euangelistæ describunt, consentientibus suffragiis; quòd disjunctus à discipulis elevatus sit, suscipiente ipsum nube, & sursum evectus in cœlum

Adscensio Christi fuit Visibilis. Translatio de terrâ in cœlum.

Marc. 16. v. 19. *Luc.* 24. v. 21. *Actor.* 1. v. 9. 10. 11. Paulus addit penetrasse cœlos, scil. inferiores, donec in summum illud perveniret *Hebr.* 4. v. 14. In hoc motu locali distinguendi sunt termini, à quo, & ad quem. Terminus *à quo*, generatim loquendo, est hæc, quam calcamus, terra: cujus respectu Christus dicitur reliquisse mundum, non esse in terrâ. *Ioh.* 16. v. 28. *Hebr.* 8. v. 4. Speciatim, mons oliveti prope Bethaniam *Actor.* 1. v. 8. & *Luc.* 24. v. 20. Terminus *ad quem*, est cœlum supremum, illud nimirum, quod Salomon cœlum cœlorum vocat 1. *Reg.* 8. v. 27. Paulus cœlum tertium, & Paradisum, 2. *Cor.* 12. v. 3. 4. Christus ipse quoque paradisum, *Luc.* 23. *vers.* 43. & domum Patris sui *Ioh.* 14. v. 2. Est autem cœlum hoc locus certus, & finitus, *Ioh.* 14. v. 2. 3. A cœlis inferioribus, *Eph.* 4. v. 10. terrâ, *Psal.* 115. v. 16. & inferno, *Luc.* 16. v. 26. verè distinctus. Et quia supra reliquos cœlos situm est, verè affirmat Paulus, Christum adscendisse supra omnes cœlos *Ephes.* 4. v. 10. III. A fine, quòd nostrâ causâ ibidem sit, ut compareat in conspectu Patris, & interpellet pro nobis, ut infrà liquebit. IV. Ab adjuncto durationis, quod isthic futurus sit, donec redeat ad judicandum vivos & mortuos. De quo ita Petrus Actor. 3. v. 21. *Quem oportet ut cœlum recipiat, usque ad tempora restitutionis omnium.*

Nostrâ causâ. Vt istic ad judicium usque maneat.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. quadrag. sextam.*

Christus non primum post resurrectionem, sed etiam ante eam, corporaliter adscendit in cœlum, ibique perfectissimâ ratione à Deo edoctus, ad voluntatem ejus hominibus publicandam missus fuit; quod ipsemet claris verbis testatur Joh. 6. v. 38. 62. & cap. 3. v. 13. 31. & cap. 16. vers. 28.

Responsio.

Hæc verò somnia sunt & deliria Sociniani cerebri. Scriptura non agnoscit, nisi unicam Christi adscensionem, unicum ingressum in sanctuarium cœleste, *Heb.* 9. v. 12. qui ipsius passionem ac mortem, decreto & voluntate Dei, fuit consecutus. *Luc.* 24. v. 26. 44. 46. Dicta illa Johannis non de locali adscensu, aut descensu, sed de missione filii in carnem, ejusque in mediatorem ordi-

Adscensio Christi ante resurrectionem nulla fuit.

ordinatione loquuntur; quo ſenſu Deo etiam adſcenſus & deſcenſus metaphoricè tribuitur.

QUÆST. XLVII. An ergò Chriſtus non eſt nobiſcum uſque ad finem mundi, quemadmodum promiſit?

RESP. *Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo. Itaque ſecundùm naturam humanam non eſt in terrâ: at ſecundùm divinitatem ſuam, majeſtatem, gratiam, & ſpiritum, nullo unquam tempore à nobis abeſt.*

EXEGESIS.

Eſt *Objectio* Ubiquetariorum contra explicationem orthodoxam articuli de adſcenſione Chriſti. Si Chriſtus in cœlum adſcendit localiter, & ibidem eſt; jam non eſt nobiſcum. Atqui eſt nobiſcum: juxta promiſſiones ſuas *Matth.* 18. v. 20. & *cap.* 28. v. 20. Ergò. *Reſpondetur* per inficiationem propoſitionis. Etſi Chriſtus localiter adſcendit in cœlum, & ibidem eſt, ut in loco; tamen etiam nobis in terrâ, in Eccleſiâ, præſentiſſimus adeſt. Veritas hujus enunciationis diſcretæ explicatur diſtinctione duarum in Chriſto naturarum, divinæ & humanæ: Adſcendit in cœlum, & ibidem eſt, ſecundùm naturam humanam; uti ipſe prædixit Matth. 26. v. 11. *Pauperes ſemper habebitis, me verò non ſemper.* Joh. 16. v. 28. *Ego relinquo mundum, & vado ad Patrem. Et ſi in terra adhuc eſſet, Pontifex noſter non eſſet.* Heb. 8. v. 4. Viciſſim nobis præſentiſſimus adeſt ſecundum Deitatem ſuam; quâ cœlum & terram implet *Ier.* 23. v. 24. ſecundum Spiritum & gratiam, quam Eccleſiæ, ejuſque membris largiter communicat 2. *Cor.* 13. v. 13. nec ullo unquam tempore aufert *Ioh.* 14. v. 16. Nihil autem obſtat, quominus oppoſita uni eidemque rei tribuantur, reſpectu diverſarum partium.

Qualis Chriſti præſentia in Eccleſiâ poſt adſcenſionem.

QUÆST. XLVIII. An verò iſto pacto duæ naturæ in Chriſto non divelluntur, ſi non ſit humana, ubicunque eſt divina.

RESP.

RESP. *Minimè: Nam cum divinitas comprehendi non queat, & omni loco præsens sit: necessariò consequitur, esse eam quidem extra naturam humanam, quam assumsit, sed nihilominus tamen esse in eâdem, eique personaliter unitam permanere.*

EXEGESIS.

I*Nstant* Ubiquetarii contra datam responsionem: Si natura humana non est nobiscum in terrâ, nec ubique est, sicut divina; divelluntur duæ in Christo naturæ, & Nestorianismus introducitur. At prius est ex vestrâ sententiâ. Igitur & posterius. Sed iterum *Respondetur* negatione propositionis. Eaque negatio demonstratur ex proprio adjuncto naturæ divinæ, videlicet ubiquetate. Si enim natura divina Christi ubique est, sequitur esse eam & intra naturam suam humanam quam assumsit, & etiam extra eam. At natura divina est ubique, omnipræsens; nec ullo loco comprehendi potest; prout antè demonstratum est. Ergò & intra naturam suam humanam est, & extra. Si autem est intra eam, utique ab eâ divulsa esse nequit. Ex quibus planum est: I. Naturam Christi divinam dici intra humanitatem esse, quia est ei personaliter unita: & extra eam esse, quia non est ei inclusa; non autem quasi etiam sit separata ab eâ. II. Hoc pacto non constitui duos Christos, λόγον duplicem, ἔνσαρκον, καὶ ἄσαρκον; sed esse unum eundemque Christum, præsentem & absentem: cui illud convenit ex naturâ infinitæ Deitatis suæ, hoc ex naturâ carnis finitæ & localis. Fundamentum autem totius responsionis in eo consistit; quod unio personalis non est coëxtensio aut exæquatio duarum in Christo naturarum, sed earundem arctissima & inseparabilis conjunctio in hypostasi λόγου Filii Dei; Servatâ utriusque naturæ essentiâ & proprietate. Est autem proprietas naturæ humanæ, circumscriptum, dimensum, atque finitum esse: divinæ contra esse incircumscriptum, immensum, & infinitum.

Divina natura Christi quatenus in & extra humanam.

QUÆST.

QUÆST. XLIX. Quem fructum nobis adfert adscensio Christi in cœlum?

RESP. *Primùm, quod in cœlo apud Patrem pro nobis intercedit. Deindè quod carnem nostram in cœlo habemus, ut eo tanquam certo pignore confirmemur, fore ut ipse, qui caput nostrum est, nos sua membra ad se extollat. Tertiò quod nobis suum Spiritum mutui pignoris loco mittit, cujus efficaciâ non terrena, sed superna quærimus, ubi ipse est, ad dextrâm Dei sedens.*

EXEGESIS.

Adscensionis fructus **Intercessio Christi.**

EXplicato & vindicato sensu articuli de adscensione Christi in cœlum, fines ac fructus ejus præcipui subjiciuntur tres, numero. *Primus* est intercessio Christi pro nobis apud patrem. Hæc duplici ferè nomine notatur in Scriptura. I. Vocatur ἐμφανισμὸς apparitio, *Heb.*9.v.24. Qua Christus ostendit & exhibuit se Patri, cum proprio sanguine, id est, vigore illius, v.12.25.26. ut efficacia sacrificii semel oblati perpetua sit. II. Dicitur παράκλησις, advocatio, 1.*Ioh.*2.v.1. vel, quod idem, ἔντευξις, intercessio, *Rom.*8.v.34. *Heb.*7.v.25. Quia tanquam advocatus interpellat pro nobis reis, & clientibus, volens ut in gratiam recipiamur, & recepti in eâ conservemur, propter satisfactionem suam, quemadmodum ipse loquitur, *Ioh.*17.v.24. *Pater volo* &c.

Fiducia adscensionis nostræ.

Secundus est πληροφορία fidei, de nostrâ in cœlum adscensione, quæ argumento unionis nostræ cum Christo confirmatur. Ubi caput est, eò membra etiam extolli oportet. Caput est in cœlo; Ibi enim Christum carnem nostram habemus: Eodem igitur & nos, membra ipsius, extollemur. De hoc fructu vide *Ioh.*14.v.2.3. & *cap.*17.v.24. & *cap.* 21.v.17. *Eph.*2.v.6.

Missio Sp. S.

Tertius est missio Spiritus Sancti, quem Christus cœlitus in nos demittit: *Ioh.*14.v.16. & *cap.*16.v.7. 2.*Cor.*1.v.22. & *cap.*5.v.5. Partim, ut sit nobis mutuum pignus, pignori alteri carnis Christi, quod ipse in cœlo quasi deposuit, respondens; Unde & arrhabo hæreditatis nostræ appellatur *Eph.*1.v.15. Partim etiam ut corda nostra ad meditationem, ac studium rerum cœlestium excitet, & elevet *Col.*3.v.1. *Phil.*3.v.20. A quo duplici effecto hic describi-

Anti-

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. quadrag. nonam.*

Antithesis I.

Christus ideò adscendit in cœlum, ut ibi fieret sacerdos, qualis antè non fuerat in terrâ, dicente Apostolo Heb. 8. v. 4. Si in terrâ esset, ne sacerdos quidem esset: *Item fratribus per omnia similem factum esse, ut fieret misericors, & fidelis Pontifex* cap. 2. v. 17.

Responsio.

Christum in terrâ verè fuisse Sacerdotem, alibi prolixè demonstratum est, à nomine, definitione, & propriis actibus sacerdotii ipsius. Neque id negat Apostolus loco allegato. Loquitur enim non de omnibus, sed de iis solùm partibus officii Sacerdotalis, quas ipse extra sacrarium illud cœleste peragere nequibat. In terrâ fuit sacerdos quoad ἱλασμὸν, orans pro populo, *Ioh.* 17. & se in victimam pro eo offerens *capp.* 18. 19. In cœlo factus est sacerdos quoad ἐμφανισμὸν, *Heb.* 9. v. 24. ingrediens cœleste sanctuarium cum victimali sanguine, *vers.* 12. 25. 26. ibique pro populo apud Deum intercedens, *cap.* 7. v. 25. Factus, inquam, est sacerdos, non novo aliquo genere sacerdotii, sed exercitio novi actus Sacerdotalis, qui extra illud tabernaculum exerceri non poterat. Et hujus actus respectu negat Apostolus Christum futurum sacerdotem, si mansisset in terrâ. Alterum ex *Hebr.* 2. nimis jejunum est ac dilutum. Debuit fratribus similis fieri; non ut fieret Pontifex: Erat enim jam divinitus consecratus in Pontificem, ut est *cap.* 5. v. 5. 6. sed ut fieret misericors Pontifex, qui posset affici sensu calamitatum nostrarum; sicut explicatur *cap.* 4. v. 15. Quæ præterea hic nugantur, vel potius blasphemant impudentissimi hæretici, de sacrificio Christi, quòd sit voluntas nobis subveniendi; quòd in cœlo demum peragatur: Item, de expiatione peccatorum, quam esse volunt liberationem à peccatis, & pœnis eorum per potestatem Christo à Patre donatam: Hæc, & alia, quia perpetuo consensu Scripturæ refelluntur, & in Catechesi ipsorum nullo sive testimonio, sive argumento communiuntur, cum detestatione explosa mittimus. Hieronymus de talibus loquens, ait, *Prodidisse refutasse est.*

Christus etiã in terrâ fuit Sacerdos

Vindicatur Heb. 8. v. 4.

Heb. 2. v. 17. vindicatur.

Antithesis II.

Intercessio Christi non sic accipienda est, quasi ille preces pro nobis fundat apud Deum; Id enim cum perfecta ipsius potestate non consistit: sed quod potestatem illam ex dono Patris acceperit, & ita exerceat, ac si intervenientibus quasi precibus eam ab ipso obtinuisset. Quomodo prærogativa ac eminentia Patris supra Filium stabilitur.

Responsio.

Intercessio Christi qualis.

Nec nobis intercessio Christi est humilis aliqua aut supplex deprecatio; quali in diebus carnis suæ usus est, *Hebr.* 5. vers. 7. multò minus est larva illa ementitæ potestatis, quam precariò quasi filius exerceat. I. Quia enim Scriptura planè ignorat. II. Quia non nititur sanguine ac morte Christi. III. Quia etiam nudi hominis esse fingitur. Est verò apparitio, & advocatio pro nobis apud Deum, sacrificii semel oblati vigore instituta, prout suprà declaravimus. Prærogativa Patris supra Filium, ordinis est, aut voluntariæ dispensationis; non naturæ & Deitatis.

QUÆST. L. Cur additur: sedet ad dextram Dei?

RESP. *Quia Christus ideò in cœlum adscendit, ut se ibi caput suæ Ecclesiæ declararet, per quod Pater omnia gubernat.*

EXEGESIS.

Sessio Christi ad dextram Patris quid.

TErtius gradus exaltationis Christi est *Sessio ad dextram Dei Patris*; qui gradus cum priore cohæret, ut finis cum effecto destinato. Propterea enim adscendit Christus in cœlum, ut sederet ad dextram Patris. *Dextra* tribuitur Deo, non propriè; Est enim Spiritus, *Iohann.* 4. v. 24 qui nec dextram, nec sinistram habet: Sed impropriè, ac ἀνθρωποπαθῶς, ad infinitam ejus majestatem ac potentiam, captui nostro accommodatè significandam. Similiter *sedere ad dextram*, non sumitur propriè; quasi nimirum Christus ita sit in cœlo, ut semper sedeat,

deat. nam ſtantem vidit ſtephanus *Actor*. 7. v. 56. Sed metaphoricè ſignificat, ipſum proximum à Deo dignitatis, honoris, & potentiæ gradum obtinere; argumento locorum 1. *Reg*. 2. *verſ*. 19. *Pſalm*. 45. v. 10. *Matth*. 20. v. 21. *Epheſ*. 1. *verſ*. 20. *ſeqq*. *Phil*. 2. v. 9. 10. *Coloſſ*. 1. v. 18. Ideoque gloria ſeſſionis ad dextram Patris, duo hæc Chriſto vendicat. I. Summam majeſtatem ſupra omnia, ſive nomen ſupra omne nomen, *Phil*. 2. v. 9. 10. ut ipſe, qui ſecundum naturam divinam æqualis eſt Patri, ſecundum naturam humanam honore à Deo ſit proximus. II. Summam poteſtatem in omnia, *Epheſ*. 1. v. 20. 21. 22. & vicariam gubernationem Eccleſiæ, nomine Dei; ut eſt 1. *Cor*. 15. v. 25. *collato cum Pſalm*. 110. v. 3. Nam qui hic dicitur ſedere ad dextram Dei illic dicitur regnare. Atque ex his ipſis partibus, Catecheſis ſeſſionem Chriſti ad dextram Patris perſpicuè definit. Uno verbo: ſedet Chriſtus ad dextram Patris, quatenus mediator eſt, in regno ſuo exaltatus, & officium mediatorium glorioſiſſimè & potentiſſimè cœlitus exſequitur.

Complectitur ſummam majeſtatem, poteſtatem.

QUÆST. LI. Quid nobis prodeſt hæc gloria noſtri capitis Chriſti?

RESP. *Primum quòd per pèr Spiritum Sanctum, in nos, ſua membra, cœleſtia dona effundit. Deindè, quòd nos ſuâ potentiâ contra omnes hoſtes protegit ac defendit.*

EXEGESIS.

INdicantur duo *fructus* ſeſſionis Chriſti ad dextram Patris. *Prior* eſt gubernatio noſtri per Spiritum Sanctum, quem in nos, tanquam caput in membra, copioſè effundit, *Actor*. 2. v. 33. *Tit*. 3. v. 6. & per quem nos donis cœleſtibus ad vitam æternam inſtruit *Eph*. 4. v. 8. *ſeqq*. *Alter* eſt defenſio noſtri contra Satanam, mundum, & ipſam mortem *Rom*. 8. v. 32. *ſeqq*. *Pſalm*. 11. v. 5. 6. 1. *Cor*. 15. v. 25. 26. Quæ defenſio potens, *Ioh*. 10. v. 28. *Matth*. 16. v. 28. ac glorioſa eſt: Ex qua ſumma Chriſti gloria etiam ipſis hoſtibus patefit *Epheſ*. 1. v. 20. *ſeqq*. *Phil*. 2. v. 9. 10. 11.

Fructus Seſſionis.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. quinquagesimam & quinquages. primam.*

An Sessionis Christi finis sit intercessio.

An finis, & scopus sessionis Christi ad dextram Patris, hic tantummodo sit, quod Iesus Christus ibidem se declaret ut caput Ecclesiæ suæ; & non simul, ut ibidem coram facie Patris comparere, & pro nobis orare possit, uti Scriptura docet.

Resp. Finis ille tanquam generalis, alterum specialiorem sub se complectitur. Declarare se caput Ecclesiæ in cœlis, est etiam pro Ecclesiâ in cœlis apud Patrem intercedere. An caput obliviscatur membrorum suorum, ac curam eorum deponat? Et, si cœlitus gubernat membra sua per Spiritum Sanctum, eademque potentiâ suâ tuetur adversus omnes hostes; utique re ipsâ intercessionis suæ efficaciam eis comprobat.

QUÆST. LII. Quid te consolatur reditus Christi ad judicandum vivos & mortuos?

RESP. *Quod in omnibus miseriis & persecutionibus, erecto capite, eundem illum, qui se prius pro me judicio Dei statuit, & maledictionem omnem à me abstulit, judicem è cælo exspecto, qui omnes suos & meos hostes in æternas pœnas abjiciat: me verò cum omnibus electis ad se in cœlestia gaudia, & sempiternam gloriam traducat.*

EXEGESIS.

Reditus Christi ad judicium.

QUartus & ultimus gradus exaltationis Christi, est *Reditus ipsius ad judicium*, in symbolo trifariam nobis descriptus: à loco unde rediturus est, qui est cœlum illud supremum in quod adscendit *Act.*1.v.11.& *cap.*3.v.21.*Phil.*3.v.20. A fine, cujus gratia rediturus est, qui est extremum illud & universale judicium, in fine seculorum exercendum *Matth.*25.v.31.*seqq. Act.*17.v.31. Et deniq; à judicii illius objecto, quod sunt omnes in universum homines *Rom.*14.v.10. 2 *Cor.*5. v. 10. qui distributione ex adjunctis significantur; quod alii vivi futuri sint, ii nimirum quos reditus Domini

Domini superstites deprehendet in terrâ, & in momento mutabit 1. *Cor.* 15. v. 51. 1. *Thess.* 4. v. 17. Alii mortui, qui ante Christi reditum, jam inde ab Abele, usque ad ultimum hominem, obdormierunt, resuscitandi ad judicium 1. *Thess.* 4. v. 16. *Apoc.* 20. v. 12. 13. 14. In Catechesi explicatio hujus articuli accommodatur ad praxin, & consolationem fidelium; quæ certè non levis aut vulgaris, sed longè maxima est: id quod geminâ amplificatione ex adjunctis ostenditur. Nam consideratio & fides reditus Christi, vividum ac firmum præbet solatium in omnibus persecutionibus, Christi & Euangelii causâ toleratis, aut tolerandis: & tam desiderabilis, amabilis est fidelibus, ut exsertâ quasi cervice, & erecto capite eundem exspectent *Rom.* 8. v. 19. 22. 23. *Phil.* 1. v. 10. De quo Christi monitum exstat *Luc.* 21. v. 28. Fundamenta consolationis tria sunt, quæ partim à persona judicis; partim ex ejus effectis sumuntur. *Primum* est, quod is exspectatur judex, qui se ante judicio Dei pro nobis statuit *Esa.* 53. v. 11. *Heb.* 10. v. 6. 7. ut mediator, advocatus, & sponsor noster 1. *Tim.* 2. v. 5. 1. *Ioh.* 2. v. 1. *Heb.* 7. v. 22. Qui etiam maledictionem omnem à nobis abstulit, ut servator & liberator noster, factus pro nobis maledictio *Gal.* 3. v. 13. Est igitur judex non iratus, sed placatus, summe propitius, & favorabilis, qui nullam sive accusationem, sive condemnationem adversus nos admittit *Rom.* 8. v. 33. 34. Cujusmodi certè omnes desiderant. *Alterum* est abjectio hostium in pœnas æternas; qui non modò nostri, sed ipsius quoque hostes fuerunt 2. *Thess.* 1. v. 8. *seqq.* *Apoc.* 20. v. 10. Hanc objectionem præcedet cognitio causæ, & sententiæ dictio, ut est *Matt.* 25. v. 41. *seqq.* *Tertium* est receptio fidelium & electorum omnium in beatitudinem, 1. *Thess.* 4. v. 17. quæ declaratur: à subjecto loci, cum Christus dicitur eos ad se, videlicet in cœlum, recepturus; ut ubi ipse est, & illi sint: *Ioh.* 14. v. 3. & *cap.* 17. v. 24. à partibus integrantibus, quæ sunt, gaudium, & gloria *Psal.* 16. v. 11. *Matt.* 13. v. 43. 2. *Cor.* 4. v. 17. ab æterno ipsis parata, *Matt.* 25. v. 34. & denique à partium illarum adjunctis, quod gaudia sint non terrena, sed cœlestia; non corporalia, sed spiritualia *Rom* 14. v. 10. Gloria item non temporaria, aut momentanea, sed æterna. 2. *Cor.* 4. v. 17. 18.

Consolatio quam piis suppeditat.

De

DEO SPIRITU SANCTO.

QUÆST. LIII. Quid credis de Spiritu Sancto?

RESP. *Primum, quod sit verus, & coæternus Deus, cum æterno Patre, & Filio. Deinde quod mihi quoque datus sit, ut me per veram fidem, Christi, & omnium ejus beneficiorum participem faciat, me consoletur, & mecum in æternum maneat.*

EXEGESIS.

HUc usque fuit altera, eaque præcipua pars explicationis symboli Apostolici, de Deo Filio; sequitur tertia *de Spiritu Sancto* qui duplici hoc nomine usitate appellatur in symbolo: *Illo* quidem non tam spiritualis essentiæ, quæ Patri & Filio communis, *Joh*. 4. v. 24. quam ὑποστάσεως, sive subsistentiæ respectu: quia à Patre & Filio, unà quasi spirantibus, procedit. 1 *Cor*. 2. v. 12. *Joh*. 15. v. 26. *Isto* verò, quod non solùm in se sanctus sit essentialiter & subjectivè; sed præcipuè quod in nobis talis sit effectivè, immediatâ virtute, ac singulari operatione nos sanctificans ad vitam æternam. 1. *Cor*. 6. v. 11. 1. *Pet*. 1. v. 2.

Spiritus S.

Cæterum de Spiritu Sancto duo traduntur in Catechesi, Quis sit personâ, & Qualis sit officio & peroratione. *Persona*, descriptione quâdam declaratur, quod sit verus & coæternus Deus, cum æterno patre & filio. Vera ac æterna ejus Deitas asseritur; quod tribuuntur ei. I. Nomina Jehovah, *Esa*. 6. v. 9. *Actor*. 28. v. 25. Deus, 1 *Cor*. 3. v. 16. etiam oppositè ad creaturas *Act*. 5. v. 3. 4. II. Proprietates Dei; æternitas, *Heb*. 9. v. 14 omnipræsentia, *Psal*. 139. v. 1. *seqq* omniscientia, *Joh*. 14. v. 26. omnipotentia *Heb*. 3. v. 7. III. Opera Dei; creationis, *Psalm*. 33. v. 6. conservationis, *Genes*. 1. v. 2. missionis prophetarum, *Esa*. 48. v. 16. 2 *Pet*. 1. v. 21. Sanctificationis 1. *Petr*. 1. v. 2. IV. Cultus religiosus; Baptismi, *Matt*. 28. v. 19. Invocationis 2. *Cor*. 13. v. 13. &c. Quod autem ordine existendi sit tertia persona Deitatis, illis locis demonstratur, quibus omnes tres personæ secundum

Persona.

rela-

relationem originis enumerantur *Matth.* 28. v. 19. 1. *Ioh.*5.v.7. *Officium* Spiritus Sancti explicatur. I. Causâ efficiente, quod detur, scil. à Patre, & Filio, *Actor.*2.v.17.23. *Iohan.*14.v.16.17. & *cap.*15.v.26. & *cap.*16.v.7. quorum uterque per eum est efficax. II. Subjecto recipiente, quod sunt electi & credentes; & quidem singuli eorum, *Gal.*3.v.14.*Tit.*3.v.6. Nam mundus eum non potest recipere *Ioh.* 14.v.17. Ideoque dona quæ in reprobis nonnunquam operatur, ipsis nunquam sunt salutaria, *Matth.*7.v.22. 23. neque sunt charismata gratos facientia, sed gratis data, ad ædificationem Ecclesiæ 1. *Cor.* 12.v.21.& *cap.*13.v.1.*seqq.* III. Effectis, quæ quatuor ordine commemorantur; *Vera fides*; 2.*Cor.* 4.v.13. 1.*Cor.* 12.v.3. remissionem peccatorum, *Act.* 26.v.18. & donum justitiæ accipiens ad vitam, *Rom.*5.v.17. quæ à fide historicâ, temporariâ, ac miraculorum distinguitur. *Vnio cum Christo*; 1.*Cor.*12 v.13. 1.*Ioh.*3. v.24. ex quâ pendet communio beneficiorum ipsius *Rom.* 8. v. 9.*Eph.*3.v.16. *Consolatio*; quâ consolatur nos in omni afflictione nostrâ *Ioh.*14.v.16. & *cap.*15.v.26. 2.*Cor.* 1.v.4. Et postremo *perpetua inhabitatio ipsius in nobis*, quod manet nobiscum in æternum, *Ioh.*14.v.16.& per ipsum etiam Pater, & Filius, v.23. ut ita simus templa Spiritus Sancti, 1.*Cor.*3.v. 16. & habitacula sacrosanctæ ac individuæ Trinitatis, 2.*Cor.*16.v.16.*Ioh.* 14.v.16.23.

Officium.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. quinquages. tertiam.*

An non hæc responsio Catecheseως imperfecta sit, & inter utrumque membrum, ejus loco inseri præstet hæc; Quod Spiritus Iesu Christo datus sit, ut mediatori inter Deum & nos, quo per eundem Spiritum Ecclesiam colligeret, vivificaret, conservaret & gubernaret; quibus mox subjungantur ista, Quod spiritus etiam mihi datus.

An non inserendum quod Sp.S. datus Christo ad colligendam Ecclesiam?

Resp. Officium Spiritus Sancti, quoad Christum ipsum, supra explicatum est quæst. XXXI. XXXV. *seq.* Hic ea pars officii ipsius attingitur, quæ nos spectat, & quam Spiritus Sanctus propter Christum, hoc est, propter meritum & intercessionem ipsius, in nobis exercet. Immeritò igitur responsio imperfectionis nomine reprehenditur.

Anti-

Antitheses Catecheticæ Socinianorum *ad quæst. & resp. quinquages. tertiam.*

Antithesis I.

Spiritus Sanctus non est persona Deitatis, nec in Deitate ut persona
1. *subsistit* I. *Quia ea, quæ Spiritui Sancto in Scripturis attribuuntur, nulla prorsus ratione personæ conveniunt; ut sunt, quòd detur, quod ex eo detur; idque aut secundum mensuram, aut absque omni mensurâ: quòd effundatur ipse, & ex ipso effundatur: quod eo potionentur homines: quòd augeatur; in duplo detur, in partes distribuatur, tollatur ipse, & ex ipso tollatur; quòd interdum sit, interdum non sit; quod exstinguatur;*
2. *& quæ similia de ipso in Scripturis prædicantur.* II. *Idem ex eo patet, quòd non sit extra Deum natura, sed in ipso Deo. Nisi enim naturâ Deo inesset, non potuisset Paulus Spiritum Dei cum spiritu hominis, qui homini inest naturâ, conferre* 1 Cor. 2. v. 11. *Quoniam verò Spiritus Sanctus in Deo est, nec tamen in Spiritu Sancto reciprocè dici potest esse Deum,*
3. *hinc apparet Spiritum Sanctum non esse personam. Præterea supra demonstratum est, unam tantum esse in Deitate personam, cujus virtus est Spiritus Sanctus* Luc. 1. v. 35. & cap. 24. v. 49. *Ergo ipse persona divina non*
4. *est. Postremò, si Spiritus Sanctus esset persona Deitatis, essentiam quoque divinam haberet. At essentia divina est una numero, nec tribus personis esse potest communis. Ergo nec Spiritus Sanctus est persona Deitatis.*

Responsio.

Spiritus S. est persona Deitatis.

Spiritum Sanctum esse personam, & personam divinam in Deitate subsistentem, multis iisque firmissimis argumentis, ex Scripturâ demonstrari potest: sed instituto nostro in præsentia duo hæc abundè sufficient. *Primum*; Qui est ὑφιστάμενον νοερὸν, est persona. Spiritus Sanctus est ὑφιστάμενον νοερὸν. Ergo. Ὑφιστάμενον; quia assumsit corpoream ac visibilem speciem, in quâ apparuit; columbæ, *Luc.* 3. v. 22. ignis, *Act.* 2. v. 3. Quia mittitur à Patre & Filio, *Ioh.* 15. v. 26. docet, ducit, regit, consolatur, *Ioh.* 14. v. 26. & *cap.* 16. v. 13. & varia dona hominibus distribuit, à quibus tamen disertè distinguitur, ut autor eorum 1. *Cor.* 12. v. 4. 11. Νοερὸν, quia scrutatur profunditates Dei, & solus novit, quæ sunt Dei 1 *Cor.* 2. *vers.* 10. 11. Quia est Spiritus

ὑφιστάμενον νοερόν.

Spiritus sapientiæ, intelligentiæ, consilii, & scientiæ, *Esa.* 11.v.2. distribuitque hæc dona sua, prout vult 1. *Cor.* 12.v.11. *Secundum*; Quæ persona est Dei, ex Deo, Deus; ea est persona Deitatis. Sp. Sanctus est persona quæ est Dei; quia Spiritus Elohim, *Gen.* 1.v.2. Spiritus Jehovæ, *Esa.* 11.v.2. Spiritus Dei, 1.*Cor.* 2.v.11. vocatur: quæ est ex Deo, 1. *Cor.* 2.v.12. *Nos accepimus spiritum qui est ex Deo.* quæ est Deus, Actor. 5. *vers.* 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Mentitus autem erat Spiritui Sancto v.3. Ergò. q. est Dei, ex Deo, Deus.

His evidentissimis, & solidis probationibus, nihil opponunt adversarii præter diluta quædam & puerilia sophismata; quæ vel ambiguitate fallunt, vel petitionem principii implicant, vel aliis modis deficiunt. *Primò*; Diversa illa prædicata, quæ ex diversis Scripturæ dictis accumulant, tribuuntur Spiritui Sancto non absolutè & in se; sed relatè quoad nos, & effectorum respectu. Datur Spiritus Sanctus, augetur, minuitur, aufertur; quatenus vel dona sua confert & auget hominibus, factus ipsis Spiritus gratię, fidei, prudentię & reverentię Jehovæ, *Zach.* 12.v.10. 1.*Cor.* 4.v.13. *Esa.* 11. *vers.* 2. & aliorum autor charismatum 1. *Cor.* 11. v.18. *seqq.* Vel ea rursus minuit, *Psal.* 51.v.12.13. quibusdam etiam in totum aufert; cujus illustre exemplum in Saule proponitur 1. *Sam.* 16. 15. Quæ omnia si absolutè, & in se Spiritui Sancto convenirent; nè in Deo quidem esse posset naturâ, ut virtus ipsius, quod ipsi volunt: quandoquidem Deus in naturâ suâ omnes mutationes, alterationes, incrementa, decrementa, simpliciter respuit *Iac.* 1.v.17. *Deindè*, 1. *Cor.* 2.v.11. Apostolus confert spiritum Dei, & Spiritum hominis, quatenus ille Deo, hic homini est intimus: uterque etiam scrutatur arcana, ille divina, iste humana. Hactenus procedit comparatio, non ulterius, quasi nimirum Spiritus Dei non magis sit Deus, quàm spiritus hominis sit homo. I. quia duo illa extrema conferuntur ut paria, non absolutè, sed in tertio illo, ab Apostolo definito. II. quia secus sibi ipsi Apostolus contradiceret, qui *vers.* 16. *capitis sequentis* Spiritum Dei *Deum* vocat. *Præterea*; affirmant quidem hæretici, unam tantum personam esse in Deitate; sed non probant, & affirmant contra expressas Scripturas 1. *Ioh.* 5. *vers.* 7. *Tres sunt qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Matth. 28. vers. 19. *Baptizate eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* Is *virtus altissimi* appellatur *Luc.* 1. *vers.* 35.

Refutantur adversariorum argumenta. primum.

Secundum. 1 *Cor.* 2.v.11. vindicatur.

tertium.

sicut Christus dicitur *filius Altissimi vers.* 32. Sed Christus sic dicitur, ut persona à patre altissimo distincta. Ergo Spiritus Sanctus quoque est persona à patre distincta; Et est virtus personalis patris, à patre procedens, per quam ipse potentiam suam exserit & ostendit. Alio sensu Apostolis promittitur virtus ex alto *Luc.* 24. *v.* 49. Quia virtus illa est magnitudo animi ad prædicandum Euangelium necessaria; quâ Christus misso cœlitus Spiritu Sancto, ipsos die Pentecostes instruxit, & veluti induit.

quartum. *Postremò*, quòd essentia divina una numero non possit esse communis tribus personis, iterum turpis principii repetitio, & dicto Johannis 1, *Epist.* 5. *vers.* 17. supra recitato refellitur.

Antithesis II.

Differunt, Spiritus Sanctus, & donum Spiritus Sancti. Spiritus Sanctus *nihil aliud est, quàm virtus Dei patris, quæ ipsi naturâ inest; undè fit, ut ea, quæ Dei sunt, Spiritui Sancto attribuantur, & sub nomine Spiritus Sancti sæpè Deus ipse intelligatur, quatenus suam virtutem per spiritum suum exserit.* Donum Spiritus Sancti, *quod etiam Spiritus, & Spiritus Sanctus vocatur, bifariam intelligitur.* Primo *enim in Novo Testamento significat ipsum Iesu Christi Euangelium, ut locus* 1. Cor. 2. v. 10. *si cum loco* 2. Tim. 1. v. 10. *conferatur, apertè indicat. Et vocatur Euangelium Spiritus, partim quod contenta ejus ab ipso Deo sunt patefacta, nec ingenio humano indagari, aut excogitari potuerunt: partim quod hominis spiritum respiciat, & hominem spiritualem reddat, quod lex non potuit. Quo sensu cum accipitur vox Spiritus Sancti, tum omnibus datur, quibus annunciatur Euangelium.* Deinde *vox Spiritus Sancti designat Dei donum, quod certis hominibus datur. Quod cum à scriptura vocetur arrha, aut etiam arrha hæreditatis nostræ,* 2. Corinth. 1 vers. 20. & capp. 5. vers. 5. Ephes. 1. vers. 14. *& simul de eo dicatur, quod in corda nostra infundatur, hinc necessario efficitur, nihil aliud esse, quam firmam, & certam vitæ æternæ, nobis promissæ, spem, cujus in cordibus nostris gustum, sensumque percipiamus.*

Respon-

Responsio.

Certum est nomen *Spiritus Sancti* duplici significatu usurpari in Scripturâ: *Proprio*; ad denotandam tertiam personam sacræ Trinitatis *Matth.* 28.*vers.* 19. *Ioh.* 15. *vers.* 26. Et *improprio*, sive metonymico; vel ad exprimenda illius personæ dona, *Ioh.* 3. *vers.* 34. & *cap.* 7. *vers.* 39. *Actor.* 2. *vers.* 17. & *cap.* 8. *vers.* 15. 17. 1. *Thess.* 5. *vers.* 19. 1. *Ioh.* 4. *vers.* 13. vel ad notandam doctrinam spiritus, tam κατὰ δόξαν & opinione hominum, 1. *Ioh.* 4. *vers.* 1. 2. quàm ex veritate rei 2. *Cor.* 3. *vers.* 6. 1. *Ioh.* 5. *vers.* 6. 8. Sed *priore* sensu non est virtus patris essentialis, aut ejus proprietas, per quam ipse operatur, sed vera & realiter ab ipso distincta ὑπόστασις, prout supra ostensum est. *Posteriore* verò sensu, licet Euangelii quoque doctrinam significet; tamen significatus ille non evincitur ex collatione locorum 1. *Cor.* 2. *vers.* 10. & 2. *Tim* 1. *vers.* 10. qui dissimiles sunt. Nam *illic* causa principalis illuminationis, vocabulo Spiritus propriè sumto; *isthîc* causa ejus instrumentalis indicatur; quæ est Euangelium, per quod efficax est Spiritus Sanctus in cordibus electorum. Interim effectus ille ad utramque causam, diverso respectu ac gradu, etiam seorsim merito revocatur. Deinde *Spiritus* vocatur *Euangelium*, quia est ministerium spiritus, adjunctam sibi habens efficaciam Spiritus Sancti, sicut Apostolus ipse declarat 2. *Cor.* 3. *vers.* 6. 8. expressa antithesi ad legem, quæ virtute illâ destituitur. Eodem sensu alibi dicitur potentia Dei ad salutem omni credenti *Rom.* 1. *vers.* 16. & 2. *Cor.* 10. *vers.* 4. 5. 6. *inter se collatis.* Cum quâ expositione coincidit posterior ratio nominis, quam ipsi adferunt. *Prior* autem, etsi vera, 1. *Cor.* 2. *vers.* 9. 10. *Matth.* 16. *vers.* 17. longius tamen petita est. Denique facile patimur spem, & exspectationem vitæ æternæ, spiritus nomenclaturâ designari, sed cum duplici hâc limitatione I. ut non excludantur cætera ipsius dona, à quibus ipse denominatur spiritus sapientiæ, consilii, potentiæ, *Esa.* 11. v. 2. spiritus gratiæ & precum, *Zach.* 11. v. 12. *Heb.* 10. v. 29. spiritus Sanctificationis, 1. *Pet.* 1. v. 2. Adoptionis, *Rom.* 8. v. 15. Fidei 2. *Cor.* 4. v. 13. &c. II. ut una cum effectis ipsa causa; cum donis spiritualibus ipse spiritus, persona Deitatis per se subsistens, intelligatur.

Spiritus S. dicitur propriè

impropriè.

Euangelium quatenus dicatur Spiritus.

Spes vitæ æternæ quatenus, dicatur Spiritus.

QUÆST. LIV. Quid credis de sanctâ, & Catholica Christi Ecclesiâ?

RESP. *Credo filium Dei ab initio mundi ad finem usque, sibi ex universo genere humano cœtum ad vitam æternam electum, per Spiritum suum, & verbum, in verâ fide consentientem colligere, tueri ac servare, meque vivum ejus cœtus membrum esse, & perpetuo mansurum.*

EXEGESIS.

SUbjectum recipiens sanctificationis, & Spiritus Sanctificantis, ex articulo nono statuitur *Ecclesia*; de quâ profitemur, quòd credamus eam, non quod in eam credamus. Nec enim fiduciam reponimus in Ecclesiâ, sicut in Deo; sed persuasi sumus per fidem esse Ecclesiam, nos esse ejus membra, omniaque bona ejus ad nos pertinere. Ipsa vox *Ecclesia* Græca est, non solùm notatione; dicitur enim ab ἐκκαλεῖσθαι, evocando: sed etiam usu, quia usitatum Græcis, cœtum civium voce præconis ad concionem evocatum, appellare *Ecclesiam*. Primi LXX. Interp. vocem hanc traduxerunt ad significandos conventus Israëlitarum: quos secuti Euangelistæ & Apostoli in Novo Testamento, eandem de populo Dei, ex omnibus gentibus per prædicationem Euangelii evocato, usurparunt. Sed illi promiscuè acceperunt συναγωγῆς, & ἐκκλησίας vocabula: imò priore multò frequentius usi sunt; undè factum, ut congregationes Judæorum Synagogæ dicerentur. Hi autem etsi non prorsus abstinent à Synagogæ vocabulo; sicut *Heb.* 10. vers. 25. *Iacob.* 2. vers. 2. videre est: tamen frequentissimè, & penè ubique utuntur nomine Ecclesiæ, ut cœtus Christianos distinguant, à cœtibus Judaicis. Quia etiam nomen illud generalius est, politicis & profanis conventibus in ipsâ Scripturâ attributum; *Act.* 19. v. 32. 39. 40. ideò ut ab istis quoque populum Dei discernerent, cum denominatione Ecclesiam Dei, *Actor.* 20. v. 28. 1. *Cor.* 11. v. 16. 1. *Tim.* 3. v. 16. & Christi, *Rom.* 16. v. 16. *Coloss.* 1. v. 24. appellârunt. Sed in Symbolo discriminis causâ aliis epithetis insignitur

Ecclesia unde dicta.

Christiana dicitur.

gnitur Ecclesia. I. *Sancta* vocatur, quia separata à cœtibus profanis, inprimis à Synagogâ Satanæ, *Apoc.* 2. v. 9. sanctificatur per sanguinem & Spiritum Christi ad vitam æternam 1. *Cor.* 6. v. 11. *Hebr.* 10. v. 10. *Tit.* 3. v. 5. II. Vocatur *Catholica*, communiter quidem quod omnibus temporibus, usque ad finem mundi fuerit, & futura sit aliqua in mundo Ecclesia; *Matth.* 28. v. 20. 1. *Cor.* 11. v. 26. Singulariter verò in Novo Testamento, eò quòd colligitur ex omnibus populis in toto orbe terrarum, juxta mandatum Christi *Matth.* 28. v. 19. *Marc.* 16. v. 19. *Luc.* 24. v. 47. *Act.* 1. v. 8. Catholica.

Hæc de quæstione, & verbis symboli eâ comprehensis. Responsio exhibet definitionem Ecclesiæ, quæ causalis est, ex quatuor generibus causarum secundùm Scripturam constituta. Ejus.

Causa efficiens est ipse Filius Dei, Dominus noster Jesus Christus; quem Pater constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ *Ephes.* 1. v. 22. qui exposuit se pro eâ, *cap.* 5. v. 25. acquisivit eam proprio sanguine, *Actor.* 20. v. 28. & is est qui salutem dat corpori *Ephes.* 5. v. 23. Ut non immerito Ecclesiam nominet suam Ecclesiam, *Matth.* 16. v. 18. & suum populum, *Tit.* 2. v. 14. Est autem efficiens Ecclesiæ tum *procreans* qui colligit sibi Ecclesiam, *Ephes.* 4. v. 11. 12. vocando peccatores ad resipiscentiam, *Matth.* 9. v. 13. reducendo oves ad caulam, à quâ aberrarunt; *Matth.* 15. v. 24. *Luc.* 15. v. 4. tum *conservans*, tuendo eam adversus portas inferorum, *Matth.* 16. v. 18. & ita custodiendo, ne vel unum ejus membrum pereat, aut perire possit, *Iohan.* 17. v. 12. & *cap.* 10. v. 28. Utrumque horum à modo efficientiæ sive causalitatis, itemque à temporis adjuncto declaratur. *Modus* indicatur, cum dicitur; quòd colligat ac conservet Ecclesiam per Spiritum suum & verbum, *Rom.* 15. v. 17. 18. 19. quo nimirum efficax sit collectio, & conservatio. Ex his verbum ordinariè præcedit, tanquam organum, & ministerium Spiritus Sancti, *Rom.* 1. v. 16. & *cap.* 19. v. 17. 2. *Cor.* 3. v. 8. Operatio Spiritus sequitur efficaciam dans verbo, 1. *Cor.* 3. v. 6. ut fide contemperetur in cordibus nostris, *Heb.* 4. v. 1. atque etiam custodiatur *Luc.* 8. v. 15. *Tempus* quoque exprimitur, cum additur; quòd colligat & conservet Ecclesiam ab initio mundi ad finem usque. Nunquam enim Filius Dei fuit sine Ecclesiâ, nec caput es- Efficiens. Christus.

ſe poteſt abſque membris *Epheſ.* 1. v. 22. 23. Erat Eccleſia in Veteri Teſtamento, cui locutus eſt Deus per Patriarchas & Prophetas, *Heb.* 1. v. 1. *Luc.* 11. v. 49. 50. 51. & in quâ claruerunt, qui celebrantur ab Apoſtolo *Heb.* 11. Eſt, & fuit Eccleſia in Novo Teſtamento, per omnia ejus ſecula, ut conſtat; & deinceps futura eſt uſque ad finem, cum Chriſtus ei promiſerit gratiæ ſuæ præſentiam, uſque ad conſummationem ſeculorum, *Matth.* 28. v. 20. inque ea mortis ſuæ ἀνάμνησιν ad reditum ſuum ſanciverit 1. *Cor.* 11. v. 26.

Materia, cœtus ex Genere Humano collectus.

Materia eſt cœtus ex univerſo genere humano collectus. Totum genus humanum non eſt Eccleſia, ſed cœtus ex eo collectus, & ex omnis generis atque ordinis hominibus conſtans: ſicut dicitur, ſelectus è mundo, *Ioh.* 17. v. 6. redemtus ex omni gente, tribu, linguâ, & natione *Apoc.* 5. v. 9. Id quod præcipuè de Eccleſiâ Novi Teſtamenti intelligendum eſt; quæ mandato Chriſti ex omnibus totius orbis populis congregata fuit, *Matth.* 28. v. 19. *Marc.* 16. v. 15. atque etiamnum congregatur. Tamen etiam in Veteri Teſtamento id ſuo modo factum eſt. Nam ante legem Deus in familiis Patrum ita conſtituit Eccleſiam ſuam, ut reliquas gentes à communione ejus minimè excluderet; quod Moſis, & Jobi hiſtoria non obſcurè teſtatur. Sub lege verò etſi abdicatis gentibus ſolos Judæos adſcivit in populum ſuum, *Deuter.* 7. v. 6. 7. *Pſalm.* 76. v. 2. & 147. v. 19. 20. ſubindè tamen nonnulli ex gentibus ſeſe illis aggregarunt, eorumque religionem amplexi ſunt; qui proſelyti & viri religioſi dicebantur, *Actor.* 2. v. 5. 10. tum inprimis, cum Judæi exules facti in varias regiones diſpergerentur, & religionis ſuæ myſteria græcâ linguâ traderent.

Forma, conſenſus in verâ fide.

Forma eſt conſenſus in verâ fide, id eſt, in doctrinâ veræ fidei, quæ verbo traditur, & corde fideli recipitur. Neque enim conſenſus in quamcunque doctrinam & religionem facit Eccleſiam; ſed in veram doctrinam: ut Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis, 1. *Tim.* 3. v. 15. ſuperſtructa ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, *Epheſ.* 2. v. 20. & conſenſus ille non tantum eſt oris, ſed etiam cordis; ut corde eandem fidem teneat ad juſtitiam, ore eandem confiteatur ad ſalutem *Rom.* 10. v. 9. 10. Inſuper Sacramentis, tanquam Symbolis & teſſeris externis, confirmatur & obſignatur 1. *Cor.* 12. v. 13. & *cap.* 10.

v. 17.

v. 17. De hoc consensu Christus Joh. 10. v. 16. *Alias etiam oves habeo, quæ non sunt ex caulâ hâc, illas quoque oportet me adducere: Nam vocem meam audient, fietque unum ovile, & unus pastor.* Item Apostolus Eph. 4. v. 4. 5. *Unum est corpus, & una fides.* & v. 13. *Donec perveniamus in unitatem fidei.* Rursum 1. Cor. 12. v. 13. *Per unum spiritum nos omnes in unum corpus Baptizati sumus* &c. Illustre autem consensus hujus exemplum in Ecclesiâ Apostolica proponitur. *Act.* 2. v. 42. 44. *seqq.*

Finis est vita æterna, ad quam Ecclesia electa est ab æterno, & vocatur atque colligitur in tempore. Electa est, quia est genus electum, 1. *Pet.* 2. v. 9. panegyris primogenitorum in cœlis conscriptorum, *Heb.* 12. v. 23. cœtus hominum selectorum è mundo *Ioh.* 17. v. 6. quibus paratum est regnum antè jacta mundi fundamenta *Matt.* 25. v. 34. Vocatur etiam, quia vocat eam Deus in regnum & gloriam suam 1. *Thess.* 2. v. 12. secundum propositum suum *Rom.* 8. v. 28. Et quia sic vocat, certò etiam glorificat æternâ gloriâ, & beatitate *Ibid.* v. 29. 30. Finis, vita æterna.

Ita se habet fides in genere, quâ credimus sanctam Ecclesiam Catholicam. In specie autem prout sub finem responsionis docetur, includit specialem applicationem, quâ quisque credit, id est, certò novit, & persuasus est: 2. *Tim.* 1. v. 12. *primo*, se esse vivum ejus cœtus membrum, *Eph.* 2. *vers.* 19. 20. *seqq.* ut qui virtute Spiritus & verbi Dei, consentiat cum sanctâ Ecclesiâ Catholicâ in verâ fide, unam eandemque fidem cum ipsâ corde teneat, & ore profiteatur. *Deinde*, se etiam perpetuo mansurum esse membrum istius cœtus *Psal.* 23. v. 6. *Ioh.* 6. v. 37. 1. *Cor.* 1. v. 8. 9. tum quia Christus non solùm colligit, sed etiam conservat Ecclesiam, omniaque ejus membra: tum quia electus sit ad vitam æternam, immutabili, & irrevocabili electione *Rom.* 9. v. 11. *Rom* 11. v. 7. 29. 2. *Cor.* 2. v. 19. De qua à posteriore, hoc est, ex vocatione & fide, quisque fidelis certus esse potest 2. *Pet.* 1. v. 10. 2. *Cor.* 13. v. 5. 6. *Rom.* 11. v. 1. 2. Applicatio hujus articuli.

Postremò explicationi quæstionis addimus regulas, quasdam de Ecclesiâ Catholicâ, utiles, imò necessarias scitu. Porismata.

I. Definitio Ecclesiæ antè tradita, primariò convenit Ecclesiæ Catholicæ militanti, absolutè dictæ; secundariò cœtibus particularibus, sub ea comprehensis. Item propriè & univocè competit veris & sinceris ejus membris, quæ sunt verè fideles; Im- 1.

propriè,

propriè & æquivocè membris simulatis, qualia sunt omnes hypocritæ; qui ut paleæ inter triticum, *Matth.* 3. v. 12. zizania inter bonum semen, *cap.* 13. *vers.* 25. 26. pisces putridi inter bonos, v. 47. versantur in Ecclesiâ, & propter externæ confessionis gloriationem ejusdem membra censentur.

2. II. Ecclesia Catholica *visibilis* dicitur propter vocationem externam, quæ fit per verbum, ejusque ministerium. Eadem quoque *invisibilis* vocatur; tum quia est cœtus electorum ad vitam æternam, *Heb.* 12. v. 23. qui soli Deo noti sunt, 2. *Tim.* 2. v. 19. tum quia nec vocatio interior spiritus, nec fides cordis sub sensus cadit: quæ appellatio ideo retinenda est, nè quis putet, habere se Ecclesiam instar imperii, ac societatis civilis; in quâ ordinariæ successioni præsulum, eorum legibus ac statutis, ita alligata sint singula ejus membra, ut, quodcunque illi statuant, necessariò sit ab omnibus recipiendum; nec ullo prætextu ab iis discedendum: cujusmodi Ecclesiam Pontificii sibi somniant & fingunt.

3. III. Notæ Ecclesiæ Catholicæ, ex quibus ipsa agnoscitur, & ab aliis cœtibus discernitur, sunt; verbi divini pura prædicatio, auditio, confessio, & sacramentorum legitima administratio, & usurpatio *Joh.* 10. v. 27. & *cap.* 8. v. 47. *Act.* 2. v. 42. 46. 47. Quæ cum vitii aliquid contrahunt, & patiuntur, Ecclesia quoque minus pura censetur. Interim Ecclesia esse non desinit. *Videantur Epistolæ ad Corinthios, & Galatas.*

4. IV. Extra Ecclesiam Catholicam, quam credimus in symbolo, nulla est salus. Nam qui extra eam sunt, sunt sine Christo, *Eph.* 2. v. 12. 19. qui corporis tantùm sui servator est *cap.* 5. v. 23. Et ideo homines adjunguntur Ecclesiæ, ut salvi fiant *Act.* 2. v. 47.

Appendix

De Prædestinatione, & Perseverantiâ Sanctorum.

CUm doctrina de Ecclesiâ connexa sunt duo alia capita doctrinæ, de *æternâ Dei Prædestinatione*; deque *Perseverantiâ Sanctorum.* Est enim Ecclesia cœtus electorum ad vitam æternam: & qui

& qui semel fiunt membra Ecclesiæ, perpetuò manent talia, tandemque vitæ æternæ participes redduntur. Ea propter utrumque hoc caput paucis aphorismis complexi distinctè prosequemur.

I. *Prædestinatio*, ex notatione nobis, est destinatio rei ad suos fines, antequam sit vel fiat. Ex definitione rei, in Scripturâ traditæ, est destinatio sive ordinatio hominum; aliorum ad salutem, *Act*. 13. v. 48. *Rom*. 8. 28. 29. aliorum ad exitium, *Judæ*. v. 4. 1. *Pet*. 2. v. 8. ab æterno facta *Eph*. 1. v. 4. 2. *Tim*. 1. v. 9. Differt à providentiâ, ut pars à toto; quia pars quædam est divinæ providentiæ. Hæc enim est de rebus omnibus; Illa de hominibus tantùm, & de statu eorum æterno. Etsi verò ad mentem, & voluntatem simul pertinet; quin imò actus mentis actum voluntatis antecedit: tamen præcipuè ad voluntatem referenda est; quia destinare, ordinare, est disponere res ad suos fines, & dispositas ad illos perducere. Et Scriptura vocabulis synonymis, *propositi*, *consilii*, *beneplaciti*, actum proprium voluntatis divinæ significat.

Prædestinatio quid,

est pars Providentiæ,

ad voluntatem potissimum pertinet.

II. *Objectum* hujus prædestinationis est genus humanum. Nam quæ circa angelos occupatur, 1. *Tim*. 5. v. 21. aliò pertinet. Et quidem totum genus humanum; quia de omnibus statuit Deus, quòd de ipsorum salute, vel exitio fieri voluit. Consideratur verò illud; non ut nondum creatum; sic enim eligendo, reprobando, versatus fuisset circa nihil, & non ens: Nec ut integrum; quia ut lapsum in Adamo, & peccato corruptum in Scripturâ proponitur *Ioh*. 15. v. 19. & *cap*. 17. v. 6. *Rom*. 9. v. 22. 23. & *cap*. 11. v. 32. *Eph*. 1. v. 4. & *cap*. 2. v. 3. Denique etiam non indefinitè, aut confusè; sed distinctè in singulis individuis, Isaaco, & Ismaële; Jacobo, & Esavo *Rom*. 9. v. 7. 8. *seqq*. Ut ita universi, & singuli homines creati, in peccatum prolapsi, & in massa perditionis positi, sint Objectum prædestinationis ad vitam, aut mortem.

Objectum genus humanum

creatum, & lapsum.

Causa ejus *impulsiva*, quâ motus Deus discrevit homines æqualiter corruptos, & alios ad vitam, alios ad mortem prædestinavit, est εὐδοκία, sive beneplacitum ipsius, præter quod aliam causam dari non patitur vel Scriptura, quæ hanc solam passim inculcat *Matth*. 11. v. 25. 26. *Rom*. 9. v. 18. *Eph*. 1. *vers*. 4. 11. vel natura rei, quæ est discretio salvandorum à damnandis, in-

Impulsiva εὐδοκία Dei.

 com-

communi massa corruptionis. Hîc discrimen ab ipsorummet hominum dignitate, vel indignitate, provenire nequivit: Nam dignitas corruptorum nulla, indignitas æqualis erat in omnibus. Et Apostolus non minus intuitum mali, quàm boni à prædestinatione excludit *Rom.* 9. *vers.* 11. Emersit igitur illud discrimen à mero Dei beneplacito, quo de æqualibus statuit inæqualiter, & alios ad indebitam gratiam, alios ad debitam pœnam ordinavit. Hoc beneplacitum, non est placitum tyrannicum, aut ἄλογον quoddam decretum, contra jus, fas, & æquum, de hominum capitibus conditum; sed est voluntas Dei liberrima, benevolentissima, ac justissima, quam Scriptura in hoc mysterio non curiosè scrutandam, sed humiliter adorandam nobis proponit.

quæ est voluntas.

Est *liberrima* voluntas, tum quia est αὐτεξούσιος absolutè, qui à superiore, aut principio externo nullo pendet; & absolutus arbiter est suorum actuum *Rom.* 9. *vers.* 15. *seqq.* tum quia est absolutæ potestatis Domini, qui de creaturis suis, tanquam de suo statuit, prout vult *Matth.* 20. *vers.* 15. *Rom.* 9. *vers.* 20. 21.

liberrima;

Benevolentissima etiam; quia est gratuita illa misericordia, & dilectio omni intelligentia superior, quâ electos suos, cum adhuc essent hostes, & iræ filii, in Christo complexus est *Eph.* 1. *vers.* 4. 5. *Rom.* 9. *vers.* 15. 16. 18.

benevolentissima.

Iustissima denique; non solum, quia voluntas ipsius est regula omnis justitiæ, ut ideo aliquid justum sit, quia ipse voluit, *Rom.* 9. v. 14. *seqq.* verùm etiam, quia justæ pœnæ, & condemnationis causas in ipsis reprobis invenit, qui sunt vasa iræ ex peccato originali, multa lenitate Dei tolerata in continuo quasi exercitio peccatorum actualium.

justissima.

Partes ejus Electio & Reprobatio.

IV. *Partes* sive *species* prædestinationis duæ sunt: Prædestinatio ad vitam, quæ dicitur *Electio*, & prædestinatio ad mortem, quæ dicitur *Reprobatio*. Etsi enim vocabulum Prædestinationis communiter in Scripturâ de Electione usurpatur, semel tamen etiam de reprobatione sumitur *Act.* 4. v. 28. Et rectè sic dici, ex æquipollentiâ vocum in dictis similibus ostendi potest *Iudæ.* v. 4. 1. *Pet.* 2. v. 8. *Rom.* 9. v. 22. Undè Augustinus, Fulgentius, & alii, duplicis prædestinationis in scriptis suis meminerunt. Habet autem ipsa partitio expressa testimonia in verbo Dei, *Rom.* 9. v. 11. *seqq.* & *cap.* 11. vers. 7. 1. *Thess.* 5. v. 9. *Matth.* 20. v. 28. & *cap.* 25. vers. 34. 41. *Esa.* 41. *vers.* 9. & ex electione Dei necessa-

necessario colligitur. Nam qui aliquos eligit, de multis; cæteros, quos non eligit, reprobat. Neque enim omnium sumptio dici potest electio. Illud præterea notandum est, partitionem hanc non constitui ex actu Dei prædestinantis, quasi is in se multiplex, divisus, & finitus esset; sed ex Objectis, & terminis ipsius prædestinationis quia alii electi sunt, alii reprobi; alii ad vitam, alii ad mortem destinati; non iidem. Usitatum verò pro diversitate Objectorum, & terminorum, diversos actus Deo attribuere, ad captum nostrum.

V *Electio* est, quâ Deus decrevit ex genere humano lapso certos quosdam homines gratis servare per Christum; & per fidem in ipsum, aliaque media ad salutem perducere. De quâ electione loquuntur hæc, & similia dicta: Matth. 13. v. 20. *propter electos quos Deus elegit.* Joh. 15. v. 20. *Ego elegi vos ex mundo.* Eph. 1. v. 4. *Elegit nos Deus in Christo ante jacta mundi fundamenta.* 1. Thess. 5. v. 9. *Non constituit nos Deus ad iram, sed ad salutem obtinendam.* Actor. 13. v. 48. *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom. 11. v. 7. *Electi assecuti sunt.* Electio quid.

VI. Hæc electio non varia aut multiplex, sed *unica* est; sicut unica est Dei πρόθεσις, unica πρόγνωσις, unica εὐδοκία *Rom.* 8. v. 28. 29. & *cap.* 9. v. 11. 2. *Tim.* 1. *vers.* 9. *Eph.* 1. *vers.* 5. Est *particularis* electio, non universalis; quia multi vocati, pauci electi *Matth.* 20. *vers.* 16. & *capp.* 22. *vers.* 14. *Definita* etiam; non indefinita, & vaga extra individua. Nam quos præcognovit Deus, hos prædestinavit *Rom.* 8. *vers.* 29. Novit suos sigillatim, 2. *Tim.* 2. *vers.* 19. & vocat eos nominatim *Joh.* 10. *vers.* 3. Insuper *absoluta* est, non pendens à causâ aliquâ extra Deum, qui præstituit eam in se ipso *Eph.* 1. *vers.* 9. Nec dici potest conditionata, ex arbitrio voluntatis humanæ; cum non sit volentis, aut currentis, sed miserentis *Rom.* 9. v. 16. Postremo *finem simul, & media complectitur*; si quidem eodem decreto Deus & finem præstituit, & media ei subordinavit, *Rom.* 8. v. 28. 29. 30. *Eph.* 1. v. 4. 5. *seqq.* 1. *Thess.* 5. *vers.* 9. 10. quæ multo minus à fine suo divelli possunt, aut ei opponi debent, quam vitę hujus subsidia, ad ejus sustentationem divinitus ordinata, ab eâ removeri, ac separari solent. Ea est unica, particularis. definita. absoluta, finem & media complectens.

VII. *Finis* electionis est vita æterna, parata nobis ante jacta mundi fundamenta, *Matth.* 25. 34. ad quam electi, ordinati, Finis, Vita æterna.

constituti dicimur 2.*Thess*.2. *vers*.13. *Actor*.13.v.48. 1.*Thess*. 5.v.9. Et idem finis est electionis, & fidei nostræ *Actor*.13.v. 48. Finis verò fidei est salus animarum, 1.*Pet*.1.*vers*.9. ad quam credimus *Heb*.10.*vers*.39. Ex hoc fine proximè pendet, & immediate fluit finis ultimus, quoad Deum, qui est gloria gratiæ ac misericordiæ ipsius *Eph*.1.v.6.7.11.12. *Rom*.9.v.23. *Matth*. 11.v.25.26.

& gloria gratiæ Dei.

Media fini subordinata.

VIII. *Media* subordinata huic fini ab Apostolo recensentur multis locis: *Rom*.8.v.29.30. & *cap*.9.v.23.24. *Eph*.1.v.4. *seqq*. 1.*Thess*.5.v.9.10. & 2.*Thess*.2.v.13.14. & sunt; Christus, & reconciliatio per eum; Vocatio efficax; Justificatio; & Sanctificatio. Quæ omnia ut causæ, & effecta inter se cohærent. Nam antecedens quodque causa est sui consequentis; & quod est causa causæ, est etiam causa causati: prout in subordinatione causarum deri consuevit. Cohærent verò non per accidens, sed per se, non contingenter sed necessariò, necessitate hypotheticâ decreti divini, nec magis separabilis est eorum inter se nexus, quam mutabile est ipsum Dei decretum *Rom*. 8.v.29.30.

1. Christus & reconciliatio per eum.

XI. *Primum* medium est *Christus*, & reconciliatio per eum, Eph. 1. vers. 4. *Elegit nos in Christo*, id est, ut per Christum nos servaret Rom. 8. vers. 29. *Quos præcognovit, hos prædistinavit, ut conformes fierent imagini filii sui*. Joh. 17. vers. 6. *Dedisti mihi homines selectos è mundo. Tui erant*, scil. ex electione, *& mihi eos dedisti*, nempè redimendos, ex *vers*. 19. Christus ergò hîc consideratur non absolutè, quâ Deus. Sic enim ipse quoque elégit unâ cum Patre, & Spiritu Sancto, *Ioh*.15.v.16. & *cap*.13.v.18. sed quâ homo, & mediator θεάνθρωπος. Quo sensu Christum ponere inter media salutis; & intentione finis, quoad ordinem rerum, posteriorem facere, adeò non est absurdum, ut ipsemet dilectionem patris missioni filii manifestè præponat: *Ioh*. 3.v.16. Petrus quoque ipsum propter nos, propter salutem nostram præcognitum, sive electum fuisse, disertis verbis asserat 1.*Epist*.1.v.19. 20. Necessitas hujus medii evidens est ex conditione objecti electionis. Elegit nos Deus ad salutem, ut peccatores *Eph*.1.v.4. *Ioh*. 15.v.16. Cum ergo saluti nostræ obstaret peccatum, quod separârat nos, & Deum nostrum, *Esa*. 59.v.2. subordinavit filium mediatorem, eumque constituit placamentum pro peccatis nostris, ad demonstrationem Justitiæ suæ *Rom*. 3.v.25.

X. *Secun-*

X. *Secundum* medium est *Vocatio efficax* ad Christum, & fidei in ipsum donatio: quâ satisfactionem Christi apprehendunt, sibique applicant electi vocati: *Rom.* 8.v.30. *Quos prædestinavit, hos vocavit*, id est, fide donavit. Cap. 9. v. 23. 24. *Vasa misericordiæ præparavit ad gloriam: quos etiam vocavit*. Ephes.1.v.5. *Prædestinavit nos, εἰς υἱοθεσίαν, ad adoptionem Filiorum Dei.* Adoptio autem fit per fidem *Ioh.* 1. v. 12. Hæc vocatio, dicitur vocatio κατὰ πρόθεσιν *Rom.* 8. v. 28. Vocatio ἀμεταμέλητος *Rom.* 11.v.29. Et non modò conjungitur cum electione, 1.*Cor*.1.v.27. 2.*Pet*.1. v. 10. sed etiam, tanquam proprium effectum ex propriâ causâ, ex eâ deducitur *Rom.* 8. v. 30. *Ephes.* 1. v. 5. 2. Vocatio efficax. & fidei donatio.

XI. *Tertium* medium est *Iustificatio*, hoc est gratuita remissio peccatorum propter Christum fide apprehensum Rom. 8. v. 30. *Quos vocavit, eos etiam justificavit*. 1.Cor.1.v.30. *Christus factus est nobis sapientia à Deo, justitia* &c. Et electorum propria est, non minus, quàm fides *Tit*.1.v.1. Sic enim Apostolus Rom. 8. v. 33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est, qui justificat*, scil. electos suos. 3. Iustificatio.

XII. *Quartum* medium est *Sanctificatio*, sive renovatio naturæ corruptæ ad imaginem Dei. Rom.8.v.30. *Quos justificavit, eos etiam glorificavit*, inchoando nimirum in ipsis sanctam, & gloriosam vitam, & transformando ipsos de gloria in gloriam 2.*Cor*. 3.v.18. Item. 1.Cor.1.v.30. *Factus est nobis justitia; & sanctificatio.* ex hâc sanctificatione dependet studium bonorum operum 2.*Cor*.5.v.15. *Tit*.2.v.14. & per illud incrementum in omni virtute 2.*Pet*.1.v.4.5. *Apoc*.22.v.11. Comitatur verò eam Perseverantia, quatenus sanctificatos Deus in sui timore constanter retinet, *Ier*.32.40. & Christus non antè desinit eos sanctificare, quam sibi stiterit gloriosos, sine rugâ, & maculâ *Ephes.* 5 v. 25. 4. Sanctificatio.

XIII. Hæc de Electione ad salutem, deque mediis, quibus Deus, electos suos ad salutem perducit. Sequitur *Reprobatio*, quâ ex genere humano lapso Deus decrevit certos quosdam homines non servare per Christum, sed in peccatis relictos propter illa æternum damnare. De hâc reprobatione intelligenda sunt dicta: Judæ v.4. *Subrepserunt quidam homines, jam prius descripti ad hanc damnationem*. 1.Pet.2.8. *Qui impingunt ad sermonem, ad quod etiam positi fuerunt*. Rom.9.22. *Vasa iræ coagmentata ad interitum.* Actor. 1. v. 25. *Iudas aberravit ab Apostolatu, ut abiret in locum suum.* Reprobatio quid.

Est ea unica, XIV. Reprobatio ad mortem, non varia, aut multiplex, sed *unica* est. Uno eodemque odio aversatur Deus omnes reprobos *Rom.* 9. v. 12. 13. Uno eodemque decreto omnes præscripsit ad damnationem *Iud.* v. 4. Eundem etiam ignem æternum omnibus præparavit *Matth.* 25. v. 41. Est deinde *particularis*, non universalis; quia multi vocati, pauci electi *Matth.* 20. v. 16. Et multi, non omnes, incedunt per viam quæ ducit ad exitium *cap.* 7. v. 13. *Definita* etiam, non indefinita; quia decretum Dei est de personis singularibus, jam prius ad damnationem præscriptis, *Iud.* v. 4. Esavo, Pharaone, Judâ, *Rom.* 9. v. 11. 17. *Ioh.* 17. v. 12. *Actor.* 1. v. 25. Insuper *absoluta* est, pendens ex mera Dei εὐδοκίᾳ, quâ damnandos discrevit à servandis, *Rom.* 9. v. 11. 17. 18. non conditionata, dependens à conditione peccati. A peccato enim si reprobatio hæc dependeret, omnes fuissent reprobati, cùm omnes sint peccatores. Interim mors & damnatio, ad quam Deus reprobavit, non est absoluta, sed ab æterno decreta est, & in tempore irrogatur propter peccatum *Rom.* 6. v. 23. Ratio hæc est; quòd reprobatio est actus liberrimæ potestatis & absoluti dominii Dei in creaturas *Roman.* 9. v. 18. 20. 21. Damnatio autem est actus justitiæ, juxta normam legis divinæ institutis, qui externam causam, peccatum, præsupponit *Deut.* 27. v. 26. *Ezech.* 18. v. 4. *Rom.* 1. v. 32. Postremò *finem simul, & media complectitur.* Quos enim præscripsit ad damnationem, *Iud.* v. 4. eos nec dedit Christo, *Ioh.* 17. v. 9. nec fide in ipsum donat, *Matth.* 11. v. 25. 26. verum in peccatis relictos, & ultro in iis permanentes, excæcat, indurat &c. *Rom.* 9. v. 18. & *cap.* 11. v. 7.

Particularis,

Definita,

Absoluta.

(Damnatio tamen absoluta non est.)

finem & media complectitur.

Finis, æterna damnatio. XV. *Finis* igitur Reprobationis est æterna condemnatio, parata reprobis ante jacta mundi fundamenta, *Matth.* 25. v. 34. 41. ad quam præscripti, coagmentati, constituti, & positi dicuntur *Iud.* v. 4. *Roman.* 9. v. 22. 1. *Thess.* 5. v. 9. 1. *Petr.* 2. v. 8. Et quidem Dei respectu est finis propriè dictus, qui eum verè intendit, & reprobos certis mediis infallibiliter ad eum perducit. Respectu reproborum verò, est finis impropriè dictus; & terminus, sive extremum potiùs, in quod incurrunt, *Philipp.* 3. v. 19. quàm finis, quem ipsi intendant: ut, qui sibi malè esse nolunt. Ex hoc fine proximè pendet, & fluit finis ultimus, quoad Deum, qui est gloria justitiæ, sive justæ iræ ipsius *Rom.* 9. v. 22. *Prov.* 16. v. 4.

& gloria justitiæ Dei.

XVI *Me-*

XVI. *Media* subordinata huic fini, quæ ex Scripturâ, & experientiâ manifestè colliguntur, sunt ista; Separatio à Christo; Omissio vocationis, aut vocatio inefficax: Retentio peccatorum; & Excæcatio, ac induratio. De quibus notanda sunt tria. I. Quòd mediis electionis, κατ' ἀντίθεσιν singularum partium, respondeant. II. Quod inter se connexa sint, ut causæ & effecta; non contingenter, sed necessariò; non separabiliter, sed inseparabiliter *Ioh.* 17. v. 12. *Actor.* 1. v. 25. Verùm alia positivè, alia privativè, pro singulorum naturâ. III. Quod inter media illa, quæ ex reprobatione fluunt, non sit peccatum. Id enim reprobatio invenit in reprobandis, non posuit in reprobatis. Neque etiam incredulitas, quasi illa indatur & ingeneretur homini per reprobationem. Nam ipse naturâ suâ est incredulus; & incredulitas est species quædam peccati, præexsistentis in ipso. Dicitur tamen nonnunquam reprobatio causa incredulitatis, quatenus causa est, cur Deus his, illis, nolit dare fidem *Matt.* 13. v. 11. — Media fini subordinata.

XVII. *Primum* medium est *Separatio à Christo*, & gratiâ reconciliationis, quam sibi optavit Apostolus pro reprobis Judæis *Rom.* 9. v. 2. A Christo autem sic enunciatur, quòd sibi dati non sint à Patre *Ioh.* 17. v. 6. 12. *seqq.* & *cap.* 10. v. 26. & *cap.* 6. v. 39. Ut ita neque pars, neque sors ipsis esse possit in Christo, aut redemtionis beneficio *Actor.* 8. v. 23. — 1 Separatio à Christo.

XVIII. *Secundum* medium est *Omissio vocationis*, cùm reprobi prorsus non vocantur ad fidem Christi, & Euangelii: quomodo Deus præteritis ætatibus sivit omnes gentes suis ipsarum viis ingredi *Act.* 14. v. 16. *Ephes.* 2. v. 11. 12. *Psal.* 147. v. 19. 20. Aut *vocatio inefficax*, cum vocantur quidem, sed absque fructu & profectu, *Matth.* 11. v. 25. & *cap.* 13. v. 11. hoc est, ita, ut vel fide non respondeant vocationi, *Luc.* 14. v. 18. *seqq.* *Matt.* 22. v. 2. *seqq.* vel non respondeant sincerâ fide *Iohan.* 2. v. 23. & *cap.* 12. v. 42. *Act.* 8. v. 13. — 2. Omissio vocationis. — aut vocatio inefficax.

XIX. *Tertium* medium est *Retentio peccatorum*, cum peccata ipsis non remittuntur, sed retinentur, ut Christus loquitur, *Ioh.* 10. v. 23. atque ita tum ipsa peccata manent, *Ioh.* 9. v. 41. tum ira Dei manet propter illa *cap.* 3. v. 36. — 3. Retentio peccatorum

XX. *Quartum* medium est *Excæcatio* & *induratio*, quâ justo Dei judicio, qui sordidi sunt, sordescunt amplius in pecca- — 4. Excæcatio & induratio.

tis

tis suis *Apoc.*22.v.11. Qui veritatem in injustitiâ detinent, Deumque in notitia retinere, aut verbo ejus credere nolunt, traduntur in mentem omnis judici expertem *Rom.*1. v. 24. 26. 28. 2.*Thess.* 2. v. 11. De hâc vide Johannem, *cap.* 12. v. 39. 40. & Paulum *Rom.* 11.v.7.8.

HACTENUS de Divinâ Prędestinatione, sub priore appendice; cum eâ verò cohæret appendix altera de *Perseverantiâ Sanctorum in fide*, paucioribus expedienda.

Sancti qui.

I. *Sancti*, de quorum perseverantiâ hîc agitur, non ii sunt, qui ab externâ fœderis communio denominantur Sancti, *Rom.* 11.v.16. 1. *Cor.* 7. v. 14. sed qui sanctificati sunt sanguine, & Spiritu Christi, *Ioh.* 17.v.19. *Heb.*10.v.10. 1. *Cor.* 6. v.11. secundùm æternum electionis propositum *Rom.* 8.28.29. *Eph.* 1. v.4. 2.*Thess.* 2. v. 13. 14.

Fides vera

II. *Fides* quoque intelligitur non historica, temporaria, aut miraculorum, quam Scriptura alicubi hypocriticam vocat, & mortuam, 1.*Tim.* 1. v. 5. *Iac.* 2.v.17. sed vera, non simulata, 1. *Tim.* 1.v.5. viva, *Iac* 2. v. 20. actuosa, 1.*Thess.*1. v. 3. & efficax per charitatem *Gal.* 5. v. 6.

Perseverantia quid

III. *Perseverantia* fidelium in fide, est continuatio & conservatio fidei, usque ad vitæ extremum; ex verbis Christi, Matt. 10.v.22. & cap. 24.v.13. *Qui perseveraverit ad finem usque, is servabitur.* Et Apostoli 2. Tim.4.v.17. *Præclarum illud certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.*

Subjectum Electi ac credentes.

IV. Hujus perseverantiæ Subjectum *recipiens* sunt omnes, & soli electi, ac credentes, sanctificati ad vitam æternam. Nam electi assequuntur salutem, reliqui occallescunt, *Rom.* 11.v.7. quod usque adeò verum est, ut affirmet Christus impossibile esse seduci electos à fide, *Matth.*24.v.24. neget Johannes, 1. *Epist.*2.v.19. esse ex numero electorum & credentium, qui non manent cum ipsis.

V. Sed rectè intelligenda est assertio, quomodo electi, fideles, non possint amittere fidem; quomodo item fidem semper retineant, ut calumniis, quibus sana doctrina iniquè gravatur obviam eatur.

Quatenus amittere queant fidem vel non.

VI. Primò non possunt fidem amittere, quantum ad consilium & virtutem Dei, conservantis eos in fide, 2. *Tim.* 2. v. 19. 1. *Petr.* 1.v. 5. & intercessionem Christi interpellantis pro ipsis, ne-

ne deficiant à fide *Hebr.*7.v.25. *Rom.*8.v.34.*seqq.* Possunt verò eam amittere, quantum ad infirmitatem hominum, & mutabilitatem voluntatis suæ 1 *Cor.*10.v.12. *Rom.*11.v.20. Item quoad tentationes Diaboli, *Luc.*22.v.31. 1 *Petr.*5.v.8. & scandala, quæ in vitæ communis societate obvenire solent 1 *Cor.*15. v. 33. *Rom.*14.v.15.

VII. Impossibilitas igitur amittendæ fidei non est absoluta, sed limitata; nec simpliciter, sed secundùm quid, & non nisi Dei respectu, (in quo solo salus nostra fundata est,) electis, & fidelibus tribuitur. Impossibilitas amissionis qualis.

VIII. Præterea *fides*, quam semper dicuntur retinere, bifariam; in actu, *Phil.*1.v.29. & habitu; *Eph.*2.v.8. vel etiam trifariam spectatur; In fructu, in sensu, & in semine. De fructu est Gal. 5.v.6. *Fides operans per charitatem*, Luc.8. v.15. *fructum adferunt per tolerantiam.* De sensu. 2 Tim.1.v.12. *Novi cui crediderim, & mihi persuasum est* &c. Rom.5 v.1. *Iustificati fide pacem habemus* &c. De semine 1 Petr.1. v.23. *Regeniti ex semine Dei incorruptibili, per sermonem Dei vivum, manentem in æternum.* Fides diversimode spectanda.

IX. *Fructus* fidei non semper retinent, & ostendunt fideles; ut qui aliquando in luctâ spirituali impediuntur à carne, nè prodeant foras *Rom.* 7. v. 15. *seqq.* Aliquando intus securitate, aut peccatis contra conscientiam suffocantur 2 *Sam.* 11. *cap. Sensum* etiam fidei nonnunquam in luctâ, & adversitatibus, *Psalm.*42. v.2. *seqq. &* 77. v. 8.9. semper in peccatis contra conscientiam amittunt *Psalm.*51.v.10.*seqq.* At *semen* fidei semper retinent, & per illud peccare ad mortem non possunt; sicut scriptum est 1 *Iohan.* 3. v. 9. *Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam; quoniam semen ipsius in eo manet, nec potest peccare, eo quòd ex Deo natus est.* Fructus & Sensus fidei perire possunt, nunquam semen ejus.

X. Hoc *semen* excitatum per verbum, & spiritum, efficax est ad instaurationem fidelium à tentationibus, & lapsibus; ut ita & redivivum gratiæ sensum denuò percipiant, & fructus dignos resipiscentiâ iterum proferant; quorum utrumque in exemplo Davidis videre est *Psal.*51.v.10.*seqq.* Ex semine rursus sensus & fructus oriuntur.

XI. Atque hoc sibi vult usitata Scholis limitatio, qua negatur Sanctos totaliter, & finaliter amittere fidem. Semper enim retinent semen fidei 1 *Iohan.* 3. v. 9. Fidem igitur totaliter non amittunt. Insuper virtute hujus seminis ac Spiritus Sancti certò Hinc fidem non amittunt totaliter vel finaliter.

 resti-

restituuntur, & resurgunt à lapsibus, renovantur ad resipiscentiam *Psal.*37.v.24. Ergò nec sensum, nec fructum fidei finaliter amittunt.

Causæ Perseverantiæ.

XII. Superest ut *causas* perseverantiæ Sanctorum inquiramus, & cognoscamus. Sunt autem duorum generum; quarum aliæ dici possunt causæ remotæ, aliæ proximæ.

Remotæ.

XIII. *Remota* sunt; Immutabile Dei propositum, quod in omnibus assequitur suum finem; 2 *Tim.*2. *vers.* 19. *Rom.*11. *vers.* 17.29. Intercessio Christi interpellantis pro electis, ne deficiant à fide; *Luc.* 22. *vers.* 32. *Iohan.* 17. *vers.*20. *Rom.* 8. *vers.* 34. *seqq.* & omnipotens ejus custodia, quâ, veluti præsidio quodam, conservamur ad salutem per fidem *Ioh.* 10. *vers.* 28,29. 1 *Petr.*1.v.5.

Proximæ.

XIV. Ex causis *proximis* duæ sunt præcipuæ. Spiritus Sanctus manens nobiscum in æternum; *Ioh.*14.v.16 17. Et semen illud incorruptibile, ex quo regeniti sumus, 1 *Petr.*1.v.23. quod non obstantibus nostris infirmitatibus manet in nobis 1 *Ioh.*3.v. 9. Neque enim Dei promissiones sanctorum, infirmitates & peccata magna vel parva excludunt; sed lapsos à ruinâ erigunt. Nam etiam ad labentes disertè extenduntur *Psal.*37.v.24. & 89.v.34. 1 *Ioh.*2.v.1.2.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. quinquagesimam quartam.*

An non prius credatur fideles, quam se esse membra veræ Ecclesiæ?

Annon fides, quâ quis credit se membrum esse veræ Ecclesiæ, & quidem perpetuò mansurum, sequatur illam fidem quâ quis credit fideles esse membra Christi, & Ecclesiæ ejus, & quidem perpetuò mansura; & istam insuper fidem, vel notitiam, quâ quis scit, & credit se credere.

Resp. Fidei veræ & salvificæ duplex est actus, prout aliquoties jam monuimus; Generalis, consistens in notitiâ, & assensu objecti generalis; & specialis consistens in fiduciali persuasione de Objecto speciali. Uterque hic actus circa articulum de Ecclesiâ distinctè exprimitur; & quidem eo ordine, ut ille præcedat, hic sequatur. Ineptum verò, pro numero actuum constituere species fidei essentiâ diversas, in eodem subjecto. Fides etiam,

etiam, quâ quis ſcit ſe credere, eſt tantùm ſenſus veræ fidei, non alia ejus ſpecies.

CONSIDERATIONI huic ſubjungenda eſt explicatio ſententiæ Novatorum, de æternâ Dei prædeſtinatione, quam hîc quidem diſſimulant, alibi verò operosè magis, quàm dilucidè tradunt. Conſtat ea quatuor decretis; quæ ſic inter ſe connectunt, ut unum ex altero quodammodo dependeat. *Primum* decretum eſt, quo Deus, ex generali dilectione erga creaturas, decrevit filium ſuum Jeſum Chriſtum ponere in mediatorem, ac ſervatorem, qui peccatum morte ſuâ aboleat, amiſſam ſalutem obedientiâ ſuâ impetret, ac virtute communicet. *Secundum* Dei decretum eſt, quo pro beneplacito ſuo ſtatuit, reſipiſcentes & credentes in gratiam recipere, eoſque perſeverantes ad finem uſque ſalvos facere: impœnitentes verò & infideles, in peccato, & ſub irâ relinquere, ac æternum damnare. *Tertium* Dei decretum eſt, quo decrevit omnibus & ſingulis univerſa media ad fidem ſufficienter, & efficaciter adminiſtrare, prout miſericordiam & juſtitiam ſuam decere novit. *Quartum* Dei decretum eſt, quo decrevit perſonas ſingulares credentes in Chriſtum, & in fide perſeverantes ſervare: contraque non credentes, aut in fide non perſeverantes damnare. Hoc autem decretum inniti ajunt præſcientiæ Dei, quâ ab æterno ſcivit, qui juxta ejuſcemodi adminiſtrationem mediorum, ad converſionem & fidem idoneorum, credituri eſſent, & perſeveraturi; qui item aut non credituri, aut non perſeveraturi.

Novatorum ſententia de prædeſtinatione.

Reſp. Hæc ſumma eſt novæ Theologiæ, de æternâ Dei prædeſtinatione; hæc ſeries decretorum, in quæ totum illud myſterium diſtinguunt. Erorres, qui conjunctim vel ſeorſim ſub decretis illis occultantur multi ac graves, cenſurâ generali, ac ſpeciali, ex Scripturis inſtitutâ detegemus, & paucis redarguemus.

Novatorum ſententia refellitur

In genere igitur. I. Non rectè intelligunt & definiunt, quid ſit decretum prædeſtinationis. Decretum enim prædeſtinationis eſt, quo Deus ſtatuit, quid ipſe facturus ſit de nobis. Novatores id eſſe ajunt, quo ſtatuit, quid nos velit facere, contra Scripturam Rom. 8. v. 29. 30. *Quos præcognovit, hos prædeſtinavit, vocavit* &c. cap. 9. v. 23. *Vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* 2 Tim. 1. v. 9. *Gratia data eſt nobis in Chriſto Ieſu, ante tempora ſecularia.* II. Perturbant ordinem decretorum divinorum contra Scripturam,

In genere. 1.

2.

 quæ

quæ decretum de salute dandâ, vel non dandâ personis singularibus, non quartum, sed ordine primum facit; decretum de Christo, fide, & mediis ad eam, antecedens. Joh. 17. v. 6. *Manifestum feci nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, selectos è mundo. Tui erant*, scil. ex electione, *& mihi eos dedisti*, nempè redimendos. Rom. 8. v. 29. 30. *Quos præcognovit, hos prædestinavit, vocavit.* Ephes. 1. v. 4. 5. *Elegit nos in Christo ante jacta mundi fundamenta, ut simus sancti, & inculpati in conspectu ejus cum charitate, qui prædestinavit*
3. *nos, quos adoptaret in filios* &c. III. Respectum personarum singularium, excludunt à tribus prioribus decretis; quasi non decreverit Deus his, illis, in individuo dare Christum, & fidem, cæteris non dare; contra Scripturam: Rom. 8. v. 29. 30. *Quos præcognovit, hos prædestinavit, vocavit.* Cap. 11. v. 1. 2. *Non abjecit Deus populum illum suum, quem præcognovit. Nam & ego Israëlita sum.* 2 Tim. 2. v. 19. *Novit Dominus eos qui sunt sui.* Matt. 13. v. 11. *Vobis datum*
4. *est, illis non est datum.* IV. Infantes sub divinâ Prædestinatione non comprehendunt, contra Scripturam: Rom. 9. v. 11. 12. *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum electionem, non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret, dictum est ei; Major serviet minori* &c. Gal 1. v. 15. *Segregavit*
5. *me ab utero matris meæ.* V. In tribus prioribus decretis æqualem dilectionem, & affectum erga omnes, & singulos homines Deo attribuunt; quasi omnibus dederit filium suum, omnes per sufficientia & efficacia salutis media velit perducere ad salutem, contra Scripturam: Rom. 9. v. 13. *Iacobum dilexi, Esavum odio habui.* vers. 18. *Miseretur cujus vult, indurat quem vult.* Matth. 13. v. 11.
6. *Vobis datum est, illis non est datum.* VI. Nexum inter Christum, & ejus beneficia; inter fidem, conversionem, & salutem, non necessarium, sed merè contingentem faciunt; dependentem ex arbitrio mutabili voluntatis humanæ; contra Scripturam: Joh. 10. v. 15. 28. *Animam meam depono pro ovibus, & do eis vitam æternam, nec peribunt in æternum.* Rom. 8. v. 29. 30. *Quos præcognovit, hos*
7. *prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit.* VII. Duplicem electionem ad vitam, duplicem item reprobationem ad mortem fingunt, quarum una est generalis, altera specialis; illa indefinita, absoluta, immutabilis: Hæc definita, conditionata, mutabilis; contra Scripturam, unam tantùm electionem & reprobationem do-
8. centem, prout suprà ostendimus. VIII. Imperfecta & mutila est hæc

hæc decretorum Dei enumeratio: utpote quæ non complectitur decretum de dandâ fide, quod tamen ad mysterium prædestinationis vel maximè pertinet *Matth.* 11. v.26. & *cap.* 13. v.11. *Actor.* 13. v.48. Siquidem tria priora decreta non agunt de personis singularibus, nec alia media salutis, quàm communia continent. Fides autem medium commune non est; quia non est omnium, sed electorum propria 2 *Thess.* 2. v.3. *Tit.* 1. v.1. Quartum decretum verò nititur præscientiâ fidei & perseverantiæ; ex quâ etiam secundum ipsos totum pendet. Manet ergo defectus, vel fides erit arbitrii humani: non decreti, & doni divini: de quo post.

Atque hæc in genere sufficiant de quatuor illis Novatorum decretis: deinceps *in specie* singulorum decretorum errores perstringemus. In *primo decreto* quàm monstrosas opiniones de Christo, ejus satisfactione, ac merito proponant, ad quæstionem XXXVII. dictum est. Hîc illud solùm notamus; quòd Charitas, ex quâ pater dedit filium suum in mortem, secundum ipsos sit benevolus affectus erga omnes & singulos homines: contra scripturam, quæ eam electorum propriam facit, à quâ ipsi nunquam possunt separari Rom.8. v.32. *Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non etiam cum eo nobis omnia gratificabitur?* vers.39. *Nihil nos potest separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* In *secundo decreto.* secundum.
I. Beneplacitum Dei esse ajunt liberrimum, ac gratiosum Dei arbitrium, quo actum fidei ignobilem, ac possibilem, præ aliis multis elegit, in conditionem communicandæ salutis; ac pro perfectâ legis obedientiâ gratis reputat; contra Scripturam, quæ fidem non eligi, sed eligendo tanquam medium salutis præparari, ac tandem dari docet: 2 *Tim.* 1. *vers.* 9. *Tit.* 1. *vers.* 1. *Actor.* 13. *vers.* 48. Beneplacitum verò Dei definit liberrimum ac benevolentissimum actum voluntatis ipsius, quo horum, præ illis misereri voluit ad salutem; his, præ illis Christum mediatorem, ac fidem in ipsum gratificari decrevit *Matth.* 11. *vers.* 25. 26. *cap.* 13. *vers.* 11. *Rom.* 9. *vers.* 15. 16. 18. *Ephes.* 1. *vers.* 5. 9.
II. Decretum electionis cum concione Euangelii confundunt, cujus hæc summa; Qui crediderit salvabitur, qui non crediderit, damnabitur: contra Scripturam quæ hæc apertissimè distinguit Matth. 20. v.16. & cap. 22. v.14. *Multi vocati, pauci electi.*

(margin: in specie decreta quæ fingunt. primum.)

III. Electionem Dei multis modis abolent; tum quatenus omnes homines volunt esse electos ad salutem conditionali electione; tum quatenus negant definitum esse electorum numerum; tum etiam quatenus affirmant salvâ hâc electione omnes homines damnari potuisse: contra Scripturam Joh.15.v.19. *Ego elegi vos ex mundo* 2 Tim.2.v.9,10. *Solidum stat Dei fundamentum, habens sigillum hoc: Novit Dominus eos, qui sunt sui* Rom.11.vers.7. *Electi assequuntur.* In *tertio decrero* I. Statuunt Deum universis & singulis, media ad resipiscentiam ac fidem necessaria, sufficienter & efficaciter administrare: contra Scripturam Actor.14. vers.16. *Præteritis ætatibus sivit Deus omnes gentes suis ipsarum viis ingredi.* Matth.13.v.11. *Vobis datum est, illis non est datum.* II. Asserunt Deum positâ lege fidei, teneri universis & singulis media ad eam sufficientia & efficacia administrare: contra Scripturam. Rom.11.v.35. *Quis prior dedit ei, ut reddatur ei?* Matth.20 v.15. *An non licet mihi, quod volo, facere de rebus meis?* Rom.9.v.18. *Miseretur cujus vult, indurat quem vult.* In *quarto decreto.* I. Electionem iterum tollunt, quatenus eligere ipsis est tantum præscire, qui velint venire, credere, perseverare: contra Scripturam Marc.13.vers.20. *Propter electos, quos Deus elegit.* Joh.15.v.16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & constitui ut abeuntes fructus feratis, & fructus vester maneat.* Sic *Eph.* 1.v.4.5. & alibi. II. Electionem singularum personarum fide posteriorem faciunt, & ab arbitrio humano suspendunt, contra Scripturam Actor.13.v.48. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom. 8. v.29.30. *Quos prædestinavit, hos vocavit.* Cap.9.v.16. *Non est volentis, nec currentis, sed miserentis.* III. Statuunt Deum neminem eligere, nisi mortuum, vel in ipso vitæ mortisque confinio positum; qualis demum dici potest perseverans in fide: contra Scripturam Rom.9.v.11. *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem, firmum maneret,* &c Item *Rom.* 11.v.1.2.7.29. *Eph.* 1.v. 4.5. IV. Negant electionis ad vitam, quæ perseverantiam requirit, ullum esse sensum, ullum fructum, & ullam certitudinem in hâc vita: contra Scripturam Luc. 9.v.20. *Gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Rom 8.v.29.30. *Quos præcognovit, prædestinavit; hos vocavit, justificavit.* 1 Thess. 1.v.4 *Nôstis electionem vestram.* Rom. 8.v.33.39. *Quis intentabit crimina adversus electos*

tertium.

quartum.

electos Dei? Mihi persuasum est &c. V. Εὐδοκίαν Dei à reprobatione in totum excludunt: contra Scripturam Matth. 11. v. 25. 26. *Occultâsti ea sapientibus, & intelligentibus: Etiam, pater, ita placuit tibi.* Et Rom. 9. v. 18. *Indurat quem vult.* VI. Eandem reprobationem à prævisâ infidelitate suspendunt; contra Scripturam Rom. 9. v. 11. 12. *Nondum natis pueris, cum nihil fecissent boni vel mali, ut propositum Dei, quod est secundùm electionem, non ex operibus, sed ex vocante firmum maneret, dictum est ei; Major serviet minori &c.*

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. quinquag. quartam.*

Antithesis I.

Quæstio de Ecclesiâ, an semper fuerit, ubi, & apud quos ea sit, parum est utilis; neque necessaria ad salutem. Nuspiam enim mandatum est, Christianam doctrinam esse quærendam in Ecclesiâ.

Responsio.

Sic ergo Sociniani apertè negant articulum symboli Apostolici, *Credo Ecclesiam*: nimirum quia non possunt ullam in toto mundo, ab Apostolorum temporibus, Ecclesiam invenire, quæ eandem cum ipsis doctrinam tenuisset. Est verò quæstio hæc luculenter definita in Scripturâ, quæ doctrinam veritatis, 1 *Tim.* 3. v. 15. *Eph.* 2. v. 20. & salutem, *Eph.* 5. v. 23. in Ecclesiâ quærendam docet, eique nos vult adjungere, ut salvi fiamus *Act.* 2. v. 47.

Quæstio an & ubi sit vera Ecclesia necessaria est.

Antithesis II.

Sententia eorum, qui statuunt Deum ab æterno, certos quosdam homines nominatim ex genere humano, immutabili decreto ad salutem, vel exitium prædestinasse, non propter prævisam obedientiam, aut contumaciam, sed quòd ita ipsi placuerit, falsa, impia, & absurda est. I. *Quia pietatem, & religionem omnem evertit, ut quæ tollit conatum, & studium pietatis; quod planè est superfluum, ubi omnia fiunt necessariò.* II. *Quia inconvenientia multa Deo attribuit; Injustitiam, ut qui homines propterea puniat, quod non fecerint, quod facere nullo modo potuerunt. Hypocrisin, cum deceptione conjunctam, quia iis offerat salutem in Euangelio, quos tamen à salute exclusit. Imprudentiam item, quia ejus rei curam suscipiat,*

quam

quam certò novit non posse perfici. Denique etiam pravitatem, quia faciat ut peccent homines; vel saltem decreverit, qui debeant peccare, quo ita propter peccatum eos damnare possit.

Responsio.

Hæ, & similes calumniæ sanæ doctrinæ, de divina Prædestinatione, novæ non sunt, sed veteres, jam olim Augustino à Pelagianis imò ipsi Apostolo ab impiis sugillatoribus judiciorum divinorum objectatæ: sed ex naturâ & verbo Dei solidè & luculenter confutatæ. Ideò etiam nos in iis diluendis breviores futuri sumus. Primò necessitas, quæ ex decreto fluit, non est necessitas Physica, vel coactionis; sed consequentis, & consequentiæ; quam terminis specialibus, immutabilitatis & infallibilitatis vocant *Rom.* 8. v. 29. 30. & *cap.* 9. v. 11. & *cap.* 11. v. 7. 29. Hæc adeò non convellit religionem in animis hominum, nec studium pietatis enervat, ut potius illud in ipsis excitet, accendat, & foveat. Ratio hæc est, quia pietas non modò est finis immutabilis illius electionis; *Eph.* 1. v. 4. sed etiam ejus effectum ac medium, 2 *Tim.* 2. v. 19. 2 *Pet.* 1. v. 10. via denique, quam præparavit Deus, ut in eâ ambulemus *Eph.* 2. v. 10. Præterea falsum est, quòd doctrina reprobationis tam horrenda Deo attribuat. Non tribuit ei ullam *injustitiam*; quia reprobos puniri docet propter peccatum, ipsorum culpâ contractum; ex quo ipsi emergere nec potuerunt, nec voluerunt; Deus autem, ut indè eos liberaret, nullo jure tenebatur. Nec impingit *hypocrisin* cum deceptione conjunctam; quia in Euangelio offert Deus salutem omnibus vocatis, non absolutè, sed cum conditione fidei, *Marc.* 16. v. 16. *Rom.* 10. v. 9. 10. quam ipsi præstare renuunt *Matth.* 23. v. 38. Insuper non tantùm salutem promittit credentibus, sed etiam damnationem incredulis comminatur, *Marc.* 16. v. 16. *Ioh.* 3. v. 17. 18. quam ipsi suapte culpâ incurrunt. Nec *inscitiam*, quia Deus non conatur reprobos externè vocatos ad salutem perducere internâ & efficaci gratiâ *Matth.* 11. v. 26. & *cap.* 13 v. 11. *Rom.* 11. v. 7. 8. sed verbo mandati ac promissionis declarat, quid facere debeant, si quidem salute æternâ potiri velint. Postremò *pravitatem* ei minimè affingit; quia non facit Deus ut homines peccent, ac ne decrevit quidem qui peccare debeant; quasi vel præcipere ipsis peccatum, vel ad illud eos adigere velit: sed decrevit quos ipse velit relinquere in suis pecca-

Necessitas ex decreto est immutabilitatis & infallibilitatis.

& pietatis studium non enervat.

Non tribuit Deo.

injustitiam.

hypocrisin.

inscitiam.

pravitatem.

peccatis; & propter illa, ut justus judex, æternum damnare.

Antithesis III.

Prædestinatio Dei in Scripturis aliud nihil notat, quàm Dei ante conditum mundum de hominibus decretum ejusmodi, quod iis, qui in ipsum crederent, eique obedirent, daturus esset vitam æternam; eos verò qui in ipsum credere, eique parere recusarent, æternâ damnatione puniturus esset: quo pacto Christus decretum illud nobis exposuit. Electio autem, cum de salute agitur, duplicem significationem habet. Etenim interdum ii, qui assentiuntur prædicato Euangelio, dicuntur à Deo electi: ut 1. Cor. 1. v. 26. 27. *ubi electio & vocatio pro eodem sumuntur. Interdum verò etiam ii, qui non solum Euangelio assentiuntur, verùm etiam ex ipsius præscripto vitam instituunt, electi vocantur. Cujus significatus exemplum exstat* 2. *Pet.* 1. *v.* 10.

Responsio.

Ovum ovo similius non est, quàm sententia Socinianorum do- Sociniani
ctrinæ Novatorum de Prædestinatione, & hi ipsis magistris du- refelluntur.
bio procul eam didicerunt; ideò non opus est novâ refutatione. Paucula solum ad eâ, quæ hîc protulêre, annotabimus. I. Præ- 1.
destinatio Dei non tantùm est decretum, quo ipse statuit servare credentes, damnare incredulos; sed etiam, quo decrevit ex genere humano lapso aliorum misereri ad salutem, aliorum non misereri *Rom.* 9. v. 16. 18. Alios redimendos dare Christo mediatori, alios non dare *Joh.* 17. v. 6. 12. Illis fidem in Christum gratificari, his non *Matth.* 13. v. 11. & *cap.* 11. v. 25. 26. *Roman.* 9. v. 18. II. Prædestinatio non pendet à prævisâ 2.
fide, & obedientiâ; itemque à prævisâ infidelitate, & inobedientiâ. Nam contrarium docet Apostolus *Rom.* 9. v. 11. 12. Fides quoque cum obedientiâ denuò confunditur, contra Scripturam *Gal.* 5. v. 6. 1. *Tim.* 1. v. 5. III. Electio non est vocatio; 3.
quia distinguitur vocatio à proposito, præcognitione, & prædestinatione *Rom.* 8. v. 28. 29. 30. Multi etiam vocantur, qui non sunt electi *Matth.* 20. v. 16. Hæc distinctio, quæ est Causæ & Effecti, etiam 1. *Cor.* 1. v. 27. servatur. IV. Falsum est, Electos dici 4.
eos, qui assentiuntur Euangelio, neque tamen piè vivunt. Non enim potest impietas consistere cum verâ fide, quæ discernenda

est à vanâ persuasione, & fidei jactantiâ. V. Et rectè quidem dicuntur electi credere, & sanctè vivere. Inde tamen inferri non potest, credentes, & sanctè viventes esse electos antecedenter, & fidem ac studium pietatis esse causas electionis. Sunt enim fines, fructus, & effecta electionis *Eph.*1. v.4.5. *Act.*13. v.48. Et electi consequenter credentes sancti vocantur, ut qui electionis suæ beneficio tales sunt, vel fiunt. Denique etiam 2.*Pet.* 1.v.20. electio à vocatione manifestè discernitur: Utraque autem firma redditur non in Deo, sed in nobis, studio pietatis ac bonorum operum.

QUÆST. LV. Quid sibi vult communio Sanctorum?

RESP. *Primum; quòd universi, & singuli credentes, Christi & omnium ejus bonorum, tanquam ipsius membra, communionem habeant. Deinde; quòd singuli, quæ acceperunt dona, in commune commodum, & universorum salutem, promtè & alacriter conferre debeant.*

EXEGESIS.

Communio Sanctorum est

EFfectus sanctificationis, & Spiritus sanctificantis in Ecclesiâ Catholicâ, est *Communio sanctorum,* quam eodem cum ipsâ Ecclesiâ articulo nos credere profitemur. Et distributione bimembri, ex objectis, declaratur: ut *una* sit sanctorum cum Christo, *altera* eorundem inter se. *Illa* est communio Fidei, quod Christo, ejusque beneficiis, omnes sancti communi jure fruuntur, 1. *Ioh.*1. v. 3. 1.*Cor.* 1. v. 9. & *cap.* 10. v. 16. 17. *Heb.* 3. v.4. undè etiam consortes ipsius, *Heb.*1.v.9. & cohæredes, *Rom.* 8. v. 17. appellantur. Hæc communio præsupponit communionem naturæ cum Christo, in carne & sanguine, *Heb.* 2. v. 14. sed sanctificatæ per Spiritum Sanctum v. 11. Adjunctam verò habet communionem, & participationem afflictionem ipsius *Rom.*8. v. 17.29. *Heb.*13.v.12.13. 1. *Pet.*4. v.13. Præterea communionem cum Patre, & Spiritu Sancto non excludit, sed includit 1. *Ioh.* 3. v. 1. 3. 2.*Cor.* 13. 13. *Ista* est communio charitatis, quâ membra

(margin: cum Christo — & eorundem inter se.)

membra per Charitatem sibi multuo benè volunt, & faciunt; in rebus secundis unâ gaudent; in adversus & tristibus dolore sibi mutuo adsunt 1. *Cor.* 12. v. 21. 25. 26. & *cap.* 14. v. 3. 26. *Rom.* 12. v. 15. *Heb.* 13. v. 16. Cujus illustre exemplum in Ecclesiâ primitivâ proponitur *Act.* 2. v. 42. 44. 45.

QUÆST. LVI. Quid credis de remissione peccatorum?

RESP. *Deum, propter satisfactionem, Christi meorum peccatorum, atque illius etiam pravitatis, cum quâ mihi per omnem vitam pugnandum est, memoriam omnem deposuisse; & me justitia Christi gratis donare; ne unquam in judicium Dei veniam.*

EXEGESIS.

TRibus sequentibus articulis symboli Apostolici, Communio Sanctorum tribus præcipuis Christi beneficiis, veluti objectis suis, explicatur. Horum primum est *Remissio peccatorum*; de cujus communione loquitur Apostolus 1. Cor. 16. v. 16. *Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* Remittere peccata phrasis est metaphorica, à creditoribus, & debitoribus sumta. Illi siquidem moti misericordia, debitum ab hisce, (utpote solvere non valentibus,) non exigentes, sed condonantes, remittere dicuntur *Matth.* 18. v. 27. 32. Remissio ergò peccatorum est eorundem condonatio, ac si non essent commissa; & absolutio hominis peccatoris à reatu & pœnâ, ac si nihil ipse deliquisset. Et merè gratuita est; quatenus ab ipso nihil exigitur; interim Christi sponsoris satisfactionem includit, quatenus est demonstratio justitiæ divinæ *Rom.* 3. *vers.* 24. 25. Ideoque Catechesis Remissionem hanc declarat. I. Ex causâ impulsivâ externâ, quæ est satisfactio Christi pro peccatis, *Roman.* 3. *vers.* 25. 2. *Cor.* 5. v. 21. 1. *Iohan.* 2. *vers.* 2. absque quâ nulla cuipiam contingit remissio *Heb.* 9. v. 22. II. Distributione ex Objectis; quæ sunt peccata non solum actualia, quæ quotidiè committimus, & actu transeunt: 1. *Ioh.* 1. v. 6. *Iacob.*

[Margin notes: Remissio Peccatorum. — quid sit. — ejus impulsiva externa. — objecta.]

3. v. 2. ſed etiam originale, quod manet, habitat in renatis, & quocum per omnem vitam ipſis eſt pugnandum *Rom.* 7. v. 15. 16. *ſeqq.* *Gal.* 5. v. 17. *Heb.* 12 v. 1. Nam *ſanguis Ieſu Chriſti mundat nos ab omni peccato* 1. Johan. 1. verſ. 7. Et *nulla eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Roman. 8. verſ. 1. III. E formâ, quæ privativè, & poſitivè enunciatur, diverſorum terminorum reſpectu. Eſt enim oblivio peccatorum noſtrorum, *Ier.* 31. v. 34. ſive obnubilatio, & obtectio eorundem *Eſa.* 44. v. 17. *Pſal.* 32. v. 1. 2. ne unquam deinceps in Dei judicis conſpectum aut memoriam veniant, ad accendendam in nos iram ipſius. Eſt etiam donatio Juſtitiæ Chriſti, quam Chriſtus paſſione, ac morte ſuâ nobis acquiſivit, & Deus propter Chriſtum nobis gratis donat: ſicut dicimur juſti conſtitui illius obedientiâ *Rom.* 5. v. 19. Et juſtitia Dei fieri in ipſo 2. *Cor.* 5. v. 21. IV. E fine proximo, qui eſt liberatio ab æternâ condemnatione, *Ioh.* 5. 24. *Rom.* 8. v. 33. ubi κατ' ἀντίϑεσιν ſimul intelligenda eſt acquiſitio benedictionis, ſeu vitæ æternæ: quæ duo conjungit Apoſtolus *Gal.* 3. v. 13. 14.

forma. finis

Conſiderationes Catecheticæ Novatorum *ad quæſtionem & reſponſionem quinquageſimam ſextam.*

An hæc reſponſio conſentiat cum 36. reſponſione.

I. *Quomodo quod hic dicitur, Deum propter ſatisfactionem Chriſti, illius pravitatis, cum quâ nobis per omnem vitam pugnandum eſt, omnem memoriam depoſuiſſe; cum XXXVI. reſponſione conveniat: ubi dictum fuit, Chriſtum innata nobis peccata, innocentiâ ſuâ, & ſanctitate, in quâ conceptus, & natus eſt, coram facie Dei obtegere.*

Reſp. Optimè convenit; quia ſatisfactio Chriſti conjuncta fuit cum ipſius innocentiâ 1. *Pet.* 1. v. 19. *Heb.* 7. v. 25. & una ab altera divelli non debet. Quando igitur Catecheſis ſatisfactionis meminit, non tollit ſed præſupponit ipſius innocentiam & ſanctitatem; & quando hujus mentionem facit, illam non excludit, ſed potius ſimul includit.

An fideles rectè dicantur donari juſtitiâ Chriſti propter ejus ſatisfactionem?

II. *An verè & commodè dictum ſit; Deum fideles juſtitiâ Chriſti donare, propter ſatisfactionem Chriſti: An non hoc tantundem ſit, ac ſi diceretur; Deum propter juſtitiam Chriſti pro nobis præſtitam, nobis dare juſtitiam, quam Chriſtus pro nobis præſtitit?*

Reſp.

Resp. Tam rectè, & commodè id dicitur, quam verè affirmat Apostolus, nos obedientiâ Christi justos constitui, *Rom.* 5. v. 19. & justos fieri coram Deo in ipso 2. *Cor.* 5. v. 21. Neque enim idem sunt, satisfactio Christi, & justitia ipsius, quam nobis donat; sed differunt, ut Causa & effectum. Falluntur verò ipsi, vel saltem ludunt ambiguitate casus genitivi, qui non Subjecti, sed Causæ efficientis est nota. Et sicut cum justitia illa Dei vocatur, *Rom.* 1. v. 17. & *cap.* 3. v. 22. à Deo esse, donari intelligitur: Ita cum Christi esse dicitur, ab ipso parta, acquisita intelligitur.

III. *Quomodo hæc duo conciliari possint, Deum nobis dare justitiam Christi, propter satisfactionem Christi; & nos ipsos Deo satisfacere, responsione* XII. — An non hoc contradicat resp. 12.

Resp. Ἀντιλογία hæc non est in Catechesi, sed in cerebro Novatorum, orta ex divisionis fallaciâ. Non asserit Catechesis quæstione XII. nos ipsos satisfacere pro peccatis nostris: id namque impossibile nobis esse docet, quæstione XIII. sed ait alium, nempe sponsorem nostrum, pro nobis satisfacere; quod imputatione Dei, ac phrasi Scripturæ tantundem est, ac si nos per ipsum satisfecissemus 2. *Cor.* 5. v. 15. 21. *Gal.* 3. v. 13.

QUÆST. LVII. Quid te consolatur resurrectio carnis?

RESP. *Quod non tantùm anima mea, postquam è corpore excesserit, è vestigio ad Christum, suum caput assumetur: verum quòd hæc quoque caro mea potentiâ Christi excitata, rursus animæ meæ unietur, & glorioso corpori Christi conformabitur.*

EXEGESIS.

ALterum beneficium est *Resurrectio carnis*, de cujus communione loquitur Apostolus, 1. Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*. In Catechesi peculiariter accommodatur ad praxin, & consolationem fidelium, in vitâ & in morte, 1. *Cor.* 15. v. 18. 19. & 1. *Thess.* 4. v. 13. 14. *seqq.* & ex variis locis inventionis distinctè pertractatur. *Primò* enim declaratur collatione minoris, videlicet migratione ani- — Resurrectio fidelium.

mæ ad Christum, simulac ex hâc corporis statione discedit, *Luc.* 16. v. 22. *Phil.* 1. v. 23. *Apoc.* 14. v. 13. quod Christus latroni disertis verbis promisit *Luc.* 23. v. 43. *Secundò* declaratur subjecto, sive Objecto; quod est hæc nostra caro, eadem substantiâ & numero, quam singuli in hâc vitâ gestarunt; ut est *Iob.* 19. v. 25. 2. *Cor.* 5. v. 10. Nam resurrectio, ἀνάστασις, propriè est ejus, quod cecidit, restitutio in integrum; non alterius. *Tertiò* expositione Causæ efficientis proximæ, quæ est Christi ἐνέργεια, sive potentia, *Phil.* 3. v. 21. *Ioh.* 5. v. 28. 29. quâ omnia sibi potest subjicere. Proinde non minus possibilis est resuscitatio mortuorum, quàm creatio prima rerum omnium, nulla omnino præexsistente materia. *Quartò* expositione formæ, quæ suis quasi gradibus perficitur, ut sunt; Excitatio corporis è pulvere; Remigratio animæ in corpus; & utriusque personalis unio, nunquam deinceps dissolvenda *Iob.* 19. v. 25. 26. 27. 1. *Cor.* 15. v. 23. 24. Quæ omnia visione Prophetica, de ossibus compactis inter se & vivificatis, pulcrè figurantur *Ezech.* 37. *capp.* *Quintò* expositione adjuncti tum adhærentis, tum inhærentis, quod est conformitas corporis resuscitati cum glorioso corpore Christi *Phil.* 3. v. 21. 1. *Cor.* 15. v. 21. *seqq.* Hæc autem nihil aliud est, quàm mutatio qualitatum, nempe corruptibilitatis in incorruptibilitatem, mortalitatis in immortalitatem, infirmitatis in potentiam, ignominiæ in gloriam, denique corporis animalis in spirituale 1. *Cor.* 15. v. 42. 43. *seqq.*

Atque hæc est resuscitatio fidelium ad vitam, cujus symbolum, inter bona Ecclesiæ propria, expressè meminit. Ex eâ autem facilè colligitur ac intelligitur *Resurrectio infidelium* ad mortem, ac condemnationem; quæ altera pars est resurrectionis universalis, *Dan.* 12. v. 2. *Ioh.* 5. v. 28. & à priore efficiente, adjunctis, & fine potissimum distinguitur. *Efficiente*, quæ utrobique quidem est idem Christus: sed illîc ut servator, & caput fidelium; hîc ut judex, damnator infidelium. *Adjunctis*, quia corpora infidelium suscipient quidem incorruptibilitatem, immortalitatem, ne unquam consumantur: at non gloriam, potentiam, spiritualitatem, quibus effulgebunt justi in regno Patris sui 1. *Cor.* 15. v. 40. *seqq.* *Matth.* 13. v. 43. *Fine*, quia illi resurgent ad vitam, isti ad mortem & condemnationem *Dan.* 12. v. 2. *Ioh.* 5. v. 28.

Infidelium qualis.

Anti-

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. quinquages. septimam.*

Corpora fidelium resurgent spiritualia, non solùm qualitatibus, sed ipsâ quoque substantiâ: & dicitur resurrectio carnis, quia resurget quod fuit caro; simili sensu, quo Christus dixit, meretrices & publicanos præcessuros Pharisæos in regno cælorum Matth. 21. v. 31. Ratio *duplex est.* Una *ex dicto Apostoli* 1. Cor. 15. v. 50. Caro, & sanguis, hæreditatem regni Dei non consequentur. *Qui etiam corpus resuscitatum* spirituale *vocat* vers. 44. 46. Altera *ab exemplo Christi, qui à resurrectione adscendens in cœlum, cum mortalitate ipsum corpus deposuit,* Hebr. 5. v. 7. *cui nos conformari oportet* Phil. 3. v. 21.

Responsio.

Sic ergò etiam hunc fidei articulum convellunt, qui luce suâ in Veteri, & Novo Testamento, clarissimè radiat. Nos negationi hæreticæ opponimus pauca, sed evidentia Scripturæ effata, *Iob.* 19. v. 25. 26. 27. *Ezech.* 37. *Dan.* 12. v. 2. *Ioh.* 5. v. 28. 1. *Cor.* 15. 1. *Thess.* 4. v. 14. *seqq.* quæ diserte testantur, id resurrecturum, quod est, non quod olim fuit caro. 1. Cor. 15. *Caro & sanguis non consequentur hæreditatem regni Dei,* scil. quæ sunt peccato onerata, & corruptioni obnoxia *vers.* 50. Interim consequentur eam caro, & sanguis, glorificata. Qualitas enim mutabitur, non abolebitur ipsa substantia: idque fortissimè adstruit Apostolus, cum dicit *vers.* 42. 43. 44. Illud ipsum, non aliud numero corpus, quod seminatur, excitatum iri. Futura quidem sunt corpora nostra spiritualia, ornata dotibus spiritualibus, sic tamen, ut corpora maneant; quia corpus spirituale, non spiritus resurget 1. *Cor.* 15. v. 40. 44. De Christo falsum est quod adscendens in cœlum corpus suum deposuerit: Imò post adscensionem in eo conspectus est à Stephano, *Act.* 17. v. 56. & Paulo oblatus *cap.* 9. v. 3. *seqq.* In eodem corpore rediturus est ad judicium *cap.* 1. v. 11. *Dies carnis Christi, Heb.* 5. v. 7. sunt dies exinanitionis ipsius, qui desierunt, integrâ manente carnis substantiâ.

[Margin: Eadem corpora resurgent, sed glorificata.]

[Margin: 1. Cor. 15. vers. 50. & 44. 46. vindicatur.]

[Margin: Heb. 5. v. 7. explicatur.]

QUÆST.

QUÆST. LVIII: Quam consolationem capis ex articulo de vitâ æternâ.

RESP. *Quòd, quoniam in præsentiâ vitæ æternæ initia in meo corde præsentisco, futurum sit, ut post hanc vitam plenâ perfectaque beatitudine potiar, in qua Deum in æternum celebrem: quam quidem beatitudinem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec ullus homo cogitatione comprehendit.*

EXEGESIS.

Vita æterna

TErtium beneficium est *Vita Æterna*: de cujus communione loquitur idem Apostolus 2.Tim. 2.v.11.12. *Si cum eo mortui sumus, cum eo etiam vivemus: si toleramus, etiam cum eo regnabimus.* Solet autem variis synonymiis illustrari in Scripturâ; ut cùm dicitur Regnum Dei, *Matth.*25.v.34. Gaudium domini, *vers.*21. Sinus Abrahæ, *Luc.* 16.v. 23. Paradisus, *cap.* 23.v. 34. Domus Patris, *Ioh.* 14.v. 2. Hæreditas incorruptibilis 1.*Pet.* 1.v.4. &c. Sed usitatissima est appellatio vitæ æternæ: cujus rationem Catechesis explicat distributione ex adjuncto temporis, vitam illam spiritualem & cœlestem, secundùm inchoationem, & consummationem; sive initium, & complementum, distinguens; ad declarandam ejus æternitatem. *Inchoatio* fit in hâc vitâ, & quidem illo momento, quo homo per fidem justificatur, & regeneratur, *Gal.* 2. v. 20. simul etiam sentit in corde suo initia illius vitæ, per Spiritum Sanctum testantem Spiritui nostro, nos esse Filios & hæredes Dei, *Rom.* 8.v.16.17. nosque obsignantem in diem redemtionis nostræ 2.*Cor.* 1.v.22. *Ephes.* 4.v.30. Quod utrumque Spiritus effectum indicat Catechesis, dum ait; fideles sic persentiscere initia vitæ æternæ in cordibus suis, ut indè certi sint de consummatione: quemadmodum ex primitiis Spiritus plena messis, *Rom.* 8.v.23. ex arrhâ pignoris loco datâ solutio totius speratur, & exspectatur 2.*Cor.* 1.v.22. Horum initiorum respectu credentes dicuntur habere vitam æternam.

inchoatur in hâc vitâ.

Ioh. 3.

Iohan. 3. v. 36. salvi facti esse, *Ephes.* 2. vers. 8. vivere per fidem Christi, *Galat.* 2. v. 20. cum ipso in cœlis collocati esse, *Ephes.* 2. v. 6. eorumque vita abscondita in Christo, donec gloriosi declarentur cum Christo patefacto *Coloss.* 3. v. 4. *Consummatio* fiet in alterâ vitâ, cum sanctificatione ad finem perductâ, 2 *Corinth.* 7. v. 1. perficietur quoque glorificatio filiorum Dei; & id quod imperfectum est, abolebitur 1 *Corinth.* 13. vers. 10. Quo sensu vita æterna à genere, adjunctis, & proprio fine hîc describitur. *Genus* est plena, perfectaque beatitudo fidelium, omnes numeros felicitatis, omnes item gradus complectens, *Matth.* 25. v. 34. 1 *Corinth.* 13. v. 10. ut simul sit partium, ac graduum perfectio. Consistit autem beatitudo illa partim in ineffabili gaudio, quod oritur ex pleno sensu paterni favoris Dei erga nos *Psalm.* 16. v. 11. & 17. v. 15. *Matth.* 8. v. 11. *Luc.* 22. v. 30. & *cap.* 23. v. 43. Partim in summâ gloriâ, quæ exsistit tum ex perfectâ renovatione, & sanctitate animæ & corporis; *Ephes.* 5. vers. 27. *Apocal.* 21. v. 2. tum ex cœlesti corporis splendore, 1 *Corinth.* 15. v. 40. 41. *Philip.* 3. v. 21. *Matth.* 13. v. 43. tum ex regiâ dignitate, *Luc.* 22. v. 30. 2 *Timoth.* 2. v. 12. *Apoc.* 1. vers. 6. tum denique ex glorioso illo Dei, Christi, & sanctorum Angelorum consortio, in throno gloriæ *Hebr.* 12. vers. 22. 23. *Iohann.* 17. v. 24. 1 *Thessal.* 4. v. 17. *Adjuncta* tria sunt, quæ verbis Apostoli ex Esaiâ enunciantur, 1 *Corinth.* 2. vers. 9. quod nimirum beatitudo illa sit inconspicua, quam oculus non vidit; inaudita, quam auris non audivit; & incomprehensibilis, quæ in mentem hominis nunquam venit. *Finis* est æterna Dei celebratio, *Apocal.* 19. vers. 5. quâ glorificati Deo perpetuò servient *cap.* 22. vers. 3. 4. Exemplo Anglorum, & Spirituum justorum consummatorum, *Hebr.* 12. vers. 23. qui jam nunc perpetuas ei laudes canunt *Apocal.* 5. vers. 8. & *cap.* 14. versic. 3. Ex quibus omnibus *mors æterna* infidelium καὶ ἀντιθέτως facili labore definitur. Ea similiter inchoatur in hoc seculo; quia jam condemnatus est, qui non credit in filium Dei; & ira Dei manet super eum *Iohan.* 3. vers. 17. 36. At consummabitur in altero, *Marc.* 16. vers. 16. quando omnes infideles à facie Dei abjicientur in gehennam ignis, in tenebras illas exteriores; ubi est fletus, & stridor dentium; ubi

Consummatur in alterâ.

Ubi notanda

Genus.

Adjuncta.

Finis.

Mors æterna infidelium.

bi vermis eorum nunquam moritur, nec ignis exstinguitur *Matth.* 25.v.41. 46. & *cap.* 8. v. 12. *Marc.* 9.v.44. *Luc.* 16. vers. 23.24. *seqq.*

QUÆST. LIX. At cum hæc omnia credis, quid utilitatis inde ad te redit?

RESP. *Quod in Christo justus sum coram Deo, & hæres vitæ æternæ.*

EXEGESIS.

Effecta fidei

EXpeditum est primum illud de Objecto fidei, quod in prolixiore ejus declaratione ad quæstionem XXII. fuit propositum. Succedit alterum, in *Effectis veræ fidei*, qualia duo hîc proponuntur; *Iustificatio, & Hæreditas vitæ æternæ*, quæ tamen sunt effecta fidei subordinata, & inter se cohærent, ut causa & effectum: quia justificatio propria ac proxima causa est hæreditatis vitæ æternæ. De utroque ita Apostolus Rom. 1.16.v.17. *Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Iustitia enim Dei per illud retegitur ex fide in fidem, sicut scriptum est; Iustus ex fide suâ vivet.* Et cap. 4.v.16. *Ex fide est hæreditas, ut sit per gratiam.* Posterius effectum quæstione antecedente abundè est declaratum. Prius exponitur sequentibus aliquot quæstionibus: hîc autem bifariam circumscribitur; quòd sit justitia quæ est in Christo, 2 *Corinth.* 5. vers. 21. non quæ ex lege ejusque operibus provenit: *Rom.* 3. vers. 21. & *cap.* 10. vers. 6. quòd item sit illa justitia, quâ justi sumus coram Deo, *Rom.* 3. v. 2. 22. *seqq.* non quâ tales habemur ab hominibus *Iac.* 2. vers. 24.

Iustificatio & Hæreditas Vitæ æternæ.

QUÆST. LX. Quomodo justus es coram Deo?

RESP. *Solâ fide in Iesum Christum; adeò ut, licet me mea conscientia accuset, quòd adversus omnia mandata Dei graviter peccaverim, nec ullum eorum servaverim, adhæc etiamnum ad omne malum propen-*

sus

sus sim; nihilominus tamen (modò hæc beneficia verâ animi fiduciâ amplectar) sine ullo meo merito, ex merâ Dei misericordiâ, mihi perfecta satisfactio, justitia, & sanctitas Christi, imputetur ac donetur; perinde ac si nullum ipse peccatum admisissem, nec ulla mihi labes inhæreret; imò verò, quasi eam obedientiam, quam pro me Christus præstitit, ipse perfectè præstitissem.

EXEGESIS.

PRiusquam explicationem rei tradamus, de vocabulo *Iustificationis* tenendum est, quòd non sit Latinum, sed ex Hebræo הצדיק *hitzdik*, & Græco δικαιοῦν, Latinum factum, ad exprimendam illorum verborum ἔμφασιν. Ista autem Hebræis & Græcis sunt verba forensia; & significant justum judicare, pronunciare, à crimine pœnâque absolvere: quod etiam opposita ostendunt, ut sunt הרשיע *hirschiah*, & καταϰρίνειν, item ἐγκαλεῖν, condemnare, injustum pronunciare, accusare, *Prov.* 17.v.12. *Esa.* 50.v.8.9. *Roman.* 8.v.33. Latinis itaque justificare aliud significare non potest, quàm justum reputare, & absolvere. Et justificatio, ex notatione vocis, est absolutio forensis, sive judiciaria liberatio à culpâ & pœnâ, ex sententiâ judicis. Catechesis missâ nomenclatura vocis, rem ipsam dilucidè ac perspicuè declarat, instrumentum justificationis, subjectum, causas efficientes, & formalem, ordine commemorans.

Iustificare quid.

Iustificationis

Instrumentum est fides in Christum, & quidem sola fides, cui passim tribuitur justificatio, *Roman.* 3.4.5. *capp. Galat.* 2.3. *Philipp.* 3. & alibi, idque quâdam casuum variatione: ut esse dicatur *ex fide, per fidem, fide, Roman.* 3. vers. 28.30. & *cap.* 5. vers. 1. Sed dum mentione objecti sui definitur, docetur, non justificare eam absolutè, quatenus est qualitas, opus, aut meritum; sed correlativè ad Christum, cujus justitiam apprehendit *Roman.* 5.v.17.18. Dum etiam sola dicitur justificare, excluduntur opera legis, ei opposita, *Roman.* 3.v.28. *Gal.* 2.v.16.

Instrumentum sola fides.

ex quibus non est justificatio *Roman.*3.v.20. Est verò fides instrumentum, sive organum internum justificationis, in corde hominis residens *Rom.*10.v.9.10. Organa externa dici possunt, Euangelium, Sacramenta, & ministri Euangelii; per quæ Deus ordinariè justificationem, & salutem electorum operatur *Roman.* 1.v.16.17. & *cap.*4.v.11. 1.*Petr.*3.v.21. 2.*Tim.*2. vers.16.

Subjectum homo

Subjectum justificationis est homo peccator, credens in Christum: qualis erat Publicanus ille, *Luc.*18.v.13. cum sensu peccati contritus oraret, *Domine propitius esto mihi peccatori.* Nam justificat Deus impium remittendo ei peccata *Roman.*4. v.5. Et justificat eum qui est ex fide Jesu *cap.*3.v.26. *Prior* qualitas subjecti in textu Catechetico declaratur distributione geminâ peccatorum, in actualia; & originale; in commissionis, & omissionis, ex Paulo *Roman.*3.v. 10. 11. *seqq.* Confirmatur verò testimonio conscientiæ, quo singuli fideles convincuntur coram Deo, quod adversus omnia ejus præcepta graviter peccaverint, nec ullum eorum servaverint; adhæc etiamnum propter peccatum illud inhabitans, quod & in sanctissimis hærere summorum Apostolorum querelis & exemplis constat, *Roman.* 7.v.14.15.*seqq.* 1. *Iohann.* 1.vers. 8.9. ad omne malum, hoc est, ad quævis peccata propensi sint. *Altera* actu suo formali explicatur, qui est fiducialis apprehensio Christi, *Iohan.* 1.v.12. & beneficiorum ipsius *Actor.*26.v.18.*Roman.*5.v.17. Sic ergo justificatur impius, non qui talis manet etiam post justificationem: Nam ei succedanea Sanctificatio renovat ipsum à corruptione, licet eam non planè aboleat: Sed qui impius est naturâ, credit autem sibi remitti peccata propter Christum.

peccator

credens in Christum.

Efficiens principalis Deus.

Causa efficiens principalis est Deus. Deus enim est qui justificat Esa.43.v.25. *Ego, ego sum qui deleo peccata tua.* Roman.8.v.33. *Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus is est qui justificat;* nimirum, quia in ipsum solum peccatur *Psal.*51.v.6. Efficienti subordinantur causæ *impulsivæ*, Interna, & Externa: quæ etiam remotione impulsivæ falsæ, ut sunt omnia merita humana, sive congrui, sive condigni, illustrantur. De quibus audiendus est Paulus *Eph.*2. v.9. *Rom.*4.v.5.*Tit.*3.v.4. Imo ipse Christus *Luc.*17.v.10. *Interna* est gratuita Dei misericordia, quâ nos miseros peccatores justificare, hoc

Impulsivæ

Interna Dei misericordia.

hoc est, à reatu peccati & mortis absolvere dignatur *Rom.*3.v.24. *Iustificantur gratis, ejus gratiâ.*Eph.1.v.7. *Habemus remissionem peccatorum ex divite ipsius gratiâ.* Tit.3.v.5. *Ex misericordiâ suâ servavit nos.* Hæc omnia nostra merita, & opera excludit; quia si ex gratiâ, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia *Rom.* 11.v.6. *Externa* est perfecta satisfactio, justitia, ac sanctitas Christi; sive Christus mediator, cum suâ obedientiâ, sacrificio, & merito. Hunc enim Deus proposuit placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad remissionem peccatorum *Rom.*3.v.25. Ipse passus est, justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret 1 *Petr.* 3.v.18. Ipse sanctificavit se pro nobis, ut & nos essemus sanctificati in veritate *Iohan.*17.vers.19. Hæc causa dici solet meritoria, quia Christus λύτρῳ suo meruit nobis remissionem peccatorum, *Matth.*20.v.28. & *cap.* 26.vers.28. acquisivit sibi Ecclesiam proprio sanguine *Actor.*20.v.28. Item causa materialis justificationis; quia obedientia Christi, ejusque sacrificium, est res illa, propter quam justi constituimur *Roman.*5.vers.16. 2 *Corinth.*5. vers. 21. Et similiter excludit omnia merita nostra, & opera. Si enim ex lege justitia, Christus frustra mortuus est *Galat.* 2. vers.21.

Externa satisfactio Christi.

Forma justificationis statuitur imputatio, ac donatio perfectæ satisfactionis, justitiæ, ac sanctitatis Christi. Supra, quæstione LVI. conjungebat Catechesi remissionem peccatorum, & imputationem justitiæ; hîc solam imputationem ponit; nimirum, quia ratio justificationis tota in imputatione justitiæ consistit, *Rom.* 4.vers. 5. tota in remissionem peccatorum, vers.6.7. tota in utraque *Daniel.*9.vers.24. Non enim sunt partes, subjecto, vel forma differentes, quæ justificationem ceu totum quoddam integrent: alioqui justi, & beati non essent, quorum remissæ sunt iniquitates. Sed sunt phrases verbis diversæ, sensu eædem, quæ unum eundemque justificationis actum, respectu diversorum terminorum, à quo, & ad quem, declarant; prout fieri solet in iis actionibus, quæ contrariorum immediatorum ἀρσεὶ, καὶ θέσει constant. De remissione peccatorum ante dictum. *Imputationem* explicat Catechesis termino synonymo, vocans eam donationem; non quæ fit per infusionem justitiæ habitualis; inhærentis subjecto; Hæc enim imputatio

Forma, imputatio justitiæ Christi.

quæ idem cum Remissione peccatorum.

non esset, si quidem quod inhæret non imputatur: sed quæ fit per gratuitam acceptationem & applicationem, hoc est, quâ Deus mortem & satisfactionem Christi, quasi à nobis præstitam, acceptat, nosque propter eam justos reputat per fidem in ipsum 2. Cor.5.vers.15. *Si unus pro omnibus mortuus est, illi omnes censenter mortui.* vers. 21. *Fecit Deus eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in ipso*, Roman.5.vers. 19. *Per unius obedientiam justi constituuntur multi.* Quod ipsum Catechesis in sequentibus pluribus declarat. Non facit tripartitam imputationem, quasi imputatio satisfactionis Christi tollat peccata commissionis; imputatio justitiæ, peccata omissionis; imputatio sanctitatis, peccatum inhærens. Nam Scriptura unam solùm imputationem agnoscit *Roman.*4.5. *capp.* Et sanguis Jesu Christi mundat nos ab omni peccato 1. *Iohan.*1.*vers.*7. Reclamant præterea loca Scripturæ, in doctrinæ hujus confirmationem in Catechesi allegata *Esa.* 1.v.18. *Mich.*7 v.19. 2. *Cor.*5.v.21. Quid ergo? explicat certitudinem, ac perfectionem hujus imputationis distinctione terminorum, à quo, & ad quem: nè aut nomen putetur sine re, aut insufficiens ad salutem ac vitam censeatur. Certa est hæc imputatio satisfactionis Christi, non minus, quàm si ipsi eam præstitissemus pro peccatis nostris; quia, si unus pro omnibus mortuus est, illi omnes censentur mortui, 2. *Cor.*5.v.15.& quidem judicio Dei, quod est secundùm veritatem *Rom.*2.v.2. Est quoque perfecta, solvens nos à reatu & pœnâ omnium & singulorum peccatorum. Tam enim justos Deus nos reputat, ac si non modò non laborâssemus aut laboraremus labe originali, nec ulla peccata actualia admisissemus: sed etiam originali justitiâ præditi, perfectam ac constantem obedientiam legi præstitissemus. Ratio hæc est; quia sanguis Christi non mundat nos ab hoc, illo, aut certis solum peccatis; sed ab omni peccato, 1.*Iohan.*1.*vers.*7. Et obedientia ipsius nos justos constituit, non particulari, sed universali justificatione *Roman.* 5.*vers.*19.

Imputatio unica est.

certa,

perfecta.

Conside-

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst.& resp.sexagesimam.*

I. *An verba hæc*, Etiamnum ad omne malum propensus sim, *tolerari possint; utpote quæ tam inconcinna sunt, & modum usque adeo excedunt, ut strictè sumta nè quidem in irregenitos quosvis quadrare possint: adeoque quia iis ipsis ita describitur status regenitorum, ut pejor reddatur statu irregenitorum; quem descripsit Catechista quæstione V. & VIII. Videtur etiam descriptio ista pugnare cum descriptione regenitorum, quæstione CXIV, & LXIV; & cum efficaciâ fidei, Confessionis articulo XXIV. Videndum itaque, ac dispiciendum, an non præstet hæc aut similia in istorum locum substitui; etiamnum caro contra Spiritum concupiscit. an vero præstet, prorsus illa omitti; quandoquidem propensio ad malum non justificationi, utpote per quam non tollitur, sed Sanctificationi contraria sit.* An verbo etiamnum ad omne malum propensus sim tolerari possint?

Resp. Qui verba illa tam inconcinna judicant, ut nè omnibus quidem irregenitis, nedum regenitis convenire possint; ii peccatum originis in totum vel ex parte negant, & regenitis in hâc vitâ perfectam sanctificationem, rectè saltem, vendicant. Refelluntur verò ab Apostolo *Rom.*7. ubi de irregenitis & regenitis, in suâ personâ, secundum duplicem statum, ante & post conversionem differens, utrisque propensionem illam tribuit. Quo discrimine, dictum est ad considerationes quæstionum V. & VIII. Summa hæc est. In *Irregenitis* est totalis propensio ad omne malum: In *regenitis* sunt propensionis illius reliquiæ, (in aliis majores, in aliis minores;) ex peccato imminuto solùm per gratiam regenerationis, nondum verò abolito. In *illis* non tantum exsistit, sed etiam dominatur illa propensio ad malum; ut qui carni habenas laxat. In *istis* non dominatur, sed ei resistunt per gratiam Spiritus Sancti, *Gal.*5, v. 16. 17. ac licet aliquando succumbant, tamen vires postea resumunt, ac victoriam à carne reportant. Neque pugnant quæ hîc in Catechesi dicuntur cum iis quæ habentur quæstione LXIV, & CXIV. siquidem diverso respectu, & secundum diversa principia, de eodem subjecto enunciantur. Secundum carnem, & corpus illud mortis *Rom.*7. v. 24. quod pondus, & peccatum ad nos

nos circumcingendum proclive vocatur, *Hebr.* 12. v.1.propensi adhuc sunt regeniti ad omne, hoc est, quodvis malum: secundum spiritum verò fructus gratitudinis Deo ferunt, & secundum omnia ejus præcepta vivere incipiunt *Rom.* 7. v. 52. & *cap.*8.v.1. *seqq. Gal.*5.v.16.17. Ex quo loco si maxime substituantur ista verba, *Etiamnum caro contra spiritum concupiscat*, sensus tamen idem manet; Quia concupiscentia carnis adversus spiritum est propensio ad omne malum; cujus variæ species sub fructibus carnis recensentur *vers.* 19. 20. Omitti verò, aut induci nullo modo debent. I. Quia justificationis beneficium antithesi contrariorum illustrant, & amplificant. II. Quia necessariam fidelibus consolationem continent, contra reliquias peccati originalis; ex quibus, ut difficilis lucta, ita gravis sæpenumero tentatio nascitur *Rom.*7.v.24.25.& *cap.* 8.v.1. Quo consilio pravitatis inhærentis, etiam supr quæstione LVI. Catechesis prudenter meminit. Et falsum est, quod propensio ad malum non sit contraria justificationi. Atqui homines irregeniti propter eam condemnantur, & sunt iræ filii *Ephes.*2. v. 3. Quod regeniti propter eam non condemnantur, id fit per accidens, quia veniam consequuntur. Ambiguum etiam est, quod propensionem illam tolli negant per justificationem. Sanè non tollitur quoad abolitionem inhærentis vitiositatis, quæ in sanctificatione fit: tollitur verò quoad reatum, sicut dicitur Joh.1.v.29. *Hic est agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.*

An satisfactio justitia, & sanctitas Christi sigillatim nobis imputentur?

II. *Cum hæc tria distincta beneficia nobis collata proponantur, Christi nempè satisfactio, justitia, & sanctitas, quibus etiam distincta effecta ad justificationem pertinentia adscribuntur; quæritur an primo Christi satisfactio morte præstita; deindè justitia, qua moralem legem implevit; tertio sanctitas, in qua conceptus est, distinctè & separatim singula nobis imputentur, & an ad justificationem hæc quoque distinctè consideranda sint, hoc modo; peccata remittere, naturalem corruptionem tegere, Christi justitiam imputare: Et an hæc tantummodo valeant, atque habere pro eo qui legi obedivit; aut in Christo justum reputare, quia in eo legem implevit.*

Resp. Huic considerationi jam satisfactum est in explicatione textus Catechetici. Tria illa, non sunt distincta aut separata beneficia, quorũ singulis dictincta effecta, ad integrandã justificationẽ perti-

pertinentia, respondeant; sed conjuncta sunt, & conjunctim concurrunt ad unum idemque ἀποτέλεσμα justificationis; licet modo, ac respectu diverso.

Et quia controversiam *de activâ, & passivâ Christi obedientiâ* hoc loco renovant, quam in antecedentibus multoties jam attigerunt, de eâ ex promisso, sed ὡς ἐν παρόδῳ, aliquid dicemus.

I. *Obedientia Christi est*, quam ipse inde ab incarnatione, usque ad mortem crucis, præstitit patri, secundùm legem Phil. 2. v. 7. 8. *Ipse se exinanivit, factus patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Obedientia Christi quid.

II. Sicut verò Christi homini lex gemina data fuit; *Vna* generalis, quâ omnis creatura rationalis tenetur; *Matth.* 22. v. 37. 38. *Altera* specialis, de ponendâ anima pro ovibus: *Ioh.* 10. v. 18. & *cap.* 14. v. 31. Ita gemina quoque censetur ejus obedientia, Generalis, & Specialis. Gemina est.

III. *Generalis* est, quam præstitit diligendo Deum supra omnia, proximum sicut se ipsum *Matth.* 22. v. 37. 38. Hæc obedientia *activa*, & *sanctæ vitæ* dici solet; quia in actionibus, & sanctæ vitæ operibus posita fuit Heb. 7. v. 26. 27. *Ioh.* 8. v. 46. 2. Cor. 5. v. 21. 1. Pet. 2. v. 22. 23. Profluxit verò ex habituali illâ sanctitate, in quâ ipse conceptus, & natus est, virtute Spiritus Sancti *Luc.* 1. v. 35. Generalis.

IV. *Specialis* est, quam præstitit ponendo animam pro ovibus suis *Ioh.* 10. v. 18. sive dando se ipsum ἀντίλυτρον, pro multis: *Matth.* 20. v. 28. de quâ ipse testatur *Psal.* 40. v. 7. 8. 9. *Ecce adsum, ut faciam voluntatem tuam, Deus. Sacrificia, & holocautomata noluisti, sed corpus adaptasti mihi. Quâ voluntate*, i. e. voluntatis obedientiâ, *sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel factam* Heb. 10. v. 10. Et hæc obedientia *passiva*, & *mortis* vocari consuevit; ut quæ in passionibus Christi consistit, atque in morte crucis præcipuè cernitur. Specialis.

V. Hæc distributio Obedientiæ Christi, non est divisio generis in species, quasi duplex sit Christi obedientia, specie diversa: Nam una incurrit in alteram, & una alteram complectitur. *Obedientia passiva*, quæ sic vocari potest eorum respectu à quibus Christus patiebatur, est etiam activa, respectu ipsius, qui voluit talia pati: sicut ipse dicit; *Voluntatem tuam facio lubens* Psal. 40. v. 9. Sive passiva est, quoad materiale, in animæ corporisque passionibus: activa, Quæ distinguuntur non specie sed secundum diversos actus.

quoad formale, quod est voluntarium obsequium patri præstitum. Vicissim *obedientia activa* est etiam passiva: quia legem dilectionis vel maximè moriendo pro nobis implevit *Ioh.*15.v.13.14. Et universa Christi vita, quid fuit, nisi perpetua quædam passio, quam morte tandem consummavit pro nobis? Est verè unius,& ejusdem specie obedientiæ, secundum diversa objecta; & diversos actus, distinctio pro quorum duplicitate duplex quasi nobis apparet, ut est *Phil.* 2. v. 7. 8.

Utraque necessaria.

VI. Vtraque hæc obedientia necessaria fuit ad procurandam redemptionem generis humani, ad reconciliationem cum Deo, & justificationem vitæ ei acquirendam.

Activa

VII. *Prior* quidem propter dignitatem personæ,ut Christus esset sanctus sacerdos, iis obeundis idoneus, quæ apud Deum peragenda erant. De quo ita Apostolus Heb.7.v.26. 27. *Talis nos decebat pontifex, sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus; cui non sit opus, prius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi.* Deinde etiam propter dignitatem, & precium sacrificii ipsius,ut esset sancta victima,& oblatio bonæ fragrantiæ Deo *Eph.* 5.v.2. De quo Petrus loquitur 1.Epist.1.v.19. *Redemti sumus precioso sanguine, utpote agni inculpati, & incontaminati, nempe Christi.*

Passiva

VIII. *Altera* verò partim propter justitiam Dei, secundum quam omnes peccatores digni sunt morte, *Rom.*1.32. & per quam absq; sanguinis effusione nulla nobis contingere poterat remissio; *Heb.*9.v.22. partim etiam propter ejusdem veritatem: quia dixerat quacunque die comederis,morte morieris, *Gen.*2.17. sive,ut Catechesis loquitur quęstione XL. quòd justitię,& veritati Dei,nullo alio pacto pro nostris peccatis potuit satisfieri, quā ipsâ morte filii Dei.

Ad eadem ἀποτελέσματα conjunctim producenda.

IX. Pręterea necessaria fuit utraque illa Christi obedientia,non ad diversa ἀποτελέσματα v.g. Obedientia *activa* ad impetrandam nobis justitiam; obedientia *passiva* ad obtinendam remissionem peccatorum. *Illa* ad delenda peccata omissionis; *ista* ad tollenda peccata commissionis. *Illa* ad promerendam nobis vitam; *ista* ad depellendam à nobis mortem æternam. Nam scriptura omnia hæc obedientiæ,passioni,morti, ac sanguini Christi,promiscuè adscribit. Sed necessaria fuit ad eadem ἀποτελέσματα producenda, ad eadem redemtionis beneficia nobis impetranda; idque conjunctim, non divisim, aut separatim.

Probatur testimoniis Scripturæ.

X. Quod ipsum Scriptura his & similibus locis, expressis verbis docet.

docet. *Esa.* 53. 11. *Servus meus justus cognitione sui justificabit multos, quorum iniquitates ipse bajulavit.* Joh. 17. v. 19. *Ego pro eis sanctifico me ipsum*, id est, offero in sanctam victimam, *ut sint & ipsi sanctificati in veritate* 2. Cor. 5. v. 21. *Fecit eum Deus qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in ipso.* 1. Pet. 1. v. 18. 19. *Redemti sumus non auro, nec argento, sed precioso sanguine.* Et cap. 3. v. 18. *Ipse passus est justus pro injustis, ut nos ad Deum adduceret.*

Ex hâc simplici, sed Scripturæ consentaneâ recitatione, planum est, Catechesin non tradere pugnantia de satisfactione, justitiâ, ac sanctitate Christi; nec divellere, quæ in negocio redemptionis & salutis inseparabiliter cohærent. In quâ simplicitate merito acquiescunt, quotquot veritatis, & pacis studiosi sunt.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. sexagesimam.*

Iustificatio est, cum nos Deus pro justis habet: quod eâ ratione facit, dum & peccata nobis remittit, & nos vitâ æternâ donat Rom. 4. v. 6. 7. Psal. 32. v. 1. 2. *Eam per fidem in Christum consequimur, absque quâ nemo justificatur, nimirum ex quo Christus patefactus est. Nam ante patefactionem ipsius pendebat tota justificatio ex merâ Dei gratiâ extra Christum, neque patres propter fidem in Dei filium, sed in ipsum Deum, sunt justificati.*

Responsio.

Doctrinam Socinianorum de justificatione prolixè hîc non examinabimus, aut confutabimus. Factum id suprà quæstione XIX. & XL. Cum de discrimine Veteris, & Novi Testamenti, nec non de Christi satisfactione ageremus. Tantùm notabimus præcipuos eorum errores, quos hic paucis verbis nobis reponunt. *Primus* est, quod peccata nobis remittantur, & vita ęterna donetur, citra Christum, & satisfactionem ipsius: contra Scripturam Heb. 9. v. 22. *Absque sanguinis effusione nulla fit remissio* 1. Joh. 1. v. 7. *Sanguis Iesu Christi filii Dei mundat nos ab omni peccato.* Joh. 6. v. 51. *Carnem meam dabo pro mundi vitâ. Secundus* est, quod fides justificet suâ virtute, dignitate, ac merito, non apprehensione Christi, ac meriti ipsius: contra Scripturam Eph. 2. v. 8. 9. *Gratia servati estis, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Tertius* est, quòd à justificatione patrum sub Veteri Testamento

[Margin: Socinianorum errores de Justificatione. — 1. — 2. — 3.]

Christum simpliciter excludunt: contra Scripturam Act. 15. v. 11. *Credimus nos per gratiam Iesu Christi servari, quemadmodum & illos*, scil. patres.
4. *Quartus* est, quod simpliciter à fide patrum Christum excludunt; contra Scripturam Joh. 8. v. 56. *Abrahamus vidit diem meum*, scil. fide, *& gavisus est*. Et *Heb.* 11. *per totum.*

QVÆST. LXI. Cur solâ fide te justum esse affirmas?

RESP. *Non quod dignitate meæ fidei Deo placeam, sed quod sola satisfactio, justitia, & sanctitas Christi, mea justitia sit coram Deo: ego vero eam non aliâ ratione, quam fide amplecti, & mihi applicare queam.*

EXEGESIS.

HAc quæstione & responsione pluribus declaratur causa instrumentalis justificationis, de quâ dictum quòd solâ fide justificemur. Et declaratio antithesi contrariorum illustratur. I. Rejicit Catechesis falsum sensum phraseως, quòd nimirum dignitate nostræ fidei justificemur: propter eam, ejusque qualitatem, præstantiam, ac meritum Deo grati simus. Quam explicationem confinxerunt Pontificii, Servetiani, & Sociniani. Nusquam enim dicit Scriptura nos justificari διὰ τὴν πίστιν, propter fidem: sed constanter docet, justificari nos ἐκ πίστεως, διὰ πίστεως & πίστει. *Ex fide, per fidem, fide. Rom.* 3. *v.* 22; 28; 30. *cap.* 5. *v.* 1. Fides etiam & opera, in doctrinâ justificationis perpetuò inter se opponuntur *Rom.* 3. 4. *capp. Gal.* 3. 4. *cap. Eph.* 2. *v.* 8. 9. Quare sub classe, & genere operum comprehendi nequit. Contradistinctum enim contradistincti sui includit negationem. Denique justitia, quâ justi sumus coram Deo, est ex fide, per fidem, fide: *Rom.* 1. *v.* 17. & *cap.* 3. *v.* 22 & *cap.* 10. *v.* 6. *Phil.* 3. *v.* 9. 10. Non igitur fides est ipsa justitia. II. Verum & genuinum φράσεως sensum exponit, ut quid sit fide justificari, quid item sola fide justificari, intelligatur. *Fide justificari* dicimur bifariam, correlativè, & organicè. *Correlativè*, quia correlatum fidei, hoc est satisfactio, & justitia Christi, est nostra justitia coram Deo, sive, imputatur nobis ad justitiam. Rom. 5. v. 19. *Vnius obedientiâ justi constituuntur multi.* 2. Cor. 5. v. 19. *Fecit eũ Deus qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut nos fieremus justitia Dei in ipso. Organice*

Non justificamur propter fidem ejusque qualitatem.

Iustificamur fide correlativè.

quia

quia fides est organum, seu manus accipiens, sibique applicans justitiam à Deo donatam, sive remissionem peccatorum. Rom. 7.v.17. *Qui redundantem illam gratiam, & donum justitiæ accipiunt*, nempe fide. Act. 26. v. 18. *Vt remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos accipiant, per fidem, quæ est in me.* Quo sensu causæ instrumentali tribuitur, quod est efficientis, & impulsivæ principalis. Quomodo etiam Euangelium dicitur potentia Dei ad salutem omni credenti; quia potentiæ Dei salvificæ organum, & spiritus ministerium est *Rom.* 1.v.16. 2. *Cor.* 3. v. 8. Similiter *solâ fide justificari* dicimur, tum *correlativè*, quia sola satisfactio, & justitia Christi, est nostra justitia coram Deo, cùm non sit in alio quopiam salus *Act.*4.v.11. Et sanguis ipsius nos mundat ab omni peccato 1.*Ioh.*1. v. 7. Tum *organicè*, quia sola fides est instrumentum justificationis, & fidelis non aliâ ratione justitiam illam, quâ justus censetur coram Deo, quam fide amplecti, sibique applicare potest *Rom.* 5. v. 17. *Act.* 26.v.18. Fides igitur sola dicitur, non ratione existentiæ; quasi solitaria, separata à Charitate, ac bonis operibus exsistat, *Gal.*5. v.6. 1 *Thess.*1.v.3. sed ratione proprii sui objecti, & proprii actus circa illud Objectum, quem ipsa sola exercet, non alia aliqua qualitas in homine. Insuper cum sola dicitur justificare; vox *sola* ad determinationem prædicati, non subjecti referenda est: sicut oculus solus videt, auris sola audit; quia ille unicum videndi, ista unicum audiendi est instrumentum: non autem quasi illos actus separata à acpite, reliquoque corpore, exerceant. Siquidem destructis subjectis simul destruuntur eorundem actus.

Organicè.

Solâ fide correlativè.

Organicè.

Pontificii non admittunt hanc exclusivam. Sed in Scripturâ manifestè traditur per æquipollentiam phrasium, & consequentiam rei. Nam docet Scriptura hominem justificari ἐὰν μὴ διὰ πίστεως *Gal.* 2.v.16. non nisi per fidem. Particulæ autem ἐὰν μὴ, εἰ μὴ, non tantum exclusivè intelliguntur *Apoc.* 21. v. 27. & alibi: sed etiam exclusivè redduntur *Marc.*13.v.32. & *Matth.* 24. v. 36. *inter se collatis*. Præterea immediatè opponuntur, fides, & opera: & Apostolus ex illius affirmatione ad horum negationem procedit, & vice versâ *Rom.* 3. v. 4. *Gal.* 2. v. 3. *capp. Eph.* 2. v. 8. 9. *Phil.* 3. v. 9. 10. *Tit.* 3. v. 4. 5. Sed in immediatè oppositis, uno negato, solum alterum affirmatur. Cum igitur disertè negetur justificatio operum, vicissim evidenter affirmatur & adstruitur justificatio solius fidei.

Exclusiva sola ex Scripturâ probatur.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & respons. sexag. primam.*

An non dignitas meritoria tantum de fide negetur?

I. *An per vocem* dignitatis, *quæ hîc rejicitur, non sit intelligenda ea, quam ex se ipsa fides habeat, quæque meritoria sit; cum alioqui Scriptura asserat, homines per fidem placere Deo: & dignos esse accipere coronam, ea nempè dignitate, quæ non est ex æstimatione rigida, sed dignatione gratiosa, justâ tamen.*

Resp. Vtraque dignitas explicatione Catecheticâ rejicitur. *Illa*, quia fides ex se nullam habet justitiam coram Deo, sive universalem; nam est habitus aut actus particularis: sive particularem; est enim imperfecta, multis defectibus & infirmitatibus laborans. *Ista* quoque: Non enim docet Scriptura fidem nostram esse justitiam coram Deo, sed Christum esse illam justitiam *Ier.* 23. v. 6. 1. *Cor.* 1 v. 30. 2. *Cor.* 5. v. 21. Item justitiam esse ex fide, per fidem, & fidei *Rom.* 1. v. 17. & *cap.* 3. v. 22. & *cap.* 10. v. 6. *Phil.* 3. v. 9. Cumque judicium Dei sit secundùm veritatem, *Rom.* 2. v. 2. equidem fidem, quæ virtus est particularis, imperfecta, pro universali & perfectâ justitiâ minimè reputat. *Heb.* 11. v. 2. 3. 6. dicimur per fidem placere Deo, & absque eâ ipsi placere non posse: quia per Christum, quem intuetur & apprehendit fides, ipsi placemus; in quo solo est complacitum patris *Matth.* 3. v. 17. *Coloss.* 3. v. 13. 14. Et absque quo venire ad patrem est impossibile *Ioh.* 14. v. 6. Aliis locis, quibus digni dicuntur fideles, 2. *Thess.* 1. v. 5. *Apoc.* 3. v. 4. dignatio gratuita in Christo, & propter eum, intelligenda est; quâ gratiâ & gloriâ cœlesti, propter satisfactionem ipsius, digni reputantur: non autem, quasi fidem ipsorum dignam censeat Deus justitiæ universalis encomio, & vitæ æternæ premio. Hâc igitur Consideratione ostendunt Novatores, se in fundamentali articulo, de justificatione hominis coram Deo, secessionẽ facere ab Ecclesiis reformatis orthodoxis, & ad partes Serveti & Socini transire.

Heb. 11. v. 2. 3. 6. vindicatur.

2. Thess. 1. v. 5. Apoc. 3. v. 4. explicantur.

An Christi justitia sit nostra justitia.

II. *Sitne benè dictum credere justitiam Christi esse nostram justitiam; & deinde nos eam verâ fide amplecti, & nobis applicare, ut nostra sit.*

Resp. Imo optimè, & rei convenientissimè, id dictum est. Justitia Christi est nostra justitia, nosque credimus eam esse nostram justitiam: tum acquisitione ipsius; nam factus est nobis justitia à patre, 1. *Cor.* 1. v. 30. factus est peccatum ut nos fieremus justitia Dei in ipso: 2. *Cor.* 5. 21. tum donatione Dei, eam gratis nobis donantis,

donantis, & imputantis *Rom.* 3. v. 22. & *cap.* 4. v. 5. 6. Insuper verâ fide eam amplectimur in verbo promissionis, ut fiat nostra, applicatione & sensu. Nam donum justitiæ, sive remissionem peccatorum fide accipimus, ut justificati fide pacem habeamus *Rom.* 5. v. 1. 17. *Act.* 26. v. 18.

III. *Animadversione quoque non indignum videtur, nullas ferè hîc usurpari phrases sacræ Scripturæ usitatas.* Phrases Catecheseos non esse Scripturæ.

Resp. Phrases illæ partim depromtæ sunt ex Scripturâ, partim cum eâ consentiunt; quod allegata locorum, declarationis, & confirmationis gratiâ adhibitorum, liquidò ostendunt.

QUÆST. LXII. Cur nostra bona opera non possunt esse justitia, vel pars aliqua justitiæ coram Deo?

RESP. *Propterea, quod oporteat eam justitiam, quæ in judicio Dei consistat, perfectè absolutam esse, & omni ex parte divinæ legi congruentem: Nostra verò etiam præstantissima quæque opera, in hâc vitâ sint imperfecta, atque adeò peccatis inquinata.*

EXEGESIS.

HActenus tradita & confirmata est vera doctrina, de justificatione fidei: sequitur falsa doctrina Pontificiorum refutanda, quòd partim fide, partim operibus justificemur: Fide, quoad inchoatam dispositionem; operibus, & inprimis charitate, quoad consummatam perfectionem. Catechesis non coacervat multa argumenta, quæ ex epistolis Paulinis magno numero peti possunt: sed justificationem operum oppugnat & destruit ratione unicâ, ab adjuncto justitiæ, quæ valet coram Deo, & est causa impulsiva justificationis. Ea sic breviter concluditur: Justitia, quæ in Dei judicio consistat, eumque moveat ad justificandum, absolutè perfecta, & omni ex parte legi divinæ consentanea esse debet. At justitia nostrorum operum non est absolutè perfecta. Ergo &c. *Major* his, & similibus dictis nititur: *Matth.* 22. v. 37. 38. *Deut.* 27. v. 26. *Gal.* 3. v. 10. quæ omnimodam perfectionem justitiæ, tam graduum, quàm partium præscribunt, & requirunt. *Minor* amplificatur collatione Iustificatio non est ex operibus.

impa-

imparium, per argumentationē à majori & minori; quatenus etiam præstantissimis operibus laus perfectæ justitiæ derogatur, contrà autem ea peccatis inquinata esse pronunciatur. Veritas ejus demonstratur dictis, *Phil* 3.v.12.13. *Esa*.64. v.4. nec non quotidianis precibus, & querimoniis sanctorum, de suâ imperfectione in hâc vitâ *Rom*.7.v.16. *seqq*.1.*Ioh*.1.v.8.9. Cujus veniam petunt, & accipiunt *Psal*. 143.v.2. *Matth*. 6.v.22. per fidem *Act*. 26.v.18.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & respons. sexag. secundam.*

An ratio allata sit sufficiens.

An responsio hæc satis commodè declaret causam ejus de quo quæritur. Fac nimirum concedi ad aliquo; justa opera, quæ ex fide fiunt, legi Dei per omnia esse conformia, tamen non possent ea ipsa esse justitia coram Deo, vel pars justitiæ nostræ. Non justitia, quia ut opera nostra justitia sint coram Deo, necesse est ut nunquam in Deum peccaverimus. Non pars justitiæ; quia necessarium est, ut justitia aut ex lege tota sit, aut ex Euangelio; nec misceri ista duo possunt.

Resp. Non attendunt Novatores, quid, aut de quo hîc agatur. Quæstio hæc propriè opponitur errori Pontificiorum, de jam renatis, eorumque operibus; quibus meritum condigni ipsi attribuunt, quòd ex condigno mereantur vitam & gloriam æternam. Illum errorem evidenter, directè, & solidè refellit adducta ratio; quod vita æterna non nisi pro perfectâ justitiâ retribuatur: sicut scriptum est, *Fac hoc & vives Lev*.18.v.5. *Rom*.10.v.5. Simul verò redarguit alterum errorem, de operibus non renatorum, quibus ipsi meritum congrui affingunt. Si enim etiam sanctissima opera renatorum non merentur gloriam, quòd imperfecta sint; multò minus opera non renatorum merebuntur gratiam, quod tantùm sint peccata *Rom*.1.2.3.*capp*. Quis unquam peccando Dei gratiam sibi conciliavit? Ex hypothesi, quam ipsi præsupponunt, verùm sanè est, peccatorem succedaneâ, eaque perfectâ legis obedientiâ, non fieri justum coram Deo, absolutè scil. & universaliter; quia illa præsenti obligatione semper debetur, nec cedere potest in satisfactionem pro antegressâ violatione legis. Interim, si quis talis esset, aut esse posset, is non augeret injustitiam; sed ex observatione præsente legis justus foret, saltem ex parte, pro tempore præsente. At nunquam etiam sanctissima renatorum opera, in hâc vita sunt perfectè bona. Frustrà vero hypotheses statuuntur & urgentur, quæ propter immu-

immutabile Dei decretum in hâc vitâ poni nequeunt; & Catechesis quærit de operibus nostris qualia, reverà sunt, non qualia finguntur esse.

II. *An opera regenitorum, quamvis ex eâ fidei & charitatis mensurâ, erga Deum & proximum, non fiunt, quæ ab ipsis jure exigi possit, peccatis inquinata esse meritò dici queant; cum in Scripturâ passim opera bona insignibus elogiis ornentur, & nunc vestes mundæ, nunc immaculata religio, nunc purpura, & byssus vocentur, nunc etiam ii, qui sanctè vivunt, vestimenta sua non inquinâsse dicantur.*

An opera regenitorum sint peccatis inquinata?

Resp. Non tantum exigi potest, sed etiam exigitur à renatis in hâc vitâ major perfectio fidei & charitatis, erga Deum & proximum. Imperfecta igitur est ipsorum fides ac charitas, atque à regulâ fidei in Euangelio, à normâ charitatis in lege, saltem ex parte, aberrat. Id verò an non ἄνομον & peccato inquinatum dicemus? Certè cui definitio peccati convenit, eidem etiam definitum convenit, sive absolutè, sive secundum quid. Verum est, bona opera sanctorum variis, iisque insignibus elogiis ornari in Scripturâ: Sed illud fit, partim quatenus ex fide in Christum æstimantur, propter quam placent Deo; partim quatenus in sinceritate cordis spectantur. *Apoc.* 3. autem dicuntur non inquinâsse vestimenta sua, quotquot abstinuerunt à consortio impiorum, nec impiis eorum factis sese coinquinârunt. Si vestimenta sanctorum prorsus munda essent, cur illi dicerentur ea lavare, & dealbare in sanguine agni? *Apoc.* 7. v. 14.

III. *An non responsionis verba respicere videantur ad locum* Esa. 64. *& an is ad hanc rem faciat?*

An dictum Esa. 64. huc faciat?

Resp. Omninò respiciunt locum illum Prophetæ, & is maxime ad rem facit; quia ipse Propheta vir sanctissimus se quoque in hâc immunditiei agnitione, & confessione includit, eamque totius Ecclesiæ Israëliticæ nomine, in quâ utique multi pii & sancti viri erant, edit & profert. Addi potest similis locus *Dan.* 9. v. 18.

QUÆST. LXIII: Quomodo bona opera nostra nihil promereantur, cum Deus & in præsenti, & in futura vita mercedem pro his se daturum promittat?

RESP. *Merces ea non datur ex merito, sed gratiâ.*

EXEGESIS.

ESt *occupatio* Objectionis Pontificiorum contra conclusionem præcedentis responsionis: Pro quo datur merces, id habet rationem meriti. Pro bonis operibus datur merces. Ergò bona opera habent rationem meriti. *Minor* probatur argumento promissionis divinæ, quâ Deus & in præsenti, & in futurâ vitâ, mercedem, pro iis se daturum promisit. *Respondetur* negatione propositionis; & ratio negationis petitur ex distinctione mercedis. *Merces* alia debita est, alia gratuita. *Debita*, quæ pro opere indebito solvitur, ex obligatione; qualis est merces laboris, & meriti. *Gratuita* est præmium, quod pro debito obsequio gratis confertur; cujusmodi præmia parentes liberis, officium strenuè facientibus, elargiri solent. Vide *Rom*. 4. v. 3. 4. Hîc posterioris generis merces intelligitur, quæ sic est merces, *Matth*. 5. v. 12. ut simul sit charisma, sive donum Dei Patris, *Rom*. 6. v. 23. & filiorum hæreditas *Col*. 3. v. 24. Et appellatur illo nomine per metaphoram: quia ut operario merces datur post opus peractum; ita præmia vitæ æternæ dantur piis post bona opera, & ęrumnas hujus vitæ: Item, ut merces datur operario ex pacto, & promisso; ita præmia illa dantur piis ex pacto, & promissione gratiæ. Sunt igitur quatuor termini: Nam in *majore* merces dicitur propriè; In *minore* verò Metaphoricè.

Vita æterna quatenus sit merces.

QUÆST. LXIV. An autem hæc doctrina non reddit homines securos, & profanos?

RESP. *Non: neque enim fieri potest, quin ii, qui Christo per fidem insiti sunt, fructus proferant gratitudinis.*

EXEGESIS.

ESt *occupatio* calumnię Pontificiorum, adversus doctrinam de justificatione fidei. Ista doctrina reddit homines securos & profanos. Igitur falsa, & profana est. *Respondetur* per negationem antecedentis: & probatur negatio à causâ efficiente contrarii, quę est communio fide-justificatorum cum Christo. Hi, sicut insiti sunt Christo per fidē, ita in ipso fructûs gratitudinis proferunt: *Ioh*. 15. 5. *Rom*. 6. 1. *seqq*. Siquidem lex Spiritûs vitę, qui est in Christo Iesu,

ſu, liberat eos à lege peccati & mortis; *Rom.* 8. v. 2. Et charitas illa Chriſti ita eos conſtringit, ut poſthac non ſibi vivant, ſed ei vivant, qui pro ipſis mortuus eſt, & ſuſcitatus eſt 2. *Cor.* 5. v. 14. 15.

Conſiderationes Catechetica Novatorum *ad quæſt. & reſponſ. ſexag. quintam.*

Quamvis ita ſe res habeat, uti reſponſione expreſſum, h. e. quamvis doctrina juſtificationis non reddat homines ſecuros: quæri tamen poteſt, an cauſa cur id fiat in reſponſione rectè ſit expreſſa. Nam poſito, fieri aliter non poſſe, quin ii, qui Chriſto inſiti ſunt, fructus proferant gratitudinis, poteſt tamen doctrina juſtificationis eo modo proponi, ut per eam homines ſecuri reddantur, de vitâ in timore Domini inſtituendâ. Annon doctrina juſtificationis ita proponi queat, ut homines ſecuri reddantur?

Reſp. Quemadmodum reſponſione Catecheticâ expreſſa eſt vera doctrina, quòd juſtificatio fidei ex ſe, & ſuâ naturâ, non reddat homines ſecuros, & profanos: ſic etiam expreſſa eſt vera ejus ratio, idque ex cauſâ proximâ. Aliter ſi proponatur illa doctrina, nimirum ut ſecuritati feneſtram aperiat, id fiet per accidens, non doctrinæ, ſed hominum culpâ ac vitio, gratiam Chriſti ad laſciviam transferentium; de quibus jam olim Judas conqueſtus fuit, *verſ.* 4.

II. *Illud quoque examinari atque expendi meretur, an abſolutè fieri non poſſit, quin verè fideles, & qui Chriſto inſiti ſunt, fructus proferant gratitudinis, cum Servator ipſe* Joh. 15. *dicat,* Omnem palmitem in me non ferentem fructum *&c. Id ſi conceditur, videndum, an non hoc, quod in reſponſione dicitur, preſſius declarari debeat, fieri ſcil. id non poſſe, ex genio & naturâ fidei, utpote quæ ad bona opera excitet, & vehementer inclinet, imò re ipſâ producat: poſſe tamen fieri, ſi homo per negligentiam, eam conſcientiæ ſuæ non habeat rationem, quam habere debet. Eâ enim amiſſa, quod fieri poteſt, fidei naufragium facit.* An qui Chriſto inſiti neceſſariò ferant fructus?

Reſp. Omninò fieri non poteſt, quin ii, qui Chriſto verè, & per veram fidem inſiti ſunt, fructus proferant gratitudinis. Non poteſt enim arbor bona malos fructus ferre, *Matth.* 7. v. 18. & quæ fert bonos fructûs, purgatur, ut plus fructus adferat, *Joh.* 15. v. 2. Sed fructus illi nec omni tempore, nec pari ſemper quantitate proveniunt; quia juſti fructûs edunt tempore ſuo, *Pſal.* 1. v. 3. Et quidem cum patientiâ, alii centenos, alii ſexagenos, alii tricenos, *Luc.* 8. 15. *Matth.* 13. v. 23. His non repugnat, quòd *Joh.* 15. v. 2. dicuntur eſſe palmites in Chriſto non ferentes fructum; qualis erat Iudas. Ii namque ſunt palmites ὁμωνύμως, & æquivocè ſic dicti: & modo Joh. 15. v. 2. explicatur.

quodam sunt in Christo, per fidei professionem, per Sacramentorum communionem, per communem Ecclesiæ nuncupationem & societatem: non autem re ipsâ, & veritate eorum, per quæ credi volunt in Christo esse. Sic cadit distinctio, quæ pressioris declarationis loco adhibetur, & se ipsam elidit. 1. *Tim.* 1. v. 19. Fidei naufragium facere, est à verâ doctrinâ Euangelii, ad errores & hæreses desciscere; uti Paulus ipse declarat 2. *Tim.* 2. v. 18. & 1. *Tim.* 4. v. 1. & post ipsum Oecumenius, in hunc locum.

1. Tim. 1. v. 19. explicatur.

An cum docetur justificationem fide priorem esse, homines securi reddantur?

III. *An non doctrina Iustificationis, eo, quo à nonnullis solet, modo explicata; scil. ut statuatur, non modò omnia bona opera, sed & ipsam fidem antecedere, nosque obstringere, sine ullâ conditione, cum peccatis adhuc immersi jacemus; ad reddendos homines securos apta nata sit.*

Resp. Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum. Fides verò justificationem pręcedit, non minus, quàm vocatio efficax, per quam ipsa donatur; sed ordine, non tempore, *Rom.* 8. v. 30. Et justificatio geminam conditionem requirit: Vnam antecedentem, fidei: Est enim ex fide, & per fidem, *Rom.* 3. v. 28. 30. nec absolutè omnis homo, sed omnis credens justificatur *Act.* 13. v. 38. Alteram consequentē, conversionis & novæ obedientiæ; non à quâ ipsa pendeat, aut perficiatur; verùm per quam declaretur, & testata fiat, ad Dei gloriam. Neutra est, aut præstatur ex nobis, sed ex gratiâ Dei, & virtute Spiritûs Sancti utraq; proficiscitur. Ita verò homines non securos, aut profanos, sed partim humiles efficit; qui nihil prorsus conferunt, aut conferre possunt, ad sui justificationem: partim etiam gratos, in celebrandâ hâc Dei misericordiâ, 1. *Pet.* 2. v. 9. & gloriâ ipsius studio bonorum operum illustrandâ *Matth.* 5. v. 16. 2. *Cor.* 5. v. 15. Satis ostendunt Novatores, quò tendant, & quam ipsi justificationis formam velint, & approbent.

De SACRAMENTIS.

QUÆST. LXV. Quoniam igitur sola fides nos Christi, atque omnium ejus beneficiorum participes facit, undè hæc fides proficiscitur?

RESP. *A Spiritu Sancto, qui eam per prædicationem Euangelii in nostris cordibus accendit, & per usum Sacramentorum confirmat.*

EXEGESIS.

EXEGESIS.

SVperest tertium caput explicationis fidei, quod *Causas* ejus *Efficientes* complectitur. Earum tres hîc commemorantur & explicantur. *Prima* est procreans principalis, videlicet *Spiritus Sanctus*. Communiter opus fidei toti Trinitati tribuitur, *Eph.*2.v.8. *Phil.*1.v.29.*Ioh.*6.v.29.*Matth.*16.v.17. Sed peculiariter Spiritui Sancto convenit; qui est Spiritus fidei, 2.*Cor.*4.v.13. absque quo Jesum Dominum dicere nemo potest; 1.*Cor.* 12.v. 3. nimirum, quia proximâ, & immediatâ virtute eam in cordibus electorum producit *Tit.* 1.v.1. *Act.*13.v.48. Igitur virtus illa Spiritûs, non est actio generalis in omnibus, sed particularis in electis: *Matt.*11. v. 25.26. & *cap.*13.v.11. & efficax est non modò ad illuminationem mentium, in agnitionem veritatis, 1.*Cor.*1.v.6. *Eph.*1.v.17. 18. verùm etiam ad apertionem, *Act.*16.v.14. & vivificationem cordium, *Gal.* 2.v.20. ut Christum ac salvificam ejus gratiam ad vitam apprehendant *Ioh.* 1.v.12. *Act.*26.v.18. *Rom.*5.v.17. *Altera* est efficiens instrumentalis, procreationi & conservationi fidei simul subserviens; nimirum *Euangelium*, ejusque prædicatio. Nam Euangelium est verbum fidei, ex cujus auditu fides concipitur; *Rom.*10.v.8. 17. est ministerium Spiritûs, per quod ipse fidem in cordibus excitat; 2. *Cor.* 3, v. 8. est potentia Dei ad salutem omni credenti *Rom.*1.v.16. Sed prædicationem Euangelii antecedit concio legis, quâ deducuntur homines in agnitionem peccati, & maledictionis suæ propter peccatum: *Rom.* 3.v. 20. & *cap.* 7.v. 7. *Gal.* 3.v. 10. quò ita fiant idonei auditores Euangelii *Esa.*66.v.2. *Matth.*11.v.28. Et dicitur prædicatio illa causa secunda, dignitatis respectu: Virtute enim, & dignitate operationis, prima causa est Spiritus Sanctus: *Matth.*3.v.11. 1.*Cor.*3.v.7. At ordine operationis prima est, non secunda; quia Deus opus illud fidei ab exteriore prædicatione in nobis orditur *Marc.* 16.v. 20. *Tertia* causa efficiens, sed instrumentalis, & quidem fidei confirmationi & conservationi subserviens, est *usus Sacramentorum*; quę ad promissionem Euangelii se habent ut sigilla ad diploma: siquidem declarationis & obsignationis causâ appenduntur, & annexa sunt Euangelio *Matth.* 28.v.19. *Marc.* 16.v.16. *Act.* 2.v.38.39. *Rom.*4.v.11. 1.Pet.3.v.21. De iis prolixè in sequentibus agetur.

Efficientes fidei.

Spiritus S.

Euangelium

Sacramenta.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & respons. sexag. quintam*

An fides per vim irresistibilem in nobis effici queat?

Cum annunciatio Euangelii medium sit, per quod Spiritus Sanctus fidem in nobis operatur; expendendum est, an fieri possit, ut per vim irresistibilem fides in nobis efficiatur, atque ingeneretur. Nam prædicatio verbi ab homine facta, non potest esse instrumentum potentiæ Dei irresistibilis; neque respectu ipsius actus prædicandi, quia fit ab homine per Spiritum idoneo facto: neque respectu ipsius verbi, quod prædicatur; quia hoc non agit, nisi proponendo sensus divinos, qui argumenta continent suasionis, quâ homini persuadeatur, ut credere velit.

Resp. Fides efficitur in nobis, non per vim irresistibilem, quâ ad eam adigamur nolentes, & inviti; sed per gratiam irresistibilem, h. e. ita efficacem, ut fides eam certò consequatur. Quo sensu annunciatio Euangelii rectè dicitur medium & instrumentum irresistibilis Dei gratiæ, ac potentiæ: non quasi actus prædicandi, qui fit ab homine, sit irresistibilis: Nam ei nimis multi semper restiterunt, & resistunt: *Esa.* 65. v. 2. *Matth.* 23. v. 38. *Act.* 7. v. 51. Neque etiam quasi ipsum Euangelium in se tantam virtutem contineat; Sic enim non esset odor mortis ad mortem: 2. *Cor.* 2. v. 17. 18. Sed quia Spiritus Sanctus per Euangelium ejusque ministerium efficax est, internâ & omnipotente operatione, in mentibus & cordibus electorum, ad fidem in iis excitandam *Eph.* 1. v. 19. *Rom.* 1. v. 16. 2. *Cor.* 10. v. 3. 4. Et ideò utitur Spiritus Sanctus stultâ prædicatione, 1. *Cor.* 1. v. 21. adhibet vascula testacea, ut appareat, supereminentiam hujus potentiæ Dei esse, operantis per illa, non ipsorummet, aut ex ipsis 2. *Cor.* 4. v. 7. Est igitur insufficiens enumeratio actuum, qui ad productionem fidei concurrunt.

Annon Sacramenta fidem confirmantia irresistibili ejus operationi repugnent?

II. *Cum Sacramenta firmandæ fidei inservire dicantur, an non id ipsum quoque facit contra irresistibilem operationem fidei in cordibus nostris?*

Resp. Minimè verò, quia externa gratia Sacramentorum resistibilis est, non irresistibilis. Gratia verò interna fidei & conversionis est irresistibilis; non simpliciter, aut omni modo, sed hactenus, ut certò credant, convertantur, quos Deus vult credere & converti; adeóque ad fidem & conversionem prædestinavit *Eph.* 1. v. 4. 5. *Act.* 13. v. 48.

APPENDIX

APPENDIX
DE
Resistibilitate Gratiæ, & dono Fidei.

HOc loco explicanda est doctrina Novatorum, de Gratiâ & Fide; ut, quid de utrâque sentiant, apertè & evidenter constare possit. *Gratia* Dei ipsis duplex est: *Prima*, quæ in lumine naturæ & reliquiis imaginis Dei consistit; & *Secunda*, quæ est prędicatio Euangelii, ejusque interior efficacia: quam tribus gradibus distinguunt; *Illuminatione* mentis, *Pulsatione* cordis & affectuum, & *Morali suasione* circa voluntatem. *Illam* fatentur esse irresistibilem, quòd scientia hominibus virtute irresistibili ingeneretur. *Istam* similiter irresistibilem faciunt; quòd homo non possit non sentire pulsum divinum, ejusque sensu affici. *Hanc* verò irresistibilem esse negant: Ajunt verò esse simpliciter resistibilem; quia positis omnibus gratię operationibus, quibus ad fidem & conversionem in nobis efficiendam Deus utitur, maneant tamen illa ita in nostrâ potestate liberâ, ut possimus non credere, non converti, h. e. credere, vel non credere, nos metipsos convertere, vel non convertere, *Fidem* verò partim gratiæ, partim voluntati humanę, quæ efficacem reddat gratiam, adscribunt: & *Dei donum* vocari docent, tum quia homo absque revelatione Dei eam concipere nequit; tum quia vires ad credendum sufficientes Deus homini confert. Negant verò esse donum infusum, irresistibile, partum morte Christi, aut etiam in Novo fœdere promissum.

Resp. Hęc verò est rediviva Pelagianismi soboles, & expressissima imago; quę tot penè errores, quot verba habet. Nos pręcipuos breviter enotabimus, & perstringemus. Nam prolixior discussio, & explicatio totius hujus controversiæ, alibi à nobis est tradita.

I. *Lumen naturæ*, & reliquię imaginis Dei, non sunt dona gratię Christi, sed bona naturę. Et gratiam vertunt in naturam, qui hanc illius encomiis exornant. *Lumen naturæ non est donum gratiæ Christi.*

II. *Prædicatio Euangelii* est quidem gratia vocans, seu vocationis externæ; sed perperam confunditur cum gratiâ operante; quę est motus misericordiæ divinę, quo intus in mentibus, voluntatibus, & cor- *Prædicatio Euangelii est, gratia vocans non operans,*

& cordibus nondum regenitorum operatur ea, quæ ad conversionem hominis pertinent.

Gratiæ interiores gradus.

III. *Gradus* etiam gratiæ illius interioris, & efficacis, non rectè constituuntur. Sunt verò tres isti; quòd Deus aliquorum miseretur usque ad bonum illuminationis; aliquorum usque ad bonum fidei temporariæ, & alicujus lætitiæ; aliquorum denique usque ad bonum fidei salvificæ, & regenerationis.

Motio Dei circa voluntatem non est suasio moralis.

IV. *Motio* sive *actio Dei circa voluntatem*, non est suasio moralis, aut actio quædam ei analoga; sed operatio multò divinior, quæ efficacitate virtutis nec creationi, nec mortuorum resuscitationi cedit *Eph.* 1. v. 19. 20. Est siquidem nova creatio hominis; *Psal.* 51. v. 12. 2 *Cor.* 5. v. 17. prima ejus resuscitatio à morte peccati; *Ioh.* 5. v. 25. *Eph.* 2. v. 1. altera generatio, quâ Deo gignitur; *Ioh.* 3. v. 3; 5. & *cap.* 1. v. 13. renovatio cordis, omniumque virium ipsius *Ezech.* 36. v. 26. *Tit.* 3. v. 5. Quòd si in solâ morali suasione consisteret, impossibilis foret ullius hominis conversio. Esset enim suasio rei, quę peccatori simpliciter est impossibilis. *Ier.* 13. v. 23. *Matth.* 7. v. 18. *Rom.* 8. v. 7.

Est irresistibilis ex parte.

V. Motio illa non est resistibilis aut indifferens, ut ab hominis voluntate impediri possit, vel non: sed est prorsus irresistibilis, nec coactiva tamen; idque tam ex parte gratiæ Dei, quam humanæ voluntatis. Ex parte *Gratiæ*; quia est efficax Dei operatio, in actu posita, *Eph.* 1. v. 19. 20. cui nemo resistere potest *Rom.* 9. v. 18. 19. Ex parte *voluntatis*; quia efficaci gratiæ subdita jam non vult resistere; & quia non vult, necessariò non vult, sicquę resistere velle non potest, salvâ suâ libertate. Quia unumquodque dum est, necessarium est. Vnde Christus *Ioh.* 6. v. 37. *Quicquid dat mihi Pater, ad me venit.*

Gratiæ,

Voluntatis.

Gratia Dei, & voluntas hominis, non sunt causæ sociæ.

VI. Ad conversionem & fidem, gratia Dei & voluntas hominis non concurrunt, ut causæ sociæ: sed gratia efficax per verbum, effecta illa sola producit, in solidum quoque ea sibi vindicat, etjam κατ' ἀντίθεσιν. *Eph.* 2. v. 8. 9. 2 *Cor.* 3. v. 5. *Ioh.* 1. v. 13. *Matth.* 16. v. 17.

Fides donum Dei est.

VII. *Fides* Dei donum est, non quòd revelatur, aut offertur solùm in Euangelio; sed inprimis quòd à Deo confertur, h. e. simul & ab ipso datur, & ab homine accipitur; prout natura ac ordo relatorum postulat; juxta dicta *Phil.* 1. v. 29. *Vobis datum est credere in Christum.* Matth. 13. v. 11. *Vobis datum est, illis non est datum.*

VIII.

VIII. Estque donum non acquisitum, sed infusum quia Deus spiritum fidei copiosè in nos effudit *Tit*.3.v.6. Non resistibile, sed irresistibile; nec tamen coactum; quia ii quibus obtingit, certo credunt in Christum, nec ab eo recedunt Joh. 6.v.37;68. Partum quoque morte Christi, qui factus est nobis sapientia à Deo, 1 *Cor*. 1.v.30. autor, ac consummator fidei, *Hebr*.12.v.1. & spiritum fidei nobis acquisivit *Gal*.3.v.13.14. Denique in Novo fœdere promissum; quia *Ierem*. 31.v.33.34. pollicetur Deus, se legem suam inditurum mentibus nostris, ut cognoscamus ipsum à minimo, usque ad maximum.

Et quidem infusum, Irresistibile.

Morte Christi partum.

In N. Fœdere promissum.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. sexag. quintam.*

Auxilium divinum duplex est, Exterius, & Interius. Illud sunt promissa, & minæ, quæ proponuntur in verbo Euangelii. Istud est, cùm Deus in cordibus eorum, qui ipsi obediunt, quod promisit, obsignat. Sed obsignatio illa non contingit omnibus, quibus Euangelium annunciatur: verùm iis solùm qui Euangelio crediderunt, & illud ex animo amplexi sunt. Nullo autem modo ad credendum Euangelio opus est interiore Spiritus Sancti dono. Neque enim in Scripturis sacris legimus cuiquam id conferri donum, nisi credenti Euangelio.

Responsio.

Sociniani non modo destruunt naturam gratiæ, sed etiam nomen ejus abolent, pro gratia substituentes auxilium: nimirum, quia hominem infirmum, debilem, juvari solùm ajunt à gratiâ, & sublevari; non mortuum vivificari, corruptum renovari, perditum salvari. Præterea Spiritum fidei in totum removent ab ejus efficientiâ; & fidem, quæ est fructus spiritûs, *Gal*.5.v.22. voluntati humanæ attribuunt, excitatæ solùm externis promissis, & minis Euangelii. Insuper ante obsignationem credentium, quæ est gratiæ secundæ, nullam in homine internam Spiritûs Sancti operationem, nullum ejus effectum agnoscunt, & quæ his similia sunt errorum portenta. Quorum omnium falsitas ex antè dictis contra Novatores, qui pleraque sua à Socinianis mutuati sunt, evidentissima, & penè palpabilis est.

Socinianorum errores circa gratiam indicantur.

QUÆST. LXVI. Quid sunt Sacramamenta?

RESP. *Sunt sacra, & in oculos incurrentia signa ac sigilla ob eam causam à Deo instituta, ut per ea nobis promissionem Euangelii magis declaret, & obsignet: quòd scilicet non universis tantùm, verùm etiam singulis credentibus propter unicum illud Christi sacrificium in cruce peractum, gratis donet remissionem peccatorum & vitam æternam.*

EXEGESIS.

OCcasione eorum quæ de causis fidei supra dicta sunt, transit Catechesis ad doctrinam Sacramentorum, eorumque tractationem generalem, & specialem justo ordine subnectit.

Sacramentum quid.

Sacramenti vox origine Latina est, à sacrando dicta, & usu politiæ Romanæ propria, in qua erat solenne jusjurandum, quo aut miles imperatori, aut cives magistratibus creatis obligabantur. Hinc patres, Tertullianus præcipuè, & Hieronymus, vocem illam in Ecclesiam adsciverunt, ad significandum sacrorum signorum, & rituum usum. Bifariam autem usurpari potest secundùm Scripturam: *Univoce* & *Relativè*, pro symbolo ac testimonio divino gratiæ Dei *Rom*.4.v.11. *Æquivocè* & *absolutè*, pro externo elemento & ritu, extra usum significationis, & obsignationis; quomodo & Paulus inquit, Cicrumcisionem & transgressiori legis fieri præputium *Rom*.2.v.27.& circumcisionem esse concisionem *Phil*.3.v.2. Priore significatu hic sumitur & definitur vox Sacramenti; ita tamen, ut definitio Sacramentis Novi Testamenti propriè conveniat; sed levi circumstantiarum mutatione etiam Sacramentis Veteris Testammenti aptari possit, quibuscum specie prorsus conveniunt, & idem sunt.

Usurpatur univocè. æquivocè.

Genus in definitione duplex ponitur: Unum remotum, videlicet signum *Gen*.17.v.11.*Rom*.4.v.11.*Exod*.13.v.9. Alterum *propinquum*, videlicet sigillum, *Rom*. 4. v.11.quæ etiam memorialia, *Exod*.13.v.9. 1 *Cor*. 11.v.24. 25. Antitypa, 1 *Petr*.3.v.21. appellantur. Utrumque illustratur ex adjunctis, Sanctitate, & visibilitate. Sunt *sacra* signa & sigilla, *Exod*.29.v.9. non inhærente, sed adhærente sanctitate; & ex fine, & usu; quia ad finem, & usum sacrum adhibentur; eoque à rebus communibus sive profanis separantur, *Visibilia* item *Rom*.2.v.28.*Exod*.12.v.13. Hoc est sensibilia,

Sunt signa & sigilla sacra & visibilia.

per

per ſynecdochen ſpeciei, in alios etiam ſenſus, præter viſum incurrentia. Nec poſſunt eſſe niſi externa ſigna; quo nobis ſint ſignacula rerum divinarum, & internæ ac inviſibilis gratiæ, ut loquitur Auguſtinus.

Differentia ex Efficiente, Fine, & Objecto, conſtituitur. *Efficiens* eſt Deus, *Act.* 7.v.8. 1 *Cor.*11.v.20. qui inſtituit Sacramenta, & ea inſtituendi ſolus jus habet; tum quia rem Sacramenti ſolus confert; *Eſa.*43.v.12. *Rom.*6. v. 23. tum quia ſunt pars cultûs ipſius, quem præter ipſum nemo conſtituere poteſt *Ezech.*20.v. 18.19. *Matth.*15.v.9. Sunt igitur ſacramenta ſigna & ſigilla, non humana, ſed divina; nec naturalia, quæ inſitam ſibi habeant aliquam ἐνέργειαν, ut medicamenta, aut ex opere operato aliquid conferant, ſed quæ ex pacto, & inſtituto id ſignificant & obſignant, cujus causâ inſtituta ſunt. *Finis* duplex exponitur quorum prior poſteriori eſt ſubordinatus; videlicet declaratio promiſſionis gratiæ: & ejuſdem obſignatio. Sacramenta declarant promiſſionem gratiæ; quatenus ſacrificium Chriſti, ejuſque beneficia, tanquam illuſtres imagines repræſentant, & ſimilitudine ſuâ credentibus quaſi ante oculos ponunt *Gal.*3.v.1. De quo ſic Auguſt. *epiſt.*23.ad Bonifacium: *Si ſacramenta ſimilitudinem quandam earum rerum non haberent, quarum ſacramenta ſunt, omnino ſacramenta non eſſent.* Obſignant quoque eandem promiſſionem; quatenus divina teſtimonia ſunt, ad id ipſum teſtandum adhibita, quod teſtatur promiſſio; nempe, ſacrificio Chriſti in cruce peracto acquiſitam eſſe credentibus remiſſionem peccatorum, juſtitiam, & vitam æternam *Matth* 26.v.28. *Rom.*4.v.11. Utrumque fit, non Dei, ſed noſtrûm causâ; ut videl. de promiſſione gratiæ tum plenius erudiamur, tum amplius confirmemur *Heb.*6.v.17. Et efficacia illa Sacramentorum non pendet ex ipſorummet virtute, ſed ex operatione Sp. Sancti *Eph.*1.v.13.14. & *c.*4.v.30. qui efficaciter, ſed liberè per ea operatur, ubi vult, quando vult, & quantum vult, *Ioh.* 3.v.8. In hâc relatione Sacramentorũ ad ſuum finẽ, ſive in declaratione, & obſignatione promiſſionis gratiæ, omnis eorũ eſſentia & natura conſiſtit. Cujus reſpectu tum ἀναλογία, tum unio ſacramentalis iis tribuitur. Ἀναλογία; quia ſigna & beneficia Chriſti in verbo promiſſionis, certâ quâdam ſimilitudine conſtant. *Vnio* etiam; quia in legitimo uſu, qui non eſt ſine fide, conjuncta eſt exhibitio & perceptio ſignorum & rerum, conjuncta inquam,

Eorum Efficiens.

Finis.

analogia & unio Sacramentalis.

non loco,sed tempore. Hic tamen terminus valde est ambiguus, cavillationibus adversariorum multifariam obnoxius: Improprius etiam, quia relatio signi ad rem signatam non nisi καταχρηστικῶς dici potest unio. *Objectum* Sacramentorum est promissio gratiæ, & quidem de Christo jam exhibito, & beneficiis per ipsum acquisitis in Novo Testamento. Eaque declaratur I. A Subjecto Recipiente tum generali,quod sunt omnes credentes;tum speciali,quod sunt singula eorum individua: quæ specialis applicatio illustrior est in Sacramentis,quàm in verbo *Gen* 17.v.13.*Actor*.2.v. 38.39. Et eam ob causam Sacramenta nonnunquam signa exhibitiva vocari solent. II. Ab Objectis,quorum præcipua sunt, remissio peccatorum,& vita æterna *Matth*.26.v.28 *Gal*.3.v.13.14. III. Ab Objectorum illorum causis efficientibus,quæ duæ indicantur; Gratia Dei, & Meritum Christi *Rom*. 3.v.24.25. De quibus suprà.

Objectum.

Ex his jam manifestum est partes integrantes Sacramentorum esse *sacrum signum* divinitùs institutum,& *promissionem Euangelii*,de gratiâ & beneficiis Christi, signo additam; quæ etiam res signata vocantur, sed in verbo promissionis, non extra illud spectanda, aut quærenda. Has partes conjungit Apostolus *Eph*.5.v.26. *Purificat Ecclesiam lavacro aquæ per verbum*. Et Augustinus sententiâ illâ pervulgatâ *tract*.80. *in Iohannem*: *Accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum*.

Partes Sacramenti Signum & Promissio Euangelii.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. sexag. sextam.*

An non Sacramenta etiam sint commonitoria nostri officii.

Cum in descriptione Sacramentorum hic tantùm finis exprimatur, ut Deus nimirum per Sacramentorum usum promissiones Euangelii magis nobis obsignet, & declaret; nulla verò alterius finis mentio fiat, putà, ut & nos officii nostri commonefaciat; ad quem finem etiam non obscurè in verbo Dei diriguntur: quæritur, an hæc descriptio hâc in parte non mutila, & incompleta sit, ac proinde suppleri debeat.

Resp. Certum est & extra controversiam, quòd Sacramenta sunt symbola, & sigilla totius fœderis, quæ non minus nos Deo ad fidem, & novam obedientiam, gratitudinis ergò obstringunt, quàm nobis promissionem ac gratiam Dei in Christo obsignant. Interim hic finis est principalior, qui solus usitatissimè commemoratur in Scripturâ *Matth*. 26. v. 28.

Actor. 22. v. 16. *Rom*. 4. v. 11. & alibi; alterum etiam tacitè includens, imò ex se producens. Ideò autem hîc omittitur, quia tractatio Sacramentorum subjicitur explicationi symboli Apostolici, quod tantùm agit de beneficiis Dei erga nos. De alterâ sequetur parte tertiâ Catecheseos de Gratitudine: ad quam etiam doctrina Sacramentorum extendi debet.

QUÆST. Num utraque igitur, & verbum, & sacramenta eò spectant, ut fidem nostram ad sacrificium Christi, in cruce peractum, tanquam ad unicum nostræ salutis fundamentum deducant?

RESP. *Ita est. Nam Spiritus Sanctus docet Euangelio, & confirmat Sacramentis, omnem nostram salutem positam esse in unico sacrificio Christi, pro nobis in cruce oblati.*

EXEGESIS.

EST porisma ex antecedente quæstione deductum. Cum Sacramenta nobis declarent, & obsignent promissionem, ut ibi dictum est; consequens est, verbi & Sacramentorum eundem esse finem; nimirum, ut fidem nostram ad sacrificium Christi in cruce peractum tanquam ad unicum salutis nostræ fundamentum deducant. Christus enim vocatur fundamentum salutis, 1 *Cor*. 3. v. 11. qui acquisivit sibi Ecclesiam *Act*. 20. v. 28. Ergo etiam ipsum sacrificium hoc nomine meritò appellatur. Hic finis communis, verbi & Sacramentorum, non solùm demonstratur ex identitate Objecti, de quo *Matth*. 26. v. 28. *Rom*. 4. v. 11. sed etiam ex operatione efficientis principalis, sc. Spiritûs Sancti; qui idem Objectum proponit in verbo, & Sacramentis, modo licet diverso: illic per prædicationem, & auditum verbi, 1 *Cor*. 1. v. 23. isthic per ejusdem confirmationem, & obsignationem; *Matth*. 26. v. 28. illic formâ simplicis promissionis: hîc formâ promissionis obsignatæ. Undè duo habemus. I. Quod verbum non promittit, nec Sacramenta obsignant; &, quibus illud nihil promittit, iis hæc nihil obsignant. II. Christus, ejusque beneficia non magis inclusa, & alligata sunt Sacramentis, quàm verbo.

Verbi & Sacramentorum idem est finis.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. sexag. septimam.*

An justitia Christi activa excludatur à S[...]amentis?

Cum utraque & verbum, & Sacramenta eò spectent, ut fidem nostram ad unicum Christi sacrificium in cruce peractum, tanquam unicum salutis nostræ fundamentum deducant, & secundùm utraque plena salus nostra in unico isto sacrificio consistat; quæritur quâ ratione justitia vitæ, & sanctitas naturæ Iesu Christi *huc etiam referri possit; sicut quæstione* XXXVI. *factum est.*

Resp. Id verò cum alibi, tum inprimis responsione ad considerationem secundam quæstionis L X. docuimus; unde explicatio sumenda est.

QUÆST. LXVIII. Quot sacramenta instituit Christus in Novo fœdere?

RESP. *Duo: Baptismum, & sacram Cœnam.*

EXEGESIS.

SAcramenta communia sunt utrique Testamento: Et in veteri quidem complura fuerunt, partim extraordinaria, ut diluvium 1. *Pet.* 3. v. 20. 21. Transitus per mare, commoratio sub nube, Manna, & aqua petræ 1. *Cor.* 10. v. 1. *seqq.* partim ordinaria, in quibus excellunt, circumcisio *Gen.* 17. & Pascha *Exod.* 12. Sed quia Catechesis supra speciatim definit sacramenta Novi Testamenti, quæ nos spectant, hic quoque eorundem solùm divisionem tradit. Docet autem esse duo Sacramenta Novi Testamenti à Christo instituta; Baptismum; *Matth.* 28. v. 19. 20. qui circumcisioni, *Col.* 2. v. 11. 12. & Cœnam Domini, quæ agno Paschali successit *Luc.* 22. *Ille* est sacramentum initiationis, & regenerationis; hæc continuationis, & spiritualis alimoniæ.

Præter duo ista quæ numerant ea Pontificii, sunt *Confirmatio, Pœnitentia, Unctio, Ordo, Matrimonium*, sunt falsò dicta sacramenta; & nec institutionem divinam, ut sint Sacramenta, neque partes integrantes, & essentiales Sacramentorum habent.

De

De
BAPTISMO.

LXIX. Quâ ratione in Baptiſmo admoneris, & confirmaris, te unici illius ſacrificii Chriſti participem eſſe?

RESP. *Quod Chriſtus externum aquæ lavacrum mandavit, additâ hâc promiſſione, me non minus certò ipſius ſanguine, & ſpiritu à ſordibus animæ, hoc eſt, ab omnibus meis peccatis lavari; quam aquâ extrinſecus ablutus ſum, quâ ſordes cordis expurgari ſolent.*

EXEGESIS.

VOX βαπτισμὸς, & βάπτισμα eſt à βαπτίζειν, ſive βάπτειν & propriè merſionem, per metonymiam finis lotionem, *Marc.* 7.v.4. per metonym: adjuncti doctrinam illo ritu confirmatam, *Act.* 18.v.25. per metaphoram afflictiones, & martyria piorum, *Matth.* 20. v. 22.23. itemque effuſionem Spiritûs Sancti, *Act.* 1.v.5. per ſynecdochen primum Novi Teſtamenti Sacramentum lavacrum illud aquæ & regenerationis, *Eph.* 5.v.26. *Tit.* 3.v.5. ſignificat. Vocis Baptiſmi homonymia.

In Catecheſi non definitur ex genere, & differentiâ, prout Sacramenta in genere definita ſunt; ſed ab Efficiente, partibus integrantibus, & finibus deſcribitur. Ejus.

Efficiens, eſt Jeſus Chriſtus, mediator θεάνθρωπος, qui Baptiſmum non quidem primum inſtituit: jam antè enim à Deo inſtitutus, *Ioh.* 1.v.33. *Matth.* 21.v.25. & à Johanne adminiſtratus, fuerat, *Matth.* 3. *Ioh.* 1.3.4. *capp.* Interim primam ejus inſtitutionem repetivit, declaravit, & ſanctione divinâ confirmavit, *Matth.* 28.v.19.20. & *Marc.* 16.v.15,16. ut deinceps eſſet non ſolius Eccleſiæ Judaicæ, ut prius, ſed totius Catholicæ Eccleſiæ, ex Judæis, & gentibus coadunatæ initiatorium Sacramentum. Modus repetitæ inſtitutionis conſtat verbo mandati, & verbo promiſſionis. Quæ duo explicantur quæſtione LXXI. Efficiens.

Partes

Partes integrantes. Externum signum.

Partes integrantes sunt, externum aquæ lavacrum tanquam signum,& verbum promissionis de internâ ablutione à peccatis,per sanguinem & Spiritum Christi,tanquam signatum. *Lavacrum aquæ* tum elementum aquæ, sed simplicis, absque omni mixturâ, *Ioh.*1. v.26. *Act.*10.v.47. tum ritum ablutionis per aquam, *Eph.*5.v.26. sive, ut Petrus vocat, depositionis sordium corporis 1.*Epist.*3.v.21. complectitur. Ablutio illa olim communiter fiebat per immersionem in aquam. Docet id praxis Johannis Baptistæ, *Matth.*3.v.6. 16. *Ioh.*3.v.23. Apostolorum Christi, *Ioh.*3.v.22.*&* *cap.*4.v.1.2. & Philippi: *Act.*8.v.38. deinde etiam ritus illius significatio, quam tradit Apostolus *Rom.*6.v.4.5. Hodiè locis maximè Europæis frigidioribus, fit per adspersionem: quæ ritûs diversitas nec institutioni Baptismi, neque Apostolicæ; aut primitivæ Ecclesiæ consuetudini repugnat. Etenimverbum βαπτίζεσθαι phrasi scripturæ non solùm mergi,sed etiam adspergi, tingi, lavari significat *Marc.*7.v.4. *Luc.* 11.v.38.& ablutio tam fit per adspersionem, quàm per mersionem. Præterea Apostolos,qui uno,non integro die pentecostes ter mille, *Ac.*2.v.21. qui alias totas familias,ex inopinato quasi baptizarunt, *cap.*16.v.17.*seqq.* adspergendo, non immergendo baptizâsse verisimile est. Postremò cum in Ecclesiâ primitivâ clinici multi legantur baptizati;nemo tam est rerum imperitus,qui non agnoscat,pro immersione adspersionem circa ipsos usurpatum fuisse.

Adspersio mersioni legitimè substituta.

Internam res signata.

Hæc de lavacro aquæ.*Verbum promissionis* de internâ nostri ablutione à peccatis, explicatur quæst. LXXI. quod additum est lavacro aquæ, infirmitatis,nostræ causâ ut per illud nobis declaretur,&obsignetur.

Finis.

Fines ergò baptismi sunt, Declaratio,& Obsignatio promissionis gratiæ, de internâ nostri ablutione à peccatis; per sanguinem& spiritum Christi.Baptismus *declarat* promissionem gratiæ ἀναλογίᾳ illa, sive similitudine,quâ aqua repræsentat sanguinem,& Spiritum Christi: ablutio item corporis per aquam significat ablutionem internam à peccatis, quæ fit per sanguinem & spiritum Christi *Act.* 22.v.16.*Rom.*6.v.3.4.5.quo sensu ἀντίτυπον dicitur Petro 1 *epist.*3. v.21.Deinde eandem promissionem *obsignat*,quatenus cuique fidelium speciatim adhibetur.Hâc enim ceremoniâ divinitus illi testatum fit, ipsum tam certò intus ablui à peccatis sanguine & spiritu Christi, quam certo foris aquâ abluitur. De quo idem Petrus *Act.*2. v.38.39.*Baptizetur unusquisque vestrûm in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum. Vobis enim facta est promissio, & liberis vestris.*

Declaratio.

Obsignatio.

Sed

Sed neque declaratio, neque obsignatio promissionis, quæ est in Baptismo, fit absolutè, verùm sub conditione fidei: sicut scriptum est Marc.16.v.16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur.* Item Actor.8.v.36.37. *Si credis ex toto corde, licet baptizari.* Et quamvis semel tantum conferatur Baptismus, tanquam regenerationis symbolum, tamen ad actum aut tempus susceptionis contrahendus non est, verum ad totam vitam extendendus; cum semper certus, firmus, & efficax sit, quoties fideli memoriâ recolitur 1 *Ioh.*1.v.7. 1 Sam.17.v.36.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. sexag. nonam.*

Cum in descriptione finium Baptismi, mentio tantum fiat obsignationis promißionum Dei, quoad ablutionem Baptizatorum per sanguinem & spiritum Christi, non autem officii baptizatorum erga Deum, in sinceritate & novitate vitæ; quæritur an non hîc quoque finis ad supplendam descriptionem exprimendus sit? An officii nostri in Baptismo facienda mentio?

Resp. Idem respondetur, quod supra fuit responsum ad considerationem quæstionis LXVI.

QUÆST. Quid est sanguine & spiritu Christi ablui?

RESP. *Est accipere à Deo remissionem peccatorum, gratis, propter sanguinem Christi, quem is pro nobis, in suo sacrificio in cruce profudit. Deinde etiam per Spiritum Sanctum renovari & ipso sanctificante, membrum Christi fieri, quo magis ac magis peccatis moriamur, & sanctè, inculpateque vivamus.*

EXEGESIS.

QUæstio est de phraseologiâ promissionis declaratæ, & obsignatæ per baptismum, quâ dicimur ablui sanguine & spiritu Christi. Responsio est phraseologiæ illius explicatio: cujus summa huc redit, puod ablutio per sanguinem Christi sit justificatio à peccatis, sive peccatorum remissio; ablutio per spiritum Christi sanctificatio, sive regeneratio naturæ corruptæ à peccatis, Apostolo interprete 1 Cor.6.v.11. *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis, in nomine Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri.* Porrò *ablutio*

Ablutio per sanguinem Christi.

per sanguinem Christi, declaratur à causis efficientibus; principali, quæ est Deus; impulsivâ internâ, quæ est gratia ipsius, & externâ, est remissio peccatorum, & à Deo donatur, ab homine autem accipitur per fidem *Rom.* 3. *v.* 22. 24. 25. & *cap.* 5. *v.* 17. *Ablutio per Spiritum* similiter declaratur à causâ efficiente proximâ, Spiritu Sancto: à formâ, quæ in sanctificatione, sive in naturæ corruptæ renovatione consistit: ab effecto, quod est unio cum Christo, ceu membrorum cum capite: & denique à fine duplici, ut sunt, mors peccati, & vita justitiæ, *Rom.* 6. *v.* 1. *seqq. Eph.* 5. *v.* 26. 27. & *cap.* 4. *v.* 22. 23. 24. Sic ergò tria sunt præcipua beneficia, quæ verbo promissionis nobis offeruntur, sacramento baptismi obsignatur Remissio peccatorum, *Act.* 2. *v.* 38. & *cap.* 22. *v.* 16. Renovatio naturæ per Spiritum Sanctum, *Rom.* 6. *v.* 4. *Tit.* 3. *v.* 5. & Unio cum Christo, *Gal.* 3. *v.* 26. 27. 1 *Cor.* 12. *vers.* 13. unde hæreditatis illius cœlestis participatio dependet.

Ablutio per Spiritum.

Consideratio Catechetica Novatorum, *ad quæst. & resp. septuagesimam.*

An remissio peccatorum præcedat renovationem?

Si hoc loco intelligatur, remissionem peccatorum propter Christi sanguinem, præcedere renovationem quæ fit per Spiritum Sanctum, quo quidem sanctificante membra Christi fiamus, ac proinde ante omnem resipiscentiam; videndum, I. quomodo quis remissionem peccatorum per Christum impetrare queat, qui membrum Christi nec dum sit; sed extra Christum, & ab eo alienus. II. quomodo id conveniat cum sacris literis, quæ resipiscentiam, & vitæ emendationem præexigunt; & resipiscentibus ac conversis tantùm remissionem peccatorum promittunt. III. an, si in Baptismo per Spiritum Sactum renovemur, & ipso sanctificante membra Christi fiamus, rectè dicatur, nos per cœnæ Dominicæ communionem membra Ecclesiæ fieri.

Resp. Remissio peccatorum omnino præcedit renovationem naturæ per Spiritum Sanctum; sed ordine naturæ, & causalitatis, non tempore: quem ordinem ostendit Apostolus partim in integris epistolis, connexione capitum doctrinæ, ut *Rom.* 3. 4. 5. 6. 7. *capp.* partim dictis singularibus *Rom.* 8. *v.* 30. 1 *Corinth.* 1. *v.* 30. 2 *Cor.* 5. *v.* 15. *Galat.* 3. *v.* 13. 14. Quæstionum, quæ contra moventur, facilis est solutio. I. Nemo accipit remissionem peccatorum, quin simul fiat membrum Christi; quia, ut remissio peccato-

rum

rum est per fidem; ita unio quoque fit per fidem. Interim nemo ante est membrum Christi, quàm justificetur. Justificatur impius *Rom.* 4. v. 5. At non unitur Christo impius: 2. *Cor.* 6. v. 14. 15. unitur ei jam reconciliatus; sed per justificationem fit reconciliatio. *Rom.* 5. v. 6. 8. II. Resipiscentia prior est justificatione, sive remissione peccatorum, quoad dolorem, & contritionem ex agnitione peccati: quo sensu dicitur *Marc.* 1. v. 3. *Prædicabat baptismum pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum. Et* vers. 15. *Resipiscite, & credite Euangelio.* Posterior est, quoad lætitiam in Deo, & vitæ emendationem: quomodo justificationis fidei est soboles. *Rom.* 5. 6. *capp.* Illo igitur, non isto modo, ad fidem & justificationem præexigitur. III. In doctrinâ de cœnâ, nominatim quæstione LXXVI. non dicitur, nos per cœnæ communionem membra Christi ac Ecclesiæ fieri; sed nos Christo magis ac magis uniri. Sunt enim gradus unionis, non minus, quàm doni Spiritus ac fidei. Proindè baptismus propriè confirmat nos de susceptione in mysticum Christi corpus: Sacra cœna de permansione, ac perseverantiâ in eodem corpore.

QUÆST. LXXI. Ubi promisit Christus, se nos tàm certò sanguine & Spiritu suo abluturum, quàm aquâ baptismi abluti sumus?

RESP. *In institutione baptismi, cujus hæc sunt verba: Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur. Hæc promissio repetitur, cum Scriptura baptismum nominat lavacrum regenerationis, & ablutionem peccatorum.*

EXEGESIS.

DOctrina de Baptismo hucusque exposita confirmatur testimonio verborum institutionis, prout illa partim à Matthæo, *cap.* 28. v. 19. partim à Marco, *cap.* 16. v. 16. recitatur. Sunt autem verba illa tum mandati, de administratione baptismi, tum promissionis de usu ejusdem, atque effectu. *Mandatum* de administrando baptismo pertinet ad Apostolos, & successores eorum, id est, omnes præcones Euangelii, quo jubentur primò docere, sive, ut habet

Mandatum de administratione Baptismi.

habet textus Græcus, μαθητεύειν, discipulos facere Christo: sicut primi illi Christiani, ante nomen illud repertum, *discipuli* κατ' ἐξοχὴν nominabantur *Act.* 11. v. 26 Inde verò discipulos jam factos, (nempe fide, ac obedientiâ Euangelii,) baptizare in testimonium & confirmationem fidei: quem ordinem constanter observatum fuisse ab Apostolis, Acta eorum testantur, *cap.* 2. v. 41. & *cap.* 8. v. 12. 36. 37. & alibi. Sonat autem mandatum illud de omnibus, hoc est, quibusvis gentibus baptizandis; ad quas nimirum venturi erant Apostoli: tacitâ antithesi ad unam gentem Iudaicam, quæ ante id tempus sola pro populo Dei, sive Ecclesiâ habebatur. Et primario de adultis intelligendum est, ex quibus tunc colligenda erat Ecclesia per prædicationem Euangelii; de infantibus verò secundariò, qui vigore promissionis fœderalis censentur in parentibus, ac conditionem eorum sequuntur *Act.* 2. v. 38. 39. 1. *Cor.* 7. v. 14. *Promissio* implicitè continetur his verbis, *Baptizate in nomen Patris, Filii, & Spiritûs Sancti*, Matth. 28. v. 19. quibus sicut baptizati Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto in cultum atque obsequium addicuntur, 1. *Cor.* 1. v. 13. ita ipsi vicissim accipiunt testimonium, sive sigillum promissionis Euangelicæ, quod Pater sibi Deus, & Pater; Filius sibi servator; Spiritus Sanctus sibi sanctificator futurus sit. Sed clarius proponitur à Marco *cap.* 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, servabitur.* Vbi Dominus salutem æternam promittit credenti, & baptizato, hoc est, qui non solum baptizatus fuerit, sed etiam crediderit. Nam *fidem* præcipuum esse quod in salvando requiritur, ex antithesi evidenter colligitur, ubi solius fidei mentio fit, baptismi autem nulla. Vtrumque igitur necessarium est ad salutem, baptismus, & fides, sed dispari necessitatis gradu. *Fides* necessaria est necessitate medii, absque quâ impossibile est placere Deo *Hebr.* 11. v. 6. *Baptismus* necessarius est necessitate præcepti, sive propter mandatum Dei, cui parendum est iis, quicunque copiam ejus habere possunt. Quod si habere non possunt, nec obest saluti ejus carentia, juxta illud; *Non privatio, sed contemtus Sacramentorum damnat.* Porro hæc domini promissio illustratur duobus similibus testimoniis Pauli, quorum prius exstat *Tit.* 3. v. 5. posterius *Actor.* 22. v. 16. Vtrumque autem quæstione LXIII. explicatur.

Promissio Euangelii.

Necessitas fidei & Baptismi.

Conside-

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & respons. septuages. primam.*

I. *Considerandum videtur an non apertius ostendendum fuerit, quo pacto institutionis baptismi verba promissionem hic expressam contineant; quandoquidem cuique non perinde facile est eam ex iis elicere.*

An non institutionis verba clarius explicanda fuerint?

Resp. Promissio posterior per se clara est, non indiga explicacionis. Prior autem quæ latet in illis verbis, *Baptizate in nomen Patris*, partim ex quæstione LXIX, partim etiam ex quæstione LXXIII. perspicuè intelligitur.

II. *An non hic quoque mentio facienda fuerit officii baptizatorum; cum ii secundum institutionis verba in nomine Patris*, Filii, *& Spiritus Sancti baptizentur; quæ hoc etiam habent, quod Patri*, Filio, *& Spiritui Sancto in obsequium sanctificentur atque obstringantur.*

An non officii nostri faciende mentio?

Resp. Implicita mentio in ipsis verbis continetur: explicita exstat sub finem quæstionis LXX. Cur verò plenior declaratio omissa sit, dictum est ad considerationem quæstionis LXVI.

III. *Verumne sit sacram Scripturam externum baptismum nominare lavacrum regenerationis & ablutionem peccatorum.*

An Scriptura baptismum lavacrum regenerationis vocet?

Resp. Veritatem allegationis probant marginalia; inprimis locus *Tit.* 3. v. 5. cum altero, qui est *Eph.* 5. v. 26. collatus: de quo infra quæstione LXXIII.

QUÆST. LXXII. Estne ergo externus Baptismus aquæ ipsa peccatorum ablutio?

RESP. *Non est: Nam solus sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato.*

EXEGESIS,

EST prolepsis, nata ex citatione testimonii Paulini *Act.* 22. v. 16. Paulus Baptismum vocat ablutionem peccatorum: Ergo externus baptismus aquæ est ipsa ablutio peccatorum. Respondetur per inficiationem consequentiæ. Vocat ita baptismum non propriè, sed tropicè, per metonymiam Subjecti: quod probatur à disparato. Solus sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato, ut est 1 *Ioh.* 1. v. 7. Non igitur aqua baptismi. Ratio; quia quod

uni disparatorum tribuitur, necessariò adimitur alteri. Responsionem hanc vehementer illustrat dictum Petri, 1. *Epist.* 3. v. 21. negantis servare baptismum quatenus est depositio sordium corporis.

QUÆST. LXXIII. Cur ergo Spiritus Sanctus baptismum appellat lavacrum regenerationis, & ablutionem peccatorum?

RESP. *Deus non sine gravi causâ sic loquitur: videlicet non solùm ut nos doceat, quemadmodum sordes corporis aquâ purgantur, sic peccata nostra sanguine & Spiritu Christi expiari: verùm multò magis, ut nobis hoc divino symbolo ac pignore certum faciat, nos non minus verè à peccatis nostris internâ lotione ablui, quàm externâ & visibilia aquâ abluti sumus.*

EXEGESIS.

Explicantur dicta: *Act.* 22. v. 16. OCcasione objectionis præcedentis declarantur duo illa Scripturæ de baptismo testimonia *Actor.* 22. v. 16. & *Tit.* 3. v. 5. *Primò* autem indicatur, vel saltem innuitur, ennunciata illa non esse propria, sed metonymica, ubi nomina subjectorum & adjunctorum inter se permutantur; & quod proprium est rerum signatarum, sanguinis & Spiritus Christi, signo, videlicet aquæ baptismi, tribuitur: quæ *metonymia sacramentalis* dici solet, quia usitata est in omnibus sacramentis. Deinde permutationis istius, quæ fit in nominibus, duplex ratio redditur. Una ab analogiâ, sive similitudine aquæ, ac sanguinis Spiritus Christi: itemque ablutionis externæ à sordibus corporis, & internæ à sordibus animæ, sive peccatis, quæ quæstione LXIX. explicata est. Altera, quæ tanquam potior collatione majoris amplificatur, à veritate & certitudine obsignationis: quia baptismus, tanquam divinum symbolum, ac pignus, certum facit, nos non minus verè à peccatis nostris internâ lotione ablui, quàm externâ & visibili aquâ abluti sumus. Sic ergò baptismus dicitur ablutio peccatorum *Act.* 22. v. 16. quia est divinum testimonium, quo Deus testatur credentibus, se peccata eis remisisse propter effusionem sanguinis Christi. Est etiam
Tit. 3. v. 5. lavacrum regenerationis *Tit.* 3. v. 5. quia per baptismum testata

fit

ſit credentibus regeneratio, atque etiam in ipſis augetur. Hanc expoſitionem confirmat I. Analogia ſacramentorum, Circumciſionis, *Gen.* 17.v.11. *Rom.* 4.v.11. Agni Paſchalis, *Exod* 12.v.13. 14. & *cap.* 13. v. 9. &c. quorum ſimilis eſt ſententia, & interpretatio. II. Natura rei. Nam ſervat baptiſmus, non quatenus eſt depoſitio ſordium corporis, ſed ut ἀντίτυπον. id eſt, ſymbolum ac teſtimonium ſalutis noſtræ 1 *Pet.* 3.v.21. III. Conditio Subjecti baptizandi. Baptizatur non infidelis, ſed fidelis, ſive verè, ſive ſimulatè, & ſecundum profeſſionem: *Marc.* 16.v.16. *Act.* 2.v.41. & *cap.* 8.v.36.37. At fidelis jam habet remiſſionem peccatorum, & Spiritum regenerationis per fidem *Act.* 26.v.18. *Gal.* 3.v.13.14. Baptizatur igitur in remiſſionem peccatorum, *Act.* 2.v.38. hoc eſt, ut teſtimonium divinum hujus remiſſionis accipiat, & habeat in carne ſuâ; quemadmodum Judæi olim circumciſionem, tanquam fœderis ſigillum, in carne ſuâ habuerunt *Gen.* 17.v.13.

Antitheſis Catechetica Socinianorum *ad quæſt. & reſp. ſeptuag. tertiam.*

Baptiſmus aquæ nuſpiam dicitur lavacrum regenerationis, ſed purgatio animorum figuratè lavacrum appellatur. Eph. 5.v.26. *&* Tit. 3.v.5. *Lavacrum regenerationis exponitur per renovationem Spiritus Sancti. Similiter* Act. 22.v.16. *Ablutio peccatorum Baptiſmo tribuitur, quòd eam nobis adumbret. Eſt enim ipſe Baptiſmus nil niſi ſignum, & nota profeſſionis, quâ diſcriminamur ab infidelibus, qui Chriſtum non agnoſcunt.*

Reſponſio.

Baptiſmus non tantum eſt teſſera profeſſionis.

Mirum non eſt, in conſtituendâ naturâ Sacramentorum errare Socinianos, qui fundamentum eorum, in ſacrificio ac ſatisfactione Chriſti pro peccatis, funditus ſubvertunt. Baptiſmus etiam eſt teſſera profeſſionis ac diſcretionis noſtræ; ſed reſpectu finis minus principalis: Ex fine principali eſt ſymbolum, ac teſtimonium divinum, de remiſſione peccatorum, regeneratione Spiritus, & noſtrâ cum Chaiſto unione, uti ſupra docuimus. Id non modò permutatio nominum, ſed etiam phraſeologia evincit, quâ baptizati dicimur in nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti; *Matth.* 28. v.19. in mortem Chriſti, *Rom.* 6.v.3. ac remiſſionem peccatorum *Act.* 2.v.38. In reliquis, quæ ſanæ doctrinæ opponunt, puram putam principii petitionem admittunt. Et *Tit.* 3.v.5. Baptiſmus

Sed teſtimonium Remiſſionis peccatorum.

non

non minus lavacrum renovationis Spiritus Sancti, quàm regenerationis appellatur.

QUÆST. LXXIV. Suntne etiam infantes baptizandi?

RESP. *Omninò: Nam cum æquè ac adulti, ad fœdus, & Ecclesiam Dei pertineant; cumque eis per sanguinem Christi remissio peccatorum, & Spiritus Sanctus fidei effector non minus, quàm adultis promittatur; per baptismum Ecclesiæ Dei inserendi sunt, & ab infidelium liberis discernendi: itidem ut in veteri fœdere per circumcisionem fiebat, cui in novo fœdere substitutus est baptismus.*

EXEGESIS.

Pædobaptismus probatur

EST assertio Christiani pædobaptismi contra Anabaptistas sive Catabaptistas, quæ tribus argumentis breviter concluditur.
1. *Primum*: Infantes pertinent ad fœdus, & Ecclesiam Dei. Sunt igitur baptizandi. Ratio; quia per baptismum fœderi, & Ecclesiæ Dei inseruntur *Act*.2.v.38.39;41;47. Antecedens illustratur collatione parium, quod æquè ac adulti ad fœdus & Ecclesiam Dei pertineant. Confirmatur dictis Scripturæ *Gen*. 17.v.7.*Act*.
2. 2.v.38.39. 1 *Cor*.7.v.14. *Secundum*: Infantibus promissa est remissio peccatorum, & Spiritus Sanctus fidei effector. Ergò baptizandi sunt. Ratio; quia per baptismum discernuntur à liberis infidelium, quibus illa non sunt promissa. Antecedens iterum illustratur collatione parium, quòd ipsis non minùs, quam adultis promissa sint. Probatur autem dictis Scripturæ *Actor*.2.v.38.39. *Ier*.31.v.31.*seqq*. Ubi notandum est, Spiritum Sanctum dici effectorem fidei, non quòd jam tum fidem accendat in infantibus; verum quod suo tempore, postquam ad annos discretionis pervenerunt, eam in ipsis producat per prædicationem Euangelii *Rom*. 10.v.17. Nec tamen infideles censendi sunt στερητικῶς, sivè privativè, non solum quia nati sunt ex parentibns fidelibus, 1 *Cor*.7.v.14. verum etiam quia infantia non est tempus fidei infundendæ
3. divinitus præfinitum. *Tertium*, In Veteri Testamento circumcisi fuerunt infantes. Igitur in Novo Testamento baptizandi sunt. Ratio, quia circumcisioni substitutus est baptismus *Coloss*.2.v.11.12. Antecedens exstat *Gen*.17.v.11.12.

Spiritus S. quatenus dicatur, effector fidei in infantibus.

Consi-

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. septuages. quartam.*

I. *Præstiteritnè quæstionem hanc isto modo proponere; Suntnè etiam fœderatorum infantes baptizandi?* In Infantes fuerint fœderatorum appellandi?

Resp. Additamentum hoc planè est supervacaneum; cum quæstiones & responsiones omnes ad solos fideles sint directæ, ac de eorum tantum infantibus hîc quæratur.

Quomodo intelligendum sit, infantibus non minus, quàm adultis, Spiritum Sanctum esse promissum. An etiam Spiritus Sanctus fidem in infantibus operetur, & quomodo? Deindè, si id verum sit, quâ ratione fiat; ut infantes nonnulli, postquam adoleverint, Spiritum Sanctum & fidem amittant; aut si id fieri nequeat, an itaque omnes infantes baptizati nihilominus sint salvandi? An Spiritus S. infantibus detur, & fidem in eis operetur?

Resp. Certum est, Spiritum Sanctum infantibus quoque promissum esse: tum evidentiâ promissionum, *Gen.* 17. v. 7 *Ioel.* 2. v. 28. *Act.* 2. v. 38 39. tum eorum exemplis, quibus ipse olim fuit donatus *Ier.* 1. v. 5. *Luc.* 1. v. 15. Quid, aut quomodo speciatim in iis operetur, id nostrum non est definire. Sufficit quòd ipsis est Spiritus regenerationis, immundam ipsorum naturam emundans, ac corrigens. Spiritus fidei, saltem actualis, & quæ in actu, non semine spectatur, ideo in ipsis esse nequit, quòd infantes per ætatem fidei non sunt capaces. Similiter nec illud definire est nostrum, quibus detur, aut in quibus operetur. Novit Dominus eos qui sunt sui, 2 *Tim.* 2. v. 19. & sermo promissionis non in omnibus infantibus, tam carnis quàm promissionis; sed in iis qui dicuntur promissionis, firmus ac ratus est *Rom.* 9. v. 6. 7. 8. 11.

Antithesis Catechetica Socinianorum, *ad quæst. & resp. septuag. quartam.*

Ad infantes nullo pacto pertinet baptismus. Nam nec in Scripturâ ullum mandatum, aut exemplum, eâ de re habemus; neque infantes Christum pro suo Servatore agnoscere per ætatem possunt: imo nec regeneratio in ipsos cadit. Ea enim nihil aliud est; quam rationis & voluntatis nostræ transformatio, & ad Christi Servatoris nostri doctrinam compositio; ut ipsa vox Regenerationis indicat. Verum hujusmodi transformatio in infantibus locum habere nequit, quia ignorant quæ dextra aut sinistra sit; tantum abest, ut res tanti momenti percipere queant.

Infantes baptizandos Scriptura probat.

Resp. Argumenta evidentia & solida pro pædobaptismo in ipsâ responsione adducta sunt. Mandatum universale, de omnibus Ecclesiæ membris baptizandis, & per baptismum initiandis, exstat *Matth.*28. *Marc.* 16. Nec desunt exempla integrarum familiarum baptizatarum: ad quas etiam infantes pertinent *Act.*16. v.15.33. 1 *Cor.*1.16. Quod Christum non agnoscunt infantes, non magis nunc eos à baptismo excludit, quàm olim à circumcisione. Si verò nè regenerationis quidem capaces sunt; aut expertes esse oportet peccati originalis, contra Scripturam: *Iob.* 14. v.5. *Ioh.*3.v.6. aut saltem omnes illâ ætate morientes, perire & damnari: *Ioh.*3. v. 3. 5. *Apoc.* 21. v. 7. contra Scripturam, quæ ipsis quoque regnum cœlorum addicit *Marc.* 10. v. 14. *Actor.*2. v.39. Sed Sociniani admittunt Elenchum definitionis; gratiam regenerationis, quæ in renovatione naturæ posita est, & per actus externos sese exserit & ostendit, restringentes ad solos actus, & exercitium eorum.

Sunt regeneracionis capaces.

DE COENA DOMINI.

QUÆST. LXXV. Quâ ratione in cœnâ Domini admoneris, & confirmaris, te unici illius sacrificii Christi, in cruce oblati, atque omnium ejus bonorum, participem esse?

RESP. *Quòd Christus me, atque omnes fideles, de hoc fracto pane edere, & de poculo distributo bibere jussit, in sui memoriam, additâ hâc promissione: primùm, corpus suum non minus certò pro me in cruce oblatum ac fractum, & sanguinem suum pro me fusum esse, quàm oculis cerno, panem Domini mihi frangi, & poculum mihi communicari. Deinde, animam meam non minus certò ipsius corpore, quod pro nobis crucifixum, & sanguine, qui pro nobis fusus est, ad vitam æternam ab ipso pasci, quàm panem & vinum, symbola corporis & sanguinis Domini, è manu ministri accepta, ore corporis percipio.*

EXEGESIS.

Cœna Dominicæ synonyma

ALterum Sacramentum Novi Testamenti est *Cæna Dominica* prout usitatè appellatur ex Paulo, 1 *Cor.* 11. v. 20. partim à tem-

tempore, quo institutum est, nempè eâ nocte quâ Christus ultimum pascha comedit cum discipulis: partim ab efficiente, qui est Dominus Jesus. Aliàs in Scriptura vocatur fractio panis, *Act.* 2. v.42. & *cap.*20.v.7. per synecdochen membri, à potiore ritu: Item mensa Domini, 1.*Cor.* 10.v.21. per metonymiam subjecti, quòd olim in mensâ celebraretur: Denique etiam communio corporis & sanguinis Christi, 1.*Cor.*.10.v.16. per metonymiam adjuncti; quòd symbolum sit, ac testimonium divinum, nostræ cum Christo communionis.

In Catechesi Sacramentum Cœnæ quadrifariam nobis describitur: à causâ efficiente, Subjecto recipiente, partibus integrantibus, & finibus.

Efficiens est Dominus noster Jesus Christus; qui cœnam primus instituit, & agno Paschali, ut typo veteri, novum antitypum surrogavit, *Luc.*22.v.15.*seqq.*1.*Pet.*3.v.21. Modus institutionis constat ritu, & verbo tum mandati, tum promissionis; quæ hic obiter indicantur, sed quæstione LXXVII. exprimuntur, & explicantur. Efficiens.

Subjectum recipiens sunt omnes fideles, sive Christiani adulti, & singuli eorum. Hi enim, & ante usum hujus Sacramenti probare se ipsos, 1.*Cor.*11.v.28.& in ipso usu, ac deinceps, mortem Domini fideli memoriâ celebrare possunt: *vers.* 25. 26. Quæ utraque conditio infantes à communione cœnæ excludit. Subjectum recipiens.

Partes integrantes sunt; signum à Christo imperatum, & verbum promissionis, tanquam signatum, signo additum. *Signum* constat partim Elementis, Pane, & Vino; quæ conjunguntur, ut perfectam animarum alimoniam in Christo nobis obsignent; partim ritibus, ceu sunt, Panis fractio, Vini effusio, & utriusque distributio ac perceptio. *Signatum* est verbum promissionis de corpore Christi pro nobis fracto, & sanguine ipsius effuso pro nobis in remissionem peccatorum *Matth.*26.v.26.28. eoque in cibum, ac potum vitæ nobis effecto, *Ioh.*6.v.50.*seqq.* Partes integrantes signum. Signatum.

Fines sunt; Declaratio, & Obsignatio promissionis gratiæ: de his Christi beneficiis. Quorum prior posteriori implicatur, & explicando immiscetur. *Declaratur* illa promissio in cœna Domini ratione analogiæ, sive similitudinis; quæ pani & vino, cum corpore & sanguine Christi, itẽ fractioni panis ac effusioni vini, cũ fractione corporis & effusione sanguinis Christi, antecedit. Queadmodũ panis in cœnâ frangitur; sic corpus Christi in cruce fractũ, id est Fines. Declaratio.

crucifixum fuit: Et quemadmodum vinum in cœna funditur; sic sanguis Christi in cruce effusus est 1 *Cor.* 11.v.24.25.& *cap.* 10.v. 16.17. *Obsignatur* eadem promissio, ratione specialis applicationis, & perceptionis: quatenus nimirum cuique credenti panis ille frangitur, porrigitur; poculum item communicatur, & à singulis accipitur. Bifariam igitur fit: I. Quam certò Christus cuique credenti de pane fracto, & vino effuso, præbet per ministerium suum; tam certò testatur, se pro illo esse mortuum, seu corpus suum pro illo in cruce fractum, & sanguinem suum pro illo fusum esse. II. Quàm certò panis & vinum sumta, pascunt ad vitam animalem; tam certò corpus & sanguis Christi fide accepta, pascunt ad vitam spiritualem, & æternam. Et ita fidelis sacramentaliter simul & spiritualiter in cœnâ manducat. *Sacramentaliter* edit & bibit panem & vinum, ut sacra symbola ac divina testimonia corporis Christi pro se crucifixi, & sanguinis pro se effusi, 1 *Cor.* 11.v. 24.25.& *c.* 10.v 16.17. *Spiritualiter* ipsum corpus & sanguinem Christi fide percipit in verbo promissionis; indeque certam spem vitæ æternæ concipit. De quo quæstione sequente pluribus.

Obsignatio.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. septuag. quintam.*

Annon & hic officii nostri commonefaciendi fuerimus?

I. *Hic rursum de obsignatione promissionum divinarum tantum, non autem de admonitione & obsignatione officii nostri, mentio fit. Quæritur itaque, an hoc imperfectum non sit, eoque alterum ei addi præstet.*

Resp. Ad hanc, & similes considerationes, supra fuit responsum, ad quæstionem LXVI. quò Novatores remittimus.

Annon addendum nos Spiritu S. pasci?

II. *Cum dicitur; Christum animas nostras crucifixo suo corpore, & effuso suo sanguine pascere; dispici potest, num addi possit, per Spiritum suum sanctum pascimur, quo spiritualem vitam vivimus; quæ fundamentum & causa est spiritualis nutrimenti.*

Resp. Vivimus per justificationem, vivimus etiam per regenerationem, sive renovationem naturæ. *Prioris* vitæ fundamentum & causa est Christus, cum suo sacrificio, & merito; de quâ Apostolus, Gal. 2 v. 20. *Christus vivit in me, & quod vivo in carne, vivo per fidem illam Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Posterioris* vitæ fundamentum & causa est Sp. Sanctus; cujus virtute regignimur ad vitã novam, 1 *Pet.* 1.v.3.4.5 Illa hîc intelligitur, nõ ista, ex interpretatione Iohannis, *cap.* 6.v.51. *seqq.* qui nec isthîc, nec alibi

alibi, nutrimentum spirituale collocat in renovatione naturæ per Spiritum Sanctum, ut quæ ex isto sequitur, tanquam effectum ex suâ causâ. Interim credimus, & confitemur, Spiritum Sanctum esse personam illam, quæ efficaciter nos movet ad credendum in Christum, atque ita ad edendum carnem, & bibendum sanguinem ipsius. In quem sensum nonnulli accipiunt verba sequentia, *Spiritus est qui vivificat*: item, *verba, quæ loquor, Spiritus sunt* Ioh. 6. v. 63. 64.

QUÆST. LXXVI. Quid est crucifixum Christi corpus edere, & fusum ejus sanguinem bibere?

RESP. *Est non tantùm totam passionem & mortem Christi, certâ animi fiduciâ amplecti, ac per id remissionem peccatorum, & vitam æternam adipisci: sed etiam per Spiritum Sanctum, qui simul in Christo, & in nobis habitat, ita sacrosancto ejus corpori magis ac magis unire, ut, quamvis ipse in cœlo, nos verò in terrâ simus, nihilominus tamen caro simus de carne ejus, & os de ossibus ejus; utque omnia corporis membra ab unâ animâ, sic nos uno eodemque Spiritu vivificemur, & gubernemur.*

EXEGESIS.

QVæstio est de phraseologiâ promissionis, declaratæ & obsignatæ per cœnam Dominicam; quâ dicimur crucifixum Christi corpus edere, ac effusum ejus sanguinem bibere. Exstant autem illæ phrases *Ioh. 6.* in sermone quem Christus habuit ad Capernaitas; ubi docet, beatitudinem non in cibo & potu corporali, sed spirituali & cœlesti consistere. Responsio est phraseologiæ illius explicatio, manducationem corporis, & bibitionem sanguinis Christi, à formâ, & effecto consequente, declarans. Manducationis corpotis & bibitionis, sanguinis Christi.

Forma est apprehensio passionis & mortis Christi, per fidem; quâ quis credit, corpus Christi esse pro se crucifixum, & sanguinem ejus pro se effusum, ac per id remissionem peccatorum, ac vitam æternam adipiscitur; juxta sensum quæst. LIX. *Primò* igitur, non consideratur hîc corpus Christi absolutè, & per se; sed quâ passum, quâ crucifixum: sanguis item, non ut in venis latens, sed cum sensu iræ Dei in cruce effusus. Totus denique Christus, non quâ nunc exaltatus in gloriâ; sed quatenus olim humiliatus usque ad mortem crucis, Forma. Sed testimonium Remissionis peccatorum.

& in ea victima factus pro peccatis nostris. Quod ipsemet expressis verbis nos docet, *Ioh.6.v.51.* ubi ait; *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vitâ.* Et in institutione cœnæ, Mat. 26. v. 26. 28. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur, seu frangitur: Hoc est sanguis ille meus Novi Testamenti, qui pro vobis, ac pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Deinde*, crucifixũ corpus Christi edere, ac effusum ejus sanguinem bibere, nihil aliud est, quàm in Christum credere; seu credere corpus Christi esse pro se crucifixum, sanguinemque ejus pro se esse effusum in remissionem peccatorum. Id quod liquet ex sententiarum inter se collatione, apud Johannem sexto capite. Nam quod v. 35. 40. 47. Christus dixit, credere in se, id ipsum *v.*50.51.53.54. nominat edere carnem suam, & bibere sanguinem suum. Fides autem passionis ac mortis Christi, *manducatio* & *bibitio* appellatur metaphoricè; propter analogiam tum actûs, qui est acceptio & perceptio Christi, in verbo Euangelii oblati; tum finis, & fructus, qui est animæ esurientis ac sitientis justitiam, alimonia, & suavis saturitas, ad vitam æternam. Et dicitur manducatio & bibitio spiritualis, organi respectu; quod non est os corporis, sed fides Spiritûs, hoc est, fides in Spiritu sive animâ residens, *Rom.* 10.v.9.10. Qui verò Spiritu fidei manducare corpus Christi non minùs absonum dictu censent, quàm si quis dicat, corpus manducare Spiritum; illi vel puerilem inscitiam circa phrases Scripturæ, vel insignem cavillandi libidinem produnt.

apprehensio per fidem.

Fides est manducatio & bibitio.

Spiritualis.

Effectum unio cum Christo.

Effectum hujus manducationis & bibitionis est unio cum Christo; prout ipse testatur, *Ioh.6.v.56. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Promissio baptismi etiam loquitur de hac unione; quia in baptismo Christum induimus: *Gal.* 3.v.27. Sed in cœna confirmatur, ac augescit illa unio, 1.*Cor.* 10.v.16. & *cap.*12.v.13. Nam gradus recipit non minùs, quàm fides ac charitas; quibus ex parte nostra constat.

Cujus describitur

Cæterum in Catechesi unio cum Christo distinctè explicatur, Causâ efficiente, Adjuncto modo, & Effectis.

Efficiens.

Efficiens est Sp. Sanctus, in Christo tanquam capite, & in nobis tanquam membris ipsius, habitans. Is & Christum nobis jungit, ab ipso in nos dimanans, 1.*Ioh.* 3.v.24. & *cap.* 4. v. 13. *Tit.*3. v.6. & nos vicissim unit ipsi per fidem & charitatem, 1 *Cor.*6.v.17. Sicut reciproca est unio.

Modus.

Modus unionis mysticus, & longè arctissimus est. *Mysticus* quidem

dem, quia magnum pietatis mysterium appellatur; *Eph.*5.v.32. Et similitudine capitis ac membrorum *cap.*1.v.22.23. dependentiæ carnis nostræ ex carne ipsius *cap.*5.v.30. vitis & palmitis, *Ioh.* 15. v.1.2.*seqq.* quadamtenus adumbratur. *Arctissimus* etiam, quia caro cum carne, os cum ossibus, membra cum capite, arctissimè cohærent in eodem corpore *Eph.*5.v.30. Sanè Christus etiam ex nostrâ carne, ex nostris ossibus est; ut qui eandem nobiscum sortitus est carnis originem, *Luc.*3. *Heb.*2.v.14. Quoniam verò natura ipsius non est corrupta, & peccato coinquinata, sed sanctificata per Spiritum Sanctum, & nos sanctificationem ex ipso haurimus; ideo Paulus *Eph.*5.v.30 non dicit, Christum esse ex carne nostrâ, ex ossibus nostris, sed nos esse membra corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Nec obstat unioni huic intercapedo locorum, sive distantia cœli & terris, 2 *Cor.*5.v.6. disterminantur; Quia unio est exsistentia corporis Christi intra corpora nostra ; nec locali contactu, aut inclusione constat. Unio nostri cum Christo, ut modò dictum, est tanquam membrorum cum capite, & palmitum cum vite: Caput non est intra membra, nec vitis intra palmites, sed situ differunt, nexu autem conveniente in unum corpus copulantur.

Effecta unionis sunt, nostri vivificatio, & gubernatio. Nā Christus nobis unitus, vivificat, & gubernat nos suo Spiritu; nō minùs, quàm caput vivificat, & regit omnia membra, spiritibus vitalibus in ea diffusis, ac propagatis. *Vide Ioh.*6.v.55.56.57. *Eph.*4.v.15.16. Effecta.

QUÆST. LXXVII. Quo loco promisit Christus, se credentibus tam certò corpus & sanguinem suum sic edendum & bibendum daturum, quam fractum hunc panem edunt, & poculum hoc bibunt?

RESP. *In institutione cœnæ, cujus hæc sunt verba: Dominus noster Iesus Christus, eâ nocte quâ proditus est, accepit panem, & gratiis actis, fregit ac dixit: Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, hoc facite in mei recordationem. Itidem & poculum, postquam cœnassent, dicens: Hoc poculum est novum fœdus per meum sanguinem, hoc facite quotiescunque biberitis in mei recordationem. Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis,*

ritis, mortem Domini annunciate, donec venerit. Hæc promissio à Paulo repetitur, cùm inquit: Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio est sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? quoniam unus panis, unum corpus multi sumus. Nam omnes unius panis participes sumus.

EXEGESIS.

DOctrina de cœnâ Domini hucusq; proposita, & certitudo obsignationis, quâ obsignatur promissio Euangelii per cœnam, confirmatur hîc testimonio verborum institutionis, prout illa à Paulo, quasi ex ore ipsius Domini, omniũ plenissimè describitur 1. *Cor.* 11. v. 23. *seqq.* In descriptione quatuor hæc distinctè consideranda sunt; Autor Cœnæ, Ritus, Verba mandati & promissionis, & Finis. *Autor* cœnæ est Dominus noster Iesus Christus, ut antè dictum; qui eam instituit illâ ipsâ nocte, quâ à Iudâ Iscariote, uno ex discipulis, suis proditus fuit. Hujus circumstantiæ commemoratio ad fidem historiæ plurimum facit: reverentiam quoque ipsi Sacramento conciliat; quòd maximi momenti esse oporteat, cujus curam Christus morti proximus suscipere dignatus est.

Cœna Dominicæ Autor, Christus.

Ritus, sive *ceremonia*, partim circa panem, partim circa poculum usurpatæ, sunt Panis, & vini benedictio, Panis fractio, Vini effusio, & utriusque distributio. Nam reliquæ, quæ successu temporis irrepserunt; ut Panis elevatio, circumgestatio, adoratio, repositio, non sunt ex divinâ institutione, sed ex humanâ superstitione; nec illustrant Sacramenti hujus dignitatem, verùm multis modis obscurant. *Panis & vini benedictio* est illorum consecratio in usum sacrum; nempè significationem, & obsignationem promissionis gratiæ, 1. *Cor.* 10. v. 16. 17. *Panis fractio* est ejus in frustula minora divisio; cui in altero signo, *fusio vini* in poculum, respondet. Quem ritum non ἀδιάφορον, sed necessarium ducimus; ut qui exemplo Christi, ac mandato nititur: *Matth.* 26. v. 22. 23. Et crucifixionem corporis ejus nobis clarissimè adumbrat, 1. *Cor.* 11. v 24. Vnde in Ecclesiâ Apostolicâ adeò diligenter observatus est, ut ab eo sacra cœna *fractio panis* usitatè appelletur *Act.* 2. v. 42. 44. 45. & *cap.* 20. v. 7. 1. *Cor.* 10. v. 16. *Distributio* est, quâ panis & vinum omnibus & singulis communicantibus distribuitur, *Matth.* 26. v. 26. 27. ut omnibus fide accipientibus, corporis & sanguinis Christi beneficium sigillatim applicetur; argumento loci, *Act.* 2. v. 38. 39.

Ritus,

Panis & vini benedictio.

Panis fractio & vini effusio.

Distributio utriusque.

Verba

Verba mandati ſunt; *Accipite, hoc facite in mei recordationem*; quibus ab Euangeliſtis adduntur etiam hæc, *Edite, Bibite*. Sunt autem per ſe plana. Accipere eſt manu capere, ſive prehendere panem porrectum. Edere eſt manducare panem, dentibus comminuere, & deglutire. Bibere, ore haurire vinum è poculo. Facere in memoriam ipſius, eſt ſumere panem & vinum in hunc finem, ut in memoriam tibi revoces mortem Chriſti; de quo poſtea. Verba promiſſionis ſunt, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*; *hoc poculum eſt novum fœdus per meum ſanguinem*; de quorum ſenſu agitur quæſtionibus ſequentibus. Verba mandati.

Finis ſacræ Cœnæ eſt recordatio mortis Chriſti; quem Apoſtolus verbis ſuis declarat, dum ex inſtitutione Chriſti κατὰ τὸ ῥέλισμα deducit præceptum de annunciandâ morte Domini, donec veniat, ſcil. ad judicium. Eſt igitur *recordatio* illa tum *gratiarum actionis*, ſive gratitudinis, quoad Deum, quem palam & ſolenniter celebramus propter beneficium mortis Chriſti; tum *conſolationis*, quoad nos, qui hoc pacto confirmamur in fide remiſſionis peccatorum, propter mortem ipſius. Eſt præterea recordatio Chriſti non inviſibiliter præſentis, aut in ſacris ſymbolis latentis, ſed abſentis à nobis, ſecundum humanam naturam; ſedentis verò in cœlis ad dextram patris, undè rediturus eſt ad judicandum vivos & mortuos. Finis recordatio mortis Chriſti. Gratitudinis. Conſolationis

Ita habet hæc inſtitutio; cui in textu catechetico ſubjicitur repetitio, & declaratio promiſſionis, ex Paulo, 1. *Cor*. 10. v. 16. 17. verbis diverſis, ſenſu planè eodem, ut paulò poſt oſtendetur.

Conſideratio Catechetica Novatorum *ad quæſt. & reſp. ſeptuag. ſeptimam.*

Idem hic notandum eſt de Cœnâ Domini, quod ſupra quæſtione LXXI. conſideratione primâ de baptiſmo annotatum fuit.

Reſp. Cùm hìc eadem conſideratio proponatur, quæ ſuprà quæſtione LXXI. de baptiſmo propoſita fuit, eadem etiam reſponſione diluitur. Certè promiſſio cœnæ, & in antecedentibus, & in conſequentibus perſpicuè ſatis declarata eſt.

QUÆST. LXXVIII. Num ergò panis & vinum fiunt ipſum corpus & ſanguis Chriſti?

RESP. *Nequaquam: verùm ut aqua baptiſmi in ſanguinem Chriſti non convertitur, nec eſt ipſa peccatorum ablutio, ſed ſymbolum tantùm, & pignus earum rerum, quæ nobis in baptiſmo obſignantur; ita nec panis cœnæ Dominicæ eſt ipſum corpus Chriſti: quanquam pro ratione Sacramentorum, & uſitatâ Spiritui Sancto de his loquendi formâ, panis* Chriſti corpus *appellatur.*

EXEGESIS.

EST objectio nata ex promiſſione cœnæ, & ejuſdem repetitione apud Paulum, 1. *Cor.* 10. v. 16. Panis eſt corpus Chriſti; vinum eſt ſanguis ejus. Ergo panis & vinum fiunt ipſum corpus, & ſanguis Chriſti; id quod in Papatu *tranſſubſtantiationem* vocant. Reſpondetur per negationem conſequentiæ: & negatio probatur argumento à pari. Etiam aqua baptiſmi dicitur ablutio peccatorum, *Act.* 22. v. 16. nec tamen vel aqua convertitur in ſanguinem Chriſti, vel ablutio per aquam eſt ipſa ablutio peccatorum; ſed ſymbolum tantùm, ſive ἀντίτυπον ut Petrus loquitur, 1. *Epiſt.* 3. v. 21. ablutionis iſtius. Ergò nec panis in corpus Chriſti, aut vinum in ſanguinem ejus convertitur. *Antecedens* demonſtratum eſt quæſtione LXXII. *Conſequentiæ* hæc ratio eſt; quod Sacramentorum eadem eſt natura, quæ in declaratione & obſignatione rerum per ſigna, non in converſione ſignorum in res ipſas conſiſtit. Idem argumentum, leviter immutatum, conſubſtantiationis quoque commentum refellit. In, Cum, Sub aquâ baptiſmi non eſt, aut latet ſanguis Chriſti. Ergò nec In, Cum, Sub pane, & vino eſt corpus, & ſanguis ipſius. Nimirum, quia Sacramenta non magis ſunt vaſcula, receptacula, aut vehicula rerum ſignatarum, quàm ſigna in eas convertendi vim habent.

Signa in cœna non convertuntur in corpus & ſanguinem Chriſti.

Neque rem ſignatam in ſe continent.

Proinde ſecundo loco declarat Catecheſis, quâ ratione panis, & vinum ſacræ cœnæ appellentur corpus, & ſanguis Chriſti; videlicet pro ratione Sacramentorum, & uſitatâ de his Spiritui Sancto loquendi formula. *Modus* ille *loquendi non eſt proprius*; quia diſparatum de diſparato enunciatur, verum Chriſti corpus de vero pane: *nec ſubſtantialis*, quia hic non eſt ſermo de ſubſtantiâ, ſed de relatione; non quid ſit panis ſuâ naturâ, ſed quid ſit in uſu cœnæ:

Signa accipiunt nomen rei ſignatæ.

Phraſeologiâ Sacramentali.

neque

neque etiam *Synecdochicus*, quia non agitur de continente corporis, & sanguinis Christi, sive ubinam sint corpus & sanguis Christi; sed de usu & officio horum symbolorum. *Est verò* modus loquendi improprius, Metonymicus, & Sacramentalis. *Improprius*, quia est disparati de disparato enunciatio. *Metonymicus*, quia per metonymiam subjecti, nomen rei signatæ de signo prædicatur. *Sacramentalis* etiam; quia de Sacramentis in Scripturâ usitatus, imo usitatissimus. Sic de circumcisione affirmatur, eam esse fœdus Dei, *Gen.* 17. v. 10. Et exponitur, quod sit fœderis illius signum & sigillum *vers.* 11. & *Rom.* 4. v. 11. De agno Paschali dicitur, eum esse Pesach, sive transitum Jehovæ, *Exod.* 12. v. 11. 17. & declaratur, quod sit monimentum, seu signum memoriale illius transitus *cap.* 13. v. 9. 16. De sacrificiis dicitur, quod iis expientur peccata, *Lev.* 1. v. 4. & passim: cujus tamen typi solum erant, teste Apostolo, *ad Hebræos*. Baptismo tribuitur ablutio peccatorum, *Act.* 22. v. 16. quia ἀντίτυπον est illius ablutionis, 1. *Pet.* 3. v. 21. Nec alio sensu verba cœnæ ipse Christus interpretatur, cum addit, *Hoc facite in mei recordationem*. Paulus item, dum panem vocat communionem corporis Christi; vinum communionem sanguinis ipsius, 1. *Cor.* 10. v. 17. nempè symbolicam, qualis erat omnium communicantium in uno pane. Quod si de propriâ sede tropi, sive metonymiæ Sacramentalis quæratur; dicimus residere tropum non in subjecto, aut prædicato, sed in copulâ enunciationis Dominicæ. Ibi enim est tropus, ubi fit mutatio significationis. At mutatio illa nec fit in Subjecto; quia pronomen *Hoc* notat verum panem, qui frangitur in cœnâ, 1. *Cor.* 10. v. 16. neque in prædicato: nam vocabulum *corporis* significat verum, ac naturale Christi corpus, datum, sive fractum pro nobis; ut habet restrictio prædicati apud Euangelistas, & Paulum. Est igitur in copulâ, quæ non ὑπαρκτικῶς, sed σχετικῶς, & σημαντικῶς accipitur, pro rei subjectæ natura; ut verbum *Est* idem hic sit, quod *significat*; Panis & vinum verò dicantur corpus & sanguis Christi, quatenus illa significant, sive quatenus signa ac symbola sunt corporis, & sanguinis ipsius.

Sedes tropi est in copula.

Quæst. LXXIX. Cur ergo Christus panem appellat suum corpus, calicem verò suum sangui-

nem, seu novum fœdus per suum sanguinem: Paulus item panem & vinum, communionem corporis, & sanguinis Christi?

RESP. *Christus non sine gravi causa sic loquitur: videlicet, non solùm ut nos doceat, quemadmodum panis & vinum corporis vitam sustentant: sic etiam crucifixum suum corpus, & effusum suum sanguinem, verè esse animæ nostræ cibum ac potum, quo ad vitam æternam nutriatur: Verum multò magis, ut hoc visibili signo, ac pignore nobis certum faciat, nos non minus verè, corporis & sanguinis sui, per operationem Spiritûs Sancti participes esse, quàm sacra ista symbola in ejus memoriam ore corporis percipimus. Tum etiam, quòd ejus passio & obedientia, tam certo nostra sit, quàmsi ipsimet pro nostris peccatis pœnas dedissemus, & Deo satisfecissemus.*

EXEGESIS.

Causa Sacramentalis metonymiæ?

HAc quæstione requiritur, & responsione redditur ratio metonymiæ Sacramentalis, cur Christus in institutione Cœnæ, Paulus in ejusdem repetitione, & declaratione, eâ usi sint. Est autem gemina: *Una* sumitur ex analogiâ panis, & corporis Christi; vini, & sanguinis ejus. Sicut illa nobis sunt alimentum vitæ corporalis, sic ista sunt nutrimentum vitæ spiritualis, & cœlestis. *Altera*, amplificata collatione majoris, deducitur ex certitudine obsignationis. Nam panis & vinum, in cœnâ, testatum nobis faciunt, sacrificium Christi peractum esse, & quidem in nostram salutem, tam verè, quàm verè habemus signa: imò nos pasci crucifixo corpore, & effuso sanguine Christi, tam verè, quàm verè sacra ista symbola corporis & sanguinis Christi percipimus.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. septuag. nonam.*

Geminus verborum Christi sensus est; Actio frangendi, & manducandi panis hujus, est commemoratio, & adumbratio quædam ejus, quod de

de corpore meo futurum est; & Actio fundendi, & bibendi vini, est commemoratio, & repræsentatio quædam ejus, quod de sanguine meo fiet. Ad quem modum scriptum exstat de illo insueto agni paschalis edendi more, eum fuisse transitum Domini, Exod. 12. v. 11. 27. *tum etiam de crinibus partim sectis, partim exustis, partim servatis, hoc esse Ierusalem* Ezech. 5. v. 1. 2. 3. 4. 5. *Falsum verò & erroneum est, quod Spiritualiter participes fiamus in cœna corporis & sanguinis Christi. Nam pugnant inter se, reapse participem esse corporis & sanguinis Christi, & Spiritualiter esse participem. Modus etiam ille participandi inexplicabilis est: Non igitur certus esse potest.*

Responsio.

Verba Christi bifariam corrumpunt hæretici Sociniani. Semel dum Subjectum utriusque enunciationis ad totam Christi actionem referunt, cum tamen de pane, & vino in poculo accipiendum esse, series contextus, & Paulina interpretatio evincat 1. *Cor.* 10. v. 16. Iterum, dum ἀνάμνησιν Christi per illa symbola ad historicam commemorationem, & repræsentationem restringunt exclusâ memoriâ fidei, & consolationis; & confirmatione nostri de Christi beneficiis ad nos pertinentibus *Exod.* 12. v. 11. 27. non ritus, aut cultus cæremonialis, sed ipse agnus *transitus* vocatur. Locus *Ezechielis* impertinens est, toto genere diversus à Sacramentis; qui tamen etiam diversas interpretationes habet. Porrò, quæ contra spiritualem Christi κοινωνίαν disputant, ex antè dictis, quantum satis est, redarguuntur. Si pugnant inter se, re ipsâ, & spiritualiter carnis & sanguinis Christi participem esse; jam Christus docuit pugnantia, qui dixit, carnem suam esse verè cibum, & sanguinem suum esse verè potum, quo per fidem potiamur, & pascamur ad salutem *Ioh.* 6. v. 55. 56. Modus participationis non simpliciter est inexplicabilis, licet explicabilis non si omnimodè. Si verò quod inexplicabile est, incertum est; jam omnia Dei mysteria erunt incerta; incerta quoque fuerit illa abyssus consiliorum Dei, quam ut imperscrutabilem, & impervestigabilem Apostolus admiratur & adorat. *Rom.* 11. v. 33. 34.

Socinianorum errores.

Exod. 12. v. 11 explicatur.

Ezech, 5, v, 1. *seqq.* explicatur.

Spiritualis communio adstruitur.

QUÆST. LXXX. Quid interest inter Cœnam Domini & Missam Papisticam?

RESP. *Cœna Domini nobis testatur, nos perfectam remissionem omnium nostrorum peccatorum habere, propter unicum illud Christi sacrificium, quod ipsemet semel in cruce peregit. Tum etiam, nos per Spiritum Sanctum inseri Christo, qui jam secundum naturam suam humanam tantum in cœlis est ad dextram patris, ibique vult à nobis adorari. In Missa autem negatur, vivos & mortuos habere remissionem peccatorum propter unicam Christi passionem, nisi etiamnum quotidiè Christus pro ipsis, à sacrificulis offeratur. Tum etiam docetur, Christum corporaliter sub speciebus panis & vini esse, ideoque in illis adorandum esse. Atque ita ipsum Missæ fundamentum nihil aliud est, quam abnegatio unici illius sacrificii, & passionis Iesu Christi, & exsecranda idololatria.*

EXEGESIS.

Missa. MIssa ex notatione nominis idem sonat, quod dimissio: quæ vox olim ad cœnam Dominicam translata est, quod incipiente ejus communione dimitterentur Catechumeni è cœtu Ecclesiæ: secundum definitionem rei, est opus quo sacerdos per demurmurationem quinque verborum, *Hoc enim est corpus meum*, ex pane creat Christum, illumque patri offert, ut victimam, pro expiandis peccatis viventium & mortuorum. Quoniam verò Pontificii contendunt Missam suam esse ipsissimam cœnam, à Christo institutam, Catechesis facta utriusque antithesi ostendit eversionem potius Cœnæ, quàm ejus sacramentum dicendam esse. Hæc antithesis trimembris est, & trium potissimum partium. I. *Cœna Domini* testatur, nos perfectam remissionem omnium nostrorum peccatorum jam habere, propter unicum Christi sacrificium, semel in cruce peractum. Est enim Sacramentum corporis Christi, pro nobis dati, sive fracti, & sanguinis pro nobis effusi in remissionem peccatorum, *Matth.* 26. v. 26. 28. Idque secundum Scripturam, quæ docet Christum semel mortuum non amplius mori. *Rom.* 6. v. 9. sed unicâ, eâque perfectissima oblatione, consecrasse, & consummâsse in perpetuum, qui sanctificantur, *Heb.* 10.

Non est S. Cœna. (margin, beside "Pontificii contendunt")

I. (margin, beside "antithesis trimembris est")

v. 14. 22. adeoque ſanguine ipſius purgari nos ab omnibus peccatis, 1. *Ioh*. 1. v. 7. ut nulla amplius condemnatio ſit iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu *Rom*. 8. v. 1. Contra *Miſſa* falsò perſuadet hominibus, vivos & mortuos non habere remiſſionem peccatorum propter unicam Chriſti oblationem, ſed conſequi eam per hoc ipſum fictitium ſacrificium corporis Chriſti, ſub ſpecie panis. II. *Cœna* teſtatur, corpus Chriſti jam non eſſe his in terris; ſed in cœlo. Celebratur enim ad annunciandam ejus mortem, donec venerit, id eſt, donec è cœlo redierit ad judicium 1. *Cor*. 11. v. 26. Inſuper teſtatur, Chriſtum exhibere nobis in cœnâ corpus ſuum manducandum, & ſanguinem bibendum fide, & nos ſibi inſerere per Spiritum Sanctum, ut in ipſo maneamus, & ipſum manentem in nobis habeamus; juxta dicta, 1. Cor. 10. v. 16. *Panis eſt communio corporis Chriſti* Joh. 6. v. 26. *Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo*. Contra *Miſſa* fingit, Chriſti Corpus ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini eſſe, atque ita oraliter à communicantibus percipi. III. *Cœna* docet ſurſum tollenda eſſe corda in cœlum, ubi Chriſtus eſt, & ibi eum in ſpiritu adorandum. Vult enim prædicatione, gratiarum actione, precibus celebrari memoriam Chriſti, abſentis à nobis ſecundum humanam naturam, donec redeat 1. *Cor*. 11. v. 26. Nec convellit, ſed confirmat articulos fidei, & doctrinam totius Euangelii, Chriſtum eſſe quærendum & adorandum ſurſum. *Col*. 3. v. 1. *Quærite quæ ſurſum ſunt, ubi Chriſtus eſt, ad dextram Dei ſedens*. Contra *Miſſa* docet adorandum eſſe in elementis, ſive ſub ſpeciebus panis & vini, tanquam illis incluſum, vel ſaltem indutum. Tergeminæ huic antitheſi annectitur poriſma, Miſſam nihil aliud eſſe, quàm abnegationem unius illius ſacrificii Chriſti, & exſecrandam idololatriam. Abnegatio illius eſt; quia gemina priore antitheſi illud prorſus deſtruit ac evertit. Idololatria etiam eſt; propter artolatriam, & virtutem, quam ipſi ſacrificio huic, per ſummam ſuperſtitionem affingunt.

QUÆST. LXXXI. Quibus accedendum eſt ad menſam Domini?

RESP. *Iis tantùm, qui verè dolent, ſe ſuis peccatis Deum offendiſſe; confidunt autem ſibi ea propter Chriſtum remiſſa*

missa esse, & quas reliquas habent infirmitates, eas passione & morte illius obtectas esse; quique desiderant magis ac magis in fide, & integritate vitæ proficere. Hypocritæ autem, & qui non verè resipiscunt, damnationem sibi edunt & bibunt.

EXEGESIS.

Convivæ Cœnæ.

ABsolutâ doctrinâ de essentiâ, sive naturâ cœnæ Dominicæ, de Subjecto ejus recipiente speciatim quæritur, quod hic definitur καϑ' ἀντίϑεσιν: ita nimirum, ut doceatur, qualesnam accedere debeant ad mensam Domini, & quales non: Sive qui digni sint convivæ, qui indigni. *Digni convivæ* à tribus adjunctis describuntur. Eorum *primum* est Pœnitentia, seu agnitio & dolor de admissis peccatis, quibus Deum offenderunt, & Christo moriendi necessitatem attulerunt 1. *Cor.* 11. v.26. 28. *Alterum* est Fides, sive fiducia remissionis peccatorum, quâ confidunt omnia peccata sua, atque etiam reliquias peccati inhærentis, sive Originalis, sibi propter Christum remissas esse. 1. *Cor.* 11. v.26. *Tertium* est, nova Obedientia, quæ profectu in fide, & studio bonorum operum, tanquam effectis suis declaratur 1. *Cor.* 11. v. 26. 29. *Indigni convivæ* similiter notantur ex adjunctis, ceu sunt; Hypocrisis & impœnitentia, quos ab usu cœnæ Catechesis dehortatur argumento ab effecto noxio, quod damnationem sibi edant ac bibant 1. *Cor.* 11. v. 29. Quæri solet, quid in cœnâ manducent & bibant indigni Convivæ? Respondet Apostolus, indignè manducant panem hunc, & bibunt poculum hoc, & rei fiunt corporis ac sanguinis Domini: Sivè edunt & bibunt sibi dammationem. Percipiunt ergò panem & vinum; sed ad reatum, ad condemnationem. Corpus & sanguinem Christi non percipiunt. Quæ igitur causa est reatus & condemnationis ipsorum? Certè non manducatio corporis, bibitio sanguinis Christi, quæ tantùm fit per fidem, & semper est salutaris. *Ioh.* 6. v. 53. 54. Est verò illa ipsa, quam addit Apostolus 1. *Cor.* 11. v. 29. *quod non discernunt corpus Domini*, hoc est, quod accedentes sine fide & pœnitentiâ, Sacramentum corporis Christi profanant, Christum ipsum, ejusque beneficia per incredulitatem respuunt.

Digni. Indigni. Quid indigni manducent. & unde rei fiant. Discernunt.

QUÆST. LXXXII. Suntne illi etiam ad hanc cœnam admittendi, qui confessione & vitâ se infideles & impios esse declarant?

RESP. *Nequaquam: nam eo pacto fœdus Dei profanatur & ira Dei in universum cœtum concitatur. Quocirca Ecclesia, ex præscripto Christi & Apostolorum, hos, clavibus cœlorum utens, à cœnâ arcere debet, quoad resipuerint & mores mutaverint.*

EXEGESIS.

Dictum de iis, qui accedere debent ad mensam Domini, qui non. Sequitur de aliis, qui accedere volentes ab ejus communione excludendi sunt, atque adeò excommunicandi. Hi sunt autem professi infideles, aut manifesti peccatores, qui positâ larvâ hypocriseos, confessione & vitâ se tales declarant. *Excommunicatio* ipsorum demonstratur partim expressis *testimoniis*, ut est *Matt.* 7. v. 6. Gal. 1. v. 8. 9. 2. *Iohan.* v. 10. 11. 1. *Cor.* v. 11. 2. *Thess.* 3. v. 6. 10. 14. 15. Partim *rationibus*, ab effectis noxiis, quorum duo commemorantur: *Vnum* est profanatio fœderis. Profanatur fœdus Dei, dum qui non sunt fœderati ipsius, sed hostes, mentiuntur tamen se esse: dum item, qui certò sciunt non esse fœderatos, nihilominus tamen eos pro talibus recipiunt & agnoscunt, utique non sinè insigni Dei contumeliâ. Fingunt enim tales Deum, qui impiis se consociet, vel saltem se iis obliget promissione, & Symbolis; Contrà quam ipse Deus testatur Psalm. 50. v. 16. 17. seqq. *Quid tibi, ut enarres statuta mea, & assumas pactum meum in os tuum, qui odisti disciplinam & projecisti verba mea post te.* &c. *Alterum* est, quòd ira Dei in universam Ecclesiam concitatur. Nec immeritò: Nam Ecclesia connivens ad profanationem Sacramenti, & admittens quos Deus exclusos vult, se gravissimæ culpæ ream facit. De quo ita Apostolus 1. Corinth. 11. v. 31. *Propterea multi inter vos sunt debiles & infirmi, & multi dormiunt. Etenim si nos ipsos dijudicaremus, non castigaremur.* *Modus* excommunicationis explicatur. I. Causâ efficiente: quæ est Eccle-

Excommunicatio probatur.

Modus ejus.

Ecclesia, potestate excommunicandi infideles & impios divinitùs instructa. *Matth.* 18. v. 17. II. Causâ impulsiva. Et est præscriptum Christi. *Matt.* 18. v. 17. 1. *Corinth.* 5. v. 14. & Apostolorum, nominatum Pauli 1. *Corinth.* 5. v. 5. 2. *Thessal.* 3. v. 6. 14. 15. III. Instrumento, quod sunt claves regni cœlorum commissæ Ecclesiæ. *Matth.* 16. v. 19. IV. Formâ: quæ est exclusio à communione corporis Christi & ejus sanguinis. 1. *Cor.* 5. v. 11. 13. V. Adjunctâ duratione & fine: quoad resipuerint, & mores mutaverint. Non igitur perpetua exclusio est, omnem spem veniæ exclusis adimens: Sed quæ ad tempus usque resipiscentiæ continuatur. Finis item ejus non est interitus peccantis: sed resipiscentia, & salus. 1. *Corinth.* 5. v. 5. 2. *Corinth.* 2. v. 7.

QUÆST. LXXXIII. Quid sunt claves regni cœlorum?

RESP. *Prædicatio Euangelii, & Ecclesiastica disciplina: quibus cœlum credentibus aperitur, infidelibus autem clauditur.*

EXEGESIS.

QUoniam superiore quæstione facta est mentio clavium regni cœlorum, quæritur nunc, quidnam claves illæ sint? sive, quidnam eo nomine intelligatur? Sciendum autem, appellationem hanc desumtam esse ex sermone Christi ad Petrum *Matth.* 16. v. 19. ubi ipsi, & in personâ ipsius omnibus Ecclesiæ ministris, permittit claves regni cœlorum. Catechesis bifariam eas describit. I. Distributione partium. Sunt enim geminæ: Prædicatio Euangelii, & disciplina Ecclesiastica *Matth.* 16. v. 19. *Ioh.* 20. v. 22. 23. & *Matth.* 18. v. 18. II. Expositione finis, sive usus contrarii, circa objecta contraria: quòd cœlum aperiant fidelibus, infidelibus verò claudant. *Matth.* 16. v. 19. & *cap.* 18. v. 18. Potestas igitur clavium est potestas aliquos recipiendi in regnum cœlorum, & aliquos ex eo excludendi. Hæc enim duplex potestas numero plurali κλεῖς, significatur. Estque appellatio Metaphorica, non propria; ab œconomis ad ministros Ecclesiæ

Claves regni cœlorum.

Potestas clavium.

siæ similitudine quâdam translata. Sicut enim isti traditione clavium confirmari solent in suo munere : ita Deus in Ecclesiâ, quæ ipsius domus est, 1.*Tim*. 3. v. 15. ministros suos, veluti œconomos, 1.*Cor*.4. v. 1. potestate solvendi,& ligandi peccatores, tanquam clavibus quibusdam auctoravit. Postremò, appellatio illa non absolutæ, sed limitatæ potestatis nota est, quæ limitatur per pœnitentiam & impœnitentiam eorum, in quos est exercenda 2.*Cor*. 2. v.6.7. *Matth*. 18. v. 17.

QUÆST. LXXXIV. Quo pacto aperitur & clauditur regnum cœlorum, prædicatione Euangelii?

RESP. *Cum ex mandato Christi, credentibus universis ex singulis, publicè annunciatur, omnia peccata ipsis divinitùs propter meritum Christi condonari, quoties promissionem Euangelii verâ fide amplectuntur. Contrà verò omnibus infidelibus & hypocritis denunciatur, tantisper ipsis iram Dei, & æternam condemnationem incumbere, dum in suis sceleribus perseverant: secundùm quod Euangelii testimonium Deus tam in præsenti, quàm in futurâ vitâ judicaturus est.*

EXEGESIS.

PRima Clavis Oeconomiæ Ecclesiasticæ, quæ Euangelii prædicatione constat, declaratur ab usu & efficaciâ. *Vsus* objectis distinguitur. Sunt enim ii, circa quos illa exercetur, vel fideles, vel infideles & hypocritæ. *Fidelibus* sive, universis, sive singulis, publicè annunciatur remissio peccatorum, propter meritum Christi fide apprehensum in promissione Euangelii. *Marc*.2.vers.3.5. *Ioh*. 20.v.22.23. *Matt*. 16.v.19. *Infidelibus* contrà, & hypocritis, publicè denunciatur, tantisper ipsis iram Dei & æternam condemnationem incumbere, dum in suis sceleribus perseverant *Matt*.16. v. 19. *Ioh*. 20.v.22,23. *Efficacia* est, quòd Deus ratum esse velit hoc judicium, tum in præsenti, tum in futuro seculo; juxta dicta, Matth. 16.v. 19. *Quicquid ligaveris in*

Prædicationis Euangelii Vsus.

Efficacia.

terrâ erit ligatum in cœlo, & quicquid solveris in terrâ, erit solutum in cœlo. Joh. 20.v.23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Rom.2.v.16. *In die, quo judicabit Dominus de latebris hominum, ex Euangelio meo.* Quamobrem falli non potest Ecclesia, aut ministerium ejus, ferendo sententiam absolutionis aut condemnationis quia fert eam secundùm Euangelium, hoc est non absolutè, sed sub iis conditionibus, sub quibus Euangelium remissionem vel retentionem peccatorum, salutem vel condemnationem hominibus annunciat.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & respons. octogesimam quartam.*

An predicatione, omnibus per Christum cœlum patere, demonstrandum sit?

I. *Videndum an perfectè satis hoc loco usus prioris clavis describatur. Prior nimirum clavis non tantùm cœlum fidelibus aperit, sed primus ejus usus est demonstrare januam regni cœlorum per sanguinem Iesu Christi omnibus peccatoribus reclusam esse; neminem tamen ingressurum, nisi fidelis sit, & ad Deum se convertat.*

Resp. Primum usum prioris clavis, sive prædicationis Euangelii hunc esse, ut demonstret, januam regni cœlorum omnibus peccatoribus esse reclusam, falsum est. Id enim aliud non est, quam Deum hactenus omnibus & singulis conciliatum esse, ut de novo cum hominibus agere, ipsisque salutis reconditiones præscribere velit, quâ ratione possint si velint, servari. Quod suprà, controversiâ de morte Christi, prolixè confutavimus.

An ulli claudatur regnum cœlorum priusquam repudiârit Euangelium?

II. *An per clavem prædicationis Euangelii regnum cœlorum ulli occludatur, priusquam illi annunciatum sit verbum conversionis, & fidei ab eoque id ipsum rejectum, ac repudiatum sit. Sin minus, annon ergò regnum cœlorum quibusdam alio modo claudatur, quam per hanc clavem.*

Resp. Quibus non prædicatur Euangelium regni, illis non occluditur regnum per Euangelium; & quibus prædicatur, non antè occluditur regnum, quàm Euangelium per incredulitatem rejecerint. Hæc certa sunt, & utrinque concessa. Nihilominus etiam illis, quibus non prædicatur Euangelium, regnum Dei occluditur; sed per legem, & propriæ conscientiæ testimonium *Roman.* 2.v.1.15. ut Parte Primâ, de miseriâ hominis dictum est, Eò namque doctrina illa propriè pertinet, non huc.

QUÆST.

QUÆST. LXXXV. Quo pacto clauditur & aperitur regnum cœlorum per disciplinam Ecclesiasticam?

RESP. *Cum ex mandato Christi ii, qui nomine quidem sunt Christiani, verùm doctrinâ aut vitâ se ostendunt à Christo alienos, postquam aliquoties fraternè admoniti, ab erroribus aut flagitiis discedere nolunt, Ecclesiæ indicantur, aut iis, qui ab Ecclesiâ ad eam rem sunt constituti: ac si ne horum quidem admonitioni pareant, ab iisdem interdictione Sacramentorum, ex cœtu Ecclesiæ, & ab ipso Deo ex regno Christi excluduntur; rursum, si emendationem profiteantur, & re ipsa declarent, tanquam Christi, & Ecclesiæ membra recipiuntur.*

EXEGESIS.

Altera clavis œconomiæ Ecclesiasticæ, quæ Disciplinâ Ecclesiæ continetur, duobus, sed contrariis actibus definitur; Occlusione regni cœlorum, & ejusdem reclusione, sivè apertione: cujus utriusque illustre exemplum proponitur in Corinthio incestuoso 1. *Cor.* 5. & 2. *Cor.* 2. *capp.* *Occlusio* explicatur I. à causa impulsivâ, Mandato Christi: *Matt.* 18. v. 17.18.19. à Paulo repetito 1. *Cor.* 5. v. 4. 5. II. à Subjecto, quibus regnum cœlorum occludendum est. Sunt autem nomine, & professione Christiani; sed doctrinâ, 2 *Joh.* v. 10.11. vel vitâ 1. *Cor.* 5. v. 11. alieni à Christo, & qui ab erroribus, aut flagitiis suis discedere nolunt Uno verbo hæretici. *Tit.* 3. v. 10. & impii 1. *Cor.* 5. v. 11. III. à Formâ, quæ certis gradibus distinguitur, ut sunt; Fraterna admonitio aliquoties etiam repetita, *Matt.* 18. v. 15. 16. Reprehensio Ecclesiæ, sive presbyterii, si fraternis admonitionibus non detur locus *Matt.* 18. v. 17. Et exclusio ex cœtu Ecclesiæ, interdictione Sacramentorum publicanda, si ne Ecclesiæ quidem monitis pareatur *Matth.* 18. v. 18. 1. *Cor.* 5. v. 5. 13. IV. Ab adjunctâ Efficaciâ, quæ est exclusio ex regno Christi ab ipso Deo facta *Matth.* 16. v. 19. Quæ cohæret disciplinæ, ne brutum excommunicationis fulmen censeatur. *Reclusio* verò.

Disciplina Ecclesiastica habet regni cœlorum

Occlusionem

Reclusionem.

verò, sive apertio regni cœlorum, declaratur, I. à Causis sine quibus non, ut sunt; Professio & demonstratio emendationis 2. *Cor.* 2. v. 6. 7. Illa olim dicebatur confessio; ista satisfactio, nempe propter certa pœnitentiæ exercitia, quibus Ecclesiæ pro scandalo satisfaciendum erat. II. à Formâ, quæ est publica receptio in gremium & societatem Ecclesiæ, & ad sacra ejus admissio 2. *Cor.* 2. v. 6.7. quam Deus similiter ratam habet *Matth.* 16. *vers.* 19. & *cap.* 18. *v.* 18.

Considerationes Catechetica Novatorum *ad questionem, & responsionem octuagesimam quintam*

An Disciplina Eccles. possit dici Den Christelijcken Ban.

I. *Considerandum hoc loco, rectène in Catechesi Belgicâ disciplina Ecclesiastica dicatur* Den Christelÿcken Ban / *cum excommunicatio pars tantum sit disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ sese ad totam jurisdictionem spiritualem extendit, eóque solitus excommunicationis nomine aptè nequeat exprimi.*

Resp. Non malè videtur Catechesis Belgica disciplinam Ecclesiasticam, de quâ hic agitur, appellare Den Christelÿcken Ban/ quia hîc non in genere, de omni disciplinâ Ecclesiasticâ, quam κατηχρηῶσικς jurisdictionem vocant, sed de eâ tantum sermo est, quæ specialiori vocabulo *excommunicatio*, cujus quidem varii ac distincti sunt gradus, appellatur. Et lingua Belgica vix habet aliud vocabulum, quo hæc pars disciplinæ Ecclesiasticæ commodiùs denotari possit.

Quomodo quis se à Christo alienum ostendere possit?

II. *Quomodo quis doctrinâ, aut vitâ se ostendere possit à Christo alienum; si quidem Christo verè insitus manens, ad tempus possit falsa, & fundamento vel in totum, vel ex parte repugnanti, doctrinæ adhærere, & vitam gravibus sceleribus contaminare. Quomodo etiam posit quis ostendere aliis, se à Christo alienum, nisi iisdem liquidò constare faciat, se peccare pleno & deliberato voluntatis consensu, cum, ut quidam volunt, nemo sese à Christo sine hujusmodi deliberatâ voluntate alienare possit.*

Resp. Etsi fieri potest, ut aliquis, qui se aliquamdiu doctrinâ & vitâ à Christo alienum ostendit, verè tamen ipsi insitus sit, & maneat: non tamen is Christo insitus est, & manet, quatenus talem doctrinam sequitur, aut talem vitam degit; imò is ipse, quantum in eo est, se à Christo segregat, etsi Christus singu-

ſingulari gratiâ eum non ſinat totaliter à ſe divelli. Et quemadmodum fieri poteſt, ut aliquis veræ fidei confeſſione, & vitæ ac converſationis externæ honeſtate, aliquamdiu ſe oſtendat ut verè fidelem, qui tamen ſit hypocrita: ita fieri poteſt, ut aliquis ad tempus in graves errores & peccata prolabatur, qui tamen à Chriſto non planè eſt diſtractus, aut alienus. Eccleſia autem judicat ſecundum externa, occulta Deo relinquens: Et quando ad errores ac ſcelera contumacia accedit, & iteratarum admonitionum contemtus, merito ſtatuit peccari deliberato voluntatis conſenſu, ac jure diſciplinam ſibi à Chriſto demandatam ſtringit, non quod planè de peccatore deſperet, aut eum prorſus à Chriſto alienum judicet, ſed potius, ut hâc ſanctâ diſciplinâ eum tantò magis percellat, & in viam revocet.

An quos Eccleſia, eoſdem Deus ex regno cœlorum excludat?

III. *Cum fieri poſſit ut ii qui à Deo abſolutè electi eſſe dicuntur in ejuſmodi gravia peccata incidant, propter quæ ab Eccleſia excommunicari mereantur, & actu etiam aliquando ſeparentur, quæritur, an ii etiam à Deo regno cœlorum excludantur; & ſi ſic, an non tum temporis totaliter excidiſſe cenſendi ſint.*

Reſp. Quando Eccleſia aliquem excommunicat, eum à regno cœlorum excludit, non ſimpliciter & abſque ſpe veniæ, ſed ſub hâc conditione, niſi tandem reſipiſcat. Excommunicatio enim, ſicut quibuſdam eſt pœna, qui ſcilicet nunquam reſipiſcunt, ideoque & ab Eccleſiâ, & à Deo ex regno cœlorum excluduntur: ita aliis eſt ſalubris medicina, qui ſcilicet hâc tam gravi Eccleſiæ cenſurâ perculſi ac domiti, pœnitentiam agunt, atque hoc ipſo oſtendunt fidem omnem in ipſis non fuiſſe exſtinctam; ſed illius etiam in graviſſimo lapſu ſemen aliquod remanſiſſe, quod efficaci Spiritus Sancti gratiâ, & acri illo diſciplinæ Eccleſiaſticæ remedio excitatum, & in lucem productum fuit.

Tertia Pars

De

GRATITUDINE.

EXEGESIS.

SUpereſt tertia & ultima pars Catecheſεως, *de Gratitudine*, quæ liberationis noſtræ per Chriſtum finis eſt, & effectum: ſiquidem Deus, liberans hominem à peccato & morte, id intendit, ut acquireret ſibi populum peculiarem, accenſum ſtudio bonorum operum, *Tit.2.verſ.* 14. efficeretque ut peccato mortuus, juſtitiæ viveret 1.*Pet.2.verſ.* 24. Duo porrò ad gratitudinem requiruntur, *Agnitio accepti beneficii*, quam lex veritatis imperat: & *Gratia pro eo*, opere magis, quàm ſermone præſtanda, quam lex juſtitiæ exigit. Quæ duo in explicatione hujus partis conjunguntur, cujus tria ſunt membra principalia, *Primum* de neceſſitate gratitudinis, quæſtione LXXXVI. & LXXXVII. *Alterum* de cauſa ejus procreante, quæſt. LXXXVIII. LXXXIX. & XC. *Tertium* de partibus, quæ bonis operibus, & precatione continentur; à quæſtione XCI. uſque ad finem.

Conſideratio Catechetica Novatorum *in tertiam partem Catecheσεως, de Graditudine.*

An ſub gratitudinis nomine converſio comprehendatur?

QVandoquidem titulus tertiæ partis eſt de Gratitudine, ſub quâ tamen converſio, totumque officium hominis, cum omnibus ſuis fructibus comprehenditur; quæritur, an titulus iſte ſatis conveniens ſit. Gratitudo ſiquidem pro beneficio jam parto & acquiſito præſtatur: cum conver-

conversio hominis prærequiratur ad hoc, aut beneficium ipsum obtineri posit.

Resp. Titulus iste optimè convenit doctrinæ de gratitudine, & falsum est conversionem hominis, prout hîc spectatur, præcedere beneficium redemtionis, seu justificationis. Fides, & quæ ad eam requiruntur, ceu necessariæ dispositiones, præcedunt; *Rom.* 8. v. 30. Conversio, sive nova obedientia sequitur, ut gratia, vel officium pro accepto beneficio Deo debitum, & reapse præstandum.

QUÆST. LXXXVI. Cum ab omnibus peccatis & miseriis, sine ullo nostro merito, solâ Dei misericordiâ propter Christum, liberati simus, quid est cur bona opera faciamus?

RESP. *Quia postquam nos Christus suo sanguine redemit, renovat nos quoque suo Spiritu ad imaginem sui, ut tantis beneficiis affecti, in omni vitâ nos erga Deum gratos declaremus, & ipse per nos celebretur. Deinde, ut nos quoque ex fructibus de suâ quisque fide certi simus. Postremò, ut vitæ nostræ integritate alios Christo lucrifaciamus.*

EXEGESIS.

AD tertiam partem Catecheseωs de Gratitudine, adeóque ad doctrinam de necessitate bonorum operum transitur hîc formâ occupationis, sive prolepseωs. Si non meremur bonis operibus vitam æternam, non est cur bona opera faciamus, nec ulla esse potest eorum necessitas. At non meremur bonis operibus vitam æternam: argumento à contrario, quia solâ Dei misericordiâ propter Christum liberamur, Ergò. In responsione negatur consequentia propositionis; & negationis gemina ratio exponitur. *Una* à nexu duorum beneficiorum Christi, redemtionis, & renovationis. Christus non tantum redemit nos sanguine suo, sed etiam suo Spiritu nos renovat ad sui imaginem. Sic enim Paulus 1 Cor. 1. v. 30. *Factus est nobis sapientia à Deo, justitia, & sanctificatio.* Et alibi Tit. 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum accensum studio bonorum operum.*

Bonorum operum necessitas probatur.

1. q. connexa sunt redemtio, & renovatio.

operum. Et hoc adumbratum fuisse mysterio aquæ & sanguinis, ex aperto Christi latere fluentis, Johannes nos docet 1. *Epist.* 5. v. 6. Necessarium igitur est gratitudinis novæque obedientiæ studium; quia Christus æterna Patris sapientia, nihil frustra facit. *Altera* sumitur à distinctione finium. Etsi meritum vitæ æternæ non sit finis bonorum operum nostrorum; possunt tamen esse fines alii: siquidem unius rei possunt esse plures fines; & ex negatione unius, non sequitur negatio cæterorum. Exponuntur igitur tres fines bonorum operum, qui objectis variant, & tum Deum, tum nos ipsos, tum proximum nostrum spectant. *Primus* finis est gloria Dei; ut pro redemtionis beneficio Deo gratos nos declaremus, & ipse per nos celebretur. 1 Cor. 6. v. 20. *Emti estis precio, glorificate igitur Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.* Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, glorificentque patrem vestrum, qui est in cœlis. Secundus* est certitudo fidei: Nam bona opera sunt fructus fidei, ex quibus quisque de suâ fide certus esse potest. Gal. 5. v. 6. *Fides per charitatem efficax.* 2 Pet. 1. v. 10. *Studete vocationem & electionem vestram firmam efficere*, scil. per bona opera. *Tertius* est ædificatio proximi; qui per bona opera nostra ædificatur; & Christo lucrifit: quatenus de doctrina, quam profitemur, ex vita nostra judicium facit. 1 Pet. 3. v. 1. 2. *Vt per conversationem, absque sermone lucrifiant, spectantes cum timore conjunctam castam conversationem vestram.*

2 q. tendunt

ad gloriam Dei:

ad confirmationem fidei:

ad ædificationem proximi.

QUÆST. LXXXVIII. Non possunt igitur illi servari, qui ingrati, & in peccatis securè persistentes à suâ pravitate ad Deum non convertuntur?

RESP. *Nullo modo: Nam ut Scriptura testatur, nec impudici, nec idololatræ, nec adulteri, nec fures, nec avari, nec ebriosi, nec conviciatores, nec raptores, hæreditatem regni Dei consequentur.*

EXEGESIS.

Est porisma prioris Quæstionis. Cum bona opera non mereantur salutem, sed sint testimonia gratitudinis, ut ibi dictum est; porrò quæritur, num ergò etiam illi, qui destituuntur bonis operibus, & ingrati in peccatis suis perseverant, servari possint. Responsio est negativa; quæ confirmatur testimonio Apostoli,

1. *Cor.* 6.v.9.10. in textu expresso. Ratio hæc est; quia etsi bona opera non merentur salutem; necessatia tamen sunt in salvandis propter mandatum Dei, & conditionem salutis; ad quam veluti via ducunt *Apoc.* 21.v.27. Mala autem opera merentur æternam condemnationem; sicut scriptum est: *Stipendium peccati mors est. Rom.* 6.v.23.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst.& resp. octuag. sextam, & octuag. septimam.*

Cum quæstio LXXXVII. dicat, non posse salvari qui in peccatis securè perseverant, quæritur, an non eo ipso significetur, bona opera esse necessaria ad salutem; ac proindè etiam indicetur, hanc esse causam, cur bona opera facienda sint, ut nempè per viam contendamus in patriam, prout sæpissimè in Scripturis docetur; & annon quæstione LXXXVI. hæc causa expresse debuerlt assignari, quippe quæ sit efficacissima ad exstimulandum homines ad studium bonorum operum. An non bona opera facienda, ut per ea ceu viam, ad salutem contendamus.

Resp. Sanè significatur necessitas bonorum operum in salvandis, atque etiam ad salutem, rectè acceptâ phrasi, hoc est, ad salutem, non efficiendam aut promerendam, sed non impediendam, sive, ut ipsi declarant, quia Deus viam bonorum operum nobis præparavit, per quam ad salutem ambulando perveniamus: *Ephes.* 2.*vers.* 10. Sed si hæc necessitas significatur, utique causa impulsiva bonorum operum, quæ ducitur à præmio salutis, omissa non est; quæ tamen in antecedente quæstione implicitè saltem continetur. Nam certitudo fidei ex operibus est etiam certitudo salutis per fidem operum. 1. *Thess.* 1.v.3.

QUAEST. LXXXVIII. Quibus partibus constat conversio hominis ad Deum?

RESP. *Mortificatione veteris, & Vivificatione novi hominis.*

EXEGESIS.

QUia dictum est, Conversionem esse necessariam in justificatis, & salvandis, agitur deinceps de conversione, & alterum illud caput gratitudinis, de causâ procreante bonorum ope-

Conversio quid hic significet.

rum tractandum suscipitur. Observandum verò, *conversionem* hîc considerari tanquam effectum regenerationis, quam inter fructus mortis Christi secundo loco commemoravit & explicavit Catechesis, supra quæstione XLIII. Siquidem in regeneratione habet se homo merè passivè: In hâc conversione habet se etiam activè. Illic convertitur à Deo, & resipiscentiâ donatur; *Ier.* 31. v. 18. *Actor.* 11. v. 18 2. *Tim.* 2. v. 25. Hîc se convertit ad Deum, *Zach.* 1. v. 3. & ex corde resipiscit *Rom.* 6. v. 17. 18. 1. *Pet.* 1. v. 22. Sicut igitur regeneratio respectu diversorum terminorum, à quo, & ad quem, duabus constat partibus, Mortificatione veteris, & Vivificatione novi hominis, *Rom.* 6. v. 11. & *cap.* 7. v. 4. *Eph.* 2. v. 4. 5. à quibus etiam antè fuit descripta: Ita soboles ejus, conversio, sive nova obedientia hominis iisdem partibus meritò hîc definitur. Etenim Scriptura mortificationem, & vivificationem etiam regeneratis tribuit, & ab ipsis in testimonium gratitudinis exigit *Eph.* 4. v. 22. 23. 24. *Coloss.* 3. v. 5. *seqq.* Præterea non modo passiones subjecti respondent actionibus causæ efficientis; sed etiam actus eliciti habitibus infusis, sive gratiis habitualibus *ἀνάλογοι* sunt. Non mirum igitur, si denominationes quoque respondeant, & effectum univocum cum causâ univocâ nomen commune sortiatur.

partes ejus.

QUAEST. LXXXIX. Quid est Mortificatio veteris hominis?

RESP. *Verè & ex animo dolere, quod peccatis tuis Deum offenderis, eaque magis ac magis odisse, & fugere.*

EXEGESIS.

Veteris hominis

VEtus homo est natura corrupta, ad peccandum prona, & sic dicitur respectu veteris sive primi Adami, à quo nascendo trahitur *Eph.* 4. v. 22. Eodem sensu corpus peccati, *Rom.* 6. v. 6. *Col.* 2. v. 11. item corpus mortis, *Rom.* 7. v. 24. & caro, *Ioh.* 3. *vers.* 6. vocatur. Hujus *mortificatio* tribus veluti actibus explicatur. *Primò*, Dolore, sive contritione, ex agnitione peccati, quo Deum, benignissimum in Christo patrem, offendimus:

Mortificatio.

Psal. 51.

*Psalm.*51.v.5.6. *Luc.* 22.v.61.qui est dolor secundùm Deum 2.*Cor.*7.v.10. *Secundò*, Odio peccati, cum illud odimus, & detestamur ex animo, *Amos.* 5.v.15. *Roman.* 12.v.9. exemplo Apostoli *Rom.* 7.v.15. *seqq. Tertiò*, fugâ peccati, cum ipsum fugimus, & omnes ejus occasiones studiosè vitamus *Amos* 5.v. 15.*Rom.*12.v.9. Sed hîc defectus suos etiam sanctissimi deplorant, & quæ oderunt atque aversantur, nonnunquam patrant *Rom.*7.*capp.* & alibi.

QUAEST. XC. Quid est Vivificatio novi hominis?

RESP. *Vera lætitia in Deo per Christum, & serium ac promptum studium instituendi vitam ex voluntate Dei, omniaque bona opera exercendi.*

EXEGESIS.

NOvus homo est natura hominis renovata, & instaurata ad imaginem Dei, qui etiam homo interior, *Rom.* 7. vers.22. occultus homo cordis, 1. *Pet.* 3. vers.4. itemque Spiritus appellatur *Iohan.*3.v.6. Cujus *vivificatio* similiter tribus actibus declaratur, qui superioribus oppositi sunt; videlicet *lætitiâ in Deo* per Christum, quæ ex sensu gratuitæ remissionis peccatorum oritur: *Ps.* 51.v.10.14. *Rom.* 5.v.1.*seqq. Amore pietatis*: & ejusdem *serio*, ac minimè simulato *studio Rom.* 7. v. 21.22. & *cap.*6.v.13. Hic tamen actus secundus non exprimitur, sed sub tertio comprehenditur, tanquam causa sub suo effectu. Novi hominis. Vivificatio.

Considerationes Catecheticæ Novatorum, *ad quæst. & resp. octuag. octavam, & octuag. nonam, & nonagesimam.*

I. *Cum hîc agatur de conversione, quatenus est officium homini præscriptum, ideoque verba illa mortificationis, & vivificationis, non tam de actibus Dei mortificantis, & vivificantis, quàm de actibus nostris, qui ipsi carnem nostram mortificamus, & in novam vitam resurgimus, sint intelligenda, quæritur, an vivificatio novi hominis possit dici actus noster.* An vivificatio possit dici actus noster?

Resp. Vivificatio dici potest actus noster, non minùs quàm mortificatio; *Col.* 3.v.5. Quia est vita illa spiritualis, quam ad Deum conversi vivimus, ipsi in perpetuum adhærere, & placere, studio habentes, *Coloss.* 3.v. 1.2.3. & acti à Spiritu Sancto agimus & nos 1. *Petr.* 1 v. 22. Sed quòd actus vivificationis non tam Dei, quàm noster sit, ambiguè dicitur. *Subjectivè* non tam Dei, quàm noster: imò non Dei, sed noster est. *Effectivè* autem Dei magis est, quàm noster; tum quia primâ vivificatione à morte peccati, Deus vitæ spiritualis principia nobis indidit, *Eph.* 2.v.4.5. tum quia secundâ vivificatione actus vitales in nobis ciet, & excitat. De quo sic Apostolus: *Vivo, non ampliùs ego, sed Christus vivit in me* Gal. 2.v.20.

An dolor de peccatis sit pars gratitudinis.

II. *An dolere de peccatis pars sit gratitudinis, quæ justificationem & remissionem peccatorum sequatur.*

Resp. Dolor duplex est: *Secundùm mundum*, qui est ex lege; & *secundùm Deum*, qui ex Euangelio oritur: 2. *Cor.* 7.v. 9, 10. *Ille* antecedit gratitudinem, atque etiam fidem & justificationem, & fit salutaris per fidem. *Iste* fidem & justificationem sequitur, & est pars gratitudinis, efficiens μετάνοιαν, sive mutationem in mente, voluntate, affectibus, omnibusque actionibus, à malo ad bonum. Siquidem cagnitâ ex Euangelio immensâ Dei misericordiâ erga nos peccatores, inimicos suos, dolore & pudore, propter ipsum peccatis nostris offensum, meritò afficimur.

An dolor ille sit pars mortificationis?

III. *An dolor iste ob peccata propriè sit pars mortificationis veteris hominis, ac non potius præparatorium quid, & mortificationem ipsam antecedens.*

Resp. Mortificatio & vivificatio dicuntur partes conversionis tantùm respectu terminorum, à quo, & ad quem, non propriè. Dolor autem nè pars quidem vocatur: sed mortificatio veteris hominis à dolore, odio, & fugâ peccati, tanquam actibus quibusdam, describitur, qui tamen se habent ut causæ & effecta subordinata.

An lætitia in Deo sit pars vivificationis?

IV. *An vera lætitia in Deo per Christum pars sit vivificationis, an verò potiùs consequens, & effectum vivificantis Spiritus.*

Resp. Utrumque est, sed respectu diverso. Est pars vivificationis, quatenus est actus ad vivificationem pertinens, quo homo lætatur, in Deo per Christum sibi reconciliato; *Psal.* 51. *v.* 10. *Esa.* 57.

*Esa.*57.*v.*15.Est etiam consequens,& effectum Spiritûs vivificantis, quia à Spiritu adoptionis in ipso excitatur *Psal.*51.*v.*14.

Annon ea lætitia sequatur studium bonorum operum.

V. *Annon vera lætitia in Deo, quæ hîc primo loco ponitur, sequatur studium faciendi voluntatem Dei, eóque annon ipsum hoc studium lætitiam ipsam antecedat.*

Resp. Sunt hæc simul tempore: Ordine naturæ, & causalitatis, præcedit lætitia, sequitur studium bonorum operum. Etenim lætitia animat homines ad studium bonorum operum: *Luc.* 19.v.6.8. 2 *Cor.*5.v.14.Et lætitia est ex justificatione; Nam justificati fide pacem habemus,cum gaudio,& tripudio cordis *Rom.*5. v.1.*seqq.*Studium bonorum operum est ex sanctificatione *Coloss.*3. v.1.2.*seqq.Tit.*2.v.14.Sed qui ordo est causarum,idem meritò censetur esse ipsorum effectorum *Rom.*8.v.30. 1*Cor.*1.v.30. Interim lætitia studio bonorum operum, tanquam certissimo veræ fidei documento, & vivo spei cœlestis hæreditatis testimonio, alitur, augetur, & confirmatur.

An studium bonorum operum sine actuali eorum præstatione ad plenam conversionem sufficiat?

VI. *An ad plenam hominis conversionem sufficiat serium studium faciendi Dei voluntatem, & in omnibus bonis operibus vivendi, sine actuali voluntatis divinæ impletione.*

Resp. Ἀσύςατον, & stultum est fingere serium studium faciendi voluntatem Dei, absque actuali ejusdem impletione, sive præstatione. Quomodo serium est studium, quod est absque conatu, quod actu omni destituitur? Est quidem imperfecta illa impletio, & quæ actibus contrariis nonnunquam interrumpitur, aliqua tamen impletio est, quam Deus propter Christum gratam habet. Sic ergò Catechesis eam non excludit, sed includit.

QUAEST. XCI. Quæ sunt bona opera?

RESP. *Tantùm ea, quæ ex verâ fide, secundùm legem Dei fiunt, & ad ejus solius gloriam referuntur. Non ea autem, quæ à nobis, opinione recti conficta, aut ab hominibus tradita sunt.*

EXEGESIS.

QUoniam quæstione antecedente dictum est, vivificationem Novi hominis consistere in studio bonorum operum, ratio methodi,atque ipsa rerum inter se connexio,ad explicandum tertium

Bona opera quæ. tium caput gratitudine, quod est *de bonis operibus*, nos deducit. Traditur verò hîc definitio bonorum operum, ut constet, quæ opera sint verè bona, & Deo placeant, eaque ex triplici causarum genere, & Efficiente, Formâ, & Fine exstruitur. Eorum Efficiens: Fides. *Efficiens* est vera fides, utpote per charitatem operosa *Gal.*5.v.6. 1 *Thessal.*1. v.3. absque quâ Deo nec homo, nec opera ejus placere possunt, *Hebr.*11.v.6. *Rom.*14.v.23. Dicuntur autem bona opera esse ex fide, non solùm quia fides corda nostra purificat, & in iis accendit dilectionem Dei *Actor.* 15.v.9. verùm etiam, quia per eam persuasi sumus, & nos, & opera nostra, quantumvis imperfecta, Deo grata esse propter satisfactionem, & intercessionem Christi mediatoris *Heb.* 11.v.6. Forma: Congruentia cum Lege Dei. *Forma* est congruentia sive conformitas cum lege Dei *Ezech.*20.v.19.20. quæ partim in externo opere, partim in internâ, ac spirituali cordis obedientiâ, consistit, ac interiores animi motus & inclinationes complectitur *Matth.*15. v.8. & *cap.* 22.v.37.38. *Rom.* 7.v.14. Finis: Gloria Dei. *Finis* est gloria Dei, ut is honore afficiatur 1 *Cor.*10.v.31. *Matth.*5.v.16. Hunc finem conversi tum generatim intendunt, quatenus se totos, omnesque actiones suas fideli affectu Deo in solidum consecrant, tum etiam speciatim spectant: in actionibus particularibus, iisque vel immediatis, vel mediatis, Deum aut proximum concernentibus. Rejiciuntur] bona intentio. Ita habet definitio bonorum operum; quæ geminâ antithesi illustratur, bonæ intentionis, & humanæ traditionis. *Bona intentio* est, cum quis opinione recti, vel bono fine cultum religiosum sibi ipse fingit, qualis in Michâ, ac matre ejus notatur *Iudic.*17. Humana traditio. *Humana traditio* est, cum præcepta hominum admittuntur & observantur, ut præcepta Dei, hoc est, cum persuasione necessitatis, & cultus. Cujus generis erant traditiones seniorum *Matth.* 15. & alibi.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. nonages. primam.*

Lex Dei per Mosen tradita est quidem norma bonorum operum, sed imperfecta, quam Christus, legislator Novi Testamenti novis præceptis perfecit, tum addendo nonnulla decalogo, tum etiam nova mandata promulgando, & sanciendo.

Resp.

Resp. Lex Mosaica moralis sic est norma bonorum operum, ut sit norma perfecta, cui nihil addere vel demere fas est: *Deut*.4.v.2. Et qui normam dicit imperfectam, contradictionem implicat, & normam non normam facit, quandoquidem essentiale est normæ, sive regulæ, esse perfectum, sive adæquatum suo regulato, non longius vel brevius, latius vel angustius. Christus non venit, ut legislator, qui novis præceptis nos denuò obstringeret, sed qui legem impleret, tum vindicando à corruptelis Pharisæorum, & veram ejus mentem explicando; *Mat*.5.v.17. tum in vitâ & morte perfectè eam observando; *Phil*. 2. v. 8. *Rom*.8.v.3. tum etiam nos renovando ad imaginem Dei, ut ejus impletionem ipsimet inchoaremus. *Rom*. 6. v. 6. & *cap*. 8. v. 11. Quòd legem Dei, tanquam imperfectam, novis præceptis non perfecerit, id verò ex singulorum præceptorum explicatione, & appendice universorum, liquebit. Certè si lex Dei imperfecta fuit in veteri Testamento, ex perfectâ ejus observatione sperari vita æterna nequivit: Deus verò sub conditione perfectæ observationis etiam iteratò eam promisit *Deut*.28.v.1. *seqq*. *cap*.30. v. 19. 20. *Lev*. 18. v. 5. *Ezech*.20.v.11. Sed summatim comprehendamus etiam reliquos Socinianorum errores de bonis operibus, secundum ordinem causarum. In *efficiente* peccant, dum bona opera fieri dicunt ex viribus humanis, sive libero arbitrio; dum item fidem cum operibus confundunt, & ex eâ opus legale faciunt. In *materia* peccant, dum, uti jam dictum est, & legem moralem vocant imperfectam, & nova mandata comminiscuntur ad perfectam justitiam. In *forma* peccant, dum eis internam dignitatem, ac perfectionem affingunt, quâ ex sese, & propter sese, Deo placeant. In *fine* etiam peccant, quatenus ea ad acquisitionem justitiæ & vitæ, atque ita ad gloriationem hominis in se ipso, referunt.

Christus nec novas Leges dedit.

Nec Legem Mosis correxit.

Socinianorum errores de bonis operibus.

QUÆST. XCII. Quæ est Lex Dei?

RESP. *Locutus est Deus omnia verba hæc.*

Primum Præceptum.

E*Go sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te ex Ægypto, domo servitutis. Non habebis Deos alienos in conspectu meo.*

Secundum.

Nè sculpas tibi simulacrum, nec ullam imaginem effingas eorum, quæ aut suprà sunt in cælo, aut infrà in terrâ, aut in aquis sub terrâ, neque incurves te illis, neque colas ea. Ego enim sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, vindicans peccata patrum in filiis, idque in tertiâ & quartâ progenie eorum, qui oderunt me: & misericordiâ utens in millesimam eorum, qui diligunt me, & observant præcepta mea.

Tertium.

Ne usurpes nomen Domini Dei tui temerè. Neque enim Dominus dimittet eum impunitum, qui nomen ejus vanè usurpaverit.

Quartum.

Memento ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. At septimo die Sabbatum erit Domino Deo tuo. Non facies ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec servus tuus, nec ancilla tua, nec jumentum tuum, nec advena, qui est intra portas tuas. Nam sex diebus fecit Deus cælum, terram, maria, & quæcunque in iis sunt, & requievit die septimo, ideoque benedixit diei Sabbati, & sanctificavit eum.

Quintum.

Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus est.

Sextum.

Non occides.

Septimum.

Non committes adulterium.

Octa-

Octavum.

Non furaberis.

Novum.

Non dices contra proximum tuum falsum testimonium.

Decimum.

Non concupisces domum proximi tui, nec concupisces uxorem proximi tui, nec servum ejus, nec ancillam, nec bovem, nec asinum, nec quicquam eorum quæ sunt proximi tui.

*E*XEGESIS.

FOrma bonorum operum est convenientia cum lege, ut antè dictum. Igitur causa eorum exemplaris est Lex Dei, quæ hâc quæstione recitatur, & sequentibus, usque ad CXVI. explicatur. *Lex* Latinis dicitur à legendo, sive, quòd publicè legi, h. e. recitari, & promulgari soleat; sive, quòd legibus deligantur quæ bona & honesta sunt, è malis & turpibus. Græcis dicitur νόμος, ἀπὸ τοῦ νέμειν, à tribuendo, quod suum cuique tribuat, & distribuat. Hebræis תורה *thorah* à radice ירה *jarah*, quæ in Hiphil significat docuit, erudivit, ut vel hinc sumatur descriptio legis Dei, quòd sit doctrina erudiens nos de voluntate Dei, nostroque erga ipsum & proximum officio. Hæc usitatè distinguitur in legem Moralem, Cæremonialem, & Judicialem. Lex *Moralis*, ἠθική, agit de moribus, sive de officiis perpetuis erga Deum, & proximum. *Cæremonialis*, ἱερατική, est de cæremoniis, sive ritibus in veteris Testamenti Ecclesiâ, circa sacra observatis. *Judicialis*, seu forensis, πολιτική, est de gubernatione civili populi Judaici. Est igitur divisio è subjectis, h. e. à diversi generis rebus petita, de quibus leges divinæ, latæ per Mosen, distinctè præcipiunt.

Lex quid?

& quotuplex.

Catechesis missis legibus Cæremonialibus, & judicialibus, solas

Decalogi. las morales exsequitur, nec eas quidem universè, verum prout κατ' ἐπιτομὴν proponuntur in *Decalogo*, qui legis Dei notione synecdochicè in ipsâ quæstione intelligitur. Porrò in Decalogo tria notanda sunt. Præfatio in legem: Præcepta legis: & præceptorum sanctio.

Præfatio. *Præfatio* duplex est; *Vna* Mosis: *Locutus est Deus omnia verba hæc*, scil. per angelos, *Act.* 7. v. 53. *Gal.* 3. v. 19. è monte Sinai: *Exod.* 19. 20. *capp.* Quâ se non sua, aut hominis alicujus, sed ipsius Dei verba referre testatur. *Altera* est Dei loquentis de se in primâ personâ: *Ego sum Iehova Deus tuus.* Cujus scopus est, legi Decalogi conciliare autoritatem, ejusque obedientiam populo suadere. *Argumenta* suasionis tria sunt: I. Ab imperandi jure, ac potestate, quam habeat in omnes, ut Jehova creator, & conservator omnium. II. A promissione Gratiæ, quòd sit Deus populi sui, fœdere ipsi peculiariter junctus. III. A commemoratione maximi beneficii, recens tum in populum collati, videlicet liberationis ex Ægypto, quod beneficium erat typus liberationis spiritualis ex inferno.

Præcepta. *Præcepta* ordine in Catechesi explicantur.

Sanctio. *Sanctio* verò præceptorum alicubi additur, alicubi omittitur, brevitatis causâ; de quâ suo loco.

QUÆST. XCIII. Quomodo dividuntur hæc præcepta?

RESP. *In duas tabulas, quarum prior quatuor præceptis tradit, quo pacto nos erga Deum geramus: Posterior sex præceptis, quæ officia proximo debeamus.*

EXEGESIS.

Decalogi partitio. RECitato Decalogo, partitio ejus subjicitur, non in decem præcepta, quæ synecdochicè *decem verba* appellantur, *Exod.* 34. v. 28. *Deut.* 4. v. 13. & *cap.* 10. v. 4. & ante commemorata sunt: Sed in duas tabulas, tum quia lex Decalogi duabus tabulis fuit inscripta: *Exod.* 21. v. 18. & *cap.* 34. v. 1. 4. 28. Quemadmodum etiam alii legislatores tabulis inscriptas leges suas proposuerunt: tum quia

quia duobus summis generibus, sive capitibus, de dilectione Dei & proximi, tota lex continetur *Deut* 6.v.5. *Lev*.19.v.18. *Matth*. 22.v. 37. *seqq*. *Prima* tabula quatuor præceptis officia erga Deum præscribit. *Secunda* tabula sex præceptis definit officia erga proximum. In quam partitionem peccant, qui, secundum pæceptum confundentes cum primo, & decimum in duo distrahentes, primæ tabulæ tria solum præcepta, secundæ septem assignant, ut alibi ostendimus.

Præter partitionem Decalogi etiam regulæ tenendæ sunt, quibus Catechesis in singulorum penè præceptorum explicatione utitur. Regulæ circa explicationem Decalogi observandæ

I. Præcepta Decalogi non tam externam dictorum factorumque, quàm internam, mentis, voluntatis, affectuum, eamque perfectissimam obedientiam, requirunt *Matth*. 22. v. 37. *seqq*. & *cap*. 5. v. 17. *seqq*. 1. *Tim*. 1. v. 5.

II. Ex affirmato præcepto negatum, & vicissim; item è prohibito effectu prohibitio causæ, & vicissim, intelligenda est. *Matth*. 5. v. 17. *seqq*.

III. Quæ in præceptis Decalogi generaliter interdicuntur, vel præcipiuntur, ea specialiter sunt declaranda, & in species vel partes deducenda.

QUÆST. XCIV. Quid postulat Deus in primo præcepto?

RESP. *Vt quàm mihi chara est salus animæ meæ, tàm studiosè vitem & fugiam omnem idololatriam, magiam, incantationem, superstitionem, invocationem sanctorum, aut cæterarum creaturarum: unicum autem & verum Deum rectè agnoscam, ipsi soli fidam, summâ humilitate, & patientiâ me illi subjiciam, ab eo solo omnia bona exspectem, denique intimo cordis affectu ipsum amem, reverear, venerer, adeò ut omnibus potius creaturis renunciem, quàm ut vel minimum contra ejus voluntatem committam.*

EXEGESIS.

Primo præcepto Vetantur Idololatria.

Primum præceptum declaratur enumeratione peccatorum, quæ eo vetantur, & bonorum operum, quæ contrà mandantur.

Peccata enumerantur quinque. *Idololatria*, quæ quæstione sequente speciatim definitur; & propriè est, cum colitur pro Deo quod Deus non est *Psal.* 81. v. 9. 10. 1.*Cor.*8.v.4. *Magia*, quæ est pactum cum Diabolo, ut per illum, quod quis velit efficiat, sive ad suam commoditatem, sive ad perniciem aliorum *Actor.* 8. v. 9. *Deut.* 18.v. 10.*seqq.* *Incantatio* est species magiæ, quâ certorum verborum pronunciatiatione, aut rituum usurpatione, incantator ex promisso Diaboli, quod intendit assequiur 1.*Sam.* 28. *Deut.* 18.v.10.*seqq.* *Superstitio* est falsa opinio de rerum naturalium efficaciâ. *Deut.* 18. v.10.*seqq.* *Invocatio sanctorum*, puta angelorum, vel hominum, & aliarum creaturarum, est religiosa ipsorum adoratio, vel saltem nimia nostri coram ipsis humiliatio *Deut.*4.v.15. 19. *Matth.*14.v.10. *Apoc.*19.v.20. *Actor.*10.v.25.

Magia. Incantatio. Superstitio. Invocatio Sanctorum.

Mandantur Agnitio Dei.

Bona opera octo ordine recensentur; *Agnitio Dei*, quâ ita de Deo, ejus naturâ, ac voluntate sentimus, prout se verbo & operibus nobis patefecit *Ier.* 9. v. 24. *Ioh.* 17. v. 3. *Fiducia*, quâ assentimur omni verbo Dei nobis tradito, inprimis autem promissioni gratiæ, per & propter Christum, toto corde in eâ acquiescentes 2.*Chron.* 20.v.20. *Ier.* 17.v.5.7. *Hebr.* 11. *per totum*. *Humilitas*, quâ omnia bona nostra soli Deo accepta ferimus, & ex agnitione summæ majestatis ipsius, & infirmitatis ac indigentiæ nostræ, nos totos Deo subjicimus *Gen.* 18.v.27. & *cap.* 32.v.10. 2.*Sam.* 7. v. 19. *Rom.* 11.v.33. *Patientia*, quæ est virtus, quâ sine murmure & fremitu Deo obeditur, in perferendis malis, quæ ipse nobis immittit 2.*Sam.* 16.v.10.*seqq.* *Iob.* 1.v.21. *Heb.* 10. v. 36. *Spes*, quæ est exspectatio certa vitæ æternæ, propter Christum gratis dandæ, & mitigationis præsentium malorum, & liberationis ab illis, juxta consilium & voluntatem Dei *Psal.* 37.v.5. 1. *Pet.* 1. v.13. *Dilectio Dei*, quâ ex consideratione bonitatis ipsius, & beneficiorum in nos tum collatorum, tum conferendorum, ipsum amamus, & constanter ei adhæremus *Matt.* 22. v.37. 38. *Luc.* 14. v. 26. *Reverentia*, sive *timor Dei*, cum quis timet, ne Deum offendat, idque non tam metu pœnarum, quàm ipsius amore, ac observantia *Deut.* 6. v. 13.

Fiducia. Humilitas. Patientia. Spes. Dilectio Dei. Timor Dei.

v.13. *Gen.*39.v.9. *Exod.*1.v.17. *Veneratio Dei*, quæ est sincerus Dei cultus, ac religiosa observatio mandatorum ipsius, adeò, ut omnibus potius creaturis renuncies, quàm ut vel minimum contra ejus voluntatem committas *Matth.*10.v.27.28. *Act.*5.v.29. Veneratio Dei.

Sanctio, quâ harum virtutum studium, & fuga vitiorum, suadetur, comminatoria est, ab effectu noxio, hoc est, dispendio salutis animæ, deducta; expressa verò ex verbis postremis præcepti primi, *Coram facie meâ* Iis siquidem non solùm rei indignitas, cum Deo inspectante novum numen erigitur in cordibus: sed etiam periculum exaggeratur, quòd Deus Zelotes multò graviùs vindicaturus sit hanc læsæ majestatis suæ injuriam, quàm maritus Zelotypus vindicare potest adulterium uxoris, se præsente, aut interveniente, admissum. Sanctio.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst.& resp. nonagesimam quartam.*

Annon hic etiam agendum fuerit de procœmio legis, utpote quod continet fundamentum omnium præceptorum, ideoque ad omnia præcepta pertinet. Annon de præfatione Legis agendum fuerit?

Resp. Procœmium legis, quæstione antecedente recitatum, in explicatione Decalogi omittitur brevitatis causâ, maximè quod argumenta suasoria, quibus constat, supra diversis locis declarata fuerint.

QUÆST. XCV. Quid est idololatria?

RESP. *Est loco unius Dei, aut præter unum illum, & verum Deum, qui se in suo verbo patefecit, aliud quippiam fingere, aut habere, in quo spem reponas.*

EXEGESIS.

IDololatria duplex est: *Vna* interna cordis, cultum Dei internum corrumpens; *Altera* externa corporis, cultum externum depravans. Prior primo legis præcepto damnatur, & hic peculiariter descri- Idololatria quid.

describitur, non solum quòd fons & caput sit reliquorum vitiorum omnium; verum etiam propter Pontificios, qui nimis angustè eam concipere & interpretari solent. Descriptio sumitur I. Ex objectis, per distributionem. Aut enim loco veri Dei Deus alienus, sive extraneus, *Psal.*81.v.10.qui naturâ non est Deus, *Gal.*4.v.8.habetur pro Deo; *Ier.*2.v.11.vel honos soli vero Deo debitus, creaturis, æquali vel inæquali participatione, transcribitur *Esa.*42.v.8. *Matth.*4.v.10. Illo modo gentiles, isto Pontificii idololatræ sunt. II. A Formâ, quæ est fiduciam in talibus rebus reponere, ac proinde eas veluti Deum colere *Rom.* 1. v. 23. 25. Exemplum fiduciæ est avaritia *Eph.* 5. v. 5. exemplum cultus exstat. *Phil.* 3. v. 19. *Quorum Deus venter est,* &c.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. nonagesimam quintam.*

Primo præcepto Decalogi duo addidit Dominus: Iesus primum *est, quòd nobis certam orandi rationem præscripsit, quæ oratione Dominicâ continetur.* Alterum *est, quòd etiam Dominum Iesum pro Deo agnoscere tenemur, hoc est, pro eo, qui in nos potestatem habet divinam, & cui nos divinum exhibere honorem, inprimis religiosæ adorationis, obstricti sumus. Nec tamen hoc pacto, vel præceptum Dei de non habendis Diis alienis immutatur, vel etiam Christus honore adorationis Deo exæquatur. Nam cum ante Christum immediatè solùm Deus coleretur, sub eo etiam mediatè colitur. Et Christus non est Deus alienus, vero Deo oppositus, sed in eo ipso cultu, qui ipsi exhibetur, ei subordinatus: Subordinata autem non pugnare notissimum est. Similiter manet honoris discrimen: Nam adoramus & colimus Deum, tanquam causam primam salutis nostræ; Christum tanquam secundam, aut, ut cum Paulo loquamur, Deum tanquam eum ex quo omnia, Christum ut eum, per quem omnia.*

Responsio.

Additamentum 1. præcepti non est oratio Dominica.

Neque *orationem Dominicam*, neque *adorationem Christi* pro additamento primi præcepti habemus. Non *illam*: Quatenus enim ad cordis adorationem refertur, non est nova cultus interni spe-

ſpecies, ignorata fidelibus Veteris Teſtamenti; ſed nova ſolùm formula rerum à Deo petendarum, ad ipſius gloriam, & noſtram temporariam ac æternam ſalutem perſcripta: quas ipſas res Veteres aliis atque aliis precum formulis petiverunt, ac impetrarunt; ut vel ex uno Pſalmorum libro eſt evidens. Nec *iſtam*: quia cultus & adoratio Chriſti etiam in Vetere Teſtamento hoc præcepto fuit ſancitus. Is enim colendus & adorandus præcipitur, qui eſt Jehova, Deus noſter, & Iſraëlitas ex Ægypto, nos cum eis ex inferno educit. Atqui Chriſtus eſt Jehova juſtitia noſtra: *Ier.* 23. v. 6. Jehova Deus noſter, quem exſpectamus: *Eſa.* 25. *verſ.* 9. Eſt is qui Iſraëlitas eduxit ex Ægypto, 1. *Cor.* 10. *verſ.* 9. & nos unà cum ipſis eduxit ex inferno *Heb.* 2. v. 14. 15. 1. *Cor.* 15. v. 55. 57. Ergò. Fundamentum igitur religioſæ adorationis Chriſti eſt Deitas ipſius, quòd eſt Deus benedictus in ſecula: *Rom.* 9. v. 5. Non divina poteſtas, aut majeſtas, abſque verâ Deitate. Scriptum eſt enim, *Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies* Matth. 4. v. 10. Diſcrimen adorationis Dei in Veteri & Novo Teſtamento, & honoris inter Patrem, & Filium, commentitium eſt. In Veteri Teſtamento Pater non minus adoratus eſt cum Filio, & in nomine ipſius, *Eſa.* 6. v. 2. *ſeqq.* *Dan.* 9. v. 17. quàm in Novo Teſtamento. Subordinatio adorationis gradu differens, vel ideò locum habere nequit, quòd ipſa adoratio eſt honos ſoli Deo conveniens, *Matth.* 4. v. 10. omnibus creaturis incommunicabilis *Eſa.* 42. *verſ.* 8. Chriſtum igitur vel non adorari, vel Deum eſſe oportet. Nec eſt cur Deum ſubordinatum vocent. Etiam ſubordinatus Deus eſt alienus Deus; cùm præter unum illum ac verum Deum, nec ſit nec eſſe poſſit alius *Eſa.* 45. v. 21. Præterea, ſubordinatus ſubordinanti non eſt æqualis eſſentiâ & gloriâ, nec eſt unum cum eo. Chriſtus verò eſt Patri æqualis eſſentiâ, & gloriâ, *Ioh.* 5. v. 17. *ſeqq.* & eſt unum cum Deo *cap.* 10. verſ. 30. Non igitur vel Deus eſt ſubordinatus vel ſubbordinatâ adoratione colitur. Poſtremò, non tantùm per & propter Chriſtum ſalvamur, ſed ipſe nos ſalvat: *Matth.* 1. *verſ.* 21. Ipſe eſt Jehova rex noſter, qui ſervabit nos *Eſa.* 33. *verſ.* 28. Eſt ergò etiam prima cauſa ſalutis, non minus, quàm Pater.

nec adoratio Chriſti.

Cur Chriſtus adorandus.

Quæst. XCVI. Quid postulat secundum præceptum?

Resp. *Nè Deum ullâ imagine aut figurâ exprimamus, néve ullâ aliâ ratione eum colamus, quàm quâ se in verbo suo coli præcepit.*

EXEGESIS.

Præcept. 2. vetat. exprimere Deum imagine.

Hujus præcepti explicatio duabus constat partibus. *Prima* est, nè Deum ullâ imagine aut figurâ exprimamus, sive cœlestium, sive terrestrium, sive subterraneorum, ut est *Exod.* 20. v. 4. 5. 6. *Deuter.* 4. v. 12. *seqq.* & *capp.* 5. v. 7. 8. 9. nimirum, quia non modò nulla Dei loquentis imago visa fuit, *Deut.* 4. v. 12. *seqq.* verum etiam, quia infinita & incomprehensibilis est ejus majestas *Esa.* 40. v. 18. Quam qui ullâ similitudine repræsentare conantur, ii Deum summâ contumeliâ afficiunt *Rom.* 1. v. 23. *Altera* est, nè ullis imaginibus nos incurvemus, religionis & honoris causâ, sive honos ille ipsis tribuatur, ut Diis, 1 *Reg.* 17. 18. *capp.* sive ut simulacris Dei, *Exod.* 32. 1 *Reg.* 12. sive etiam ad eas solum exerceatur *Lev* 26. v. 1. Deum verò eâ ratione, iisque ritibus colamus, quibus se in verbo suo coli præcepit *Deut.* 12. v. 32. *Ezech.* 20. v. 19. 20.

imagines venerari.

Sanctio.

Sanctio præcepti, quæ hîc omittitur brevitatis gratiâ, *comminationem*, & *promissionem* continet. *Illa* idololatris denunciat certissimam & gravissimam pœnam, etiam in posteros ipsorum justo Dei judicio propagandam. *Hæc* sinceris Dei cultoribus misericordiam ipsius, in millesimam usque generationem continuandam, pollicetur.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. nonagesimam sextam.*

Annon etiam sanctio fuerit explicanda?

An non malè in explicatione secundi præcepti omissa sit explicatio rationis, quâ præceptum à Deo confirmatur, cum videri possit non immeritò, haud minus, quàm præceptum ipsum, explicatione indigere.

Resp.

Resp. Ex generalibus promissis & minis, speciales hujus præcepti facilè intelliguntur. Quæ autem de pœnis posterorum, propter parentum delicta iis infligendis, dicuntur *ibidem*, institutionis puerilis modum excedunt, & in commentariis Catecheticis prolixè explicari solent.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. nonages. sextam.*

Secundo præcepto additum est in Novo fœdere, ut non solùm imagines non adoremus, verùm etiam easdem prorsus fugiamus, ut est 1 Joh. 5.*v.*21.& 1 Cor.10.v.14.

Responsio.

Illud verò etiam frequentiùs præceptum, & si negligeretur severiùs punitum fuisse legimus, in Veteri, quàm in Novo Testamento. Imò quæ eâ de re in Novo Testamento exstant, repetita sunt ex Vetere, ut appareret leges illas nobis Christianis non minus, quàm olim Iudæis, positas esse. Idola etiam in V.T. fugienda fuerunt.

QUÆST. XCVII. An nullæ ergò prorsus fingendæ sunt imagines, aut simulacra?

RESP. *Deus nec nullâ ratione effingi debet, nec potest. Creaturas autem etsi exprimere quidem licet, vetat tamen Deus earum imagines fingi, aut haberi, quò vel ipsas, vel Deum per ipsas colamus, aut honoremus.*

EXEGESIS.

COhæret hæc quæstio, vel potius nascitur, ex parte priore præcepti secundi: Cum Deus prohibeat imagines & simulacra: An ergò omnes imagines sint illicitæ. Respondetur negativè, adhibita distinctione inter imagines illicitas & licitas. *Illicitæ* sunt omnes Dei imagines. Ratio additur, quia Deus nec debet effingi; ut qui illud severissimè vetuit *Deut.*4.v.12 *seqq.* nec potest effingi, cum spiritualis & infinitæ sit essentiæ *Ioh.*4.v.24. *Esa.*40. Imagines illicitæ.

 v. 18.

Licitæ. v. 18. *Licita* autem sunt imagines creaturarum, maximè corporearum, quæ & possunt effingi, cum certâ quantitate, figurâ, colore, & habitu præditæ sint: & debent effingi, tum quia ars sculptoria & pictoria inter dona Dei numerantur: *Exod.* 31. v. 3. 6. & *cap.* 35. v. 36. tum tum quia illustria sunt documenta imaginis Dei in homine reliquæ; tum etiam, quia in vitâ civili multiplicem, eumque insignem, usum habent. Interim etiam tales imagines, quæ per se licitæ sunt, per accidens fiunt illicitæ; 2 *Reg.* 18. v. 3. 4. quatenus vel ipsæ coluntur ut Dii, *Psalm.* 97. *vers.* 7. vel Deus per ipsas, aut ad ipsas, colitur *Exod.* 32. 1 *Reg.* 12. *Levit.* 26. *vers.* 1.

QUÆST. XCVIII An autem in templis imagines tolerari non possunt, quæ pro libris sunt imperitæ multitudini?

RESP. *Minimè: neque enim decet nos sapientiores esse Deo, qui suam Ecclesiam non mutis simulacris, sed vivâ prædicatione verbi sui, vult erudiri.*

EXEGESIS.

Est *objectio* Pontificiorum, nec illorum tantùm, sed etiam aliorum, qui concedunt quidem, imagines Dei, Christi, & Sanctorum, non esse adorandas, contendunt verò esse retinendas in templis, *tanquam libros* laicorum, prout eas appellavit Gregorius Magnus. In formâ ita habet. Imagines Dei, Christi, & Sanctorum, pro libris sunt imperitæ multitudini. Igitur in templis tolerari possunt. *Responsio* constat inficiatione consequentiæ, & ejus ratione; quòd nempe in constituendâ Ecclesiâ acquiescendum sit ordini divinitus sancito, non autem ex consilio & opinione hominum aliquid innovandum. *Deut.* 12. v. 32. *Matth.* 15. v. 9. Deus verò Ecclesiam suam non per muta simulacra, sed per vivam prædicationem verbi sui, vult erudiri: *Luc.* 16. v. 29. 2 *Pet.* 3. v. 16. 17. Nec per intuitum simulacrorum, sed per auditum verbi, ad fidem nobis ingenerandam est efficax *Rom.* 10. v. 14. *seqq. Gal.* 3. v. 2. 5. Præterea etiam antecedens falsum est. Muta illa simulacra non sunt libri Laicorum, sed sunt doctrina vanitatis, *Ier.* 10. v. 8. doctores falsitatis, sive mendacii *Habac.* 2. v. 18. partim quia falsum de

[Margin notes: Imagines non tolerandæ in templis. — non sunt libri Laicorum.]

de Deo significant, & alium repræsentant quàm reverà est, *Rom.* 1. v. 23. partim quia falsum Dei cultum docent, & ad idololatriam seducunt.

QUÆST. XCIX. Quid sancit Deus in tertio præcepto?

RESP. *Vt non solùm exsecrando, aut pejerando, verùm etiam temerè jurando, nomen Dei contumeliosè, aut irreverenter nè usurpemus; nevè tacendo, aut connivendo, horrendis istis sceleribus communicemus: sed sacrosancto Dei nomine, non nisi summâ cum religione & veneratione utamur, ut verâ & constanti confessione, invocatione, omnibus denique verbis & actionibus nostris, ipse celebretur.*

EXEGESIS.

TErtii præcepti explicatio constat enumeratione, tum vitiorum quæ interdicuntur, tum virtutum, sive bonorum operum, quæ præcipiuntur. Præcept.

Vitia sunt ista: *Execratio*, sive blasphemia, quâ læditur majestas nominis divini: *Lev.* 24. v. 11. sub quâ tamen etiam Imprecatio adversùm nos, *Matth.* 26. v. 74. aut alios, 2 *Sam.* 16. v. 8. *Exod.* 21. v. 17. comprehenditur. *Perjurium*, quo quis falsò jurat *Lev.* 19. v. 12. *Ier.* 5. v. 2. *Zach.* 5. v. 4. *Iuramenum temerarium*, temerè absque ullâ necessitate usurpatum: *Matth.* 5. v. 34. *Iac.* 5. v. 12. Et *silentium*, hoc est, tacita approbatio, aut dissimulatio blasphemiarum proximi; de quâ exstat peculiaris lex *Lev.* 5. v. 1. interdicit.

Virtutes sunt hæ: *Religiosus*, & cum veneratione conjunctus *nominis divini usus* 1 Pet. 4. v. 11. *Confessio veræ religionis*, de quâ Christus *Matth.* 10 v. 32. *Invocatio*, quæ ore, sive externo sermone fit 1 *Tim.* 2. v. 1. 2. 8 9. *Psal.* 50. v. 15. *Laudatio Dei*, sive gratiarum actio, *Coloss.* 3. v. 16. inprimis pro beneficiis ipsius. *Eph.* 5. v. 19. 20. Et denique *Vita honesta*, digna Euangelio, ne nomen Dei propter nos blasphemetur *Rom.* 2. v. 24. 1 *Tim.* 6. v. 1. mandat.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. nonag. nonam.*

Huic præcepto additum est. I. Quòd non solùm Deum, verùm etiam Dominum Iesum, in testimonium vocare possimus, ut qui corda & renes scrutatur Apoc. 2. v. 23. II. *Quòd nobis non solùm pejerare non liceat, verum etiam ne in veris quidem jurare, nisi longè gravissimis de causis: & cum magno Dei metu, absque omni temeritate.*

Responsio.

Iuramentum in nomine Christi conceptum,

Cum Christo competat religiosa adoratio, ut vero Deo, coëssentialis, & coæquali patri, quòd supra evicimus, non potest non eidem, ut Deo, convenire juramentum, quod est species adorationis, sive invocationis. Et καρδιογνωσία est opus solius Dei. Quando igitur Christum vocamus in testem, tanquam καρδιογνώστην, ut Deum invocamus: quod non minus fecerunt fideles Veteris Testamenti. Præterea juramentum vanum, temerarium, lege Mosis disertè interdicitur Exod. 20. v. 7. *Non sumes nomen Iehovæ Dei tui ad vanitatem*, vel cum vanitate. Neutrum igitur pro additamento hujus præcepti censeri debet.

& interdictū vani juramenti non sunt novæ additiones Legis.

QUÆST. C. Estne igitur adeò grave peccatum, jurando, aut dira imprecando nomen Dei temerare, ut Deus etiam iis succenseat, qui, quantum in se est, illud non prohibent aut impediunt?

Certe gravissimum. Neque enim ullum est peccatum majus, aut quod Deum gravius offendat, quàm sacri ipsius nominis contumelia. Quocirca etiam id scelus morte mulctari voluit.

EXEGESIS.

GRavitas, seu magnitudo peccati blasphemiæ illustratur collatione imparium, per comparationem cum aliis peccatis, tanquam minoribus, utpote quod Deum gravissimè omnium offendit, & gloriæ ipsius directè repugnat. Demonstratur autem testimonio judicii Dei, qui blasphemiam supplicio capitis dignam pronunciavit *Lev.* 24. v. 15. *seqq.*

QUÆST. CI. Poteſtne quis etiam piè per nomen Dei jurare?

RESP. *Poteſt, cum vel magiſtratus id exigit, vel alioqui neceſſitas, hoc pacto firmari & veritatem ſtabiliri, poſtulat: quo & gloria Dei illuſtretur, & aliorum ſaluti conſulatur. Nam ejus generis jusjurandum verbo Dei ſancitur, ideoque etiam à ſanctis in Veteri, & Novo fœdere rectè eſt uſurpatum.*

EXEGESIS.

DEmonſtratur contra Anabaptiſtas non omne juramentum eſſe vetitum, & duo genera licitorum juramentorum indicantur, ex cauſis impulſivis diverſis: *Unum,* quod exigit magiſtratus *Exod.* 22.v.11. *Eſdræ* 10.v.5. *Alterum,* quod ipſa neceſſitas poſtulat, quæ duplex eſt, è fine duplici, videlicet illuſtratione gloriæ Dei, & ſalute ac tranquillitate proximi *Heb.* 6.v.16. *Argumenta* etiam demonſtrationis duo ſunt, quorum *prius* ſumitur à teſtimonio divino immediato, qui juramentum religiosè uſurpandum præcepit *Deut.* 6.v.13. & *cap.* 10.v.20. *Poſterius* ſumitur ab exemplis laudatis ſanctorum in utroque Teſtamento. In *Veteri*; Abrahami, *Gen.* 21.v.24. Iſaaci, *cap.* 26.v.31. Jacobi, *cap.* 31.v.53. Principum populi Iſraëlitici, *Ioſ.* 9.v.13. Davidis, 1 Sam. 24. v.23. & 2 *Sam.* 3.v.35. 1. *Reg.* 1.v.29. In *Novo*; Apoſtoli Pauli, *Rom.* 9.v.1. 2 *Cor.* 1.v.23. imò ipſius Chriſti *Ioh.* 16.v.23.

Iuramenta, quæ licita, & quare.

QUÆST. CII. Eſt ne licitum jurare per Sanctos, aut alias creaturas?

RESP. *Non: Nam legitimum juramentum eſt invocatio Dei, quâ petitur, ut is tanquam unicus cordium inſpector, teſtimonium det veritati, & jurantem puniat, ſi ſciens fallat. Porrò hic honos nulli creaturæ convenit.*

EXE-

EXEGESIS.

NOn esse licitum jurare per Sanctos, aut alias quascunque creaturas, probatur à juramenti definitione. Qui legitimè jurat, invocat Deum, ut ipse, tanquam unicus cordium inspector, testimonium det veritati, & jurantem puniat, si sciens fallat: Sic enim Paulus juramentum definit 2*Cor*.1.v.23. At honor invocationis, καρδιογνωσίας, & omnipotentiæ ad vindicandum perjurium, nec sanctis, nec ullis omninò creaturis, sed soli Deo convenit *Matth*. 4.v.10. 1. *Reg*. 8.v.39. *Gen*. 17.v.1. *Deut*. 32.v.35. Ergò nec per sanctos, nec per ullas omninò creaturas, sed per solum Deum legitimè juratur. *Genus* in hâc definitione est invocatio. *Differentia* ab attributis, omniscientiæ, & omnipotentiæ, nec non ab horum attributorum effectis, deducitur.

QUÆST. CIII. Quid præcipit Deus in quarto præcepto?

RESP. *Primùm, ut ministerium Euangelii, & Scholæ conserventur: utque ego, cum aliis, tum præcipuè festis diebus, studiosè cœtus divinos frequentem, verbum Dei diligenter audiam, utar Sacramentis, precibus publicis meas quoque preces adjungam, pro facultatibus aliquid conferam in pauperes. Deindè, ut in omni vitâ à pravis actionibus vacem, Domino concedens, ut per Spiritum Sanctum in me suum opus faciat, atque ita sempiternum illud Sabbatum in hâc vitâ exordiar.*

EXEGESIS.

TRia antecedentia præcepta simplicia, & moralia fuerunt; *Quartum* hoc est mixti generis, ex morali, & cæremoniali; nec simplicis, sed duplicis, sive gemini sensus, literalis, & mystici, quorum ille ad Sanctificationem Sabbati externi, iste ad sanctificationem Sabbati interni, pertinet. *Sanctificatio Sabbati externi* sex virtutibus absolvitur; quarum prima est propria magistratus, reliquæ omnibus communes sunt. Hoc autem ordine enumerantur: Conservatio ministerii Ecclesiastici *Esa*.49.v.23.1.*Cor*.9.v.14.

Sanctificatio Sabbati externi.

&

& Scholarum ei subservientium, quæ sunt veluti seminaria ministerii, imò totius Ecclesiæ; 2 *Reg*.2. 2 *Tim*.2.v.15. Sacrorum cœtuũ studiosa frequentatio, quæ ex adjuncto tempore in profestam, & festam distinguitur; *Heb*.10.v.25. *Psal*.68.v.27. Verbi divini diligens auscultatio; *Act*.20.v.7. 1 *Cor*.14.v.19,29,31. Usurpatio Sacramentorum 1 *Cor*.11. v. 33. Preces publicæ; *Actor*. 2. v. 42. 46. 1 *Tim*. 2. v. 1. 2. 8. & Collatio Eleemosynarum in usus pauperum 1 *Cor*.16.v.2. *Rom*. 15.v.25. *Luc*.21.v.2. *Sanctificatio sabbati interni* est quies, sive cessatio ab omnibus operibus carnis, sive peccatis, olim in Veteri Testamento per externam corporis quietem præfigurata; quæ quidem in hâc vitâ per Spiritum Sanctum inchoatur in sanctis, in alterâ verò consummabitur, ubi perpetuum ac sempiternum sabbathum futurum est *Heb*. 4. v. 9. *Esa*.66.v.23. Sanctificatio Sabbati interni.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæstionem, & responsionem centesimam tertiam.*

An non cùm dicatur hâc responsione, debere nos concedere Domino ut per Sanctum Spiritum in nobis opus suum faciat, indè sequatur operationem spiritus in nobis non esse irresistibilem. An non resistibilis actio Sp. S. arguatur ex eo quo jubemur illi locum dare.

Resp. Operatio Spiritus Sancti, cujus hîc mentio fit, non prima est, sed secunda, nec gratia operans, sed cooperans, sive subsequens, quam facile patimur dici resistibilem: quia caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem *Gal*. 5. v. 17. Quomodò verò, aut quo sensu gratia prima dicatur irresistibilis, de quâ omnis controversia est, alibi docuimus.

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. centes. tertiam.*

Quartum præceptum de Sabbato sanctificando sublatum est sub Novo fœdere, quemadmodum & aliæ cæremoniæ: nec constituit Christus, ut diem, quem vocant Dominicum, Sabbathi loco obiremus, sed observatio ejus posita est in Christianâ libertate.

Responsio.

Ante dictum est, hoc præceptum esse generis mixti ex morali,

& cæremoniali. *Morale* eſt, ut cultus Dei externus certo die in Eccleſiâ exerceatur. *Cæremoniale* fuit, quòd die hebdomadis ſeptimo celebraretur. *Hoc* ſublatum eſt Chriſto exhibito non minus quàm reliquæ cæremoniæ *Col*. 2. v. 16. *Illud* manet perpetuum.

Origo diei Dominici.

Origo diei Dominici, qui Sabbato Judaico ſucceſſit, ad Chriſtum ſaltem probabiliter refertur ex *Ioh*. 20. v. 19. *ſeqq*. Item v. 26. *ſeqq*. De Apoſtolis certum eſt quod illum diem celebrarint in memoriam reſurrectionis Dominicæ *Act*. 20. verſ. 7. 1 *Corinth*. 16. verſ. 2. *Apoc*. 1. verſ. 10. Ideóque & nos boni ordinis cauſâ meritò eum retinemus.

QUÆST. CIV. Quid nobis injungit Deus in quinto præcepto?

RESP. *Vt parentibus, atque adeò omnibus, qui nobis præſunt, debitum honorem, amorem, & fidem præſtemus, noſque ipſorum fidelibus præceptis, & caſtigationibus eâ, quâ par eſt, obedientiâ ſubmittamus; Tum etiam ut eorum vitia & mores noſtrâ patientia toleremus, illud ſemper cogitantes, Deum nos illorum manu velle ducere, ac regere.*

EXEGESIS.

Explicatione hujus præcepti docetur, tum qui parentum nomine intelligendi ſint, tum quomodo iidem honorandi.

Parentes qui dicantur.

Parentes intelliguntur non ſolùm naturâ, & generatione, qui nos genuerunt, ſed etiam adoptione, dignitate, & officio, qui in omni vitæ ſtatu nobis præſunt: nempe Paſtores & Doctores in ſtatu Eccleſiaſtico: Magiſtratus in ſtato Politico. Tutores, heri, aut alii Superiores in Statu Oeconomico. Siquidem his omnibus per ſynecdochen ſpeciei nomen illud in ſcripturâ tribuitur 2 *Reg*. 8. v. 9. *Prov*. 4. v. 1. 1 *Cor*. 4. v. 14, 15. *Gen*. 41. v. 43. *Eſa*. 22. v. 21. *Eſther*. 2. v. 7. 15. & alibi. Parentum autem κατ' ἐξοχὴν mentio fit in ipſo præcepto, tum quia primi ſunt, qui nobis educandis ac regendis à Deo præfecti ſunt, & quidem leniſſimo regimine: tum quia cæteri qui eodem fine nobis præſunt, parentum erga nos affectum induere debent *Iob*. 29. v. 16. *Eccleſ*. 4. v. 10.

Modus

Modus porrò honorandorum parentum quinque virtutibus exprimitur, quales ſunt: *Honor*, qui eſt agnitio ordinis divini, in officio, & gradu ſuperiorum, eorumque conveniens veneratio, cum geſtibus externis, tum verbis, tum denique animo præſtanda *Mal.*1.v.6.*Eph.*6.v.2,3.1*Tim.*5.v.17.*Lev.*19.v.31.& *cap.*30.v.17. & *cap.*20.v.9. *Amor* ſive στοργή, quæ eſt affectus benevolentiſſimus in parentes, liberis natura inſitus *Matth.*10. v. 37. *Fides*, quæ gratitudine inprimis ſpectatur, cum aut re, aut opera, aut conſilio parentes ſublevamus, & egeſtati ipſorum ſuccurrimus *Matth.*15, v.4. *Gen.*9.v.23.*Eccleſ.*3.v.14.*Obedientia*, qua partim fidelibus ipſorum præceptis promtè, & alacriter obtemperamus; partim etiam paternis ipſorum caſtigationibus nos humiliter ſubjicimus *Eph* 6. v.1. *Col.* 3.v. 20. *Patientia*, qua vitia, infirmitates, ac nævos ſuperiorum patienrer toleramus, propterea nec traducentes eos, nec in ipſos inſurgentes *Gen.*9.v.24.1 *Pet.*2. v.18. *Prov.*23. v.22.& *cap.* 30. v. 17. Cæterùm modus iſte honorandorum parentum neceſſaria limitatione reſtringitur à Paulo Eph. 6. v. 1. ubi ait, *Liberi obedite parentibus veſtris in Domino*, hoc eſt, in timore ipſius, quatenus jus, fas eſt, ſecundùm voluntatem ipſius. Honorem igitur, & obedientiam parentibus, ac ſuperioribus debemus in omnibus, ac ſolis voluntati ac verbo Dei conſentaneis. In cæteris, quæ voluntati, ac verbo ipſius contraria ſunt, ipſis parendum non eſt *Act.*5. v. 29. Imò parentes negandi, & odio habendi *Matth.* 10. v. 37. *Luc.* 14. v. 26.

quomodo honorandi.

cautio.

Poſtremò honos, & obedientia parentum in Catecheſi ſuadetur argumento cauſæ efficientis, videlicet ordinationis divinæ, quod Deus parentum ac ſuperiorum manu nos velit ducere, ac regere *Eph.* 6.v.5.1 *Pet.*2.v.13. *Rom.*13.v.1.*ſeqq.* Quamobrem etiam nomen ſuum, qui eſt ſolus Pater, Magiſter ac Dominus noſter, *Matt.*23. v.8,9,10. 1 *Cor.*8. v.6. cum ipſis communicavit. Apud Moſen verò ſancitur præcepti hujus obedientia, tum promiſſione vitæ longævæ & felicis, *Exod.*20.v.12.*Deut.*5.v.16.tum etiam pœnarum temporalium, & æternarum gravi comminatione *Deut.* 27.v.16.& *cap.*30.v.7.*Exod.*21. v.15.16. *Deut.*21. v.18.

cur Parentes honorandi.

QUÆST. CV. Quid flagitat Deus in ſexto præcepto?

RESP. *Ut proximum neque cogitatione, neque verbis, neque gestibus, nedum factis vel per me, vel per alium contumeliâ afficiam, aut oderim, aut lædam, aut occidam: Sed omnem vindictæ cupiditatem abjiciam, ad hæc ne me ipsum lædam, aut sciens in aliquod periculum conjiciam. Quocirca etiam ne cædes fierent magistratum gladio armavit.*

EXEGESIS.

Vitia præc. interdicta.

HAc responsione exponitur sensus negativus *sexti præcepti:* idque enumeratione peccatorum quæ eo vetantur. Sunt autem septem per se nota. Contumelia, *Psal.* 15. v. 3. Odium, *Lev.* 19. v. 17. sub quo etiam ira odii genitrix continetur, *Matth.* 5. v. 22. Læsio, sive violentia, *Lev.* 24. v. 19. Cædes, *Lev.* 24. v. 17. Vindictæ cupiditas, *Lev.* 19. v. 18. Læsio sui ipsius, quo in genere αὐτοχειρία excellit, *Eph.* 5. v. 29. & audacia, sive temeritas in adeundis periculis *Matt.* 4. v. 7. Hæc peccata illustrantur distributione gemina, ut, quomodo à Deo interdicta sint, plenè intelligatur. *Unâ* quadrimembri ab adjunctis instrumentis, quæ sunt: Cogitatio, *Zach.* 8. v. 16. 17. Verba, *Matth.* 5. v. 22. *Eph.* 4. v. 31. Gestus, *Gen.* 4. v. 6. Facta *Num.* 35. v. 16, 17, 18. *Altera* bimembri ab adjunctis modis, qui sunt, per se, *Lev.* 24. v. 17. vel per alium 2 *Sam.* 12. v. 9.

Sanctio.

Postremò ipsum præceptum comminatione pœnæ corporalis, per magistratum irrogandæ, sancitur *Gen.* 9. v. 6. *Exod.* 21. v. 12.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. centesimam quintam.*

An non Odiũ causa sit omnis peccati contra proximum adeóque hic omittendum?

I. *Expendi posse videtur, quanquam qui fratrem odit, homicida esse dicatur, annon tamen odium generalis causa sit omnis peccati, quod adversus proximum committitur; ideoque hoc præcepto speciatim nunc prohibetur.*

Resp. Verum est, odium esse causam generalem omnis peccati adversus proximum, quo sensu etiam quæstione quintâ dictum est, nos natura propensos esse ad odium proximi. Quia verò odium potis-

potiſſimum declarari ſolet læſione vitæ proximi, merito hoc præcepto nominatim interdicitur, idque ſecundum Scripturam *Matt.* 5. v. 22. & 1 *Ioh.* 3. v. 15.

II. *An vindictæ cupiditas, cujus hic ſit mentio, tantùm intelligatur de particulari vindictâ, an verò de eâ, quæ à Magiſtratu poſtulatur, non illati nobis damni reparandi, ſed ſimpliciter vindicandi causâ.* Qualis vindicta hic intelligatur.

Reſp. Vindictam privatam intelligi, vel ex ſolâ præcepti ſanctione patet, quâ publica Magiſtratus vindicta ſtabilitur. Eam tamen etiam pravo affectu expeti quandoque non negamus.

Antitheſis Catechetica Socinianorum *ad quæſt. & reſp. centeſ. quintam.*

Sexto præcepto additum à Chriſto. I. Ne fratri iraſcamur, neque verbis aſperis ex ulciſcendi libidine prodeuntibus eum offendamus Matth. 5. v. 22. Eph. 4 v. 31. II. *Ne ulciſcamur injurias non modò non per nos, ſed etiam ne quidem per Magiſtratum* Matt. 5. *v.* 39. 40, 41. *Si tamen abſit ultio, licet jure agere, & injurias perſequi.*

Reſponſio.

Prius etiam lege Moſis diſertè fuiſſe interdictum, conſtat ex *Lev.* 19. v. 18. 19. *Exod.* 23. v. 4 *Deut.* 22. v. 1. *Poſterius* verò de vindictâ Magiſtratus, non eſſe additamentum Chriſti, ſed commentum hæreticorum, ex ſcopo Chriſti *Matth.* 5. v. 39. 40. 41. privatam ſolùm vindictam damnantis; atque etiam ex collatione *capitis* 13. *ad Rom.* planum eſt. Vindicta privata etiam in V. T. damnata. Publica etiam in N. T. permiſſa.

QUÆST. CVI. Atqui hoc præceptum ſolam cædem prohibere videtur?

RESP. *At cædem prohibendo, docet Deus, ſe radicem & originem cædis, iram ſcilicet, invidiam, odium, & vindictæ cupiditatẽ odiſſe, atque ea omnia pro cæde ducere.*

EXEGESIS.

Eſt objectio popularis contra explicationem ſexti præcepti. Hoc præcepto nominatim ſola cædes prohibetur: Non igitur

tur prohiberi videntur reliqua peccata. Respondetur per inficiationem consequentiæ. Ratiò est, quia præcepta Decalogi non solum synecdochicè intelligenda sunt, ut cum unâ specie omnes species cognatæ prohibentur, sed etiam metonymicè, ut cum effecto simul causa intelligatur, & interdicatur. Atqui Ira, Invidia, Odium, Vindictæ cupiditas, sunt causa, sive origo, & radix cædis. Proinde cum ipsa cæde intelliguntur, & interdicuntur. Hæc responsio desumta est ex *Matth.* 5. v. 22. & 1 *Ioh.* 1. v. 15.

QUÆST. CVII. An verò id satis est, nos neminem eo, quo dictum est, modo occidere?

RESP. *Non est satis. Dum enim Deus iram, invidiam, odium damnat, postulat ut proximum æque ac nos ipsos diligamus, & ut humanitate, lenitate, mansuetudine, patientiâ, & misericordiâ erga eum utamur, quodque ei damno esse possit, quantum in nobis est, avertamus. Ad summam ita animo affectissimus, ut ne inimicis quidem benefacere dubitemus.*

EXEGESIS.

Virtutes 6. præc. imperatæ.

SEquitur sensus affirmativus sexti præcepti, constans enumeratione bonorum operum, quæ eo imperantur: sunt autem octo, per se nota, nec indiga explicationis. Dilectio proximi, ut diligamus eum sicut nos ipsos *Lev.* 19. v. 18. *Eph.* 5. v. 24. Humanitas, Lenitas, Mansuetudo, Patientia, Misericordia; de quibus est *Col.* 3. v. 12. 13. *Eph.* 4. v. 1, 2, 3. Aversio damni ipsius, *Prov.* 24. v. 11. *Esa.* 58. v. 7. Et studium demerendi non solùm amicos, sed etiam inimicos *Matth.* 5. v. 44. *Rom.* 12. v. 20.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. centesimam septimam.*

An non diligere proximum ut nos.

Annon quæ hîc dicuntur, ut proximum nostrum æquè ac nos ipsos diligamus, nimis generalia sint, & ad omnia præcepta, quibus nostrum officium

cium erga proximum describitur, referenda, eoque an hîc peculiariter fuerint tractanda. ipsos generalius sit, quam ut hoc præcepto tradi conveniat

Resp. Præceptum illud vel ideò hîc peculiariter traditur, quòd dilectio proximi circa conservationem vitæ, quâ nihil cuique charius est, luculentissimè ostenditur.

QUÆST. CVIII. Quæ est sententia septimi præcepti?

RESP. *Deum omnem turpitudinem exsecrari, ideoque nos eam penitus odisse, & detestari debere: contraque temperanter, modestè, & castè, sive in sacro conjugio, sive in vitâ cœlibe vivere oportere.*

EXEGESIS.

EXplicatio *septimi præcepti* negativa est & affirmativa, interdicto, & præcepto simul constans. *Interdicto* vetatur omnis turpitudo, sive libido, in quâ adulterium excellit *Lev.* 19.20. *capp. Gal.* 5.v.19. 1 *Cor.* 6.v.9. Et hanc esse fugiendam probatur ab effectu noxio, videlicet pœnâ Dei, ut qui omnem turpitudinem exsecretur *Deut.* 27.v.20. *seqq. Præcepto* contra mandatur temperantia, cibi potusque appetitum moderans, *Tit.* 2.v.12. Modestia sive pudicitia, 1 *Thess.* 4.*vers.* 4,5. Et castitas, quæ ex subjectis in conjugatam ac cœlibem distinguitur 1 *Cor.* 7.v.9. *Heb.* 13.v.4. Præc. 7. interdictum. Præceptum.

QUÆST. CIX. Nihilne amplius prohibet Deus hoc præcepto, quam adulterium, & id genus turpitudines?

RESP. *Cum corpus, & animus noster templa sint Spiritus Sancti, vult Deus, ut utrumque purè sanctéque possideamus, ideoque facta, gestus, sermones, cogitationes, cupiditates fœdas, & quicquid hominem ad ista allicit, id universum prohibet.*

EXEGESIS.

EST plenior declaratio præcepti septimi; cujus sententia partim alia distributione castitatis, partim etiam rerum hîc prohibita-

Castitas præcepta qualis.

hibitarum enumeratione illustratur. *Castitas* distribuitur è subjectis recipientibus in se; quæ sunt, Anima, & Corpus: ne externis solum actibus æstimetur 1 *Cor.6. vers.* 18. *seqq.* Utriusque puritati studendum esse probatur, ab effectu destinato: quia utrumque illud est templum Spiritus Sancti, in quo ipse habitat 1 *Cor. 6. v.* 19. & *capp.* 3. *vers.* 16.

Vitæ prohibita quæ.

Res hîc prohibitæ sex ordine enumerantur, quarum quinque priores sunt actiones hominis, sexta & postrema, sunt actionum illarum Objecta. I. Facta fœda, ut Adulterium, scortatio, incestus *Eph.*4.v.17.19. *Matth.*5.v.27,28. II. Gestus fœdi, ut adspectus libidinosus 2 *Pet.* 2. v.14. 1*Ioh.*2. v. 16. III. Sermones fœdi, *Col.* 3. v. 8. *Eph.* 4. v. 29. quales sunt Poëtarum de Priapo. IV. Cogitationes fœdæ *Matth.*5. v. 28. V. Cupiditates fœdæ, seu flammæ vagæ libidinis 1 *Thess.*4. v. 4. 5. VI. Quicquid omninò hominem ad ista allicit, ut vestes ad superbiam & libidinem formatæ, *Esa.* 3. v. 16. *seqq.* picturæ, aut statuæ repræsentantes corpora humana prorsus nuda, &c.

Antithesis Catechetica Socinianorum, *ad quæst. & resp. centes. octavam & centes. nonam.*

Huic præcepto addidit Dominus Iesus. I. *Ne mœchemur non solum re ipsa, sed ne cordis quidem concupiscentia* Matth. 5. v. 28. II. *Ut is, qui extra adulterium uxorem dimittit, mœchari censeatur, & similiter qui dimissam ducit* Matth. 19. III. *Interdixit etiam omnem impuritatem, & turpes ac obscœnos sermones* 1 Thess. 4. v. 4. 5. Eph. 5. v. 3, 4, 5.

Responsio.

Christus nihil huic præcepto addidit.

Omnia hæc jam olim in Veteri Testamento interdicta fuerunt. *Primum* interdicitur præcepto decimo, quo omnis illicita concupiscentia damnatur, Paulo interprete *Rom.* 7. v. 7, 8. *Secundum* interdictum fuit primâ institutione conjugii, ad quam nos Christus revocat *Matth.* 19. v. 8. Licet ab eâ, conniventiâ quadam in politiâ Judaicâ discessum sit. *Tertium*, quia Deus Judæos jussit sanctos esse, sicut ipse sanctus est *Lev.* 11. v. 44, 45. Sed cum verâ sanctitate vitæ impuritas, & sermonis obscœnitas nullatenus consistit.

QUÆST.

QUÆST. CX: Quid vetat Deus in octavo præcepto?

RESP. *Non solùm ea furta & rapinas, quas magistratus punit: sed furti nomine comprehendit, quicquid est malarum artium, & aucupiorum, quibus aliena captamus, & ad nos vi, aut specie recti, transferre studemus: qualia sunt; iniquum pondus, injusta ulna, inæqualis mensura, fucosa merx, fallax moneta, usura, aut alia quævis ratio aut modus rem faciendi, à Deo interdictus. His adde omnem avaritiam, & multiplicem divinorum donorum profusionem, & abusum.*

EXEGESIS.

Numerantur peccata, quæ *octavo precepto* vetantur. Sunt autem hæc quatuor: I. Furtum apertum, sive violentum, quod magistratus punit *Lev.*19.v.11.13. II. Furtum clandestinum, sive fraudulentum, cujus aliquot modi recensentur, ut sunt: Iniquum pondus, injusta ulna, inæqualis mensura, fucosa merx, fallax moneta, usura *Deut.*25.v.13,14,15.*Amos.*8.v.4.*seqq.Exod.* v.25.*Psalm.*15.v.5. III. Avaritia, quæ radix est omnium malorum 1*Timoth.*6.v.9.10. *Luc.* 12.v.15. IV. Luxus, sive prodigalitas *Prov.*23.v.20.21. Posteriora duo sunt causæ efficientes priorum: Avaritia, causa impulsiva interna utriusque furti; Prodigalitas verò impulsiva externa. Peccata 8. præc. vetita.

Considerationes Catecheticæ Novatorum, *ad quæst. & resp. centes. decimam.*

I. *Quousque magistratus, secundùm Dei verbum, furtum punire debeat.*

II. *Annon accuratiùs explicandum videatur, quid per usuram intelligatur, & quousque ea sit prohibita.*

Resp. Utriusque plenior explicatio ex locis Theologicis, non rudimentis Catecheticis, petenda est.

QUÆST. CXI. Quæ ſunt ea quæ Deus hîc jubet?

RESP. *Vt commoda, & utilitates proximi, quantum poſſim, adjuvem, & augeam; cum eo ſic agam, ut mecum agi cuperem, ſedulo, & fideliter opus faciam, ut aliorum quoque egeſtati ſubvenire queam.*

EXEGESIS.

utes præ- t.8.impe- s.

INdicantur bona opera, quæ octavo præcepto imperantur: Fidelitas in bonis proximi conſervandis extra contractum, *Deut.* 22.v.1,2,3. *Phil.*2.v.4. Fidelitas in contractibus, *Matth.*7.v.12. 1 *Theſſ.*4. v.6. & fidelitas in laboribus vocationis obeundis: quæ illuſtratur à fine, ut aliorum quoque egeſtati ſubvenire queamus.

Conſideratio Catechetica Novatorum,
ad quæſt. & reſp. centeſ. undecimam.

non ge- le nimis um pro- o agere cum agi s?

An verba iſta, cum eo ſic agam, ut mecum agi cuperem, *hujus præcepti ſint propria; & an non potius generatim ad omnia ſecundæ tabulæ præcepta pertineant.*

Reſp. Speciatim hîc accommodatur ad ſenſum præcepti octavi per ſynecdochen generis; propter contractus, in quibus plurimum doli, & fraudis intervenire ſolet.

Antitheſis Catechetica Socinianorum
ad quæſt. & reſp. centeſ. decimam
& centeſ. undecimam.

Ad hoc præceptum adjecit Dominus ne ſimus avari. *Eſt autem avaritiæ plus habere velle, quàm ad tuendam vitam tum tuam, tum tuorum omnium pertineat.*

Reſponſio.

itia et- n V. T. rohibi-

Avaritia innumeris locis Veteris Teſtamenti interdicitur, & damnatur: *Exod.*20.v.17.*&* *cap.*22.v.25.*& cap.*23.v.8.*&c.* non igitur novum, aut peculiare eſt interdictum Novi Teſtamenti. Præterea

varitia non ex divitiarum cumulo, sed ex affectu animi me-
est, quem Paulus *idololatriam* vocat *Philip*.3.v.5. *Ephes*.5.

ST. CXII. Quid exigit nonum præceptum?

P. *Ne adversus quempiam dicam falsum testimonium, nullius verba calumnier, nulli obtrectem, aut convitium faciam, neminem temerè, vel indictâ causâ condemnem. Verum omnis generis mendacia, fraudes, ut opera Diaboli propria, nisi in me gravissimam iram Dei concitare velim, omni cura fugiam. In judiciis, cæterisque negotiis, veritatem secter, & id quod res est liberè, & constanter profitear. Ad hæc famam aliorum, & existimationem, quantum queam, defendam & augeam.*

EXEGESIS.

licatio *noni præcepti* constat enumeratione, tum vitiorum, æ eo prohibentur, tum virtutum, quæ contra præcipiun- Præcep. 9.

itia sive peccata sunt: Falsum testimonium, *Exod*. 23.v.1. .21. *Actor*.6.v.11. obtrectatio *Iacob*.4.v.11.2 *Samuel*.16.v. vicium, sive maledictio, *Tit*. 3.v.1.2. præceps & temeraria mnatio, *Luc*.6.37.*Gen*.38.v.24. mendacium, *Levit*.19.v.11. & adulatio *Rom*.3.v.13.14. Quorum vitiorum omnium atio ac fuga suadetur gemino argumento. I. A causa pro- e: quia sunt opera Diaboli propria, quæ ipse in suis opera- .8.v.44. II. Ab effectu noxio: quia gravissimam Dei iram concitant *Psal*.5.v.7. interdictum.

irtutes seu bona opera sunt: Veracitas, sive studium veri- listributione ex subjectis declaratum, *Zachar*.8.v.19. παῤῥη- m candore, & constantia conjuncta. *Proverb*. 12. vers. 17. 1.v.17. & famæ ac existimationis alienæ defensio, & am- tio 1 *Sam*. 19.v.4. & *cap*. 16.v.18. mandatum.

QUÆST. CXIII. Quid prohibet decimum præceptum?

RESP. *Nè vel minimâ cupiditate, aut cogitatione, adversus ullum Dei præceptum corda nostra unquam sollicitentur, sed ut perpetuò, & ex animo, omne peccatum detestemur, contraque omni justitiâ delectemur.*

EXEGESIS.

Præcept. 10. vetantur. EXplicatio *decimi præcepti* similiter constat interdicto, & præcepto. *Interdicuntur* I. Omnes, etiam minimæ cupiditates adversus legem Dei, & quæ consensum voluntatis antecedunt, cujusmodi delectationis vocari solent. *Rom.* 7. v. 7, 8. *Iac.* 1. v. 14. II. Omnes pravæ cogitationes *Matth.* 15. v. 19. quæ mentem quâcunque occasione subeunt, & pectus interno gaudio, sive delectatione titillant *Iob.* 31. v. 1. 2 *Samuel.* 11. v. 2. 3. Contrà *præcipitur* (jubentur.) I. Odium ac fuga peccati, quæ à sinceritatis ac constantiæ adjunctis notatur *Galat.* 5. v. 24. *Psalm.* 119. v. 104. II. Amor & studium omnis justitiæ *Rom.* 7. v. 22. *Matth.* 5. v. 48. Breviter: Prohibetur, & damnatur concupiscentia originalis, cum suis etiam levissimis motibus; & justitia renovationis, per Spiritum Sanctum, requiritur, & præcipitur.

Consideratio Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. centes. decimam tertiam.*

An non Concupiscentia hic plenius explicanda? *Cum sub reliquis præceptis, præceptum quod est de concupiscentiâ, etiam comprehendatur, tanquam quæ sit fons peccatorum prohibitorum, quæritur, annon declarandum fuerit, quid hic per concupiscentiam intelligatur, & quousque se ea hic extendat.*

Resp. Atqui Catechesis verbis istis, *Ne minimâ cupiditate, aut cogitatione*, manifestè distinguit cupiditatem animum subjugantem quæ est præceptorum reliquorum, à cupiditate animum titillante, quæ hujus præcepti est propria. Declarat igitur, tum quid hic sit concupiscentia, tum etiam quousque se ea extendat. Præterea tamen & illud tenendum, quòd hoc præceptum explicatio

sit

præceptorum præcedentium secundæ tabulæ; unde integer
um sensus eruendus est. *Vide Matth.* 5. v. 21. 22. *seqq.*

Antithesis Catechetica Socinianorum *ad quæst. & resp. centes. decimam tertiam.*

*Additum est huic præcepto ut rei cupitæ animum nullo modo adjicere
it, etiamsi ut eam assequatur nullo modo cogitet, verùm concupi-
tiâ illâ voluptatem solum aliquam in corde suo quærat.*

Responsio.

Paulus verò etiam illam concupiscentiam sententiâ decimi
cepti vetari docet *Rom.* 7. v. 7. Nec Jobus præter, sed secun-
legem fecit, dum fœdus pepigit cum oculis suis, ut nè cogita-
quidem de virgine *cap.* 31. v. 1. 7. Confer exemplum contra-
Davidis 2 *Sam.* 11. v. 2, 3.

Concupiscentia hæc etiam in V. T. prohibita fuit.

APPENDIX SOCINIANORUM ad totam legem Decalogi.

*ristus non solùm singulis ferè præceptis Decalogi nonnulla adjecit, sed
er nova præcepta nominatim proposuit, partim mores, partim ceremo-
pectantia.* Mores *respiciunt,* I. Abnegatio nostri, *quæ est priva-
stræ voluntatis, & cupiditatum malarum renunciatio* 1 *Iohan* 2. v.
6. II. Tolerantia crucis, *quæ est animi non solum ad afflictiones quas-
erùm etiam ad mortem vel acerbissimam, & ignominiosissimã, Chri-
usâ subeundam, præparatio & exceptio voluntaria, & cum quâdam
voluptate perpessio.* Matth. 16. v. 24. III. Christi imitatio,
*n observatione earum virtutum consistit, quas ipse in se, tanquam in
exemplari, nobis repræsentavit. Præcipuæ autem sunt: Fiducia in
n, charitas erga Deum ex toto corde, & erga proximum, etiam ini-
n; & ut vitam pro ipso ponere paratus sis; item summa humilitas* Phil.
3, 4, 5. Joh. 13. v. 4, 5. *Denique assiduitas perpetua in precibus.*
l ceremonias *respicit, unum duntaxat est, nempe Cæna Domini.*

Responsio.

ic verò appendice declarant hæretici, quàm jejunè & ab-

jectè sentiant de lege Mosaica, adeóque de toto cultu morali Veteris Testamenti. Si tria illa, quæ mores spectant, nova demum lege à Christo sancita sunt, nihil de iis præcepit lex Decalogi, nihil etiam eorum præstiterunt sancti Patriarchæ, & Prophetæ in Veteri Testamento: sed absque abnegatione sui, absque tolerantiâ crucis, absque etiam fiduciâ in Deum, Dei proximique dilectione, humilitate, & in præcibus assiduitate hoc ævum transegerunt, quorum utrumq; cum summâ in Deum blasphemiâ, & atrocissimâ in Sanctos Patres injuriâ, conjunctum esse pronunciamus. Sed de singulis pauca. I. *Abnegatio nostri* primo, & decimo Decalogi præcepto imperatur, quæ mortificationem veteris, & vivificationem novi hominis requirunt, uti in eorum explicatione dictum est. Et Sancti Patres aut expertes fuêre spiritus regenerantis; aut non. Prius si affirmant, jam regno cœlorum universos excludunt, cum absque eo non detur ingressus in regnum cœlorum *Iohan.*3.v.3.5.6. Posterius verò si concedunt, quomodo spiritu regenerante prædití non abnegârunt se ipsos, crucifigentes carnem, cum desideriis ac cupiditatibus suis? II. *Tolerantia crucis* est virtus primi præcepti, quæ sub patientiâ comprehenditur; & illustre virtutis hujus exemplum proponitur in Mose, *Heb.*11.v.25.26. qui potius elegit simul malis vexari cum populo Dei, quàm temporariam retinere peccati fruitionem, & majoris duxit divitias probrum Christi, quàm Ægyptiorum thesauros. III. *Imitatio Christi* in observatione virtutum moralium, ex novo exemplo est, non ex novo præcepto. Fiducia in Deum est virtus primi præcepti, quæ verbo promissionis, & ipsius erga nos benevolentia & potentia nititur. Hujus fiduciæ exempla innumera occurrunt in Veteri Testamento, & multa ex iis *Hebr.* 11. allegata reperiuntur. Est tamen insidiosa locutio, quòd fiducia Christi sit nobis imitanda. Nam fiducia ipsius non nititur ullius merito, ac satisfactione; nostra verò ipsius merito, ac satisfactione nititur *Ephes.*3.v.12. *Ioh.*16. v.23. Præterea dilectio Dei ex toto corde, ex tota anima, *Matth.*22.v.37. repetitur ex Mose *Deut.*6.v.5. Dilectio erga proximum, tam inimicum, quàm amicum, etiam quoad amissionem vitæ, ab eodem Mose præcipitur, *Lev.*19.v.18. ejusque exemplo sancitur, quatenus deleri voluit ex libro vitæ pro populo suo *Exod.*32.v.32. Denique humilitatis, & in precibus assiduitatis mandata, & exempla innumera proponuntur in Veteris Testa-

Abnegatio nostri 1. & 10. præc. mandata.

Tolerantia crucis est 1. præc. virtus.

Virtutes illæ in V. T. mandatæ & observatæ.

ſtamenti codice, quæ nimis longum hîc congerere, aut recen-
. Jam quod *ritus*, ſive ceremonias attinet, ſanè inſtituit
riſtus ſacram Cœnam, tanquam Sacramentum Novi Teſta-
nti : at non contra ſed ſecundùm legem ſecundi, & quarti
ecepti, quibus totum genus rituum ſacrorum divinitus eſt
ndatum.

uÆST. CXIV. Poſſuntne autem illi, qui ad Deum converſi ſunt, hæc præcepta perfectè ſervare?

ESP. *Minimè: verùm ſanctiſſimi quique, quamdiu vivunt, habent tantùm exigua initia hujus obedientiæ: ſic tamen, ut ſerio, ac non ſimulato ſtudio, non ſecundùm aliqua tantùm, ſed ſecundùm omnia Dei præcepta vivere incipiant.*

EXEGESIS.

Xplicato ſenſu ſingulorum præceptorum Decalogi, quæritur de eorundem quodam adjuncto adhærente, videlicet de obſervationis eorum poſſibilitate : num perfecta legis obſervatio verſis in hâc vitâ ſit poſſibilis. Reſponſio eſt negativa, autoce Scripturæ, & ſingulorum converſorum experientiâ ſubnixa g. 8.v.48. *Eccleſ*.7.v 20. *Iacob*.3.v.2. 1 *Iohan*.1.v.8. Ratio addiab exemplo ſanctiſſimorum, amplificata collatione majorum. m ſanctiſſimi in hâc vitâ habent exigua tantùm initia perfeillius, ac omnibus numeris abſolutæ obedientiæ, quam lex irit, & quæ in alterâ vitâ futura eſt; quod Jobus, *cap*.9.v.1, . David, *Pſal*. 19.v.13. Paulus *Phil*.3.v.13. diſertis verbis itentur. Ergò multò minus qui ſanctitate ipſis inferiores , perfectam obedientiam ſibi poſſunt arrogare, aut eam re habent. Quia verò Scriptura nihilominus converſis perfenem aliquam tribuit, 1 *Corinth*.2.v.6. *Phil*.3.v.15. *Iac*.1.v.4. & , Catecheſis, qualis ea ſit, per partes declarat. I. Conſiſtit in eritate cordis, quòd toto, non dimidiato corde, ut hypoe, *Hoſ*.10.v.2. Deo obediunt *Pſal*.37.v.14. & 73.v.1. & 97.v. quantumvis ſinceritati miſceatur aliqua infirmitas. II. Con in perfectione partium, quòd non ſecundùm aliquam partem

Obſervatio Legis perfecta impoſſibilis eſt.

Perfectio Converſorum qualis.

tem legis, aut secundùm aliqua solum Dei præcepta, sed secundùm omnia ejus præcepta vivere incipiunt *Psalm.* 119. *passim.* Ubi notandum, *perfectos* quoque dici nonnullos comparatè, non absolutè, videlicet ratione aliorum minus perfectorum. Ita perfecti sunt adulti, qui pleniorem rerum divinarum cognitionem hausêre, quam infantes, sive simplices & rudes in Christo 1 *Cor.* 2. v. 6. *Phil.* 3. v. 15. *Heb.* 5. v. 12, 13, 14. & *cap.* 6. v. 1.

Considerationes Catecheticæ Novatorum, *ad quæst. & resp. centes. decimam quartam.*

An non tollatur studium Euangelicæ perfectionis?

I. *Considerandum seriò, annon negativâ istâ responsione,* Minimè, *studium Euangelicæ perfectionis tollatur, quod tamen omnibus necessarium est.*

Resp. Studium perfectionis Euangelicæ, in hâc vitâ nobis possibilis, in Catechesi rectè est definitum, cujus imperfectio tegitur perfectissimâ Christi obedientiâ in quo consummati sumus *Coloss.* 1. v. 10. Perfectionem quam ipsi fingunt, quâ Deus mediocrem nobisque possibilem obedientiam pro perfectâ obedientiâ gratis acceptet, Euangelium ignorat; ideò *Euangelica* dici non potest.

An ratio Catecheseos sit apta?

II. *An quæ hâc responsione adfertur ratio, satis aptè quadret. Quæstio enim agit de potentiâ; Ratio de actu.*

Resp. Quæstio potentiam intelligit in actu positam, aut ponendam: Ratio responsionis actum ponit deductum ex potentiâ. Obedientia est imperfecta, quia imperfecta est regeneratio, in primitiis tantùm Spiritus, *Rom.* 8. *vers.* 23. non in plena messe consistens.

An in sanctissimis exigua tantùm sint initia?

III. *An Sacræ Scripturæ convenienter dicatur,* sanctissimos tantum habere exigua initia: *& an non Scriptura non initium tantum, sed & progressum in curriculo & studio obedientiæ, illis tribuat, an non etiam à vero alienum videri possit, quod de exiguis initiis dicitur.*

Resp. Convenienter Scripturæ dici, loca marginalia fidem faciunt, quæ inspiciant & expendant Consideratores; & exiguitas non solùm ad initia, sed etiam ad progressum, in studio hujus obedientiæ pertinet. Est, & manet exigua, & initialis obedientia, respectu

respectu obedientiæ consummatæ, quam lex à nobis requirit, & nos in alterâ demum vitâ præstituri sumus. Nimirum, quia primitias tantùm Spiritus accepimus: *Rom.* 8. v. 23. Quæ certè exigua sunt initia plenæ messis, suo tempore secuturæ. Qualis autem est causa, tale quoque est ipsum causatum.

An tantum experientiâ nitatur ista assertio?

IV. *An non quod à Catechesi hoc loco asseritur, potius eo, quod in nobis ipsis experimur, quàm Sacræ Scripturæ testimoniis nitatur.*

Resp. Nititur tum Sacræ Scripturæ, tum omnium sanctorum testimoniis secundùm Scripturam, ut in exegesi dictum est. Et quò quis sanctorum se explorat, & novit penitiùs, hoc exigua obedientiæ suæ initia libentiùs fatetur.

An initia illa dicantur hujus vel futuræ vitæ respectu?

V. *Quomodo verba illa, quàm diu in hâc vitâ sunt, quibus significatur, de initiis obedientiæ, respectu perfectæ obedientiæ, præstandæ in vitâ æternâ, hîc locutam Catechesin, videri possint huc quadrare, cùm re verâ ex Catechesi perspicuum esse videatur, ista initia respicere obedientiam, quæ in hâc præsenti vitâ præstanda sit.*

Resp. Verba illa optimè quadrant. Etiam sanctissimi in hâc vitâ habent exigua tantùm initia perfectæ obedientiæ. Ergò nemo conversorum potest legem Dei in hâc vitâ perfectè servare. Nam de hujus vitæ conditione quæri, ex scopo quæstionis, & eum sequente connexione, evidentissimum est.

An omnibus fidelibus conveniat, eos incipere observationem omnium mandatorum?

VI. *An verba ista, secundùm omnia mandata vivere incipiam, competant omnibus fidelibus, an verò iis tantùm, qui initiorum regenerationis modò facti fuêre participes. Si omnibus quomodo vera esse possint eorum respectu, qui jam decem viginti, triginta, & ampliùs annos, secundum præcepta Dei omnia, serio & non simulato studio, vixerunt: & annon Scriptura de progressu regeneratorum in obedientiâ longè aliter loquatur.*

Resp. Utrisque competunt; tum recens conversis ad fidem, tum aliquousque jam in eâ progressis. Nam etiamsi hi per annos complures vixerint secundùm omnia Dei mandata, etiam insigni cum pietatis profectu, ut Zacharias, Elisabeth, *Luc.* 1. v. 6. & alii: manet tamen initialis & inchoata obedientia, quæ ab ἀκριβείᾳ legis, & perfectâ conformitate cum eâ, adhuc longè abest. Inchoatio igitur, quoad istos, refertur non ad prima initia conversionis, sed ad complementum ejus in alterâ vitâ, cujus respectu verè inchoant tantùm obedientiam, etiam qui aliquamdiu secundùm omnia Dei præcepta vixerunt. Postremò, quomodo

Scriptura de progressu regeneratorum in obedientiâ loquens, intelligenda sit, suprà explicuimus.

QUÆST. CXV. Cur igitur vult Deus legem suam adeò exactè & severè prædicari, cùm nemo sit in hâc vitâ qui eam servare possit?

RESP. *Primum ut in omni vitâ magis magisque agnoscamus, quanta sit naturæ nostræ ad peccandum propensio, tantòque avidius remissionem peccatorum, & justitiam in Christo expetamus. Deindè ut hoc perpetuò agamus, illud semper meditemur, & gratiam Spiritus Sancti à patre imploremus, quo indies magis ac magis ad imaginem Dei renovemur, donec aliquando tandem, postquam ex hac vita decesserimus, propositam nobis perfectionem læti assequamur.*

EXEGESIS.

Est objectio ex datâ ante responsione emergens. Legem nemo in hâc vitâ servare potest. Ergò frustra lex tam exactè & severè prædicatur. Respondetur per inficiationem consequentiæ: & tres aliæ causæ exponuntur, cur etiam renatis eam prædicari oporteat. *Prima*, est plenior cognitio peccati, tum actualis, tum originalis, nobis adhuc inhærentis *Rom.*4.v.15. & *cap.*5.v.13.20. *Secunda*, est plenius desiderium remissionis peccatorum, & justitiæ per Christum nobis acquisitæ *Rom.*10.v.3,4. *Matt.*5.v.6. *Tertia*, est continuum studium perfectionis, cujus efficiens procreans est Spiritus Sanctus; causa exemplaris imago Dei; meta vita æterna. *Vide Psal.*119.v.4,5. & *sequentibus passim.* 1 *Corinth.*13.v.9. 10. 1 *Ioh.*3.v.2.

Cur Lex prædicanda tenatis.

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. centes. decimam quintam.*

I. *An in Scripturâ exstet à Deo legem exactè, & severè eâ intentione*

tione prædicari, ut per omnem vitam pravitatem nostram agnoscamus, & non potius, ut fœderati legem impleant, & si id non præstent inexcusabiles reddantur.

An finis prædicationis Legis agnitio peccati perpetua?

Resp. Unius rei possunt esse plures fines. Catechesis fines illos, circa regenitos scitè conjungit, quibus lex simul est speculum peccati ac miseriæ, & regula vitæ *Rom.* 7. *vers.* 14. 15. *seqq. usque ad finem.*

II. *An quod sub finem dicitur, nos ad propositam perfectionem post hanc vitam perventuros; in Scripturâ vel secundum verba, vel secundùm sensum reperiatur.*

An in Scriptura promittatur nos ad perfectionem perventuros?

Resp. Imò dicitur utroque modo. Secundùm sensum, quia docet Scriptura sanctificationem non perduci ad finem in hac vita, 2 *Corinth.* 7. v. 1. *Hebr.* 12. v. 1. sed in altera demum vita perfici quæ est justorum consummatorum *Heb.* 12. v. 23. Secundùm verba 1 *Cor.* 13. v. 9, 10, 11. & *Phil.* 3. v. 3. v. 12, 13, 14.

DE PRECATIONE.

QUÆST. CXVI. Quare Christianis necessaria est præcatio?

RESP. *Quia præcipua pars est ejus, quam Deus à nobis postulat, gratitudinis. Tum quia illis tantùm suam gratiam, & Spiritum Sanctum Deus largitur, qui veris gemitibus continenter hæc ab eo petunt, & pro iis ipsi gratias agunt.*

EXEGESIS.

HUcusque de prima parte gratitudinis, quæ doctrina bonorum operum continetur: Sequitur altera *de Precatione*, cujus necessitas gemino argumento ostenditur. I. A mandato Dei, quo cum alia gratitudinis munia, tum illud inprimis, quod precatione peragitur, à nobis requirit; juxta dictum Psal. 50. v. 14, 15. *Sacrifica Deo laudem, & redde excelso vota tua, atque invoca me tempore angustiæ, & eripiam te, ut honore afficias me.* II. A promissione Dei, qua Spiritum Sanctum petentibus, & pro acceptis beneficiis gra-

Precationis necessitas.

tias agentibus pollicetur: juxta dictum Luc. 11. v. 13. *Pater vester cœlestis dabit spiritum Sanctum, petentibus ab ipso.*

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. centes. decimam sextam.*

An quævis precatio sit pars gratitudinis?

I. *Videndum hoc loco, an prima ratio, quâ demonstratur necessitas precationis, rectè sit proposita his verbis,* quia potissima pars est gratitudinis. *Ea enim respicit quidem agnitionem beneficiorum nobis jam collatorum, sed quomodo hæc precibus aptari potest, & supplicationibus, quibus corporale aliquod, vel spirituale bonum à Deo petimus?*

Resp. Gratitudo non solùm continet agnitionem acceptorum beneficiorum, sed etiam gratiarum actionem pro iis, nec non professionem fiduciæ, in Deo, tanquam unico bonorum omnium fonte ac largitore locatæ: quæ singula qui precationi præcipuè inesse non cernit, aut quomodo ei applicari possint dubitat, is nè quidem, quid sit precatio, didicit, aut tenet.

An gratias agamus pro beneficiis nondum collatis?

II. *Idem quoque, alteram rationem quod attinet, expendendum videtur,* quod *videlicet* Deus spiritum suum iis largiri vult, qui pro eo ipsi gratias agunt, *quippe cum petentes initia donorum spiritus pro iis tanquam collatis, gratias Deo agere, necdum possimus, cùm collata nondum sint.*

Resp. Spiritus Sanctus est causa & effectus precationis, diverso respectu. Causa, quia efficit preces in fidelibus, undè Spiritus precum nuncupatur *Zach.* 12. v. 10. Effectus, ratione incrementi donorum *Luc.* 11. v. 17. & *cap.* 19. vers. 26. Vult igitur Deus largiri incrementa Spiritus iis, qui pro ejus initiis ipsi gratias agunt.

QUÆST. CXVII. Quæ ad eam precationem requiruntur, quæ Deo placeat, quæque ab ipso exaudiatur?

RESP. *Vt à solo vero Deo, qui se in verbo suo patefecit, omnia, quæ à se peti jussit, vero cordis affectu petamus; ex intimo nostræ indigentiæ, ac miseriæ sensu, nos in conspectu divinæ majestatis supplices abjiciamus; huic*

firmo

firmo fundamento innitamur, nos à Deo, quanquam indignos propter Christum tamen certo exaudiri, quemadmodum nobis in suo verbo promisit.

EXEGESIS.

DEmonstratâ necessitate precationis, requisita ejus, sive conditiones exponuntur, numero tres. *Prima* est de Subjecto recipiente ad se, quod est Deus, verbo Prophetico & Apostolico nobis patefactus. Is enim solus est invocandus, juxta dictum, *Dominum Deum tuum adorabis, & ei soli servies* Matth. 4. v. 10. *Secunda* est de subjecto occupante, sive objecto, & sunt omnia ea, quæ Deus à se peti jussit: De quibus in sequentibus. *Tertia* est de adjuncto inhærente, quod est verus cordis affectus, *Iohan.* 4. v. 24 *Heb.* 10. v. 22. secundùm voluntatem Dei compositus; & per duas species declaratur: *Vna* est humilitas, & animi demissio, ex indigentiæ nostræ, & majestatis divinæ sensu profecta; *Daniel.* 9. v. 4. *Luc.* 18. v. 13. *Altera* est fiducia, quæ Christum respicit, *Dan.* 9. v. 17. *Ephes.* 3. v. 12. & infallibili Dei promissione nititur *Iohan.* 14. v. 13. & *cap.* 16. v. 23. Requisita precationis.

Consideratio Catechetica Novatorum, *ad quæst. & resp. centes. decimam septimam.*

Examinandum videtur, an non juxta Dei verbum plures paucioresvè conditiones ad veram precationem requirantur. An conditiones hæ sufficiant?

Resp. At nos nihil de bonæ precationis notis intermissum censemus, nihil etiam superfluum agnoscimus.

QUÆST. CXVIII. Quæ sunt ea quæ à se peti jubet?

RESP. *Omnia tum animæ, tum corpori necessaria, quæ Dominus noster Iesus Christus eâ precatione, quam nos ipse docuit, complexus est.*

EXEGESIS.

SEcunda conditio precationis de Subjecto occupante, sive Objecto, quæstione superiore indicata, bifariam hîc declaratur.

 I. Distri-

I. Distributione bonorum necessariorum è Subjectis recipientibus, quæ vel animæ sunt vel corporis. *Illa* sunt simpliciter petenda cum fiduciâ, quòd simus ea accepturi sicut petimus *Matth.* 7. v. 7. 8. Luc. 11. 13. *Ista* petenda sunt cum conditione voluntatis ipsius, quòd ea sit nobis daturus, si ita ipsius gloriæ, & nostræ saluti expediat *Matth.* 8. v. 2. II. Indicatione rerum petendarum, quam ipse Servator noster certâ precationis formula complexus est.

Considerationes Catecheticæ Novatorum, *ad quæst. & resp. centes. decimam octavam.*

I. *Quæritur, an non rerum petendarum distinctio hoc pacto melius proponi possit*, Omnia quæ ad Dei gloriam, & utilitatem nostram spectant.

An res petendæ rectius distinguendæ sint?

Resp. Distinctio hæc coincidit cum priore, & sensu eodem alii illam; alii istam usurpant.

II. *An istis verbis*, quam nos ipse docuit, *significetur, Christum omnibus mandâsse, ut cum precari volunt, istâ formulâ utantur, sive solâ, sive pro suarum precum clausulâ; an verò potius materiam iis suggerere voluerit earum rerum, quas aut semper, aut pro temporum ratione petere possent.*

An Christus formulam perpetuæ præcationis præscripserit?

Resp. Posterius significatur. Nam Christus hanc formam nobis tradidit, ut sciamus, quæ res, & quomodo petendæ sint. Verba, tanquam indifferentia, libertati Ecclesiæ per misit: quæ minimè ignorat, sive Christi, sive aliis verbis Deus invocetur, gratissimum se illi cultum præstare.

QUÆST. CXIX. Quæ est illa precatio?

RESP. *Pater noster, qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè. Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula seculorum. Amen.*

EXE-

EXEGESIS.

PRecatio hæc usitatè *Oratio Dominica* vocatur, quia Dominus noster Jesus Christus eam discipulis suis præscripsit, & dicendam mandavit, ut videre est *Matth.6.*v.9.*seqq. Luc.*11.v.1.*seqq.* Partes ejus tres sunt: Exordium, Petitiones numero sex, & Clausula, de quibus ordine in sequentibus.

QUÆST. CXX. Cur præcipit Christus, ut ita Deum compellemus *Pater noster*?

RESP. *Vt statim in ipso precationis exordio, convenientem Dei filiis reverentiam & fiduciam erga Deum in nobis excitet, quæ nostræ precationis fundamentum esse debet: nimirum Deum propter Christum nobis patrem factum esse, & quæ verâ fide ab eo petimus, nobis multò minus negare, quàm parentes nostri nobis bona terrena denegant.*

EXEGESIS.

EXordium est, *Pater noster, qui es in cœlis.* Hujus duæ sunt particulæ; quarum prior compellationem continens veri Dei hîc exponitur. Docetur igitur nos Deum compellare Patrem nostrum, ut de duobus animi affectibus ad precandum necessariis admoneamur: videlicet de reverentiâ filiali, *Lev.*19.v.3. & fiduciâ filiali *Esa.*63.v.15, 16, 17. Nam si Deum Patrem agnoscimus, æquum est ut ipsum revereamur. Filius enim honorat Patrem suum *Malach.*1.v.6. Si etiam ut Patrem invocamus, utique ei fidere debemus; quia vel naturâ duce filius patri fidit, & optimam in eo spem repositam habet. Porrò utriusque hujus affectus tum necessitas ostenditur, tum ratio explicatur. *Necessitas* tanta est, ut sint veluti fundamenta precationis nostræ, usque adeò, ut nisi his induti affectibus ad precandum accedamus, actum omninò agamus *Iacob.*1.v.6, 7, 8, 9. *Ratio* ponitur in modo illo, quo pater noster est, videlicet non naturâ, sed gratiâ adoptionis in Christo, per quem nobis Pater factus est *Ephes.*1.v.5. Sanè etiam ex creatione pater est; Sed Peternitas illa impiis quoque communis est; & nos

Affectus precantis.

nos imaginem ipsius ut patris, per peccatum amisimus. Hinc κατὰ πόρισμα certitudo fiduciæ nostræ deducitur amplificata comparatione minoris, quod ea, quæ verâ fide ab eo petimus, nobis multò minus negaturus sit, quàm parentes nostri nobis bona terrena denegant: *Matth.* 7. v. 11. *Psalm.* 103. v. 13. *Esa.* 49. v. 15, 16. Nimirum, quia terreni parentes sunt mali: Deus autem bonus est *Luc.* 11. v. 13.

Considerationes Catecheticæ Novatorum, *ad quæst. & resp. centesimam vigesimam.*

An Deus appellandus Pater, quia is nobis jam factus est?

I. *Quæritur, an Christus jusserit compellare Deum Patrem nostrum statim in initio nostræ precationis, ut eo officii nostri admoneremur, quia Deus jam factus sit Pater noster; an quia Deus paratus sit fieri nobis in patrem, omnemque paternum favorem nobis ostendere: siquidem debitè officium nostrum præstemus.*

Resp. Christus jussit Deum compellare Patrem nostrum, quòd jam in Christo pater noster factus sit, non quod talis demum futurus sit, siquidem officiis nostris hoc demereamur. Est Pater noster ex fœdere gratuito, *Ierem.* 31. v. 1. 2 *Corinth.* 6. v. 18. *Esai.* 63. v. 16. etiam antequam officium nostrum debitè præstemus: *Iohan.* 11. v. 52. *Esa.* 65. v. 24. Et quotquot Christum fide recipiunt sunt filii Dei *Iohan.* 1. v. 12. Fides autem precationis mater est. Quomodo verò, qui persuasus non est Deum esse sibi patrem eum fidenter & ardenter invocare potest? Precationem igitur tollunt, qui paternum Dei erga nos affectum ab officio nostro suspendunt.

An pari certitudine etiam temporalia bona exspectemus?

II. *An ex eo, quod Deum patrem nostrum appellamus, certi esse possimus, Deum nobis omnia tum animo tum corpori necessaria. (Ea enim omnia, uti dictum est, petere jubemur) sine omni dubio largiturum, eoque etiam temporalia bona pari certitudine exauditionis peti debeant, quà spiritualia.*

Resp. Certi sumus Deum etiam corporalia bona sine omni dubio nobis largiturum, prout ea promisit. Atqui promisit ea quatenus gloriæ suæ, & saluti nostræ conducunt. Sic ergò etiam de iis certi sumus, eoque non dubitanter, sed fidenter eâ petimus. Quòd si noxia futura sint, nè ipsi quidem volumus exaudiri. Nam fides se subjicit omni verbo, & voluntati Dei, & con-

confidit Deo non solùm ut benigno, sed etiam sapienti Patri, qui optimè novit, quid filiis suis expediat.

QUÆST. CXXI. Cur additur, *qui es in cælis*?

RESP. *Nè de cælesti majestate Dei humile quippiam, aut terrenum cogitemus; simul etiam, ut ab ejus omnipotentiâ, quæcunque animo & corpori sunt necessaria, exspectemus.*

EXEGESIS.

ALtera particula Exordii, *Qui es in cælis*, descriptionem Dei continet à Subjecto loco. Non quod Deus cœlorum spatiis includatur; nam cœli cœlorum non capiunt eum, 1 *Reg*. 8. v. 27. sed quia ibi tum majestatem suam plenissimè patefacit, tum bonitatem suam beatis angelis, & hominibus quàm largissimè fruendam exhibet *Psal*. 103. v. 19. Cœli igitur sunt cœli cœlorum, hoc est, cœlum illud supremum, quod est supra omnes cœlos adspectabiles, & regiones eorum *Ephes*. 4. v. 11. Et cœlum tertium vocatur 2 *Corinth*. 12. v. 2. *Fines* hujus descriptionis duo indicantur. *Primus* est reverentia, nè de cœlesti majestate Dei humile quiddam; aut caducum cogitemus, neve de Patre illo Spirituum veluti de carnis nostræ patribus sentiamus 1 *Reg*. 8. v. 27. *Act*. 17. v. 24. 25. *Hebr*. 12. v. 9. *Alter* est fiducia, ut ab omnipotentiâ ejus omnia necessaria, ac salutaria bona exspectemus. Quia enim Deus noster in cœlis est, quicquid vult, facit: ait Psaltes *Psal*. 115. v. 3.

QUÆST. CXXII. Quæ est prima petitio?

RESP. Sanctificetur nomen tuum: *hoc est, da principio, ut te rectè agnoscamus, & lucentem in omnibus operibus tuis omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam, & veritatem tuam veneremur, prædicemus, & celebremus. Deinde, ut universam vitam nostram, cogitationes, sermones, & actiones, eo semper dirigamus, ne sanctissimum nomen tuum propter nos contumeliâ afficiatur, sed honore potius & laudibus illustretur.*

EXEGESIS.

SEquuntur ipsæ petitiones numero sex: quarum aliæ Deum, aliæ nos spectant. Illæ sunt tres priores: Istæ tres posteriores.

Nomen Dei. *Prima* est de sanctificatione nominis divini, quæ est finis, & scopus omnium reliquarum. *Nomen Dei* hîc essentiam, proprietates, & opera significat, à quibus Deus variè denominatur in Scripturâ *Psalm.* 115.v.1.*&* 116.v.4.*&* 8.v.2. *Sanctificatur* nomen illud non quasi ex profano sanctum reddatur: (In se enim sanctissimum est, *Lev.* 11.v.44. *Esa.* 6.v.3.) sed dum à nobis ut sanctum glorificatur. Cujus tres modi in Catechesi exprimuntur. I. Sanctificatur verâ agnitione Dei, cùm talem agnoscimus, qualem se patefecit verbo, & operibus *Ephes.* 1.v.16.17. II. Sanctificatur celebratione sanctitatis & virtutum ipsius, 1 *Pet.* 2.v.9. quæ in verbo plurimæ, & maximæ describuntur, *Exod.* 34.v.6.7. *Psal.* 145. *per totum.* 1 *Tim.* 1.v.17. in operibus verò ipsius clarissimè relucent *Psal.* 8.v.2.*seqq.&* 19.v.1.*seqq. Rom.* 1.v.20. III. Sanctificatur studio sanctarum actionum, quæ occasionem aliis ad Deum sanctificandum, & glorificandum præbent, juxta illud *Matth.* 5.v.16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c.* Atque hic modus illustratur à contrario, videlicet exercitio malorum operum, propter quæ nomen Dei blasphematur apud incredulos *Rom.* 2.v.24.

(Margin: quomodo sanctificetur.)

Consideratio Catechetica Novatorum, *ad quæst. & resp. centes. vigesimam secundam.*

An Sanctificatio Dei per opera sua hic intelligatur? *An non sub verbis* Sanctificetur nomen tuum *comprehendi debeat sanctificatio per quam Deus se ipsum per sancta opera declarat, ut ea homines intuentes accendantur desiderio Deum glorificandi & laudandi, &c.*

Resp. Sanctificatio illa continetur sub communi genere operum Dei, & in Catechesi præsupponitur, tanquam objectum nostræ sanctificationis.

QUÆST. CXXIII. Quæ est secunda petitio?

RESP. Veniat regnum tuum: *hoc est, regas nos ita verbo & Spiritu tuo, ut nos tibi magis magisque subjiciamus: Conserva, & auge Ecclesiam tuam, destrue opera Diaboli, omnemque potentiam, se adversus majestatem:*

statem tuam efferentem: Irrita fac omnia consilia, quæ contra verbum tuum capiuntur, quoad plenè tandem, ac perfectè regnes, cùm eris omnia in omnibus.

EXEGESIS.

Secunda agit de regno Dei, qua triplicis regni adventus petitur. Primum est *regnum gratiæ*, quod in Ecclesia exercetur, *Luc.* 17. v. 20. 21. à duobus actibus descriptum. *Unus* est gubernatio Ecclesiæ per verbum, & Spiritum; ut foris verbo præcipiantur facienda, vel omittenda, intus per spiritum conferatur volendi & perficiendi facultas *Psal.* 110. v. 2. *&* 119. v. 105. *&* 143. v. 10. *Joh.* 16. v. 13. *Alter* est Ecclesiæ tum conservatio etiam adversus portas inferorum, *Matth.* 16. v. 17. tum amplificatio, ut in dies magis, magisque crescat, & augeatur *Psalm.* 118. v. 25. 26. *Rom.* 15. v. 18. 19. Secundum est *regnum potentiæ*, *Psal.* 103. v. 19. quod etiam naturæ, sive providentiæ dici consuevit. Hujus actus tres indicantur: Destructio operum Diaboli; *Rom.* 16. v. 20. Eversio omnis potentiæ humanæ efferentis se adversus summam Dei majestatem; qualis est Turcæ, Hispani, Antichristi; *Psal.* 129. v. 5. *Psal.* 5. v. 11. Et confusio omnium consiliorum contra verbum Dei initorum *Psal.* 2. v. 1. 2. *Actor.* 4. v. 25. *seqq. Apoc.* 22. v. 17. 20. Tertium est *regnum gloriæ*, *Luc.* 13. v. 29. gemino adjuncto explicatum. I. Est regnum perfectum; filiis regni perfectè regeneratis, 1 *Corinth.* 13. v. 9. 10. 11. & hostibus ejus omnibus positis in scabellum pedum Christi 1 *Cor.* 15. v. 25. 26. II. Est regnum immediatum; quod absque ministerio verbi, Sacramentorum & aliorum salutis mediorum œconomiâ, immediatè à Deo exercebitur, cum ipse erit omnia in omnibus 1 *Cor.* 15. v. 28.

Regnum Dei triplex gratiæ, potentiæ, gloriæ.

QUÆST. CXXIV. Quæ est tertia petitio?

RESP. Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra: *hoc est, Da ut nos, & omnes homines voluntati propriæ renunciantes, tuæ voluntati, quæ sola sancta est, promtè & sine ullo murmure pareamus; atque ita singuli mandatum nobis munus fideliter & alacriter exsequamur, quemadmodum faciunt angeli in cœlo.*

EXEGESIS.

Tertia agit de obsequio voluntati Dei à nobis præstando. *Voluntas Dei* est ipsius mandatum verbo legis, 1 *Thess.*4.*v.*4. & Euangelii, *Ioh.*6.v.39,40.comprehensum: tum etiam consilium, & decretum ipsius *Esa.*46.v.10. *Facere voluntatem Dei* dicimur duplici obsequio, generali & speciali. *Prius* declaratur I. Antithesi contrariorum, videlicet abdicatione voluntatis nostræ, quâ ei ut pravæ, & perversæ renunciamus, *Ps.*141. v.4.*Mat.*16.v.24. *Galat.*5.v.24.& paritione voluntatis divinæ,quæ sola sancta,justa, ac bona est *Ps.*119.v.33.*seqq.*II. Ab adjunctis,ut obsequium illud sit promptum, spontaneum, non coactum, aut cum murmure conjunctum *Ps.*110.v.3. *&* 51. v.12. Hujus exempla vide in Jobo, *cap.*1.v.21.Eli, 1.*Sam.*3.v.18. Davide,2. *Sam.*15.v.25.26.& Christo *Matth.*26.v.39.42.*Hebr.*10.v.7.9.*Alterum* est obedientia specialis vocationis, ut eâ tum fideliter, tum alacriter defungamur. Cujus exemplum illustre occurrit in Christo, *Iohan.*4.v.34.& Paulo,*Actor.*20.v.19.*seqq.Rom.*15.v.18.19. Utrumque illustratur exemplo simili sanctorum Angelorum, quorum erga Deum obedientia celebratur in Scripturâ,cùm alibi, tum *Ps.*103,v.20,21.*Heb.*1.v.14.

Voluntas Dei.

quomodo fiat à nobis.

Considerationes Catechetica Novatorum *ad quæst. & resp. centes. vigesimam quartum.*

An hæc quæstio consentiat cum quæst.114?

An illud, quod de exiguis initiis dicitur responsione CXIV. *conveniat cum verbis,quæ hîc exstant*; Ut ita singuli mandatum sibi munus, fideliter & alacriter exsequantur, quemadmodum Angeli in cœlis.

Resp. Convenit. Nam responsio CXIV. de facto,hæc de voto agit, quod tum demum perfectè implebitur, cùm erimus ἰσάγγελοι *Luc.*20.v.36.

QUÆST. CXXV. Quæ est quarta petitio?

RESP. Panem nostrum quotidiauum da nobis hodie: *hoc est, suppedita nobis omnia, quæ sunt ad hanc vitam necessaria, ut per ea agnoscamus, te unicum fontem esse, ex quo omnia bona emanant, ac nisi tu benedicas omnem nostram curam,& industriam,atq; adeo tua*

tua ipsius dona, nobis infelicia, & noxia esse. Quapropter da, ut fiduciam nostram ab omnibus creaturis aversam, in te solo collocemus.

EXEGESIS.

QVarta agit de subsidiis necessariis ad sustentationem, & conservationem vitæ hujus corporalis; quæ omnia per synecdochen speciei notantur, & petuntur nomine *panis* *Psal.* 145. v. 15. 16. & 85 v. 10. 11. 12. 13. *Prov.* 30. v. 7. 8. Eò quòd panis præcipuam ad hominis corpus alendum vim habet. Cæterùm cùm alibi panem nostro labore acquirere jubeamur, causæ hîc exponuntur cur nihilominus à Deo eum petere debeamus. *Prima* est, ut Deus agnoscatur, & celebretur, tanquam unicus fons, ex quó omnia bona emanant *Psal.* 67. v. 3. *Act.* 14. v. 15. 17. *Secunda* est, ut agnoscatur, & celebretur ut laboris nostri liberalissimus compensator, & saluberrimus prosperator *Deut.* 8 v. 3. *Psal.* 127. v. 1. 2. *Hagg.* 2. v. 16. *seqq.* *Tertia* est, ut fiduciam nostram, ab omnibus creaturis aversam, in ipso solo collocare discamus *Psal.* 146. v. 3. 4. *seqq.* & 62. v. 9. 11.

Panis quid

cur petendus

Considerationes Catecheticæ Novatorum *ad quæst. & resp. centes. vigesimam quintam.*

I. *Quæritur, an vox* ἐπιούσιος *rectè vertatur,* Quotidianus.

An ἐπιούσιος quotidianum notet?

Resp. Alii interpretes aliter reddunt: & quatuor, vel etiam plures exstant vocis hujus expositiones. Si ἄρτος ἐπιούσιος dicitur, quasi ὁ τῆς ἐπιούσης, sc. ἡμέρας, id est, panis diei succedentis, sive præsentis, qui hesterno succedit, non malè sic vertitur.

II. *Quandoquidem per voculam* Amen, *precationi additam ab aliquibus intelligitur, certò nos accepturos quod petimus, quæritur annon in hujus precationis explicatione mentio fieri debeat, quomodo Deus aliquando suos paupertate soleat visitare, adeóque omnes fideles, in hâc vita, crux certa maneat.*

Annon Crucis mentio sit facienda?

Resp. Considerationi huic satisfaciunt Catechetæ in brevioris hujusce compendii prolixiore explicatione & practicâ applicatione.

III. *An non in declaratione hâc distinctius mentio fuerit facienda sollicitudinis à Christo prohibitæ* Matth. 6.

 Resp.

Resp. Illius verò satis distincta mentio fit verbis ultimis responsionis: siquidem sollicitudo ista ex fiduciâ in creaturis potissimùm oritur.

QUÆST. CXXVI. Quæ est quinta petitio?

RESP. Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: *hoc est, nobis miserrimis peccatoribus omnia peccata nostra, atque eam etiam pravitatem, quæ in nobis etiamnum hæret, propter Christi sanguinem ne imputes: quemadmodum nos quoque hoc tuæ gratiæ testimonium in cordibus nostris sentimus, quod firmiter nobis propositum habemus, omnibus, qui nos offenderunt, ex animo ignoscere.*

EXEGESIS.

Peccata debita.

QVinta est de remissione peccatorum, quæ *debita* appellantur, quandoquidem pœnas eorum Deo debemus, quem peccatis nostris offendimus *Matth*.6.v.12.*& Luc*.11.v.4.*inter se collatis*. Hæc *remissio* partim declaratur in Catechesi, partim etiam confirmatur.

Remissio eorum.

Declaratur. I. A Subjecto Recipiente; Quòd sumus nos miserrimi peccatores, ita obruti peccatis, ut ne numerum quidem eorum ipsi teneamus *Psal*.19.v.33.*Matth*.18.v.24. II. A distributione peccatorum in actualia, & originale etiamnum nobis inhærens *Rom*.7.v.15.*seqq*. III. A causâ impulsivâ meritoriâ, sanguine Christi *Rom*.3.v.25.*Matt*.26.v.28. IV. A formâ, quæ est non imputatio peccatorum *Psal*.32.v.1.2. *Rom*.4.v.7.8. *Confirmatur* verò testimonio gratiæ Dei in cordibus nostris, de constanti ac sincero proposito ignoscendi iis qui nos offenderunt. Jam verò Christus promisit patrem cœlestem nobis remissurũ, siquidem nos offensas proximis nostris ex animo condonemus, *Luc*.11.v.4.*Matth*.18.v.35. Certa igitur nobis est, & manet peccatorum nostrorum remissio.

QUÆST. CXXVII. Quæ est sexta petitio?

RESP. Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: *hoc est, quoniam ipsi naturâ adeò debiles, & infirmi sumus, ut ne momento quidem subsistere possimus, infensissimi autem hostes nostri, Satan, mundus, ac nostra*

ipsorum caro nos continenter oppugnant ; tu nos sustentes, & spiritus tui robore firmes, ne in hoc spirituali certamine succumbamus, sed tantisper illis fortiter resistamus, donec integram tandem victoriam obtineamus.

EXEGESIS.

SExta, & ultima petitio est, qua deprecamur tentationes Diaboli; & aliorum hostium, quibus nos à Deo abducere, & sibi mancipare conantur. Primò autem causæ hujus petitionis exponuntur, inde ipsa petitio in partes deducitur. *Causæ* duæ sunt. *Vna* est nostra infirmitas, & quidem tanta, ut nobis relicti aut permissi, ne momento quidem subsistere possimus *Matth.* 26. v. 41. *Altera* est potentia, astutia, & vigilantia hostium nostrorum, qui dolo, & vi nos oppugnare nunquam cessant. Hostes verò tres enumerantur, qui mutuas sibi operas præstant, & in unum conspirant. *Satan*, *Luc.* 22. v. 32. *Ephes.* 6. v. 12. qui circumit, ut leo rugiens, quærens quem devoret, 1 *Petr.* 5. v. 8. *Mundus*, ad odium nostri & persecutionem per se pronus; à Satanâ verò insuper inflammatus *Ioh.* 15 v. 19. Et nostra ipsorum *caro*, quæ intra nos concupiscit adversus spiritum, *Galat.* 5. v. 17. eique pertinaciter rebellat *Rom.* 7. v. 22. 23. *Partes* petitionis tres sunt. Nam petimus à Deo sustentationem nostri, ne vel nostrâmet imbecillitate concidamus 1 *Cor.* 10. v. 12. 13. Confirmationem item per Spiritum Sanctum, ne in hoc spirituali certamine succumbamus *Ephes.* 6. v. 11. 12. 13. Et denique plenam victoriam ab omnibus hostibus, etiam in pedum nostrorum scabellum redactis *Rom.* 16. v. 20.

Petitionis hujus causæ.

partes.

QUÆST. CXXVIII. Quomodo concludis precationem tuam?

RESP. Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula; *hoc est, omnia hæc à te petimus, quia cùm & rex noster, & omnipotens sis, omnia nobis & vis, & potes largiri. Atque hæc quidem ideò petimus, ut ex iis non ad nos, sed ad sanctum nomen tuum omnis gloria redeat.*

EXEGESIS.

SUper est *clausula* totius precationis Dominicæ, tria continens argumenta, quibus in fide gratiosæ exauditionis nostri

stri confirmamur. *Primum* ducitur à causâ procreante, nempè à voluntate Dei, quæ notatur epitheto, regis, sive regni. Rex enim bene vult suis subditis *Psal.*5.v.5. & 20.v.10. *Alterum* similiter sumitur à causâ procreante; videlicet potentiâ Dei, quia ipse est omnipotens, cui omnia sunt possibilia 2 *Chron.*20.v.6. 1.*Chron.* 19.v.11.12. *Marc.*14.v.36. *Tertium* petitur à fine, qui est gloria Dei,& precum nostrarum exauditione mirificè illustratur, in hoc & futuro seculo sine intermissione *Psal.* 115.v.1. *Esai.*37.v.20. *Daniel.* 9.v.19. A Deo autem unicè, & in omnibus spectatur *Proverb.*16.v.4.

QUÆST. CXXIX. Quid sibi vult particula *Amen*?

RESP. *Rem certam ac ratam esse. Nam precatio mea multo certius à Deo est exaudita, quàm ego in corde meo sentio, me illud ex animo cupere.*

EXEGESIS.

Particula *Amen* est signaculum orationis, notans tum votum, sive desiderium exauditionis, tum etiam fiduciam de eo *Ierem.* 28.v.5.6. 2 *Corinth.*1.v.20. Cujus certitudo collatione imparium amplificatur ex *Esa.*65.v.24. Et Paulo *Ephes.*3.v.20.

Consideratio Catechetica Novatorum, *ad quæst. & resp. centes. vigesimam nonam.*

An Amen aliud quam votum notet?

Considerandum an vox Amen *aliud notet præterquam votum, quo optare nos, ut quod petimus, ita uti petimus nobis eveniat, significamus.*

Resp. Dictum est vocem illam non tantùm esse optantis, sed etiam asseverantis, ut in dictis Christi *Ioh.*16.v.23.& alibi. Quo sensu Lucas reddidit, per ἀληθῶς, *cap.*12.v.44. Græci per πεπιστωμένως i. e. certò, confirmatè. Vera igitur est hujus vocis significatio in Catechesi expressa, & cum priore meritò conjungitur, ut precationem ardentem simul, & fidelem esse ostendatur.

FINIS.

INDEX

INDEX
Dictorum Scripturæ.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

D.

L.

Neces-